

6
6-e
52

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
3 E
12

6. 6. e. 52

Digitized by Google

Digitized by Google

REGINÆ PALATIVM ELOQVENTIÆ,

PRIMO QVIDEM A R.R. P.P. Societatis IESV, in Galliâ, exquiſito ſtudio, & arte magnificâ, exſtructum.

NVNC VERO REVISVM, AC SENSVI, MORIBVS Germanorum, aliarúmque nationum, accommodatum, & in bonum, non modò, Eloquentiæ Studioſorum, ſed etiam Verbi Diuini Præconum ac Concionatorum, editum.

A R.R. P.P. Societatis IESV Mogunt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ad usum ... Dominici



VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA

LVGDVNI,

Sumptibus IOANNIS-AMATI CANDY, Typographi Regij.

M. DC. LII.

CVM PERMISSV SVPERIORVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD IVVENTVTEM,

Vt Eloquentiæ ſtudium amplectatur,

ODE.

PErge, ô Iuuentus, omine proſpero,
Sacrare caſtis tempora literis,
Doctóſque Muſarum receſſus
Ingenuá penetrare mente.
Sed Hæc amores præcipuè ferat.
Quæ diſſipatas creditur oppidis
Iunxiſſe turbas, & ferini
Barbariem pepuliſſe cultûs.
Quod præter Illam diſcitur, arctior
Includit orbis; terra, Geometram;
Legiſperitum iura; ſtellæ,
Aſtrologum; Medicúmque, morbi.
At nil diſertum Rhetora detinet,
Sed quod polorum cingitur ambitu,
Et ſi quid vltrà, profluenti
Eloquio memorare geſtit,
Nunc, quo citati per freta turbines
Naſcantur ortu; nunc, reuolubiles
Deſcribit alternantis vndæ
Littus ad Euboicum procellas.
Tùm, quî rotundo pondere machina
Librata vaſto pendeat aëre,
Et vndique in centri coactâ
Circuitum grauitate ſidat.
Pòſt, glorioſo (ſi iubet) impetu
Stellantis oræ tranſuehitur plagas,
Ac templa depingit perenni

BIBLIOTECA NAZ. RC.A. VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Cœlituum decorata ſede.
Vis ſtrenuorum prælia Cæſarum
Audire? dicet prælia Cæſarum;
Vis ſcire Gallorum triumphos?
Francigenæ canet acta genti.
Quæ tanta præſtet, Pieridum in choro
Fruſtrà requiras; Ipſæ adeò ſuos
Docere nil poſſunt alumnos,
Si facilem neget Illa linguam.
Inuſitatis laudibus euehat
Amœna dulces Terpſichore ſonos;
Res ante geſtas, Clio; Cœlum
Vranie; numeros, Thalia,
Vix inſuaui gutture cœperint
Ciere voces, quilibet horridi
Squalore ſermonis fugatus,
Se propero feret inde paſſu;
Nec vllus aures diſcipulus dabit,
Quin cum palæſtrâ dicere corporis,
Aptóque verborum lêpore,
Rhetoricâ præeunte, norint.
Magnum hoc, Suadam cui aliis iuuet
Præferre nomen! quod neque cæteras
Vnquam ſit orbis cogniturus,
Ipſa niſi celebraret, artes.

CONSENSVS.

LIbrum hunc inſcriptum, *Reginæ Palatium Eloquentiæ*, typis mandari, & in lucem edi à Ioanne-Amato Candy Typographo Regio, Ego Conſiliarius & Procurator in Lugdunenſi Præfecturâ, non impedio. Lugduni die 5. Nouembris 1652. VIDAVD.

PERMISSIO.

VIſo Procuratoris Regis conſenſu, hunc Librum typis mandari Ioanni-Amato Candy concedimus, & ne quis vltra conceſſam ei facultatem denuò excudat, prohibemus. Lugduni die 6. Nouembris 1652. SEVE.

REGINÆ ELOQVENTIÆ PALATIVM, SIVE EXERCITATIONES ORATORIÆ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PROOEMIVM.

VT RHETORICÆ proprium eſt dicere de rebus omnibus;ita omnium eſt de Rhetorica, in vtramque partem, diſputare. Ea nimirum eſt præſtantiſſimarum artium ratio, vt cùm in ampliſſimam rerum ſylvam latiſſimè diſcurrant; Vbi multa de ijs cogitaueris, dixeris, ſcripſeris, tamen ad cōmentandum plurima ſemper relinquantur. Ideò fortè Marcus Byzantius eloquentia clarus, Rhetoricam cum Iride componebat, quòd in vtráque videri quidem, & ſuſpici, magna cum admiratione, colores poſſint, numerari non poſſint; Itaque qui de perſuadendi ratione aliquid idoneo commentario diſſeruerit, nimium ſui ſit amans, ſi nihil, aut addi, aut certè variari ab alio poſſe confidat. Socratès apud Platonem in Eutydemo Sophiſtas Proteos appellandos cenſuit; quòd, vt Ægyptius ille Proteus, in omnes rerum omnium formas; ita Sophiſtæ in multiplices orationum ſpecies, & infinitas in rerum imagines, nullo negotio, devolverentur: vt rem minimè inſolentem facturum me arbitrer, ſi poſt tantas, tot Rhetorum in arte ſua varianda, ornandáque lucubrationes, colorem illius aliquem, in bono lumine collocandum ſumpſero. Eò me quidem video neceſſitatis adactum, vt aut nihil aptè dicere, aut, quod neſparta quidem tulit, clara luce, cunctiſque cernentibus alienum cogar compilare; quod vltrò libentérque profiteor (quid enim tàm ſuperbum, quàm diſſimulare vndè profeceris;) Sed niſi me amor laboris mei, & ex amore ſpes decipit, ſua erit huic operi pulchritudo, ad cuius abſolutionem, verè dicam, Oratores veteris, recentiſque memoriæ præſtantiſſimi quique præcipuum aliquid cōferent, quorum exempla pulcherrima pro legibus erunt quibus ars tota, quam inſtruimus, effloreſcet, quorum omnium ideas illuſtres

Digitized by Google

eximias ex optimis auctoribus afferemus. Hanc docendi viam ſequuturis ſpero non defuturum ſtudium auditorum. Sed lubet prius aliquid de arte ipſa præludere, vt ne quod oraculo prohibetur, ſeipſum Rhetor ignoret.

Rhetoricæ vtilitas & definitio.

QVis libenter audiat Athenæum, qui dicendi facultatem eximiam κακοτεχνίαν fallendi artem appellare non dubitauit? excidit hoc erudito, vt ſeipſum deceptorem faceret, ac ſycophantam, ſuíque ſimiles odioſâ ſanè appellatione infamaret. Fuit illud quidem in Sophiſtas vulgò iactatum côuitium, quos eâ cauſa dixere veteres γόητας præſtigiatores, quòd portētoſa videlicet mendacia ingererent auribus, fucóque vaniſſimæ orationis colorata magnificè iactarēt. Etenim cùm de omni quæſtione ſe dicturos eſſe profiterentur, interdum, vt ſpecimen ingenij facerent, incredibilia ſumebant ad dicendum arguméta, quæ multùm abeſſent à veritate, quale Zenonis illud probare volentis eadem poſſe, & non poſſe fieri. Ridicula planè, furioſáque mentiendi libido, græcorum ingeniis non indigna, quam Rhetorica noſtra veritatis amans fugit, & auerſatur: quæ licet aliquando ſuas intermiſceat auxeſes, & hyperboles, eas tamen, & moderate ſatis vſurpat, & eo tantum conſilio, vt veritatem ſplēdidius illuſtret, auditoréſq; eleganti, & faceta varietate delectet.

Benè Socrates in Gorgia Platonis latuam illam, & effigiem, non veram germanámque Rhetoricam artis appellatione cenſuit indignam, acperitiã quandam adulatoriam eſſe dixit ἐμπειρίαν κολακευτικὴν Coquinæ propemodum ſimilem, quòd hæc guſtatui ſeruiat, illa lenocinetur auribus; iſta bonum corporis habitum exquiſitis deliciis, inſtitiam illa dulci, atque illecebroſa dictione corrumpat.

Næ malus rerum æſtimator eſt, qui vitia Rhetorum in ipſam eloquentiam deriuat omiſsóque ſicario vim omnem accuſationis in in ſicam effundit. Præclarè Fabius lib. 2. c. 16. *Hoc quidem modo nec duces erunt vtiles, neque magiſtratus, nec medicina, nec ipſa denique ſapientia.* Nam & in medicis venena, & in iis, qui philoſophorũ nomine malè gloriãtur grauiſſima interdum flagitia ſunt deprehenſa: cibos aſpernemur; attulerunt ſæpè valetudinis cauſas: nunquam tecta ſubeamus: ſuper habitantes aliquando procumbunt: non fabricetur militi gladius; poteſt vti eodē ferro ſicarius, & latro: quis neſcit ignes, & aquas, ſine quibus nulla ſit vita, & ne terrenis inſiſtá diutius, ſolem lunámque, præcipua ſyderum; quoties nocent, & obſunt; De ſe igitur eſt vtilis eloquētia, licet eâ quidam peruersè abutantur, eóque capeſſenda vehementius ait Cic. 1 de inuent. *ne mali cum detrimēto bonorum, & communi pernicie plurimùm obſint.*

Definitio.

Verum his omiſſis, quæ pugnam magis, palæſtrámque ſapiunt, quàm ſcholam: Plato ſenex tàm ſtudioſus Socratis diſcipulus, quàm doctus Ariſtotelis preceptor artē voluit eſſe flexanimam: maluit eius auditor peripateticus, *vim eſſe quandam facultatemque videndi quid in quaque re ſit ad perſuadendum accōmodatum:* melius qui cum Tull. Rhetoricam definit *doctrinam*, vel *artem benè ordinateque dicendi.*

Cum cæteris artibus hoc habet commune, quòd præcepta quædam complectatur, quæ ſi quis diligēter obſeruet, ac ſequatur, errare minime poſſit, à reliquis autem diſſidet, quòd illi vni bene dicere cōgruat, vel cogitata præclarè eloqui, & cōceptum animo ſermonē diſtinctè, abundanter, illuminatè proferre. Deindè vix artem vllam reperias, quæ ſine hac dicendi facultate munus ſuũ obire non poſſit; hæc verò, niſi domeſticis ſe diuitiis inſtruxerit, non habet vndè copiam dicendi mutuetur.

Rhetoricæ vis & maieſtas.

IAm verò quę ſit eius dignitas, atq; præſtātia nullus facilè dixerit, niſi qui omnē eloquentiæ vim

Digitized by Google

tiæ vim penitus exhauſerit ; ſolus ille poteſt, quem diſertè pronuntiavit D. Hieron. magnum Oratorum Regem, *Quid eſt*, inquit l.de orat.n 31. *aut tàm admirabile, quàm ex infinita multitudine exſiſtere vnum, qui id, quod omnibus naura ſit datum, vel ſolus, vel cum paucis facere poſſit ? aut tàm iucundum cognitu, atque auditu, quàm ſapientibus ſententiis, gravibúſque verbis ornata oratio, & perpolita? aut tàm potens tàmque magnificum, quam populi motus, iudicum religiones, ſenatus gravitatem vnius oratione converti ?* Quid aliud eloquentia pro ſe diceret, aut quid illuſtrius poſſet ? Facere tamen non poſſum, vt omittam incredibilem eloquentiæ dignitatem, ac virtutem, quam vir inſignis doctrina, & pietate deſcripſit.

Surgit ad dicendum coram infinita multitudine, in qua animorum, ac geniorũ tanta ſit quãta corporum diſſimilitudo. Apparet vnus inter innumeros ſublimis orator, Reges, Principes, amicos hoſtes, ignotos, notóſq; ante oculos habet, nudus ſine armis, ſine præſidio, ſine ſatellitio coram exſtat, cæteróſque infra ſe videt. Quid deinde ? nimirum dominatur Principibus, exarmat milites, de hoſtibus triumphat, in omnium animis incredibilem quamdam tyrannidem exercet. Nempe tanto artificio, tantâ induſtria, vocem, guſtũ, habitúmque corporis ad orationem ſuam accommodat, vt duriſſimas quáſque mentes emolliat, ſeveriſſimas inflectat, frigidiſſimas inflammet, ardentiſſimas remittat, ac ſedet. Si exclamare cœperit ad excitandam iracundiã; illicò fremere totus auditorũ cœtus, ac velut iracundum mare ſurdo murmure, aut minaci fragore perſonare: dimittat verò languentem vocis conatum, & ad dolorem miſerabiliter intorqueat; lacrymas ex omniũ oculis gemitus, & ſuſpiria, ex imis pectoribus elicet: ſubitò taceat, & in medio curſu filũ orationis abrũpat; ipſo ſilentio ſuſpẽder animos expectatione: erigat oculos in cœlũ, intentóque digito delicias horum locorum, & amœnitates oſtendat; omnes, ita me deus amet! auditorum animi, velut impetu facto in cœlũ evolabunt.

Quid plura? Sic in auditorum mentes plerumque ſenſus oratoris transfunditur, vt eo exultante; ſubſiliant, commiſerante; ingemiſcant: ornante, ſuſpiciant: fremant inveheute, pollicente, erigantur; horreant comminante, exprobante, indignentur; commendante; diligant, iraſcente; exardeſcant, remittente, ſubitò conquieſcant ſic planè; vt exiſtimes vnum oratoris ingenium, vel delatum voce, vel vibratum oculis, vel manu miſſum, tot corporibus inſidere, tot regere, tot animare mẽtes, quot auditores præſentes habet: quod cum aptè efficit vulnera infligit, quod oculorum conjectus, tot tela intorquet, quot conatus vocis, toties palmam metit, quoties manum movet, nec plura verba, quàm victorias, loquitur.

Ex hoc capite multis Piſonem eximium oratorem commendat Lucanus, & vim ipſius eloquentiæ ſimul exprimit.

—— Tu quoque Piſo.
Iudicis affectum, poſſeſſáque pectora dicis.
Victor ſponte ſua ſequitur quocúmque vocaſti:
Flet ſi flere iubes, gaudet gaudere coactus.
Et te dante capit Iudex, quam non habet iram
Quis regit ipſe ſuam niſi per tua pondera mentem?

Quod in oratore maximum eſt laudat : nam cæteræ quidem artes ab hominibus inventæ hominũ labori relictæ ſunt, ars verò perſuadendi, hoc eſt inclinandæ, movẽdæ, & quò libuerit impellendæ voluntatis nobis cum Angelis, cum Deo ipſo quodammodo communis eſt, *in ea ſe Deus exercet, in ea delectatur in ea triumphat*, cum Auguſtino loquor, *dum nos ſine ſtrepitu verborum intus alloquitur* Orationis loco piæ ſunt cogitationes, quæ ſuadent ſemper, ſæpè tamen non perſuadent; tanta eſt humanæ pervicacia voluntatis.

At eloquentiæ majeſtas ſe ma vult, & admiratione coli & ſilentio prædicari: eſt enim admiratio præconium gloriæ, & ſilentium fidus interpres M[illegible] neq[illegible] il-
la commendatio eſſe poteſt, quàm
omnis fruſtra tentata.
Lauu. l. Q.

EXERCITATIO PRIMA.

ATRIVM ELOQVENTIÆ,

Siue

DE ATRIS, ET NATVRÆ PRÆSIDIIS,

déque multiplicibus animorum diuitiis ad dicendum comparandis.

NEMO neſcit apud antiquos Atrium nihil aliud fuiſſe præter aulam quandam amplam, & laqueatam, in eorum ædibus, qui nobilitate, vel ciuili gratia præ cæteris eminebant: tùm, vt maiorum imagines laxiùs ibi diſponerent: tùm vt diſtinctione quadam amicos ſalutationis cauſa vel clientes admitterent;ad quã admiſſionum varietatẽ diuerſa vela, vel aulæa obtẽdebant, vt amicos magis, vel minus intimos introducerent, quod animaduertit in Alexandro Lampridius. *Salutaretur verò quaſi vnus de ſenatoribus patente cælo, admiſſionalibus remotis, aut ſolis iis, qui miniſtri adfores fuerant, cum antea ſalutare principes non liceret, quod eos videre non poterat.* Eadem etiamnum in aulis Principum ſeruatur admiſſionum diuerſitas: atque hinc familiariſſimi quique intimi dicũtur. Quorũ meminit Seneca philoſ. 2. de Benef. cap. 43. *Conſuetudo iſta vetus eſt, regibus regeſque ſimulantibus populum amicorum deſcribere, qui in primas, & ſecundas admiſſiones digeruntur.* Quare placuit exercitationem hanc Atrium dicere, hoc eſt primum ad eloquentiam aditum, & admiſſionem; nec enim omnes communiter, & promiſcuè in aulam interiorem admittit Regina eloquentia, ſed eos tantùm, quos in atrio prius ingenioſè candidatos magno ſummi liminis tactum, introitúmque æſtimare viderit, & ijs naturæ doctrinæque muneribus inſtructos, quibus ad culmen artis accedant. Proindè aperienda ſunt nobis primùm ipſa quidem naturæ penetralia, & ab illa ianua patefacta ingrediendum in immenſos quoſdam theſauros, quibus reconditas habet, tàm varias, multiplicéſque diuitias animorum: tùm delectus quidam ingeniorum faciendus, tùm quæ quibuſque diſciplinis idonea ſint, peruidendum; vt cùm in ſingulis artibus, ſingulas ingenij virtutes diuite, ac liberali naturæ manu ſparſas eſſe viderimus, deinceps in vnum opus Oratoris colligendas eſſe probemus vniuerſas.

Digitized by Google

LECTIO PRIMA.

Naturæ præſidia.

RIDICVLVM ſe præbuit Caligula, cùm inſtructiſſimo exercitu ad Oceanum profectus, tanquam ad expeditionem ſeriam, littore ſubſtitit viſis fluctibus, iuſſitque militem legere conchylia. Ridiculum Nero, qui ſericis, purpureiſque funiculis, & hamis aureis piſciculos venabatur: non enim erat impendij pretium. Non minus inepti, qui ingentem, & nobiliſſimam eloquentiæ expeditionem, vt ſic loquar, tenui apparatu tentare audent. Hanc ob cauſam ingenij, & doctrinæ princeps Ariſtoteles tria quædam pueris, omni ſtudio, & animi contentione adiumenta eſſe quærenda dicebat, quibus ad verum decus, & litterarum cognitionẽ aſſurgerent φύσιν, μάθησιν, & ἄσκησιν naturam, artem, exercitationem; quorum alterum in eloquentiæ candidatis requirebat Alabandenſis, quem Cic. ſummum doctorem probat 1. de or. n. 126. *qui cùm merce le doceret, tamen non patiebatur eos, quos iudicabat non poſſe oratores euadere, operam apud ſeſe perdere, dimittebatque, & ad quãcumque artem putabat eſſe aptum, ad eam impellere, atque hortari ſolebat.* Commodè, nam vt benè Sen. vates in Hyppol.

Vt cùm grauatam nauita aduerſa ratem
Propellit vnda: cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vade.

Ita qui læuo Apolline, & aduerſante natura, eloquentiæ ſtudium amplectitur, inutili plerumque conatu deſudat. Quare placuit ſemper ille mos veterum Athenienſium, apud quos, vbi primùm puer per ætatem, certam vitæ rationem inire poterat, omnium ipſi artium inſtrumenta proponebantur, vt ad quam ſentiret ſibi præire naturam, & genium, ad eam appelleret animum, eiuſque deligeret inſtrumenta.

Libenter audio vocem illam hominis quidem ſatyrici, ſed tamen exultantes, ac tumidos nonnullorum ſpiritus, ſapienter magis, ac verè, quàm ſatyricè caſtigantis. Iuue. ſatyr. 11.

Noſcenda eſt menſura ſui.

Quæ vox non tantum eò pertinet, vti aut corporis vires, aut domeſticas facultates notas omninò, ac perſpectas habeamus, ne aut Herculem Pumilio, aut Irus Crœſum, aut Achillẽ Therſites agere velle videamur, ſed multò magis, vt acres, & Seueri ingeniorum etiam noſtrorũ cognitores, iudiceſque ſimus ne dum blandimur ipſi, gratulamurque nobis & inani quadam ac ventoſa opinione animos inflamus, Athenieſes illos imitemur, qui cùm (vt eos Demochares vehementis, & incitati ſpiritus ſimulatione ridebat) dies totos grãde aliquid, ac portenti ſimile anhelarẽt, aut nullũ tamen, aut puſillum id erat, quod agebant. Præclarè monet in hanc rẽ Tull. 1. off. n. 110. Vt nos naturæ noſtræ regulâ metiamur, neq; id conemur ſequi, quod aſſequi nequeamus.

PVNCTVM I.

Ingenij dotes.

ATque vt ab ingenij dotibus ordiamur, quas in oratore requirimus, incredibile eſt quanta diſſimulitudo ſit animorum, quanta ingeniorũ varietas, quàm ſi quis cogitatione conſequi voluerit, non aliter faciat, ac ſi formas omnes, aut lineamenta corporum ſe poſſe putet ſuis tabulis pictor includere, aut penicilli ductu perſequi, aut miſturâ colorum adumbrare. Exultauit in hoc ludo natura; ac licet vbiq; ſuis operibus pulchritudinem non alia re magis, quàm varietate, conciliet, nuſquam tamen ingenioſiorem eſſe decuit, quàm cum ipſa ingenia ſuis lineamentis geniiſque diſcerneret. Verum vt cœli facies nocturnis ſideribus ornata eam pulchritudinis pompam oſtendit, in qua tametſi vulgares flammæ ipſa multitudine obrutæ deliteſcãt, emicant tamen illuſtriores quædam faces, oculoſque inuſitatæ lucis ſplendore percutiunt: idemq; euenit in hortis. vbi inter innumeros flores erigunt ſeſe quidam altiori culmo, vt ſpectatius appareant; ſic in illa admirabili ingeniorum varietate, licet tanquam eminentes in ſyluis arbores præcipua quædam genera intueri, quibus homines agi ſolent, ac propemodum cõponi, ſimulque à cæteris inſigni diſcrimine ſeparari. Prodit ſe in quibuſdam

dam memoriæ virtus, in aliis acrior vis phantaſiæ ad ſuſcipiendas rerum imagines, hos iudicij claritas, illos celeritas intelligēdi commendat, his altum, & penetrabile ingenium eſt, elegans, & argutum, aliis incitatum, ac diuino veluti furore vehemens.

Ac memoriæ quidem quàm admirabilis ipſa varietate facultas; firma eſt ac tenax, ſi quid inſculpſeris velut ære inciſum immortaliter conſignatum manet. Cerea eſt, ac facilis, fluminis inſtar ſigillum accipit, ſed præterfluentis horæ, tanquam vndarum in ſeſe recurrentium lapſu, ſic del‹e›tur, vt nullum veſtigium relinquat: tranquilla eſt, ac pura; tanquam imaginoſo in ſpeculo non modò res, ſed rerum infinitas ſeries incommutabili ſucceſſione fideliſſimè repræſentat, cum opus eſt pari fide velut depoſitum pignus illæſum, atque intactum reddit.

Quid de Phantaſia dicam? quàm mira illa fœcunditas, viſque fabricandi rerum imagines? in quibus, vt in arte picturæ vix duo ingenia ſimilia deprehendes. Ipſa virorum iudicia ſapientum, quando vnquam in difficili negotio, atque impedito conſpirarunt? Ex hac pulcherrima varietate exiſtit, oriturq; quàm ſimillima varietas artium, quas, dum varij homines, pro ea, quam in ſe experiebantur facultate, variis ſtudiis incumberent, ad ſummum laudis faſtigium adduxerūt. In quo ſanè iucūdum eſt animaduertere vnum quodq; genus artis, ſingularem quandam virtutem ingenij ſibi vendicare, vt in eo nomen conſequatur: At in oratore longè aliter accidit, nam omnes ingenij virtutes conſummata dicendi facultas exhaurit. Qui pollet ingenio, etſi memoria duriori ſit, modo non planè marmorea, Philoſophus eſſe eximius poteſt. Iuriſconſultum, tametſi factus non ſit ad ſubtiles illas Philoſophorum argutias, ſi tamen memoriæ theſaurum habeat rerum plurimarum capacem, ſi leges, & edicta, ſi vetuſtatis exempla, ſi mores, conſuetudineſq; locorum teneat, quis neget idcircò poſſe in ſcientia iuris excellere. Quàm multi dominantur in ciuitatibus cum ſumma laude prudentiæ, qui cum in ſcholis eſſent, ſordebant in puluere, & ad lucem illarum artium pœne caligabant; In oratore autem vno, quæ ſingillatim inſunt in aliis, neceſſe eſt vniuerſa reperiri, prudentiam eximiam, feliciſſimam memoriā, celeritatem phantaſiæ, acrem, ac fœcundam, vim denique mentis robuſtam, incitatam, ac propè diuinā.

Fac enim eloquenti viro nihil deeſſe, fac in eo vigere diuinam mentem quæ difficilia penetret, obſcura perſuadat, quæ multū videat in luce prudentiæ, fac illū ingenio tàm erecto, nihil vt arduum ſit quò non aſcendat cogitatione, tàm capaci; vt nulla temporum, locorum, aut rerum multitudine varietate copiaque vincatur: tàm firmo ac maturo; vt nullis negotiis, nulli conſilio ſit impar: tàm claro; vt noctem ipſam ſole clarius irrumpat: tam fœcundo; vt nulla exareſcat argumenti ſterilitate: tam acri; vt incendat animos cùm facē adhibere voluerit: tàm leni, ac moderato; vt incenſos conſopiat: tàm commodo, & vrbano vt ipſum etiam Saturnum ad hilaritatem exſuſcitet: tàm graui, ac modeſto; vt effuſæ petulantiæ, cùm exultare cœperit, frœnos iniiciat, & ad ſeueriorem diſciplinam conuertat: fac eum loqui apte, ſentire grauiter, omnia ad maieſtatem, admirationem, & plauſum perſequi, ſi laborat difficultate, aut tarditate memoriæ, iacent hæc omnia magnæ mentis ornamenta, & in otio, ac tenebris deliteſcunt, hoc vno obliuionis vitio conſepulta. Abundat aliquis ingenio; ſed abeſt maturitas iudicij: iudicio pollet; at memoriā difficilem habet: felicem memoriam ſortitus eſt; ſed iacet in ſententiis, neque vnquam ad altam aliquā & nobilē cogitationē aſcendit: profundè ſapiēs eſt; at miſteriis ipſis & oraculis obſcurior multaque ſæpius ad riſum, & faſtidium excogitat, obtrudit, inculcat, quæ vix vnquā, niſi cū beneficio temporis deferbuerit, ad eam maturitatem perueniat, ſine qua nihil illuſtre ad gloriam, nihil diuturnum ad memoriam, nihil ad cōmunem vtilitatem inſigne efficiat.

Itaque ſi nulla pœnè ſint ingenia, quibus non aliquod vitium naturaliter adnaſcatur, non quærendum quid cauſæ ſit, cur tàm pauci oratores perfecti reperiantur, cùm perfectus orator eſſe nemo poſſit, niſi qui omnem ingenij laudem ſit adeptus, in quo memoria cum prudentia, claritas cum profunda-

profunda mente cum ſubtilitate facilitas, cum ardore vehementi pacata tranquillitas denique cum imaginandi virtute, iudicandi prudentia coaleſcat.

PVNCTVM II.

Corporis inſtrumenta.

AD eas animi virtutes adiungenda ſunt paria corporis inſtrumenta, vultus, oculi, lingua, manus, membrorum denique cæterorum vſus tàm ſolers, & aptus, vt quacumque parte volet exire, atque oſtentare ſe poſſit ingenium. Nec enim idem accidit eloquentiæ, atque aliis otioſis diſciplinis, quæ in vmbra, & in latebris, & in angulis ſua commenta meditantur, quibus ſi quis ſe addicat totus, ſit oculis, an probis, naſo adunco, an redunco, ore inepto, an formoſo, diuaricatis, vel decuſſatis cruribus, an rectis, nihil intereſt, modo mens magna ſit; aſſurget etiam in pigmæo: modò pulchra; excellet etiam in monſtro. At orator, vt abſolutus ſit, pulcherrimum ingenium, in pulcherrimo corpore gerat neceſſe eſt, oculos habeat, in quibus omnem animi ſenſum, motum omnem doloris, iracundiæ, inuidiæ, voluptatis depingat: vocem canoram, quam erigere, moderari, flectere, deprimere poſſit, tam ſcitè, vt velut ad numeros, deſilire ab aure in aures, ab auribus in animos, mens oratoris videatur: manum eruditam, ac penè vocalem, quæ ſola loqui poſſit, corporis habitum elegantem, & grauem ſimillimum magnæ mentis ſimulachrum, ex quo ſe totam oculis oſtendat.

Quæ res quàm plena ſit artis, atque induſtriæ facilè eſt vnicuiq; cogitare. Primum enim quam ſæpè accidit, vt magnis ingeniis vitioſum corpus natura induxerit: deinde, vt nullum in membris mutilum ſit, aut tortuoſum, quàm ſæpè fallaces vultus, velut quaſdam perſonas impoſuit, quæ faciem, mentem non eam, quæ latet, ſed diſſimilem planè mentiantur: multorum tam ſeuerus eſt vultus, oculus tàm minax, vt omnes abſterreat, cùm tamen ſi mores eorum deguſtare poſſis, mitiſſimi ſint, ſuauiſſimique: alij ſuſpenſo veſtigio, atque elata fronte ſic inambulant, vt omnem faſtum, & arrogantiam credas in eorum ſupercilium inuolaſſe, cùm ſit nihil eorũ modeſtiâ demiſſius. Adeò pleriſque nouerca eſt natura; magnis etiam mentibus, quibus non corpus fabricaſſe videtur, ſed ſepulchrum, in quo emortuæ langueant: aut carcerem, vbi vinctæ ad compedes iaceant: aut laruam, in qua ſeſe ridendas, & explodendas, velut ad ludibrium publicum, circumferant.

Scio quidem non eſſe eam ingenij laudem, quã quærimus, ſi quis vitio corporis careat, cùm & forma corporis egregia ſæpè deformes animos tegat, & formoſiſſimam mentem, externa membrorum pulchritudo, deſtituat. Sed nec arbitror virtutem eſſe animi, conformationem membrorum, neque ſum tam ineptus, qui oculum, aut naſum partem eſſe mẽtis humanæ velim; inſtrumenta ſunt inquam illa magni ingenij, quibus cùm inſtructus, ac munitus erit orator, contendo nullum eſſe opus tam elaboratum induſtria, cuius ipſe ſuperet, obſcuretque venuſtatem. Quid eſt enim admirabilius, quàm hominem vnum, cùm mouere linguam cœperit, tenere illicò ſuſpenſam multitudinem auditorum infinitam, eamdemque ducere velut in pompam, quò velit, ſi vel digitum attollat. Hoc facit orator, vel ſi non facit, non eſt orator.

Miramur inuentas eſſe artes, quibus rupes, & ſaxa, & ſublimes arbores in theatra deducerentur; quanam in omnium ſeculorum memoria commendationem inuenit vna Archimedis manus, quæ modò Romanorum claſſes miſſilibus flammis amburreret, modò iniectis vncis, ac machinis rapaciſſimè tolleret ex aqua ſublimes, & euerſas funditus artificioſo genere naufragij demergeret, tanto hoſtium ſtupore, vt ſi facem aſpicerent, vel funem aptum è mœnibus Syracuſanis, concurrerent illicò trepidarent, exclamarentque tanquam graſſantis fulminis metu, aut præſentiſſimæ periculo tempeſtatis perculſi. Quanto verò admirabilior vis oratoris, qui non in corporibus, quorum moles tractabilis eſt, ſed reconditis animi ſenſibus, quò nulla artificum induſtria pertinere poteſt, vim affert, motumque imprimit. Quid eſt ergo aliud efferentem ſeſe ſuperbientis animi faſtum deprimere, quàm ſupercilium rupis, & minacem eius altitudinem ſolo deiectam adæquare, atque in planiciem proſternere? Quid eſt aliud deſidem, & languentem

inert

inerti otio excitare, acuere, ad actuoſam vitam impellere, quàm infixas cœlo arbores,ac tenaci altâque radice adhæreſcentes ſtirpitùs euellere? Quid eſt aliud iracundiam inflammare, quàm iacere fulmina? ciere lacrymas,quàm imbres,& pluuias elicere? retinere præcipitem temeritatem, quàm torrenti frœnum iniicere, aut aliò labente, aquas deducere,atque in tubos,aut Euripos incluſas deriuare in hortos,ad voluptatem, mittere in plateas, ad vſum,aut in aërem,ad miraculum, eiaculari? Neque vero cùm iſta molitur factitiis vtitur flammis,non adhibet machinas, non funes, non tubos, non ponderum momenta,non rotarum implexos inter ſe,inſertoſq; dentes: non ductiles æris laminas: digito hæc omnia efficit, oculi iactu, vocis inflexione, quæ miramur, & obſtupeſcimus.

LECTIO SECVNDA.

Artis ſubſidia.

Qvis illi nomen oratoris inuideat, qui aureis Platonis alis,hoc eſt ingenij felicitate, naturæque dotibus ad eloquentiæ gloriam, & decus, ſine ductu illius artificij euolauerit, ſi tamen reperiri poſſit vnus. Nam vt benè monet Poëta vetus,quem laudat Stobæus tit. 60.

Πρὸς οὐδὲν ἐπιτήδευμα [illegible] οὐδενὶ
Οὔτ' αὖ τι τέχνη μὴ φύσιν κεκτημένη
Οὔτε φύσις ἱκανὴ γίνεται τέχνης ἄτερ
Τούτων ὁμοίως τοῖν δυοῖν συνῳδομένων.

Nec arte deſtituta virtus ingenij, ad ſtudia quæuis ſuffecerit; nec rurſus ars ſi deſit ingenium,ſatis eſt, ſed his duobus dulce conſpirantibus.

PVNCTVM PRIMVM.

Artis munera.

Qvantum ſit in ea momentum ad dicendum colligitur ex illius definitione 1. de or. n. 92. *Ars eſt quæ cognitis,penitùſque perſpectis,& in vnũ ſpectantibus,& nunquã fallentibus rebus cõtinetur.* Deinde ab eiuſdem artis muneribus, & officiis: quorum primum eſt, vt ea, quæ à natura habemus, commoueantur: alterum vt limet, ac perficiat; quæ in nobis natura rudis adhuc inchoauit; Ars enim ex 4. de finib. naturam perficit, & eſt illa dux multò certior: quàm, & culturæ comparat. Atque vt ager, quamuis fertilis, ſine cultura, fructuoſus eſſe non poteſt; ſic animus ſine doctrina. Vti contra nihil adeò rude reperias, quod non perpoliatur induſtriâ, dixit bonus, & rerum cognitione clarus Poëta,

Inuidus, iracundus, iners, vinoſus, amator.
Nemo adeò ferus eſt, qui non miteſcere poſſit.
Si modò culturæ patientem accommodet aurem.

Tertium munus artis aſſignat Iulius apud Cicer. 2. de orat. n. 232. *In his præceptis hanc vim, & hanc vtilitatem eſſe arbitror, non vt ad reperiendum quid dicamus,arte ducamur,ſed vt ea,quæ natura, quæ ſtudio,quæ exercitatione conſequimur,aut recta eſſe confidamus, aut praua intelligamus, cùm, quò referenda ſint didicerimus.*

PVNCTVM II.

Artis neceſſitas & commendatio.

Iam verò, cui præter artis perito notæ poſſunt eſſe cauſæ, cur hoc vitandum ſit, illud perſequendum, cur aliud laudabile ſit, vitioſum aliud? Vt enim medici,qui ſe empyricos eſſe profitentur nec cognitis morborũm cauſis, medicamentorumque naturâ,ſæpè faciunt ea, quæ mortem accelerent, non morbum depellant: Ita qui non adhibent artem ducem, ac magiſtram, ad agendum, neque poſſunt pro cauſæ naturâ torquere modis omnibus, ac flectere dictionem, & multa ſæpè committunt in dicendo vitioſa, quæ riſum excitent, non plauſum,miſerationem,non admirationem. Quis enim ferat eum,qui naturam tantum ducem ſequutus, & ingenij nobilitate contentus,magiſtram artem contemnit,& quod erat amplificandum pluribus extenuat, auget quod minuendum; qui vel ab aliqua ſimilitudine ſemper orditur orationem, qui demittitur, dùm aſſurgendum eſt,qui blanditur,& hilareſcit,dùm fulgurandum, tonandum, fulminandum, prorumpendum eſt? putidè, dum imparatus ab arte, auditorum animos excitare conatus, in medio curſu repentè concidit, & ita pro amore odium,

pro

Digitized by Google

idiam pro miſericordia pro admiratione riſum, inuidia, commouet.

Neceſſitatem artis venuſto ſatis figmento ſubtilis, & intelligens Galenus complexus videtur, dum fortunam quidem ex vna parte collocat, gubernaculum manu ſuſtinentem, cœcam illam, globo inſiſtentem volubili, paſſis per humeros crinibus. Ex aduerſo autem eloquentiæ ſimul, & artis inuentorem Mercurium, vigentem corporis, & animi viribus iuuenem, acribus oculis, cubo, hoc eſt quadragulari lapidi inſidētem. Nimirum fortunam naturæ ſymbolum facit, quæ licet ad dicendum primùm conferat aliquid, cœca tamen eſt, ac inſtabilis: Mercurius autem artis imaginem exprimit, quæ certis, & nunquam fallentibus rebus continetur.

Totum hoc negotium clarum fit in exemplo. Probandum ſit ægritudinem corporis valetudine longè meliorem; quâ tandem via rem aggredietur naturæ donis tantùm, nullis verò diſciplinæ præſidiis inſtructus: ſanè piſcis erit, neque tamen in aquis enatabit. At qui præceptis artis informatus fuerit, cùm ſciat ſe verſari in genere cauſæ admirabilis, inſinuatione beneuolentiam captabit, & attentionem à pollicitatione magnæ cuiuſdam vtilitatis. Tùm per certa quædam capita fidem rei propoſitæ faciet, ſcilicet à Deo morbum hunc imperatum, qui nihil non vtile ſuis, ac ſalutare, nihil non glorioſum largiatur; Deinde ſingulares ægritudinis vtilitates amplificabit, quā dicet materiam, ac ſegetem meritorum, ſcholam virtutis, omnis ſapientiæ fontem, atque ſanctitatis, benè beatéque viuēdi officinā.

Quibus mens erat arrogantiæ faſtu turgida, dum valerent, quorum lingua quæſtuum nundinis aucupandis erat impedita, manus flagitiis exercitatæ, pedes ad diuerſoria criminum celeres, oculi petulantes ad mulierum formas curioſè contemplandas, totum denique corpus vitiis addictum; fac eoſdem ægra valetudine decumbere; pudor libidinem, arrogātiam animi demiſſio, liberalitas auaritiam, verbo dicam, virtutum chorus nobilis, vitiorum omnium impurum comitatum profligabit. Sic animi morbos ſanat, ac ſordes eluit ægritudo. Quo quid vtilius eſſe poteſt.

Denique probare poterit à conſequentibus, quàm ſæpe ſit oportunum æſtuante febri laborare, vel cum alio morbi genere luctari: nempe ſi valuiſſet haud dubiè graue ſcelus aliquod admiſiſſet, vel in hoſtium fortè manus incidiſſet, vel ab illis ereptus, nunquam vindicis, & irati Dei manus miſer effugiſſet. Sic animi fortes ac robuſti poſſunt ad eas vtilitates, & commoda præceptis artis incitari, quæ rudis, & imperitus eiuſdem artis, nunquam præſtaret.

LECTIO TERTIA.
Imitationis adiumenta.

QVoniam, vt quis intelligere virtutes auctoris, eaſque poſſit imitatione conſequi, arte opus eſt, idcircò imitationem illi ſubiungimus. Prodeſt enim non mediocriter eruditos homines diu multumque exercitatos ſtudioſè ſæpius audiuiſſe; quod adiumentum eloquentiæ neglectum à quibuſdam acerbè ſatis arguit, & conqueritur Plinius Iun l.8.ep. ad Auitum. *Statim, inquit, ſapiunt, ſtatim ſciunt omnia, neminem verentur, imitantur neminem, atque ibi ſibi exempla ſunt.* Quod glorioſum inuentum, cōſuetudinem que neglectam multi, ſed ſeriùs doluerunt.

PVNCTVM PRIMVM.
Vis ac neceſſitas imitationis.

HAc impellimur cum diligenti ratione, vt aliquorum in dicēdo ſimiles eſſe velimus. Nam omnis vitæ ratio ſic conſtat, vt quæ probamus in aliis, eadem ipſi facere velimus. Habemus in eo quem imitamur effigiem propoſitam ob oculos, quam exprimamus: atque hinc eſt, vt omnes imitatione, tanquam viā compendioſa, ad quaſcumque facultates, vtantur, quam & in ſcribendo & in pingendo, & in illiberalibus artibus ducem ſequimur.

Adde quod eloquentia magnum quiddam eſt, multiſque partibus conſtans, proinde leporem requirit, ſuauitatem, vim, acumen, grauitatem, ſeueritatem, & alia bene multa, quibus ſi deſtituatur, eſſe perfecta nequit. Etenim quæ tam læta, quæ tam felix indoles, in quam hæc omnia concurrant? alios natura finxit ad hilaritatem, ad

Digitized by Google

ſeueritatem alios, triſtitiamque formauit, qui porrò ſint omnibus inſtructi, vix reperias. Immò nec ipſa eloquentia ab vno homine, vno ſeculo nec ab omnibus, multis ſeculis ad faſtigium deduci potuit, ſed multis ætatibus, conſpirantibus ſtudiis, ac ingeniis plurimorum, eſt conſtituta. Proinde quærenda ſunt in aliis, quæ nobis deſunt. Quod imitatione aſſequimur,

Atquè vt minus prudens videtur agricola, qui ab vna arbore, varios fructus depoſcit, niſi prius à variis generibus arborum ſurculos decerpens, in vnum inſerat caudicem: Ita niſi pari velut inſitione, è variis varia mutuetur eloquentiæ ſtudioſus, facundiam vis conſequetur.

Arbor eſt indica, quæ non minus habet nouitatis ad miraculum, quàm fidei ad veritatem ſola nauim inſtructam, oneratamque parturit, dat illa truncum, & ramos, & in malum alimenta, clauoſque commodat; comam in vela, in rudentes: funeſque optimos, pila: ignibus alimenta. Texendis veſtibus materiam è ſinu pandit, & explicat bibliopolis papyrum ſubminiſtrat, hominibus cibum, potumque largiter fundit ad alimenta: ex illa liquores innumerabiles olei, vini, medicinæque commoda extrahuntur: & quod mirére magis, hæc in arma, & tela repentè conuerſa, pugnare ſcit & vincere: hæc demum miraculo quodam omnibus pœnæ rebus ex ſeſe apta eſt, & inſtructa. Huic vni, quis oratorem componendum reperiat, ſic omnibus ingenij, naturæque dotibus opulentum: iis diſciplinis excultum, cui nihil deſit? quis non mendicis parem dicat, cum operam aliorum in ſubſidium requirat?

Quid in orationibus vno Cicerone purius? quid ſuauius? quid in poëſi Virgilio cultius? Illum, quantus, quantus eſt, imitatio formauit: in dialogis Catonem, in topicis Ariſtotelem, in paradoxis Zenonem, in officiis Panætium, in orationibus Demoſthenem, in Lælio, & ſenectute, Xenophontem feliciter eſt aſſequutus. Hunc autem non tam natura, quam exercitationis induſtria Poëtam inaugurauit. In Eglogis Theocritum, in Georgicis Heſiodum, in Æneïde principem Homerum diligenti ſtudio imitatus eſt.

PVNCTVM II.

Imitationis præcepta.

I. Modus.

PRimum eſt imitationi modum eſſe faciendum, ne inter eos cenſeri contingat, quos Horatius meritò ſeruûm pecus nominauit, vel vt alterius ſine conſilio imitatores, ſimioſque ridiculos. Quod tum maximè cauebitur, cum ſuæ quiſque naturæ benignus indulgebit. Nam vix tolerabilis eſt ſeruitus, naturam ſuam vſque adeo contendere, nihil vt vnquam, niſi ex aliena natura loqui valeas, aut velis.

II. Eligendus Cicero, quem imitemur.

Alterum eſt, vt præſtantiſſimum aliquem ſtudioſus artis eligat, nec illos ſequatur, qui ſimilitudinē peſſimi cuiuſque, ac corruptiſſimi concupiſcunt, qui verba in medio poſita reſpuunt, vſitata contemnunt, quærunt abſtruſa, inſueta mirantur, quæ nemini, vel paucis cognita, malè pertinaciter adorant. Quis autem vnus ex omnibus eligendus, niſi decus ac lumen eloquentiæ Tullius? cuius ex ore melle dulcior, torrente vehementior, flumine grauior fluit exundat, prorumpit oratio: qui tam ſubtiliter humilia, ita temperatè mediocria magnificè, ac ſplendidè ſumma pertractat, vt nihil in eo requiras; cuius ad vocem clamores, plauſus, admirtaiones excitantur, cuius vbique regnat, atque dominatur oratio. Etenim ſi blandum aliquid, ſi lene, ſi pacatum, & ſedatum poſtulat oratio; vt ſenſim ad intimos ſenſus audientium irrepit? adeo quidem. vt quæ flagitat, non extorquere dicendo, ſed imperare obſecrando, nec auditor inuitus rapi, ſed quaſi ducentis manum ſequi vltrò, ac ſponte videatur. Si conqueri, ſi commiſerari, ſi ex Cliētis inuidia deonerare aliquid & in aduerſariū traiicere, ſi in aliquam illius criminis, quod accuſat, vel ſuſpicionem, vel affinitatem eum vocare potuerit, vel eludit hominem? vt verſat? vt iactat vtraque manu? quas in anguſtias? quos in æſtus? quas in tenebras miſerum coniicit? pror-

Digitized by Google

prorſus vt metuere incipiat,vt vel innocenti periculum faceſſerit,vel ſeipſum nihil minus cogitantem in iudicij laqueos induerit.

Quid amplificationes eius? tot procellis, ac turbinibus ferire, tot coruſcare fulguribus,tot fulminibus intonare creditur. Quis altius in intimas auditorum cogitationes penetrat?quis potentius opiniones,aut reuellit inſitas, aut nouas inſerit? quis facilius hominum voluntates effundit lætitiâ, mœrore contrahit? expectatione, metu cohibet?inuidiâ,odio,& iracundiâ ſuccendit?amore miſericordiâ,lenitate, reſtinguit? de quo nihil breuius,verius nihil,nihil magnificentius dici poteſt, quàm quod viri olim ſapientiſſimi prædicarunt, vel vnicum illud ingenium Romano par imperio Italiam habuiſſe. Vnus igitur ex omnibus Latinis oratoribus in delicijs habendus,vnus in ſinu ferendus, vnus non modò ſtudioſæ iuuentuti, ſed omnibus omninò,qui Latini, & Oratores audire volunt, colendus, fruendus.

Hæc eò ſpectant vt probemus,qui Ciceronianus non ſit, eloquentem eſſe neminem.Interim alij non carent ſua laude, nec illos excludimus, quia beneficij ſatis; nihil apportant periculi:ſed in illis legendis cenſores eſſe nos oportet,in Cicerone,diſcipulos. Nihil tamẽ vetat è lacteo Liuio,è ſuauiſſimo Curtio, è puriſſimo Cæſare, aliiſque Latinis auctoribus, voces.ac ſententias colligere. Militiæ verba, quæ in Tullio deſiderantur;ſuggeret Vegetius:agriculturæ;Varro:Architecturæ,Vitruuius.Medicinæ, Celſus;Philoſophiæ ſchola vniuerſa. Sed ne quis hanc libertatem vertat in audaciam Cicero totus exprimendus.

III. *Optima quæque imitanda.*

Tertium, vt cùm ducem elegerimus vnum, non quæ leuia ſunt, & facilia, ſed quæ maximè excellunt in eo, diligenti ſtudio perſequamur. Nec enim Fabio placet is,qui habitum fortè, & inceſsũ effringit,& ſi quid in peius notabile eſt, *Cùm ad exemplum virtutum omnium,* vt eius verbis vtamur,*ſit mens dirigenda.* Vt ridiculus pictor habetur,qui colorem ſolum, & faciem excellentis picturæ ſequitur,partium verò cimmetriam, & diſtantiam,rerumque vmbras negligit:Ita riſu planè digni ſunt, qui tantum aliquam pedum ſuppreſſionem,& inſigniores clauſulas in oratore eligunt,ea verò quæ primaria ſunt,non vident ſcilicet argumentorum, vim ſententiarum grauitatem,acumen in probando, in permouendis affectibus impetum, & ardorem, in collocando prudentiam varietatem, & copiam aliaſque virtutes orationis.

Videndum diligenter, vt Ciceronis exordia ſtatim concilient animos,vt narrationes ſuſpendant contentiones expugnent, vt loci communes,amplificationes,omnis varietas artis,& orationis copia mirificè delectet;vt grandis ſit,& non turgeat,vt humilis ſit,& non vileſcat,vt medius, & venuſtus & nullas vnquam admittat ineptias. Hæc dùm amabimus, & imitabimur ſtudioſè, malam affectationem vitabimus, per quam multi cum Fuſio, quem arguit Cic. hoc vnum moliri videntur,vt rideantur, quippe ita declinant in peius, vt pro grandibus tumidi,pro ſubtilibus ieiuni fiant.

IV. Denique imitatio peti debet à ſimili genere:in quod præceptum peccant, qui in oratione ſoluta,poëticas dictiones, & nimias amœnitates blandiùs vſurpant. Quis probet eum qui Ciceronem in Hiſtoria ſibi ducem proponit, in Oratore Saluſtium,in Poëſi Demoſthenem? ſua cuique propoſita lex,ſuus decor.

PVNCTVM III.

Imitationis cautiones.

NArrat Tull.Heracleotem Zeuxim, qui tùm longè cæteris pictoribus præſtare credebatur à Crotonienſibus rogatum fuiſſe, vt ſimulacrum omni arte,induſtriaque perficeret,quo Iunonis templum,quod religioſè colebatur, locupletarent: ilicò virgines ſpecie præſtantes, humanáque forma ſuperiores ſibi propoſuiſſe, vt ab illarum animali exemplo, in mutum ſimulachrum pulchritudinis eximiæ veritatem transferret. Cum igitur nobis ita faciendum eſſe docuerimus, videndum quâ tandem id via præſtare poſſimus.

Tria ſunt in eo quem imitari voles animaduertenda, ſcilicet inuentio, diſpoſitio, eloquutio, in quibus eius deſudarit induſtria, tractandæque rei ſimiliis ratio ſeruanda, tùm paria paribus, contraria contrariis, & ſimilia ſimilibus reddenda.

Cum animum appuliſſet ad laudes Æneæ celebrandas Virgilius, vidit Homerum in Achillis & Vlyſſis egregiè factis verſatum eſſe, eandem igitur, qui mille viam, ingredi ſtatuit. Vlyſſem ille primo iactatum procellis, in medio mari fingit; & hic Æneam: ille Palladem de Vlyſſe ſollicitam inducit; hic Iunonis iram in Æneam incendit: ille in Cocyram delatum Vlyſſem narrantem diſcrimina comminiſcitur, hic Carthaginem Æneam defert, eiuſque ſermonem de Trojano bello, ſuoque itinere refert: denique nihil non effingit.

I. *Inuentio.*

Primus imitationis labor in eo fuit, vt inueſtigaremus, quænam eſſet inueniendi ratio quanta, vis quanta ſubtilitas in argumentando, quæ in rebus, tum in perſonis dignitas, atque decor, quanta in ijs quæ nocere poſſunt, vel cauendis, vel obruendis, prudentia.

II. *Diſpoſitio.*

Secundum in diſpoſitione poni debet, vt videamus cur interdum naturalem ordinem partium orationis ſequatur, quem effingimus, eundéque alias peruertat, ac perturbet, mox ab initio, indè poſt medium, narrationem attexat, cur ratiocinationes mira varietate amplificet, interdum enthimematis orationem contrahat, alias ſola complexione contentus ſit: quæ ſit inprooemio conciliandi auditoris ratio, quæ breuitas in narratione, quæ fides, & exponendi claritas; in confirmatione quam occultat ſit ars, quâ iucunditate ſermonis aures permulceat, quoniam in maledictis acerbitatem, in iocis ſuauitatem, adhibeat.

Non alia diſpoſitionis ratio. Dido 4. Æn. Ariadnem in Pelei nuptiis apud Catullum veſtigio inſequuta, ſub initium exardeſcit.

Siccine me patriis abductam perfide ab oris.
Perfide deſertam liquiſti in littore Theſeu?

Ita Dido ſubindignatur.

Diſſimulare etiam ſperaſti perfide tantum
Poſſe nefas. tantuſque meâ diſcedere terra?

premit eundem affectum Ariadne per commiſerationem, ſtatim Eliſa commouet. Exprobrat illa natum è rupibus, aut leæna Theſeum; idem Æneæ ſuo Pheniſſa, &c.

III. *Eloquutio.*

Eloquutionem imitamur, ſi numeros pares, ſi ſententias, figuras, pigmenta, coloreſque referamus. Videndum imprimis quanta ſit verborum, ſententiarumque copia, quis delectus, cur periodis interdum longioribus, interdum membris, alias inciſis breuioribus rem perficiat: quãta figurarum, pro rerum diſtinctione, varietas, quam pauca multis, multa paucis explicentur, ſæpius res eadem repetatur tam ſcitè, vt cum idem dicatur, commutatis tamen verbis, atque ſententiis, aliud dici videamur; denique quantũ artificium vincendæ orationis quibuſdam quaſi vinculis, vt magnificè nexa moueantur, & apta ſint ad perſuadendum.

PVNCTVM. IV.

Multiplex imitandi ratio.

Mutatur ſententia, verba retinentur.

I. IAm ad priuatam imitandæ rationis methodum, veniamus. Primus imitandi modus eſt, vt mutatâ ſententia, illuſtriora verba, loquutioneſque retineantur. Transferre volumus illud 2. Phil. num. 12. in eos qui dicunt honorem ſanctis non eſſe deferendum. *Non placet Antonio cõſulatus meus. At placuit Seruilio, &c.* Sic imitabimur. Non placet male-ſanis hominibus, & impiis honor ſãctis delatus at placuit Dionyſio viro ſummæ ſanctitatis, vt eum primum nominem, qui cum fidei luminibus vixit. At placuit Ignatio. cuius ſemper in Eccleſia viuet auctoritas. At Chryſoſtomo placuit, & aliis, quorum auctoritatem negligere, ab orthodoxa fide diſcedere eſt, &c

eſt, & ad Hæreticorum caſtra tranſire, à Chriſto deficere, infeliciter perire.

Vel illud Milon. num. 20. *Sed ſtulti ſumus, qui Druſum cum Clodio conferre audeamus*, in mortem illuſtris alicujus viri deplorandam. Extinctus eſt patriæ parens, clementiæ decus, innocentiæ fideique propugnaculū, publicæ libertatis aſſertor defenſorque acerrimus; Ageſilaum vigilantia ſuperans, humanitate Fabium, charitate Scipionem. Sed imprudentes ſumus, qui Ageſilaum qui Fabium, qui Scipionem cum tanto viro conferamus. Ferenda fuit illorum mors. N. Fatum æquo animo ferre nemo poteſt. Luget, &c.

Si vero in mortem prædonis alicujus referas, ſententiam ſubindè mutare poteris. Obiit ille Mezentius, pœnas ſceleribus ſuis debitas, iuſtaſque perſoluit Buſiris, crucem ſubiit Diomedes; quamquam ineptus ſum, qui crudelibus ipſam crudelitatem opponam. Fuit, fuit illorum mors parum optanda, ſi cum hoc monſtro conferantur. Illius ſcelerati latronis mortem triſti animo ferre nemo poteſt, gaudet ſenatus, lætantur proceres, exultat queſtor ordo plebs feſtos dies celebrat, ſupplicationes habent virgines, immutata eſt vrbium facies, florent municipia, ipſi etiam agri, ipſa templa mihi geſtire gaudio videntur, & tàm nefarium, tàm immanem, ac ſceleratum prædonem cecidiſſe lætantur.

II. Mutatis verbis, ſententia retinetur.

Alter imitandi modus eſt, cùm in re ſimili, verba maiori ex parte mutantur, ſententia retinetur. Ita per repetitionem, & congeriem interrogatione vibratam Cicero divinatione in Verrē. n. 37. *De te Cæcili, jam extra contentionem certamenque noſtrum familiariter tecum loquar. Tu ipſe quemadmodum exiſtimes vide etiam, atque etiam, & tu te collige, & qui ſis, & quid facere poſſis conſidera. Putáſne te poſſe.* Quem locum ſic imitaberis nonnihil immutatis verbis, in juvenem libertatis amantiorem, & ſalutis minùs ſtudioſum.

Sed de te Chriſtiane adoleſcens jam mehercule extra omnem contentionis acerbitatem familiariter tecum loquar, tu quemadmodum exiſtimes vide etiam atque etiam, & qui ſis, & quem judicem exſpectaturus ſis, conſidera. Putáſne te poſſe, cùm nec opinātem repentina mors occupaverit, cùm dæmones infenſiſſimi, innumeris flagitiis coopertum, ad judicem adduxerint, cùm erit ſubeunda ſalutis alea, cùm reddenda ratio anteactæ vitæ, tot res, tàm graves, tàm varias, eo quo par eſt animi dolore, atque integritate mētis ſuſtinere? Putáſne te poſſe quæ in pueritia, quæ in adoleſcentia, quæ in iuventute, quæ domi, quæ foris, quæ in ludo, conviviis, epulis, noctu, interdiu, voce, animo, oculis auribuſque peccaveris, ea quemadmodum accuſabuntur ab hoſtibus, locis, temporibuſque diſtincta, ita oſtendere pœnitentiâ, fletu, & lacrymis fuiſſe deleta? Putáſne te poſſe, quod in eiuſmodi periculo neceſſariū eſt reſoluere ſeueritatem iudicis, iracundiam flectere, pietatem, & clementiam demereri? magna ſunt ea quæ dico mihi crede. Noli hæc contemnere, dicenda, declaranda, aperienda ſunt omnia, non cogitatio, non vocula, non verbum vnum ex ore lapſum imprudentis, ſeveriſſimi iudicis oculos effugiet. Perficiendum eſt, ſi quid agere velis, vt ne labecula quidem ſceleris appareat, ſi abſolvi cupis: in quo te præteritæ vitæ ratio, ſi virtus, ſi innocentia tueretur, ſi caſtitatis, non libidinis, abſtinentiæ, non gulæ, laboris, non voluptatis veſtigia tuis in moribus apparerent, tamen eſſet magnum tàm ſeveri, & periculoſi iudicii ſcopulos ſine naufragio prætervehi, & in portum beatæ tranquillitatis evolare.

III. Senſus & verba propè eadem retinentur.

Tertia ratio cum eadem penè retinemus, & ſenſus, & verba. Si primæ Catil. initium detorqueas in Auguſtinum divina monita detrectantem, ſic dices Quouſque tandem abutere Auguſtine divina patientia? quouſque pectus tuum cœleſtibus obduratum monitis obſtupeſcet? quamdiu minas cervicibus tuis impendentes libidinis, & intemperantiæ obtentu eludes? quādiu in hoc voluptatū, ac turpitudinis cœno volutatus, æternis animū cruciatibus mancipabis? quem ad finem importuna ſeſe iactabit audacia?

Nihilne te impendẽtia mortis æternæ pericula? nihil intenti in te Dei vindicis oculi? nihil de ſceleratis hominibus toties repetita ſupplicia? nihil ad improborum vindictam cœlitùm armatæ manus, ab incepto reuocabunt?

Eodem ferè recidit cum ſententiam,& verba mutamus, rem ſimilem retinemus, & figuras vſurpamus;à vitiorum turpitudine reuocare ſceleratum contendis. Phil.2.num 115. Sic imitaberis. Veniat tibi in mentem mortalium peſſime, dies ille qui libratum diuinæ juſtitiæ fulmen tibi denuntiabit, vitæque terminum exitu calamitoſo concludet. Confer illius diei terrores,cruciatus,furias,tortores in tuam perniciem armatos, funeſtæ mortis horam, cum hac præpoſtera voluptate: tum intelliges, quantum inter rectè facta vitamque cum honeſtate traductam, & ſceleribus contaminatam intersit. I. porro quò te inſani libidinum tuarum æſtus abripiunt, vocantem, piè cogentem,præſtolantem,orantem etiam Deum contemne,veniet ille dies, quo die auerſum lugeas, iratum horreas, ſentias vindicantem. Erras impuritatiſentina, non te Deus vitæ, ſed pœnitentiæ, non delitiis ſed pœnæ in omnem cõſequentis æui terrorem, & exemplum tranſmittendæ, reſeruauit.

IV. *Figuram vnam alia commutamus.*

Quarta ratio, cum figuram aliquam aliâ commutamus, Catil. 1. Proſopop. in ſermocinationem num. 27 vbi demum ex alto diuturnoque metu reſpirare licuit, ita memet compellaui.M. Tulli quid agis, Ergóne impunè Catilinam teterrimæ coniurationis auctorem excedere ex urbe patieris?at cum patriæ perduellem eſſe compertum eſt:Vexabis, agitabis,in exilium nudus, & togatus,armatum eiicies,inſciis ciuibus?at in caſtris hoſtium expectatur imperator. Reliquos fraudis ſocios, furoriſque miniſtros,atque ſatellites trucidabis?at princeps illorum ſpreta Rep. volitabit, neque tàm emiſſus ex urbe,quàm immiſſus in vrbem eſſe videbitur.

Ad hæc juuerit quæ ab aliis jejunè dicta ſunt ornare pluribus,ac dilatare qua in re mirus fuit artifex Virgilius. Ennius, vt eius ferebant tempora loquutus erat Hectori,quàm exiliter?

ô lux Troia germane Hector,
Quid ita cum tuo lacerato corpore miſer?

quos verſus è plumbo, in aurum traduxit. 2. Æn. Virgil.

O lux Dardaniæ, ſpes ô fidiſſima Teucrûm,
Quæ tantæ tenuere moræ, quibus Hector ab oris
Expectate venis? vt te poſt multa tuorum
Funera,poſt varios hominumque,vrbiſque labores
Defeſſi aſpicimus? quæ cauſa indigna ſerenos
Fœdauit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?

Nonnunquam in contrarium ſenſum dicta accipiuntur cum acumine. Qui dixerit lætitiâ doleo; alius,in dolore lætor. Tardius faceres, hæc eſt vt ego interpretor, conſideratius: celerius feciſti, hoc eſt, vt arbitror, negligentius.

LECTIO QVARTA.

Exercitationis adiumenta.

IMitationis eſt indiuidua comes exercitatio, per quam eloquentia maximè comparatur;illam multis commendat Craſſus. 1. de orat. num. 15. Cum frequentem vſum ait, omnium magiſtrorum præcepta ſuperare,ex eoque ea,quæ ſunt agenda in foro, tam quam in acie adoleſcentes prædiſcere, atque meditari. Quod & repetit. 1. off. nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamuis artis præcepta præceperint quidquam magna laude dignum ſine vſu, & exercitatione conſequi poſſunt. Vt verè dictum ſit ab Ouidio, ad vim eandem ſignificandam:

Artifices vnus qui facit vſus erit.

Hoc enim eſt eloquentiæ cum aliis omnibus artificiis commune,vt ſine vſu,diligentique ſtudio tueri ſe non poſſit,& omnem abſolutionem, pulchritudinemque ſuam conſequi.Et vero quid eſt in diſciplinarum varietate, tam ad cõparandum facile, quod non breui temporis interuallo intereat,ſi deſit exercitatio, quod non eiuſdem ope,& præſidio excitetur, & mirabilius efflore-ſcat? quantus eris ſi manum tabulæ nunquam, linguam oratiōni,aures præceptori admoveas?

Nonnulli vitæ liberioris blãdimentis aſſueti ſpinarum aculeos moleſte ferunt, & vigiliarum moleſtias in litterarum ſtudiis perferendas refugiunt:

giunt, eximunt ſeſe laboribus paulatim, pedem ſubducunt, poſtremò, quod propè neceſſarium eſt, iniquiſſima hac voluntatis abalienatione, ingenij vim omnem, induſtriamque ſepeliunt; vbi generoſæ mentis adoleſcentes gloriæ ſtimulis incitari, dies noctéſque ſolidas in liberalibus diſciplinis ponunt, nec vllis parcunt laboribus, vt oratores evadant.

Pvnctvm Primvm.

Exercitationis vſus.

QVid præcepta, niſi diligentis animi ad illa frequens accedat exercitatio? Nam vt navis rectorem peritum de arte gubernandi ſcriptus liber facere nequit, niſi tempeſtate jactatus, atque inter procelloſos vndarum obluctantium motus regendæ fluitantis in ſalo navis, arte, & conſilio valuerit. Ita Oratorem juvabunt præcepta Rhetorices, qui non ſæpè ſcripſerit dixerit, meditatuſque ſit, quì monente Tullio, *Quantum detrahit ex ſtudio, tantum amittit ex gloria.* 1. de orat. num. 260.

Hoc eſt quod Quadratum iam foro aſſignatum monet. Plin. epiſt. 29. ſcilicet multum ſtudeat, vt quoties opus fuerit, ſit ad dicendum paratus. *Nec me præterit vſum & eſſe, & haberi optimum dicendi magiſtrum. Video etiam multos paruo ingenio, litteris nullis, vt benè agendo conſequutos. Proinde multum lege, ſcribe, meditare, vt poſſis cum voles dicere; dices cùm velle debebis.*

Eſt autem exercitatio vſus aſſiduus, conſuetudoque dicendi, audiendi, legendi, meditandi, ſcribendi, & memoriter addiſcendi; quas veluti ſex partes, & ſpecies eius conſtituimus, de quibus ſigillatim, vbi aliquot vſus, & præcepta tradiderimus. Dicendum itaque primò de Periodo, tum de figuris ad eius ornamentum pertinentibus; denique, de vario dicendi genere, quæ ſunt veluti Rhetorices elementa, in quibus tanquam in ſemine latet flos omnis, & fructus eloquentiæ.

Pvnctvm II.

Orationis numeroſæ jucunditas, vtilitas ac præſtantia.

DIcendi ac fingēdi magnus artifex Ariſtoteles. 3. Rhet. cap. 8. ſuavem illam appellat orationem, quæ non infinitè fertur, ſed periodicè decurrit, id eſt interſpirationibus ſuis, & intervallis diſpungitur, ac rotunda complexione terminatur: quia ſcilicet, auditor, cùm periodi ſive ſententiæ finem, ac terminum videt, animo reficitur, acquieſcit, & ad ea quæ ſubduntur præparat attentionem, qua in re non mediocriter delectatur. Numero carentem, & interminatam orationem vocat iniucundam: tùm quòd inconditа & aſpera aures vulneret: tùm quòd continuata illa verborum ſeries, auditorem ſemper intentum, & nihil abſolui animadvertentem fatiget ac torqueat.

Iam cum illam εὐμαθῆ cognitu & intellectu facilem dicit, ſimul vtilem docet. Nam quodcumque lege certa, numeroque definitur, nullo negotio tum intelligitur, tum memoriæ conſignatur. Quod quàm verum ſit confirmat experientia quotidiana, cum longè citius carmina, menſura modulationeque conſtanria diſcamus, quàm alia diſſoluta, infinitaque; vt pote quæ tenebras animis offundant, & impediant ne ſenſus percipiatur. Vndè factum exiſtimo, vt ante Pherecydem Syrum Pythagoræ magiſtrum, nemo quod ſciamus, orationem ſolutam ſcripſerit: vt ſunt exempla Parmenides, & Empedocles, aliique Philoſophi, qui ſapientiæ documenta, vt memoriæ facilius commendarentur, & tenacius hærerent, verſibus explicuerunt.

In quam Ariſtotelis ſententiam ſcribit Tullius 3. de orat. num. 186. vbi Craſſus rudem & indoctam vocat illam ſine intervallis loquacitatem perennem, & profluentem; rudem inquam, hoc eſt inſuavem, inſulſam, & abſonam: indoctam vero, id eſt non proficuam, non vtilem.

Quam vtramque numeroſæ orationis virtutem luculenta ſimilitudine exprimit in oratore n. 228. *Vt enim Athletas, nec multò ſecus gladiatores videmus nihil necvitādo facere cautè, nec petēdo vehe-*

vehementer, in quo non motus hic habeat palaſtram quandam: vt, quidquid in his rebus fiat vtiliter ad pugnam, idem ad aſpectum etiam ſit venuſtum: ſic oratio nec plagam grauem facit, niſi petitio fuerit apta: nec ſatis rectè declinat impetum niſi etiam in cedendo, quid deceat, intelligat. Itaque qualis eorum motus quos ἀπαλαίστοι Græci vocant, talis mihi videtur eſſe oratio, qui non claudunt numeris ſententias,

Rurſus idem 3. de orat. num. 176. ſic bonum Oratorem ab imperito dicendi & ignaro diſtinguit, quòd ille rudis inconditè fundit, quantum poteſt, & id, quod dicit, ſpiritu non arte determinat: Orator autem ſic illigat ſententiam verbis, vt eam numero quodam complectatur, & adſtricto, & ſoluto.

Et Ariſtoteli ſimul & Tullio conſentiens Quintilianus lib. 9. cap. 4. vbi de compoſitione diſſerit, gemina ſimilitudine commandat orationis numeroſæ ſuauem vtilitatem. Nam quemadmodum vehementior & iucundior eſt fluminum curſus prono alueo, ac nullas moras obijciente, quàm inter obſtantia ſaxa, fractis aquis atque reluctantibus; ita quæ connexa eſt, & totis viribus fluit, delectabilior, & fructuoſior eſt oratio.

Vt ſagittæ, vel ſpicula neruis & amentis adiuta venuſtius vibrantur, certiuſque feriunt: ita compoſitione, ſiue numeris adſtrictæ ſententiæ magis intenduntur, & concitantur, atque adeò pulchrius, vehementiusque in adverſarium feruntur & feriunt.

Denique pergit in hæc verba, rationesque ſubdit. *Ideo eruditiſſimo cuique perſuaſum eſt, valere eam quamplurimum, non ad delectationem modò, ſed ad motum quoque animorum. Primùm quia nihil intrare poteſt in affectum quod in aure velut quodam veſtibulo ſtatim offendit: deinde quia naturâ ducimur ad modos.*

Eadem numerorum obſervatorum in dicendo ſuavitas, fructusq; intelligitur ex collatione cum ea facultate, quæ tota numeris conſtat, hoc eſt Muſica. Nam concentu harmonico nihil eſt dulcius auribus, animisque; nihil ad concitandos quoſlibet motus potentius. Vndè Pythagoræi diuturniores curas ſomno levaturi turbidasque cogitationes compoſituri cantu vocum vtebantur quo ſomnus lenius, blandiusque irreperet, atque evigilantes conſopitos generoſæ mentis ignes ad lyram excitabant, quò eſſent ad agendum erectiores.

Hinc Tyrtæus vates modulatione, cantusque gravitate milites ſuos quò volebat, impellebat non reluctantes: Cretenſes impetum in hoſtem facturi pulsâ citharâ vehementius incitabantur: Empedocles Agrigentinus furibundum adoleſcentem, qui eius hoſpitem damnati patris accuſatorem ſtricto gladio adoriebatur, cantu revocavit, & placatum manſuetumque reddidit.

Iam quid oratione, circuitu ſententiarum ad numeros cadentium, confirmata poteſt audiri iucundius, quid artificioſa verborum concluſione moderata fructuoſius? Exemplo ſunt vni Demoſthenes ac Tullius, Græcæ Romanæque facundiæ principes, quorum ille fulmina vibraſſe dicitur, quod illius verba numeris contorta vehementius ferrentur; hic autem in tornandis & quadrandis ingrata negligentia periodis, totus propemodum fuiſſe indicetur.

Porrò quid aliud innuit finitimus oratori Poëta numeris aſtrictior paulò, verborum autem licentia liberior, cùm Orpheum ſylvas, & rupes cantu vocum, & fidibus attrahentem, fluviorum curſu ſiſtentem; dùm Amphiona lapides ad Thebarum ædificationem allicientem finxit, niſi vt ſuis illis figmentis ſermonis numero vincti virtutem exprimeret? qua tum impetus effrænes ſuſtinentur, & franguntur: tùm durities pectorum edomatur: tum in communem ſocietatem, vitamque civilem agreſtes homines, ac ſylveſtres, non ſine ſuavitate, pertrahuntur.

Ex ea randem numeroſæ orationis dulcedine fructuque naſcitur omnis illius nobilitas, atque præſtantia qua tantum ab infinita, & male-compoſita differt, quantùm diuinus aliquis Orpheus ab rudi, & abſono canendi ludendique tyrone diſcrepat.

PVNCTVM III.

Fuſa & verſa Oratio.

DVplicem cõſtituit Eloquutionem Ariſt. lib. 3. Rhet. cap. 9. alteram cõtinuatã ac pro-lectam,

Digitized by Google

ctam, ſeu tractam & pendentem, quæ non incidit membra, ſed ita connectit, vt ſuperiorem eloquutionem ſemper proxima ſequatur, donec tota res fuerit explicata. Alteram verſam, ſeu periodicam, ambitu ſcilicet quodam artificioſo comprehenſam, ſuis membris partibuſque ſic finitam ac dimenſam, vt numeroſa quadam ſuauitate aures impleat, animumque auditoris ſinat auſcultando, atque cognoſcendo conſiſtere, & cum oratore veluti reſpirare. Talis eſt illa pro Marcello num. 20 *Tantus enim eſt ſplendor in laude vera, tanta in animi magnitudine, & conſilij, dignitas, vt hæc a virtute donata, cætera a fortuna commodata eſſe videantur.*

Atque hanc ſimilem facit Antiſtrophis, & conuerſionibus, quæ quaſi in orbem abſoluta ſententia appoſitè recurrunt. Sic enim certis quibuſdam ſpatijs terminatur, & quaſi membris cōponitur, vt in ſe ipſam numeroſè recurrēs, aures auditorum compleat, animumque reficiat.

Liberam verò ſiue fuſam ſua ſponte, nullis interualis, aut iuſto membrorum ambitu definitam, confert cum Dithyrambis, in quibus nulla fit conuerſio, ſed eſt tractus quidam verborum & ſententiarum leuis ac perpetuus ſine diſtinctione numerorum: quæ quidem orationis continuatæ ſpecies iniucunda eſt, & moleſta, quod nullis ſpatiis terminetur: omnes quippe finem intueri volunt.

Et quemadmodum curſores in ſtadio anhelant & propemodum deficiunt, dum ad flexiones venerunt, quibus occultantur metæ, ſiue termini; at vbi comparent tùm nihil laborant: ita qui tractam illam orationem deuoluunt, fatigantur ipſi, & auditores torquent, dum nullum finem dictioni ponunt. Qui vero contractam in ſe, certiſque ſpatiis diſcretam circumagunt propoſito ſemper termino ſuauiſſimè feruntur ipſi, & iucundè feruntauditorem.

Concludit Cic. vinctam periodis orationem verborum & ſententiarum orbem longè clariorem, auribusque iucundiorem efficere, quàm quæ perennis eſt, & nullis articulis membriſque diſtiucta, idque monet. 3. de orat. 191: *Ne fluat oratio, ne vagetur, ne inſiſtat interius, ne excurrat longius: Vt membris diſtinguatur, vt cōuerſiones habeat abſolutas.*

PVNCTVM IV.

Verſæ Orationis, & ambitu comprehenſæ forma.

POëticam omnem menſuram, ſiue verſum, formam numeroſæ orationis reijcere docet Ariſt. lib. 3. Rhet. cap. 8. ſed quæ numeri liberioris expers eſſe non debeat. Tùm quia verſibus conſtans oratio, cùm ex tempore fundi non poſſint, artificioſè præparata videtur ad expugnandos auditorum animos: Vnde fit, vt inſidioſa iudicetur, & attentionem nullam eliciat: Tùm quia ſic auditorem ſua illâ verborum numeroſè cadentium concinnitate retinet, vt ad cauſam non attendat, ſed totus in contemplanda metri feſtiuitate occupetur.

Idem multis præcepit Latinus Orator ad Brutum num. 195. *Neque numeroſa eſſe, vt poëma: neque extra numerū, vt ſermo vulgi eſt debet oratio. Alterum nimis eſt vinctū, vt de induſtria factum appareat: alterum nimis diſſolutum, vt peruagatum & vulgare videatur.*

Excidunt tamen aliquando non cogitantibus, vt Ciceroni pluribus in locis. Poſt redit. ad Quirit. num. 16. *Rerum mearum geſtarum auctores, teſtes, laudatore queſuerunt.*

Eſt ergò minus decorum tanta curâ vincire numeris orationem, vt mollius & delicatius compoſita videatur, ſed neque vagam, neque diſſolutam eſſe oportet, vtique honeſta libertate colligatam.

PVNCTVM V.

Periodus.

PEriodum Phalereus dicit eſſe continuationem quandam commatum, & membrorum ita inter ſe aptè, & rotundè connexorum, vt & plenam ſententiam, & concluſionem referant: quocirca vult eam eſſe fornicibus ſimillimam, in quibus ita lapides inter ſe aptantur, vt fulciant ſe quodammodo inter ſe omnes, & vnam compagem, quam efficiunt, vtraque parte ſuoſtentent.

Digitized by Google

Hermogenes lib. 4. de Inuent. cap. 3. ἔστι μὲν ἡ περίοδος κυρίως, ἢ τοῦ ὅλου ἐπιχειρήματος, ἢ ἀπαρτιστικὴ σύνοδος. καὶ κλεὶς τρόπον τινα. Clauim vocat, quæ aperit clauditque ſententiam. Spatium Ariſtoteles carceribus, metaque circumſcriptum. Omninò Periodus Clauis eſt eloquentiæ, quæ non modò dicentis mentem aperit, ſed etiam audientis: ſpatium verò, quo feliciter confecto, velut albis quadrigis victa triumphat eloquentia.

Ariſtot.lib. 3. Rhet.cap. 9. λέγω δὲ περίοδον, λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν, καὶ τελευτὴν αὐτὴν καθ' αὑτὴν, καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον. Orationem quæ principium, & finem ex ſe habet, & eam interiectam magnitudinem, quæ facilè oculis perluſtrari poſſit.

Ab Oratore Romano definitur, oratio in quodam quaſi orbe incluſa procurrens quoad inſiſtat in ſingulis perfectis, abſolutiſque ſententiis.

Quæritur ergo, vt ex definitione conſtat, in periodo initium, & finis, & inter vtrumque ſpatium iuſtum interiectum; Initium & finis, propterea quod periodus ſententiam inchoare debet, atque abſoluere: ſpatium verò interiectum iuſtum illud quidem, vt & ſpiritum dicentis iuuet, nec autem audientis, vel longiori ambitu obruat, vel breuiori fallat, ac relinquat.

Pvnctvm VI.

Partes periodi.

QVæ duæ partes periodum ingrediuntur Membra ſunt, vel Inciſa. Membrum definitur pars periodi. Inciſum pars membri; id adeò intellige, cùm membrum in periodo includitur; aut inciſum in membro: nam aliquando diuelluntur, vt hæc ſeparata ſunt inciſa, *falli decipi errare; veni, vidi Chriſtus vicit.*

Nihil eſt quod non longinquitas temporis excipiente memoria prodendiſque monumentis efficere atque aſſequi poſſit. Membrum eſt perfectam ſententiam definiens.

At iniuſta periodo membrum in compoſitionem venit. Neque enim exercitum poteſt is continere Imperator, qui ſeipſum non continet: neque ſeuerus eſſe in iudicando qui alios in ſe ſeueros eſſe iudices non vult. Quæ membris quatuor abſoluitur.

Ex quo illud, perſpicuum relinquitur quid ſit membratim, quid inciſim, & periodice dicere. Inciſim namque dicit is, qui vtitur inciſis in exprimendis ſententiis Cui commiſit? quo adiutore vſus eſt? quo ſocio? quo conſcio? cur tantum facinus? cui ſe, cui ſalutem credidit?

Membratim, qui membra adhibet ſoluta, ac libera, non deuincta, & in periodum illigata. Eſt enim oratio longiuſcula verbo incluſa, quæ ſenſum quidem habet aliquando perfectum; non ita tamen abſolutum, vt auditor cùm intellexerit, conquieſcat, ſed quædam ſequentia requirat, & quaſi adhuc animi pendat, quod arguere facilè licet, ſi membrum vnum ab altero ſeparetur in periodo vix per ſe quidquam efficiet. *Et ſi vereor ne turpe ſit timere.* Si nihil addatur amplius manca fit oratio, nec docetur, aut mouetur auditor; ſin abſoluetur ſententia, neque membrum pendebit ex alio, ſimplicem periodum efficiet, ſiue vt alij malunt, abſolutionem.

Iuſtum ſpatium eſt, ô ſegnes diſcipulorum animos! ô fœdum auaritiæ portentum.

Periodicè dicit, qui ambitu finito periodorum effert explanatque ſententiam. De Prouinc. Conſſ. *Si quis veſtrum expectat, quas ſim Prouincias decreturus, conſideret ipſe ſecum, qui mihi homines, ex Prouinciis potiſſimum detrahendi ſint: non dubitabit quid me ſentire conueniat, cùm quid mihi ſentire neceſſe ſit, cogitarit.*

Inciſim dicimus cùm pluribus diſtinctis verbis aut ſenſu multiplici diſtinguimus orationem: quo dicendi genere vtimur, cum arguimus, refel imus, inuehimur; Piſon. 56. *ô Scelus, ô labes!* Poſt reditum n. 3. *Cum hoc homine, aut cum Stipite, Æthiope, ſi in foro conſtitiſſet, nihil crederes inhumanum, neglectum Capadocem, modò abreptum de grege venalium diceres. Idem domi quàm libidinoſus? quàm impurus? quàm intemperans.*

Mem

Membratim verò cùm quaſi in ſingulis membris conſiſtit oratio, valétque, & ad refellendum & ad inuehendum, maximeque ad narrandum. In Piſo. 56. *Cùm extinguebas ſenatum, vendebas auctoritatem huius ordinis, addicebas Tribuno pleb. conſulatum tuum. Remp. euertebas caput & ſalutem meam vna mercede Prouinciæ.*

Obſeruandum hic optimè miſceri membra cum inciſis ex Cic. in Piſon. n. 47. *Ego te non Vecordem, non furioſum, non mente captum, non tragico illo Oreſte, aut Athamante Dementiorem putem; qui ſis auſus primum facere, deinde paulò ante Torquato grauiſſimo, & ſanctiſſimo viro premente, confiteri, te prouinciam Macedoniam, in quam tantum exercitum tranſportaſſes, ſine vllo milite reliquiſſe? Mitto de maxima parte exercitus ſit hoc infelicitatis tuæ. Dimittendi verò exercitus, quam potes afferre cauſam? quam poteſtatem habuiſti? quam legem? quod Senatuſconſultum? quod ius? quod exemplum? Quid eſt aliud furere, niſi non cognoſcere, homines, non cognoſcere leges, non Senatum, non ciuitatem? cruentare corpus ſuum? maior hæc eſt vitæ, famæ, ſalutis ſuæ vulneratio.*

Pro Archia. n. 16. *Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis perfugiū ac ſolatium præbent delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.*

Maximè verò cùm inciſa ſunt contra poſita valent ad increpandum. 6. in Verr. 115. *Conferte hanc pacem cum illo bello: huius Prætoris aduentum, cum illius Imperatoris victoria: huius cohortem impuram cum illius exercitu inuicto: huius libidines, cum illius continentia: ab illo qui cœpit conditas: ab hoc qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas.*

Circumſcriptiuè verò dicere eſt, cùm in orbem quaſi incluſa fertur oratio, nec niſi perfecta abſolutaque ſententia conquieſcit. Cic. 2. de orat. n. 1. *Magna nobis pueris Q. frater ſi memoria tenes opinio fuit L. Craſſum non plus attigiſſe doctrinæ quàm quantum prima illa puerili inſtitutione potuiſſet, &c.*

* * *
*

PVNCTVM. VII.

Periodi ſpecies variæ.

Bimembris.

INtelligitur & illud alterum, varias periodorum ſpecies conſtitui, pro multitudine partium, quibus conſtant: Etenim quæ duo membra continent, bimembres dicuntur, ſuntque breuiſſimæ 1 de Orat. 31. *Quid tàm eſt admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum exiſtere vnum, qui id quod omnibus natura ſit datum, vel ſolus, vel cum paucis facere poſſit?* Ita fieri vult Phalereus, vt iuſta primùm membri longitudo adſit, indè in fine flexus quidam, qui Apodoſeos vicem ſubeat, ipſa autem longitudo Protaſeos. 1. de orat. n. 4. *Tibi vero, frater, neque hortanti deero, neque roganti. Nam neque auctoritate quiſquam apud me plus valere te poteſt, neque voluntate.*

Fuére qui adderent in Monocolo ita inciſa eſſe conuerſa, vt ſibi reſponderent; Tam doctus eſt Cicero, quàm eloquens. Tam ſtudioſus litterarum adoleſcens, quàm virtutis.

Hermogenes permixtam voluit eſſe quodammodo, perturbatamque ſententiam, quæ ad finem vſque perduraret, neque ſine ipſa concluſione poſſet intelligi. Boni viri turpitudine, non caſu, delicto ſuo, non aliorum iniuria commouentur. Litterarum cognitio non vtilitatem modò, ſed, & voluptatem parit.

Trimembris periodus.

Trimembris quæ tria membra continet, & in apodoſi duas partes habet, vel in protaſi. Pro Quinto. n. 16. *Etenim ſi veritate amicitia, fide ſocietas, pietate propinquitas colitur* (protaſis): *Neceſſe eſt iſte, qui amicum, ſocium, affinem, fama, & fortunis ſpoliare conatus eſt.* (Prior pars apodoſis) *Vanum ſe & perfidioſum, & impium eſſe fateatur.* Item pro Cœlio. n. 28. *Datur enim conceſſu omnium huic aliquis ludus ætati, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates: quæ ſi ita erumpunt,*

vt nullius vitam labefactent, nullius domum euertant: faciles & tolerabiles haberi ſolent.

Quadrata periodus.

Quadrata omnium ambitu maxima, & eloquutioni variandæ aptiſſima, conſtat quatuor membris, vt priora duo protaſeos vicem gerant, apodoſeos poſteriora, quòd ad comprehenſionem neceſſaria ſit redditio quædam, & propoſitio quæ in ſe mutuo redeant. Exordium pro Cæcinna. *Si quantum in agro locisque deſertis, &c.*

Longis aliquando periodis agendum, ſcilicet cum res copioſa eſt, & amplificatione indiget, vel cum genus dicendi ſuaue, ac temperatum tractamus. Breuibus autem quoties breuis res eſt, & genus tenue, quod facilitatem potus, & vſitatum loquendi morem quærit, quàm grandiorem.

De membrorum eadem in periodo diſparitate Demetrius cum Cicerone conſentit, hoc præcepto vt in redditione poſterius membrum productius ſit, ne conciſa videatur, & quaſi manca periodus, quæ longè grauior putatur, ſi in longum deſinat, & quaſi à capite mediocri iuſtum corpus extendat. Cic. *Quæ nobis deſignatis timebatis, ea ne occidere poſſunt conſilio meo, & ratione prouiſa ſunt.*

Negandum tamen non eſt, vbi breuior erit redditione protaſis, ibi plus futurum grauitatis, vt cuius orationem timemus, eius & ſingularem in agendo prudentiam, & præcipuam in cogitando ſagacitatem admiramur. Tametſi iudicium aurium in omnibus exquiri debeat, quibus nihil eſt in hac tota comprehenſione ſagacius.

Mone Tull. 3. de Orat. n. 191. Non ſemper vtendum eſſe perpetuitate, & quaſi conuerſione verborum, ſed ſæpè carpendam membris munitioribus orationem, quod ſatietatem afferat hoc circumductum orationis genus; deinde quale ſit ab imperitis etiam agnoſcatur, detrahat præterea orationis dolorem, auferat humanum ſenſum actoris, tollat funditus veritatem & fidem: quare nonnunquam nos ab hoc inuidioſo curſu diſiungere debemus, & membra diſtrahere, vt in ſingulis partibus, & colis cùm libertate ſtet oratio, qualis pro Milone n. 38. *Itaque quando illius poſt ea ſica illa, quam à Catilina acceperas, conquieuit, hæc intentata nobis eſt. Hic ego vos obiici pro me non ſum paſſus; hæc inſidiata Pompeio eſt.*

Aliàs inciſim inſiſtente per ſingulos articulos oratione dicendum; ſcilicet poſt vnum, aut aliquot vocabula 4: Catil. num. 4. *Tenentur litteræ, ſigna, manus denique vniuſcuiuſq; confeſſio.*

PVNCTVM VIII.

Quibus locis periodicè dicendum ſit, quibus membratim & inciſim.

PEriodis primus locus aſſignatur, atque maximam earum habendam eſſe rationem in exordiis monent Eloquentiæ Magiſtri, quod vt plurimum grauiorem illa dicendi rationem requirant, præſertim vbi ſollicitudine, commendatione, ac miſeratione res indiget, quod non tàm ipſe Tull. præcepit, quàm facto, ſequutus eſt.

II. In argumentis proponendis locus etiam periodis eſſe poteſt; quando præſertim non tanta contentione vibrantur Quin, ſi audimus Hermogenem, nulla periodus eſt, quæ non incluſam habeat argumentationem. Ad hæc in vniuerſum de periodis præcipiebat, ne eiuſdem rationis, & menſuræ periodi plures continuarentur, ac præſertim inſigniores, vt ſolent eſſe Tetracoli, quod ſunt quaſi orationis lumina, quæ ſi frequentiores eſſent, affectata oratio videri poſſet, & Sophiſtica, quæ non tàm fidei faciendæ, conciliandiſque animis, ac flectendis, quàm auditoribus decipiendis conficta putaretur Præterquam quod ſimilitudo faſtidij mater eſt τὸ ἀπείταντον quaſi ad perſuadendum inutile. Præclarè vero cum ebrijs confert oratores eiuſmodi, quòd perpetuo quaſi circuitu ferantur, & in orbem greſſus inflectant.

Membratim autem, & inciſim tracta oratio his maximè locis, aptari poteſt, in narrationibus, vbi præſertim non tantum dignitatis quæritur: inde in deſcriptionibus, altercationibus,

Digitized by Google

ſermonibus, dialogis, epiſtolis,& ſimilibus,quæ minus habent grauitatis,& plus acrimoniæ, deníque quoties pugnaciter agendum eſt.

Sed membra illa, & inciſa duobus modis vſurpari poſſunt I.Ita vt Aſyntheta ſint ſine vlla coniunctione, quod venuſtiſſimum eſt in narratione, in quibus celeritate potiſſimum opus eſt. Talis eſt illa 3. Derr. num.67.*Quod vbi ille intellexit, id agi, atque id parari, vt filia ſua vis afferretur,ſeruos ſuos ad ſe vocat; his imperat, vt ſeipſum negligant: filiam defendant: excurrat aliquis,qui hoc tantum domeſtici mali filio ſuo nuntiet.Clamor interea fit tota domo inter ſeruos Rubrij,atque hoſpitis. Iactatur domi ſua vir optimus: pro ſe quiſque manus affert, aquâ denique feruenti à Rubrio ipſo Philodamus perfunditur.*

IV. in eundem num. 40. *Tu auſus es pro nihilo præ tua præda,tot res ſanctiſſimas duceret?tibi nulla lex fuit? nulla religio? nullius exiſtimationis pudor?nullius iudicij metus? nullius apud te grauis auctoritas?nullum exemplum,quod ſequi velles?*

Ponuntur aliàs inciſa & membra, non quidem periodico more, & nexu, ſed quibuſdam tamen particulis connectuntur, vt rerum ſeriem longo tractu explicet oratio, non tantùm quoad ſpiritus ferri poteſt, verum etiam longius multò, quos dicendi modos τάσεις nominat Hermog.

Pvnctvm IX.

Artificium periodi.

Qvæ hactenus dicta ſunt facilè declarant artificium conficiendæ periodi poſitum eſſe in nexu & diſpoſitione apta, ornataque membrorum, & inciſorum,quæ ita conueniant, vt ex eorum complexione totum periodi corpus exiſtat. Id adeòvt ex arte fiat habenda eſt ratio, I. verborum; deinde partium, in quas funditur & explicatur periodus: tùm numeri, qui efficit, vt aptè fluat,& incedat oratio:Denique dignitatis,quæ poſita in figuris.

Ac de verbis quidem maius quiddam eſt opinione,quod nonnullis alioquin leue videri ſolet: Illorum oportet diligentem habere rationem. In iis notandæ ſunt quatuor præcipuæ affectiones I. Vis in exponendis,explanandiſque rebus. II. Splendor, & dignitas in ſenſu. III. Maieſtas in ſono, & amplitudo, IV. Suauitas, vel Aſperitas.

Vis verborum.

Sunt igitur quædam voces, quæ vim habent explicandæ rei maiorem, ſi Sacrilegum aliquem dicas, ſonat aliquid amplius, quàm ſi Furem vocaueris, par ratio eſt Maieſtatis; verba enim longiora, conſonantiora plurimum conferunt ad dignitatem, & maieſtatem orationis, quaſi, Obſecundare,Luctari.

Splendor vocum.

Splendor verborum in eo poſitus eſt, vt res non humiles, ſed excellentes appelles, vſurpeſque ſæpius: Splendorem enim habet commemoratio diuinitatis, luminis, ſolis, aſtrorum; atque idem eſt de ſuauitate ſentiendum. Sed caput eſt, quod diligenter notandum puto, vt verborum vſum, cum rerum opportunitate, componas,tàm ingenioſè, tamque feliciter, vt earum planè naturam affictam, atque expreſſam hominum oculis ſubiicias. Res non melius declarari poteſt, quàm inducto exemplo. Sic igitur hoc exemplum in quo deſcribitur curſus fontis,aut fluminis manantis vberrimè. Scaturientis aquæ venam vberiorem ſi libero faciliqu alueo ſinas excurrere, manente iugi fontis perennitate,vt eſt eius natura mollis, & lubrica, per immenſas camporum decliuitates fluit vnda volubilis, clabiturque longiſſimè.

Cuius deſcriptionis artificium in eo poſitum eſt præcipuè, vt celeritatem fluentis aquæ, & ſpatij decurſi longiſſimum interuallum repræſentet oratio. Primum efficit verborum quorumdam præceps volubilitas, qualia ſunt, *fluit vnda volubilis*, & *vt eſt eius natura mollis*, & *lubrica*: alterum præſtat verborum magnitudo *manante iugi fontis perennitate*, &, *per immenſas camporum decliuitates.*

Eodem artificio poëtæ vtuntur, vti patet in hac fulminis deſcriptione.

—— laceratàque nubes
Succumbens gemit horrendū,& caua nubila ſoluens

C 3 *Fracta*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Fracta fragor crepituſque caduca tonitrua torquēt. In qua crepitus, & fragor fulminis exprimitur aſperitate verborum, *fracta, fragor, crepitus*: celeritas autem omnino ſimili vocum impetu, non leniter concitato.

Velocitas Orationis

Concitata velocitas requirit conciſum dicendi genus, & facilé mobile, in quo potiſſimum excellit D. Hieron. *Nolite credere, nolite eſſe ſecuri, licet in modum ſtagni fuſum æquor arrideat magnos hic campus, montes habet, incluſum intus periculum.*

Aſperitas.

Aſperitas orationis in reprehenſionibus, cumminationibus, increpationibus adhibetur, ijs dumtaxat, quæ ad amicos fiunt, in quibus oportet vti ſale, aceto, abſynthio: nō verò dente, bile, felle: quod vtique continget, ſi ea quæ dicentur auſterè, iuſta ſint, vtilia, neceſſaria, & officij plena.

Porrò ad hoc dicendi genus conferunt imperandi formulæ, *muta iam iſtam mentem tuam mihi crede, obliuiſcere cadis, & incendiorum. Perge quò cœpiſti, egredere aliquando ex vrbe, proficiſcere, educ etiam ſecum.*

Interogationes frequentes. *Quid eſt Catilina quod te delectare poſſit; quæ libido ab oculis; quod ſtagitium à toto corporeal fuis;*

Metaphoræ, inciſa, membra, verba grandia, & concurſu conſonantium, & vocalium aſpera, quæ tamen aſperitas temperari debet, ne exulceret audientis animum.

Vehementia.

Vehementia orationis in eo differt ab aſperitate, quod hæc ad ſuperiores, vel amicos dumtaxat pertinet, illâ vel aduerſarij, vel æquales reprehēdūtur; quare vehemētia longè liberior eſt.

Ad hanc autem plurimum faciunt Epitheta, & verba ficta ad contumeliam: *Gurges bonorum, furia patriæ, fax, tempeſtas Reip. peſtis, temporum procellæ: non enim nos color iſte ſeruilis, nō piloſa gena, non dentes putridi deceperunt.* Exclamationes: O *tempora! ò ſordes!*

Demonſtratio, cùm digito aliquem oſtendimus, *Tu tu) Antoni Cæſarem interfeciſti.*

Ad copiam & amplitudinem huiuſce generis proderit Hypotheſim ad Theſim reuocare vt ſi proditorem reprehendas quempiam, dicendum ſit vniuersè de proditoribus.

Splendor.

Splendor orationis continet quidquid ſpecioſam ac ſplendidam orationem efficere poteſt, quo in genere valent, ordinata diſpoſitio partium, quæ fit per diſtributionem: affirmatio præ iſa abſque dubitatione.

Figuræ quæ rem interuallis temporum, & locorum diſtingunt: Tranſitionum formulæ, quæ partes patribus venuſtè contendunt.

Remotio, qualis hæc: non lapidibus, non lateritio opere mœnia conſtruxit, ſed præclaris inſtitutis, ac decretis vrbem communijt.

Fuſus ſermo, nam conciſum dicendi genus omnino contrarium eſt.

Denique in ſententiis curandum diligenter eſt vt ea, quæ dicuntur magnæ apud homines exiſtimationi ſint. In Piſon. num. 5. *Ego Catilinam, cædem ſenatus, interitum vrbis non obſcurè ſed palam molientem, egredi ex vrbe iuſſi: vt a quo legibus non poteramus, mœnibus tuti eſſe poſſemus. Ego tela extremo menſe conſulatus mei intenta iugulis ciuitatis, de coniuratorum nefariis manibus extorſi, ego faces iam accenſas ad huius vrbis incendium, cōprehēdi protuli, extinxit. Me Q. Catulus princeps huius ordinis, & auctor publici conſilij, frequentiſſimo ſenatu, parentem patriæ nominauit. Mihi togato ſenatus, non vt multis bene geſtæ, ſed vt nemini conſeruata Reip. ſingulari genere ſupplicationis, deorum immortalium templa patefecit.*

Vigor.

Vigor orationis. Vegetum dicendi genus mixtum, & conflatū eſt ex antecedentibus. Sic vſurpat pro more ſuo Tull. eleganter. 4. Phil. n. 11. *Non eſt, non eſt vobis Quirites, cum eo hoſte certamē, quo cum aliqua pacis cōditio eſſe poſſit. Neque enim ille ſeruitutem veſtram, vt antea, ſed iam iratus ſanguinem concupiſcit. Nullus ei ludus videtur eſſe*

incuns

Digitized by Google

iucundior, quàm cruor, quàm cædes, quàm ante oculos trucidatio ciuium.

Amplitudo.

Amplitudo. Quod genus orationis potiſſimum in amplificationibus dominatur vindicatque eloquentiam, & tenuitate, & gracilitate plenam: ad eam conferunt hypotipoſis ad theſim reuocata, hinc Cic. pro Mil, n. 7. Probat inſidiatori, & latroni necem afferri poſſe.

Commoratio, congeries oppoſita, comparata, ſimilia, adiuncta, exempla, digreſſiones deſcriptiones: & hæc quidem quantùm ad ſententias pertinet.

In verbis autem valent ſynonyma, periphraſis, circumloquutiones: paraphraſes cum pluribus verbis res eadem exprimitur Cic. pro Sylla. n. 26. *Ego tantis à me beneficiis in Rep. poſitis, ſi nullum aliud mihi præmium à Senatu populoque Rom. niſi honeſtum otium poſtularem quis non concederet? ſibi haberent honores ſibi imperia, ſibi prouincias ſibi triumphos, ſibi alia præclara laudis inſignia: mihi liceret eius vrbis, quam conſeruaſſem conſpectu, tranquillo animo, & quieto frui? Quid ſi hoc non poſtulo? ſi ille labor meus priſtinus, ſi ſollicitudo, ſi officia, ſi operæ, ſi vigiliæ deſeruiunt amicis, præſto ſunt omnibus? ſi neque amici in foro requirunt ſtudiũ meum, neque Reſp. in curia? ſi me non modò rerum geſtarum vacatio, ſed neque honoris, neque ætatis excuſatio vendicat à labore? ſi voluntas mea ſi induſtria, ſi domus ſi animus, ſi aures patent omnibus, &c.* En quàm amplam orationem efficiat vna particula hypothetica?

Non aliter poſt reditum ad Quirites n. 24. *In referenda autem gratia hoc vobis repromitto, ſemperque præſtabo, mihi neque in conſiliis de Rep. capiendis diligentiam, neque in periculis à Rep. propulſandis animum neque in ſententia ſimpliciter referenda fidem, neque in hominum voluntatibus pro Rep. lædendis libertatem, nec in perferendo labore induſtriam, nec in veſtris commodis augendis gratam animi beneuolentiam defuturam.* En vt *Neque* particula rem vnam pluribus conficit?

Obſeruandum hic vitandum eſſe diligenter pleonaſmum puerilem in eiuſmodi charactere inanem verborum ſtrepitum, vt loquitur. Cic. ſine ſubiecta ſententia.

Venuſtas.

Venuſtas. Eſt eiuſmodi, vt accuratam efficiat totam orationem, & occurrat negligentiæ, ruſticitati, & incuriæ. Requirit autem venuſtas proportionem omnium partium, colorem, qui ſententiis quæritur, & ſchematis. Numerum elegantem, dictionem quidem cultam, ſed non affectatam, denique iuſtam magnitudinem.

Ex his duo debent intelligi, primum grandem orationem abhorrere à conciſo charactere: conſtat enim oratio his tantùm formis, decore, ſeueritate, acrimonia, vigore, amplitudine, & pulchritudine ſeu ſplendore: alterum eſt vitandum eſſe in venuſtate ſophiſticum artificium, quale eſt eorum oratorum, qui dumtaxat ad voluptatem ſuos omnes labores in dicendo dirigunt.

Suauitas.

Suauitas orationis ad delectationem comparata auditorum voluptati ſeruit, talis erit, ſi ſtructura verborum ſuauis fuerit, ſi verba ſonantia & leuia adhibeantur. Deinde coniunctione, quæ neque concurſus habeat aſperos, neque diſiunctos, atque hiantes: Tum figuris cum aliquo delectu adhibitis, quales ſunt Antitheſes, Iſocola, Anaphoræ, Anadiploſes, & alia eiuſmodi; relata, geminata, vtraque duplicata, vel etiam ſæpius iterata ponantur, reſpondeant verba verbis, crebra paria paribus, conſtructioque verborum, tùm coniunctionibus copuletur, tùm diſſolutionibus relaxetur: Denique periodi mediocribus terminis definiantur, & ſit circumſcriptio non longo anfractu, ſed ad ſpiritum vocis apto. Quæ ſeruauit omnia Tull. 2. de nat. Deo. num. 100. *At verò quanta maris eſt pulchritudo? Quæ ſpecies vniuerſi? Quæ multitudo, & varietas inſularum? Quæ amœnitas orarum, & littorum? Quot genera, quamque diſparia partim ſubmerſarum partim fluitantium, & innatantium belluarum, partim ad ſaxa natiuis teſtis inhærentium, &c.*

Digitized by Google

PVNCTVM X.

Partes in quas funditur Periodus

EXplicandæ Periodi ſuas in partes, atque membra, duo præcepta ſunt. Primum, vt propoſita ſententia, quæ ſit orationis comprehenſione finienda, videat illud imprimis qua ratione dilatari poſſit: Ita vt plura membra parteſque obtineat. Quod variis modis fit.

I. Conglobatis adiunctis, quæ vulgò dicimus Epitheta: ſic enim membrum vnum fundi poteſt latiſſimè variis inciſis. Sic hoc membrum latiùs explicandum cum Oratore; *Vidimus Curiam inflammari*, conglobanda tantum erunt Epitheta varia, quibus curia ſignificetur pro Mil. n. 91. *Vidimus templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilij publici, caput vrbis aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem ab vniverſo populo Ro. cõceſſam vni ordini inflammari, exſcindi, funeſtari.* Sic vocem vnam multiplici epitheto amplificat.

II. Per interpretationem, cùm res pluribus explicatur, ſimplex fuiſſet oratio dicendi nudaque ſuis ornamentis, minus virium habuiſſet, ſi tantum orator dixiſſet, tu auſus es ſacram domum ingredi, propterea rem ſic amplificauit. 2. Phil. n. 68. *ô audaciam immanem! Tu ingredi illam domum auſus es? Tu illud ſanctiſſimum limen intrare, tu illarum ædium diis penatibus os importuniſſimum oſtendere? an tu illa veſtibula, roſtra, ſpolia, cùm aſpexiſti domum tuam te introire putas?*

III. Per enumerationem partium. Vnde Cic. cùm id efferre vellet Pompeius nulla re flecti potuit, atque à virtute reuocari, ſic dilatauit ſententiam. Pro lege Man. num. 40. *Vnde illam tantam celeritatem, & tam incredibilem curſum initum putatis? non enim illum eximia vis remigum: aut ars inaudita quadam gubernandi, aut venti aliqui noui, tàm celeriter in vltimas terras pertulerunt: ſed hæ res, quæ cæteros remorari ſolent, non retardarunt; non auaritia ab inſtituto curſu, ad prædam aliquam reuocauit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas vrbis ad cognitionem, non denique labor ipſe ad quietem.* In eadem oratione Pompeij felicitatem amplificat. Num. 48. *Itaque non ſum prædicaturus, quantas ille res domi, militiaque? quantâque felicitate geſſerit: vt eius ſemper voluntatibus, non modò ciues aſſenſerint, ſocij obtemperarint, hoſtes obedierint: ſed etiam venti, tempeſtateſque obſecundarint.*

IV. Per auxeſim extollendo cum comparatione verba ſingula. Sit illud dicendum, adducimus ſceleratiſſimum hominem in iudicium. Amplificari poterit hoc modo ex Cic. 3. Verr. num. 9. *Non enim furem, ſed ereptorem: non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ: non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum, religionumque: non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem ciuium, ſociorumque in veſtrum iudicium adduximus.*

V. Per adiuncta fit amplificanda ſententia de Catilina Saluſti. Magna vi & corporis & animi fuit, ſed ingenio malo prauoque. Sic ipſe Saluſtius fundit orationem.

Huic ab adoleſcentia bella inteſtina, cædes, rapinæ, diſcordia ciuilis, grata fuere: ibique iuuentutem exercuit. Animus audax ſubdolus, varius, cuiuſuis rei ſimulator, ac diſſimulator: alieni appetens, ſui profuſus, ardens in cupiditates, ſatis eloquentiæ ſapientiæ parùm, &c.

VI. Per disiunctionem vt vocant, cùm additur vnicuique rei proprium vocabulum, vt plura membra periodum ingrediantur. Sic Orator. 2. agraria. num. 58. *Dixi antea lege permitti, vt quæ velint municipia, quas velint veteres colonias, colonis ſuis: occupẽt Calenũ municipium complebunt: Theanum opprimẽt: Atellam, Cumas, Neapolim, Pompeios, Nuceriam ſuis præſidiis deuincient. Puteolos verò, qui nunc in ſua poteſtate ſunt, ſuo iure libertateque vtuntur, totos nouo populo, atque aduentitiis copiis occupabunt.*

VII. Per congeriem verborum, verberatur, cruciatur, necatur. Sed niſi parcè adhibeatur, puerilis eſſe ſolet illa congeries.

VIII. Per conglobationem cauſarum quæ vnum effectum declarant. Sic conſtantiam in retinenda ſententia amplificare quis poteſt. An igitur ſententiam mutabant, quos ab inconſtantia grauitas, & libidinoſa ſententia certum, & definitum ius à religione, vetuſtas exemplo.

Digitized by Google

emplorum,auctoritates litterarum,monumentorumque deterret?

Per conglobationem vero effectuûm , quæ vnam cauſam declarant , vt ſi peccatum dicas gratiæ naufragium,ſalutis perniciem , cladem orbis vniuerſi. Quod ſic fundetur , ſi quanta eſt in labefactandis hominum animis fœditas & turpitudo vitiorum , tàm illa paſſim ab omnibus cognoſceretur,in iis fugiendis,& à ſe procul amandandis , plus probi quique deſudarent , quàm in congerendis pecuniarum aceruis improbi allaborent.

Quos effectus per continuationem , ac ſpiritus productionem dilatabis.

Si vitium eſt animi vera labes , ſi Cœlum claudit , Orcum aperit , Furias immitit;ſi coniecta in medium face , malo Dæmone ferrum & animos acuente bellorum furorem incendit : Si ab illo morbi , luctus,mœror,& lethum, incenſiones vrbium , interneciones ciuium , Prouinciarũ vaſtitates,Rerumpub.interitus ,euerſiones imperiorum : ſi peccatum cruentæ Morti falcem , Marti furentem haſtam , ſceleratam Mercurio fraudem , nuptis incontinentibus Aſmodæum, diuitibus iniquis Mamonnam , libidinibus perditis Venerem , ſacris hominibus impietatem , & ignominiam conciliat : ſi nihil aliud ſtantes,tertie,familias obruit,extinguit hæredes, paupertatem immittit , conflat dedecus,& infamiam , lites ſerit, atque diſcordias , ſi texit laqueum deſperatis , telum furioſis miniſtrat ; ſi in eius officina peruerſa hominum conſilia cuduntur ad labefactandam animorum caſtimoniam , ad euertendam pietatem , Deique leges violandas:ſi indè fulminat æther, nubes crepant incendio , aret tellus , & hiat , ſol ſtupet , cœli diluuium effundunt.Si,verbo dicam,nos Dei parentis hoſtes,ac perduelles facit,& inferorum victimas,ſi talis infamiæ nota flammis vltricibus deleri non poteſt , ſed tantum diuinæ charitatis incendio conſumi , quis non immortali odio tam infamem , tàm tetram corporis , & animi peſtem proſequatur?

Contrahendæ periodi methodus.

Contrahendi ſtyli eſt oppoſita planè ratio. Eſt igitur diſtribuendæ Periodi præceptum alterum, vt cum materiam collegeris,tum ſingula membra artificioſo nexu ſuſpendas , donec cum ipſo circuitu periodi ſenſus abſoluitur:quod fit ſubſidio quarumdam particularum , quæ vim habent ſuſpendendi ſenſus orationis.

Primum genus earum eſt quæ comparationẽ inducunt , vt *tantum quantum* : talis eſt periodus prima, pro Cæc. *Si quantum in agro , lociſque deſertis audacia poteſt , tantùm in foro,atque in iudiciis impudentia valeret ; non minus in cauſa cederet A Cæcinna Sex. Æbutij impudentiæ , quantum in vi facienda ceſſit audacia.*

II.Genus eſt earum quæ diſtributioni ſeruiũt. Ibidem.*Verũ & illud conſiderati hominis eſſe putauit,qua de re iure decertari oporteret,armis non cõtenderet:& hoc conſtantis,qui cum vi, & armis certare noluiſſet.eum iure,iudicioque ſuperare.*

III. Earum eſt quæ dubitandi , interrogandique vim habent,*Vtrum , An.*Pro Quint num. 92. *Ea res nunc in diſcrimen verſatur , vtrum ne poſſit ſe contra luxuriam , ac licentiam ruſticanâ illa, atque inculta perſimoniâ defendere : an deformata, atque ornamentis omnibus ſpoliata , nuda cupiditati,petulantiæque,addicatur.*

IV. Genus eſt earum quæ cauſam continent. Pro Quinctio.n.11.*Quid ergo eſt?Cum ei natura nihil melius,quàm vocẽ,dediſſet ; Pater nihil præter libertatem reliquiſſet:vocem in quæſtum contulit:libertate vſus eſt,quo impunius dicax eſſet.*

V.Particulas diſiunctiuas continet ; *ſiue,haud, vel*, & ſimiles Nam ſiue delectu faciendo rationem habere velis voluntatis tuæ ; ſiue dignitatis qui te magis delectet ornatus , qui magis deceat; id vero quàm difficile ſine erroris periculo indicare?ſiue tua natura paulo acrior,ſiue quædam dulcedo iracundiæ,ſiue dicendi ſales valuiſſent.

VI.Eſt earum quæ vim habent optandi , quibus redditur,& ex altera parte reſpondet *nunc vero*, aut aliquid eiuſmodi pro lege Man. n. 27. *Vtinam virorum fortium atque innocentium copiam tantam haberetis, vt hæc vobis deliberatio difficilis eſſet quemnam potiſſimum tantis rebus,ac tanto bello præficiendum putaretis. Nunc vero cùm ſit vnus Cn. Pompeius , qui non modò eorum hominum , qui nunc ſunt,gloriam,ſed etiam antiquitatis memoriam virtute ſuperarit ; quæ res eſt , quæ cuiuſquam animum in hac cauſa dubium facere poſſit.*

Digitized by Google

VII. Continet particulas quæ vim habent augendi. Pro lege Man. n. 36. *Quid cætera quas paulo ante commemorare cœperam, quanta, atq; quàm multa ſunt; Non enim ſolùm bellandi virtus in ſummo atque perfecto Imperatore quærenda eſt: ſed multæ sũt artes eximiæ hujus adminiſtræ comitesque virtutis. Ac primum, &c.*

VIII. Particulas relatiuas, qui, quæ, quod, & ſimiles, quarum repetitio eſt etiam elegans. In eadem orat. n. 28. *Quis igitur hoc homine ſcientior vnquam aut fuit, aut eſſe debuit qui è ludo, atque pueritiæ diſciplina bello maximo, atque acerrimis hoſtibus, ad patris exercitum, atque in militiæ diſciplinam eſt profectus? qui plura bella geſſit quàm alij legerunt; qui ſæpius cum hoſte conflixit, quàm quiſquam cum inimico concertauit.*

IX. Particulas comprehendit negatiuas ſæpius iteratas cum antitheſi ibidem. *Cuius adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis præceptis ſed ſuis imperiis: non offenſionibus belli, ſed victorijs: non ſtipendiis, ſed triumphis eſt traducta.*

PVNCTVM XI.

Numerus Periodi.

VTi Oratione numeroſa nihil pulchrius, ita nihil ſtylo diligentius excolendum: quam in rem tria potiſſimum conferre exiſtimo, quantitatem vocum longarum & breuium, deindè certum ſyllabarum numerum, tùm idoneam vocum collocationem, atque ſtructuram.

Quantitatem vocamus menſuram breuium & longarum ſyllabarum, quibus verba conſtant, cuius diligens eſt habenda ratio, quoniam hinc pendet vis fermè omnis, tùm in figuris, tùm in moribus. Proindè numerum quendam ſectari debet orator, qui aurem ita impleat, vt, neque inanitate vacuam deſerat, neque copià, & multidine obruat: Videndum etiam vt in ſtructura ſerieque verborum nihil abſurdum ſit, nihil hians, aut vaſtum.

Numeri definitio.

Definitur ab Ariſt. lib. 3. cap. 8. Rithmus quidam non exquiſitus, neque canorus, qualis eſt in pœmatis, & canticis, ſed ita diſſimulatus & jucundo fine concludit.

Ea vero dicitur oratio numoroſa ex mente Ciceronis, quæ neque claudicat, neque fluctuat. Sed æqualiter, conſtanterque ingreditur: quare primum peccatum quod in numerum admittitur, eſt, ſi inæqualiter incedat oratio, hoc eſt, ſi infirmior hîc, indè robuſtior feratur: Alterum cùm verba ſic traiiciuntur, vt de induſtria factum appareat. Tertium, cum vt numero ſeruiatur, inculcantur verba inania, quaſi complementa numerorum: Quartum, cum perpetuo cæſim & membratim dicitur, nulla interpoſità numeroſà comprehenſione: Quintum, eodem pede ſæpius ſententiam claudere.

PVNCTVM XII.

Quibus pedibus initia, media, poſtrema Periodi concinnè vinciantur, & quæ ſua natura numeroſè claudant ſententiam.

QVoniam periodi tribus conſtant partibus, initio, clauſula, medio, in iis quæruntur aliqui pedes: ſed initiorum imprimis diligens eſt habenda ratio. Quod ea vacuas quaſi aures ingrediantur, quæ ſi praua ſint, quaſi in veſtibulo offendunt; ſin ſuauia, mirum in modum oblectant, & ad reliquam dictionem animum comparant auditoris.

Deinceps tùm ex præceptis Tullij, tùm ex eius orationibus diſcimus omnes hos pedes, dactylum, ſpondæum, anapeſtum, moloſſum, & alios feliciter inchoare periodum modo minoribus aliis grauitas illorum temperetur, & monoſyllaba quædam inſerantur.

Perio

Periodorum & membrorum principiis videntur hi ſequentes aptiſſimi.

Creticus geminatus-v-

Neminem veſtrum ignorare arbitror.
Cogitanti mihi & vetere memoria repetenti.

Creticus cum Spondeo v,—

Quæ precatus ſum à diis immoltalibus Iud.

Anapeſtus cum Cretico vv ,-v- .

Patior Iudices & non moleſtè fero
Animadverti Iud. omnẽ accuſatoris orationem.

Moloſſus,ſed celeriori pede temperandus--

Eſt idem Verres qui fuit.
Eſt hoc in more poſitum inſtitutoque maiorum.

Pæon primus ab Ariſt.multum commendatus.-vvv

At beneficio ſum vſus tuo;quo?
Qui Ciciliam adijt.

Dochimus geminatus v—v—

Cathenas habebat hoſpes tuus.
Omnes te tui perhorreſcerent.

Dichoreus -v,-v

Non enim poteſt ea natura.

Spondeus & Dochymus--,v--v

eſt illud ampliſſimum.

Spondæus cum Anapeſto, & Cretico.

Quamquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter.
Etſi vereor Iudices ne turpe ſit.

Pedes apti principiis.

Levia ſunt in hoc reo crimina.
Quod erat optandum maximè Iud.

Dactylus,ſed ſtatim aliquo graviori pede temperandus-vv

Omnia prætereibo quæ mihi turpia videbuntur
Tandem aliquando Quirites.
Neſcio quo fato fieri dicam.

Bacchius v—

Vehebatur in eſſedo Tribunus pleb.

Palymbacchius--v.

Cùm multa diuinitùs
At quanta merces oratori!

Iambus v-& Spondeus

Novum crimen Cæſar.

Iambus & Anapeſtus.

Frequentia veſtrum incredibilis.

Tribrachus vvv

Video P. C.in omnium veſtrum ora.

Pedes in clauſulis adhibendi.

Nec minor eſt habenda ratio clauſularum, quòd auditor ſeverus iudicet,vbi dicendi terminum quendam ſentit,& quòd longè manifeſtius in clauſulis deprehendatur numerus, qui iucundior eſt, ſi quodam ſyllabarum concentu exigatur;ingratior verò ſi temerè ad aures feratur.Vndè iubet Tullius extremæ comprehenſionis partes ſumma varietate diſtinguere. Terminabitur ergo periodus venuſtiſſimè. Primò

Dichoræo-v-

Patris dictũ ſapiens temeritas filij comprobavit
Nunquã in tuis rebus niſi re perfectâ cõquieſcet.
Optimum cenſuerunt.Maximos arbitteris.

Cuius tamen nimia frequentatio vitanda eſt, ſiquidem agnoſcitur facile, deindè ſatiat, tum cognitus contemnitur. Poteſt illius loco ſuffici ſpondæus. Se non commovebit.

Iterato Cretico præſertim præcedente ſpondæo, vel terminante.

Monoſyllabo.

Æmulos comparavit.
Conſervare quamplurimos.

Choræo-v & Moloſſo---

Pugnare poſſitis. Eſſe conceptum.
More maiorum.

Dochimo, ſi ſemel ponatur: iteratus enim & continuatus inſigniorem facit orationem.

Ab interitu vindicaſti. Hoſtes perhorreſcerent.
Nullum perculit ira victoriæ. Conſilio repudiarem meo.

Tribracho vvv & Spondeo.

Præeſſe voluerunt. Diu multumque dubitavi.

Choræo-v & ſpondæo, numero gravi & magnifico, qui pòte totam fere circumſcriptionem ſuſtinet.

Qui fortunæ vitio,non ſuo decoxiſſet.

Ante diſpondæum Iambo v-

Gloriam per tales viros infringendam.

Cretico -v-

Conſules adjuverunt. Tantam eſſent gloriam conſequenti.

Anapæſto vv-

Cur clandeſtinis conſilijs nos oppugnant?

Dactylo -vv

Dicere cœperunt, eſſe videbantur.

Moloſſo, ſed quem vt plurimum breves præcedant.

Prerique minimè timidum fuiſſe ſenſerunt.

In vniuerſum eligendus eſt certus quidam numerus periodorum pulcherrimarum, in quas dùm ſtylum acuis ſemper intueri, & illas imitatione conſequi poſſis, quales eſſe debent quæ ſequuntur.

Neque vero oratione ſolum, ſed multo magis vita & factis, & moribus comprobavit 1. de

Etenim cætera fere artes ſeipſa per ſe tuentur ſingula: bene-dicere autem, quod eſt ſcienter, & peritè, & ornatè dicere, non habet definitam aliquam regionē, cuius terminis ſepta teneatur. 2. de orat. n. 5.

Quis cohortari ad virtutem ardentiùs, quis à vitiis acriùs revocare, quis vituperare improbos aſperiùs, quis laudare bonos ornatiùs, quis cupiditatem vehementiùs frangere accuſando poteſt? quis mœrorem levare mitiùs conſolando? 2. de orat. n. 35.

Quorum artibus veſtra iſta dicendi vis ne minima quidem ſocietate coniungitur. 1. de orat. n. 44.

Namqui locus quietis, & tranquillitatis pleniſſimus fore videbatur, in eo maximè moleſtiarum, & turbulentiſſimæ tempeſtates extirerunt. 1. de orat. num. 2.

Hæc quidem ad copioſam & reduntantem orationem plurimum valent: ſed quoniam conciſæ orationis frequentiſſimus vſus eſt, eligendæ pariter ſunt ideæ quædam. quæ nobis exemplo eſſe poſſint eo genere dicendi.

I. Ad exclamationes. *ô Dij immort, fortem, & à vobis lud. conſervãdum virum! ô terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit: hanc ingratam ſi eiecerit: miſeram ſi amiſerit.* Pro Mil. n. 106. *ô miſeram mulieris fœcunditatem calamitoſam!*

II. Ad tranſitiones *Sed finis ſit, neque enim præ lacrymis iam loqui poſſum, & hic ſe lacrymis defendi vetat.* ibidem.

III. Ad cōminationē. *Te miror Antoni, quorum facta imitere, eorũ exitus nō perhorreſcere.* 2. Phil. 1.

IV. Ad commiſerationem. *Me quidem miſeret parietum, atque tectorum*, ibid 69.

V. In Epiplexi. *Nec vero te vnquam neque vigilantem, neque in ſomnis credo poſſe conſiſtere.*

In medio pedes collocandi.

Quod ad Periodi media pertinet, quoniam ea ſurdius audiuntur, quàm aut initia, aut clauſulæ, paulò negligentius ornari ſolent, quod auditoris animus, dùm rerum verborumque bonitatem conſiderat, numeris, qui ſunt in medio, non valde intendit, licet non ſegniter propterea curandum ſit, & quæ nimis hiulca erunt, & aſpera; ſed in ijs medijs advertendum eſt, vt ſecundum orationis rationem pedes accommodemus; Cohærentem itaque faciemus, neque conciſis pedibus ſubſultantem, aut longioribus pigram, ſed potiſſimum venuſtabimus Pæanis, 1. -vvv & 2. v-vv qui non ſolum dignitatem afferunt, & amplitudinem; ſed etiam volubilitatem,

Si rē exiguā exprimamus; Dactylus aptus eſt.

Si feſtinemus & iraſcamur; Iābus frequētatus.

Si crimen deſcribamus; Anapæſtus, Trochæus, Spondæus. Nemo quemquam tàm audacem, tàm amentem, tàm impudentem fore arbitrabar.

Obſervandum venit quibuſdam pedibus fieri celeriorem orationem; aliis verò tardiorem. Celerior eſt cùm brevibus ſyllabis conſtat; quales ſunt Dactyli, Trochæi v Pyrrichti vv, quibus vteris, cum orationem concitari volueris. Vt enim apud Poëtas verſus ille celerrimè incedit, qui pluribus brevibus conſtat, vt

Quadrupedante putrem ſonitu quatit vngula campum
Indè vbi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnes.
Haud mora proſiluēre ſuis, ferit æthera clamor.

Sic ille numerus oratorius concitatior eſt, qui ſententiam in aures auditorum, animoſque præcipiti mobilitate demittat, infundatque cum impetu, ſtrepituque verborum. Tardior verò moloſſis fit & ſpondæis, & jambis.

Luctantes ventos, tempeſtateſq; ſonoras.
Invadunt vrbem ſomno, vinoq; ſepultam.

Deindè notandum, vt ex mixtura pedum eleganti, fit illud in oratione, vt modò gravis, modò ſuavis

Digitized by Google

ſuauis,ſit,modò ampla,modò tenuis:ſic efficit er mala temperatione pedum ... taxitate diffluat oratio,& vaſtitate laboret, & diſcedat etiam diuerſo concurſu verborum. Nolim tamen te in re religioſiorem eſſe, aurem tantummodo conſule modò tritam,& accuratâ lectione Ciceronis eruditam Denique ſyllabarum eſt habenda ratio præſertim cum erit aliquid deſcribendum. Ecquid enim eſt quod tantopere laudatur illud apud Virgilium? *Procumbit hum ibos.* Niſi quod monoſyllabum hoc *bos*,vltimo loco poſitum ſententiam Poëtæ repræſentat; nam hæc vox vltimò poſita, rem non tam dicere, quàm oculis ſubiicere videtur.

PVNCTVM XIII.

Iunctura periodi.

VOcabulorum apta commiſſura tantum venuſtatis affert orationi,vt verba trita,& de medio deprompta lectiſſima videatur: contra quæ pulcherrima natiuóque ſplendore fulgentia, iuncturâ deficiente,obſoleſcunt.

Definitur accommoda verborum & ſententiarum diſpoſitio,quæ cohærentem,lenem, & æquabiliter fluentem reddit orationem.

Præcepta verò quæ ad illam traduntur omnia recidunt in hanc ſententiam 3.de orat. num.172. *Id aſſequimini,ſi verba extrema cum conſequentibus primis ita iungetis, néue aſpere concurrant, néue diducantur.*

II. Vt fugiatur aſperior conſonantium commiſſura,vt,ars ſtudiorum.Xerxis exercitus: nam r,ſ,x,ſtrident,& rixantur.

III.Ne ſyllabæ verbi prioris vltimæ ſint primæ cóſequentis;vt litteræ muiſæ viſæ mihi ſunt.

IV. Vitanda litteræ eiuſdem, atque vocabuli frequentior aſſiduitas. Vt quidquam, quiſquam, cuiquam,quod conueniet,neget,probet.

V. Non vtendum continenter ſimiliter cadentibus,aut deſinentibus, flentes, amantes, ridentes,poſtulantes.

VI. Monoſyllaba ſi plura ſint ſubſultantem faciunt orationem,& caueri debent,vt,in hac re nos hic non feret.

VII. Etiam vitanda longiorum verborum continuatio,niſi tarditas deſideretur.

VIII. Verba,ne inuenuſtè traiiciantur,vt, has res ad te ſcriptas luci miſimus heri.

PVNCTVM XIV.

Ornatus Periodi.

PRæter ea quæ hactenus dicta ſunt Tropi,&figuræ tum verborum, tum ſententiarum plurimum afferunt ornamenti,de quibus hîc dicendum,non eo quidem conſilio, vt omnes attingamus,ſed ea dumtaxat ſchemata ſignificemus,quæ facilius ingredi periodum,& numeroſam orationem poſſunt.

Metaphora.

Imprimis Metaphora periodum illuſtrat.in Piſon.num.20. *Quod mihi igitur certamen eſſet huiuſmodi cum C. Mario ſcilicet,aut cum aliquo pari,an cum altero barbato Epicureo,cum altero Catilinæ laternario? quos neq; hercule ego;neque ſupercilium tuum,neque collegæ tui cymbala, ac crotala fugi: neque tàm fui timidus, vt qui in maximis turbinibus,ac fluctibus Reipubl. nauē gubernaſſem, ſaluáque in portu collocaſſem frontis tuæ nubeculam, tùm collegæ tui contaminatū ſpiritum pertimeſcerē*

Similiter cadens.

Valent ad ornatum periodi ſimiliter cadentia dum ſcilicet plura verba caſibus iiſdem efferuntur, Pro Marcel.n. 5. *Soleo ſæpe ante oculos ponere idq; libenter crebris vſurpare ſermonibus,omnes noſtrorum imperatorum, omnes exterarum gentium, potentiſſimorumque populorum,omnes clariſſimorum regum res geſtas,cum tuis nec contentionem magnitudine,nec numero præliorum, nec varietate regionum,nec celeritate conficiendi,nec diſſimilitudine bellorum poſſe conferri.* Pro Roſc. n. 72. *Quid tàm commune,quàm ſpiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuantibus,littus eiectis?*

Iſocola.

Iſocola, cum inciſa vel membra periodorum adhibentur æqualia. Pro Plancio n. 11. *Malè iudicauit*

Digitized by Google

dicauit populus;at iudicauit. Non [illegible] potuit. Non fero;at multi clariſſimi, & ſapientiſſimi ciues tulerunt. Noſtrum eſt qui in hac tẽpeſtate populi iactanur, ac fluctibus ferre modicè populi voluntates allicere alienas,retinere partas,placare turbatas:honores, ſi magni non putemus, non ſeruire populo:ſin expetamus,defatigari ſupplicando.

Epizeuxis.

Epizeuxis, qua vox eadem,in eadem periodo continenter repetitur, cum impetu aliquo pronunciatio ns.1.Col.num.4.*Viuis,& viuis,non ad deponendam,ſed ad confirmandam audaciam.*

Similitudo.

Inter figuras ſententiarum aptiſſimæ mihi videntur ſimilitudines; qualis eſt illa 1.de orat.n. 152.*Vt concitato nauigio,cùm remiges inhibuerunt retinet tamen ipſa nauis motum, & curſum ſuum, intermiſſo impetu,pulſuque remorum: ſic in oratione perpetua, cùm ſcripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua curſum ſcriptorum ſimilitudine,& vi concitata.*

Acutè dicta.

Sententiæ,& acutè dicta. Ciceronis illud eſt quod egregiè terminat periodum, pro Deiot n. 30.Vbi id quod intus eſt,atque noſtrum, impunè euolare poteſt,contraque nos pugnare:*Fit in dominatu ſeruitus,in ſeruitute dominatus.*

Pvnctvm XV.

Variandæ periodo caſus idonei.

NOn minus ornamenti adferunt aptæ tranſitiones, quæ periodos inter ſe nectant:hinc enim potiſſimum ſtyli pulchritudo effloreſcit. Qua in re iuuabitur Orator ſi modo hæc duo obſeruet.Primum quidem,vt magna varietate ſententiam exprimat: quod facilè aſſequetur beneficio figurarum, &. mutatione caſuum: multis enim modis immutari poteſt eadem ſententia. Sit mihi [illegible] propoſitum ad dicendum. Eloquentia plurimum valet,ſine arte poteſt explicari hoc ferè modo.Eloquentia dicendique facultas per ſe plurimum poteſt.

Per interrogationem.Quid eſt eloquentia, dicendíque facultate præſtantius?

Per exclamationem. ô vim incredibilem eloquentiæ!

Si caſum mutare placet, atque adeò genitiuo vti;Magna profectò vis eloquentiæ in vtramque partem,vt & qui.

Si datiuo;Eloquentiæ vis nulla deeſt, nulla facultas.

Accuſatiuo; Eloquentiam nemo neſcit plurimum poſſe,& in liberis hominum mentibus dominari.

Alterum eſt,vt communes quaſdam tranſitiones,& nectendarum periodorum formulas ex oratore colligat, & reuocet in vſum quoties ad ſcribendum accedit.

Fieri ſolent per apoſtrophem.*Sed quæro à te. Atque illud etiam ex te ſcire cupio.*Vatin.30

Per repetitionem. *Deſinant, deſinant homines iiſdem machinis ſperare me reſtitutum poſſe labefactari,quibus antea ſtantem perculerunt.*Pro domo. n.27.

Per conceſſionem.Pro Quint 56.*Verùm quoniam tu tibi id arrogas,& concedi poſtulas?Concedamus. Verùm hoc quoque vobis remitto. Quamquam quid loquor.*

Per exclamationem. Verr.5.n.138 *ô impudentiam ſingularem!hic poſtulat ſe Romæ abſolui,qui in ſua prouincia iudicauit,ſe abſolui nullo modo poſſe?*

Per gradationem.*Nihil addi iam videtur Iud. poſſe.*.

Per comparationem.*At vide quantum futurum ſit inter meam, tuamque accuſationem.*

Is mihi etiam gloriabatur,ſe omnes magiſtratus ſine repulſa aſſecutum?Nunquamne homo amentiſſime te circumſpicies? quæ deprecatio igitur eſt illi reliqua?

Per communicationem.*Nam ego Iud. iam vos conſulo.*

Per dubitationem. *Quid agam? quid conſilij capiam? Equidem quod ad me attinet,quò me vertam neſcio.*

Per

Per exempla. *Quid de illis honeſtiſſimis viris.*

Id verò potiſſimum vſurpandum, cùm ab vno argumento ad aliud gradum facimus. Tunc enim illuſtranda eſt tranſitio inſigni aliqua figura, vt recreatus auditor attentionem renouet. Obſeruandum eſt diligenter memoriæ commendandas, non ſolùm antecedentes dictiones, ſed etiam conſequentes. *Prægeſtit animus audire. Sed quoniam emerſiſſe iam è vadis, & ſcopulos videtur prætervecta oratio.*

Nam cauſa perorata, res ipſa & periculi magnitudo poſtulat.

Nemo ferè veſtrum eſt quin.

Etenim recordamini.

Superiore oratione quæſiui, oſtendi, docui, reliquum eſt.

Cognoſcere aliud hominis factum.

Expectate dum ego dicam.

Verè mihi videor hoc eſſe dicturus.

Sentio moderandum mihi eſſe orationi meæ,

Sed iam hoc totum omitto,

Forſitan quæratis.

At per Deum immortalem quid eſt! Scio quid liceat.

Quæ, malum eſt, iſta ratio?

Vereor ne aut moleſtus ſim vobis, &c.

PVNCTVM XVI.

Vſus periodi.

PEriodicè loqui, eſt ſententiam, quæ membro vnico concludi poteſt, aut altero tribus, vel quatuor, vel pluribus fundere, vberiori quadam, & longiori comprehenſione, quæ tùm perfecta eſt, cum à primo membro ſuſpenſa ſemper oratio, ſic incedit, vt in ipſo tandem fine conquieſcat. Igitur dilatare periodum is dicitur, qui ſententiam in plura membra diuidit, aptéque diſtribuit, iterumque membra pluribus inciſis auget. Eſto hæc ſententia fuſiùs dilatanda.

Periculoſa pars humanæ vitæ adoleſcentia.

Primò, ſi vnico mẽbro eóque numeroſo coërcere velimus iſtam ſententiam. Lubrica pars humanæ vitæ adoleſcentiæ curſus ineuntis.

II. Augere volumus membrum illud inciſo addito? Lubrica pars humanæ vitæ, periculoſis impedita flexibus adoleſcentiæ curſus ineuntis.

III. Eandem ſententiam in duo membra partiri vis? Lubrica pars humanæ vitæ vſque adeò periculoſis impedita flexibus adoleſcentiæ curſus ineuntis, vt in ipſo ſæpè carcere miſerrima prolapſione præcipitet.

IV. Tribus membris ſic augetur. Lubrica pars humanæ vitæ, periculoſis impedita flexibus adoleſcentiæ curſus ineuntis: cuius eò grauior lapſus extitit, quòd in ipſo carcere miſerrima prolapſione præcipitet.

V. Sic perfici poteſt, & figuris ornari periodus. Lubrica pars humanæ vitæ, periculoſis impedita flexibus adoleſcentiæ curſus ineuntis: vſque adeò ſanè miſera & imbecilla, vt vel maximas laudes vitio corrumpat, vel ſola vitia ſuis in maximis laudibus numeret, in flore obnoxia, in forma nocens, in ipſa innocentia rudis, & expers, cui vigor ad facinus ardor ad libidines, facilitas ad inconſtantiam lenocinatur.

Habemus dilatatam ſententiam, ſuis diffuſam membris diſtinctam inciſis, antithetis, diſtributione, Iſocolis ornatam, numeris denique aptis incluſam.

Iuſtitia laudabilis virtus atque fructuoſa Simplex periodus hæc eſt.

Omnibus in rebus iuſtitiæ non ſolùm dignitas, ſed etiam vtilitas eſt maxima.

Creſcit vno membro. Vt dignitatem affert ſingularem iuſtitia, ita præclaros fructus & emolumenta in vtramque partem tanta producit, vt vix acceſſio maior ad illam fieri poſſe videatur.

Funditur in trimembrem. Si tantum iuſtitiæ tribueretur ab omnibus, quantum humano generi confert dignitatis, & fructus inter mortales nemo improbus, nemo haberetur iniuſtus.

Quadrimembris erit. Quamvis iuſtitiæ cum vtilitate tanta ſit coniunctio, tanta neceſſitas, vt nihil vtile futurum ſit à Iuſtitia ſeparatum perindè tamen ius, & æquitas negligitur, pleriſque, ac ſi ea remotâ proſperè, beatéqui viueretur.

Orator dicendo facilè ſe doctum probet.

Bimembris erit illa periodus, in orationibus iudi-

Digitized by Google

iudiciorum, concionum, ſenatus facilè declaratur, vtrum is qui dicit, ad dicendum omnibus ingenuis artibus inſtructus acceſſerit.

Trimembris. In orationibus iudiciorum concionum, ſenatus facilè declaratur vtrum is qui dicit tantùmodo in hoc declamatorio ſit opere iactatus; an ad dicendum omnibus ingenuis artibus inſtructus acceſſerit.

Quadrimembris erit, ſi præfigas hanc ſimitudinem. Vt qui aliquid fingunt etſi tum picturâ nihil vtuntur: tamen vtrum ſciant pingere, an neſciant, non obſcurum eſt: ita in orationibus iudiciorum.

LECTIO V.

Prima ſpecies exercitationis.

Auditio.

NOn eſſe leuis momenti ad profectum auditionem ait Quintil: 10. cap. 1. ſiue docentem, ſeu quempiam à laudatis ſcriptoribus dicentem audias, *Excitat enim qui dicit ſpiritu ipſo, nec imagine, & ambitu rerum, ſed rebus incendit. Viuunt enim omnia, & mouentur, excipimuſque noua illa velut naſcentia cum fauore ac ſollicitudine. Nec fortuna modò iudicij, ſed etiam ipſorum, qui orant periculo afficimur. Præter hæc vox, & actio decora, accommodata, vt quidquid quiſque locus poſtulabit pronunciandi, vel potentiſſima in dicendo ratio, & vt ſemel dicam pariter omnia docent.* Hinc frequentes olim conuentus ad audiendos Poëtas. Iuuenalis Satyra 7.

Curritur ad vocem iucundam, & carmen amicæ
Thebaidos, latam cùm fecit Statius vrbem:
Promiſitque diem; tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur.

Multò magis auditi Oratores in iudiciis, in quibus maior ardebat actio, iuuenum animos inflammabant. Hic auditus Demoſthenem eloquentiæ principem fecit Athenis. Puer enim cùm audiſſet Calliſtratum in foro cauſas agetem, illius ſic æmulatus, eſt gloriam, vt eloquentiam maiori laude ſit aſſequutus.

Vnde nil mirum ſi viri prudentes auditum diſciplinæ ſenſum, & intelligentiæ dixerint, vt qui nobis rebus pulcherrimis adipiſcendis inſeruiat. Longè tamen illuſtrius eſt ad auditus commendationem, quod ait Plutarch. ſcilicet auditum eſſe παθικοτάτην πάντων, ad motus animi ciendos maximè proprium; quòd nihil eorum quæ viſu, tactuque, & aliis percipiuntur, tantas mentis commotiones adferat, quanti animum occupare ſolent dum ſonitu, & fragoribus aures complentur; immò λογικωτέραν eſſe non diſſimulat, hoc eſt rationi, diſciplinæque opportunũ. Quare Theophraſtus ἀμφοτέρας auriũ munimẽta pueris, quàm potius Athletis admoueri præcipit, nẽpe cautiones quaſdã ad audiendum dari. Non tamen ſic accipienda ſunt auditionis præcepta, vt moralis Doctor Plut. velit in nobis aſininas aures, vt Midæ; vel præciſas, vt ſpadonis Perſæ: vel ictibus laceras, vt Entelli: vel foratas, vt Platonis: vel immane quantum patulas, & enormes, vt Indicæ gentis fabuloſæ; non curioſas, vt Otacuſtarum; non præſtigiis illuſas, vt fanaticorum; nec tinnitu reſonantes, vt amãtium: nec ſciſſas atque diuiſas, vt Ceruorum: Sed eruditas, ſed puras ſed à putidis, ineptiſque ſermonibus tutas, & incorruptas.

PVNCTVM I.

Auditionis præcepta.

Non curioſa.

PRimum igitur in præceptis eſt, vt auditurus, cum curioſitate inducias faciat: vt enim in vtres aquæ plenos, & ſpiritus nihil poteſt immitti, niſi prius ab eis egeratur: ita nec in animum, niſi vitium hoc prius euellatur; quod ſcilicet efficit, vt præpoſterè accipiat auditor omnia, eaque tantum ferè deligat; quæ carpere poſſit in circulis: aut mordere, quod eſt moleſtum pluribus, & odioſum.

Non leuis.

II. Eſt, non hærendum in leui quadam, & polita verborum ſuperficie, ſed ad inuentionis ſubtilitatem, diſpoſitionis ordinem, ad eloquentiæ

vim

vim attendere debet auditor : neque illa dumtaxat inſpicere proderit,ſed in dicẽdo grauitatem, & in geſtu motúque decorem. Oculi imprimis de re tota in conſilium aduocari debent, qui venuſtatis,& excellentiæ ſunt iudices.Noſmet cum dicente componamus , liuore tamen amandato; in dicentis oculis noſtros intueamur, in habitu, motu , geſtúque noſtrum recognoſcamus , quod Platoni familiare fuit,qui cum peccantem vidiſſet Oratorem,vel audiſſet,hoc à ſeipſo percontabatur.Numquid & ego talis ſum?

Sollicita.

III.Vt nos receperimus diſputatum argumentum animo reuoluamus ; & idipſum elegantiùs dicere,vel emendare nonnulla ſtudeamus;in iiſque,vel paribus argumẽtis conficiendis laboremus,inſiſtamuſque diutius, donec exiſtat maturitas quædam atque perfectio.

Diligens.

IV.Si quid elegans aut venuſtum auditum ſit, id vero annotare ne pigeat , vt in vſum transferatur aliquando : & imitari pudeat nos mulierculas,quæ ſerta curioſè compingunt , ſolamque florum venuſtatem ſectantur,ſed apiculas potius referamus , quæ mel ex iiſdem conficiunt.

Prudens.

V.Non decet auditorem rebus quiſque percelli,ſed dicta potius ad examẽ, trutinamque reuocare , & quæ ſapientum hominum iudicio probantur amare. Vt enim nihil admirari contra quam vulgo putetur , non eſt admodum ſapientis,ita quáuis oratione concitari,hominis eſt non intelligentis.

LECTIO SEXTA.

Secunda ſpecies exercitationis.

Lectio.

PRimum quidem nobis,vt Pytagoræis , benedicẽdi rudimentum eſſe debet *Tacere* diſcereque audiendo,non quinquennio ſolùm ſed tota vita cum Socrate qui iam è carcere , vinculiſque corporis euolaturus , amicis de virtute ſermonem inſtituentibus,moribundum caput attolens,veſtrum ſermonem audire cupio , inquit,& in iſta mori voluptate. Sed alterum etiam eſt ad eandem facultatem adiumentum , lectio frequens,& attenta , ſine qua languet mens omnis, atque ingenium torpeſcit. *An tu exiſtimes*,ait Cicero pro Archia , n. *aut ſuppetere nobis poſſe quod quotidie dicamus,in tãta varietate rerũ,niſi animos noſtros doctrina excolamus* ? Indè [& ingenio lumina,& animo vis,& in dicẽdo læta,honeſtáque varietas,atque mentis vtiliſſima in dies,ac beata cognitio gignuntur. Vt veriſſimè dictum ſit ab Ambroſio frequentem lectionem doctrinæ munus operari.

Præclarè Cic.3.de orat.*Omnis loquendi elegantia quamquam expolitur ſcientia litterarum,tamen augetur legendis oratoribus, & poëtis.* Quod egregia ſimilitudine ſic exornat 2.de orat.n.60.*Quid ergo eſt, fatebor aliquid tamẽ:vt,cum in ſole ambulem etiamſi aliam ob cauſam ambulem, fieri natura tamen,vt colorer : ſic cùm iſtos libros ad Miſenum ſtudioſius legerim , ſentio orationem meam, illorum cantu quaſi colorari.*

Non alia mens Senecæ Phil. 108.*Qui in ſolem venit,licet non in hoc venerit,colorabitur,qui in vnguentaria taberna reſederunt,& paulò diutius commorati ſunt , odorem loci ſecum ferunt. Et qui ſcriptorem legerunt, traxerint aliquid neceſſe eſt,quod prodeſſet etiam negligentibus.*

Rationem reddit Epiſt.84.*Alit enim lectio ingenium,& ſtudio fatigatum , non ſine ſtudio tamen reficit.*

PVNCTVM I.

Lectionis Monita.

Conſtans & aſſidua.

DE lectione ſit hoc primum monitum, in ea verſãdum diutius ,vt quæ olim aciem mentis fugerunt,ea ſtudio conſequamur , & ingeniũ vtili rerum cognitione excolamus. Id fecerunt ſummo iudicio viri , qui fuere πολυμαθεῖς,& nomine ſapientiæ commendari:talis Lycæi clarum

Digitized by Google

decus Ariſt. quem diuini vir viri ingenij Plato agnoſtem, hoc eſt perpetuum, ſtudioſiſſimumque lectorem nuncupauit: talis rerum æſtimator intelligens Cato, quem ea cauſa Tullius librorum helluonem vocauit: tali magnus ille quondam Theodoſius Imperator, qui diurnis lectionibus minimè contentus, nocturnas etiam addebat, & lucernam ἀυτόματον in eam rem fieri curauerat, ad continuam lucem tuendam: quod opus non tàm fuit ipſo artificio mirabile, quàm tanti viri vigilantia, & doctrinæ ſtudio, cuius famam nulla vnquam delebit obliuio.

Lectionem multum ſibi temporis expoſcere ait idem ſcriptor nobilis. Eſt enim illius prudens monitio ep. 84. *Inter ſtudia verſandum eſt, & inter auctores ſapiẽtiæ, vt quæſita dicamus, nondũ inuenta quæramus*; tùm ideò ſe lectionibus operã dare dicebat, ne ſim me vno contẽtus; deindè, vt cùm ab aliis quæſita cognouero, tum & de inuentis iudicem, & cogitem de inueniendis.

In iſto ſapiente duos lectionis fines animaduertere eſt: alterum commẽtationem ſtudiorum ne tædium patiaris; alterum ſuppellectilem ad ſcribendum. Vt enim vires niſi cibo reparentur, intercidunt; ita nullus eſt adeo felix naturâ, qui ſemper noua dicere poſſit, aut ſcribere, niſi animum lectione paſcat, & librorum velut cibo reparet. Quare præclarè electionem vocat *orationis pabulum* Apollonius Rhodius apud eundem Senec. Socrates verò θυσαυρὼς priſcorũ ſapientum theſauros, quos καλλίστων ἐν βιβλίοις in libris ad commune bonum reliquerunt.

Pvnctvm II.

Modus in legendo ſeruandus

HOc ſecundum eſt in monitis, coërcendam eſſe nimiam legendi cupiditatem, & inſatiabile deſiderium, helluonibuſque librorum imperandum, vt ſibi temperent, & meminerint breuem eſſe mortalium vitam; libros propè infinitos, quare in tanta copia, optimos quoſque deligendos. Sed audiendus hac in re maturo iudicio Philoſophus Sen. qui ſic ait de Tranq. 9. *Vitioſum eſt vbique quod nimium eſt*; verè enim confuſione mentem obuoluit plurimorum librorum euoluio curioſa.

Sapienter omnino 2. epiſt. *Non refert quàm multos habeas, ſed quàm bonos. Illud vide ne iſta lectio multorum auctorum, & omnis generis voluminum habeat aliquid vacuum, & inſatiabile. Certis ingeniis immorari, & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Nuſquã eſt, qui vbique eſt. In peregrinatione vitã agentibus hoc euenit, vt multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat neceſſe eſt iis, qui nullius ſe ingenio familiariter tranſmittunt. Non prodeſt cibus nec corpori accedit, qui ſtatim ſumptus emittitur. Nihil æquè ſanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebrò medicamenta tentantur. Non conualeſcit planta quæ ſæpè transfertur. Nihil tàm vtile eſt, quod in tranſitu proſit. Diſtrahit animum librorum multitudo. Itaque cùm legere non poſſis, quantum habueris, ſat eſt habere quantum legas. Sed modo (inquis) hunc librum euoluere volo, modo illum. Faſtidientis ſtomachi eſt, multa deguſtare; quæ vbi varia ſunt, & diuerſa, inquinãt nõ alunt. Probatos itaque ſẽper lege: & ſi quãdo ad alios diuertere libuerit, ad priores redi. Onerat etenim diſcentẽ turba, nõ inſtruit: multo que ſatius eſt paucis te auctoribus tradere, quàm errare per multos*, ſubdit de Traq. cap. 9. *Sic igitur illi voracitati occurrendũ*, atque vt benè Fabius, l. 10. c. 1. Non niſi optimus quiſque legendus, & qui credentem minimè fallat.

Pvnctvm III.

Attenta & Moroſa.

CVrioſitatem, quam D. Bern. damnoſam peritiam ſerm. 5. de modo benè viuẽdi nominat, vbi quilibet ingenioſus, & docilis coërcuerit tertium meminerit, non eſſe deproperandum, non multa curſim legenda, ſed multum, hoc eſt monente Quintiliano, l. 1. c. 1. Diligenter & penè ad ſcribendi ſolicitudinem; nec per partes modò ſcrutãda omnia, ſed perlectus liber vtique ex integro reſumẽdus præcipuè oratio, cuius virtutes frequenter ex induſtria quoque occultantur. Sæpè enim præparat diſſimulatim inſidias Orator,

Digitized by Google

atque in prima parte actionis dicit, quæ ſunt in ſumma profutura: itaque ſuo loco minus placent, adhuc nobis, quare dicta ſunt ignorantibus ideoque erunt cognitis omnibus reperenda.

Hic mihi venit in mentem Plinij, recitatorem quidpiam perperàm pronunciantem, interpellantis, & vi repetere iam dicta penè cogentis, ad quem ille ſubiratus; an intellexeras? annuit ille. Cur ergo reuocabas? Decem verſus & amplius tua iſta interpellatione moleſta perdidimus. Præpoſtera meo iudicio legendi conſuetudo. Aliquid non cepiſti? repetatur: arridet quidpiam commorare: ſubtiliter, & acutè dictum? fige pedem, attentè pronuntia: magnifice? mirare per otium, donec memoriæ tenaciter inhæreſcat. *Lectio Libera eſt*, ait pulchrè Fabius ibidem nec actionis impetu tranſcurrit, ſed repetere ſæpiùs licet, ſiue dubites, ſiue penitus memoriæ defigere velis. Repetimus autem, & tractamus, & vt cibos manſos, ac propè liquefactos demittimus, quò facilius digerantur: ita lectio non cruda, ſed multa iteratione mollita, & velut confecta memoriæ imitationique tradatur. Helluonis eſt dum cibum aliquem terit, reliquos deuorare: Faciunt id ſues, & dum glandem ingerunt, gruniunt ſimul ad reliquas nihil te torqueant cæteri, donec vnum duxeris ad vmbilicum. Non enim aliter filium operis, vt dicitur; & textum, totiuſque corporis pulchritudinem inſpicimus, neque integras, ſolidaſque nobis ideas confingimus; quot præteruolant non intellecta? quot vel etiam attentam mentis aciem fugiunt? Sic auidi vt plurimum, & curioſi oculi delibant curſim libros, aut præproperè vorant, vix guſtatos abiciiunt faſtidioſi, nec ex illis fructum vllum percipiunt.

PVNCTVM IV.

Prudens & accurata.

IMirãdi ſunt illi quibus res familiaris apprimè curæ eſt, qui nihil negligunt, ſed quibus in rebus poſſint vti ſingulis, ſecum ipſi deliberent: ſic inter legendum ſubindè cogitandum, & quæ in negotio nobis eius rei vſus veniet: eo enim colore, & præſentis auctoris luce innumera occurrunt, quibus vna eademque hiſtoria applicari queat, pro cuiuſque affectu, & ſtudiorum fine, & futurorum prouidentia: Cribro penè hauſta commendat, qui nihil notat.

Attendamus quid hic faciant, qui ſemel hortum amœniſſimum ſunt ingreſſi, non ſecum omnia eius ornamenta deferunt, ſed è diuerſis areolis decerptum floſculum, in ſerta compingunt: ſic è lectione varia, atque multiplici vnum facere ſertum eloquentiæ poſſumus.

Scienter in hanc rem dixit in toga Romanus Philoſophus epiſt. 84. *Apes imitari debemus, & quæcumque ex diuerſa lectione congeſſimus, ſeparare: melius enim diſtincta ſeruantur, deinde adhibita ingenij noſtri cura, & facultate in vnum ſaporem varia illa libamenta confundere: vt etiam ſi apparuerit vnde ſumptũ ſit, aliud tamen eſſe quàm vndè ſumptum eſt, appareat. Quod in corpore noſtro videmus ſine vlla opera noſtra, facere naturam. Alimẽta quæ accepimus, quandiu in ſua qualitate perdurant, & ſolida innatant ſtomacho, onera ſunt: at cùm ex eo, quod erant, mutata ſunt; tunc demum in vires, & in ſanguinem tranſeunt. Idem in his, quibus aluntur ingenia, præſtemus: vt quæcumque hauſimus, non patiamur integra eſſe, nec aliena ſint, concoquamus illa, alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium. Vnũ quidpiam fiat è multis, ſicut vnus numerus fit ex ſingulis, cùm minores ſummas, & deſidentes computatio vna comprehendit. Hoc faciat animus noſter. Omnia, quibus eſt adiutus abſcondat ipſum tantum oſtendat quod effecit. Etiamſi alicuius in te apparebit ſimilitudo; quem admiratio tibi altiùs fixerit, ſimilem eſſe te volo, quomodo filiũ, non quomodo imaginem. Imago res mortua eſt.*

PVNCTVM V.

Ordinata.

VT lectio ſit vtilis, & diſcentem iuuet, ordinata eſſe debet; nimirum ab exordio liber euoluatur, nec inchoetur à medio, nec interciſa lectione media omittatur, tum quævis verbis inſit, propriane, an tranſlata notandum: ad eleuandum idonea, an augendum, inſitne verbis ſententia, an figura; ſtylus, ſeu numerus qualis ſit. Sint ad manus libelli, quò res, & verba diſponantur certo cũ ordine, vt reuoluẽti ſtatim occurrant: I. quæ ſpectant ad mores, virtutes & vitia: II. Ritus gentium, tùm ſacros, tùm prophanos: de

conuiuiis,bello,veſtibus.III.Quæ politica ſunt, de regnis,de legibus,Rebuſp. IV.Quæ naturalia ad Philoſophiam pertinent,vt elementa,meteora,lapilli,animalia.V.Quæ ad perſonas priuatas, Alexander, Cicero, Cæſar; Publicas, Medicus, Rhetor, Aſtrologus, Theologus. VI Quæ contingunt artes mechanicas, nautica, pictura,palæſtrica: Ad liberales,Aſtrologia, Arithmetica, Muſica; denique Chronologica,ſeu quæ ſeriem temporum,Regnorum & Hiſtoriarum.

PVNCTVM VI.

Librorum delectus.

MAgnificum planè,nimiſque glorioſum nomen ſuis libris indidit Hermes, dum illos ambitioſè vocauit τῆς ἀθανασίας φάρμακον, quod pharmacum immortalitatis continerent: nec enim conuenire poteſt in omne genus librorum: quippe multos reperias,in quibus non tàm medicina,quàm venenum propinatur.Prudentis eſt igitur videre,qui attingendi, qui repudiandi ſint Rhetoribus E muſæis,manibuſque debent abeſſe,& inutiles, & perniciosi,quia continent,quæ neque ſcire compendium; neque ignorare detrimentum eſt.

Quinam porrò cæteris anteſtent omnium generum auctores,& quis rurſus in ſingulis excellat, copioſè compoſiti iudicij vir Fabius aperit, illoſque multis dilaudat, ſed in his ipſis præcipuum Ciceronem,& ferè ſolum,qui eſt omnes in omni laude eloquentiæ antegreſſus: grauem in laudando,acerbum in vituperando,in ſententiis argutum,in diſſerendo ſubtilem, vbique Cic.lib.10.cap.1.

Sed aliud eſt legere ad expoliendum ſtylum; aliud ad res inueniendas, & cognoſcendas, pro rerum materia omnes: pro ſtylo,pauci legendi ſunt: poetæ quidem,modo molles,& fracti verſuum opifices,& libidinoſi,modò laſciui cupidinis fœtus,quibus caſtitas defloreſcit, virtus, & innocentia concidit, penitus è manibus excutiantur;terantur puri dumtaxat, & ab omni turpitudine,obſcœnitateq; repurgati, more apum, quæ mortuis, ne floribus quidem, nedum corporibus inſident, & mel veneno illitum dulce non eſt.Sic ab ijs, & in rebus ſpiritus,& in verbis ſublimitas,& in affectibus motus omnis, & in perſonis decor petitur, præcipuéque velut attrita quotidiano actu forenſi ingenia, optimè talium rerum blanditiis reparantur.

Dabit Epigramma ſales, & acrimoniam orationi,elegantiam;argutias, vrbanitatem, acumina,lepóres

Satyra:Libertatem,dentem genuinum, acrem, & validam ironiam, & timendam cum morſu increpationem.

Comœdia;ſermonis facilitatem in narrando, Æthopœiam;ſermonem cultum, & vrbanum.

Tragœdia grandiloquentiam, motus animi vehementes,& inflammatos,maieſtatem dictionis, ſententiarum dignitatem, figuratum copiam;& lumina.

Lyrica;ſublimem quendam volatum,& ſpiritū cœleſtia affectátem,ſine quo ſerpit exornatio.

Heroïca poëſis,cum maieſtate,ac magnificentia ſingulare rerum, ac verborum ornamentum adiiciet.

Elegia,facilitatem addet, vimque ſingularem ad querimonias,cæteroſque affectus,ad maieſtatem,miſerationemque comparatos.

Hiſtoria quoque legenda; nam alit molli iucundoque ſucco, & rerum exemplorumque cognitionem inſtruit, ac copiam vberem ſuggerit: Sed ita vt ſciamus pleraſque eius virtutes Oratori ad imitandum eſſe propoſitas.Si quidem eſt proxima Poëtis, & quodammodo carmen hoc ſolutum ſcribitur ad narrandum,non ad probandum,neq; ad pugnam,ſed ad poſteritatis memoriam,vt ingenij famam,ideoque, & verbis liberioribus;& remotioribus figuris tædium euitat. Itaque nunquam ſatis Cæſarē euoluemus, adeò terſum;purum,ac politum,vt vocabulum inſolēs veluti ſcopulum aliquem fugiſſe dicatur.Nec illa Saluſtiana breuitas ſatis commendari poteſt,qua nihil apud aures vacuas, & eruditas poteſt eſſe perfectius:nec illa Liuij lactea vbertas ſatis laudatur, qui non ſpeciem expoſitionis, ſed fidem quærit.

Philoſophorum quoq;ſcripta terenda ſunt;non ita tamen,vt in eorum ſpinis;& oratione macilenta diutius hæreamus.Illos potiſſimum habere debe-

Digitized by Google

debemus in manibus, qui artis, & ingenij divitias ſuppeditant, qui vim argumentandi copioſam ſuggerunt, qui in moribus componendis, affectibuſque moderandis diſputant, qui de iuſtis, honeſtis, vtilibus, eorumque contrariis dicendi materiam eruditione multiplici orationem inſtruunt, ac iudicium præparant.

Denique cum Tullio, qui 1. de orat. num. 158. eloquentem informat; omniũ bonorum artium ſcriptores, & Doctores & legendi, & pervolutandi, modo nequitiæ duces, & inſolentis temeritatis auctores nó attingamus, laſcivam poëſim interpretor, flammis non oculis dignam, à qua nihil referri poteſt, niſi temporis, & animæ diſpendium. Venenum eſt, ſed in aureo poculo: & quid attinet, vndè tandem illud ebibatur? mortem affert: ſed aureo mucrone: quid tum, minuſne idcircò miſer interibis? è cœnoſis auctoribus, quid niſi cœnum, ſordeſque reportemus; fac eſſe maximum ab his fructum, qui tamen, aut nullus eſt, aut vix vlli cognitus. Eſtne tanti cuipiam mollior, & fracta loquutio, vt pro ea factum ad immortales cœli delicias animum æternis cruciatibus addicat? Eſtne tanti floſculus, vt eius cauſa totum ſterquilinium, tamque pernicioſam animæ ſentinam movere velis? ſuadent illi ipſi, qui malè mala ſcripſerunt, & quaſi lue icti peſtifera clamant eminùs, cum laſcivo præceptore.

Eloquar invitus, teneros ne tange poetas,
Submoveo dotes impius ipſe meas.

LECTIO VII.

Alia ſpecies exercitationis.

Cogitatio.

ELoquentiæ magiſtri duplicem dicunt eſſe cogitationem Oratori neceſſariam: alteram quæ ſcriptioni connexa quidem eſt, ſed eam præcedit; alteram quæ ipſius ſtyli, & ſcriptionis vice fungitur.

PVNCTVM PRIMVM.

Meditatio.

PRima ſpecies illa eſt, quæ audita, lectaque digerit, de qua ſcitum illud ſapiens oraculum μελέτη τὸ πᾶν, omni in exercitatione poſita, nec quicquam eſt tàm difficilè ait Sen. 1. de Ira cap. 12. quod non humana mens vincat, & familiaritatem producat aſſidua cogitatio: ab ea petitur omnium artium abſolutio, ab eâdem proficiſcitur eloquentia, niſi præmaturum quendam animi fervorem coquat, ac digerat incondita inornataque temerè effutiri oportet.

Pictorem quendam circumforaneum Apelli ferunt obtuliſſe tabellam, quam ſe illo die, immò paucis horis duxiſſe, leviter nimis, ne dicam arroganter, iactitaret. Enim verò inquit prudenter Apelles, nihil erat cur moneres, id opus ipſum ſatis admonet.

Bellè quidem Ariſtides à Marco Imperatore rogatus, quando tandem ad ſe venturus eſſet, diem inquit craſtinum tolle, ac perendiè vadimonium obibo, οὐ γάρ ἐσμεν τῶν ἐμούντων, ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων. Nec enim ſumus de numero vomentium, ſed laborantium. Vide tandem quanti faceret ea quæ non funduntur ex tempore, & properante calamo excidunt potiùs, quàm ritè, & ab animo cogitata, ad manum proficiſcuntur.

Itaque meditatio, tùm eam ob cauſam eſt adhibenda, tùm etiam quod memoriæ non planè ſit abſimilis, quæ eò capacior redditur, quò plura recipit: ita & hæc quò frequentius exercetur, eò ad maiora præparat animum. Hoc igitur primum ſtatuatur in præceptis, commentationis vſum non tantum eſſe, cùm ſcribere oportebit, ſed quamvis nihil ſcripturus ſis, ad exercitationem tamen aliquod argumentum deſumi poſſe, quod apud animum recolas, quod illuſtres, quod expolias inventionis ſubtilitate, ſententiarum luce, cæteriſque luminibus eloquentiæ, ſin autem eò commentationem deſtinas, vt ſtylum exerceas.

Digitized by Google

Pvnctvm II.

Seceſſus ac ſolitudo.

SEcundum præceptum eſt vt ſeceſſum quæras quoad eius fieri poterit,&animum moleſtiis curiſque gravioribus ægrum minimè adferas, nam non tantum quod cecinit Ovidius.

Carmina ſeceſſum ſcribentis,& otia quærunt.

Sed ipſa præ cæteris meditatio. Docuit hoc Demoſthenes,qui non tantum commodas ad cogitandum horas aſſumebat,ſed etiam in eum finem ſpecum ſibi ſubterraneum conſtruxerat, ne avocari penitus ab illo poſſet.

Docuit Cato ſapiens,homo ſanè lingua,& intelligentia præſtantiſſimus,qui priuſquam in forum deſcenderet,ſe diligenter exercebat,ac meditabatur: Et quidem in remoto ab auditoribus loco. Neque enim, vt eſt in Hiſtoria,in quotidiana meditatione quiſquam eum declamantem audiebat.Vndè quibuſdam amiciis id ſilentium, à multis,ſolitudinemque reprehendi dicentibus, memoria dignam hăc ſententiam reliquit ἄρξομαι λέγειν, ὅταν μὴ μέλλω λέξειν ἄξια σιωπῆς, tum ſe venturum ad dicendum,cum ea quæ dicturus eſſet, non tàm ſilentio, quàm omnium prædicatione,admirationeque digna viderentur. Ita qui perſonam oratoris ſuſtinere debet,ac tueri,parat & inſtruit illa in ſolitudine,ac ſeceſſu,quæ, cum audiunt viri eruditi,laudibus, & gratulatione proſequuntur.

Pvnctvm III.

Meditationis vſus.

TErtium duplicem videri rationem,qua prælecta digerere commentatione poſſit. Primam quidem, modo conſtiterit tibi definitum argumentum, ea pertractes animo, quæ circa id aliquando legeris, & annotaueris, eorumque, & expingendorum, & ordinandorum modum quæras aliquem. Secundum,vt ſumptum ſtatim argumentum, quibus rationibus confirmari, quibus exornari figuris poſſit,diſpicias, quæ vbi conſtiterint velut orationis fundamenta,tum ad ea locupletanda,multos Doctores conſulas. Vbi res,qua de acturus eſt Orator,perfectè cognitam habuerit, ſeponantur,quæ orationis ornamenta futura ſunt.

Species cogitationis poſterior eſt ea, quæ vicem obit ſcriptionis, eſtque Fabio, 10. cap. 6. inter ſcribendi laborem, extemporalemque fortunam media quædam,& neſcio an vſus frequẽtiſſimi. Nam ſcribere, nec vbique, nec ſemper poſſumus, cogitationi temporis, ac loci plurimum eſt: hæc paucis admodum horis magnas etiam cauſas complectitur.

Neque verò omnibus illud eſt ingenium,quod Auguſto Cæſari,quem ait, in ipſius vita Tranquillus,nec apud populum,nec apud milites,nec in Senatu, loquutum quidquam niſi meditata, & compoſita narratione, quamvis non adhibita extemporali facultate:ac ne memoriæ periculum adiret, aut in dicendo tempus abſumeret, ſua omnia recitare inſtituiſſe ſermones quoque cum ſingulis, atque etiam cum Livia ſua graviores nonniſi in ſcriptis,& è libello habuiſſe,plus minuſvè loqueretur ex tempore. Ne tamen putet aliquis ſatis eſſe profundere quidquid ad linguam venerit, nonnullis ad hanc exercitationem cautionibus ſive præceptis animos comparandos eſſe putamus.

Pvnctvm IV.

Meditationis monita.

I PRæcepta quædam cogitationis enumerantur à doctis. Ac primo quidem majore, licet minus diuturna,hîc opus contentione,quàm in ſcriptione ipſa videri: quippe, quæ cartis ſemel tradita ſunt quaſi prædem nobis,ac fide iuſſorem dederit,qui nos eorum cura libraret.At in cogitatione omnia, donec pepereris, animo concepta geſtare neceſſe eſt. Recurrat illud eloquentis Galbæ de quo Tull. in Bruto num 87. qui delata ad ſe à Publicanis,cauſa,à Lælio primum prorogata, quaſi comperendinatus medium diem ſcribitur, quem totum in conſideranda cauſa, componendaque poſuit, & cum cognitionis dies eſſet, & ipſe Rutilius rogatu ſocio

Digitized by Google

ſociorum domum ad Galbam mane veniſſet, ut eum admoneret, & ad dicendi tempus adduceret; uſque illum; quoadei nuntiatum eſſet conſules deſcendiſſe, omnibus excluſis commentatum in quadam teſtitudine cum ſervis literatis fuiſſe: quorum aliud dictare eodem tempore ſolitus eſſet. Interim cum eſſet ei nuntiatum tempus eſſe, & exiiſſe in ædes eo colore, & iis oculis, vt egiſſe cauſam, non commentatum putares.

II. Alterum eſt ejuſmodi facultatem multò ante ſtylo comparandam, neque ad hanc vim cogitandi perveniri poſſe, aut citò, aut ſubitò: nam primò facienda multo ſtylo eſt forma, quæ nos etiam tantum cogitantes ſequatur. Nihil enim eſt ſimul & inventum, & perfectum.

III. Non multa initio ſumi oportere. Aſſumendus, inquit Fabius uſus paulatim, ut pauca primum complectamur animo, quæ reddi feliciter poſſint, mox per incrementa modica, onerari ſe labor ille non ſentiat, augenda uſu, & exercitatione.

IV. Eò tandem perveneri poſſe, ut is cui non refragatur, ingenium, acri ſtudio adjutus tantum conſequatur, ut ea etiam quæ cogitarit quæque ſcripſerit, in dicendo fidem ſervent. Cicero certè è Græcis Metrodorum Septinium, & Rhodium: è Latinis Hortenſium tradidit, quæ cogitaverant ad verbum in agendo, retuliſſe.

V. Non ordinem modò rerum intra ſeipſam cogitatio diſponat, ſed verba etiam copulet, totamque ita connectat orationem, ut nihil ipſi præter manum deſit: Nam memoriæ quoque plerumque fidelius hæret, quæ ſcribendi facultate laxatur.

VI. Videndum ne tantum habeant curæ cogitationes primæ, ut non ſi tinter dicendum ſuus fortunæ locus, cùm, vt ait Fabius, etiam ſcriptis ea quæ ſubitò nata ſunt, inſerantur: totum hoc exercitationis genus ita comparandum, ut ex eo digredi, & in id facilè redire poſſimus. Cavendum tamen ne ſimus eorum ſimiles, quibus in aquis anima præcluditur, qui nimirum dùm opem undique conquiunt, in omnem partem manus porrigunt, & quidquid ſe obtulerit, tenent.

VII. Cogitationi ſomnum interpoſitum non parum conferre. Meditatio, ait Quint. quoties intermiſſus eſt ſomnus, ipſis noctis tenebris adjuuatur. Hæc inter medios rerum actus aliquid invenit vacui, nec otium patitur

LECTIO VIII.

Scriptio, ſpecies exercitationis quarta.

SApienter præcipit Stoïcus epiſt. 84. *Alit lectio ingenium: & ſtudio fatigatum, non ſine ſtudio tamen reficit. Nec ſcribere tantum, nec tantum legere debemus. Altera res contriſtabit, & vires exhauriet: de ſtylo dico: altera ſolvet, ac diluet. Invicem hoc illo commutandum eſt & alterum altero tempeandum, vt quidquid lectione collectum eſt, ſtylus redigat in corpus.* Eſt enim ex mẽte Ciceronis: 1. de orat. 150 Stylus, optimus, & præſtantiſſimus dicendi effector, ac magiſter, neque injuria. Nam ſi ſubitam, & fortuitam orationem commentatio, & cogitatio facilè vincit, hanc ipſam profectò aſſidua, ac diligens ſcriptura ſuperabit.

Quoniam ergo nulla res tantum ad dicendum proficit, quantum ſcriptio, ſcribendum & quamdiligentiſſimè, & quamplurimum. Nam ut terra altè defoſſa generandis alendiſque ſeminibus fœcundior eſt; ſic profectus non à ſummo petitus ſtudiorum fructus effundit vberius, & fidelius continet.

PVNCTVM I.

Scriptionis fructus & vtilitas.

SCriptionem aſſiduam commendant, atque præcipiunt in eloquentia viri præſtantes, ut maximè neceſſariam, ſummæque utilitatis. Ita ut, quemadmodum in arte ſua ſingularis, & penè ſolus Apelles nullum tàm occupatum diem habuit, quin eo die lineam duxerit; ſic nullus dies nobis effluat, in quo non aliquid comẽtemur, ac ſcribimus. Sicenim juvenilis quædam fœcunditas, & luxuries ſtylo depaſcitur, ſententiæ verbaque omnia quæ ſunt cujuſque generis maximè illuſtria, ſub acum ſtyli veniunt ac ſuccedunt:

Colla

Digitized by Google

Collocatio, conformatioque verborum in oratorio numero perficitur. Deindè verò qui à ſcribendi conſuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, facilitatemque, vt etiamſi ſubito dicat aliquando, tamen illa quæ dicuntur, ſimilia ſcriptorum eſſe videantur. Denique ſæpius ſcribendo fit vt bene ſcribatur.

PVNCTVM II.

Modus ſcribendi.

I. DEbet eſſe meditata ſcriptio; reperias nonnumquam vſque adeò præſidentes animi, tàm benè de ſe ſentientes, vt quem primum ſcripturi ſint verſum, aut numerum neſciant, ſed ſperant vbi primum incaluerit calamus, ſe copiam verborum, & ſententiarum abundantem habituros. Quos ſanè dixerim illis non abſimiles, qui quamvis nihil cocti, conditi nihil habeant, lautam tamen ſibi cænam pollicentur. His ego Platonicum illud interminor, qui à ſe deſcripta quidem, ſed indigeſta, confuſaque legeret, ſacrū fecit Vulcano. Optarim antequam ad ſtylum redigas argumentum, non ipſa modò rerum capita, ſed etiam minima quælibet orationis vincula, vel animo concepta retineri, vel ad maiorem ſecuritatem chartæ committi.

PVNCTVM III.

Diligens, & accurata.

II. NImius ardor feſtinandi temperandus impetrata tarditate. Sit vel tardus, dùm diligens ſtylus, monet Fabius, l. 10. cap. 5. Quæramus optima, nec protinus ſe offerētibus gaudeamus: adhibeatur iudicium inuentis, diſpoſitio probatis; hoc conſtituendum, hoc obtinendum eſt, vt quàm optimè ſcribamus, celeritatem dabit conſuetudo. Paulatim res facilius ſe oſtendent, verba reſpondebunt, compoſitio ſequetur. Summa hæc rei eſt. Citò ſcribendo non fit, vt benè ſcribatur: benè ſcribendo fit vt citò. Nec enim ſerò fit, quod benè fit.

Quare nihil non æternitati modò, ſed ne diuturnitati quidem deſtinant iſti ſui nimium amātes, vt docet Euripides, cui dum obiicitur Alceſtis Poëta diligens, ſed non accuratus, vt pote qui centum verſus effuderit, ipſe verò tres, prudenter reſpondet, omninò centum dedit triduò duraturos, mei autem, temporis diuturnitatem ſpectant. Magni iudicij Plato pleraque ſcriptorum cum Adonidis hortis comparabat, quorum flores dum oriuntur, euaneſcunt. Itaque diligens ſcriptor lituris non parcat, neque adeò vecors ſit, vt ſe belliſſimum putet, cum pauca induxerit. Propè ſtolidus Arſeſilas ille Crantoris diſcipulus mediam Academiam ſequutus, qui cum ſcripta ſua ſæpius inducens deprehenſus eſſet, à ſcribendo cauit inpoſterum, ne fortè quid aliquando malè ſcripſiſſe videretur, arrogantis fuit, & imprudentis.

Rectius omninò Auguſtus, cui dum ſtyli, & calami quodam æſtu deproperatus Ajax (Tragœdia fuit) excidiſſet, ſpongiâ deleuit opus non imperfectum. Interrogatus indè, quid ageret Aiax, ſpongiæ incumbit, ad eum Aiacem alludens, qui ad Trojam, in ferrū ſuum incubuit. Sanè velut parum tarditatis huius patientes in ſcribendo Romanas arguit Horat. in arte.

Non virtute foret, clariſque potentius armis,
Quàm lingua latium, ſi non oſtenderet vnum
Quemque Poëtarum Liuia labor, & mora,
vos, ô
Ponpeius ſanguis carmen reprehendite, quod
non
Multa dies, & multa litura coërcuit.

Scio quidem ſermonis oſtentationem, nimiumque in verbis ſtudium minus probare Senecam epiſt. 115. *Nimis anxium te circa verba, & compoſitionem eſſe nolo: habeo maiora quæ cures cuiuſcūq; orationem videris ſolicitam, & politam ſcito animū quoque non minus eſſe puſillis occupatum. Magnus ille remiſſius loquitur, & ſecurius quæcumque dicit plus habent fiduciæ quàm curæ. Noli cōplures iuuenes barbâ, & comâ nitidos, de capſula totos: nihil ab illis ſperaueris forte, nihil ſolidum. Oratio vultu animi eſt circūtonſa, & fucata, & manufacta oſtendit ipſū quoq; nō eſſe ſincerū, & habere aliquid fracti. Non eſt ornamentū vtile cōcinnitas. Si nobis animū viri boni liceret inſpicere, ô quam pulchrā faciē, quàm ſanctam, quàm ex magnifico placidoque fulgentem:*

Digitized by Google

gentem videremus! nemo illum amabilem, qui non ſimul venerabilem diceret.

Delectum tamen verborum habendum eſſe monet in compoſitione, quam alioqui præcipitem damnat epiſt. 40. *Nihil autem ordinatum eſt quod præcipitatur, & properat. Sic itaque habe iſtam vim dicendi rapidam, atque abundantem, aptiorem eſſe circulanti, quàm agenti rem magnam, ac ſeriam, docentique: æquè ſtillare illam volo, quàm currere: nec extendat aures, nec obruat. Tradere homines diſcipulis præcepta dicuntur: non traditur, quod fugit. Quid quod hæc oratio, quæ ſanādis mentibus adhibetur, deſcendere in nos debet? remedia non proſunt, niſi immorentur. Multum præterea habet inanitatis, & vani plus ſonat, quàm valet. Leniendæ ſunt quæ me exterrent, compeſcenda quæ irritant, diſcutienda quæ fallunt: inhibenda luxuria, corripienda auaritia. Quid horum raptim poteſt fieri? quis medicus ægros in tranſitu curat? vt pleraque, quæ fieri poſſe non crederes, cognouiſſe ſatis eſt: ſic iſtos, qui verba exerceuerūt, abūde eſt ſemel audiſſe*

PVNCTVM IV.

Iterata, & repetita ſcriptio.

OMnibus ad finem perductis, eadem de integro recognoſcenda, & ad vltimam lineam reuocanda ſunt. Nam, præter id, quod ſic melius iunguntur prioribus ſequētia, calor quoque ille cogitationis, qui ſcribendi mora refrixit, recipit ex integro vires, & velut repetito ſpatio ſumit impetum. Interim tamen ſi feret flatus, danda ſunt vela, dùm nos indulgentia illa non fallat. Emendandi porro genus optimum, ſi ſcripta in aliquod tempus reponantur, vt ad ea poſt interualla, veluti noua, & aliena redeamus, ne nobis ſcripta noſtra tāquam recentes fœtus blādiātur.

Hoc eſt de ſcriptorum recognitione prudens iudicium Plinij Iunioris, l. 7. epiſt 9 *Poteris & quæ dixeris, poſt obliuionem retractare, multa deiinere, plura tranſire, alia tranſcribere, alia reſcribere. Laborioſum iſtum, & tædio plenum, ſed difficultate ipſa fructuoſum, recaleſcere ex integro, & reſumere impetum fractum omiſſumque Poſtremò noua velut membra peracto corpori intexere, nec tamen priora turbare.*

Tanto ſtudio ſua correxit Tullius, vt de commentario conſulatus ſui iſta reliquerit, l. 2. ad Attic. ep. 1. *Quem tibi ego non eſſem auſus mittere, niſi eum lentè, ac faſtidioſè probauiſſem.*

Illa tamen correctio nimia, moroſitaſque minimè probanda eſt, quæ nos ita continet, vt placeat nihil. Sunt enim qui vt Callipedes aſſiduo curſu, ne vnum quidem cubitum biennio procedant; ſunt quibus nihil vnquam ſit ſatis Qui omnia mutare, aliquid aliter dicere, quàm occurrere velint. Increduli quidam, & peſſimè de ingenio ſuo meriti, qui diligentiam putant, ſi difficultatem fecerint. Nec promptum eſt dicere vtrum peccent validius, quibus omnia ſua placent, an quibus nihil, qui nihil ſemel poſitum mutare queunt, an qui omnia ſcripta tanquam vitioſa corrigunt.

Nonnulli nimiam Plinij ad faſtidium vſque ſua corrigentis diligentiam iudicarūt; hoc idem ipſe fatetur, l. 7. epiſt. 17. *Nullum emendandi genus omitto. Ac primum quæ ſcripſi mecum ipſe pertracto. Deinde duobus aut tribus lego, mox aliis trado adnotanda, notaſque eorū ſi dubito, cum vno rurſus, aut altero penſito: nouiſſimè pluribus recito. Ac ſi quid mihi credis, tunc acerrimè emendo. Nam tantò diligentius, quantò ſollicitius intendo. Optimè autem reuerentia, pudor, metus iudicant.*

Cauſam reddit, ob quam ſic agendum eſſe probat, ibidem. *Cogito quàm ſit magnum dare aliquid in manus hominum, nec mihi perſuadere poſſum non & cum multis, & ſæpè tractandum quod placere & ſemper, & omnibus cupias.*

PVNCTVM V.

Quæ ſcribenda ſint.

VIros literis doctrinaque præſtantes in ea ſcriptione ſe ſemper exercuiſſe conſtat ex Cicerone, qui in illo atriolo ſuo grandes prætextatos ſecum declamare ſolitos ſæpè gloriatur lites vmbratiles quibus proludebant. Sed quid facultatem oratoriam addiſcenti ſcribendum? quod æquet ingenij vires, non obruat. Ita ſe res habet, præcepit Fabius, l. 10. cap. 3. curandum eſt, vt quam optimè dicamus, dicendum tamen pro facultate. Nam qui ſupra

animoſus ſcribere conatur, fruſtra deſudat, nihil ſcribit.

Porrò varia ſunt, in quibus quiſque ſtylum exercere poteſt. I. Græca in Romanum; Romana in Græcum, vtraque in Gallicum idioma vertere: quo ex genere plurima proficiſci emolumenta teſtatur expertus Cicero, qui & Demoſthenis orationes plurimas & Cyropediam Xenophontis, & Arati Phœnomena, & Platonis aliqua tranſtulit in Latinum ſermonem.

Hoc genus ſcriptionis præcipit, & commendat Plinius Iun. l. ep. 9. *Quo genere exercitationis*, inquit, *proprietas ſplendorque verborum, copia figurarum, vis explicandi: demum imitatione optimorum ſimilia inueniendi facultas paratur. Simul quæ legentem fefelliſſent, transferentem fugere non poſſunt. Intelligentia ex hoc, & iudicium acquiritur.*

Hoc de ſe teſtatur Cic. *Cùm ea quæ legerem Græcè Latinè redderem, hoc aſſequebar, vt nō ſolùm optimis verbis vterer, & tamen vſitatis. ſed etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ noua noſtris dummodo eſſent idonea.*

II. Proderit poëtica oratoria dictione diſſoluere, oratoria poëticis numeris aſtringere, ſiue in eadem lingua, ſiue in aliena. Mens eſt Ciceronis de Oratore, indeque genius & oratorius & poëticus diſcernitur, & vt cuiuſque venuſtas, & gratia, & character imbibitur, molliturque ingenium, vt cera varias in formas, figuraſque condocefacta. Semper enim in adoleſcente luxuries, & copia laudatur, vndè aliquid amputari poſſit.

III. Quod in pictura tyrones ſolent, priuſquam ad integram aggrediantur imaginem, caput, manus, pedes, ſingillatim, & ſeorſim pingunt, iuuenis quoque orationum membra effingere doceatur. Cuiuſmodi ſunt quæ Fabius enumerat lib. 2. cap. 4. Fabulas, narrationes, ſeu fictas, ſeu veras, ſententias, refutationes, locos communes, & alia quæ videntur ingenio acuendo, ſtyloque poliendo idoneæ. Laudes vel principis, vel rerum inſignium: faciles enim ſunt virtutum enumerationes, & in eo genere ſplendeſcit ſtylus indulgentiâ rerum. Item quæ fuerunt in vſu Romanis ſuaſiones, diſſuaſiones. Vtrum deceat Auguſtum ſe abdicare imperio, Syllam dictaturâ, Carthaginem dirui: Fictæ controuerſiæ imagineſque forenſium, ea tamen cautione, vt non vanæ ſint omninò, ſed verarum ſimillimæ, cuiuſmodi ſunt Quintil. declamationes, controuerſiæ Senecæ, Ariſtidis, & Dionis, aliorumque lucubrationes.

IV. Iuuerit exprimere deſcriptionem loci alicuius, perſonæ, actionis, rei, fluuij, equi, templi, villæ. Quid oratori familiarius eſſe debet, quàm rerum illuſtris explanatio.

V. Affectum quempiam amoris, iræ vel odij commiſerationis & inuidiæ, timoris, & audaciæ aſſumere; mores item iuuenis, ſenis auari, ruſtici, militis. & aliorum diligenter expendere. Sunt enim vmbratiles quodammodo proluſiones ad maiorem ſcribendi contentionem idoneæ, demum in eo quieſcendum, quod facilitas & natura nobis ſuaſerit promptius, & iucundius.

LECTIO IX.

Vltima ſpecies exercitationis Memoria.

PLurimum in hac exercitatione præſidij poſuerunt oratores, quæ niſi cuſtos inuentis, excogitatiſque rebus, & verbis adhibeatur, intelligemus omnia, etiam ſi præclara fuerint, in oratione peritura, monet Tull. 1. de orat. num. 18. proinde Pythagoreorum more exercendæ memoriæ gratia, quid quoque die dixerimus, audierimus, egerimus, commemorandum veſperi, ſi boni Oratores eſſe voluerimus. Eſt enim neceſſaria dicere volenti memoria, theſaurus rerum omnium ferax, omnium animi ſenſuum cuſtos, muſarum mater, abſentium vinculum, mortuorum vita, magiſtra viuorum.

Si quis ait Fabius lib. 11. cap. 2. vnam maximamque artem memoriæ quærat, exercitatio eſt & labor multa ediſcere, multa cogitare, & ſi fieri poteſt quotidie, potiſſimum eſt. Nihil æquè, vel augetur cura, vel negligentia intercidit:

Digitized by Google

dit. Quantum ex hac profecerunt rudes & imperiti, qui abſque vllo literarum vſu, res geſtas, & Mercurio dignas, Phythagorico more complexi ſunt? Quantum in ea momenti poſuit Socrates, qui literas, & characteres ingenij peſtem & memoriæ, negligentiæ matrem, & ſapientiæ non dubitauit appellare: Quòd hiſce confiſi homines memoriam minus exercerent? Quantum Claudius Imper. qui Homericum poëma, non ſecundum partem tantùm, vt Alexander, ſed penè totum, ſi Suetonio fides eſt, edidicit? Quantum Auicenna Medicus iuxta, & Philoſophus, qui libros Ariſtotelis metaphyſicos perlectos memoriæ fideliter impreſſit; Quantum alij benè multi quos non ingrata pluribus ad aliorum exemplum, & incitamentum commendauit?

PVNCTVM. PRIMVM.

Memoriæ præcepta.

I. QVidem vt omittam plurimum conferre animum cogitationibus aliis habere liberum, plurima quiuis ediſcere memoriter ſtudeat. Quod ſi longior fuerit oratio complectenda memoria, per partes ediſcatur, quas nec maximas eſſe oportet, ne facilius obliuiſcamur neque nimis multas, ne memoria concidant.

II. Non erit inutile, quò facilius hæreant ſemel impreſſa memoriæ, notulas quaſdam adhibere margini, quæ velut animum excitent. Neque enim eſt quiſquam adeò naturæ præſidijs deſtitutus, qui neſciat vbi ſignum deſtinauerit. Cæterum ſi pars orationis aliqua de nauigatione tractet, affigatur anchora; ſi de rebus bellicis gladius: ſi de palatij eiuſdam ædificatione, domus imago efformatur, &c.

III. Licet præcipiant nonnulli, quæ memoriæ nobis tradenda leguntur, elata voce pronuntianda, ratio tamen expeditior, videtur, & facilior ediſcere tacitè, niſi ſi fortè diſtrahunt animum otioſum aliæ cogitationes, & ſtrepitus ad aures illatus aliquis vocem excitauerit.

IV. Plurimum iuuat memoriam bona diuiſio: Nam qui rectè diſpoſuerit, vix poterit, in rerum ordine aberrare. Quare ſi noſtra memoria complectamur, curandum vt quàm accuratiſſimè, & ordinatiſſimè ſcribantur: ſin aliena vt prius in conuenientiſſimum ordinem congerantur, quantum res ipſa patietur.

V. Mirum dictu, nec tamen in promptu cauſa eſt, quantum nox interpoſita firmitatis adferat, ſiue quieſcit labor ille, qui deſumptus eſt, ſiue concoquitur, ſtatim quæ referri non poterant, contexuntur poſtera die, confirmatque memoriam illud idem tempus, quod eſſe cauſa ſolet obliuionis.

VI. Proderit nullo affectu concitari vehementius. Nam qui vel ardentiùs amant, vel acriùs oderunt, vel animoſiùs inuident, aut dolent acerbiùs, minus poſſunt hac in parte. Temperantia verò requiritur; ſi quidem auctore Plinio lib. 4. cap. 12. Præmium ebrietatis eſt libidò portetoſa, rerum omnium obliuio, morſque memoriæ. Vinum enim nimium ait Marcilius Ficinus lib. de triplici vita; denſis humoribus, peſſimiſque habitibus caput implet, quibus humidum, & turgidum efficitur cerebrum, quò fit vt nequeant ſpecies conſeruari. Denique vix dici poteſt, quantum adiuuet corporis integritas, & caſtimonia mentis, certè quantum intemperàntia nocet. Eſt enim peſtis ingenij certiſſima, bonarumque cogitationum profligatrix, quæ ſordidum hominem in cœno retinet, detrudit ad beſtias, nec aſſurgere permittit à ſua fœditate.

Digitized by Google

EXERCITATIO II.

THESAVRVS ELOQVENTIÆ,

Siue

DE INVENTIONE ET LOCIS intrinſecis.

PROOEMIVM.

VT nihil dicam de vbertatis amplitudine, déque triumphantis Orationis Pompa, quæ non minus à locis emanat, quam ab Oceani redundantibus aquis fontes & flumina; certum eſt in illis omnes Eloquentiæ Theſauros includi, è quibus ſolers Orator eruere poſſit argumenta ad cuiuſuis propoſitæ quæſtionis confirmationem. An enim res vlla tàm dubia, quæ his firmamentis non ſolidetur? an vlla tàm inculta, quam amœnitates iſtæ non ornent? an aliqua tàm exilis, quæ locorum amplitudine non augeatur? an demum tàm arida, quæ ab iisdem non exiſtat vberior? Neque certè in arte oratoria quicquam ſplendidum eſt, quod locorum radij non colluſtrent: aut actuoſum, cui efficientiam ſuam mouentia hæc non tribuant: aut commendatione dignum, quod eorumdem Maieſtas non profundat: aut mirabile, niſi idem ex tractatus huius arcanis ſanctiſſimis arceſſitum. Quocirca Theſaurum Exercitationem hanc Locorum appellare placuit, quem exhauries profectò nunquam: Ita enim hic ſcatet perpetuo, atque emanat induſtria, vt quò plura hauſeris, eò affluentior ſit, ac parabilior copia.

LECTIO TERTIA.

Partes Rhetoricæ.

CVM, vt ait Tullius, is Orator dicendus ſit, qui quæcunque res inciderit prudenter, compoſitè, ornatè, & memoriter dicat, cum quadam actionis dignitate, manifeſtum eſt hanc dicendi facultatem, quinque omninò conſtare partibus, Inuentione, vt prudenter; Diſpoſitione, vt compoſitè; Elocutione, vt ornatè; Memoriâ; vt memoriter; Pronunciatione, vt cum dignitate dicat Orator. Quas omnes vir magni nominis eleganti ſimilitudine, quæ à militia acceſſitur, ſic adumbrat, vt delectus militum Inuentionem referat, militares ordines Diſpoſitionem; Arma, inſignia, bullæ, armillæ, aliaque id genus ornamenta ſplendidam

dam Elocutionem repræſentent: Vallum, & foſſa Memoriam, quâ res inuentæ, & diſpoſitæ quaſi ſepiantur: Eruptio demum, impetſſioque bellica, Actionem, ſiue Pronunciationem depingat. De ſingulis dicendum erit, ac ſua cuique tribuenda exercitatio.

PVNCTVM PRIMVM

Quid inuentio.

DEfinitur à Cic. 1. Reth. c. 2. *Rerum verarum, aut veriſimilium excogitatio, quæ cauſam probabilem reddant*, hoc eſt perſuadeant, proindè Oratoris eſt quæcunque eo pertinent excogitare, vt apta conciliandis animis principia, ſententias ad delectandum argutas, ad docendum acutas, ad mouendum graues, exitus pro re ipſa, vel molles, vel inflammatos. Interdum enim firmiſſimis argumẽtis, cùm ea quis ieiunè, atque exiliter propoſuerit, obluctabitur pertinax auditor: qui vbi ardenti oratione incaluerit, vel leniſſima ratione flectetur. Non ergo tantùm Oratori inuenienda ſunt argumenta, quod & facit Dialecticus, ſed illorum explicationes, atque auxeſes, quæ ad motus valeant, & auditorem vel repugnantem eò rapiant, quocunque dicendo bonus incubuerit, quæ omnia è locis eruuntur.

PVNCTVM II.

Quid locus.

QVemadmodum Dialectici res omnes ad decem, vt vocant, Categorias, quæ ſunt veluti ſumma quædam rerum capita, reuocarunt, vt à Philoſophis cuiuſque rei natura, ratio proprietas, & affectio facilùs inueſtigari, & cognoſci poſſet: ita Rhethores Dialecticos imitati, quò faciliorẽ redderent argumentandi ac diſſerendi rationem, in paucas quaſdam veluti ſedes, quas appellant communes locos argumenta omnia digeſſerunt, vndè commodius ad cuiuſlibet quæſtionis, ceu confirmationem, ceu confutationem promerentur. Boëtio de differẽtiis lib. 1o. locus eſt, id, vndè ad propoſitam quæſtionem conueniens trahitur argumentum Ciceroni Topicorum lib. argumenti ſedes, ac domicilium. Agricoræ nota communis, cuius admonitu, quid in vnaquaque re probabile ſit, inueniri poreſt. Nihil moror ſimilitudinem illam qua componi ſolent cellulis Apothecarum hoc tantum moneo implendas eſſe conſtanti ſtudio, ne fruſtrà excutiantur ab eo qui nihil in eas coniecerit, & ſolas habeat aranearum telas.

PVNCTVM III.

Locorum diuiſio.

CVm locus ſit argumenti ſedes, quot ſunt argumentorum genera, totidem oportet eſſe locorum. Illorum autem duo ſunt prima genera, proindè dicendum duplicem eſſe locorum naturam, ex quibus argumenta petuntur; Inſitum quod hæret in ipſa re, quodque infixum rebus ipſis, & quodãmodo affectum ad id de quo quæritur Remotum quod extrinſecùs aſſumitur: illud artificiale dicitur hoc artis expers, non quod in illo dumtaxat locum habeat ars Oratoris, cùm multa & contra teſtes, & pro teſtibus, cõtra tormenta, & pro tormentis: ſed quia illud arte excogitari, & tractari, hoc arte tantum tractari, non inueniri, ſed aliundè aſſumi debeat. Neque enim docent Rhetores quomodo teſtes quærendi, ſcribendæ tabulæ, diſtendendus quæſtione reus, ſed quâ ratione, in cauſæ commodum conuertenda ſint omnia.

PVNCTVM IV.

Locorum vſus.

ARgumentum à remoto, vel inſito ſumere nihil aliud eſt, quàm inueſtigare, quid in illo contineatur, & ex eo inferre quidquid probare contendimus. Si ab inſito probare velis fugiendam eſſe deſidiam, inquirendum eſt quid inſit in otio inerti, nempe rerum omnium corruptio: nec vero à languida remiſſione plena

Digitized by Google

temeritatis, & inaniſſimæ ignauiæ boni quidquam gigni poteſt, proinde fugiendo.

Illud idem, ſi concludendum ſit ab intrinſeco, ſic fiet. Quam me delectat Pythagoræ ſapientis vox dicentis, nullam peſtem maiorem in hominum mores deriuari, quàm otium. Hinc diuino furore percitus vates exclamat præco fidelis.

—— Fugienda eſt improba Syren,
Deſidis.

Pvnctvm V.

Locorum inſitorum numerus.

Diuiduntur à Cic. Top. 1. in eos qui rem ipſam, & quidem totam exhibent, & in eos qui non totam primo, ac per ſe indicant, ſed partem tantum, vel aliquid quod ad rem pertinet, eamque quodammodo afficit. Prioris generis ſunt tres. Definitio, quæ rei naturam circumſcribit. Enumeratio, quæ omnes eius partes adducit. Notatio, quæ nominis etymologia rei totius vim explicat. Poſterioris generis ſunt tredecim, Coniugata, Genus, Forma, Similitudo, Differentia, Contraria, Coniuncta, ſiue Adiuncta antecedentia, Conſequentia, Repugnantia, Cauſæ, Effectus, Comparationes. De quibus Cicer. 2. de orat.

Pvnctvm VI.

Locorum Delectus.

Monet Tull. in Oratore, non imprudenter hâc vtendum copiâ, ſed expendenda diligenter omnia: nec enim ſemper, nec in omnibus cauſis, ex iiſdem, eadem argumentorum momenta ſunt. Itaque iudicium adhibendum eſt: ne iis vtamur argumentis, quæ plus aduerſario, quàm nobis profutura ſint: aut validioribus relictis, in iis hæreamus, quæ parum rem noſtram promoueant, & quæ ſatius fuiſſet omitti quàm proferri. Si quæ igitur duriora fuerint, molliet oppoſitis firmioribus, aut occultabit: quæ diluì non poterunt, vel penitus opprimet, ſi licebit. vel adducet ab illis auditorum animos aut aliud afferet, quod oppoſitum contrariis rationibus probabilius ſit. Quæ cùm obſeruanda ſunt maximè, cùm aduerſarium habemus paratum reſpondere, ac multò magis, cùm eius orationem refutamus.

LECTIO II.

Locus à definitione.

In Top. num 26. dicitur, *Oratio quæ id quod definitur explicat quid ſit* Hinc cum Dolabella gloriam quæreret, vt illum à prauis facinoribus reuocaret Cic. explicat quid ſit, & ab eius definitione argumentatur Phill. 1. n. 29. *Ea enim eſt laus rectè factorum, magnorumque in Rempub meritorum, quæ cùm optimi cuiuſque tùm etiam multitudinis teſtimonio comprobatur.*

2. de orat. *Definitio eſt earum rerum, quæ ſunt eius rei propriæ, quam definire volumus breuis, & circumſcripta quædam explicatio.* Hanc Dialectici, duas partes habere volunt, genus, & differentiã; Illud quidem quod eſt commune rei cum multis aliis, vt animal, genus erit hominis, ſed quod pluribus aliis attribuitur. Hoc vero nempe differentia modus eſt, qui rem definitam ab aliis quibuſvis diſtinguit, & ita conuenit, vt nulli alteri commune ſit. Sic rationis particeps homini ſoli conuenit. Ad hæc Tull. in Top. præcipit. Cùm ſumpſeris ea, quæ ſunt ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, eò vſque proſequaris, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri poſſit, hoc eſt, vt differentiam, ſeu modum inuenias maximè rei proprium.

Pvnctvm I.

Eſſentialis differentia hominis.

Seneca vitæ non magis quam orationis iudex, atque cenſor hanc hominis differentiam aſſignat epiſt. 76. *Omnia bono ſuo conſtant. Vitem fertilitas commẽdat, ſapor vinum, velocitas ceruum. Quare fortia dorſo iumenta ſint quæris? quia eo-*

Digitized by Google

rum hic vnus eſt vſus,ſacrinam fere. In cane ſagacitas prima eſt ſi inueſtigare debet feras: curſus,ſi conſequi: Audacia ſi mordere, & inuadere. Id in quoque optimum eſt,cui naſcitur,quo cenſetur. In homine optimum quid eſt? Ratio: hac antecedit animalia,Deos ſequitur. Ratio ergo perfecta,proprium hominis bonum eſt: Cætera illi cum animalibus, ſatiſque communia ſunt. Valet? & leones. Formoſus eſt? & pauones. Velox eſt? & equi. Non dico in his omnibus vincitur. Non quæro quid in ſe maximum habeat,ſed quid ſuum. Corpus habet? & arbores: Habet impetum,& motum voluntarium? & beſtia, & vermes. Habet vocem? Sed quantò clariorem canes,acutiorem Aquilæ,grauiorem tauri, dulciorem mobilioremque luſciniæ. Quid in homine proprium? Ratio. Hæc recta,& conſummata felicitatem hominis impleuit.

Hanc eandem aſſignat Tull. 1. de legib. num. 22. Animal prouidum,ſagax, multiplex,acutum memor,plenum rationis, & conſilij, quem vocamus hominem, preclara conditione generatum eſt à ſupremo Deo.

Pvnctvm II.

A cauſis.

ALtera definitio fit per cauſas, à quibus effecta profluunt, ad pleniorem rei cognitionem mentibus ingenerandam, à materiali finit hominem ſecundus Philoſophus, *πήλον αἵματι συμπεφυρμένον* Quod de Tyberio dictum eſt,lutum ſanguine conſperſum. Gigantes Virg.

Terræ progenies durum caput extulit antris:

Ab efficiente dicitur à patre, & patria Tros Anchiſiades Æneas 6. Æn. Simonides Mulas vocat, *ἀελλοπόδων θυγάτρες ἵππων* velocium filias equarum. Auſonius poëta Gallus, & Orator, litteras Cadmi nigellas filias: Atramentum furuam ſæpiam. Nos hominem eximium opus à ſummo rerum opifice Deo, ad ſui ſimilitudinem efformatum

A formali, vel eſſentiali ſecundus Philoſophus hominem eſſe dicit animam ſollicitudinis,& laboris pleniſſimam: vel exemplari, ſic à Triſmegiſto dicitur Imago diuinæ maieſtatis.

A finali vlterioris appetitus erit. Ita Ciceroni verò Senatus orbis terrarum conſilium, templum ſanctitatis, amplitudinis,mentis, conſilij publici, caput vrbis, ara ſociorum, portus omnium gentium, innocentium perfugium. Homo animal ad immortalitatem natum.

Tùm demum nobilis, & perfecta erit definitio, ſi quadruplici cauſa conſtabit, maioremque vim ad amplificandum habebit. Deſcribes hominem animal à Deo parente rerum conditum,ratione præditum,factum ad beatitudinem, Deumque aliquando videndum,ex mortali corpore conflatum, ad ſupremæ naturæ ſimilitudinem, animoque vi rationis præterita, cum futuris connectente, & cælorum adyta penetrante.

Pvnctvm III.

Definitio per negationem,& affirmationem.

OPtimum orationis inſtrumentum, cùm ad probandum, & docendum, tùm etiam ad amplificandum,oratoriè definiendi oratio,vt primum dicamus id quod non eſt, tùm reiectis non iam communibus, ſed continuis idque per interrogationem, & ironiam, veram tandem rei naturam afferamus quaſi per epiphonema. Pro domo ſua Tul. illuſtri definitione vtitur, & primo quidem docet quid non ſit populus. n. 89. *An tu Pop. Romanum eſſe illum putas qui conſtat ex ijs,qui mercede conducuntur, qui impelluntur, vt vim afferāt magiſtratibus? vt obſideant ſenatum. Optent quotidie cædem, incendia, rapinas? quem tu tandem populum,niſi tabernis clauſis frequentare non poteras: cui populo duces. Lentilios, Lelios, Sergios præfeceras ò ſpeciem dignitatemque populi Rom. quam nationes exteræ, quam gentes vltimæ pertimeſcunt, multitudinem hominum ex ſeruis conductis,ex facinoroſis,ex egentibus congregatam. Illa fuit pulchritudo populi Rom. illa forma, quam in campo vidiſti tùm,cùm etiam tibi contra ſenatus, totiuſque Italiæ auctoritatem, & ſtudium dicendi poteſtas fuit.*

Digitized by Google

Tandem num. 90. ſubijcit quid ſit populus. *Ille, ille populus eſt, Dominus Regum? Victor atque Imperator omnium gentium, quem illo clariſſimo die ſcelerate vidiſti, tùm cùm omnes principes ciuitatis, omnes ordinum atque ætatum, omniũ ſuffragium, ſe non de ciuis, ſed de ciuitatis ſalute ferre cenſebant: Cùm denique homines in campum, non tabernis, ſed municipijs clauſis venerunt.*

Per negationem quid non ſit ſupplicium deindè propriam definitionem, quæ genere, &, differentiâ continetur, affert, in Piſonem. Num. 43.

Pro Sextio. Num. 97 Vbi non tàm explicat qui ſint, quàm qui non ſint Optimates, ſed multis, & ad amplificandum accommodatis. 2. in Rullum n. 10 qui non ſint populares. 3. Philippica num. 12. Pro Milone num. 91. de Haruſpicum reſponſis. nu. 22.

PVNCTVM IV.

Ab officio per negationem.

DVplex igitur eſt modus inſignis tractandæ definitionis, quæ ducitur ab officio. Prior cùm in re definienda primùn afferimus quod non eſt; deindè quod eſt, vndè pugna contrariorum infertur aliqua.

Quid eſt eſſe amicum, an arridere vultu, frontem explicare, polliceri operam, mella eloquis aſſidere menſis, alienæ voluntati turpiter lenocinari? Cæterum non plus amici cauſa præſtare quàm Garamantis & Indi, quem nunquam videris? Alia eſt, alia, profectò veræ amicitiæ ſanctimonia, atque religio? nimirum in aduerſis ita ſe gerere, vt ope, & conſilio adiuues, ſoléris afflictum, & ne calamitati ſuccumbat; partem calamitatis accipias? at in proſperis, vt lætitiam cumules, & ſi quid elationis ſit, aut inanis confidentiæ, hoc totum prudẽtia tua, & auctoritate compeſcas

Poſterior fit per contentionem Ironicam, cùm priorem definimus ex mente aduerſariorum, vel ſtultorum? ſecundò exclamamus Ironicè? tertiò, tandem veram promimus definitionem. Quod eloquentiæ magiſter Cicero præſtat egregiè contra Piſonem num. 22. *Tu etiam mentionem facies Conſulatus tui? aut te fuiſſe Romæ Conſulem dicere audebis? quid; tu in lictoribus, in toga, & prætexta eſſe Conſulatum putas? quæ ornamenta etiam in ſex. Clodio, te Conſule, eſſe voluſti. Huius tu Claudiani canis inſignibus Conſulatum declarari putas?*

Hactenus quid non ſit Conſul aperuit: mox ſubijcit quid ſit. *Animo Conſulem eſſe oportet, conſilio, fide grauitate, vigilãtiâ, toto denique munere conſulatus.*

Quaſi diceret, Is demum Conſul eſt, non quem toga exornat, non quem lictores duodecim ambiunt, non quem cætera Conſulatus illuſtrant ornamenta, ſedis, qui grauitate, conſilio, fide Rempub. adminiſtrat.

Iterum quid Conſul non ſit, per contraria Conſulis effecta docet. *Ego conſulem eſſe putem, qui Senatum in Repub. eſſe non putauit? & ſine eo conſilio Conſulem numerem, ſine quo Romæ, ne Reges quidem eſſe potuerunt? qui latrones igitur, ſi quidem vos Conſules? qui prædones qui hoſtes, qui proditores nominabuntur? Magnum nomen eſt, magna dignitas, magna maieſtas Conſulis, non capiunt anguſtiæ pectoris tui, non recipit leuitas iſta, non egeſtas animi, non infirmitas ingenij ſuſtinet, non inſolentia rerum ſecundarum tantam perſonam, tàm grauem, tàm ſeueram.* Deinde multis rem eandem tractat per elegantem ironiam.

Sic Chriſtianum definias. Tunc Chriſtianum eum putas, qui cum luſtralibus aquis ſit ablutus, vitam omnem turpi Baccho, Venerique conſecrat? qui mentem ſcelerum inuentricem, linguam conuitijs, ac periurijs infamem, manum innocenti ſanguine cruentatam, intẽperantes oculos corpus omni fœditate conſpurcatum gerat? Eùmne tu, inquam, et ſi quandoq; ſacris interſit, et ſi Sacramento fidẽ obliget Deo, atque iuramento obſtringat, Chriſtianum putas? Egregiam vero Chriſtiani hominis dignitatem! pro quo Deus ille fabricator, & rector orbis, cœlum terris, maieſtatem humilitati, felicitatem miſeriis, æternitatem morti, ac denique ſoliũ immenſæ gloriæ ignomioſo patibulo copulauit. Ille eſt, ſi neſcis Chriſtianus, qui conceptis in baptiſmo votis, & ſolemni Sacramento

Digitized by Google

mento Chriſto mancipatus vexilla Chriſti ſequitur, cupiditates coërcet, neque vllis rerum humanarum illecebris, aut vlla diritate tormentorum, eò ſe patitur adduci, vt ſuſcepta religione quandóque deſciſcat.

PVNCTVM V.

Per congeriem repetitione, aut complexione mixtam.

FIt quando frequenter quæritur quid ſit res, & petitioni ſubiicitur reſponſio. Valet plurimum in laudationibus propter ſpeciem, & pompam. Fingite animo ex omnibus rerum omnium formis, quæ diuina mente continentur infinitæ, excellentiſſimam ſpeciem atque ideam, hoc quidquid eſt Chriſtum eſſe dicó. Cogitate abſolutiſſimum opus, in quo efficiendo diuinæ virtutes ſingulæ toto conatu, atque impetu elaborauerint, quo nihil ſapientia mirabilius, nihil melius bonitas, nihil potentia maius, nihil auguſtius maieſtas, nihil ipſa Dei charitas ad amorem rapacius poſſit attingere; Chriſtus eſt. Fingite hominem dignitate, potentiâ, nomine, felicitate, imperio, ac ſede Deo parem, cui non homines reliqui modò, ſed beatæ mentes, atque adeò quidquid in orbe conſtat naſcendi conditione ſeruiat. Chriſtus eſt. Diſtinguite verò ſi placet hæc omnia, & partita ſigillatim, ac diuiſa totius animi viribus occupate, vt ſingularum rerum admirabilitas, cum propius ad cogitationem acceſſerit, mentemque proprio, ac præcipuo ſplendore percuſſerit, iterum ſub animi contuitum collecta, ex infinita rerum præſtantiſſimarum varietate exaggeratam aliquam lucem pulchritudinis efficiat. Chriſtus quid eſt? quæris in hoc opere potentiam authoris? ſtupendum prodigium eſt, in quo ſe totam diuini numinis poteſtas exporrigit, totam ad ſpeciem, & pompam oſtentat. Chriſtus quid eſt? quæris delicias amatoris hominum Dei, ſua viſſimaſque blandicias? Oſculum diuinitatis eſt, quo ſe Deus homini applicuit totumque circumplexus impreſſis quàm molliter, quam amanter oris ſui veſtigiis, viuæ quodam ardore charitatis animauit. Chriſtus quid eſt? quæris exquiſitæ pulchritudinis amœnitates illecebroſas? Facies vltimæ pulchritudinis appellatur, quæ gratiæ pariter, neque permixtis coloribus infundente ſe vberrimo lumine diuinitas effloreſcit. Quid ſapientiam commemorem, quæ nouo genere artis, ipſum artificem ſuum in opus incluſit: quid fabricæ molem operoſam, & arduam, opus ſcilicet omnium ſæculorum?

PVNCTVM III.

Ab adiunctis.

ORatoria definitio, eſtque deſcriptionis ſpecies magis, quàm definititionis. Cic. pro ſext. n. 17. *Sed fuit profectò quædam illa Reip. fortuna fatalis, vt ille cæcus, atque amens Tribunus pleb. nanciſceretur, quid dicam conſules? hoccine vt ego appellem nomine, euerſores huius imperij? proditores veſtræ dignitatis? hoſtes bonorum omnium? qui ad delendum ſenatum, affligendum equeſtrem ordinem, extinguenda omnia iura, atque inſtituta maiorum ſe illis faſcibus, cæteriſque inſignibus ſummi honoris, atque imperij ornatos eſſe arbitrabantur? Quorum per Deos immortales, ſi nondum ſcelera, vulneraque Reipub. inuſta vultis recordari, vultum atque inceſſum animis intueamini. Facilius facta eorum occurrent mentibus veſtris, ſi ora ipſa oculis propoſueritis. Alter vnguentis affluens, calamiſtrata coma deſpiciens conſcios ſtuprorum, ac veteres vexatores ætatula ſua puteali, & fœneratorum gregibus inflatus, atque perculſus, olim ne Scyllæo æris alieni in freto ad calumniam auhæreſceret, in tribunatus portum perfugerat. Contemnebat equites Rom. minitabatur ſenatui, venditabat ſe operis, atque ab iis ſe ereptum, ne de ambitu cauſam diceret, prædicabat ab iiſdem ſe, etiam inuito ſenatu prouinciam ſperare dicebat; eamque niſi adeptus eſſet, ſe incolumem nullo modo fore arbitrabatur. Alter, ô Dij boni quàm truculentus! quàm terribili aſpectu! Vnum aliquem te ex barbaris illis exemplum imperij veteris, imaginem antiquitatis, columen Reip. diceres intueri. Veſtitus aſper noſtra hac purpura plebeia*

beia,ac penè fuſca: capillo ita horrido , vt Capua,in qua ipſe tùm imaginis formandæ cauſa duum viratum gerebat,Seplaſiam ſublaturus videretur. Nam quid ego de ſupercilio dicam ? quod tùm hominibus non ſuper alium,ſed pignus Reſp. videbatur. Tanta erat grauitas in oculo,tanta contractio frontis,vt illo ſupercilio Reſpubl. tanquam Athlante cœlum , niti videretur.

Si liuorem deſcribas , his vti poteris.Inuidia, quam inſani Poëtæ Deam finxerunt , quid aliud eſt quàm larua ſuo ſanguine cruentata,confecta macie horrida , obliquo obtutu oculorum, marcidis putrida dentibus,generis humani terriculamentum?Vellem vidiſſes ſpeluncam in qua delitefcit,vt ſole nunquam luſtratur,nunquam vento,aut aëre purgatur,ſemper hîc perpetuus tenebratum horror. Quid pabulum memorem,viperas,colubros,cæteraque id genus?quis porrò eius riſus quæ calamitas ; quis gemitus, quàm aliena incolumitas ? cæterum mordacibus excarnificata curis,neque noctu dormit,neque die cõquieſcit.

Quærenti pariter quid eſſet voluptas,reſponderes eſſe teterrimum monſtrum ex inferorum clauſtris erumpens, ardentem præferens facem, quâ in mortalium pectoribus ignem tartareum accendat;Venena ſpargens præſentiſſima quibus hominum animos inficiat , lethali denique telo armatum, quo incautos , mediis in amplexibus, confodiat.

PVNCTVM VII.

Triplex huius definitionis vſus.

I. PRimus, cùm adhibemus eiuſmodi verbalia maſculina,euerſor,profligator. Pro Dom.n. 13.*Quid Sergius armiger Catilinæ,ſtipator ſui corporis,ſignifer ſeditionis , concitator tabernariorum, damnatus iniuriarum,fori depopulator,percuſſor,lapidator,obſeſſor curiæ.*

II. Secundus,verbalia fœmina,vel ſubſtantiua, quæ paſſim occurrunt. Mortem dices ſomnum æternum diſſolutionem corporum , diuinum pauorem , pauperum deſiderium , ineuitabilem euentum , incertam peregrinationem, latronem hominis , ærumnoſæ vitæ perfugium, portumque tutiſſimum.

Mulierem malam.Hominis confuſionem,viri naufragium , continuam ſolicitudinem indeficientem,pugnam,ſepulchri titulum,dæmonis arcum , & ſagittam. Fuge quiſquis ſalutem amas, talis eſt tactu viſcus,viſu baſilicus,cantu Syrem, & naufragium.

Ebrietatem.Flagitiorum matrem,rixarum nutricem,turbationem capitis, ſubuerſionem ſẽſus, tempeſtatem linguæ,procellam corporis,naufragium caſtitatis , amiſſionem temporis,inſaniam voluntariam , turpitudinem morum , vitæ dedecus,corruptelam animæ,blandum dæmonem,venenum dulce,ſuave peccatum.

Tronum Regis, arcem bonorum,improbitatis ſcopulum,innocentię propugnaculum,inopię perfugium,iuſtitiæ adytum , pacis,& otij fundamentum.

Rupellam. Veſaniæ ſedem , arcem ſeditionis, perfidiæ fomitem, ſcelerum flagitiorumque ſentinam.

Romam.Terreſtre Dei domicilium , arcem fidei,caput Religionis, vel gloriæ , virtutis,imperij fideique domicilium.

Moguntiam.Imperij caput , Europæ oculum, orbis gemmam,vrbem generis humani capacem, opibus firmam, copiis locupletem,bonorum omnium fontem.

Turbam malorum à corpore nobis obuenientium his verbis definit Triſmegiſtus c. 1. oportet veſtem,quam circumfers , exuere ; Indumentum inſcitiæ,prauitatis fundamentum , velamen opacum,viuam mortem , ſenſitiuum cadauer,ſepulchrum circumvertile , domeſticum denique furem,qui dum blanditur,odit;dùm odit,inuidet, huiuſmodi eſt quo tegeris vmbraculum inimicum.

Hic cauendum eſt ne dùm in definitione per adiuncta verbalibus vtimur, minus Latinam dictionem vſurpaſſe videamur.

III. Tertius. Quo dictiones integras adhibemus,ac ſingulis effectum aliquod comprehendimus.Quid eſt ebrietas?quæ de ſtatu ſuo mentem deturbat , corpus labefactat, cumular morbum. Quid caſtitas?quæ nos facit Angelis ſimiles,animum ad diuinæ ſcientiæ ſatus accipiendos parat corpus corruptione vendicat,

PVN

Digitized by Google

PVNTVM VIII.

Definitio per res ſingulares, verba, & nomina.

TAmetſi propriè definitio ſit rerum univerſalium, nihilominus res ſingulares habent etiam aliquid definitionis non diſſimile, quod orationem illuſtrat, nec ad augmentum minus aptum eſt, quam ipſa definitio, quale illud Cic. Phil.3.nu.13. *Nec vero de virtute, conſtantia, & gravitate Provinciæ Galliæ taceri poteſt. Eſt enim ille flos Italiæ, illud firmamentum Imperij Rom. illud ornamentum dignitatis.*

Pro Plancio item num. 31. Cn. Planciū Cnei, quem defendebat patrem, ſic dilaudat. *Cùm ſit Pl. is eques Rom. ut poſtea Princeps inter ſuos plurimarum rerum ſanctiſſimus, juſtiſſimus & judex; maximarum ſocietatum auctor, plurimarum magiſter.* Nū. 70. *Nam Opimij quidem calamitas, utinam ex hominum memoria poſſet evelli: Vulnus illud Reip. dedecus hujus imperij, turpitudo pop. Rom. non judicium putandum eſt.*

Quæ tamen, licet multa, cum definitione, communia habeant, quia ſingularium ſunt, ad Antonomaſiam, aut Expolitionem commodè revocari poſſunt, quale poſſet eſſe de Nerone. Veniat nunc ille Romanorum odium, labes Hiſtoriæ, monſtrum Principatus, impietatis ſentina, nequitiæ colluvies vorago libidinum, gloriæ vitiorumque mancipium.

Verba etiam non ſecus, ac nomina definiri poſſunt. Arnob. 1. contra Gentes. Quid eſt enim aliud iraſci, quàm inſanire quàm furere, quàm in vltionis libidinē ferri, & in alterius doloris crucem, efferati pectoris bacchatione, verſari?

Quin & hic nullo facto argumento definitionibus vt licet, vel ad rem quæ definitur adjunctis, vel pro ipſa re, quā definiūt, poſitis Tuſc. 5. nu. 5. *ô vitæ Philoſophia dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorū*, mater omnium artium, quid eſt aliud niſi ut ait Plato, deorum munus?

Quis portum malorum, effugium miſeriarum, ærumnoſæ vitæ perfugium vitandum eſſe cenſeat? 1. pro. Quis mortem putet eſſe fugiendā.

PVCTVM IX.

Per contraria

QVamvis non ita frequens ſit uſus contrariorum, tamen aliquis eſſe poteſt, qui mximè locum habet in exornatione. Ita definias Hæreticum per cōtraria, ſtudioſum divini cultus, eūdem & omnis religionis pertubatorem: oſorem peccati, eundem, & omni impietate inquinatiſſimum. Quæ definitiones cùm elegantes ſint, tum non ita certè intelligendæ, ut eidem tàm diverſa conveniant ſed ut idem Hæreticus ſe vocet, aut exiſtimet religionis amantiſſimum. Oſorem vitij, hoc eſt, definitionis primam partem ſibi arroget, quam ſecunda deinceps deſtruat. Quaſi diceret Orator. Arbitraris te omnis religionis eſſe cultorem; ego verò ſacrorum omnium everſorem, ac perturbatorem te ſcio.

In laudem quoque ejus generis definitiones converti poſſunt. Vt ſi vir religioſus idem everſor pietatis, & cultor appellaretur hoc ſenſu, ſcilicet, ut prima pars objectionem contineret, ſecunda dilueret. Pietatis everſorem religioſum virum vocas; quem omnes ſtudioſum divini cultus, religioniſque profitentur. Atque haud ſcio, an hic omnium definiendi modus ſit ad amplificandum aptiſſimus, præſertim ſi multæ conglobentur, ſic ornabitur aptis antithetis.

Hæreticum hominem definire potes. Cave ne te frons illa, ne vultus hominis artificio ſimulationis in fraudem impellat, intellige aliquando variam hominis hæretici multiplicemque naturam, dolos ancipites, fraudulentum ingenium, commutabile. Srudioſus eſt in ſpeciem divini cultus, at revera perturbator omnis religionis: verbis crimen exagitat, ſcelus deteſtatur, abhorret ab omni labeatq; in famia; àt in animo flagrant vitia libidinum, ardet occultis ignibus incenſa cupiditas, & ad omnem vitæ turpitudinem inflammata. Depone, depone larvam hanc ferale monſtrum. Quid bonos viros ſpecie virtutis aſſimulatè tenes pius, & impius, pudens, & impudens, innocens idem, & ſceleratus;

PVNCTVM X.

A ſimilitudine.

CVi non magnam ad probandum vim ineſſe puto, ſpeciem tamen aliquam, & venuſtatem non nego, ſed in ea vſurpanda cautione eſt opus. Nam difficile eſt præſertim Latino ſermone perſequi ſic ejuſmodi definitionem, ut ſuccum ſuum, & ſanguinem incorruptum retineat oratio. Cave blandienti te fœminæ comitas, hedera eſt, complexu necat; ſomnium imbecillis animis, illudit. Speculum, iniquam mentem oſtendit. Caduca ſtella, ſubito extinguitur. Flos, dùm oritur, tecum moriente moritur.

Quæ per ſimilitudinem fit ſemper eſt conjuncta tranſlatio. Nam cùm iratum hominem appello leonem, tacitè leonem cum homine comparo, & methaphoricè dico, eum aliud nihil eſſe, quàm leonem. Oportet autem quæ cum re definienda ſimilitudinem habent aliquam, de ea per modum definitionis in nominandi caſu prædicari. Sic ab Hugone bona conſcientia finitur. Ager benedictionis, titulus religionis, templum Salomonis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, theſaurus regis, aula diuini numinis, liber ſignatus, & clauſus, in die judicij aperiendus.

Sic pecuniæ nerui belli, viſcera Reipub. Lex, mutus magiſtratus: Senectus hyems ætatis: Virilis, æſtas, ætatis: Adoleſcentia prima Ver. quibus ad ſuauitatem utendum aliquoties.

Prædonem immanem ex hoc loco deſcribes oculis fulgurantibus, ſolis orbe latioribus, ſupercilio hirſuto, & aſpero horribilem in modum, ſylvam diceres incumbentem in antrum oculorum, eminenti dorſo turris in modum projecto, rictu oris & hiatu ingenti, voraginem putes & Charybdim, vultu porrò naturaliter tàm eſtero, & ad terrorem minaci, ut mehercule malim leonis rugitum, gemitus ſtrutionis, aut draconis ferre, quam hujus monſtri, vel blandicias & riſum. Mores ipſi vaſtitati corporis ſimillimi, tygride ferocior eſt, lupo voracior, leone iracundior, ſaxo & rupe durior.

PVNCTVM XI.

Ab effectis.

EST imprimis elegantiſſima definitionis ſpecies à qua Tull. 8. Phil. n. 12. Calenum arguit, qui pacem optaret. *Sed quæſo Calene, quid? tu ſervitutem, pacem vocas? majores quidem noſtri non modo, ut liberi eſſent, ſed etiam ut imperarent, arma capiebant: at tu arma abiiciieda cenſes, ut ſeruiamus.*

Quid eſt peccatum, aut quæ tandem illius cauſa naturam non habet. Quæ ratio; caret omni ratione. Quæ ſubſtantia? ne quidem in rerum natura eſſe poteſt. Nihil igitur eſt peccatum: quàm præclarè dicis etiam, cum nihil dicis? nihilne igitur de peccato dici debet! omninò: peccatum nihil dici debet. At peccatum cùm nihil ſit, de eo tamen quàm multa dici poſſunt: Peccatum peſtis eſt animi, conſcientiæ labes, vitæ pernicies, honoris macula, ruina virtutum; peccatum morborum parens, dolorum artifex, fabricator ſuppliciorum, fax æterni ignis: Peccatum Dei eſt odium, terræ clades, naturæ dedecus, totius orbis incendium, vis quæ dixi verbo colligã univerſa? Peccatum quid eſt; merum, ſed mirum nihil, cujus natura pugnare contra naturam, rationem evertere, ſubſtantia tota eſt, nõ eſſe.

Pro more Tull. eleganter definit, quid ſit pœnam ſuſtinere à Diis immortalibus, de Haruſp. reſponſis, num. 39. *A Diis quidem immorti. quæ poteſt homini major eſſe pæna, furore, atque dementia; niſi fortè in tragœdiis, quos vulnere, ac dolore corporis? cruciari, ac conſumi vides grauiores Deorum in iras ſubire, quàm illos, qui furentes inducuntur, putas. Non illi ejulatus & gemitus Philoctetæ, tàm miſeri, quamquam ſunt acerbi, quàm illa exultatio Athamantis, & quàm ſomnium matricidarum. Tu cùm furiales in concionibus voces mittis, cùm domos ciuium evertis cùm lapidibus optimos viros foro pellis, cùm ardentes faces in vicinorũ tecta iactas, cũ ædes ſacras inflammas, cũ ſervos concitas: cũ ſacra ludoſque conturbas; cũ uxorem ſororemque non diſcernis, cũ quod ineas cubile non ſentis, cũ bacchâris, cũ furis: tũ das eas pœnas quæ ſunt ſolæ hominum ſceleri à Diis immort. conſtitutæ. Nã corporis quidẽ noſtri infirmitas multos ſubit caſus per ſe: denique ipſum corpus tenuiſſima de cauſa ſæpe conficitur: Deorum tela in impiorũ mentibus figuntur.*

PVNCTVM XII.

A Comparatione.

DEfinitionem à comparatione is fecerit qui hæreſim dixerit peccatum omni detrimento pernicioſius, omni monſtro fœdius, omni ignominiâ turpius. Vel per negationem. Animi libem non lepræ, non cuiuslibet contagionis, aut morbi feritatem ſuperantem ſolùm, ſed etiam ſpurciſſimos dæmones, & ſi quæ ſunt in inferis locis, fœtidiora.

PVNCTVM XIII.

Regulæ ſiue definitionis axiomata.

EX omnibus definitionum formis peti poſſunt argumenta, quæ quatuor his axiomatis nituntur.

I. Quod conuenit definitioni, & definito, ſcientia benedicendi eſt vtilis, & Rhetorica. Sitis auri inexplebilis vituperanda, & auaritia.

II. Quod non conuenit definitioni neque definito. Facultas dicendi non eſt ſapientia; neque Rhetorica eſt.

III. Cui tribuitur definitio, tribuitur etiam definitum. Rhet. eſt habitus efficiendi certa cum ratione, igitur ars.

IV. A quo remouetur definitio, & definitum Rhet. non eſt rerum diuinarum, & humanarum cognitio, non igitur ſapientia.

I. Et III. Valent ad affirmationem, II. & IV. Ad negationem. Illa ad confirmandum: Hæc ad refellendum adhiberi ſolent.

PVNCTVM XIV.

Vſus Definitionis.

MAgnum eſt diſcrimen inter vſum locorum more Dialectico tractandorum, & Rhetorica methodo. Illa namque conciſè, ac breuiter, hæc fuſiùs, & ornatius. Dialectica Dolabellam reuocaret à prauis facinoribus in Remp concepris in hunc modũ, Gloriæ cauſa, ea præſtat, quæ facis: ſed cùm gloria ſit laus rectè factorum, & malè agás, prauè deſinas agere neceſſe eſt, ſi gloriam conſequi velis. At Cic. illud idem per exclamationem, per Apoſtrophem, per Expoſitionem, mirificè exornat, & definitionem, quâ vtitur, tanquã in extremo agmine collocat Phil. 1. n. 29. *Te enim intuens Dolabella, qui es mihi chariſſimus, non poſsũ de vtriuſque veſtrũ errore reticere Credo enim vos homines nobiles, magna quædam ſpectãtes, nõ pecuniã, vt quidam nimis creduli ſuſpicãtur, quæ ſemper ab ampliſſimo quoque clariſſimo que contẽpta eſt; non opes violentas, & populo Ro. minimè ferendã potentiã, ſed caritatem ciuium, & gloriam concupiſſe. Ea autẽ eſt gloria, laus rectè factorum, magnorumque in Remp. meritorum; quæ cùm optimi cuiuſque, tum etiam multitudinis teſtimonio comprobatur.*

Dialectica ſi perſuadere velit Cæſari nequaquam eum ſatis vixiſſe gloriæ, ſic argumentabitur; Non ſatis vixit gloriæ, qui famã meritorum, in ſuos, non eſt ſatis magnam conſequutus. At Cæſar nondum eſt eam conſequutus, ergo ſatis gloriæ non vixit. Rhethorica rem eandem verſabit per Subiectionẽ, & Diuiſionem duplicem, claramque Interpretationem pro Marcello nu. 27. *Parùmne igitur, inquies, gloriam magnam relinquemus? Imò vero aliis quamuis multis ſatis. tibi vni parũ. Quidquid enim eſt, quamuis amplum ſit, id certè parum eſt tùm, cùm eſt aliquid amplius. Quod ſi rerum tuarum immortaliũm C. Cæſar hic exitus futurus fuit, vt deuictis aduerſariis. Rempubl. in eo ſtatu relinqueres, in quo nunc eſt: vide, quæſo, ne tua diuina virtus admirationis plus ſit habitura, quàm gloriæ: Siquidem gloria eſt illuſtris, ac peruagata multorum, & magnorum, vel in ſuos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum. hæc igitur tibi reliqua ars eſt: hic reſtat actus, in hoc elaborandum eſt, vt Remp. conſtituas, eaque tu inprimis compoſita, ſũma tranquillitate, & otio perfruare: tùm te, ſi voles, cùm & patriæ, quod debes ſolueris, & naturam ipſam expleueris ſatietate viuendi, ſatis diu vixiſſe dicito.*

Quàm eleganter Cic. probat non optandum fuiſſe Miloni, Clodius vt interiret à definitione n. 35. *Vos adepti eſtis, ne quẽ ciuem metueretis; hic exercitationẽ virtutis, ſuffragationẽ conſulatus, fontẽ perennẽ gloriæ ſuæ perdidit. Quid vultis amplius? Quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetẽ ac materiẽ ſuæ gloriæ. Ille erat vt odiſſet primùm defẽſorẽ ſalutis meæ; deinde vexatorem furoris, domitorem armorum*

Digitized by Google

ſuorũ, poſtremò etiam accuſatorem ſuum. &40. *Atqui erat id temporis Lentulus vltor ſceleris illius, propugnator Senatus, defenſor veſtræ voluntatis, patronus illius publici cõſenſus, reſtitutor ſalutis meæ.*

LECTIO. II.

Locus à notatione.

TAmetſi ſatis infrequens huius loci vſus ſit apud Oratores, definitionem tamen aliquam nominis conſtituunt, & illam latinis Notationem, cùm ex vi nominis argumentum aliquod elicitur; Græcis Etymologiam, & Ariſtoteli Symbolum: quòd verba ſint rerum veluti notæ quædam, ac Symbola.

Quoniam verò quod ex vi nominis ſumitur argumentum plus dignitatis habet, quàm vulgo exiſtimetur, in eo tractando verſari non pigebit, ſequar tamen ea dumtaxat, quæ illuſtriora ſunt. Video autem huius loci præcipuum vſum eſſe, vel cùm in nomine aliquo ludum, & facetias quærimus; vel cum eo, ad vrbanitates, & acumen, abutimur; vel cùm laudem, aut dedecus conciliare ſtudemus; vel denique cum incidit ſeria aliqua, de nomine diſputatio.

PVNCTVM I.

A facetiis.

SI ſales quæris, & vrbanitates, locus iſte feraciſſimus eſt. Ex hoc primum deducitur argumentũ ab æquiuocatione. Cùm quendã audiret Auguſtus, patris ſepulchrum arare, ex verbo, *Colo* traxit argumentum ad hominem. Pius, inquit ille eſt, eximiè enim patrem *Colit*, ambiguitas in *Colo*, quod & obſeruare, & arare ſignificat.

Per affirmationem. Phil. 2. Animaduerti dici iam à quibuſdam exornari à me nimium Brutum; quos ego orno? nempe eos, qui ſunt ornamenta patriæ, ornatus decet.

Ex nominis interpretatione, Caluiſium calentem vino, calentem venerẽ.

Deriuatione. Ph. 4. n. 3. *Quid legio Martia? quæ mihi videtur diuinitus ab eo Deo traxiſſe nomen à quo populum Ro. generatum accepimus.* Accuſationum 6. n. 53. Verrem Cic. prouinciæ dicit Euerriculum. *Quid vnquam Iud. huiuſmodi euerriculum vlla in prouincia fuit?*

PVNCTVM II.

Ad acumen & vrbanitates.

VAlet non parum ipſa notatio ad doctrinæ, ingeniique ludentis oſtentationem. Elegãs & acutum ad delectationem illud Poëtæ non ignobilis in Clementem VIII.

Sancta pudicitia virtus redit exul in vrbem.
Quid mirum eſt? vrbi præſidet Hyppolitus.

Per remotionem, aut immutationem eſt illud Actij ſinceri de Ferrando.

Ex ferro nomen tibi ſit licet, aurea condis
Sæcula: nam ſub te Principe nemo metit.

Ad jocum, inquam, & acumen aptum ſi ſponté fluat, vt in Neronem matricidam luſit Poëta bonus.

Quis neget Æneadũm magna de gente Neronẽ?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Ex diſſẽtaneis valet hoc epigramma D. Virginis, & Martyris Barbaræ.

Barbara ſum, non ſum, miti ſum pectore Virgo.
Sed qui me genuit barbarus ille fuit.
Ille meo tragicum rubefecit ſanguine ferrum,
Et pater, & lictor meſſuit enſe caput.
Sic ferus ille fuit; mihi leni lenius amne
Ingenium, & mitis mitius eſt oleo.
Qui mecumque vocat, venio patrona vocantis,
Et latam mæſta porrigo diua manum.
Tum ſubiti fallax lethi quos opprimit aura,
Sacramentorum munere Diua fero.
Gloria nam noſtra hæc. Præſẽs ego Barbara credor
In deſperatis moribus auxilium.
Hoc agri, hoc vrbes, ramoſa hoc compita clamãt,
Omnibus hoc templis pulpita ſancta ſonant.
Ergo ego tàm mitis cur dicar Barbara, mitte
Quærere, cur non ſim Barbara facta docent.
Vt parcæ parcunt, vt luci lumine lucent,
Vt bellum eſt bellum; ſic ego barbara ſum.

Quæ nomina cùm ſint veræ, ſolidæque gloriæ præmia, vel ſcelerũ inſignes notæ, ſæpè magnam dicendi ſegetem Oratori ſuppeditant. 2. in Rull. Tull.

Digitized by Google

Tull. Conſulis popularis nomen ambitioſè ſibi vendicat.num.9. *Quæ cùm ego non ſolum ſuſpicarer, ſed planè cernerē, neque enim obſcurè gerebantur, dixi in Senatu, in hoc magiſtratu me popu arem Conſulem futurum. Quod enim eſt tàm populare quàm pax? quâ non modò ij quibus natura ſenſum cedit, ſed etiam tecta, atque agri mihi lætari videtur. Quid tàm populare quàm libertas? quam non ſuum ab hominibus, verum etiam à beſtiis peti, atque omnibus rebus anteponi videtis; Quid tam populare, quam otium quod ita iucundum eſt vt & vos, & maiores veſtri, & fortiſſimus quiſquè vir, maximos labores ſuſcipiendos putet, vt aliquando in otio poſſit eſſe, præſertim in imperio, ac dignitate: qui idcirco etiam maioribus noſtris præcipuam laudem, gratiamque, debemus, quod eorum labore eſt factum, vt impunè in otio eſſe poſſemus. Quàre qui poſſum non eſſe popularis cum videam hæc omnia, pacem externam libertatem propriā generis, ac nominis veſtri otiū domeſticum, denique omnia, quæ vobis cara, atque ampla, in fidem, & quodammodo in patrocinium mei conſulatus eſſe collocata.*

In hoc exemplo videre licet mixtum Definitionis locum, & Notationis, vt pondus accedat orationi. Quòd & ab eodem vrget antithetis pro Rabino Perd. à num 11. ad 14. *Quamobrem vter noſtrûm tandem Labiene popularis eſt? tunè qui ciuibus Ro. in concione ipſa carnificē, qui vincla adhiberi putas oportere: qui in campo Martio, comitiis centuriatis, auſpicato in loco, crucē ad ciuium ſupplicium defigi, & conſtitui iubes: an ego qui funeſtari concionem contagione carnificis veto? qui expiandum forum populi Ro. ab illis nefarij ſceleris veſtigiis eſſe dico: qui caſtā concionē ſanctum campum, inuiolatum corpus omnium ciuium Ro. integrum ius libertatis defendo ſeruari oportere? Popularis verò tribunus pl. cuſtos defenſorque iuris, & libertatis. Porcia lex virgas ab omnium ciuium Rom. corpore remouit: hic miſericors flagella retulit. Porcia lex libertatem ciuium lectori eripuit; Labienus homo popularis carnifici tradidit Gracchus legem tulit, ne de capite ciuiū Ro. iniuſſu veſtro iudicaretur, hic popularis à Duumuiris, iniuſſu veſtro, non iudicari de ciue R. ſed indicta cauſa ciuem R. capitis condemnare coegit.*

PVNCTVM II.

Ad Laudem

QVod pertinet ad laudem primo familare eſt Poëtis ex ſingnificatione nominis commendationem quærere. Nomē Earini Pueri ſuauiſſimè commendat Mart. ep. 11

Quoniam verò huiuſmodi laudes in genere demonſtratiuo frequentes ſunt, ſed frigidæ, niſi magno cum artificio tractentur, lubet vnam aut alteram amplificandæ laudis à nomine Ideam relinquere. Primò amplificari poteſt vnius nominis commendatio per comparationem, Ferdinādi II. Auguſtiſſimi Imperatoris factum vides Sancti nomen quod vox populi illi adhuc viuenti paſſim ſolita fuit attribuere. Ne te felicem Auguſte prædices, nomen beatum, ſed fortunæ, non moribus conuenit: Pulcher es Tite? iucundum nomen ac ſuaue, ſed ea laus corporis, non animi excelſi ac inuicti: Pompeium Magnum declamat exercitus, Roma confirmat: vox fateor magnifica, plena maieſtatis, ſed plus in ea ſæpè ambitionis, quàm veræ gloriæ reperitur, &c. Te verò cū Auguſtum appellamus, non leuem aliquam tribuimus gloriam, non alienam; non ambitioſam, ſed veram, grauem, ſolidam; Etenim qui ſanctus eſt: idem meâ ſententiâ, Fœlix Auguſtus, Pius, Optimus. Fœlix Ferdinande cui tantum bonum à Deo immortali contigerit; Magnus, cuius rerū laudabiliter geſtarum numerus Orbi univerſo penè eſt ſtupori; Pius eſt enim prima laus ſanctitatis Deo in acceptis omnia ſumma referre; Optimus neque enim poteſt dici Sanctus, niſi qui omnibus in ſua cuiuſq; laude fuerit illuſtrior. Hoc igitur nomen aſſecutus es, quod profectò ad aliū pertinere nō poteſt, nec videri unquam, niſi alienum in bono principe, in malo falſum quod alij principes etiam ſi meritos ſe eſſe exiſtiment, ſemper tamen erit tuum cuius excellentem gloriam obſtupeſcendis facinoribus meruiſti.

Secundò, ſi cui plurima nomina attribuantur ad dignitatem, & laudem ampliſſima; ita tractari poterit, vt ex ſingulorum interpretatio

tatione per ſpeciem quamdam diſtributionis redundet aliqua commendatio. Hinc Ferdinandũ meritò dixeris Belli fulmen, Pacis clypeum, Decus Rom. Imp. Orbis gloriam, hæreticorum terrorem, mundi ornamentum. Hanc laudem ampliſſiman dilatare quis oratione poterit. O diuinam & immortalem laudem! Vis Chriſtiana Reſpublica Barbarorum coercere audaciam? Hæreticorum furorem frangere? Belli fulmen, impiorum terror eſt Ferdinandus. Vis chriſtianos Principes communi fœderis ſocietate deuincire? Pacis clypeus eſt Ferdinandus. Vis Chriſtianum populum cæteris infidelium nationibus, amplitudine, gloriâ, dignitate præcellere? Decus Romanæ fidei & Imperij eſt Ferdinandus. Vis totum Orbẽ nouo Maieſtatis ſplendore etiam vltimis clarere temporibus? Orbis gloria eſt Ferdinandus. vis naturam hanc rerum aſpectabilem pulchriorem cernere & ornatiorem! Mundi ornamentum eſt Ferdinandus. Tolle hoc fulmen? pace cæterorum dicam? ſacra bella languebunt? Tolle hunc clypeum nulla ſatis firma pax; Tolle hoc decus, &c.

PVNCTVM IV.

Ad vituperationem.

Qvod ſpectat ad vituperationem facilè eſt conflare inuidiam aduerſario ſi patrato crimini, nomen odioſum quæras. 2. in Rull. n. 55. *Verbum mihi deeſt, cùm ego hanc poteſtatem, regiam appello, ſed profectò maior eſt quædam. Nullum enim regnũ fuit vnquam, quod non, ſi minus iure aliquo, at regionibus tamen certis contineretur. Hoc vero infinitũ eſt, & quo regna omnia, & veſtrũ imperiũ, quã latiſſimè patet, & ea quæ partim libera à vobis, partim etiam ignorata vobis ſunt, permiſſu legis continẽtur.*

Pro Roſc. Amer. Chriſognum in ſuſpicionem auaritiæ vocauit ab ipſius nomine, quod aureum ſignificat, aut quaſi auro genitum.

Si glorioſum nomen oblatum aduerſario fuerit, aut ab eo quæſitum, tu ipſe detorqueas ad maledictum. 4. Verr. vbi multis ad indignationem compoſitis ſacra Verrea exagitat, quæ cùm Verres vanitatis cauſa induxiſſet, Cicero iure importata fuiſſe dicit, quod ille præclarè pronunciaremueteret, num. 52. *At vero præclarum diem repoſuiſti verrea, vt agerent, & vt ad eum diem quæ ſacris, epuliſque opus eſſet, in complures ãnos locarẽtur. Iã in tãta iſtius impudẽtia, remittẽdũ aliquid videtur, ne omnia cõtendamus, ne omnia cũ dolore agere videamur. Nã me dies, vox, latera deficiãt ſi hoc nũc vociferari velim, quã miſerũ, indignũque ſit iſtius nomine apud eos diẽ feſtũ eſſe, qui ſeſe iſtius opere funditus extinctos eſſe arbitrentur, ô Verrea præclara, quoquam ſi acceſſiſti quæſo, quò non attuleris tecũ iſtum diẽ? Etenim quã tu domũ, quam vrbem adiiſti, quod fanum denique, quod non euerſũ, atque exterſum reliqueris. Quare appellẽtur ſanè iſta Verrea, quæ nõ ex nomine, ſed ex manibus, naturaq; tua conſtituta eſſe videãtur.*

PVNCTVM V.

Regulæ ſiue Cautiones, & axiomata.

Vtimur notatione cum detrahimus, aut tribuimus nomini, quod eſt detrahendum, aut tribuendum. Timor non eſt in ciuitate ferendus, ergo neque tumultus. Cic. Phil. 8. num 2. *Belli nomẽ ponẽdũ in ſententia quidam non putabant? tumultũ appellare malebãt, ignari non modò rerũ ſed etiã verborũ: poteſt enim eſſe bellũ ſine tumultu, tumultus eſſe ſine bello nõ poteſt. Quid enim eſt aliud tumultus, niſi perturbatio tãta, vt maior timor oriatur; Vnde etiam nomen ductum eſt tumultus.*

Quod cadit in nomen, cadit & in notationẽ, vt ſi præclarum eſt magnum vocari, præclarum eſt magnas res agere. Serium eſt illud argumentum in Oratore ad Brutum, quo probat eloquutionem in Oratore debere excellere, præ cæteris eloquentiæ partibus, num. 61. *Sed tã illius perfecti Oratoris, & ſumma eloquentiæ ſpecies exprimẽda eſt. Quem hoc vno excellere, id eſt, oratione, cætera in eo latere, indicat nomen ipſum: non enim inuentor, aut compoſitor, aut actor, hæc complexus eſt omnia, ſed & eloquendo phraſes, & latinè eloquens dictus eſt.*

Illud porrò obſeruandum eſt, ita demum firma eſſe ad rem probandam argumenta, ſi modo naturæ proprietatis, aut conditionis rerum aliquam rationem habeamus, rectè Regem eum

putabo,

Digitized by Google

putabo, qui ſe, & alios bene regit. Si verò temetè ſint impoſita, ad fidem faciendā non erunt idonea, quæ licet omnia nihil ad pugnam, & palæſtram conferunt, ad riſum tamen & delectationem multum faciunt. Cæſar interpretationem nominis inter facetiarum locos enumerat 2. de Orat. Cùm ad ridiculum conuertas, quãobrem ita quis vocetur, vt ipſe nummum diuiſorem, vt Neoptolemum ad Troiam; ſic illum in campo Martio nomen inueniſſe dixit à nummis ſcilicet diuidendis.

Pari ratione Vatinium notat, quem ait impudenter Vaticinando Conſulatum ſuperaſſe. Non valent argumenta præſertim affirmatiua ſemper, vt ſi dicas à notatione mutuum id eſſe, quod de meo tuum fiat, poteſt enim fieri de meo tuum, vel furto, vel pretio, ita vt non mutuum ſit.

Nominibus credam, nec nunquam, nec neque ſemper;
Nec nunquam verum, nec neque ſemper habẽt.

CLARA, AGATHA, AMBROSIVS, STEPHANVS, VINCENTIVS, AGNES,
Conueniunt ſanctis nomina pulchra ſuis.
BARBARA, CÆCILIA, VRSINVS, LVPVS, VRSVLA, ASELLA.
En pugnant ſanctis nomina praua ſuis?

PVNCTVM VI.

Anagrammata.

HVc Anagrammata pertinent plerumque laborioſi magis, quàm ingenioſi partus, vel potius quoddam tormentum ingenij; ſunt autem, vt obiter dicā varij generis. Primum in quo fit *ἀναποδισμὸς* cum alicuius vocis elementa ſumuntur ordine retrogrado; ſic ex *Roma* legitur *Amor*, ex *Aura*, *Arua*, ex *Omen nemo*, *&c.* Hinc Sotadici verſus, ſeu Cancrini per repedationē affinguntur, parcus aſſumendi niſi ſi quid ænigmaticum venuſtè pariant, & ad inſtitutum faciant, alioqui res multo ſudore ſteterit, nullo fructu; multis odioſa, quia noua, nõnullis inuidioſe, vel ridicula, quia ſingularis & inaudita videbitur. Si tamen elegans fuerit, & aperto demū artificio, tanquam velamine ſublato, perſpicua: ſi fuerit opportuna nō ingratos amores & delicias faciet.

Quàm pulchre ſuo ſepulchro neſcio quis, aut arcæ ferali voluit incidi verſum à Diomedis Epitaphio petitum, quod in lauacro ſanctæ Sophiæ Conſtantinopoli legebatur olim ſcriptum.

ΝΙΨΟΝ ΑΝΟΜΗΜΑΤΑ ΜΗ ΜΟΝΑΝ ΟΨΙΝ.

Nimirum prudenter, & piè mortales admonebat vt ſæpè de morte ſua cogitarent, & peccati ad ſalutem, non faciei tantum ad decorem maculas eluerent.

Melius fortè cū in regreſſu ſignificatur oppoſitum; ſic Ortodoxæ fidei perquam ſtudioſus.

Patrum dicta probo, nec ſacris belligerabo.

At hæreſeos labe infectus contrarium more ſuo Dei vitæ melioris oblitus pollicetur recurrente ſotadico.

Belligerabo ſacris, nec probo dicta patrum.

Alij verſus recurrunt quidem per eaſdem litteras, ſed neque ſentētiam immutant nec aliud quidquam efficiunt, proinde nihil admirationis habent, nec multum difficultatis, & nogotij parum exercitatis faceſſunt. Huius generis eſt illud de Amphione diſtichon.

Petras vna trahit vox metris imperioſa.

Recurrit quippe in Pentametrum Hexameter
Imperioſa metris vox trahit vna petras.

Secùs anguinei, qui quoniā ab elemento poſtremo vocabulis iiſdem retexuntur ab Apollinari Sidonio recurrentes vocantur, in quibus plerumque ſenſus, aut perſpicuitas deſideratur.

Sic in laudandâ Dei Matre Anonymus ſudauit
Aue ô Diua Maria, iram, auido Eua.
Ore tu & rectè & certè vtero
Solem refers. I bona nobis refer melos
Si muſa robora ſumis.
Adòro te animo Domina, & oro da
Miſero tu munus vnum, vt oreſim
Raſilo. ara ſi Dîs non colitur
Aut arca ſacra tua.
In germine Ieſſei enim regni
Tu es nata ſtella. Palles Satan ſe vt
Videt erui è robore iure te diu
Tabida vna manu adibat.
Anima flos tu ecce vt ſol fœmina
Mitis ades, Enbi liberè ſeda ſitim
Atrocis, aut (te nam manet) tua ſic orta
Animis oro ſemina, &c.

Digitized by Google

Quis in hac nocte tenebriſque lucis radium deprehendat aliquem, niſi ſolem habeat in oculis, aut animum altioris diſciplinæ capacem?

Hunc recurſum literarum Florentinus quidam operoſus artifex adhibuit in ſepulchro ſuo, cui vocem hanc duntaxat incidi curauit SVMVS, cum duobus tamen horariis, altero arenareo, ſolari altero. Iam vero quia hoc vmbra, illud horas indicare, vel diſcernere ſolet, nullo negotio viator ſuſpicabatur imbecillitatis humanæ mortales admoneri hiſce figuris quarum hic ſenſus eſſe poterat.

Puluis & vmbra ſumus.

Mittamus igitur vmbras, in ſole felicius exerceatur ingenium. Græci, quorum lingua vt copioſior, ita magis ad id artificij genus idonea, ſenſũ & lucem in ſuis Concrinis aliquam relinquunt. Hæc ex Diomedis Epitaphio deprompta multo labore, ac induſtria ſingulari ſcripta reperiuntur:

εἰς Διομήδους τάφον

Ηδη μοι Διὸς πηγὴ παρὰ σοὶ Διομήδη

Iam mihi Iouis ſanè ſons apud te Diomedes

Νοσῶ δὲ φάρμα ΙΗΣΟΥ, σῶσον

Ægrotos Tu qui es medicamentũ IESV, ſerua.

Νῷ ἐλατὰ μήνοντα, σοφὸς ἄτη νοήματο λέων

Mente ductils, non proficua, ſapiens damnum opiniones populorum.

Ἱερὰ σὰ παρὰ χείλη ἥλιε χαρὰ πᾶσα ῥεῖ.

Sacratua apud labia ſol. gratia omnis fluit.

Νόμον ὁ καινὸς ἔχε σὸν οἰκονόμον.

Legem quiſque habe tuum œconomum

Κάρκινον eſt quoddam per verba perque litteras recurrens ex eadem Anthologia lib. 6.

Σοφὸς ἔγωγ᾽ ἤδη ὤν. Καρὰ τ᾽ ἄνω γελῶ τὰ

Κάτω, λέγων ἄνω τὰ ταραχῶν ἄνω, ἤδη ἔγωγε σοφός.

Sapiens ego iã exiſtens ſuperis, lætitia ſuperorum, rideo quæ

Sunt infra, dicens: ô quæ ſupra perturbationes, iam ego ſapiens.

Alter modus eſt cum nominis alicuius literæ, ita miſcentur; vt eorum ordine immutato fiat nomen nouum, pro Caluino Lucianus pro Logica Caligo, pro Petrus ſuper T, hoc eſt crucem.

In vocibus homonymis ambiguum.

Tertius verſatur in ambiguo, præſertim ſi ſectemur homonymiam, & quis ænigmaticè dicat Aquilam eſſe quæ contra volucrum naturam fundat aquam, adeoque copioſam, vt irriget non hortos tantùm, ſed agros etiam, & vniuerſam, in qua eſt, prouinciam, & hoc de Nono cui (vt vult Diodorus Siculus) Aquilæ nomen fuit. Aut ſi quis narret Oceanum eſſe media in terra ſitum ſeptem vel octo brachiis inſtructum, qui tandem in mare Mediterraneum ſe totum effundat, & abſorbeatur, quod iterum de Nilo intelligetur: Nam ex iam laudato Diodoro quondam Oceanus dictus eſt.

Sic aliàs ad aſſentationẽ eruditus neſcio quis plus Cæſarem, vt faceret verſum bonum, laboraſſe, dixit, quàm Virgilium in ſcribenda Æneide. Lepidum id quidem fuit, & ad riſum excogitatum, nimirum Cæſar plures annos impendit, vt verſum Dalmatarum Ducem neci daret, ſeu bonum & mortuum faceret, quàm in opere ſuo nobilis ſcriptor Æneidos poſuiſſet.

Sic de Pontifice Romanorum veterum, qui more maiorum Pontem inſtaurari Sublicium curabat dicens, cum eſſe qui poſſit,

Lymphas exciſis Tyberinas ſubdere ſyluis,

De Chriſtianæ Religionis Antiſtite pari ratione ſcribes, cum eſſe qui

Conciliare poteſt ſacto cæleſtia ſacro.

Eſt aliud non inuenuſtum in appellatione Philippi, in qua ſi Græca ſpectes, amator equorum deprehenditur, ſi linguam ſacram, os lampadis, hic canente Aratore,

—— Impone Philippum

Lampadis os, quod Hebræus ait qui mentis honorem.

Nomine teſte probat.

Pendebant animis Conſtantinopolitani quod Oraculo Sibyllino accepiſſent, vbi à Romanis denuo recepta foret Africa, mundum cum prole ſua periturum; Itaque conſternati, ruinam orbis imminentem, vitæque præſtolantes exitum, in riſum ſoluti ſunt ſub veſperam, nuncio recepto, quo docebantur, ducem copiarum *Mundum* cum prole, ſeu filio Mauricio in Gothos emiſſum ab Iuſtiniano Imperatore peremptum ab iiſdem Gothis fuiſſe. Ioannes magnus libro decimo capite decimo quarto.

Eſt

Eſt illa non iniucunda narratio, quam refert Zonaras in Honorio: Habebatis in deliciis Gallinam prægrandem, Romam appellitabat; Cùm igitur à Wandalorum Duce Romam captam eſſe inaudiſſet, ferunt eum πρὸς τὴν ἀγγελίαν συſκλονηθὲν τὰ σπλάγχνα τὸ σῶμα καὶ τὸν μηρὸν πατάξαντα ταῖν χεροῖν, ad eum nuncium conſternatum conuulſo corpore, & femora manibus ferientem, petiiſſe qui fieri poſſet, cùm paulò ante ibi adfuiſſet: autumabat quippe totus in Gallina, domeſticam illam auem à quodam retineri, non vrbem dominam ab hoſtibus occupari, idcirco ingemiſcebat amens, & rerum minimè prouidus cuius cogitationes non in ciuitatem orbis imperiique caput, ſed in auem ferebantur.

Elementaris expoſitio vocum.

Quartus paronomaſiam admittit, fitque non recurrendo per litteras, ſed conſonatum ſedem immutando ſic afferuntur iſta: Maſus, fanus; credulitas, crudelitas, vanus, Nauus; Ninoſus, Vinoſus, Tiberius, Biuerius. Quæ quidem vt puerilia videantur, pertinent, tamen ad elementarem expoſitionis modum, qui compoſitio vocatur ab interpretibus ſacris.

Vel etiam vocum diuiſionem; hac vſus eſt facetus in Comœdia neſcio quis & in adultero prodendo, cui Tertullus nomen erat, ſatis exercitatus. Enimuero ex compoſito Tripode. Tertium iam reddita fuerat iſta vox *Tullus*: Dein, eruditus ille ſeruus in ſcena ſubirato. ſimilis roganti ſæpius, & moleſtè inſiſtenti reſpondebat. ſe iam petitiones eius dubiumque ſoluiſſe, qui dixiſſet Ter *Tullus*.

Non diſſimili ratione vrbem Phœniciæ Tyrum obſidens Arexander è Coniectoribus accepit vrbem à ſe intercipiendam, quòd Satyrum in ſomnis ſecum colludentem vidiſſent cumque receſſiſſet aliquoties, captum tamen. Felix Fauſtumque fuit omen in hac ſyllabarum diuiſione σάτυρος σὰ τυα, & τύρος Tyrus eſt aiebat coniector, quod & verum fuiſſe probauit euentus, cùm in Alexandri poteſtatem vrbs illa venit.

Vocum reſolutio.

Quintus vocatus Analyſis, quam duplicem faciunt, elemẽtarem alteram quæ in partes & elementa reſoluitur, Iubetur Oedipus dicere nomen aliquod quatuor orbis partes complectens obtrudet illicò nomen Adam. Vult enim Sibylla

in A,
Ἀνατολὴν *Orientem,*
in Δ,
Δύσιν *Occaſum,*
in A,
Ἄρκτον *Septentrionem,*
in M,
Μεσημβρίαν *Meridiem.*

contineri, ſic enim canit,

Αὐτὸς δὴ Θεὸς ἐσθ' ὁ πλάσας τετραγράμματον Ἀδάμ.
Τὸν πρῶτον πλασθέντα καὶ οὔνομα πληρώσαντα
Ἀνατολήν τε, δύσιν τε, μεσημβρίαν τε, καὶ ἄρκτον.
Nimirum Deus finxit tetregrammaton Adam
Qui primus fictus eſt, & qui complet nomine
Ortumq; & Occaſum, Auſtrũ Boreamq; rigentẽ,

Numericam alteram, quòd non in res ſignificatas, ſed in numeros duntaxat, qui litteris comprehenduntur, fiat nominis diuiſio, nempe LVX, ſecundum hanc formam diuiditur in 50. primo, deinde in 5. & 10.

Porrò Chriſti ſeruatoris nomen Sibyllinis Oraculis legitur lib. 1. Oraculorum. Nam vbi de ſuperfuſa terris in immẽſum aquarum alluuione ſcripſit, qua mortales, paucis in illud cõpactile domicilium ad ſpem generis coniectis, perierunt omnes, & tantum non orbis eſt abſorptus, æterni Patris ſimilem mortalibus Filium, in terris cum hominibus verſaturum contendit his verſibus.

Δὴ τότε καὶ μεγάλοιο Θεοῦ παῖς ἀνθρώποισιν
Ἥξει σαρκοφόρος, θνητοῖς ὁμοιούμενος ἐν γῇ
Τέσσαρα φωνήεντα φέρει, τὰ δ' ἄφωνα δ' ἐν αὐτῷ
Δισσῶν ἀγγέλων, ἀριθμὸν δ' ὅλον ἐξονομήνω
Ὀκτὼ γὰρ μονάδας, τόσσας δεκάδας ἐπὶ τούτοις
Ἠδ' ἑκατοντάδες ὀκτὼ ἀπιστοκόροις ἀνθρώποις
Οὔνομα δηλώσει, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νόησον
Ἀθανάτοιο Θεοῦ Χριστὸν παῖδ' ὑψίστοιο.
Tunc ad mortales veniet mortalibus ipſis
In terris ſimilis natus Patris Omnipotentis.

corpore veſtitus. Vocales quatuor autem
Fert non vocaleſq; duas,binûm geniorum
Sed quæ ſit numeri totius ſumma docebo
Namque octo monadas, totidē decedas ſuper iſta
Atque Hecatondas octo infides ſignificabit
Humanis nomen: Tu vero mente teneto
Æterni natum Chriſtum,ſummique parentis.

Quibus verbis primo Sibylla docet quod ſit nomen eius,qui μεγαλοιο Θεῶ παῖς ſit Filius Dei magni : qui σαρκοφόρος ſit, carmen ferens , hoc eſt corporatus; deinde, quod in illa,quæ requiritur nota , ſint τέσσαρα φωνήεντα vocales quatuor , & non vocales ſeu conſonæ duæ τὰ δ' ἄφωνα δύο.

Reliqua nomen ipſum per numeros deſcribunt:quippe monades octo faciunt 8. decades: Tot etiam hecatontades ſeu octies centena ſic 800.exprimuntur,ex quibus conflatur numerus elementorum ſalutaris nominis ΙΗΣΟΥΣ. Hæc enim eſt literarum,quæ in eo ſunt, poteſtas,

Ι	10
Η	8
Σ	200
Ο	70
Υ	400
Σ	200

Quæ notæ 888. conficiunt. Romanæ maius lumen afferent,

Οκτὼ ἑκατοντάδες CCCC CCCC

Siue

Octies centum quæ efficiuntur literis Σ,200.Υ,400. Σ,200.

Οκτὼ δεκάδες XXXX XXXX.

Siue,

Octies decem quæ efficiuntur literis. I.10.& O,70.

Οκτὼ δεκάδες IIII IIII.

Siue,

Octo,quæ redduntur literæ. H,8.

Apud Hebræos verò ſi literarum nominis IESV valorem expēderis,cōficient numerū LXXXVIII. quem octonarium conſtantiæ notam dicunt, proinde regni eius æternitatem denotari.

Cuius regni non erit finis.

LECTIO III.

Locus à partium enumeratione.

Ampliſſimus vt qui maximè, quarè diligenter,&accuratè tiactādus eſt:Vtenim inepta partium enumeratione,ac turbulenta , vt ſic loquar, nihil fœdum in oratione magis , ita nihil ornatius,nihil ad perſuadēdum efficacius,quàm ſi benè,& exactè tractetur:Et quidem nulla penè eſt figura,quæ commodare non poſſit lumen & ornamentum enumerationi;nullus , inter communes , locus ,per quem duci , & vagare non queat.

PVNCTVM PRIMVM.

Partitio.

DVplex aſſignatur partium enumeratio , vna quæ vocatur propriè partis partitio;altera diuiſio. Prima ſpecies, cùm ſingulis membris proprium aliquod tribuitur,per Iſocola, talis eſt illa Phil.14.enumeratio.n.34 *Sed quoniam P. C. gloria munus optimis , & fortiſſimis ciuibus monumenti honore perſoluitur, conſolemur eorum proximos,quibus optima eſt hac quidem conſolatio;parentibus quòd tanta Reipub.præſidia genuerunt:Liberis quòd habebunt domeſtica exempla virtutis Coniugibus,quòd ijs viris carebunt,quos laudare,quàm lugere præſtabit;fratribus ,quòd in ſe,vt corporum, ſic virtutum ſimilitudinem eſſe confident.* Quibus verbis,interfectorum in acie,pro de enſione patriæ,cognatis , & affinibus conſolationem , pro vniuſcuiuſque gradu tribuit.

Ad rem illuſtrandā facit,Quàm ornatè?quàm difertè Plinius Iun.in Panegyr.quem Imp. Trojano dixit,eiuſdemq;triumphantis in vrbem ingreſſum,hac deſcriptione populi ſpectandi eius gratia,vndique ſeſe effundentis,cohoneſtat ?

Ergo non ætas quemquam,non valetudo,non ſexus retardauit quominus oculos inſolito ſpectaculo implerēt.Te paruuli noſcere,oſtētare iuuēes,mirari ſenes,ægri quoque,neglecto medētiū imperio,ad cōſpectum tui,quaſi ad ſalutem,ſanitatemque prorepere. Inde alij ſe ſatis vixiſſe te viſo,te reperto : alij non magis eſſe viuendum prædicabant : Fœminas etiam tunc

Digitized by Google

tunc fœcunditatis ſuæ maxima voluptas ſubijt, cùm cernerent cui principi cives, cui Imperatori milites, peperiſſent. Videres referta tecta, ac laborantia imò ne enim quidem vacantem locum, qui non niſi ſuſpenſum, & inſtabile veſtigium caperet, oppletas vndique vias, anguſtumque tramitem relictum tibi alacrem hinc inde oculum, vbique par gaudium, paremque clamorem. Tàm æqualier ab omnibus ex adventu tuo lætitia percepta eſt, quàm omnibus veniſti, quæ tamen ipſa cum ingreſſu tuo crevit ac propè in ſingulos gradus adaucta eſt.

Multus eſt in his Martialis lib. 5. epiſt. 43. ex partium enumeratione probat opes omnes caſu amitti poſſe, præter eas quæ dantur, vt concludat amicis ſolis dandum eſſe, nos pauperibus erogandas aſſerimus. Da nummum & accipe cœlum.

Callidus effractâ nummos fur auferet arcâ
Proſternet patrios impia flamma lares.
Debitor vſuram pariter, ſortemque negabit,
Non reddet ſterilis ſemina iacta ſeges.
Diſpenſatorem fallax ſpoliabit amica:
Mercibus exſtructas obruet vnda rates.
Extra fortunam eſt, quidquid donatur amicis.
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

PVNCTVM II.

Diviſio.

GEnus diuidit in ſpecies ſibi ſubiectas, quæ ſingulæ generis appellationem ſortiuntur: ſecùs accidit in partitione, nam partes, ſeu membra ſingula totius nomen non obtinent. Nec enim dicimus malum, aut proram eſſe navem, ſed partem navis; neque brachium aut caput corpus ſed corporis membrum. Sic à partibus totius vniverſalis, aut metaphyſici, quas formas dicimus ducit argumentum Statius. lib. 2. ſylu. in glauciam melioris, vbi concludit miſeros homines.

— *Plebiſque caduca*
Quis fleat interitus hos bella, hos æquora poſcunt,
His amor exitio eſt, furor, his, & ſæva cupido,
Vt ſileam morbos; hos ora rigentia bruma,
Illos implacido lethalis Syrius igni.
Hos manet imbrifero pallens autumnus hiatu.

Huius diviſionis illuſtrem ſuggerit ideam Tull. pro Planc. n. 80. vbi gratitudinem non ſolùm maximam, ſed etiam matrem virtutum omnium eſſe contendit.

Cùm omnibus virtutibus me affectum eſſe cupiam tamen nihil eſt quod malim, quàm me, & gratum, eſſe, & videri. Hæc eſt enim vna virtus non ſolùm maxima, ſed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid eſt pietas, niſi voluntas grata in parentes? qui ſunt boni cives? qui belli, qui domi, de patria bene-merentes niſi qui patriæ beneficia meminerunt? qui ſancti, qui religionem colentes, niſi qui meritam dijs immortalibus gratiam iuſtis honoribus & memori mente perſoluit? quæ poteſt eſſe iucunditas vitæ ſublatis amicitijs? quæ porrò amicitia poteſt eſſe inter ingratos? Quis eſt noſtrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non Magiſtri ſui, atq; Doctores, cui non locus ille mutus, vbi ipſe altus aut doctus eſt, cũ grata recordatione in mente verſetur? cuius opes tantæ eſſe poſſunt, aut vnquam fuerũt, quæ ſine multorum amicorum officijs ſtare poſſint?

PVNCTVM III.

Integralis diviſio.

TOtum integrale dicitur corpus aliquod reſpectu partium quantitatis. Homo conſtans capite, manibus, oculis, pedibus, cæterisq; membris, hoc vel illo modo cõformatis; Domus, fundamento, parietibus, tecto. Exercitus, duce, legatis, tribunis, equitibus, peditibus: Regnum, provinciis, vrbibus, oppidis, his & illis.

Sic hominem ex partibus ſuis, animo ſcilicet, ac corpore cõmendare licet. Talis eſt ille quem ingenioſus elegantiæ pictor Lucianus præſtantem Athenis adoleſcentem facit. In Scyth. Hic ſubitò viſus in admirationẽ te rapiet, adeò præſtanti corpore viſendus eſt, & maſculà quadam forma decorus, & amabilis. Quod ſi etiam ore ſoluto loqui inceperit, ducet te revinctum auribus, tantam dicendi venerem, & verborum ſuavitatem iuvenis in lingua ſitam poſſidet.

Cæſariem, capitis ornamentum à partibus oſtendit. Quàm ſuavis & gratus vertex capitis! quàm ſpecioſa Cæſaries; quàm reverenda in ſeni-

bus? quàm veneranda in ſacerdotibus? quàm terribilis in bellatoribus quàm decora in adoleſcentibus? quàm compta in mulieribus? quàm dulcis in pueris?

Vitæ ſanctimonia ac virtute conſtanti fortitudinem reddi iuvenilem ex hoc toto integrante probat D. Hieron. epiſt. 21. de Paulo Concordenſi ſene cẽtenario, ſi ſpectes ætatem, ſed puerum, ſi innocentiam conſideres.

Ecce centenus ætatis circulus voluitur, & tu ſemper præcepta Domini cuſtodiens futuræ beatitudinis vitæ per præſentia exempla meditans, oculi lumine vigent, pedes imprimunt certa veſtigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox ſonora corpus ſolidum, canicum rubore diſcrepant, vires cum ætate diſſentiunt, non memoria tenacitatem, vt in plerïſque cernimus, antiquior ſenecta diſſoluit. Non callidi acumen ingenij frigidus ſanguis obtundit. Non denique tremula manus per curuos cera tramites errantem ſtylum ducit, futura nobis reſurrectionis virorem in te Deus oſtendit, vt peccati ſciamus eſſe quod cæteri adhuc viventes præmoriuntur in carne Iuſtitia quod adoleſcentiã aliena in ætate mentiris.

Venuſtè ſatis vates valde bonus adoleſcentem bene piũ commendat verſibus ſuis. Dum ex hoc loco numeris illum omnibus abſolutum dicit.

Excubat in medio tibi pulchra modeſtia vultu,
Et niveus roſeo regnat in ore pudor.
Simplicitas oculis, ſacra Facundia lingua,
Rides in ingenuis Gratia viva genis.
Majeſtas humeros, placidam Clementia frontem
Pura verecundus pectora Candor habet.
Præſto ib us famuli, video, famulæq; morantur.
Virtutem dominam qu s neget eſſe domi?

PVNCTVM IV.

Collectiva.

SI à rebus variis, & diuerſis de toto, ex ijs conflato, diſputes, quod facit Cic. contra Piſon. vbi neminem ei veniſſe obviam probat, quòd neque eius legati, neque cives, neque amici veniſſent. n. 53. *Confer nunc viciſſim redituni tuum, quandoquidem amiſſo exercitu, nihil incolume domum præter os illud priſtinum tuum retuliſti. Qui Primùm, quò veneris cum laureatis tuis lictoribus. Quis ſcit? quos tu Meandros, dùm omnes ſolitudines perſequeris, quæ diverticula, flexioneſque, quæſiſti? quod te municipium vidit? quis amicus invitavit? quis hoſpes aſpexit? nonne tibi nox erat pro die? non ſolitudo pro frequentia? caupona pro oppido? non vt redire ex Macedonia nobilis Imperator, ſed vt mortuus infamis referri videretur. Romã vero ipſam fœdavit adventus tuus, quemadmodum veniſti? quis tibi non dicam horum, aut civium cæterorum, ſed ſuorum legatorum obviam venit.*

PVNCTVM V.

Canones & axiomata:

AFfirmatis omnibus partibus affirmatur totum. Poſt red. ad Quir, ſemel amiſſam, dum redit melior fortuna, jucundiorum eſſe multis probat. n. 2. *Etſi homini nihil eſt magis optandum, quàm proſpera æquabilis, perpetuaque fortuna, ſecundo vitæ, ſine vlla offenſione curſu: tamen ſi mihi tranquilla, & placata fuiſſe omnia, incredibili quadam, & penè diuina, qua nunc veſtro beneficio fruor lætitia voluptate, caruiſſem.*

Totum eſt, *Omnia*, partes verò, liberi, frater, res familiaris, amicitiæ, conſuetudo, quæ hic enumerantur magna verborum pompa.

Quid dulcius hominum generi à natura datum eſt, quàm ſui cuique liberi? mihi verò, & propter indulgentiam meam, & propter excellens eorum ingenium, vita ſunt mea chariores, tamen non tanta voluptate erant ſuſcepti, quanta nunc reſtituti. Nihil cuiquam fuit vnquam iucundius quàm mihi meus frater, non tàm id ſentiebam, cùm fruebar, quàm tunc cùm carebam; & poſteaquam vos me illi & mihi eum reddidiſtis. Res familiaris ſua quamque delectat: reliqua mea fortuna recuperata, plus mihi nunc voluptatis afferunt, quàm tunc incolumi afferebant. Amicitia, conſuetudines, vicinitates, clientela, ludi denique, & dies feſti quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quàm fruendo. Iam vero honos, dignitas, locus, ordo beneficia veſtra, quãquã mihi ſẽper clariſſima viſa ſũt, tamẽ nũc renouata Illuſtriora videtur, quàm ſi obſcurata nõ eſſet.

Quod

Digitized by Google

Quod eleganti ſimilitudine concludit.

Sed tanquam bona valetudo iucundior eſt iis, qui è graui morbo recreati ſunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt: Sic ea omnia deſiderata magis, quàm aſſiduè percepta, delectant.

PVNCTVM VI.

A negatione ſingulorum.

NEgatis omnibus & ſingulis partibus, negatur totum Phil. 4. n. 9. Antonium non eſſe Conſulem euincit ex hoc loco. *Negat hoc brutus ſemper, Conſul deſignatus, natus Reip. ciuis: negat Gallia, negat cuncta Italia, negat Senatus, negatis vos. Quis igitur illum Conſulem, niſi latrones putant?*

Nullam viuendi rationem ab incommodis pluribus immunem eſſe ſapienter demonſtrat. Crates apud Stob. ſerm. 98. proindè nullam ſolidam eſſe in hac vita felicitatem. Quod quis inſiſter genus viuendi? Nam in foro ſunt lites, & actiones moleſtæ, in ædibus curæ; ruri labores nimij; at in mari timor eſt; in peregrinatione, ſi quid habes, metuendum; ſi nihil moleſtum eſt. Nuptus es? Non ſine curis eris? non ducis vxorem? eò magis ſolitariam vitam agis; liberi dolores pariunt; orbitas, vita eſt in fine liberis iniucunda. Iuuentus ſtolida eſt; ſenectus verò infirma. Ex duobus igitur eligendum eſt alterutrum. Aut naſci numquam, aut ſtatim natum, vita defungi.

PVNCTVM VII.

Ab vnius partis affirmatione.

CVm ſeiunctis partibus vna relinquitur, quæ aut affirmatur, aut negatur; Phil. 2. n. 2. *Quid putem contemptumne me? non video, nec in vita, nec in gratia, nec in rebus geſtis, nec in hac mea mediocritate ingenij, quid deſpicere poſſit Antonius. An in ſenatu facillime de me detrahi poſſe credidit? qui ordo clariſſimis ciuibus bene geſta Reſpub. teſtimoniũ multis, mihi vni conſeruata dedit? An decertare mecum voluit contentione dicendi? Hoc quidem beneficium eſt, quid enim plenius, quid vberius, quàm mihi, & pro me, & contra Antonium dicere?*

Tandem his partibus tribus reiectis, hoc eſt poſtquam negauit ſe contemptum ab Antonio, nec ab ſenatu nec Antonium dicendi contentionem ſecum ſuſcipere voluiſſe, vnam partem reliquam aſſumit, & affirmat.

Illud profectò eſt: Non exiſtimauit ſui ſimilibus probari poſſe, ſe eſſe hoſtem patriæ niſi, mihi eſſet inimicus.

Sic probaret aliquis alium pecunias ſurripuiſſe. Neceſſe eſt fatearis vnum ex iſtis; aut habuiſſe te prius illas pecunias, aut ab aliquo mutuas accepiſſe, aut inueniſſe, aut ſurripuiſſe; primum dicere non audes. Eſt enim qui te conuincat falſitatis; non ſecundum. Nempe daret aliquis Helluoni, ac decoctori mutuas, niſi qui iacturā facere vellet commodati; Inueniſſe autem quis credat eum qui nihil quærat, niſi aliena furtò tollere: labore ſibi comparaſſe; qui vitam inertem, & otioſam ducat. Dic itaque liberè quod eſt, te furem, te prædonem, te raptrem.

PVNCTVM VIII.

Vſus.

TRiplex partium enumerationis vſus. Primus eſt ad Oeconomiam orationis; Secundus ad contentionem, & pugnam, vt fides fiat, vel confutetur aduerſarius; Tertius ad deſcriptiones atque amplificationes.

Totam igitur orationem primò diſpenſat ac dirigit, dùm poſt exordium ſubiicitur orationis partitio, & eorum quæ tractari debent. In genere quidem deliberatiuo, Orator de honeſtate, vtilitate, iucunditate, facilitateque ſe dicturum eſſe pollicebitur. In demonſtratiuo autem certas virtutes, vel ætates ſingulas proponet; aut ſi vtetur comparatione aliqua; puta capitis, cum Principe, partietur omnes capitis vſus, & officia, quæ ſunt cum Principis officiis conferenda. In iudiciali denique par eſt ratio, eademque præmittenda diuiſio, prout res ipſa poſtulabit.

Parti

Partitionis huius ideam habet Cic. pro lege man. 28. Nam ſi ad bonum Imperatorem neceſſariæ ſunt hæ quatuor virtutes, ſcientia rei militaris, virtus, auctoritas, facilitas, Pompeium, cui hæ partes adſunt, bonum Imperatorem eſſe nemo negauerit.

II. Ad fidem faciendam adhiberetur, cum proponitur totum deindè partes omnes ſubiiciuntur. Vt ſi dicas diuinâ prouidentiâ mundus regitur, ſic diffundes. Nulla pars eſt orbis tàm remota, tam barbara, quam ſua prouidentia rerum opifex, at cuſtos Deus deſtituat.

Hæc propoſitio totum includit, qui partes ita ſubiici poſſunt.

Quod in cælo mutatio nulla fit, quod ſol in ſuis curſibus ſit conſtantiſſimus; quod inter ſe quattuor elemen à confligant, vt ex ea contẽtione ſumma pax vniuerſi conſequatur; Quod inter homines alij imperant, alij parent, opulentiſſimi ſunt alij, plerique egentiſſimi: ea omnia diuinæ prouidentiæ ſunt argumenta certiſſima, quam qui negauerit, eum non modò ego ignorantem, ſed etiam impium eſſe iudico. Vetulam ridet Martialis lib. 1. epiſt. 10.

Si nemini fuerant tibi quatuor Ælia dentes,
Expuit vna duos tuſſis, & vda duos.
Iam ſecura potes totis tuſſire diebus.
Nil iſthic quod agat tertia tuſſis habet.

Alius eſt modus. Cum prius partes enumerantur, quibus deinceps totum ſubiicitur, quod magno flexu, & circumſcriptione verborum fieri debet. Pueritia innocens, adoleſcentia caſta, virilis ætas, conſtans; ſenectus liberalis & placida; igitur tota vita præclarè traducta.

Tertius. Cum omiſſo toto vicem illius partes ſubeunt. Tull. diuin. in Verrem. Propoſitionem hanc diducit. Putâſne te poſſe crimina Verris omnia dicendo explicare? partibus pro toto poſitis. Num. 38. *Putâſne te poſſe de maximus acerbiſſimiſque rebus, cùm cauſam ſociorum fortunâſque prouinciæ, ius Populi Rom. grauitatemque iudicij, legumque ſuſceperit, tot res, tàm graues, tàm varias, voce memoria, ingenio, conſilio, ſuſtinere? Putâſne te poſſe C. Verres in Quæſtura, quæ in Legatione, quæ in Prætura, quæ Romæ, quæ in Italia, in Achaia, Aſia, Pamphiliaque peccarit, ea quemadmodum locis, temporibuſque diuiſa ſint, ſic criminibus, & oratione diſtinguere? Putâſne te poſſe, id quod in eiuſmodi reo maximè neceſſarium eſt, facere, vt quæ ille libidinosè, quæ crudeliter fecerit, ea æquè acerbra, & indigna eſſe videantur iis, qui audient, atque iis viſa ſunt, qui ſenſerunt.*

Tandem à partium diſtributione, vel laudamus, vel vituperamus, & tunc nihil eſt, cur omnes partes percurramus. Quod ſi locum ad probationem aſſumamus, nulla pars eſt prætermittenda Sic ingenioſè: at tu pro tot meritis viperina progenies, non mea; quid rependis, tu ſcilicet dolorem auges, ſceleras ſepulchrum, mortem acceleras, & quod crudeliſſimum eſt lentâ tabe miſerum parentem,

PVNCTVM IV.

A negatione.

ELegans modus eſt enumerationis partium per oppoſitiones, hoc eſt, cum negatis partibus, continuò contrarias ſubiicimus. Sit hæc Idea; Venit in templum vt Deo inſeruiret, ita produceretur per negationes. Non venit in templum, vt in illo tanquam in foro, & plateis inambularet, ac de negotiis ſuis domeſticiſque rebus confereret ſermones; ſed vt expreſſa factis ſuis ſanctimoniæ, inflammatæque in Deum charitatis daret indicia: eſt enim omnium opinione religioſiſſimus. Non vt in illo velut in diuerſorio libidinis fœdiſſimis de rebus ageret impudenter, & ad mulierculárum formas curioſas, ac petulantes oculos adiiceret, ſed vt intentos haberet in gratiſſimam illam victimam, quæ Deo patri, pro viuis mortuiſque offertur; quid enim illo modeſtius? Non vt iocaretur, & garriret in alterius aurem, & inſuſurraret nugarũ aliquid. Nam ſemper vtroque in terram genu defixo, & intẽtis ad aram oculis, ſtatis, ac deſcriptis precationum vicibus tranſmittit, hos enim diuini amoris ſentit impetus, vt colliquefacti pectoris ardores in vultum, oculoſque redundent. Non vt emẽtitæ laudis, & gloriæ fugientis vmbram captaret, quam vt virtutum peſtem auerſatur, diuina myſteria celebrandi tantum, ac Deum religioſè colendi templum pius ingreditur.

Magnam

Magnam itaque vim habet, huius loci ornatus ſiue refellas, ſiue impugnes, cum partes omnes per congeriem glomerantur, & facto quaſi agmine inſiliunt, fermideque inſtant? vt ſi pater filium increpans, quos labores eius cauſa ſuſceperit; quamque nullo fructu, ſic commemoret. Itáne mortalium omnium perditiſſime, quæ omnia cæteros liberos in officio & veneratione retinent hortamenta, atque beneficia, iis tu in tuam, meamque perniciem abuteris? quoties tequà precibus, qua lacrymis ad ſaniorem mentem reuocare ſum conatus? at tu paterna monita crudelis proculcas: quoties ſurpiria noſtra tuis auribus, dolores oculis vſuſpaſti? at tu rupe durior, meos gemitus ac ſingultus irriſiſti impius. Neſcis inſane neſcis meam caniciem indigniſſimis laboribus tua cauſa addictam? ignoras meo ſudore quietem, ſomnum vigiliis, nuditate ornamenta, epulas inedia, ſanguine delicias tibi ſcelerate eſſe comparatas?

Pvnctvm X,

A toto loci & temporis.

DVplex eſt aliud totum, ex quo non rarò peti poſſunt, & ſolent argumenta, nimirum totum in loco, & in tempore. Illud eſt quod locum vniuerſaliter ſignificat, vt ſemper, & nunquam, illius partes ſunt loca varia; iſtius diuerſa tempora.

Quæ ex iis ducuntur argumenta his nituntur pronunciatis. I. Poſito toto in loco, vel tempore ponuntur ſingulæ partes. Toto menſe Romæ fuit, & Idibus cætæriſque menſis illius diebus, II. Poſitis omnibus partibus viciſſim totum ponitur, Die Dominico, Lunæ, Martis, &c. Romæ fui, & tota fuit Hebdomade.

Poſita vna parte removetur totum oppoſitum parti Cicero adoleſcens Athenis fuit, falſum igitur Athenis nunquam fuiſſe.

Aliàs ſæpe contingit argumenti formam in hac enumeratione nullam apparere, pro Planc. 29. *Omitto illa quaſi minus neceſſaria ſint, at certe cum ſunt probata, laudantur; vt viuat cum ſuis; primum cum parente (nam meo iudicio pietas fundamentum eſt omnium virtutum) quem veretur vt Deum; neque enim multò ſecus liberis, amat verò vt ſodalem, vt fratrem, vt æqualem. Quid dicam cum patruo? cum affinibus? cum propinquo? Cum hoc Cneo Saturnino ornatiſſimo viro, cuius quantam honoris huius cupiditatem fuiſſe creditis, cùm videatis luctus ſocietatem? Quid de me dicam? Qui mihi in huius periculo reus eſſe videor. Quid de his tot viris, talibus quos videtis, veſte mutata.*

Pvnctvm XI.

Ad Refutationem.

HVc pertinet refutatio quæ fit ex hoc loco duobus modis. I. Partem aliquam refutando: ſi quis Ciceronem dicat Reip. cauſa, atque vt bonis ciuibus, in tanta rerum perturbatione periclitantibus conſuleret, ſolum vertiſſe, aliaſque cauſas, quæ ipſum ad voluntarium exilium compellere potuiſſent, ſic afferat. An peccati cōſcientia profugerat? At facinus honeſtiſſimum fuit; an iudicium populi metuebat? at propoſitum nullum erat: & præſidium bonorum forte deſiderabat? neque illud ſane: mortem timebat ſui conſcius? non decet hic metus tantum, tam benè de Rep. meritum Conſulem. Quid ergo? conceſſis partibus aliis aduerſarius hanc vltimam confutaret, cumque Ciceronem eſſe doceret, qui formidinis cauſa turpitudini ſe committere non vereretur.

II Si quis enumeratis partibus aliquot, vna vel altera omiſſa vniuersè concluſiſſet, puta nullum non vitæ partem in Pompeio diceret cum laude fuiſſe coniunctam, poſſet id concedi de virili, & iuuenili ætate, adoleſcentiam verò perſtringeres deditam fœdis amoribus, ipſumque Oratorem eſſe malæ fidei dic res, qui in recenſendis ætatibus hanc vnam prætesiſſet.

Qui modus Ciceroni frequens eſt maximè per ſubiectionē. De Prouinc. Coſſ. n. 29. *Quid eſt cur ipſe Cæſar in Prouincia cōmorari velit, niſi vt ea, quæ per eum affecta ſunt perfecta Reip. tradātur Amœnitas eum credo, locorū, vrbiū pulchritudo, hominū, nationūquè illarū humanitas, & lepos, victoriæ cupiditas Finiū imperij noſtri propagatio retinet.*

Sic cauſas omnes ſubiit, quibus ex ordine ſingulis reſpondet.

Quid illis terris aſperius? quid incultius oppidis? quid nationibus immanius? quid porrò tot victoriis preſtabilius? quid Oceano longius inueniri poteſt? an reditus impatriam habet aliquam offenſionem? vtrum apud populum à quo miſſus eſt? an dies auget eius deſiderium? an magis obliuionem? an laurea illa magnis periculis parta, amittit longo interualo viriditatem? Quare ſi qui hominem non diligunt, nihil eſt, quod eum de prouincia deuocent Ad gloriam deuocant, ad triumphum, ad gratulationem, ad ſummum honorem ſenatus equeſtris, gratiam populi caritatem.

PVNCTVM XII.

Ad Deſcriptiones.

VTimur enumeratione ad deſcribendum quoties aliquid oculis ſubiicere volumus, in Piſon. 1. *Non nos color iſte ſeruilis, non piloſa gena, non dentes putridi deceperunt: oculi, ſupercilia frons, vultus denique totus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, hic in errorem homines impulit; hic eos quibus erat ignotus, decepit, feſellit, in fraudem induxit: pauci iſta tua lutulenta vitia noueramus; pauci tarditatem ingenij ſtuporem debilitatemque linguæ, numquam erat audita vox in foro: nunquam periculum factum conſilii, nullum non modò illuſtre ſed ne notum quidem factum aut militia, aut domi* verbo dixiſſes, non decepiſti.

Deſcribitur venuſtulus aliquis per enumerationem partium Videte ſuperbientem Troſſulum, & obuios torno lumine intuentem, ſeque magnifice circumſpectantem, ac nimio plus ſe amantem. Vt Galerus ex Villulis Caſtorum in alteram aurem depreſſus? vt chlamys pendula alteri brachio ſubiecto, in alterum eſt reiecta? vt artificioſe feneſtratus thorax? vt non indutis globulis modice hians? vt follicantes caligæ dignum Eolo domicilium? vt ſurſum attracta tibialia optime cohærentia miſerandum in modum verſantur? nunc enim quatuor indit digitos libero pollice, nunc omnino exuit, nunc feneſtras facit, vt emineat gemmæ. At oculos veſtros fugerat enſis ludens in aere, & ad modulatum ac deſcriptum inceſſum domini femur repercutiens identidem; ſed ecce gradum ſiſtit, ſcholaſticum compellat, quã tu è ſchola talis, ac tantus prodiiſti? ſanè quidem inuideo Præceptori tuo, qui te necdum primis imbuit vrbanitatis coloribus.

Sed aduerte in deſcriptionibus illis, quando ſunt paulò longiores, occurrendum eſſe faſtidio, & ſatietati, eaque cauſa variandam orationis figuram, in hunc fere modum. Lugebat infelix maritus, eiulabat vxor, cum interea ſæuiret impius ſatelles, tonaret ore, fulminaret manu: alius e liberis maternos ſinus; alius patris amplexus, & brachia requirebat; hic latebras indagabat, ille fugâ ſaluti conſulere conabatur. Quid famulorum, qui capti ſunt referam dolores? quid deſideria, cum ſe ab amatiſſimis dominis in crudeliſſimam viderent abripi ſeruitutem; quæ comploratio? qui gemitus? qui conatus amicorum irriti? adde vicinorum querelas, nihil dico de ſuppliciis quæ parabantur: ſileo barbariem.

PVNCTVM XIII.

Ad Amplificationes.

DIci non poteſt quàm graues, & eximias ex hoc loco amplificationes habeant Oratores, frigidus enim ſit, qui vrbem tantum ab hoſte vaſtatam dicat. Multò ardentior, & ad animorum commotiones fortior, ſi violata templa, truncatas per ludubrium ſanctorum imagines, omnia cùm diuina, tum humana iura peſſundata, inflammatas arces, diruta mœnia, expilatas domos ac funditus erutas; mulieres ac pueros in ſeruitutem abductos; libros partim e gremio parentum per vim abreptos, partim in ipſo ſinu contrucidatos, partim ante pedes, & oculos virgines violatas; ferro, & cathenis graues in Reip. bonum natos adoleſcentes trahi ad necem. Poſtremò armis cadaueribus, cæde, ſanguine, luctu, funeſtæ demum mortis imagine completa, ad calamitatem fuiſſe omnia.

Impietatis, ac crudelitatis Hæreſeos, in deploratiſſimo regno ſequitur Orator aliquis veſtigia,

Digitized by Google

veſtigia, non ad exigui horrorem temporis, ſed ad execrationem poſteritatis ſempiternam, conciſus nimis ſi tantum dicat, per illud monſtrum importata in vniuerſum orbem mala omnia. Elegantius, & ad motus animorum efficacius qui ſic.

Quis ſuperſtitionibus,& Idolis, Chriſtianorumque ſanguine ſemper ebriam hæreſim ſatis deteſtetur; Etenim quis Deum pie, religioſeque colentibus tutus in vrbibus locus fuit? non totum,plenum ſicariis;non templa,ferro flammiſque violata:non priuatæ domus,inſidiis expoſitæ, dominorumque cruore redundantes Quoties in ſenatu per calumniam? quoties in p'atea per vim?quoties in ipſis ædibus?quoties in ipſis lectulis necati ſunt? furoris & amentiæ torrens nullis coercitus repagulis deſæuit impotenter, & efferatus in Chriſti fideles, illos exuit opibus & honore, bona proſcripſit, afflictauit carcere, damnauit exilio, mactauit ſuppliciis, ſcholis,& concionibus interdixit,inuolauit in ſacra,cultus & cæremonias abrogauit, Diuorum templis ferrum, & immane molitus eſt incendium, & quod in religione Catholica ſemper fuit auguſtiſſimum hominum pedibus ac pecudum attritum. Agnoſce Germania tragœdias,agnoſce vindicem libertatis tuæ FERDINANDVM quem niſi Deus ad te liberandum excitaſſet, vix vlla religionis veſtigia retineres.

PVNCTVM XV.

Enumeratio per effecta.

HVnc locum per omnes locos, & genera cauſarum diuerſa facile transferes. Et primo quidem ab effectis ex Cic. Verr. 1. habetur enumeratio criminum Verris, cum Interrogatione,& Digeſtione, num. 38.

Tertia per communicationem interrogatione ſubtilem recenſetur eiuſdem crimina, vbi licet Ironiam deptehendere, num. 10. *Hu ego iudicibus non probabo Verrem contra leges cepiſſe pecunias.*

Inſigni traductione, multipliciq; expoſitione Prætoris illius ſcelera ſubiicit Ver. 6. n. *Nego in Sicilia tota tàm locuplete, tàm vetere Prouincia, tot oppidis, tot familiis, tam copioſis, vllum argenteum vas, quin cunquiſieris, inſpexerit quod placitum ſit abſtulerit.*

Eiuſdem Orationis n. 127 exponit Verris latrocinia. *Atque hac Sappho ſublata quantum deſiderium ſui reliquerit, dici vix poteſt. Quid ſignum Pæanis. Quid? ex ade Liberi ſimulachrum. Quid: ex ade Iouis, &c.*

PVNCTVM XVI.

Per adiuncta.

SEcundus eſt ab adiunctis Iudicum dotes, ac integritatem iuxta ſingulorum nomina ſubiungit inſigni gradatione pro Cluentio, n. 107. *Ac ne ex facto ſolum ſapientes illos iudicetis, ſed etiam ex nominibus ipſis, quod ij fecerint, rectiſſimè, ſapientiſſimè factum, probetis: quis Octauio Balbo, ingenio prudenter, iure peritior, fide religione, officio diligentior, aut ſanctior commemorari poteſt? non abſoluit. Quis Confidio conſtantior quis iudiciorum atque eius dignitatis, quæ in iudiciis publicis verſari debet, peritior? quis virtute conſilio, authoritate præſtantior? ne is quidem abſoluit. Longum eſt de ſingulorum virtute ita dicere: quæ quia cognita ſunt ab omnibus, verborum ornamenta non quærunt. Qualis vir Iuuentius pado fuit, ex vetere illa iudicum diſciplina? qualis Baſilius? qualis Caudinus? qui omnes in iudiciis publici iam tum Florẽte Rep. floruerunt. Ex eodem numero Caſſius Nauius, pari & integritate & prudentia; quorum nullius ſententia eſt Oppianicus abſolutus. Atque ex his omnibus natu minimus ingenio, & diligentia par iis, quos antea commemoraui. P. Saturius in eadem ſententia fuit. ô innocentiam Oppianici ſingularem: quo in reo qui obſoluit ambitioſus; qui diſtulit, cautus: qui condemnauit, conſtans exiſtimatur.*

Ex cõmuni mortalium iudicio concludit vix vllũ eſſe, qui non ſenſuũ voluptate capiatur quam rem multis & eleganter expolit. Pro Cœlio n. 42. *Quamobrem ſi quem forte inueneritis qui aſpernetur oculis pulchritudinem, rerum, non odore vllo, non tactu, nõ ſapore capiatur, excludat auribus omnẽ ſuauitatẽ, huic homini ego fortaſſe, & pauci Deos*

Digitized by Google

propitios,plerique autem iratos putabunt. Ergo hæc deſerta via, & inculta,atque interclusa tam frondibus,& virgultis relinquatur:detur aliquid ætati: ſit adoleſcentia liberior: non omnia voluptatibus denegentur:non ſemper ſuperet vera illa, & directa ratio:vincat aliquando cupiditas voluptasque rationem dummodo illa in hoc genere præſcriptio, moderatioq; teneatur:parcat iuuentus pudicitiæ ſuæ, ne ſpoliet alienam,ne effundat patrimonium,ne fœnere trucidetur,ne incurrat in alterius domum, atque famam:ne probrum caſtis, labem integris, infamiam bonis inferat:neque interimat:ne interſit inſidiis,ſcelere careat:poſtremo,cum paruerit voluptatibus,dederit aliquid temporis ad ludum ætatis,atque ad inanes haſce adoleſcentiæ cupiditates, &c.

PVNCTVM XVI.

A conſequentibus.

PEr interrogationem, & dubitationem pateticam à conſequentibus Siculorum miſeriam pluribus amplificat,qui nõ erant habituri,ad quos confugerent, 7. in Verr. n.25. *Quo confugient ſocij?quem implorabunt?quâ ſpe denique, vt viuere velint, tenebuntur,ſi vos eos deſeritis, ad ſenatum deuenient,qui de Verre ſupplicium ſumat? non eſt vſitatum,non ſenatorium. ad Populum Ro. confugient? facilis eſt cauſa populi.] Legem enim ſe ſociorum cauſa tuliſſe,&ei legi cuſtodes,ac vindices præpoſuiſſe dicet.Hic locus eſt igitur vnus,quò perfugiant:hic portus,hæc arx,hæc ara ſociorum,&c.*

Inductione per omnes ordines facta probat pacem eſſe non poſſe cum Antonio Ph.7. num. 21.*Quæ poteſt eſſe pax M. Antonio primum cum Senatu?quo ore ille vos poterit,quibus viciſſim illum oculis intueri?quis veſtrum illum,quem ille veſtrum non oderit?Age,vos ille ſolum,& vos illum?quid?ij qui Mutinam circumſident,qui in Gallia delectus habent,qui in noſtras fortunas imminent,amici vnquam vobis erunt,aut nos illis?an Equites Rom.amplectetur? occulta enim fuit illorum voluptas, iudiciumque de M. Ant. &c.hi Antonium diligent?cum his pacem ſeruabit Antonius? Nam quid ego de vniuerſo Populo Ro.dicam.*

* * *

PVNCTVM XVII.

Ab efficientibus Cauſis.

FActa per omnes R. ciuium ordines inductione probat eſſe paratos in foro, ad ſupplicium de Catilina ſumendum, deque eiuſdem coniurationis ſociis, tota fere oratione 2 ibidemque ſit enumeratio rationum quibus Romanos inflammat iam incitatos ad præſentes pœnas de ſceleratis illis,atque ſicariis repetendas.

Congeriem malorum,quæ Catilinam impeditum tenent, per partium enumerationem,exprimit niſi quantocyus egrediatur ex vrbe,1.Cat n.13.*Quid eſt Catilina?num dubitas id,me imperante facere,quod iam tua ſponte faciebas?exire ex vrbe Conſul hoſtem iubet. Interrogas me, num in exilium?non iubeo;ſed ſi me conſulis, ſuadeo. Quid enim eſt,quod te iam in hac vrbe delectare poſſit? in qua nemo eſt extra iſtam coniurationem perditorum hominum,qui te non metuat, nemo qui te non oderit?quæ nota domeſticæ turpitudinis non inuſta vitæ tuæ eſt? quod priuatarum rerum dedecus non hæret infamiæ, quæ libido ab oculis, quod facinus à manibus vnquam tuis,quod flagitium à toto corpore abfuit? cui tu adoleſcentulo,quem corruptelarum illecebris irretiſſes, non aut ad audaciam ferrum,aut ad libidinem,facem prætuliſti? &c.*

PVNCTVM. XVIII.

Per Figuras.

VAriis etiam figuris locus hic eleganter tractari poteſt. 1. quidem per anaphoram, 2. agraria probat ſe popularem eſſe;Popularis ſum, inquit,quia pacem amo,libertatem, otium, populum,quæ pauca ille fuſiùs per anaphoram explicat n. 9. Dixi in ſenatu, in hoc magiſtratu me popularem conſulem futurum. Quid enim eſt tàm populare quàm pax?

Phil. 2. omnes Rom. ciues adfuiſſe probat, & nomina dediſſe, tùm cùm in Catil. S C. conſul.

Digitized by Google

conſul. induxiſſet n. 26. *Quis enim Eques Rom. quis præter te adoleſcens nobilis quis vllius ordinis, qui ſe ciuem meminiſſet, cùm ſenatus in hoc templo eſſet, in Cliuo Capitolino non fuit? quis nomen non dedit?*

Eadem oratione contendit iniuria non placere conſulatum ſuum Antonio quia placuit præſtantiſſimis totius Rom. ciuitatis, quos enumerat. n. 12. *Non placet Antonio Conſulatus meus at placuit Q. Catulo, cuius ſemper in hac Rep. viuet auctoritas, &c.* Atque haud ſcio an ea figura ſit omnium, in partium enumeratione, ad amplificandum aptiſſima.

PVNCTVM XIX.

Per Interrogationem.

PRæclare vrgetur hic locus frequenti interrogatione, vel ſingulis interrogatis reſpondendo; vel, quod ita neceſſe ſit omiſſa reſponſione. Prioris exemplum eſt pro domo ſua, vbi per remotionem partium ceſſiſſe ſe Clodio, & ex ciuitate ad tempus diſceſſiſſe demonſtrat, vt Reip. conſuleret, n. 95. *Obijcitur mihi meus ille diſceſſus: cui ego crimini reſpondere, ſine mea maxima laude non poſſum. Quid enim Pontifices debeo dicere? peccati me conſcientia profugiſſe? at id quod mihi crimini dabatur, non modò peccatum non erat, ſed res erat, poſt natos homines, pulcherrima: iudicium populi pertimuiſſe? at id nec propoſitum vllum fuit, & ſi fuiſſet, duplicata gloria diſceſſiſſem Bonorum mihi præſidium defuiſſe: falſum eſt: me mortem timuiſſe? turpe eſt.*

Poſterioris ſine reſponſione ſubiectio in Piſonem quod exercitum dimiſerit, remotis ſcilicet partibus, & cauſis, n. 47. *Mitto de amiſſa parte exercitus: ſit hoc infelicitatis tuæ, dimittendi verò exercitus, quam potes afferre cauſam? quam poteſtatem habuiſti? quam legem? quem ſenatuſconſultum? quod ius? quod exemplum? quid eſt aliud furere, niſi non cognoſcere homines, non cognoſcere leges? non ſenatum? non ciuitatem? cruentare corpus ſuum maior hæc eſt vita, fama ſalutis ſuæ vulneratio*, quaſi diceret, aut dimiſiſti exercitum; quam poteſtatem dimittendi habebas? aut quis iubebat? lex aut SC. aut certe inuitabat exemplum eorum, qui dimiſiſſent? at horum nihil dici poteſt; ſupereſt igitur, vt furore præceps actus id feceris.

Par eſt exemplum pro domo ſua, quo probat remotione cauſarum, quæ Clodius in ſe molitus fuerat, non tàm auaritia adductum feciſſe, aut ſuorum odio, quàm ſui ipſius à n. 59. *Quid enim vos vxor mea miſera violarat quam vexauiſtis, raptauiſtis, omni crudelitate lacerauiſtis? quid? mea filia, cuius fletus aſſiduus, ſordeſque lugubres, vobis erant iucunda, cæterorum omnium mentes oculoſque flectebant: Quid? paruus filius, quem quamdiu abſui, nemo niſi lacrymantem confectumque vidit. Quid fecerat, quod eum toties per inſidias interficere voluiſtis? quid? frater meus, qui cum aliquanto poſt meum diceſceſſum ex Prouincia veniſſet, neque ſibi viuendum, niſi me reſtituto, putaret cùm eius mœror, ſqualor incredibilis & inauditus, omnibus mortalibus miſerabilis videretur, quoties ex veſtro ferro, ac manibus eſt elapſus?*

Dido Virgiliana ex hoc loco conqueritur, & Æneam crudelem facit.

Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?
Num lacrimas victus dedit? aut miſeratus
amantem eſt?

Huic, vt vides, interrogationi nihil ſubijcitur, poſſunt tamen contraria elegantér ſubijci: at paſtus eſt meis lacrymis, riſu gemitus ſuſpiria cachinnis excepit.

PVNCTVM XX.

Per Antitheta, Aſyntheton, Prætermiſſionem.

FRaudulentis hominibus, quorum ea eſt ars, amare vitia Principum, vt amentur, tametſi inter ipſa ſatellitum præſidia nobiliũ animos prædari ſoleant, ſi ad fauorem tuum adrepere velint, tàm erit difficile latere prudentiam tuam quam placere pietati: graſſentur adulatione? modeſtiam offendent: amorem ſimulent laruam detrahet prudentia: calumniæ laqueos ſtruant; ſolertia deprehendet. terrores, ac metus miſceant; fortitudo repellet. Sola innocentia aditum habet ad gratiam principis, nec

Digitized by Google

capit quidquam animus tuus, niſi virtutes, nec capitur niſi virtutibus.

Per Aſyntheton in Piſ probat odium publicum in eundem n. 67. *Age Senatus odit te, quod eum tu facere iure concedis, afflictorem, & proditorem, non modo dignitatis, & auctoritatis, ſed omninò ordinis ac nominis ſui: videre Equites Rom. non poſſunt, quo ex ordine vir præſtantiſſimus Ælius eſt te Conſule relegatus plebs Rom. perditum cupit, in cuius tu infamiam ea quæ per Latrones, & per ſeruos de me egeras, contuliſti. Italia cuncta exerciatur, cuius idem tu ſuperbiſſimè decreta, & preces repudiaſti.*

Per prætermiſſionem enumeratione partium concludit omnes omninò conſenſiſſe in ſuum reditum pro domo ſua. num. 74. *Quod enim eſt in terris commune tantum, tantulùmne conſilium, quod non de meis rebus geſtis, ea quæ mihi eſſent optatiſſima, & pulcherrima indicarit. Summum Populi Rom. populorumque gentium omnium, ac Regum conſilium Senatus decreuit &c.*

Quas omnes enumerationis formas vna oratione comprehendit Tull in Piſ. n. 18. & ſequentibus, in quo vix eſt elegans figura, tum verborum, tùm ſententiarum quamnon expreſſerit. Inſigniores ſunt Apoſtrophe, Proſop. Exclamatio, Ethopoeia, Aſyntheton Polyptoton, & conſtans Ironia, quibus Piſonem vrget acrius.

Ornatur inſuper hic locus per diſtributionem. Vt cereus eſt adoleſcés: nam cum ſobrio jeiunat cum ebrioſo intemperans eſt diſſolutus cum flagitioſo; parcus cum auaro, cum prodigo fuſus, cum ignauo timidus, cum robuſto fortis.

Item & illud, quid admirabilius? Aquæ ſubeunt in imbres, in grandines rigeſcunt, tumeſcunt in fluctus, præcipitantur in torrentes, labuntur in amnes; ſine humeris onera ferunt, ſine faucibus abſorbent, ſine pedibus mouentur non diuinam in jis potentiam admiraris?

Habet etiam locum exclamatio per congeriem quæ fit cum præſtans aliquod facinus expoſuimus. O dignitatem hominis! o prudentiam! o fortitudinem! o abſtinentiam ſingularem! deinde ſubijcitur dubitatio, quid hic prius dicam?

LECTIO IV.

Locus à coniugatis.

LIcet Quint. lib. 5. c. 10. locum hunc nullum dicat, eum tamen cum Ariſt. & Tullio diligenter tractandum arbitramur, cum ſæpè vim ad perſuadendum non mediocrem habeat. Vtſi quis dicat, regnum non expetendum eſſe, cùm Regibus tot vndique pericula immineant, tot ſollicitudines: aut doctrinam ſummo ſtudio acquirendam, cùm viris doctis, tanta ſint, & ad opes, & ad dignitates propoſita præmia: aut militiam eſſe fugiendam, quòd militibus tot ſint labores exorbendi, tot adeunda mortis pericula; aut ſatius eſſe literis, quàm mercaturæ operam dare quod viri litterati maiore ſint honore quàm mercatores. Hæc enim coniugata ſunt omnia? Regna, Reges. Doctrina, Docti: Militia, Milites: Literæ, Literati? Mercatura, Mercatores

PVNCTVM I.

Definitio.

APpellat coniugata Cic. in Top. quæ ſunt ex verbis generis eiuſdem, & ab vno orta variæ commutantur, vt Sapiens, ſapienter, ſapientia; Græci σύζυγα vocant, quaſi iugo nexa, vel παρώνυμα, denominatiua.

Non eſt nouum in vocabulis ludere ſerio; præſtat hoc lætitiæ dator Plautus in prologo Amphitruonis.

Iuſtam rem, & facilem eſſe oratum à vobis volo.
Nam iuſtè ab iuſtis iuſtus ſum Orator datus.
Nam iniuſta ab iuſtis impetrari non decet.
Iſta autem ab iniuſtis petere inſipientia eſt.
Quippe illi iniqui ius ignorant, neque tenent.

Prodeſt igitur non parum huius loco cognitio, qui vel in comparatione valet, vt benè monet Ariſt. 1. Rhet. c. 28. Nam ſi quis dubitaret vtra maior virtus eſſet, Fortitudo, an Temperantia, poſſet ita colligere. Pulchrius eſt, ac præſtabilius

Digitized by Google

lius fortiter agere, quàm temperanter, igitur præſtabilior eſt Fortitudo, quam Temperantia, & fortis eſſe pulchrius eſt, quàm temperans.

PVNCTVM II.

Vſus.

TRipliciter diſtingui ſolent Coniugata, quæ ſola voce fiunt; ſtudium ſtudioſus: ex quibus nullũ niſi fallax argumentum ducitur; quæ non voce, ſed ſignificatione connectuntur, virtus, honeſtas, paupertas, mendicus: Ex iis elicitur argumentum. Virtus bonorum cumulum adfert: honeſtè viuunt, & ex virtute viti probi, probis igitur benè eſt, feliciterque.

Tertium Genus eſt eorum, quæ locis, & ſignificationis communione iunguntur, quæ præſtantiſſima ſunt, pius, pie pietas. Pro Roſc. Amer n. 16. *Etenim rectum putabat, pro eorum honeſtate ſe pugnare, propter quos ipſe honeſtiſſimus inter ſuos numerabatur.*

Ex hoc argumeotatur pro Cæſare in orat. pro Marcello, & illum inuictũ eſſe demonſtrat, quòd clementia ſua, & æquitate animi, ipſius victoriæ conditionem ſuperauit, eaque victis conceſſerit, quæ iure victoriæ auferre. num. 12 *Cæteris quidẽ omnes victores bellorum ciuilium iam ante æquitate, & miſericordiâ viceras hodierno verò die te ipſum viciſti. Vereor, vt hoc quod dicam, non perinde intelligi auditu poſſit, atque ego ipſe cogitans ſentio. Ipſã victoriam viciſſe videris, cum ea ipſa, quæ erat illa axepta, victis remiſiſti. Nam ipſius victoriæ conditione iure omnes victi occidiſſemus clementiæ tuæ iudicio cõſeruati ſumus; Rectè igitur vnus inuictus es, à quo ipſius etiam victoriæ conditio viſq; deuicta eſt.*

Fiacta, ſublataque omni animorum diſſenſione Cæſari ab inſidiis non eſſe metuendum concludit, in eadem orat. n. 32. *Arma ab aliis poſita ab aliis erepta ſunt. Ingratus eſt, iniuſtuſque ciuis, qui armorum periculo liberatus animum tamen retinet armatum.*

Iterum genus hoc duplex aſſignatur ab Ariſt. Coniugata proprie, & à caſu illa verba ſunt & nomina ab vno deducta, viuere vita, viuens. De ſacrilego Dionyſio ſic loquitur Tull. lib. 3. de Nat. Deo, n. 84. *Iam menſas argenteas de omnibus delubris iuſſit auferre: in quibus quòd more veteris Græciæ inſcriptum eſſet Bonorum Deorum. Vti ſe eorum bonitate velle dicebat.*

Ex ſubiecto ad adiunctum agit in Anton. Ph. 2. *Non tractabo te. vt Conſulem: ne ille quidem me vt conſularem.*

In Piſonem. *Cùm eſſet omnis illa cauſa Conſularis, & ſenatoria, auxilio mihi opus fuerat, & Conſulis & Senatus.*

In hoc Genus luſit Martialis lib. 2. Epigram.

Vt mortem fugeret, ſe Fannius ipſe peremit.
Dic rogo num furor eſt, ne moriare mori;

A caſu ſunt aduerbia nominumque caſus ab vno deducti honeſtus honeſte, honeſtum.

A caſu pulchrum hoc Luc. in Epigramm. θνητὰ τὰ τῶν θνητῶν *Mortalium ſunt quæ ad mortales pertinent.*

PVNCTVM III.

Canones.

HVius loci ſunt quatuor. I. Quod vni conuenit Coniugatorum, cæteris quoque conuenit. Si Poëſis laudanda eſt, Poëtæ quoque laudandi ſunt Archiam Poëtam in Rom. ciuium numerum adſcribendum ex hoc loco probat, Cic. n. 19.

II. Quod non conuenit vni Coniugatorum, nec aliis, Poëſis à Rep. non eſt excludenda, nec à ciuitate debent extrudi Poëtæ, ibidem multis numeris.

III. Cui conuenit vni cætera quoque conueueniunt, iuſte ſemper ſe geſſit Ariſtides, ergo iuſtus fuit. Si Chriſtiani ſumus, Chriſtiane viuamus.

IV. A quo remouetur vnum Coniugatorum ab eodem cætera remoueatur: Nihil vnquam fecit Ariſtides iniuſte, iniuſtus igitur non fuit.

PVNCTVM IV.

Cautiones.

TRiplex in coniugatis eſt adhibenda cautio. I. Ne propter vocis coniunctionem coniu

coniugata dicamus omnia. Nec enim valet. Neceſſe eſt dare aliquid ſomno proindè ſomniculoſum eſſe neceſſe eſt. Nam ſomniculoſus non eſt hîc is,qui ſomnum capit , ſed iners ignauus propria verò,ſunt dormire dormiens.

II.Vt ambiguitas euitetur, qualis illa Simonidis ſententia. Cum homines ſimus,humana tantum curare debemus : Fallit , nam vox humana, cùm in concluſione non vſurpetur pro iis, quæ ad hominem ſpectant , ſed pro caducis , ac terrenis : quâ ſignificatione humana diſtinguntur: Sic fallit , Officium ſuum præſtat, igitur officioſus eſt:reperias enim ſeruos,qui plagarum metu præſtent officium , non idcircò tamen officioſos.

III.Vt attributa Coniugatorum rectè aſſignētur. Nec enim valet album eſt dulce , igitur albedo,eſt dulcedo;nimirum alius eſt ſenſus in antecedente,alius in conſequente , ſed igitur eſt in eadem re albedo:& dulcedo.

PVNCTVM V.

Ad delectandum valet.

LIcet locus hic non magnum momentum habeat ad probandum,plurimum tamen poteſt ad delectandum præcipue , ſi figuris illuſtretur. Per hyperbolem 1. Verr. 26. Vt mihi non vnus homo improbus opprimendus ſit,id quod Siculi petiuerunt : ſed omninò omnis improbitas , id quod populus Rom. iamdiu flagitat , extinguenda , atque delenda ſit.

Per paronomaſiam Verr. 2.n.129.ridiculi inueniebantur ex dolore , cum dicerent,eum egregium Aſtrologum, qui non tàm Cœli , quàm argenti cœlati rationem duceret.

In Poëſi ſuauitatem facit ex Propertij ſententia.

Libertas quoniam nulli iam reſtat amanti,
Nullus liber erit ſi quis amare velit.

Poëta recens , & nobilis in P. Maronis nomine luſit eleganter.

Qua non te Publi fama tuba publicat orbi,
Publica nonne tuus Bibliotheca liber?
Sunt & Virgili,tu ſydere pulchrior omni
Virgili,& eloquij tu mare dulce Maro.

Virg.7.Æn.*Non capti potuere capi.*&illud Ouidij: *Vt ameris amabilis eſto.*

PVNCTVM VI.

Ad amplificationes.

QVin & amplificationibus inſeruiunt coniugata , quibus vtitur multis in locis Tull. pro Flac.n.7.*Et is eſt reus auaritiæ, qui in maledicentiſſima ciuitate,maledictum omne,in ſuſpicioſiſſimo negotio,ſuſpicionem omnium , non modò crimen effugit*.Pro Mur.29.

Iuuant inquam , plurimum ſi conglobentur hoc modo. Quid tu militem eum appellas , cui nondum per ætatem militare licet ? quid Equitem vocas , qui nunquam niſi in arundine longa equitauit. Quid ? Imperatorem nominas, qui ſibi , & cupiditatibus ſuis non imperat. Det primo militiæ nomen , ſtipendia faciat , militaris diſciplinæ laboribus exerceatur , armis & equis apte vti diſcat , petulantes animi motus coërcere , longo virtutis vſu aſſueſcat , tum militem fortiſſimum , Equitem expeditiſſimum labis , Imperatorem egregium appellabis.

Magnam vtique locus hic ſuppeditat dicendi copiam ad rem non ſolùm argumentis probandam , ſed etiam varietate ſermonis eleganter illuſtrandam.Vnum quippe coniugatorum pro altero frequenter vſurpari neceſſe eſt,ſi ſatietatem vitare volumus, quæ ex frequenti vocum earundem repetitione naſcitur. Eſt enim faſtidij pleniſſimum idem , iiſdem ſæpius iterare. Itaque pro iuſto,dices iuſtitię laude clarum,& inſignem, Nihil niſi iuſte facientem , ius ſuum cuique tribuentem.

Quin & alia reperiuntur in Coniugatis quæ propius accedunt ad orationis integumenta.Tale eſt illud Ennianum, quod in Authoris antiqui Satyris obſeruatum eſt à Gellio lib.18.cap.2.ſuper vna dictionum multarum radice *fruſtra* , à qua & fibræ variæ pendent.

Nam qui lepidè poſtulat alterum fruſtrari;
Quem fruſtratur,fruſtra eum dicit fruſtra eſſe;
Nam qui ſeſe fruſtrari quem fruſtra ſentit,
Qui fruſtratur is fruſtra eſt;ſi non ille eſt fruſtra.

Quæ

Digitized by Google

Quæ vocabulorum ambages, quamquam ab vno fonte manant orationem perplexam, & flexuoſa repetitione faciunt obſcuriorem; (quod in oratione vitium eſt non leue) nonnunquam tamen â Græcis vſurpantur. Extat Epitaphium à Simonide conſcriptum vt vult Suidas cuius nomen Acron.

Ακρον ἰητρὸν ἄκρων ἀκραγαντῖνον, πατρὸς ἄκρου
Κρύπτει κρημνὸς ἄκρος πατρίδος ἀκροτάτης.

Summum Medicum Acronem Agrigentium patris ſummi VIRI
FILIVM, *tegit præcipitium ſummum patriæ ſummæ.*

Quidam autem ſecundum verſum ita proferunt.

Ακροτάτης κουφῆς τύμβος ἄκρος κατέχει.

Summi cacuminis ſepulchrum ſummum detinet Acronem.

Sed qui in Græco multus eſt, in Latino idiomate vix apparet lepos.

LECTIO V.

Locus à genere.

MAgna vis eſt huius loci in vtramque partem, & ingens vtilitas, cum vix vlla cauſa proponatur Oratori tractanda, quæ non ex genere, vel tota maiori ſaltem eſt parte petatur.

PVNCTVM I.

Definitio.

GEnus eſt quod ſui ſimilis communione quadam, ſpecie autem differentes duas, aut plures complectitur partes. Virtus Iuſtitiam, Temperantiam, Fortitudinem, Prudentiam continet; inter ſe conueniunt quòd ſint Virtutes, diſſident, quod circa varia obiecta verſentur. Sic formabis argumentum à genere. Antiquiſſimum illud Philoſophiæ decretum, tanquam indubitatæ Fidei Oraculum, per omnes ætates, perque hominum benè ſentientium animos peragrauit, virtutis omnis laudem, inhoneſtæ, laudabiliſque actionnis vſurpatione conſiſtere: erit igitur qui putet regias virtutes, quæ velut eminentes ſunt tabulæ omnibus non ad intuendum ſolùm, ſed ad imitandum propoſitæ, Iuſtitiam ſcilicet, Prudentiam, Humanitatem, Munificentiam, Pietatem, aliaque id genus, cum cœcis Manibus in vmbra, & otio languidas obtepeſcere debere, non vero in aciem, atque in laudandæ alicuius exercitationis campum deſcendere?

Dauid *Animal* quod eſt genus in quinque ſpecies, ſtellas, aues, beſtias, piſces, homines. Ouid. 1. Transformationum.

Neu regio foret vlla ſuis animalibus orba,
Aſtra tenent cœleſte ſolum, formæque Deorum:
Ceſſerunt nitidis habitanda piſcibus vndæ:
Terra feras cepit, volucres agitabilis Aër:
Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet.
Natus homo eſt.

Ex hoc loco ſumitur illa vis argumenti, quo Baccharam pollicitis diuitem, & in promittendo tàm liberalem quam in dando parcum & tenacem verborum fulminibus impetit Mart. lib. 7. Epigr. 91.

Siquid opus fuerit, ſcis me non eſſe rogandum,
Bis nobis dicis, Bacchara, terque dic.
Appellas rigida triſtis me voce, ſecundus.
Audis, ſed neſcis, Bacchara, quid ſit opus.
Penſio de coram petitur, clareque palamque.
Audis, ſed neſcis, Bacchara, quid ſit opus.
Eſſe queror gelidaſque mihi, tritaſque lacernas:
Audis, ſed neſcis, Bacchara, quid ſit opus.
Hoc opus eſt, ſubitò, fias vt ſydere mutus,
Dicere ne poſſis, Bacchara, quid ſit Opus.

PVNCTVM II.

Loci dignitas & præſtantia.

IN hoc loco nihil illuſtrius quàm ſi fiat hypotheſis ad theſim aſcenſus, quod præceptum celeberrimum eſt apud Rhetores; quare docendum quo artificio reuocanda ſit ad Theſim, hoc eſt ſpecies, ſeu forma, ad genus. Illud præſtat Orator, vel cùm à laude, & commenda-

Digitized by Google

ione generis, vel à vituperatione progreditur ad ea laudanda, vel vituperanda, quæ ſub genere continentur. Laudandum ſuſcipit Orator Archiam, hæc hypotypoſis eſt. Ergo, vt aliquem campum aperiret Orationi peritus ſcilicet dicendi artifex, Orationem circumſtantiis perſonæ, & temporis abſoluit, & ad Theſim reuocat, à n. 19. ad 12. ampliſſimè laudat ſtudia humanitatis, arteſque liberales. *Sit igitur ſanctum apud vos humaniſſimos homines, hoc Poëta nomen, quod nulla vnquam Barbaria violauit, ſaxa, & ſolitudines voce reſpondent, beſtiæ ſæpè immanes cantu flectuntur, atque conſiſtunt; nos inſtituti rebus optimis, non Poëtarum voce moueamur?*

Cùm ſingulare crimen ad ſuum genus reuocatur. Pro Roſcio Amer. vbi accuſatus parricidij ab Oratore defenditur, igitur à Roſcij perſona abſoluit Orationem, & circa n. 61. ad 72. plurima de grauitate illius ſceleris affert. *Etenim quid tam eſt commune, quam ſpiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis? Ita viuant, dùm poſſunt, vt ducere animam de Cœlo non queant: ita moriuntur, vt eorum oſſa terra non tangat: ita iactātur fluctibus, vt nunquā abluantur: ita poſtremò eiiciuntur, vt ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcāt. Tanti maleficij crimen, cui malefacio iam inſigne ſuppliciū eſt conſtitutū probare te, Eruci, cenſes poſſe talibus viris ſi ne cauſam quidē maleficij protuleris?*

PVNCTVM II.

Hypotheſis ad Theſim aſcenſus excuſat.

CVM excuſandum eſt alicuius hominis vitium, non ſine artificio, atque prudentia reuocatur Hypotheſis ad Theſim; Ita cùm Cœlium defendit Orator, eiuſque adoleſcentiam non ſatis honeſtis ſtudiis implicatam, eò tandem deſcendit Oratione, vt adoleſcentum ſtudia ludoſque excuſet. n. 28. *Datur enim conceſſu omniū, huic aliquis ludus ætati, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates? quæ ſi ita erumpunt, vt nullius vitam labefactent, nullius domum euertant: faciles, & tolerabiles haberi ſolent.*

Poſt aliqua n. 39. *Hæc igitur eſt tua diſciplina? ſic tu inſtituis adoleſcentes? ob hanc cauſam tibi puerum parens commendauit, & tradidit, vt in amore, & voluptatibus adoleſcentiam ſuā collocaret: & hanc tu vitam, atque hæc ſtudia defēderes? Ego ſi quis hoc robore animi, atque hac indole virtutis, ac cōtinentiæ fuit, vt reſpueret omnes voluptates, omnemque ſuæ vitæ curſum in labore corporis, atque in animi contentione conficeret: quem non quies, non remiſſio, non æqualium ſtudia, non ludi, non conuiuia delectarent: nihil in vita expetendum putaret, niſi quod eſſet cum laude, & cum dignitate coniunctum, hunc mea ſentētia, diuinis quibuſdam bonis, inſtructum, atque ornatum puto. Multa enim nobis blandimenta natura ipſa genuit, quibus ſopita virtus conniueret: & interdū multas vias adoleſcentia lubricas oſtēdit, quibus illa inſiſtere, aut ingredi ſine caſu aliquo, aut pro lapſione vix poſſet, & multarū rerum iucundiſſimarum varietatem dedit, qua non modò hæc ætas, ſed etiā iam corroborata caperetur.*

PVNCTVM IV.

Inſectatur.

CVM aliquam grauem perſonam facetiis inſectari voles, carpere poteris ea ſtudia, quibus ipſe ſe deditum profitetur; ne ſcilicet ſi perſonam ipsā attingas imprudentior videare, quàm iugenioſior; Ita ludit Orator in Catone, dùm ridiculam Stoïcorum ſectam, cui erat ipſe Cato addictus, iocis, & ſalibus mirificè aſperſit. Pro Muræna à n. 11. & 61. *Fuit enim quidam ſummo ingenio vir Zeno, cuius inuētorum æmuli Stoici nominantur* Huius *ſententiæ ſunt, & præcepta eiuſmodi: Sapientem gratiā nunquam moueri, nunquam cuiuſquam delicto ignoſcere: neminē miſericordem eſſe, niſi ſtultum, & leuem: viri non eſſe, neque exorari, neque placari: ſolos ſapientes eſſe ſi diſtortiſſimi ſint formoſos, ſi mendiciſſimi, diuites: ſi ſeruitutem ſeruiant, reges: nos autem qui ſapientes non ſumus, fugitiuos exules, hoſtes inſanos denique eſſe dicunt. Hæc homo ingenioſiſſimus Cato, auctoribus eruditiſſimis inductus, arripuit.*

PVN

PVNCTVM V.

Docet.

AD docendum ſæpius & vtiliter aſſumitur aſcenſus ad Theſim. Pro Sextio. n. 96. *Nimirum hoc illud eſt, quod de me potiſſimum tu in accuſatione, quæ eſſet noſtra natio optimatium. Sic enim dixiſti: Rem quæris præclaram iuuentuti ad diſcendum nec mihi difficilem ad perdocendum. De qua pauca dicam, & vt arbitror, nec ab vtilitate eorum, qui audient, nec ab officio noſtro, nec ab ipſa cauſa Sextij abhorrebit oratio mea. Duo genera ſemper in hac ciuitate fuerunt, &c.*

PVNCTVM VI.

Refutat.

ALiquando refutandi gratiâ cogitur Orator traducere Orationem à forma ad genus, perfectum illud eſt exemplum. Pro. Mil. à n. 7. ad 12. vbi hanc refellit aduerſariorum ſententiam. *Negant intueri lucem eſſe fas ei qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur.* Hoc telum quod aduerſarij temerè iecerant in caput Milonis perfringit Orator cùm ſubdit. *In qua tandem vrbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? nempe in ea quæ primum iudicium de capite vidit M. Horatij fortiſſimi viri; qui nondum libera ciuitate, tamen Pop. Rom. comitiis liberatus eſt, cum ſua manu ſororem interfectam eſſe fateretur. An eſt quiſquam qui hoc ignoret, &c.*

Cauendum imprimis Oratori ne vagetur longius quàm ratio cauſæ poſtulet, alioqui patet aduerſariorum telis; nihil enim facilius perito Oratori, quàm locos illos communes refellere, atque explodere quod Cic. præſtat. Pro Cœl. 29. *Sed tu mihi videbare ex communi infamia iuuentutis aliquam inuidiam Cælio velle conflare. Itaque omne illud ſilentium, quod eſt orationi tributum tuæ, fuit ob eam cauſam, quòd vno reo propoſito, de multorum vitiis cogitabamus. Facilè eſt accuſare luxuriem. Dies me iam deficiet, ſi, quæ dici in eam ſententiam poſſunt, coner exprimere corruptelis, de adulteriis, de proteruitate, de ſumptibus immenſa oratio eſt. Vbi tibi reum neminem, ad vitia proponas, res tamen ipſa, & copioſè, & grauiter accuſari poteſt. Sed veſtra ſapientia eſt, non abduci ab reo: nec quos aculeos habeat ſeueritas, grauitaſque veſtra, cùm eos accuſator erexit in reum, in vitia in mores, in tempora emittere in hominem, & in reum: cùm is non ſuo crimine, ſed multorum vitio ſit in odium iniuſtum vocatus.*

PVNCTVM VII.

Canones.

HIs ferè pronunciatis continetur locus à genere. I. Quod ei conuenit ſingulis, quoque eius formis Si omnis virtus laudem meretur, & amorem, etiam ipſa prudentia merebitur.

II. Cui conuenit genus, & ſingulæ partes eius conueniunt. Si ſapiens omnibus virtutibus inſtructus eſſe debet, & Iuſtitia.

III. Cui non conuenit Genus, nec ſingulæ generis Formæ conueniunt. Si ſapiens nullo debet eſſe vitio infamis, nec auaritiâ laborare debet.

IV. Quod generi non conuenit, neque ſingulis eius Formis. Si nulla virtus in exceſſu poſita eſt, neque fortitudo. Quæ quidem axiomata tunc valent, cùm genus vniuerſim ſumitur, adhibito videlicet vniuerſali ſigno; Nullus, vel, Omnis. Cauendum monet Tullius, ne ſpeciem aliquam prætermittas, niſi velis argumentum irritum.

Remoto genere cum aliquo particulari ſigno, Formam eius aliquam remoueri neceſſe eſt, non omnes. Aliquæ virtutes non habent ſedem in voluntate, ergo vel prudentia, iuſtitia vel alia de numero virtutum in voluntate ſedem non habebit, qualis prudentia, quæ virtus eſt intellectus propria.

PVNCTVM VIII

Vſus.

FRequens eſt ac multiplex vſus generis. Docendi quandam, & explicandi facultatem affert huius loci tractatio 5. Verr. n. 4. *Atq; hac ego plus oneris habeo, quã qui cæteros accuſãt, (ſi onus eſt* id

Digitized by Google

id appellandum, quod cum lætitia feras, ac voluptate) verumtamen hoc ego amplius ſuſcepi, quàm cæteri: quòd ita poſtulatur ab omnibus, vt ab iis ſe abſtineant maximè vitiis in quibus alterum reprehenderunt. Furem aliquem, aut rapacem accuſaris? Vitanda tibi ſemper erit omnis auaritiæ ſuſpicio. Maleficum quempiam adduxeris, aut crudelem? cauendus erit ſemper, ne qua in re aſperior, aut inhumanior fuiſſe videare; corruptorem, adulterum? prouidēdū diligenter ne quod in vita veſtigiū libidinis appareat. Omnia poſtremò, quæ vindicaris in altero, tibi ipſi vehementer fugienda ſunt: Etenim non modò accuſator, ſed ne obiurgator quidem ferendus eſt is, qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipſo deprehenditur.

Valet in exordiis, ſuppeditatque maximam Oratori copiam: Nam, vel in ipſo Orationis aditu genus quoddam proponit, atque ſententiam, cuius notio pertinet ad multa; deinde verò deſcendit ad ſpeciem, quæ totius Orationis corpus abſoluit, quod genus principij inſigne eſt. Pro domo ſua, dicendum præclarum eſſe inſtitutum Populi Rom. quod iidem & ſacrorum curam? & Reip. gererent, à genere exorſus omnia Maiorum, & Populi Rom. inſtituta commendauit. Vel ſtatim in ipſo exordio relicto genere, agredimur ad ſpeciem. Pro Quint. Vel certtè primum proponit genus, idemque in exordio partibus multis, & formis adductis confirmat. 4. in Verr. n. 2. *Cum omnium ſociorum, prouinciarumque rationem diligenter habere debetis tùm præcipua Sicilia plurimis, iuſtiſſimiſque de cauſis.*

Per affirmationem pro ſpecie genus vſurpatur, ſic Poëtam pro Virgilio, Oratorem pro Cic. Philoſophum pro Ariſtotele, dicimus.

Pro ſingulari, aut certè minus vniuerſo nomine, ponimus quod communius eſt, & latius patet. Cic Pro Quint. *Quid ergo eſt? primum magnitudo periculi ſummo timore hominem affecit.* Hominem Pro Quintio dixit; qui vſus debet eſſe frequentiſſimus, ne ſemper in eaſdem voces incurrat Orator. Si quis nempe de Platone diſſerat, faſtidium Oratio pariet, ſi perpetuo Platonis nomen ad aures accidat, quæ nauſea facilè tolletur, ſi facilitatem huius loci ſtudioſus ſibi Rhetor comparauerit, modò Græciæ lumen, Principem in dicendo, diuini virum ingenij, non linguæ ſolum, ſed animi virtutiſque magiſtrum, & doctorem.

Nonnumquam genus adiungitur ſuæ formæ. Iuſtitia nobilis illa virtus. Cicero dicendi Magiſter. Aliàs, quod fit præſertim enumeratione partium rem in genere affirmamus, quam deinde ſuas in partes diſſoluimus. Poſt reditum Tull. Cùm dicendum eſſet, nihil ſibi liberis charius eſſe datum: ſubiicit, mihi verò, & propter indulgentiam meam, & propter excellens eorum ingenium, vita ſunt mea chariores.

Per negationem vſus non minus frequens eſt, ſed facilis. Ita poſſemus vocare virtutem, non corporis, ſed animi bonum, non obnoxiam in conſtantis fortunæ poſſeſſionem, ſed ornamentum quod nobis inuitis, & reluctantibus nemo poſſit abſtrahere.

PVNCTVM IX.

Partitio generis.

GEnus eſt aliud mixtum, vt modò à ſpecie probetur genus, modò ſpecies à genere: quæ quidem idea plurimum valet, vbi vrgenda eſt aliqua ratio; & quaſi in acie argumentis dimicandum. Lactant. lib. 2. c. 5. Aſſumis ad probandum nihil eſſe admodum expetendum in hac mortali vita, in qua nihil prēter animi moleſtias, & corporis ærumnas reperiri ſolet? Sic rem cōficies. Si fieri poteſt vt ingrediatur in ſenſus vis vlla corporeæ voluptatis, quæ non ſit eadem inanis, ac fluxa, neque tangendi, audiendique ſenſus idonei ſunt, vnde aliquam colligere te poſſe putes veram ſolidamque voluptatem? Quod ſi in iis quoque nullus ineſt verus ſuauitatis ſenſus, ergo nulla eſt voluptas corporis expetenda, quæ tota quantacumque eſt, ex illis fontibus effluit. Eadem ratio eſt honoris, & gloriæ: Nam omnis eſt leuis illa gloria, quæ arbitrio humano quæritur; ergo neque exiſtimatio ingenij, nec honor dignitatis, neque pulchritudinis fama, neque vlla laus animi, aut corporis expetenda eſt, cùm ſit omnis illa quidem precaria gloria, & orta ex hominum ſtudiis, atque iudiciis. Quod ſi earum omnium rerum inanis

Digitized by Google

nis eſt gloria, efficitur profectò, cùm hæc vita nullam afferat laudem, niſi quæ ab hominum iudicio ſit profecta, omnis omittenda ſit cura conſequendæ laudis.

Idem quoque iudicium diuitiarum eſt; Itaque ſi neque honores, neque voluptates, neque diuitiæ, quicquam habent boni, cuius ſtudio ſapientes duci poſſint, quid eſt quæſo magnopere expetendum in vita, in qua ſiquidem hæc contemnuntur.

Hùc referas licet omnes locos communes in falſos teſtes pro Sylla in Parricidas, pro Amer. in proditores contra Catilinam. Vel pro viro forti, docto, iuſto, pro Murena, Marcello, Pompeio, &c. qui ſæpè in forenſi contentione tractantur: vel in genere deliberatiuo, ſitné credendum hoſtibus, ſit né ſtudendum.

Ad quam tractationem iuuerit etiam alia genera, quàm propoſitæ quæſtionis inueſtigare, cuiuſmodi ſunt genus temporis, genus locorum, & teſtium, quæ eò maiorem dicendi copiam ſuppeditabunt, quò plus loci, ac temporum, cæterarumque rerum comprehendent. Sit tibi negotium contra Caluinianos, hanc hypotheſim tranferes ad Theſim, omneſque hæreticos perfidos eſſe demonſtrabis, quod vt facias, genus temporum quæres diceſque omni tempore fuiſſe perfidioſos, ſub Conſtantio, Theodoſio, Leone: necdum ſatis? poteris genus locorum aduocare, & addere vbique terrarum perfidioſos, ac fallaces fuiſſe, in Galliis, in Africa, in Italia, Græcia, &c.

LECTIO VI.

Locus à forma, ſeu ſpecie.

GEnus & ſpecies vno capite comprehendi poterant, tùm quia coniuncta ſunt, & à Tullio ſæpè confunduntur, tùm quod vnum pro altero ponitur, cùm eſt ſermo de facultate oratoria; cùm exquiſita generis & ſpeciei diſtinctio dialecticorum ſit, non Oratorum. Placuit tamen vtramque diſtinguere, vt clarior eſſet vtriuſque tractatio.

PVNCTVM I.

Definitio.

CVm definiuiſſet Cic. in Top. genus, notionem ad plures differentias pertinentem, formæ definitionem hanc ſubiunxit. Eſt notio cuius differentia ad caput generis, quaſi ad fontem referri poteſt. Deindè formas vocat eas, in quas genus ſine vllius prætermiſſione diuiditur. Si quis Ius in morem, legem, æquitatem, diuidat 1. de Orat. quaſi generis partes appellat. Species ſecundum alios erit, de pluribus dicitur indiuiduis numero tantum differentibus. Homo de Petro, Ioanne, &c.

LECTIO II.

Loci Canones.

I. DE quo dicitur aliqua ſpecies, dicitur & genus, & contrà. In ſubeundo martyrio ſumma eſt fortitudo, eſt ergo virtus: in ſingulari certamine obeundo nulla prudentia, nec fortitudo, neque iuſtitia, ergo nulla virtus.

II. Quidquid dicitur aut negatur de omni ſpecie, & de genere. Nec Prudentia, nec Temperantia, nec Fortitudo, neque Iuſtitia ducunt ad malum, igitur nulla virtus ducit ad malum.

III. Quod dicitur de aliqua tantum ſpecie dicitur etiam ex parte de genere; ſi conuenit iuſtitiæ laudari, laudabilis eſt aliqua virtus: non tamen vniuersè concluditur.

PVNCTVM III.

Vis & Præſtantia.

QVam vim habeat, & facultatem ex iis quæ de genere dicta ſunt facilè intelligi poteſt: vt igitur ab illa erigit orationem ſuam ad genus, ita ſæpè Theſim tractat Orator, hoc eſt cōmunem aliquā ſententiā rationibus cōfirmat, & argumentis ſolet ad ea quæ ſingularia vniuerſo genere continētur, non ſine arte deſcendere.

Secundo plurimum poteſt in reprehenſione, ſi velis in aliquem acriùs irrumpere. Quod facit Cic. 1. in Catil. num. 7. ad 10. quo in loco generis latent primùm illa quidem: ***Quid eſt Catilina***

ltna quod iam amplius exſpectes, ſi neque nox tenebris obſcurare cœtus nefarios, nec priuata domus parietibus continere vocem coniurationis tuæ poteſt: ſi illuſtrantur, ſi erumpunt omnia. Muta iam iſtam mentem: mihi crede, obliuiſcere cædis, atque incendiorum, teneris vndique: luce clariora ſunt nobis tua conſilia omnia.

Poſt quas ſimilitudines mox fundit orationem per formas multiplices.

Quæ etiam licet mecum recognoſcas. Meministinè, me ante diem XII. *Kal. Nouemb. dicere in ſenatu certo die fore in armis, qui dies futurus eſſet ante diem* VIII. *Kal. Non. C. Manlium audaciæ ſatellitem atque adminiſtrum tua, num me fefellit Catilina, non modò res tanta, tàm atrox, tàm incredibilis, verùm id quod multò magis eſt admirandum, dies.*

PVNCTVM IV.

Vſus. Per Affirmationem.

PEr affirmationem elegans eſt hic locus à forma Sceleratus eſt, quia homicida; obnoxius alicui vitio, quia ebrietati; aliquis Philoſophus eius ſententiæ, quia Plato: quæ tùm validiora argumenta fiunt, ad permouendos auditorum animos, cùm multæ ſimul formæ congeruntur. Sceleratus eſt quia furti, & ebrietati, quia rapinis, & incendiis, quia mendaciis, & ſacrilegiis, quia ſordidis ac flagitioſis libidinibus, aliiſque vitiis eſt obnoxius.

Non tamen hæc argumenta nudè tractanda ſunt, ſed figuratè, & magno nonnunquam verborum ambitu. Erit ille immunis à ſcelere qu m ebrietas fœdiſſima labes ab hominum conſuetudine ſeparauit? erit innocens quem oculta, non modò furta, ſed etiam publicæ rapinæ ſæpè iudicium poteſtati tradiderunt? nefarium non illum dicetis hominem, quem neque ſanctitas templorum à ſacrilegio reuocauit, neque ſempiternæ mortis certa ſupplicia ab vllo vitio deterrere potuerunt?

Alius eſt vſus orationis ornamentum, & numerum, vel ad locutionum varietatem, quod multis modis fieri poteſt propoſito primum toto, deindè ſubiectis partibus, & contra: vel formis, ſeu partibus totius loco poſitis, Act. 5. in Verr. n. 4. 6. in eundum n. 2. Probat enumeratis partibus omnem Siciliam deprædatum eſſe Verrem. *Nego in Sicilia tota, tàm locuplete, tàm vetere prouincia, tot oppidis, tot familiis, tàm copioſis vllam argenteum vas, vllam gemmam, nego vllam picturam, quin conquiſierit, inſpexerit, quod placitum ſit aſtulerit.* Quod exemplum producit ad num. 3.

PVNCTVM V.

Per negationem.

SEnatores Ro. Remp. optimè adminiſtrare, quia neceſſe eſt illam per Ciues Rom. non verò per Hiſpanos, non per Græcos, aut alias gentes adminiſtrari. Ita N. ſingulari virtute, præſtantique prudentia virum eſſe dices, quòd non modò ſit temperans, & fortis, ſed etiam iuſtus & prudens: aut quòd nulla vnquam vitia mentem eius fœdarint, non ebrietas, non libido, non auaritia. Quæ argumenta ſi expendantur, reperientur quidem habere negationem adiunctam, ita tamen vt valida ſint, in quantum negationi adnexa eſt affirmatio, aut ipſa negatio per affirmationem explicari poteſt. Dicere namque Caium virtute conſpicuum, quia non deſit illi Temperantia, idem eſt, quia ſit inſtructus Temperantia.

PVNCTVM VI.

Per Inductiones.

AD hunc ſæpè locum pertinent Inductiones cùm ſcilicet ex multis formis genus aut ex multis ſingularibus aliquid vniuerſale concluditur pro Mil. n. 7. Ex eodem fonte, 1. Phil. n. 18. *Ecquid eſt quod tàm propriè dici poſſit actum eius, qui togatus in Rep. tum poteſtate, imperioq; verſatus ſit, quam lex? quare acta Gracchi; leges Sempronia proferentur, quare Sylla; Corneliæ, quid? Cn. Pompeij*

Pompeij conſulatus in quibus actis conſiſtit nempe in legibus à Cæſare ipſo ſi quæreres, quidnam egiſſet in vrbe, & toga: leges multas reſponderet ſe præclarè tuliſſe.

Quem locum idem tractat pro Plancio, n. 60. *Etenim honorum gradus ſummis hominibus, & infirmis ſunt pares: gloria, diſpares. Quis noſtrum ſe dicit M. Curio, quis C. Fabricio parem? quis Atinio Calatino? quis Cn & Pub. Scipionibus? quis Africano, Marcello, Maximo? eoſdem ſumus honorum gradus, quos illi aſſequuti. Eſt enim in virtute multis adſcenſus, vt is gloriâ maximè excellat, qui virtute plurimum præſtet.*

Huc referendum eſt illud exordiorum genus, in quo forma præponitur, ſeu pars, aut etiam multæ, quibus totum, ſeu genus adiungitur. Si quis virtutem laudaturus orationem ordiatur à forma. Iuſtitiæ laus ſemper in iis, qui Remp. adminiſtrarent, æſtimata eſt, prudentiæ, temperantiæ, &c. tùm ſubiiciat virtutem in genere omnium commendatione digniſſimam.

Ita pro Quintio, cùm dicere potuiſſet Tull. multa reperiri in cauſa Quintij, quæ æquitati cauſæ nocere poſſent, non loquitur tamen vniuerſim, ſed partes enumerat, quæ nocent, gratiam ſcilicet Næuij, & eloquentiam Hortenſij.

Morimur omnes etiam Nobiles, etiam Principes, etiam Reges; Leones, Catulis, Elephanti, Formicis, Aquilæ, Culicibus aggregantur. Mors capta eſt auribus, nullum audit; capta oculis, neminem agnoſcit: armata grandi falce, omnes demetit: triremes æquat liburnis, turres, cauernis, purpuras pannis, Tiaras petaſis, ſceptra ligonibus. Mori commune hominis officium eſt, & ſupplicium, lata & pronunciata in eum mortis ſententia ab eo Iudice, cui refragrari nemo poteſt; fac ſplendore natalium illuſtrem, fac eſſe te omnium Virtutum comitatu viſendum, dic te eſſe doctrinâ, & eruditione mirabilem; Te nobilitate Cæſares, te Virture & Sanctitate vitæ Apoſtoli, te ſcientiâ Philoſophi ſuperarunt. Aut igitur hominis naturam exue, aut te cum illis aliquando moriturum eſſe pronuntia.

LECTIO VII.

Locus à ſimilitudine.

NE illi peſſimè de Eloquentia meriti ſunt qui locum hunc quaſi inutilem excludendum eſſe putant: nemo quippe in arte dicendi tàm mediocriter exercitatus eſt, qui non eum habere intelligat, & vtilitatis plurimum, & voluptatis: Vtilitatis, quod lucem rebus, vim argumẽtis afferat, motumque in animis concitet: Voluptatis, quod rerum variis imaginibus mirum in modum auditores reficiat, atque recreet.

PVNCTVM I.

Definitio.

SImilitudo, l. 4. ad Heren. n. 6. definitur Oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re diſpari ſimile. Differt à Comparatione, quod comparata ſint ea quæ magis, hoc eſt in comparatione ſit Quantitas, in ſimilitudine Qualitas, Dùm enim comparamus, aut plus, aut minus, aut par in eſſe alicui dicimus. Phil 3. n. 6. Quid Tarquinius tale, qualia innumerabilia fecit Antonius? quid eſt aliud quàm plura fecit Antonius, quàm Tarquinius?

In Similitudine Qualitatem tantùm oſtendimus, nempe quale ſit id quod agimus Phil. 4. n. 11. Faciam igitur, vt Imperatores inſtructa acie ſolent. Quamquam paratiſſimos milites ad præliandum videant, vt eos tandem adhortentur, ſic ego vos ardentes, & erectos ad libertatem recuperandam cohortabor. Vbi nulla ſit minoris, paris, aut maioris, mentio.

PVNCTVM II.

Diuiſio.

TRiplicem faciunt eloquentiæ Magiſtri locum hunc, eumque diuidunt in Parabolam,

Indu

Digitized by Google

Inductionem, & exemplum. Multis commendat Sen. Philoſophus Parabolas, & Demetrium tacitè reprehendit ſimilitudines, vt parum vtiles, & nonnunquam vitioſas monentem, ep. 57. *Inuenio translationes verborum, vt non temerarias, ita quæ periculum ſui fecerint. Inuenio imagines: quibus ſi quis non vti vetat, & Poetis illas ſolis indicat eſſe conceſſas, neminem mihi videtur ex antiquis legiſſe, apud quos nondum captabatur plauſibilis. oratio. Illi qui ſimpliciter, & demonſtrandæ rei cauſa eloquebantur, Parabolis referti ſunt: quas exiſtimo. neceſſarias, non ex eadem cauſa quâ Poetis, ſed vt imbecillitatis noſtræ, adminicula ſint, & vt diſcētem & audientem in rem præſentem adducant.*

Eſt autem Parabola rerum alioqui diuerſarum in vna, vel pluribus partibus, conuenientia: quæ illuſtris ſimilitudo dicto, aut facto antiquo, vel recenri, aut hiſtoria aliqua narrata grauiter, aut iucundè pro rei natura contineteur, id quaſi commodè reddatur Apodoſis non mediocrem affert dignitatem, Talis eſt illa, Tull. pro Roſ. Amer. quâ bellè comparat accuſatores cum anſeribus, num 56. *illis cibaria publicè locantur, & canes aluntur in Capitolio, vt ſignificent. ſi fures venerint, at fures internoſcere non poſſunt. Significant tamen, ſi qui noctu in Capitolium venerint: & quia id eſt ſuſpicioſum, tamet ſi beſtiæ ſunt, tamen in eam potius partem peccant, quæ eſt cautior. Quod ſi luce quoque canes latrent, cùm Deos ſalutatum aliqui venerint, ijs crura ſuffringantur, quòd acres ſint etiam tùm, cùm ſuſpicio nulla ſit. Simillima eſt accuſatorum ratio. Alij veſtrum anſeres ſunt, qui tantum modo clamant, nocere non poſſunt: alij canes, qui & latrare, & mordere poſſunt. Cibaria vobis præberi vidimus: vos autem maximè debitis in eos impetum facere, qui merētur.*

Pietatis ſepulta in nobis ſcintilla latet, velut igneus ardor incluſus ſaxis, quem non excutias, niſi conteras; nec virtutis ſcintillam in te latentem, & torpentem niſi continuis ferri, hoc eſt tribulationis ictibus contundaris, ait Nazian. in Car de laude virginitatis, qui mirâ ſolertiâ parabolas ſolum ad exprimendam rerum imaginem compoſitas ad vehementiam orationis vſurpat.

Nec diſſimilis imago de arbore illa in fabulis decantata ferri victrice, quâ ridentis fortunæ blandimentis irretitum hominem licet ſapientem ac probum, conſuetum antea virtutis odorem non ſpirare docet, cùm adverſis vrgetur. Sic enim in Orat. cùm reuerteretur ex agro, Greg. Nazian. Arbor quædam eſt fabuloſa, quæ exciſa magis germinat, & contra ferrum decertat, & ſi quid mirabilius in re mirabiliori dicere oportet, morte viuit, & abſciſſa repullulat, necnon conſumpta augetur. Hæc referunt fabulæ: & arbuſti illius natura talis eſt. Mihi autem manifeſtè videtur, tale quid Philoſophum eſſe, qui per afflictiones clareſcit, & ex grauibus materiam facit virtutis, ac in aduerſis gloriatur.

In hoc genere laudantur præcipuè quæ paucioribus verbis rem in oculis, non ſine aliqua vrbanitate, deſignunt, vt illa Ceceronis 13. Phil. num.12. *An is non reddet, qui domini patrimonium circumplexus, qui theſaurum Draco, Pompeij ſeruus, libertus Cæſaris, agri Lucani poſſeſſiones occcupauit?* In Vari. num. 4. *Nimium es vehemens feroxque natura, non putas fas verbū eſſe ex ore exire cuiuſquam, quod non iucundum & honorificum ad aures tuas accedat, veniſti iratus omnibus. Repentè enim te, tanquam ſerpens è latibulis oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus intuliſti.*

Elegans eſt illa Cic. 6. Famil. Ep. *Quemadmodum igitur ſcalarum gradus ſi alios tollas, alios incidas nonnullos male hærentes relinquas, ruinæ periculum ſtruas non adſcenſum pares. Sic tot malis tùm fractum ſtudium ſcribendi, quid dignum auribus, aut probabile poteſt adferre.*

Quas tamen parabolas aliquando diffundit ac dilatat. Cic. 1. in Catil. num. 31. *Iamdiu bis periculis coniurationis, inſidijsque verſamur: ſed neſcio quo pacto omnium ſcelerum, ac veteris furoris, & audaciæ maturitas in noſtri conſulatus tempus erupit. Quòd ſi ex tanto latrocinio iſte vnus tolleretur: videbimur fortaſſe ad breue quoddam tempus cura & metu eſſe releuati periculum autē reſidebit & erit incluſum penitus in venis atque in viſceribus Reip. Vt ſæpè homines ægri morbo graui, cū æſtu, febrique iactantur, ſi aquam gelidam biberint, primò releuari videntur; deinde multò grauius vehementiuſque afflictantur: ſic morbus, qui eſt in Rep. releuatus iſtius pœna, vehementiùs viuis reliquis ingraueſcet.*

Digitized by Google

Huc referuntur Allegoriæ, Metaphoræ, quæ licet à ſimilitudine differant, illam tamen continent, non expreſſam quidem, ſed tacitam. Ita Clodium ſæpe peſtem Reip. buſtum, ac ſicarium vocat Orator, quaſi diceret, vt peſtis ſerpit, graſſatur pedetentim, diffunditur, & vaſtat omnia; Clodius per vrbem impunè, volitat graſſatur, ciuium ſtrages edit, &c.

Qui modus ad locupletandam orationem eſt aptiſſimus, ſi tamen non temerè adhibeatur. Viditis aliquando intractatum, ac ferocientemquum, calcitronem, mordacem, cubiorem, ad omnes habenarum flexiones, conuerſionesq; moroſum, alligate eum ſi placet ad palum date illi domitorem generoſum atque benè peritum, qui non verbera ſolùm, ſed induſtriam ſingularem adhibeat ad domandum: breui vſualem equum habebitis, condocefactum, facilem, tractabilem, qui leuiore modò curſu, modò pleniore, laxis tùm habenis incitatiore feratur, indè tolutarius mollius, indè gradarius incedat, tùm ſubſultim, tùm ſaltuatim, qui modò in gyrum ſe commodè flectat, mox aperto curriculo præcipitet, ſubitoque ex incitato curſu, conſiſtat, qui declinet, incurſet idem atque inuadat, qui latus præbeat, poſtremò quaſi ductili, ac lento corpore ad ſeſſoris ſe ſtatim motus componat, in omnemque partem inflectat; ſic nimium vehementem ferocemque natura ſeueritatis fræno domueris, & genio voluptatibuſque ſeruientem authoritate legum continueris, & meliorem iucundæ vitæ rationem exemplo docueris.

PVNCTVM III.

Per Inductionem.

COaceruatio quædam rerum multarum, & ſimilium ad aliquid concludendum. Iis qui naues aliorum merſerunt, nemo facilè ſuam commiſerit: qui alienos equos negligenter curauerit, ei ſuos nemo tradiderit; qui parùm diligenter terram ſuam excoluerit, nemo illi crediderit alienam. Ita qui ſuam ipſorum ſalutem, aut aliorum nihil fecerint, iis temerè committas tuam?

Quod diſputationis genus Socrati admodum familiare fuit, qui per eiuſmodi Inductiones oculis ſubbiiciebat, quæ probanda ſuſceperat, & variis interrogationibus tandem veritati conſenſum extorquebat. Si tutor fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator.

PVNCTVM IV.

Per Collectionem exemplorum.

SImilitudo ſæpè extat inſigniter in exemplis collatis, atque confertis. Hæc vt doctrinæ & eruditionis eſt capax, ita plurimum habet authoritatis ad perſuadendum, præſertim in conſultationibus: Orationem verò non firmiorem modò, ſed etiam illuſtriorem faciunt ſi conglobentur. Pro Balbo num. 51. *Hic tu Cn. Pompeii beneficium, vel potius iudicium & factum infirmare conaris, qui fecit quod C. Marium feciſſe audierat, fecit quod P Craſſum. quod L Syllam, quod Q. Metellum, quod denique domeſticum auctorẽ, patrẽ ſuum facere viderat? Neque verò in vno Cornelio id fecit. Nam & Gaditanũ Haſdrubalem. ex bello illo Africano & Mamertinos obuios, & quoſdam Vticenſes, & Saguntinos fabros ciuitate donauit.*

Valet item illa collectio Planc. qua probat nihil eſſe noui quod Laterenſis repulſam paſſus ſit, cùm Ædilitatem peteret, neque eſſe quod ſibi id dedecori verteret, ſic enim illum alloquitur: num:51. *Quæris etiam Laterenſis, quid imaginibus tuis, quid ornatiſſimo, atque optimo viro patri tuo reſpondeas mortuo. Noli iſta meditari: atque illud caue potius ne tua iſta querela, doloríq; nimius, ab iſtis ſapientiſſimis viris reprehendatur. Vidit enim pater tuus Appium Claudium nobiliſſimum hominem, viuo patre ſuo potentiſſimo, & clariſſimo ciue, C. Claudio Ædilem non eſſe factum & eundem ſine repulſa factum eſſe Conſulem: Vidit hominem ſibi maximè coniunctum, egregium virum Volcatium; vidit M. Piſonem in iſta ædilitate, offenſiuncula accepta ſummos à Pop. Rom. eſſe. honores adeptos.*

PVNCTVM V.

Per Comparationem

NVlla frequentior apud Cic. reperies vna ſimilitudine quæ ſit per comparationem. L Scyllam cum Ioue. confert Pro Roſc. Amer. num. 131. *Etenim ſi Iupiter Opt. Max. cuius nutu & arbitrio, Cœlum, terra, mariaq; reguntur ſæpè ventis vehemētioribus, aut immoderatis tempeſtatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit, vrbes deleuit, fruges perdidit, quorū nihil pernicie cauſa, diuino cōſilio, ſed vi ipſa, & magnitudine rerum factum putamus at contra, commoda quibus vtimur; lucemque qua fruimur: ſpiritumque quē ducimus, ab eo nobis dari atque impertitiri videmus: Quid miramur L. Scyllam, cum ſolus Remp. gereret, orbemq; terrarum gubernaret, imperijq; maieſtatē, quam armis receperat, legibus cōfirmaret, aliqua animaduertere non potuiſſe? niſi hoc mirum eſt, quod vis diuina aſſequi non poſſit, ſi id mēs humana adepta non ſit.* Vbi partes partibus venuſtè ſatis accommodantur per apodoſin.

Diuinatione in Verrem num. 48. componit actores cauſarum, cum actoribus fabularum ab effectis & adiunctis. *Vt in actoribus Græcis fieri vidimus ſæpe illum, qui eſt ſecundarū, aut tertiarum partium, cum poſſit aliquanto clarius dicere quàm ipſe primarum, multum ſubmittere, vt ille princeps quàm maxime excellat: ſic faciet Allineus, tibi ſeruiet, tibi lenocinabitur; minus aliquanto contendet, quàm poteſt.*

De ſe pro Sextio. Sic per comparationem ſimilitudinis loquutus eſt Cic. num 45. *Etenim, ſi mihi in aliqua naue cum meis amicis nauiganti, hoc accidiſſet, vt multi ex multis locis prædones claſſibus eam nauem ſe oppreſſuros minitarentur, niſi me vnum ſibi dediſſent: ſi id vectores negarent, ac mecum ſimul introire, quàm me tradere hoſtibus mallent: iecìſſem me ipſe potius in profundum, vt cæteros conſeruarem, quàm illos mei tàm cupidos, non modò ad certam mortem, ſed in magnum vitæ diſcrimen adducerem. Cum verò in hanc Reip. nauem, ereptis Senatui gubernaculis, fluitantem in alto tempeſtatibus ſeditionum, ac diſcordiarum, armata tot claſſes, niſi ego vnus deditus eſſem, incurſura viderentur: cum proſcriptio, cædes, direptio denunciatur: cum alij vetere odio, bonorum incitarentur, alij vlciſci dolorem ſuum aliquem vellent, alij rem ipſam publicam, atque hunc bonorum ſtatum, otiumque odiſſent, & ob haſce cauſas, tot tamque varias, me vnum depoſcerent, depugnarem potiùs cum ſummo, non dicam exitio, ſed periculo certè veſtro, liberorumque veſtrorum, quàm non id, quod omnibus impendebat, vnus pro omnibus ſuſciperem, ac ſubirem?*

Cum prædonibus vrbem componit ab effectis per inſignem imaginem 6. in Verr. num. 21. Pro Amer. num. 151. Sicarios & Quadruplatores comparat Imperatoribus, qui ſi quando prælium committere velint, in eo loco milites collocare ſolent, quô fugam hoſtium fore arbitrantur. Et num. 66. pro lege Man. 62.

Duorum comparatio, qui ſint idem meriri. 7. in Verr. num. 109. quam per inſignem quandam ſubiectionem explicat.

Seditioſorum Antonij & Dolabellæ, cum Sylla, & Mario. Phil. 11. num. 1. & 2.

Pauperis & diuitis vltimo paradoxo.

Ita cum varijs artibus per ſimilitudinem compares licet Eloquentiam. Nullum eſt opus vllius artis tàm ingenioſum, tàm admirabile, tam varium ac multiplex quod non Orator ipſe Oratione ſua comprehendat. Age quid eſt in Imperatore quod tantopere miramur, Equum flectere, tela ſpargere, caſtris habendis aptare campum, locorum diſtantiam oculorum dimenſione finire, vallum iacere ſcienter, ad certum ſcopum deſtinata librare tormenta, opportunè vineas agere, pubem educere in aciem, inſtructa iam acie ſub ſignis habere paratum militem, ordines diſtribuere, committere, cæſim, punctim ferire, gladijs comminùs, eminùs iaculis rem gerere, producere, collocare, præcurrere, ſubſiſtere, circuire, reſiſtere, inſtare, diſſimulare, mutare in cornu pugnam, laceſſere, fundere, vincere? Atque hæc in Oratoris artificio videre licet omnia ſigillatim adumbrata, cùm explicat Orationem velut exercitum, cùm ratio-

Digitized by Google

rationes velut copias in gradu collocat, cùm ſedes argumentorum & locos velut campum deligit, cùm inſtruit pugnam, cùm proludit, cùm dimicat, cùm ad manus venit cùm in ardore luctatur cum aduerſariis, cùm vincit triumphatque, tanto ſanè glorioſius, quòd vnus cum infinita multitudine bellum gerit, nudus ſæpè cum armatis, adeoque ipſe ſibi Imperator, ipſe Miles, ipſe ſibi conſilium & auxilium, mens & manus, animus & gladius: verbo Ciuitates nonnunquam euertit, verbo Reſpublicas componit, verbo regna ſub iugum mittit, verbo non corporibus, quod vel ipſæ procellæ & fulmina, & belluæ faciunt, ſtragem infert, ſed in liberis ſolum mentibus dominarum exercet.

Facilè præclaris ingenij dotibus Orator inſtructus, & artificio quo ſolet, hoc loco per omnes artes magna varietate poſſet excurrere, nec minori fortè iucunditate dare delicatis auribus Muſicum in Oratore, dùm acutè ſeſe erigit ad exclamandum, dùm grauiter deuoluitur ad exprimendum impetum feſtidientis iracundiæ, dum leuiter reſilit, dum tremulè inſiſtit præ verecundia, dum plenè, & ſonorè ad pompam & maieſtatem incedit modò Phrygio impetu religioſior, modò Lydio queſtu languidior, modo Dorica grauitate ſeuerior, Ionica ſuauitate iucundior, Æolica tranquillitate paccatior. Commutaret illicò vultum, atque illi Equitis aut Gladiatoris perſonam indueret, cum aptaret pedes Orationi decenter ac compoſitè tanquam bellator in Equo ferretur ad curriculum; numeros imponeret vt luctator in ſtadio, ſic pulchrè fortiterque pugnaret, arctaret ambitum & concluſionem tanquam amento haſtam ſic numerorum acri contorſione vibraret ſententiam atque immitteret; denique ſi impetum in hoſtes faceret vehemens vt procella, incenſus vt fulmen, concitatus vt torrens, aures, animos, ſtudia, voluntates, victoriis ſuis tumidus in pompam abduceret.

* * *

PVNCTVM. VII.

Perfectionem.

Aliquando fingimus nobis ipſi ſimilitudinem, & proponimus adhibitâ particulâ conditionali, quæ fictam à nobis ſimilitudinem commoſtrat quæ poſita præſertim in moribus ſingularem habet voluptatem. Pro Sext. 45. & 4. in Catil. n. 12. *Etenim quæro, ſi quis paterfamilias, liberis ſuis à ſeruo interfectis, vxore occiſâ, incenſâ domo, ſupplicium de ſeruo quàm acerbiſſimum ſumpſerit: vtrum is clemens, ac miſericors, an inhumaniſſimus, & crudeliſſimus eſſe videatur? mihi verò importunus, ac ferreus, qui non dolorem ſuum, & cruciatum dolore nocentis, & cruciatu lenierit. Sic nos in his hominibus, qui nos, qui coniuges, qui liberos noſtros trucidare voluerunt: qui ſingulas vniuſcuiuſque noſtrum domos, & hoc vniuerſum Reip. domicilium delere conati ſunt: ſi vehementiſſimi fuerimus, miſericordes habebimur: ſin remiſſiores eſſe voluerimus, ſummæ nobis crudelitatis in patria ciuiumque pernicie fama ſubeunda eſt.*

Hanc fictionem frequenter vſurpat Horatius, placet iſta 1. Epiſt.

Quod ſi me Populus Romanus fortè roget, cur.
Non vt porticibus, ſic iudiciis fruar iiſdem,
Nec ſequar, aut fugiam quæ diligit ipſe, vel odit:
Olim quod vulpes ægroto cauta Leoni.
Reſpondit, referam: quia me veſtigia terrent.
Omnia te aduerſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Denique ornatur plurimum ſimilitudo deſcriptione. Etenim in iis quæ ſimilia ſunt, aut diſſimilia plerumque accidit, vt pictura quædam, & imago rerum repræſentanda ſit; in hoc quod ſubiicitur deprehendere quiuis poteſt triplicem fictionem, ſcilicet deſcriptionem, auctoritatem, & affatum. Quid quod, ſi Pindaro de ſe prædicanti fides eſt, Cœlum ipſum pendet è Poëtæ cantu, ille inquam Deorum Senatus ad audiendum carmen totũ ſe in auribus collocat? Aſpicite vero, & ſi minus oculis poteſtis, animo certè intuemini; fulminis miniſter ille queãdmodum concentus ſuauitate delinitus inhorreſcit

L 2 plu

plumis, ſeſſileſque alas remittit, ac contrahit? vt nigræ pupillæ declinant ad ſoporem, natantque in ſomno dulciter, vt arcuatæ palpebræ conniuent? vt adunci, rigidique vnguium mucrones ſenſim reſoluti ſeſe in vaginis recondunt? Ne fulmen ipſum Iouis ſublimè tonantis ſparſo exiguo lumine inter emortuos cineres dilabitur? Vides vt ferrens ille Mars,& ſanguinolentus abiecta procul haſta proſtratus altiſſimo pectore ſomnum excipiat? vt expirant minæ?vt horror ille minacis vultus vix tandem conciliatur: Reliqui verò Deorum è numero quàm erecti, & anhelantes quodammodo inhiant Muſicæ ſuauitati. Ne Cœlum quidem Poëtici carminis imperio vacat. Qui fabulæ ſi apodoſim addideris ſimilitudinem perfeceris.

PVNCTVM VII.

Veritas,

BEnè monet author ad Heren. ſimilitudinem non ſemper aſſumi ad probandum, ſed interdum etiam ad ornandum? aliàs ad dicendum apertius, quaſi oculis ſubijciendum. Si quis tamen de cauſa noſtra non malè ſentiret ad eius animum permouendum non parum valere poſſe; neque enim faciiè repugnat qui benè eſt affectus. Imperita verò multitudo ſimilitudine mirum in modum capitur,quòd rem etiam aliud intuentibus, quodammodo obtrudat,& demulcendo ſenſim ſua perſpicuitate alliciat.

Multis ergo de cauſis ſit ſimilitudo 1. ornandi cauſa Sic Egloga 5.Virg.

Vitis vt arbo ribus decori est,vt vitibus vua.
Vt gregibus Tauri,ſegetes vt pinguibus aruis;
Tu decus omne tuis.

De puella ſceleris conuicta,non tàm ſibi, quàm alijs bonus vates Ouid.

Quale coloratum Tithoni coniuge Cœlum
Subrubet,aut ſponſo viſa puella nouo.
Quale roſæ fulgent inter ſua Lilia mixta,
Aut vbi cantatis Luna laborat equis.
Aut quod ne longis flaueſcere poſſit ab annis
Mæonis Aſſyrium fæmina tingit ebur.

PVNCTVM VIII.

Probat.

NOn ſolum rem illuſtrat, ſed etiam probationem corroborat. Hinc pulchrè Fidentinum notat Mart. quem ait tàm malum Poëtam, vt ſecerni verſus eius poſſint à ſuis, per quemlibet, non ſecus atque à Cygnis, Corui, lib.1.ep.43.

Vna eſt in noſtris tua Fidentine, libellis
Pagina,ſed certa Domini ſignata figura,
Quæ tua traducit manifeſto carmina furto:
Sic interpoſitus vitio contaminat vncto
Vrbica Lingonicus Tyrianthina Bardocucullus:
Sic Aretina violant cryſtallina teſta;
Sic niger in ripis errat cùm forte Cayſtri,
Inter Ledæos ridetur coruus Olores:
Sic mihi multiſona feruet ſacer Atthide Lucus,
Improba Ceropias effundit Pica querelas.
Indice non opus eſt noſtris,nec vindice libris,
Stat contra,dicitq; tibi tua pagina: Fur es.

Eunndem alio genere carminis,ſed pari vena & pipere exagitat idem Vates lib laudato Ex hoc loco belli cauſam & auctorem facit Antonium ab effectis.Cic.Phil.n.:5.*Vt in ſeminibus eſt cauſa arborum, & ſtirpium.ſic huius luctuoſiſſimi belli ſementum faiſti.Doletis tres exercitus Populi Rom. interfectos:interfecit Antonius*

PVNCTVM IX.

Adlucet.

AD dicendum apertius aſſumuntur ſæpè ſimilitudines. Theb. 9. Papinius, alternantem ingenioſè deſcribit.

Vt ventis nimbiſq; minax cum ſoluit habenas
Iupiter, alternoque affligit turbine mundum.
Stat cœli diuerſa acies,nunc.

PVNCTVM X.

Subijcit.

VT ſunt pulcherrimæ ſimilitudines, ita clariſſimæ,& ad inferendam rebus lucem repertæ,

Digitized by Google

pertæ, quarum aliæ probationis gratia inter argumentum ponuntur; aliæ ad explicandam rerum imaginem compoſitæ,ait Fab. lib. 8. Horat, epiſt.lib.1.ad Lollium epiſt.1.

Fingit equum tenera docilem ceruice magiſter.
Ire viam quam monſtrat eques venaticus ex quo
Tempore ceruinam pellem latrauit in aula
Militat in ſyluis catulus,nunc adhibe puro.
Pectore verba puer, nunc te melioribus offert.
Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem.
Teſta diu.

Non eſt verò neceſſe, vt quæ ſimilia ſunt in omnibus conueniant, ſatis eſt ſi in vno dumtaxat.Tale eſt illud Cic. orat. Pro Sext. n. 24. *Sed ita eſt Iud.vt ſi gladium paruo puero,aut imbecillo ſeni aut debili dederis,ipſe impetu ſuo nemini noceat ſin ad nudum vel fortiſſimi viri Corpus acceſſerit,poſſit acie ipſa, & ferri viribus vulnerari: Ita cum hominibus eneruatis,atque exanguibus, conſulatus tãquã gladius eſſe datus,qui per ſe pungere neminem vnquam potuiſſent hi Summi Imperij nomine armati Remp. contrucidauerunt.*

Neque ſemper vtendum eſt his terminis. *Vt, Veluti*, *Qemadmodum*, & alijs. Quàm ſubtiliter vtitur hac ornandi ratione Martialis lib.2.ep.in Leonem qui pueros occiderat?

Exclamare lubet crudelis,perfide prædo!
A noſtra pueris parcere diſce lupa.

Quæ Remum, & Romulum non modò non læſit ſed enutrijt.

Similitudo diſiuncta vocatur in qua termini quatuor diſtinguuntur. Talis eſt illa Ciceronis 2.Phil.n.115.*Sed nimirum,vt quidam morbo aliquo,& ſenſus ſtupore, ſuauitatem cibi non ſentiunt: Sic libidinoſi, auari,facinoroſi vera laudis guſtum non habent.*

Ad Quint.fratrem epiſt.1.*Vt gubernatores optimi, vim tempeſtatis, ſic ſapientiſſimi viri fortunæ impetum ſæpe ſuperare non poſſunt.*

Continua verò inqua primus terminus ad ſecundum, & hic ad tertium progreditur. 3. de legibus.*Videtiſne Magiſtratus eſſe vim,vt præſit, præſcribat recta& vtilia,& coniuncta cum legibus? vt enim Magiſtratui leges,ita populo præſunt Magiſtratus*, Termini tres, lex,Magiſtratus,populus.

PVNCTVM XI.

Vſus.

Multiplex eſt, & ad Orationis varietatem gratiſſimus. Interdum conferuntur quæ in vno dumtaxat conueniunt, explicata ſimilitudinis vtraque parte.Poſt reditum ad Quirites n. 4.*tanquam bona valetudo iucundior eſt ijs, qui è graui morbo recreati ſunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt;ſic ea omnia deſiderata magis, quàm aſſiduè percepta, delectant.* Quo ſimili fatetur ſua ſibi reſtituta iucundiora fuiſſe, quàm eſſent antea, cùm illis nondum caruiſſet.

Vtraque pars comparationis diſtinctè collocatur, etſi breuiter,& conciſè pro Roſ. Comœdo n.17.*Nonne vt ignis in aquam coniectus continuò reſtinguitur,& refrigeratur:ſic referuens falſum crimen in puriſſimam, & caſtiſſimam vitam collatum ſtatim concidit,& extinguitur.*

Aliàs magna pars ſimilitudinis reticetur, atque auditori meditanda relinquitur, vna tantum, aut paucis voculis re ſimili indicata. 7. in Verr. n. 2. *Quid agam Iud. quò accuſationis meæ rationem conferam? quo me vertam? ad omnes enim meos impetus,quaſi murus quidam boni nomen Imperatoris opponitur.* Cogitandum relinquit quid illud Imperatoris nomen cum muro ſimile habeat.

Nonnunquam ſimile ſimili non confertur ſed alterum tantum loco alterius ponitur. Pro Quintio per inſignem allegoriam confert accuſatorem cum eo qui tela immittit, & accuſationem cum telis,aut potius ipſam accuſationem telum eſſe dicit n.8.*Ita fit,vt ego,qui tela depellere,& vulneribus mederi debeam,tum id facere cogar cùm etiam telum aduerſarius nullum iecerit: illis autem ad tempus impugnandi detur, cum & vitandi illorum impetus poteſtas adempta nobis erit:& ſi qua in re,id quod parati ſunt facere falſum crimen,quaſi venenatum aliquod telum,iecerint medicina faciunda locus non erit.*

PVNCTVM XII.

Rerum Similium collatio.

TVnc eſt illuſtris admodum, quando duæ res ita componuntur, vt multæ cauſæ ſimilitudinis afferantur ſimul conſentientes. Pro Comœdo ſocietatem, & hæreditatem confert multis allatis, quæ vtrique conueniant. n. 55. *Simillima enim & maximè gemina ſocietas, hæreditatis eſt. Quemadmodum ſocius in Societate habet partem, ſic hæres in hæreditate habet partem. Vt hæres ſibi ſoli, non cohæredibus petit: ſic ſocius ſibi ſoli, non ſocijs petit. Et quemadmodum vterque pro ſua parte, petit, ſic pro ſua parte diſſoluit: hæres ex ſua parte, qua hæreditatem adiit: ſocius ex ea qua ſocietatem coijt, &c.*

Hoc exemplum ſic iuuat imitari, vt mortis & amoris diuini ſimilia componantur. Eſt enim Chriſti amor quam ſimillimus, & maxime geminus mortis. Quemadmodum enim morte abſtrahitur animus, & diuellitur à corporis iſtius carcere, ſic animus qui diuini amoris vulnus accepit celeriter à domicilio corporis euolat in Chriſti viſcera, vbi ſuas delicias collocauit. Atque vt in morte ſenſus omnes corporis extinguntur, caligant oculi, hebeſcunt aures, languet emortua ſagacitas odorandi, totum denique corpus calore conſumpto ad tactum rerum molliſſimatum obrigeſcit; ſic in amore ſiquis guſtum diuinæ delectationis hauſerit, repentè in eius animo quæcumque oculis, reliquiſque ſenſibus colliguntur voluptates, faſtidio quodam, & ingrata ſatietate defloreſcunt. Et mortis quidem tàm violentus eſt impetus, vt omnia frangat, tanta audacia, vt in capita principum incurrat, tanta ferocitas, vt ciuitas, vt ciuitates deleat profliget exercitus, regna vniuerſa miſera populatione diſturbet; ſic amor ille tamquam ignis à cœlo lapſus in animos, quàm multas ciuitates felici inflammauit incendio! quàm multos Reges purpura exuit! quàm innumerabiles Martyrũ copias è terra ſuſtulit, vt in cœlum raperet triumphandos; ô vim amoris incredibilem! ô ſingularem mortis, & amoris contentionem! Superat tamen ipſam mortem vis amoris, & flamma neque in cineres abit dilapſa cum corpore, neque eodem tumulo obrui ſe ſinit, viget in ſepulchro, ſtat in ipſis ruinis, & lucet in nocte, & fatis ſupereſt, & vbi omnia concidunt in ipſo ſæpè interiectu reuiuiſcit. Ita fit vt quæ omnia impotenti dominatu premit moriendi neceſſitas, amoris leges imperiumque patiatur. Etenim impetu amoris, atque vt ita dicam, ſuperbo imperio nonnunquam mori contingit, interire autem mortis acerbitate quantacumque vis ac procella deſæuiat verus amor, & incorruptus non poteſt.

Concedat igitur amori mors ipſa de poteſtate, & in tanta vtriuſque ſimilitudine victam, & imparem ſe eſſe fateatur. Friget mors: At amor calore alitur, & ignibus. Nihil illa acerbius; nihil hoc ſuauius. Delectatur illa fletu, & triſtiſſimo eiulatu; hic perpetua effertur voluptate: Illa res ſecundas funeſtat; hic aduerſas ornat, ac temperat; graſſatur illa cruentis doloribus, & immanem quandam in corporibus carnificinam exercet; hic telum infigit ſine vulnere; vulnus ſine dolore, dolorem ſine faſtidio, vitam quoque adimit ſine morte, mortem infert ſine vitæ iactura, & viciſſitudine quadam admirabili; ſic moriendo viuit viuendo moritur, vt vitalis in morte, in vita mortalis eſſe videatur.

LECTIO XIII.

Similitudinum conglobatio.

NOn ineleganter ex pluribus conglobaris rem nouam colligimus. Qui ſæpè in ſole ambulat etiam ſi nihil agat, tamen fit vt neſcio quo pacto coloretur: & qui vnguenta tractat, ſæpius etiam cum ea de manibus emiſerit, retinet tamen ipſa manus fragrantiam quandam adhæreſcentis odoris, penetrabili, & tenaci quodammodo ſuauitate delibuta. Qui relictis agris in vrbes commigrant: & aſpero illo, & agreſti cultu paulatim ducuntur ad eam ſuauitatem humanitatis, quâ homines vrbani delectantur. Ita ſi quis acerbiſſimos Chriſti dolo-

res,

res,ſiqu iscruciatus,ſi quis mortem cogitatione tractet identidem, & in iis vulneribus hæreat contemplando, neceſſe eſt vt mentem & animũ mitiſſimarum perpeſſionum incredibili ſtudio imitationis exardeſcat.

Fructus patientiæ virtutes eſſe demonſtrat ex ſimilibus conglobatis Diu. Gregor homil. 15. in Euangelia. Sic vua calcibus tunditur, & in vini ſaporem liquatur: ſic oliua contuſionibus expreſſa, ſuam amurcam deſerit, & in olei liquorem pingueſcit, ſic per trituram areæ à paleis grana ſeparantur, & ad horreum purgata perueniunt. Quiſquis igitur appetit plenè viria vincere ſtudeat humiliter purgationis ſuæ flagella tolerare; vt tantò poſt ad iudicem mundior veniat, quantò nunc eius rubiginem ignis tribulationis purgat.

Pvnctvm XIV.

Per negationem.

Similitudinis vſus per negationem in argumentatione non infrequens, addita tamen vt plurimum affirmatione. Sic probari poſſet, eum qui malè agit, odiſſe lucem per ſimilitudinem negatiuam, quæ ferè ad aliquod oppoſitum refertur. Qui patriæ ſalutem ac populi libertatem conſeruare deſiderat, non domi tantum, ſed foris voces eius audiuntur; non domeſticis parietibus ſermo continetur, ſed palam erumpit, & in populi conſeſſu, frequentique corona laudatur. Actiones verò omnes etſi laterent virtutis ſplendor illas in medium, lucemque, proferret. At cui eſt animus furari, ne in ſcelere deprehendi poſſit, ne ad pœnam vocari, ſyluas & receſſus amat, quorum latebris vitiorum ſuorum fœditas occultari poſſit. Quaſi diceretur qui malè agit non eſt ei ſimilis, qui ſalutem patriæ curat, ſed latroni, ſed ſicario, ſed proditori.

Neque piſcem ſine ſpinis, nec hominem ſine miſeriis inuenire eſt. Nec ager ſine cultura fructus effundit, nec animus ſine virtutum exercitatione fructus parere poteſt.

Nec lacrimis crudelis amor, nec gramina riuis,
Nec ſityſo ſaturantur apes, nec fronde capella.

Pvnctvm XV.

Notæ ſimilitudinis.

Dvobus modis potiſſimum inueſtigari poſſunt ſimilia. I. Poſtquam intellexeris quid probandum ſit, in rerum natura quæres aliquid quod ſimilis ſit naturæ cum eo quod explicandum ſumis: exempli causâ, duæ legiones defecerunt à Cæſare, perduelles obiurgandi ſunt, probandumque nihil hac diſceſsione maieſtatem imminui, quærat aliquid ex rerum natura, quod ex diſceſſu alicuius rei non minuatur, reperiet mare quod fluminum, aut aquarum diſceſſu, aut acceſſu nihilo plus, aut minuatur, vel augeatur. Solem reperiet cuius ſplendor idem eſt etiamſi mortales, lucem eius clauſis oculis videre refugiant. Ita procedet ſimile: Ite transfugæ, aſpernamini Cæſarem, an idcirco eius ſplendor ex diſceſſu veſtro obſcurabitur an ſol non luceat, ſi omnes cæcutiant?

Iam ſi velit animi conſtantiam oſtendere, quæret quod percuſſum reſiſtat erit; in promptu rupes, & adamas: Ignem ſe dicet qui vi flatuque ventorum non extinguatur, ſed potius accendatur: quod ſi poſſe militibus carerere velit oſtendere, milites verò Cæſare non poſſe. Dicet agrum ſe eſſe fertilem qui ex ſeſe fruges proferat: fruges autem ſine agro non poſſe conſeruari; vel agrum eſſe fertilem, etſi coloni diſceſſerint, alios colonos ſua vbertate facilè allecturum.

II. Plurimum iuuerit ad inueſtiganda ſimilia metaphoricas noſſe loquutiones, quæ magnam ſimilium copiam ſuppeditabunt: Sit exemplum; Quia dicimus ardere amorem, ſimilitudine ignis vtimur ad eum laudandum, quòd ignis illuſtret; aut vituperandum, quòd inflammet: Item quia vinculum amoris dicimus per ſimilitudinem ſeruitutis amorem vituperamus.

Quæ vno verbo concluduntur hæc ſunt.

Similis, ſcilicet ſignum comparans Cephiſodotus thuri ſimilis eſt, *Dùm perit oblectat.*

Effigies. Phil. 9. n. 12. *Equidem etiam ad famam Ser. Sulpitij filij arbitror attinere, vt videatur*

Digitized by Google

tur honorem debitum præſtitiſſe,quamquam nullum monumentum clarius Sulpitius relinquere potuerit, quàm effigiem morum ſuorum,virtutis conſtantia pietatis,ingenij filium:cuius luctus aut hoc honore veſtro,aut nullo ſolatio leuari poteſt.

INSTAR.in Piſon. nu. 51. *Vnus ille dies mihi quidem immortalitatis* inſtar *fuit,quo in patriam redij,Senatum egreſſum vidi. Populumque Rom. vniuerſum, cum mihi ipſa Roma propè conuulſa ſedibus ſuis,ad complectendum conſeruatorem ſuũ procedere viſa eſt. Quæ me ita accepit,vt non modò omnium generum ætatum,ordinum omnes viri ac mulieres omnis fortunæ,ac loci:ſed etiam mœnia ipſa viderentur, & tecta vrbis ac templa lætari,*

MORE.Ouidi 1.Triſtium.

Namque ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilleo tollere more *poteſt.*

TANQVAM.Diuin.in Verr.n.57. *Quid facere potuit elegantius ad hominum exiſtimationem? æquius ad leuandam mulieris calamitatem? vehementius ad Quæſtoris libidinem coërcendam? ſumme hæc omnia mihi videntur eſſe laudanda. Sed repente è veſtigio,ex homine* tanquam *aliquo Circæo poculo factus eſt Verres,redit ad ſe,atque ad mores ſuos.*

SICVT.Pro lege Man. 41 *Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn.Pompeiũ* ſicut *aliquẽ non ex hac vrbe miſſum,ſed de Cœlo delapſum intuẽtur.*

Per negationem. Haud ſecus ac iuſſi faciunt. Non aliter.

PVNCTVM XVI.

Cautiones

NOn omittendum hîc de varianda ſimilitudine præceptum: Neque enim eiuſdem coloris & formæ, ad quamlibet materiam adhiberi par eſt. Laudandum aliquid eſt? ſplendida ſit ſimilitudo. Vituperandum? ſordida. Extollendum? magnifica, ſcilicet illa quæ à cælo, ſole, ſyderibus,præcipuis animalibus, metallis nobilioribus aliiſque rebus, cum aliquo ſplendore coniunctis.

Sordida dixi in vituperando adhibenda, ſed appage tamen obſcœna; ſatis erunt ſordida, ſi à rebus vilibus, & abiectis, ab inferis ſcilicet, à furijs,turpioribus animalibus,à peſte,lue, cæteriſque ad rem adaptentur. Poſtremò ſciendum non eſſe frequentiores ſimilitudines in Oratione adhibendas, quod luminis gratiam nimia lux impediat. Tandem prudens Orator, perſonis,locis,temporibus ſeſe accommodet,vt apud rudes & imperitos facilioribus,apud doctos eruditis ſimilitudinibus vtatur.

LECTIO VIII.

Locus à diſſimulitudine.

DIſſimilia prætermittuntur ab Ariſtotele, quòd ex ſimilibus ſatis intelligantur, quem locum differentiam vocat Cicer. part. lib.num.7. Aptiſſimum equidem ad laudationes,vti & ad vituperationes. Nam vt bonis eſſe diſſimilem turpe eſt; ſic improbis eſſe diſſimilem honeſtum.

PVNCTVM I.

Definitio.

EST diſſimulitudo rerum duarum, aut plurium inter ſe diuerſarum diſſimilis inter ipſas affectio: vt artes reliquæ differunt ab Eloquentia quòd hæc nihil definitum habeat? illæ ſe finibus ſuis contineant. Hac autem maximè licet vti quando diſſimilia nec eidem, nec eodem modo conueniunt; vt Rhetorica non loquax eſt,ſed eloquens;non callida,ſed prudens non audax ſed fortis.

Fit igitur cùm ea quæ comparantur diuerſa, eſſe oſtenduntur, vt patet ex illo Fabij quo ſimile cum diſſimili coniungit? *Non enim,* inquit, *vox illa Præceptoris vt minus pluribus ſufficit,ſed vt ſol idem lucis calorisque largitor.*

Itaque gratia non eſt mediocris ſimilitudini æquè ac diſſimilitudini ſimul iunctis,cùm duæ res collatæ aliqua inter ſe conuenientia, alia diſcrepantia habent. Sic Plin. Iunior in Trajano. *Eſt hæc natura ſyderibus, vt parua & exilia validiorum exortus obſcuret:ſimiliter Imperatoris aduentu legatorum inumbratur.*

Digitized by Google

Eximiam in ſimili diſſimilitudinem ſapienter animaduerrit D.Fulgentius epiſt.ad Gallam inter diuitem paſtum, delicateque veſtitum, inter Lazarum mendicum, vulneribus ſaucium,& feliciter infelicem *Attende duos, vnum in diuitiis,& ſanitate miſerum: alterum in egeſtate,& vulnere multum beatum: diues ille qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide, quàm inanis fuit in illis epulis! quàm pauper in multitudine diuitiarum! quàm nudus in pulchritudine veſtium! quàm infirmus in ſanitate corporis! quàm famelicus in ſaturitate ventris! quàm miſer in gaudiis! quàm deſolatus inter amicorum colloquia! quàm deiectus inter ſeruulorum obſequia*

Attende quoque Lazarum in paupertate diuitē, in miſeri abe.tum, in infelicitate felicem, in vulneribus ſanum; & quidem ſine domo, ſed non ſine domino; ſine veſte, ſed non ſine fide, ſine bona valetudine corporis, ſed non ſine robore charitatis; ſine cibo, ſed non ſine Chriſto; canibus appoſitum, ſed ſocium Angelorum, qui non accipiebat de micis, quæ cadebant de menſa diuitis, ſed cæleſtem panem viſceribus eructabat. En ipſe theſaurum in vaſe fictili portabat, dum alter in aureo meretricis calice æternæ famis, & infelicitatis venenum perbibebat, æternum damnandus.

Pvnctvm II.

Canones.

Diſſimilium rerum diſſimilis eſt ratio, in eo, in quo ſunt diſſimiles. Pro Sylla n. 8. *Hanc mihi tu ſi propter res meas geſtas, imponis in omni vita mea perſonam, Torquate, vehementer erras. Me natura miſericordem, patria ſeuerum: crudelem nec patria, nec natura eſſe valuit. Denique iſtam ipſam perſonam vehementem, & acrem, quam mihi tum tempus, & Reſp. impoſuit, iam voluntas, & natura ipſa detraxit: illa enim ad breue tempus ſeueritatem poſtulauit: hæc in omni vita miſericordem, lenitatemque deſiderat.*

Ab vnius affirmatione ad alterius negationē argumentamur ex hoc loco, vel contra. Turnus 7. Æn. repellit à ſe Furiam Alecto, quæ bellum hortabatur.

Cura tibi Diuum effigies, & templa tueri
Arma viri bellūq; gerant quêis bella gerēda.

Tull. 10. Phil. n. 20. nequaquam ſeruitutem Ro. ſeruire poſſe dicit. *Omnes rationes ſeruitutem ferre poſſunt noſtra; ciuitas non poteſt, nec vllam aliam ob cauſam, niſi quod illa laborem, doloremque fugiunt quibus vt careant omnia perpeti poſſunt: nos ita à maioribus inſtituti, atque imbuti ſumus, vt omnia conſilia, atque facta ad virtutem, & dignitatem referamus.*

Pvnctvm III.

Vſus.

IN hoc differt à ſuperiori, quod ſimilitudo ſēper affirmando procedat: Diſſimilitudo verò negationem ſemper habeat, ſiue rationandi cauſa, ſiue ornatus tantum adhibeatur. Pro Comœdo n. 10. *Hîc tu ſi amplius LLS. nummo petiſti, quàm tibi debitum eſt, cauſam perdidiſti: propterea quod aliud eſt iudicium aliud arbitriū eſt. Iudiciū eſt pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. Ad iudiciū hoc modo venimus, vt totam litem obtineamus, aut amittamus: ad arbitrium hoc animo adimus, vt neque nihil, neque tantum quantum poſtulauimus, conſequamur.*

Diſſimilium diſſimilis eſt ratio, dixiſſet Philoſophus ſed iudicium & arbitrium ſunt diſſimilia, igitur diſſimilis eſt illorum ratio; at iudicium pœnæ certæ, ergo arbitrium incertæ.

Pro Muræna probat debere iudices diſſimile iudiciū facere de Mur. ab eo quod facturus fuiſſet L.Catilina, ſi penes eum poteſtas eſſet de Muræna iudicandi, nimirum ex diſſimili iudicum & Catilinæ, in Remp. ſtudio, n. 23. *Si L.Catilina cū ſuo conſilio nefariorum hominum, quos ſecum eduxit, hac de re poſſet iudicare, condemnaret L. Murænam: ſi interficere poſſet, occideret. Petūt enim rationes illius, vt orbetur auxilio Reſp. vt minuatur contra ſuum furorem Imperatorum copia; vt maior facultas Tribunis plebis detur depulſo aduerſario ſeditionis, ac diſcordiæ cōcitandæ. Idemne igitur*

delecti ex ampliſſimis ordinibus ſapientiſſimi viri indicabunt , quod ille importuniſſimus gladiator, hoſtis Reip. indicaret?

PVNCTVM IV.

Diſſimilitudo frequens illuſtrat.

QVia vero rarum eſt , vt neceſſe ſit confiteri res aliquas duas , aut ſimiles eſſe penitus, aut diſſimiles , idcirco ſæpius tàm Similitudo, quam Diſſimilitudo ad rem magis illuſtrandam aſſumuntur. Poſt red. ad Quir. n.6. *Non enim pro meo reditu vt pro Popilij nobiliſſimi hominis, adoleſcentes filij atque affines deprecati ſunt; non vt pro Metello clariſſimo viro , iam ſpectata ætate filius: non Dalmaticus Conſularis ſumma auctoritate vir, non Q. Metellus Cenſorius , non eorum liberi non Metellus nepos. Permulti enim tùm Metelli , aut Metellorum liberi pro Quinti reditu vobis, ac patribus veſtris ſupplicauerunt. Quòd ipſius ſumma dignitas maximaque res geſta non ſatis valerent: tamen filij pietas, propinquorum preces , adoleſcentiam ſqualor , maiorum natu lachryma populum Rom. mouere potuerunt.*

Hinc oritur amplificatio , quàm à diſſimilium frequẽtatione dicimus, cùm varia varis apponuntur pro Sext. 27. vbi plures ſui diſceſſus & Metelli diſſimiles rationes adfert. *Quid enim ſimile fuit in Q. Metello cuius causã etſi omnes boni probabant, tamen neque ſenatus publicè, neque vllus propriè , neque ſuis decretis Italia tota ſuſceperat. Ad ſuam enim magis quandam ille gloriam quàm ad perſpicuam ſalutem Reip. ſpectarat, cum vnus in legem per vim latam iurare noluerat : denique videbatur ea conditione tam fortis fuiſſe , vt cum patria caritate conſtantiæ gloriam commutaret. Erat autem ei res cum exercitu C. Marij inuicto ; habebat inimicum C. Marium conſeruatorem patriæ, Sextum iam illum Conſulatum gerentem: res erat cũ L. Saturnino iterum Tribuno pleb. vigilante homine , & in cauſa populari ſi non moderatè, aut certè populariter, abſtinenterque verſato. Ceſſit ne aut victus à fortibus viris , cum dedecore caderet , aut victor , multis , & fortibus ciuibus Remp. orbaret. Meam cauſam ſenatus palam, equeſter ordo acerrimè, cuncta Italia publicè, omnes boni propriè, enixeque ſuſceperant, eas res geſſerant , quarum non vnus auctor, ſed dux omniũ voluntatis fuiſſem, quæque non modò ad ſingularem meam gloriam , ſed ad ſalutem communem omnium ciuium, & prope gentium pertinerent ; eâ conditione geſſeram , vt meum factũ ſemper omnes præſtare, tuerique deberent. Erat autem mihi contentio, non cum victore exercitu, ſed cum operis conductis, & ad diripiendam vrbem concitatis, habebam inimicum non C. Marium terrorem hoſtium , ſpem ſubſidiumque patriæ: ſed duo importuna prodigia , quos egeſtas , quos æris alieni magnitudo, quos leuitas quos improbitas Trib. pleb. conſtrictos addixerat.*

Per eandem diſſimilium frequentationẽ Labienum popularem eſſe negat, quod ſit iis diſſimilis, qui populares, & ſũt & habentur Pro Rabirio Perd. 15. *Hic ſe popularẽ dicere audet, me alienũ à commodis veſtris , cùm iſte omnes, & ſuppliciorum , & verborum acerbitates non ex memoria veſtra , ac patrum veſtrorum, ſed ex annalium monumentis atque ex Regũ commentariis conquieſcit.*

Sed neſcio quam diuinius pæn vniuerſam Muren. amplificat , dùm Iuriſconſultum Sulpicium, cum Imperatore ita confert, vt diſſidere illos plurimum oſtentat per diſſimilitudinem ſtudiorum vtriuſque, n. 22. *Sed vt hoc omiſſo ad ſtudiorum , atque artium contentionem reuertamur: qui poteſt dubitari, quin ad Conſulatum adipiſcendum , multò plus adferat dignitatis , rei militaris, quàm Iuris ciuilis gloria. Vigilas tu de nocte vt tuis conſultoribus reſpondeas; ille , vt quò intendit, maturè cum exercitu perueniat. Te Gallorum illũ buccinarum cantus exſuſcitat. Tu actionem inſtituis , ille aciem inſtruit. Tu caues ne tui conſultores, ille ne vrbes , aut caſtra capiantur. Ille tenet, & ſcit, vt hoſtium copiæ ; tu , vt aquæ pluuiæ arceantur. Ille exercitatus eſt in propagandis finibus; tu in regendis.*

Deinde vt probet rei militaris virtutem longè multumque præſtare cæteris omnibus, varios eius effectus ſubiicit

---

PVNCTVM V.

Diſſimilium oppoſitio.

DIſſimilitudinis explicandæ varij modi ſunt extra argumentum , nonnumquam eiuſ

eiuſdem aut diuerſi generis eſſe poſſint, quorum vnum non ſit, quod alterum eſſe non poſſit, quæ contraria melius dixit. Lapis & aurum; Prudentia, & Iuſtitia. Diſſimilia ſunt hæc Verr. 6. n. 77. Vbi illius latrocinia, ſacrilegiaque confert cum maiorũ pietate in ſuperos, & munificẽtia. *Videte quanta religione fuerit apud Segeſtanos Dianæ ſimulacrum: ſcitote neminem, neque liberum, neque ſeruum, neque ciuem, neque peregrinum qui illud ſignum auderet attingere Barbaros quoſdam Lilybeo ſcitote aduocatos eſſe operarios. Si denique illud, ignari totius negotij, ac religionis, mercede accepta ſuſtulerunt. Quod cum oppido exportaretur, quem conuentum mulierum factum eſſe arbitramini? quem fletum maiorum natu: quorum nonnulli etiam illum diem memoria tenebant. cùm illa eadem Diana Segeſtam Carthagine reuecta victoriam populo Rom. reditu nuntiaſſet. Quam diſſimilis hic dies illi tempori videbatur? tum Imperator pop. Rom. vir clariſſimus Deos Patrios reportabat Segeſtanis ex vrbe hoſtium recuperatos: nunc ex vrbe ſociorum Prater eiuſdẽ populi tu peſſimus, atque impuriſſimus, eoſdem illos Deos nefarios ſcelere auferebat. Quid hoc tota Sicilia eſt clarius quàm omnes Segeſtanas matronas, & Virgines conueniſſe cùm Diana exportaretur ex oppido? vnxiſſe vnguentis? compleſſe coronis, & floribus? thure odoribuſque incenſis vſque ad agri fines proſecutas eſſe?*

In Piſonem ſuum cõſulatum cum Conſulatu, ſuum ab exilio reditum, cum Piſonis reditu confert, allatis iis quæ vtriuſque diſſimilia erant, longior Idea, ſed elegans & perfecta.

Ab hoc loco triumphum Machabæorum, & lætitiã magnæ illorum matris ſubiicit D. Amb. de Iacob. c. vlt. Non ſic ille celebroſi cãtus Syrenum attraherent audientem: Illi enim ad naufragium trahunt, iſti ad ſacrificij victoriam. Non ſic Cygnea Carmina aures animumque mulcerent: Cygni enim naturæ ſorte moriuntur; iſti moriebantur amore pietatis, Non ſic rauca reſonant ſecreto in marmore columbæ murmura, vt vltima verba morientium cũ ſumma ſuauitate reſonabant. Nec ſic Luna inter ſtellas refulget, vt inter filios mater, & cùm eos ad martyriũ illuminatura deduceret, & cum amplexata victores in medio filiorum iaceret o vera Mater adamante fortior, melle dulcior, flore fragrantior.

PVNCTVM VI.

Notæ diſſimulitudinis.

PRopriæ ſunt iſtæ *Diſſimile.* pro Plãcio, n. 68. *Quanquam diſſimilis eſt pecuniæ debitio & gratia. Nam qui pecuniam diſſoluit, ſtatim non habet id quod reddidit: qui autẽ debet, is retineret alienum. Gratiam autem, & qui refert, habet; & qui habet, in eo ipſo, quod habet, refert.*

Diſpar. Phil. 2. n. 104 *At quam multos dies in ea villa turpiſſimè es per bacchatus? ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur. ò tecta ipſa miſera, quàm diſpari domino! ò quamquam quomodo iſte dominus? ſed tamen quàm diſpari tenebantur! ſtudiorum enim ſuorum M. Varro voluit eſſe illud, non libidinum diuerſorum.*

Differens, de fato num 8. *Quid mirum eſt has diſſimilitudines ex differentibus cauſis eſſe factas*, 1. de bello Gall. Cæſar. *Hi omnes lingua, legibus inter ſe differunt.*

Alius 2. A gratia, n. 13. *Iam deſignatus alio vultu, alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur; veſtitu obſoletiore, corpore inculto, & horrido, capillatior, quàm ante barbaque maiore: vt oculis, aſpectu denuntiare omnibus vim Tribunitiam, & minitari Reip. videretur.*

Secus 2. de nat. Deorum. *Quoniam cœpi ſecus agere, quàm initio dixeram.* 3 defin. 44. *nobis aliter videtur rectè ſecuſne poſtea.*

Fiunt etiam per negationem ſimilium, 3. de Oratore non eſt Philoſophia ſimilis reliquarum artium.

Nota plerumque nulla adhibetur, & diſſimilitudo plenius explicatur Catull.

Soles occidere & redire poſſunt;
Nobis cum ſemel occidit breuis lux,
Nox eſt perpetuo vna dormienda.

Fabius, Inſt. 5. 11. *Brutus occidit liberos proditionẽ molientes, Manlius virtutem filij, morte multauit.*

LECTIO IX.

Locus ab oppoſitis.

HVius loci magna vis eſt in vtramque partem, qui non ad probandum modò, ſed amplificandum grata cum venuſtate adhibetur. Nam maxima pars acutè-dictorum in contrariis poſita eſt; adde quod contrariis anthitetiſque nihil pænè iucundius, propter pugnam, & contentionem, cuius deſiderium quoddam mortalium animis natura ipſa inſeuit. Porrò diſtributa ſunt omnia in quatuor claſſes, quarum priorem obtinent contraria.

PVNCTVM I.

Definitio.

COntraria quæ Cic. nominat Aduerſa dicuntur quæ ſub eodem genere poſita plurimùm diſtant, ac ſe mutuò expellunt, niſi eorum alterum ſubiecto congenitum ſit, vt calor igni naturalis eſt; ita fit vt Virtus & Vitium quæ ſub affectionis & habitus genere poſita ſunt, aduerſa dici debeant, quòd propriis inter ſe differentiis pugnent: virtus enim habitus eſt bonos efficiens, & laudabiles; vitium malos, & infames. Indè ſubiecto viciſſim inſunt, nam ex ſtudioſo, poteſt aliquis vitioſus exiſtere, & viciſſim ex vitioſo ſtudioſus; prætereà mutuò expellunt; virtutis namque præſentia, vitij eſt interitus, nemo ſiquidem probus eſſe poteſt ſimul, & improbus; ſtultus & ſapiens, defenſor & peremptor. Hinc vrget Antonium Tull. Ph. 2. n. 31. *Attende paulisper cogitationemque ſobrij hominis punctum temporis ſuſcipe. Etenim ego, qui ſum illorum, vt ipſe fateor, familiaris: vt à te arguor ſocius, nego quidquam eſſe medium: confiteor eos, niſi liberatores populi Ro. conſeruatoreſque Reip. ſint plus quàm ſicarios, plus quàm homicidas, plus etiam quàm parricidas eſſe: ſiquidem eſt atrocius patriæ parentem, quàm ſuum occidere. Tu homo ſapiens, & conſiderate quid dicis? ſi parricidæ; cur honoris cauſa à te ſunt, & in hoc ordine, & apud pop. Ro. ſemper appellati? cur M. brutus, te referente, legibus eſt ſolutus; ſi ab vrbe pluſquam decem dies abfuiſſet.? cur Prouinciæ Caſſio & Bruto datæ? cur quæſitores additi? cur legatorum numerus? atque hæc per te. Nō igitur homicidæ, ſequitur vt liberatores tuo iudicio ſint; quādoquidem tertium nihil eſſe poteſt. Quid eſt, num. conturbo te,? enim fortaſſe ſatis quæ diſtinctiùs dicuntur, intelligis? ſed tamen hæc eſt ſumma concluſionis meæ, quoniam ſcelere à te liberati ſunt, ab eodem te ampliſſimis præmiis iudicati ſunt digniſſimi.* Vbi vides contraria ſæpiùs ex contrariis naſci.

Acutè Martial. in hanc rem l. 1. Epig. 23.

Qualem Flacce velim ſortem, noluiuè requiris;
Nolo nimis facilem, difficilemque nimis.
Illud quod medium eſt, atque inter vtrumque probatur.
Nec volo quod cruciat, nec volo quod ſatiat.

PVNCTVM II.

Canones.

ANtequam vſum huius loci aggrediaris notandum ex Contrariis immediata dici, qui nihil habent inter ſe medium, virtus & vitium; ægrotare, valere: Alia verò quæ medium aliquid admittant, nigrum, & album; nam inter vtrumque varij ſunt colores medij, viridis purpureus.

Vt igitur argumentum à contrariis valeat tenendum eſt hoc pronunciatum, contrariorum immediatorum contraria ſunt conſequentia, quod & priuantibus conuenit, hoc eſt quod vni contrario damus, negamus alteri; virtus amanda, vitium fugiendum; ſic ex labore ſcientiæ meſſis ingens, & gloriæ colligitur, ſequitur vt ex ignauia, dedecus & ignorantia enaſcatur; Si videndi facultas habet magna commoda, cæcitas cum magnis incommodis eſt coniuncta.

Ex hoc præclarè Tull. argumētatur Tuſc quæſt. 5. *Quid? cum fateamur ſatis magnam vim in vitijs ad miſeram vitam, nónne fatendum eſt eandem eſſe vim virtutis ad beatam vitam?*

Phil.

Digitized by Google

Phil.8.n.4. *Etenim cùm inter bellum, & pacem medium nihil ſit, neceſſe eſt tumultum,ſi belli non ſit,pacis eſſe. Quò quid abſurdius dici, aut exiſtimari poteſt?*

In iis verò quæ medium habent hæc eſt tenenda regula,ſi vnum ineſt,alterum abeſt, ſi niger eſt,non candidus ; non autem dici poteſt, ſi non eſt niger, eſt candidus: poteſt quippe flauus eſſe,aut viridis. Pro Ligario, n. 17.*Scelus tu illud vocas Tubero?cur?iſto enim nomine illa adhuc cauſa caruit?alij errorem appellant:alij timorem; qui durius ſpē cupiditatem,odium,pertinaciam,qui grauiſſimè,temeritatē;ſcelus, præter te,adhuc nemo.*

Hæc regula poteſt omnibus communis videri,aduerſorum aduerſa ſunt conſequentia: vt in quo non eſt vnum ex aduerſis, in eo inſit alterum, ſi modò ſubiectum ſit capax. Aqua non eſt leuis,ergo grauis erit Sic Tull. pecudem, & hominem aduerſa facit: voluptas pecudis bonum eſt,ergo non hominis 1. Parad. *Illud arctè tenent,accurrateq; defendunt,voluptatem eſſe ſummum bonum,quæ quidem mihi vox pecudum videtur,nō hominum.Tu cùm tibi ſiue Deus,ſiue mater (vt ita dicam)rerum omnium natura,dederit,animum,quò,nihil eſt præſtantius,neque diuinius,ſic te ipſe abiicies, ac proſternes, vt nihil inter te, atque quadrupedem intereſſe putes.*

PVNCTVM III.

Vſus.

TOtus hic oppoſitorum locus magnam Oratori ſuppeditat Orationis copiam, gratiam & varietatem, præſertim in amplificationibus, vbi contraria inter ſe confligunt, quaſi denſata acie: cùm quæ inter ſe Oppoſitionem habent ex natura, educuntur ab Oratore, in campum Orationis: quæ pugna & Antithetorū contentio tribus præcipuè modis inſtituitur.

I. Cùm ſingulis membris ſingula ſtatim opponuntur. ô tempora! ô mores! olim in deſertas ſolitudines Chriſtiani ſeſe conferebant ad comprecandum: nunc ex agris in vrbes frequentes commigrant ad commeſſandum: olim egenorum inopiæ erogatis facultatibus ſeruiebant: nunc detractis per nefas tenuiorum exuuijs locupletati dominantur: Hymnis olim, diuiniſque laudibus antra ipſa rupeſque perſonabant:nunc ad Cœli Religioniſque opprobrium Veneris, & Cupidinis flagitia paſſim exaudias;olim demum vexandi, nunc curandi corporis primaria cura.

Eum qui hac in vita impietatem amat nullā apud ſupremum Iudicem habiturum eſſe excuſationem ſeuerè grauiterque monet Tertull.lib. de teſt. animæ. c. 6. *Stabit ante aulas Dei in die iudicij nihil habens dicere. Deum prædicabas, & nō requirebas:dæmonia abominabaris, & illa adorabas:Iudiciū Dei appellabas, nec eſſe credebas;inferni ſupplicia præſumebas,& nō præcauebas;Chriſtianū nomen ſapiebas,& Chriſtianū perſequabaris. Suſpectam habe conuenientiam prædicationis, in tanta diſconuenientia conuerſationis.*

Sic Ambroſ.ſub Chriſti perſona Pſal. 118.*Nō eſt meus,quem libido ſuccendit, quia mea eſt caſtitas;non eſt meus,quem cura ſpoliandi minores exagitat,quia mea largitio eſt; non eſt meus,quem aura nobilitatis inquietat,quia mea tranquillitas eſt.Pax ſum ego,litigare non noui.*

Hoc per expolitionem facit ad miraculum Tull. dùm ſe inimicum meritò Verris profitetur, quòd virtutes illius vitiis contrarias amet. Verr. 5. à n. 1. ad 7. *Omnes qui alterum nullis impulſi inimicitiis,nullâ priuatim læſi iniuriâ, nullo præmio adducti, in iudicium Reipub. cauſa vocant prouidere debent, non ſolùm quid oneris in præſentia tollant, ſed etiam quantum in omnem vitam negotij ſuſcipere conentur. Legem enim ſibi ipſi indicunt innocentiæ,incontinentiæ, virtutumque omnium,qui ab altero rationem vitæ repoſcunt: atque eò magis, ſi id, vt antè dixi, faciunt nullâ re commoti aliâ, niſi vtilitate communi. Nam qui ſibi hoc ſumpſit, vt corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat; quis huic ignoſcat,ſi qua in re ipſe ab religione officij declinarit.Furem aliquem, aut rapacem accuſaris? vitāda tibi ſemper erit omnis auaritiæ ſuſpicio.Maleficum quempiam aduxeris,aut crudelē? Cauendum erit ſemper, ne qua in re aſperior, aut inhumanior fuiſſe videare. Corruptorem, adulterum? Prouidendum diligenter,ne quod in vita veſtigiū libidinis appareat.Omnia poſtremo quæ vindicaris in altero,tibi ipſi vehementer fugienda ſint.*

Etenim non modò accuſator, ſed ne obiurgator quidem ferendus eſt is, qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipſo deprehenditur.

II. Cum verbo verbum contrarium redditur. Prô pudor! reus innocenti impunè illuſerit, ignauus fortiſſimo, ſtultus ſapientiſſimo, vigilanti dormiens, ebrioſus ebrio, nequiſſimus ſanctiſſimo?

Tull. 2. in Catil n. 25. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc ſcelus; hinc conſtantia, illinc furor; hinc honeſtas, illinc turpitudo; hinc continentia. illinc libido: Denique Æquitas, Temperantia. Fortitudo, Prudentia, Virtutes omnes certant cum iniquitate, cum Luxuria, cum Ignauia, cum Temeritate, cum vitijs omnibus.*

III. Tertiò, Vbi periodus periodo contraria opponitur. Cicero pater is fuit, quo neminem non modò eloquentiorem, ſed ne ſapientiorem quidem Roma vidit: quis enim ignorat, quâ virtute conſeruatam à ſe Remp. auxerit, & amplificarit? cui non nota eſt Æquitas illa iuris adminiſtra, illa Prudentia magiſtra vitæ, illa Temperantia libidinum victrix, illa denique Fortitudo, quâ omnes improbrum conatus propulſauit; cui tu tantam virtutem infelix Cicero reliquiſti? Ciceroni filio Helluonum Principi, gurgiti vitiorum, luſtrorum inquilino, qui paternæ non ſolùm rei, ſed etiam gloriæ patrimonium peſſimis, ac nefariis artibus diſſipauit?

Quàm inſeparabilis peccati comes ſit rubor manifeſtè demonſtrat. Tertull. dùm differentiam Chriſtianos inter, ac infideles aſſignat in Apolog 1. cap. *Omne malum aut timore, aut rubore natura perfundit, denique malefici geſtiunt latere, deuitant apparere, trepidant deprehenſi, negant accuſati, nec fortè quidem facilè, aut ſemper confitentur. Certè damnati mœrent, deonerant ſemetipſos, mentis malæ impetus, vel fato, vel aſtris imputant. Nolunt enim ſuum eſſe, quia malum agnoſcunt, Chriſtianus verò quid ſimile? Neminem pudet, neminem pœnitet, niſi planè retro non fuiſſe ſed notatur; gloriatur: ſi accuſatur, non defenditur, interrogatus, vel vltro confitetur, damnatus gratias agit, quid hoc mali eſt? quod naturalia mali non habet timorem, pudorem, tergiuerſationem, pœnitentiam, deplorationem; quod hoc mali eſt? cuius reus gaudet, cuius accuſatio votum eſt, & pœna felicitas.*

Nemo mihi ganeones iſtos, & decoctores venditet, qui patrimonia, qui poſſeſſiones, qui æs alienum obligurierunt, vnum vt ventrem oplerent. Ego enim illos ad crucem damnandos affirmarim, qui nulla honeſtatis, nulla virtutis, nulla etiam boni nominis cupiditate à ſceleris contagione reuocantur; qui gulam maiori loco, quàm mentem ipſam ducunt, Apicij, Epicuri, ſceleſtiſſimi Idoli cultores, qui ſi Deus mea vota audiat lautam cœnam Coruis ac Vulturibus, aut ad infamem palum deligati, aut in humo frigida nudi iacentes apparebunt. Vos vero clariſſimi iuuenes, quos ſinu gremioque fouit Virtus, quos Temperantia velut ſibi deuinctos educauit, vos inquam quidni omni claros poſteritati tranſmittere contendam, aut hac mea quantulcumque voce, aut grata etiam voluntate? audiant iſtas preces Superi, liberalibus, ingenuis, modeſtis, temperantibus adoleſcentibus illud infundant gratiæ, vt quemadmodum improborum nomen ſempiterna, aut ignomia notatur, aut tumulatur obliuione, ita illorum laudes glorioſa prædicatione illuſtres, ad nunquam terminandum æuum propagentur.

Pvnctvm IV.

Per affirmationem

VArius eſt contrariorum vſus in argumentatione cùm ex vnius affirmatione, negationem alterius colligimus, aut contra. Per ſubiectionem illud eſt inſigne Cic in Verr. 4 n. 192. *Nunc verò quid faciat Hortenſius? auaritiane crimina frugalitatis laudibus deprecetur: at hominem flagitioſiſſimum, libidinoſiſſimum nequiſſimumq; defendit. An ab huiuſce ius infamia, nequitia, veſtros animos in aliam partem, fortitudinis commemoratione traducat? at homo inertior, ignauior, magis vir inter mulieres nequam, impura inter vires muliercula proferri non poteſt. At mores commodi; Quis contaminacior? quis inhumanior? quis ſuperbior? at hæc ſine cuiuſquam malo; Quis acerbior? quis inſidioſior? quis crudelior vnquam fuit?*

Aliàs ex ijs quæ oppoſitorum vni conueniunt:

Digitized by Google

niunt, aut non conueniunt, contrariam eſſe rationem oſtendimus Pro Roſc. Amer. facit immunem à parricidij crimine Roſcium, quòd vitam ruſticam duceret quæ ab vrbanis criminibus, luxuriã fraudibus, cæteriſque ſtudiis planè contrarijs, longè abeſſet, num. 75. *Qua in re præterea illud: quod mihi maximo argumento ad huius innocentiam poterat eſſe, in ruſticis moribus, in victu arido; in horrida, inculta que vita iſtiuſmodi maleficia gigni non ſolere: Vt non omnem frugem, neque arbo rẽ in omni agro reperire poſſis: ſic non omne facinus in omni vita naſcitur. In vrbe luxuries creatur; ex luxuria exiſtat auaritia neceſſe eſt; ex auaritia erumpat audacia: indè omnia ſcelera ac maleficia gignuntur. Vita autem hæc ruſtica, quam tu agreſtem vocas parſimonia, diligentia, iuſtitia magiſtra eſt.*

In argumentatione multò eſt elegantior, cùm videlicet contraria contrarijs opponuntur, Ita probari poſſet manſuetiſſimum fuiſſe Cæſarem, quod eum non furor in hoſtium vltionem præcipitem ferret, ſed clementia iracundiæ frænos inijceret, ſumma verò Principis moderatio vindicandi libidinẽ temperaret. Contraria ſunt furor in vlciſcendo, Clementia, & animi moderatio in condonando; item præcipitem ferre, & frænos inijcere.

Nonnunquam varijs inter ſe modis contraria pugnant. Pro Amer. num 88. *Reſtat Iud. vt hoc dubitemus vter potius Sext. Roſcium occiderit, is, ad quem morte eius diuitiæ venerint; an is, ad quẽ mendicitas: is, qui ardens auaritia feratur infeſtus in ſuos; an is, qui ſemper ita vixerit, vt quaſtum noſſet nullum, fructum autem eum ſolum, quem labore peperiſſet: Is, qui omnium ſectorum auda iſſimus ſit; an is, qui propter fori iudiciorumque inſolentiam, non modò ſubſellia, verùm etiam vrbem ipſam reformidat, poſtremò id quod ad rem, mea ſententia maximè pertinet, vtrum inimicus potiùs, an filius.*

Eſt etiam non inuenuſtus oppoſitorum vſus, extra argumentum, quod fit plerumque per ſimilitudinem, vt quemadmodum, nihil æquè virum principem plebi conciliat, ac clementiæ & humanitatis exiſtimatio? Ita nihil eorum animos magis quàm crudelis, & immitis animus abalienare poteſt.

Citra ſimilitudinem eſt eorundem vſus ſine argumento. Verr. 5. num. 23. *Verris mores improbos, impuroſque noſtis. Fingite vobis ſi poteſtis aliquẽ qui in omnibus iſtis rebus par ad omnium flagitiorũ nefarias libidines eſſe poſſit erat Aprouius ille; qui, vt ipſe non ſolum vita ſed etiam corpore, atque ore ſignificat, immenſa aliqua vorago eſt, aut gurges vitiorum, turpitudinumque omnium. Hunc in omnibus ſtupris, hunc in fanorum expilationibus, hunc in impuris conuiuijs principẽ adhibebat; tã ãque habebat morũ ſimilitudo coniũctionẽ, atque cõcordiã, vt Aprouius, qui alijs inhumanus, ac barbarus, iſti vni cõmodus, ac diſertus videretur.* Quorum contrariorum nonnulla aduerſa ſunt.

PVNCTVM V.

Per negationem.

Aptiſſimus eſt ad loquutionum varietatem, & elegans vſus huius loci, cùm pro aliqua qualitate nagationem contrariæ qualitatis in oratione vſurpamus. Vt ſi dicendum ſit manſuetiſſimum fuiſſe, & humaniſſimum in hoſtes Cæſarem, dicamus non crudelem illum, non inhumanum fuiſſe, per humanitatis ac manſuetudinis contraria. Ita, qui diligens appellandus erit, rectè dicetur non negligens: atque eadem eſt ratio omnium omninò virtutum, atque vitiorum; & earum vocum, quæ contrarias habent, pro quibus ipſarum negationes ſubſtitui poſſunt in oratione.

Frequens eſt vſus Orationum exordijs, qui particulis, *etſi, quanquam*, & ſimilibus dignoſcitur, quibus continuò redditur, *Tamen*. Pro lege Man. Poſt reditum ad Quirites, in quibus proponitur primùm ſententia quædam, quæ ferè deſtruitur hac particula. *Tamen.*

PVNCTVM VI.

De Relatis.

Relata dicuntur quorum eſſe eſt ad aliud, id eſt, quorũ natura in hoc poſita eſt, vt ad aliud referantur: filius nihil eſt aliud quà m

tris filius, vt neceſſariò hunc reſpectum ad patrem includat, & viciſſim pater ordinem dicat ad filium, ſic dominus ad ſeruum, diſcipulus ad magiſtrum, miles ad ducem. Quis enim intelligat filium ſine patre, patrem ſine filio? Hinc pro Rab. Poſthumo Tull. Rabirium excuſat à patre. numer. 2. *Satis eſt homines imprudentiâ lapſos non erigere, vrgere verò iacentes, aut præcipitantes impellere, certè eſt inhumanum, præſertim, Iudicium ſit hoc hominum generi prope natura datum, vti, quæ in familia laus aliqua fortè floruerit, hanc ferè, qui ſunt eius ſtirpis, quòd ſermo hominum ad memoriam prodendam patrum virtute celebretur, cupidiſſimè perſequantur. Si quidem non modò in gloria rei militaris, Paulum Scipio, aut Maximum filius, ſed etiam in deuotione vitæ, & in ipſo genere mortis imitatus eſt, P. Decium filius. Sint igitur ſimilia Iudices parua magnis.*

Cuius argumenti vis ea eſt. Quod pater fecit impunè, id ſi filius faciat, plecti non debet: ſed Poſthumus pater Roſcij, cum externis principibus egit, ſine vllo, vel famæ, vel vitæ periculo, non igitur eſt, quod eam ob rem filius mulctetur.

Scitè Mart. & argutè lib. 1. Epigramātū, ab iis relatis, nouos amicos non prorſus reiiciendos docet, ſed videndum an poſſint fieri veteres, ſi quidem hi fuerunt aliquando noui.

Si quid Fuſce, vacas adhuc amari;
Nam ſunt hinc tibi, ſunt & hinc amici,
Vnum ſi ſupereſt locum rogamus.
Nec me, quod tibi ſim nouus, recuſes.
Omnes hoc veteres tui fuerunt.
Tu tantum inſpice, qui nouus paratur.
An poſſit fieri vetus ſodalis.

Ex hoc loco Ciceronis ſtudioſos ad ſedulitatem amplexandam exhortaberis. Conicite oculos in Ciceronem, admiramini doctrinarum illum fontem, vndè tot Eloquentiæ torrentes, tot & tàm limpida facundiæ flumina in vniuerſum Rhetoricæ campum iam emanarunt. Suſpicamini niſi fallor nequaquam ei per ignauiam, aut ſocordiam id obtigiſſe, vt tantum Oratoris, tàm præſtantis munus obtineret. Intuemini vt aſſiduitatem vultu, & oculis, vt fronte diligentiam præfert, redolent partes eius omnes neſcio quid inuſitatæ, ſingulariſque in ſtudio contentionis. Enimuero nactus ille nobiliſſimos, quales eſtis, ſtudioſos, eos vt ad omnem liberalem diſciplinam commodiùs informaret; vt tam ſuaues eloquentiæ hauſtus ſitientibus vobis propinaret, nihil non egit, nihil non laborauit: Vos qui nobili adeò, & facundo præceptori aſſiduas aureas datis, remiſsè ſegniterque doctas eius prælectiones excipitis; Vigilauerit ille ad multam noctem, vos ad multam diem dormieritis, ſuaderit ille, ac etiam neceſſarium reficiendo corpori tempus ſuffuratus fuerit; vos in roſa delicatuli ambulabitis, & quantum ille laboribus dederit, tantū mollibus animorum dominis voluptaribus tribuetis? Videte, & mecum diligēter expendite, vt quàm illi fuit honorificum tot ſe cauſa noſtra laboribus confeciſſe, tàm nobis aſſiduam, ac diligentem operam ſub eo collocaſſe ſit glorioſum.

PVNCTVM VII.

Canones.

IN relatis poſito vno, ponitur & aliud, Vlyſſes Pater eſt, & filium habet. Ad probationem petitur argumentum ab probatione vnius ad adfirmationem alterius, quale eſt illud Mart. l. 1. Epig. 82.

Tùm ſeruum ſcis te genitum, blandeque fateris,
Dùm dicis Dominum Soſibiane patrem.

A negatioae ad negationem: non eſt pater, nec habet filium. Tibull. Eleg. 1. lib.

At vos exiguo pecori furesque, lupique
Parcite: de magno eſt præda petenda grege.

Cui conuenit vnum relatum, alterum conuenire non poteſt, ſecundùm eandem rationem: ſub vario tamen reſpectu poteſt vnum & idem oppoſitas habere relationes, non modò ſi cum diuerſis rebus conferatur, vt Vlyſſes idem Thelemachi pater, & Laertij filius eſt: ſed etiam cum eadem: poteſt enim quiſpiam diſcere ab alio, & eundem docere res diuerſas.

* * *

PVN

PVNCTVM VIII.

De priuatiuè oppoſitis.

PRiuatiuè Oppoſita quorum alterum Habitus ſemper dicitur;alterum Priuatio; & vno ſignificatur id quod reuera eſt;altero eius in eodem ſubiecto priuatio,vt aſpectus,& cœcitas in oculis,auditus, & ſurditas in auribus; vita, & mors in animali. Hinc fit vt ab aduerſis differant, quod vtrumque aduerſum aliquid ponat, nec re, nec ſatis ſit vnum tollere,vt alterum introducatur;at in Priuantibus ſatis eſt vnum tollere,vt alterum inferatur: Aduerſa de pluribus ſubiectis dici poſſunt, vt album de lacte, niue, pariete; Priuantia de certo ſubiecto dicuntur, aut non de tàm multis, atque aduerſa.

Ex priuatiuis ingenioſè Mart. argumentatur in Regulum Cauſidicum bipedum nequiſſimum cuius periculum exponit, quod, ob ruinam veteris porticus,quâ penè deprehēſus eſt, incurrit, ſimulque docet eſſe Prouidentiam.lib. 1.Epigr.

Itur ad Herculei gelidas quâ Tiburis arces,
Canaque ſulphureis Albula fumat aquis.
Rura nemuſque ſacrum,dilectaq; iugera Muſis
Signat viciuâ quartus ab vrbe lapis.
Hîc rudis æſtiuas præſtabat Porticus vmbras:
Hûc quàm penè nouum porticus auſa nefas!
Nam ſubitò collapſa ruit, cùm mole ſub illa
Geſtatus biiugis Regulus eſſet equis.
Nimirum temnit noſtras Fortuna querelas,
Quæ par tam magnæ non erat inuidiæ.
Nunc & damna iuuant: ſunt ipſa pericula tanti:
Stantia non poterant tecta probare Deum.

Mulierem parùm pudicam lepidè ſimul, & acriter inſectatur verbis ad riſum compoſitis Cic.pro Cœlio.n. 33. *Ex ipſa quaram prius,vtrum me ſecum ſeuere & grauiter, & priſcè agere malit, an remiſſe,ac leniter & vrbanè. Si illo auſtero more ac modo, aliquis mihi ab inferis excitandus, ex horrida,quam in ſtatuis antiquis,& imaginibus videmus: qui obiurget mulierem,& pro me loquatur, ne iſta mihi fortè ſuccenſeat. Exiſtat igitur ex hac ipſa familia aliquis; ac potiſſimum cæcus ille,minimum enim dolorem capiet, qui iſtam non videbit, qui profectò ſi extiterit, ſic aget & ſic loquetur: Mulier, quid tibi cum Cœlio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno? cur aut tàm familiaris huic fuiſti, vt aurum commodares: aut tàm inimica,vt venenum timeres?non patrem tuum videras? non patruum, non auum, proauum, atauum audieras conſules fuiſſe?*

Cœcitatem ab hoc loco commendare licet. Si quo fato,aut Dei prouidentia me multum amantis fiat,vt tanto tam inimico pondere oculorum ſubleuet,ad ipſos etiam ſuperos accedere me putabo. Nam dùm viſum hunc meum contemplor, dùm oculos inſpicio mentis acie ſatis attentâ,ianuas mihi videre videor, quibus arcem mentis inuadunt hoſtes, quibus animi vis, ac robur comminuitur, ac debilitatur. Quod enim corpus lædant, minimé id in commodis pono, licet ne id quidem minimum eſt, quod dùm ſpirituum copiis iuuandi ſunt, ſubtrahitur interim auribus longè vtilioribus, cæteriſque membris, ea virtus quam à ſpirituum alimento traxiſſe ſibi debuerant: tot verò collyria, tot pharmaca,tot perſpicilia, quid aliud ſunt,quàm impeditæ domus ſupellex,neceſſaria quidem,ſed importuna. Felicem itaque te Homeri qui quod tua illa cœcitate propiùs ad Deos acceſſiſti diuinos etiam verſus è ſedata placataque mente, ac tot tumultibus, quos important oculi, liber emerſiſti: Miſeros illos, & infelices qui præter incommoda cætera id habent etiam vt ſuam miſeriam, & infelicitatem contemplari neceſſario debeant.

PVNCTVM IX.

Canones.

HVius & contrariorum ratio penè eadem, ſimiliaque ſunt in vtroque pronunciata, ſcilicet vbi eſt vnum, alterum eſſe nequit; ſiue, vbi eſt habitus,ibi priuatio illi oppoſita non eſt: cœcus eſt,ergo non videt. Quod habitui tribuitur, priuationi competere non poteſt. Auditus ad diſcendas percipiendaſque diſciplinas plurimum

Digitized by Google

mum affert adiumenti, ſurditas igitur, ad eaſdem capeſſendas non parum obeſt Tull. *Eius igitur mortis ſedetis vltores, cuius vitam ſi per vos reſtitui poſſe putetis, nolitis.* 1. in Catil. *Quid ex ſpectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perſpicis?* Pro Marcello. *Doleo cùm Reſp. immortalis eſſe debeat, eam in vnius mortalis anima conſiſtere.*

A negatione habitus, ad affirmationem priuationis, vel ab iſtius negatione ad habitus affirmationem in ſubiecto apto, non eſt mortuus, ergo viuit. Mart. lib. 3. Epigramm. 16.

Ebrius es, nec enim faceres id ſobrius vnquam.

Et illud lib. 5. Epigram. 83.

Semper eris pauper, ſi pauper es Æmiliane;
Dantur opes nulli nunc, niſi diuitibus.

In quibus argumentum ſumitur ab affirmatione vnius ad negationem alterius, & contra. Nam ebrius, & pauper priuationem dicunt, ſobrius, & diues, habitum.

PVNCTVM X.

Contradicentia

QVarta ſpecies Oppoſitorum eſt eorum quæ contradicentia dici ſolent, quorum vnum negat quod affirmatur ab altero. Martialis ſuam, & Dindymi voluntates pugnantes & diuerſas naturas, atque aduerſarias eſſe docet.

Inſequeris fugio; fugis, inſequor. Hæc mihi mens eſt.
Velle tuum nolo Dindyme; nolle volo

Paulò aliter habet illud eiuſdem in eum, qui ipſe ex diuerſis, vt olim Catilina, compoſitus erat.

Difficilis facilis, iucundus acerbus eiſdem.
Nec poſſum tecum viuere, nec ſine te.

Sic Cic. pro Cœlio. n. 12. Catilinæ naturam multiplicem ac verſatilem deſcribit. *Habuit ille, ſicuti meminiſſe vos arbitror, per multa maximarum non expreſſa ſigna, ſed adumbrata virtutum. Vtebatur hominibus, improbis multis: & quidem optimis ſe viris deditum eſſe ſimulabat. Erant apud illum illecebræ libidinum multæ: erant etiam induſtria quidam ſtimuli, ac laboris Flagrabant vitia libidinis: apud illum vigebant etiam ſtudia rei militaris. Neque ego vnquã fuiſſe tale monſtrũ in terris vllum puto, tàm ex contrariis, diuerſique cõflatum Quis clarioribus quodam tempore iucundior? quis turpioribus cõiunctior? quis ciuis meliorum partium aliquando? quis tetrior hoſtis huic ciuitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate auarior? quis in largitione effuſior? Illa verò Iud. in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitiâ, tueri obſequio, cum omnibus cõmunicare quod habeat, ſeruire temporibus ſuorum omnium, pecuniâ, gratiâ, labore corporis, ſcelere etiam ſi opus eſſet, & audaciâ: verſare ſuam naturam, & regere ad tempus, atque huc & illùc torquere, & flectere, cum triſtibus ſeuerè, cum remiſſis iucundè, cum ſenibus grauiter, cum iuuentute comiter, cum facinoroſis ſaudacter, cum libidinoſis luxurioſè viuere.*

Ex pœnitentiæ lege nos ad vitalem mortem miſericorditer dãnari docet S. Zeno Veronenſis. *ô liberatoris noſtri profunda prouidentia! ô præſtãtia ſingularis! ô dulcis ſententia! ô dãnatio neceſſaria! in ſemetipſe homo iugulatur, vt viuat; percuſſor non videtur; percuſſoris non cernitur gladius, percuſſi non hiat vulnus non defluit sãguis expirãtis non palpitat corpus non decolor colore eſt, ipſe eſt, & tamẽ non eſt ipſe. Vetus quidem videtur domicilium, ſed nouus Inquilinus, exultat mutatione morũ, Natiuitatis ſua nobilitatẽ incredulis variis virtutibus probaturus, Nimirũ peccato mortuum non eſſe qui erat antea, cùm tamen idem ipſe ſit cum Deo viuens.*

Quàm difficile ſit & arduum, neceſſarium corporis amorẽ temperare atque moderari docet. Diu. Nazianz. dum de hoc infido, ac improbo corpore queritur orat. 16. Cui quodammodo coniunctus ſim, haud equidem ſcioquoque pacto ſimul, & imago Dei ſim, & cum cœno voluter. quod & cum pulchra valetudine eſt bello me laceſſit, & cum bello premitur, mœrore me afficit Quod & vt conſeruum amo, & vt inimicum Dei auerſor; quod & vt vinculum fugio, & vt cohæres veneror. Si debilitare illud, & confidere ſtudeo, iam non habeo quo ſocio, & opitulatore ad res præclariſſimas vtar? ſi contra vt cum ſocio, & adiutore mitius agam, nulla iam ratio occurrit, quâ rebellantis impetum

tam fugiam;atque à Deo non excidam, compedibus prægrauatus,vel in terram detrahentibus, vel in ea detinentibus. Hoſtis eſt blandus, & placidus, inſidioſus amicus. ô miram coniunctionem & alienationem!quod metuo,complector,quod amo, pertimeſco; antequam bellum geſſerim, in gratiam redeo, antequam pace fruar,ab eo diſſideo.

In defenſione Murænæ contradicitur ſententijs Catonis & Ciceronis, illius quidem Stoïci; huius autem Academici per Dialogiſmum.n.65. *Nihil ignoueris. Imò aliquid, non omnia. Nihil gratiæ cauſa feceris. Imò reſiſtito gratiæ, cùm officium,& fides poſtulabit. Miſericordia commotus ne ſis,etiam in diſſoluenda ſeueritate: ſed tamen eſt laus aliqua humanitatis. In ſententia permaneto. Enimuero niſi ſententia alia vicerit melior.*

Eodem argumento cogit Orator Atticum Epicuri diſcipulum fateri miſeros mortuos non eſſe, ſi omninò nulli ſint, vt illi credebant 1. Tuſc n.12. *Iam mallem Cerberum metueres quàm iſta tàm inconſideratè diceres. Att. qui tandem? M. quem eſſe negas, eundem eſſe dicis: vbi eſt acumen tuum? cùm enim miſerum eſſe dicis: tùm eum qui non ſit,eſſe dicis. Age iam concedo non eſſe miſeros, qui mortui ſunt: Quoniam omninò non eſſent, eos ne miſeros quidem eſſe.*

PVNCTVM XI.

Canones.

QVoties vnum ponitur, alterum tolli neceſſe eſt. Si Deus omnium rerum curam gerit,mentitur Epicurus, qui res à Deo ſingulares ſingulari prouidentia non adminiſtrari contendit. Hoc vtuntur Oratores,vt aliena deſtruendo, ſuo ſtatuant; quæ cauſa eſt, cur confirmatio,& confutatio, quæ ratione diſtinguntur, tractatione coniuncta ſint; cùm vera propoſitio nullo poſſit oſtendi, quin ea,cui contradictoriè opponitur, eadem opera falſa eſſe demonſtretur, nihil enim medium. Hinc Martialis vſum quotidianæ cum Deciano vitæ, & coniunctionem impediri locorum interuallis dicit, & ab hoc loco concludit, quaſi ad Decianum, tàm longo itinere iret, vt eum ne videret: lib. 2. Epigramm.4.

Ne valeam;ſi non totis Deciane diebus
Et tecum totis noctibus eſſe velim.
Sed duo ſunt,quæ nos diſtinguunt millia paſſuum,
Quatuor hæc fiunt,cum rediturus eam.
Sæpe domi non es,cùm ſis quoq;ſæpe negaris.
Vel tantum cauſis,vel tibi ſæpe vacas.
Te tamen vt videam,duo millia non piget ire:
Vt te non videam quatuor ire piget.

LECTIO X.

Locus à Repugnantibus.

VT vix alius loci vſus eſt frequentior, quàm huius à Repugnantibus: ita nullus elegantior eſt, & ad perſuadendum, refellendumque aptior.

PVNCTVM I.

Definitio.

SIc. definit quæ neque certa lege,neque numero inter ſe diſſident. Vel quæ ſtare ſimul, & hærere nequeunt; qualia ſunt amare,& iniuria afficere,odiſſe, & laudare, leges condere,& mortuum eſſe. Ex hoc loco probat Tull. leges quas Antonius promulgat, non eſſe leges à Cæſare latas,qui iam obijſſet 1.Phil.n.24. *De exilio reducti ſunt à mortuo; ciuitas data non ſolùm ſingulis;ſed etiam nationibus, & Prouincijs vniuerſis à mortuo;immunitatibus infinitis ſublata vectigalia à mortuo: ergo hæc vno viro optimo Auctore domo prolata defendimus: eas leges quas ipſe, vobis inſpectantibus, recitauit, pronuntiauit, tulit. quibus latis gloriabatur, iiſque legibus Remp. contineri putabat,de prouincijs,de iudicijs,eas inquam Cæſaris leges,nos,qui defendimus acta Cæſaris, euertendas putabimus?*

Latiùs multò patent quàm contraria, quæ certo quodam genere continentur; ad hoc enim vt repugnantia aliqua dici poſſint, ſufficit, vt

Digitized by Google

vel in natura ; vel in affectione aliqua inter ſe diſſideant, quæ diſſentanea, vel diſparata à quibuſdam appellantur.

Duobus modis erui poſſunt à repugnantibus argumenta. I. Si duo contraria illorumque varios effectus ſcrutatus fueris, qui omnes comparati contrariis repugnabunt. Scilicet odij contrarium amor eſt, cuius effectus, vel adiuncta, vel cauſæ repugnant odio.

Laudare, venerari, beneficiis afficere, familiariter colloqui cum eo, quem diligas, de eo crebros ſermones iniicere, abſentiam eius ægrè ferre, aduerſam eiuſdem fortunam lugere, proſperam velle, amoris ſunt indicia.

Rubor ingennus ad amici aſpectum ; vultus hilaritas, explicata frons, comis apellatio, crebræ conſalutationes adiuncta ſunt amoris.

Similitudo vultus, morum, ac ſtudiorum, beneficia, neceſſitudo, propinquitas, affinitas, cauſæ ſunt amoris, quæ repugnant odio. Non odit ille Deum, cui ſæpè ſacrificia, cum magno pietatis ſenſu offerre conſueuit, cui preces aſſiduas fundit, quem vbertimis lacrymis ſibi propitium facit, quem vt alij colant, ac venerentur, omni ſtudio, & contentione elaborat.

Si quid me amas cur me verberibus excipis? cur criminaris? cur in me conuitia iactas identidem? cur me vt inimicum auerſaris? cur me iacentem erigere non conaris?

Altero. Si antecedentibus, & conſequentibus addas particulam *Non*, & ea coniungas cum aliis pugnantia facies. Vt ſol ortus eſt ergo dies eſt. Adde *Non*, ſol ortus eſt, non eſt dies. Ingenioſum eſt illud Martialis ad Sext. lib. 2.

Vis te Sexte coli, volebam amare.
Parendum eſt tibi quod iubes, coleris.
Sed ſi te colo Sexte, non amabo.

PVNCTVM II.

Canones.

IN vno, eodemque repugnantia eſſe non poſſunt, ſpirat, igitur non eſt mortuus ; nocere vult, ergo non amat ; diligit, ergo non lætatur amici malo. Pro Cœlio num. 5. *Repugnat eius mores non probari, cui vltrò, non petenti, ſed abſenti deferuntur honores. Nam quod eſt adiectum, municipibus eſſe adoleſcentem non probatum ſuis : nemini vnquam præſenti Puteolani maiores honores habuerunt, quàm abſenti M. Cœlio quem & abſentem in ampliſſimum ordinem cooptarunt, & ea non petenti detulerunt, quæ multis petentibus denegarunt : idemque nunc lectiſſimos viros, & noſtri ordinis, & Equites Ro. cum legatione ad hoc iudicium, & cum grauiſſima, atque ornatiſſima laudatione miſerunt.*

Diſputatur hinc pro Sylla, num. 83. *Sed quid ego qui Catilinam non laudaui, qui teſtimonium de coniuratione dixi ; adeone vobis alienus à ſanitate, adeò oblitus conſtantiæ meæ, adeò immemor rerum à me geſtarum eſſe videor, vt cum Conſul bellum geſſerim cum coniuratis, nunc eorum ducem conſeruare cupiam, & in animum inducam, cuius nuper ferrum retuderim, flammamque reſtinxerim, eiuſdem nunc cauſam vitamque defendere. Ego ille coniurationis inueſtigator, & vltor, certe non defenderam Syllam, ſi coniuraſſe arbitrarer.*

Sæpè non ſemper valet argumentum à negatione repugnantis, ad affirmationem contrarij ; quod tùm valet, quando contraria ſunt immediata, & conſequentia neceſſaria. Non illus bono lætatur, igitur illum odit. Aliàs non valet, vt, non videt, ergo cæcus eſt. Poteſt enim dormire, vel oculos claudere neque neceſſariò concluduntur facultas, & actus videndi.

PVNCTVM III.

Vſus.

IS eſſe poteſt vt fluant ex illo concluſiones Enthymematum quæ plurimum acuminis habent, deducaturque frequens illa confutandi ratio, quam ex abſurdo, vel incommodo, & impoſſibili dicunt Oratores, cùm aduerſarius pugnantia dicere cogitur, aut victum ſe fateri. Phil. 2. num. 31. ſe coniurationis in Cæſarem initæ nom fuiſſe conſcium probat, ex eo quod in illa conſceleratorum ſocietate nullus vnquam nomen ſuum audierit ; deinde vrget ſtuporem & ſtoliditatem Antonij quòd pugnantia loquatur, eos pluribus laudans, qui Cæſarem occiderant, eos vituperans, quos necis conſcios fuiſſe ſuſpicabatur.

Sit

Sic adoleſcentem Cœlium nunquam amoribus, & deliciis occupatum fuiſſe arguit, quòd repugnet tantam Eloquentiam, quanta in Cœlio elucebat cum his amorum voluptatúmque blandimentis conſiſtere, num.45. *Atque ſcitote eas cupiditates qua obijciuntur Cœlio, atque hac ſtudia, de quibus diſputo non facilè in eodem homine eſſe poſſe, fieri enim non poteſt vt animus libidini deditus; amore, deſiderio, cupiditate, ſæpè nimia copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc quidquid eſt quod nos facimus in dicendo, non modò agendo, verum etiam cogitando poſſit ſuſtinere.*

Mox voluptatibus non obſtrictum fuiſſe dodocet n.47. *An hic ſi ſeſe iſti vitæ dediſſet, conſularem hominem admodum adoleſcens in iudicium vocauiſſet: hic ſi laborem fugeret, ſi obſtrictus voluptatibus teneretur, in hac acie quotidie verſaretur? appeteret inimicitias? in iudicium vocaret? ſubiret periculum capitis? in ipſo inſpectante populo Rom. tot menſes, aut de ſalute, aut de gloria dimicaret.*

Blandè ſatis Ouidius negat Maximum Liuidum eſſe, quòd ſit magnanimus, nec abiectæ mentis inſtar viperæ reptantis humi, ſed ſublimis, & elatæ 3. de Ponto. Eleg.

Liuor iners vitium mores non exit in altos:
Vtque latens ima, vipera ſerpit humo.
Mens tua ſublimis ſupra genus eminet ipſum.
Grandius ingenio nec tibi nomen ineſt.
Ergo alij noceant miſeris, optentque timeri,
Tinctaque mordaci ſpicula felle gerant.
At tua ſupplicibus domus eſt aſſueta iuuandis.
In quorum numero me precor eſſe velis.

PVNCTVM IV.

Amplificationibus deſeruiunt.

FRequens eſt repugnantium vſus in amplificatione, cùm ſingula ſingulis opponuntur, 7. in Verrem, n.84. *Vide quid interſit inter tuam libidinem, maiorumque auctoritatem; inter amorem, furoremque tuum, & illorum conſilium, atque prudentiam. Illi aditum littoris Syracuſanis ademerunt: tu maritimum imperium conceſſiſti. Illi habitare in eo loco Syracuſanum, quò naues accedere poſſent, noluerunt, tu naui, & claſſibus Syracuſanum præeſſe voluiſti. Quibus illi vrbis ſuæ partem ademerunt, iis tu noſtri imperij partem dediſti, & quorum ſociorum opera Syracuſani nobis dicto audientes ſunt, eos Syracuſanis dicto audientes eſſe iuſſiſti.*

Idem pro Sextio n.44. *Senatum Coſſ. credo vocaſſent? quem totum de ciuitate deleuerant: ad arma vocarent? qui ne veſtitu quidem defendi Remp. ſiuiſſent: A Tribuno-plebis poſt interitum meum diſſediſſent? qui eandem horam meæ peſtis, & ſuorum præmiorum eſſe voluiſſent.*

B.Iacob pauperem licet, diuitem facit, ac felicem ex repugnantibus D. Ambroſ. l. 2. cap. 9. *Quid ei deerat cui Deus aderat? quis tàm potens in ſuo domicilio, quàm iſte in alieno? quis tàm abundans in vbertate, quàm iſte in fame? quis tàm fortis in iuuentute quàm iſte in ſenectute? quis tàm actuoſus in negotio, quàm iſte in otio? quis tàm velox in curriculo, quàm iſte in lectulo? quis tàm lætus in flore adoleſcentiæ, quàm iſte in mortis confinio? quis tàm diues in regno, quàm iſte in peregrino ſolo? quis tàm validus in virtute, quàm fortis iſte in infirmitate.*

Alias non ſingula ſingulis, ſed multa conglobata, multis repugnantibus opponuntur. Pro domo ſua n.4. *Tune es ille, inquit, quo Senatus carere non potuit? quem boni luxerunt? quem Reſp. deſiderauit? quo reſtituto, Senatus autoritatem reſtitutam putabatur? quam primùm adueniens prodidiſti? Nondum de mea ſententia dico, impudētiæ primùm reſpondebo tuæ, Hunc gitur funeſta Reip. peſtis, hunc tu ciuem ferro, & armis, & exercitus terrore, & Conſulum ſcelere, & audaciſſimorum hominum minis, ſeruorum delectu, obſeſſione templorum, occupatione fori, oppreſſione Curiæ, domo & patria ne cum improbis boni ferro dimicarent, cadere cu aſti quem à Senatu, quem à bonis omnibus, quem à cuncta Italia deſiderntum, accerſitum, reuocatum, conſeruandæ Reip. cauſa confiteris.*

Nimirum hic Tullius imponit Orationē Clodio, quæ ſeipſam refutet. Nam ſenatus carere Cicerone non potuit, non fuit è ciuitate expellendus: At Clodius non obiecerat hoc, ſed Cic. illam obiectionem fingit, vt hominem arguat.

Ita ſi quis aliquem impietatis in ſuperos argueret, obiectionem aduerſarij repugnantibus adiectis poſſet proponere. Patronus impietatem obijcit Senecæ, qui eſt religioſiſſimus, diuini cultus amantiſſimus, virtutum paternarum retinentiſſimus. Qui communis eſt refutandi modus

dus per particulas, *Qui, quia.* Siue interrogando, ſiue ſecùs ; ſed poſtea aduerſarij verbis abutendo, & orationem illi primùm conſentaneam imponendo, In hunc ferè modum. Deum odit Seneca, vir antiquæ probitatis, vir diuini cultus amantiſſimus, vir omnium iudicio virtutum, & ſapientiæ laude præſtantiſſimus.

Atque hæc continuò reſumenda eſſe oratio à Patrono, & arguenda: quod Cic. fecit in exemplo allato. Hunc igitur funeſta mortalium peſtis hunc tu virum odij in ſuperos accuſare non vereris, quem neque tu religioſiſſimum eſſe negare potuiſti, & omnium bonorum teſtimoniis ſapientiſſimum eſſe teſtatus es?

Interdum rei vni multa repugnantia opponimus, quod fieri commodè poteſt permiſſione ironica. Aras & templa euertit, non eſt impius? omnia diuina & humana contemnit, & violat? non eſt impius? &c.

PVNCTVM V.

Ornat Orationem.

MVltum Repugnantium vſus confert ad Orationis ornamẽtum, & periodorum complexionem implendam, quale eſt illud, 4. in Verr, n 159. *Forſitan vix conuenire videretur, quem ipſum hominem cuperent euertere, eius effigiẽ, ſimulachrumq; ſeruare. Sed tamen videbam, apud eos cùm eſſem & religionem eſſe quandam in his rebus à maioribus traditam, & hoc diſputare; cum ſtatua ſe eius habuiſſe rationem temporis, quo poſita eſſet; cum homine verò, quo gereret bellum, atque hoſtis eſſet.* Vbi repugnans aliquid pro Verris nomiue poſitum eſt.

Tales illæ ſunt Orationes frequentiſſimæ, in quibus vtimur aduerſatiuis particulis, *Sed, quanquam tamen.* Debet enim tùm afferri aliquid, quod repugnare videatur, tametſi repugnantia per illas particulas, remouetur, quæ primo aſpectu videbatur requiri. Pro Mil n.2. *Nam illa præſidia, quæ pro templis omnibus cernitis, etſi contra vim collocata ſint, non afferunt tamen Oratori aliquid in foro, & in iudicio quanquam præſidiis ſalutaribus & neceſſariis ſepti ſumus tamen ne non timere, ſine aliquo timore poſſimus.*

Affirmando tale poteſt argumentum adferri Ciceronem Clodius ciuium interfectorem peſtem Reip. nominat, quem Senatus frequens conſeruatorem, & parentem patriæ vocauit; quem in Senatu Cato, idem concione palàm laudauit, quam laudationem populus Rom. fauſt a& honorifica appellatione approbauit. M. Tullium odio proſequitur Antonius, amant Brutus & Caſſius; Clodius innocentem è ciuitate depeller, Pompeius eundem in patriam honorificentiſſimè reuocabit.

PVNCTVM VI.

Notæ Repugnantium.

PRoponi ſolent eleganter repugnantia cum particulis. *At, atqui, cur, cui, qui, quæ, quod,* aut cæteris huiuſmodi. Sic explicari poſſet, quomodo quis Deum non oderit. Quod ille Deum vitæ ſaluiſque ſuæ auctorem odio proſequitur; qui Deo immolat, qui preces fundit aſſiduas, qui puras in cœlum manus leuat, qui nullum pietatis opus, nullum religionis genus prætermittit. Vel per, *at.* Odij in ſupremum Moderatorem rerum Deum inſimulatur : at illi ſacrificia pius offert? at orationes ad illum habet frequentiſſimas? at templa ſemper adit. At pietatis argumenta non obſcura, vel inuidis proponit : vel *atqui* Deum ſibi propitium precibus, & lacrymis facit: arqui, &c

Simile eſt illud Ciceronis. Domus tibi deerat? at habebas quaſi diceret. Falſum eſt tibi domum defuiſſe, nam habebas; æquè falſum eſt, te pecuniis abundaſſe, quippe egebas.

Per negationem. Non ad docendum Socratem incitabat turpitudo ; erat enim continentiſſimus; non pecuniæ cupiditas; nam egeſtatem æquo; ac toleranti ferebat animo. Quod reuocari poteſt ad particulas nominatas, affirmando tamen. An illum incitabat turpitudo ? at erat continentiæ ſtudioſus, An auaritia ? at hominem ſcimus paupertatis amantiſſimum. Quæ poſterior ratio ſatis eſt elegans, & Cicerone ſæpius vſurpata, præſertim cùm aduerſarij obiectio, ita proponitur, vt ipſa ſeſe refellat.

LECTIO XI.

Locus Adiunctorum.

NOn minorem Orationi ſplendorem, neque minus ſuauem dignitatis ſpeciem adferunt vbique perſperſa rerum, & perſonarum Adiuncta: quàm tabellæ diuerſis, natiuiſque coloribus animatæ, vel hortorum grata florum intermicantium varietas, oculos & animum recreet: Tantùm autem habent vbique fœcunditatis Adiuncta, vt illis, & ſæpiùs vtantur Oratores, & delectentur impenſius, ſiue Demonſtratiuo generi, aut Deliberatiuo quærant diuitias, & ornamenta: ſiue aggrediantur illa, quæ ad forum, & controuerſias pertinent.

PVNCTVM I.

Definitio, Diuiſio.

ADiuncta dicuntur ea quæ licet rem non componant, aut neceſſariò comitentur, ſunt tamen cum illa coniuncta. Quo ſunt ex Fabio Attributorum genera: Vnum rerum, & negotiorum; Alterum perſonarum: Eorum quæ rebus, & negotiis conueniunt tres ſunt ſpecies.

Prima eſt eorum quæ rem, & negotium præcedunt vt plurimum? Cauſæ ſcilicet, Conſilia, Colloquia, Iniuriæ, Conſuetudo, Minæ, Promiſſa, ſuſceptum iter, & omnis reliquus apparatus. Hinc probat Cic. Syllam non coniuraſſe in eius defenſione, n.53. *Num quis eſt igitur qui tùm dicat in campum adſpiraſſe Syllam? atqui ſe cum cum Catilina ſocietate ſceleris coniunxerat, cur ab eo diſcedebat? cur cum Antonio non erat; cur in pari cauſa non paria ſigna criminis reperiuntur; hoc tempore cùm arderet acerrimè coniuratio, cùm Catilina egrederetur ad exercitum, Lentulus in vrbe relinqueretur: Caſſius incendiis; Cethegus cædi præponeretur, Antonio, vt occuparet Etruriã, præſcriberetur; cùm omnia ordinarentur, inſtruerentur, & pararẽtur; vbi fuit Sylla Corneli; num Romæ? imò longè abfuit. Nũ in iis legionibus, quò ſe Catilina referebat; multo etiam longius, & c.*

PVNCTVM V.

Concomitantia

IN negotiorum adiunctis ſecunda ſunt ea, quæ rem ipſam comitantur, Locus, Tempus, Occaſio, Modus, Facultas, ſeu Inſtrumenta, &c.

Locus primùm deſignatur cuius varia eſt, ac multiplex natura. Sunt enim quædam loca facta natura, Campi Montes, Maria.

Quædam ab arte, Domus, Templum, Porticus; & hæc quidem vel ſacra, vel profana, frequentia, infrequentia; ampla, anguſta, alta, humilia; priuata, publica; aduſta ſole, frigore rigentia, quæ omnia plerumque rem aut factam eſſe, aut fieri potuiſſe, aut non potuiſſe arguunt. Inde Tull. à Roſcio patrem interfici non potuiſſe concludit, quod Romæ occiſus ſit, cum in agro extra vrbem eſſet filius.

Pro Milone contra Clodium, n.54. *Videamus nunc id quod caput eſt locus ad inſidias ille ipſe, vbi etiam Iud. dubitandum & diuitiùs cogitandũ eſt: ante fundũ Clodij, quo in fundo propter inſanas illas ſubſtructiones, facilè mille hominũ verſabatur valentiũ. Atqui excelſo loco ſuperiorẽ ſe fore putabat Milo; & ob eam cauſam eum locũ ad pugnam potiſſimum delegerat. An in eo loco potius expectandum ab eo, qui ipſius loco ſpe facere impetum cog.tarat? Res loquitur ipſa; quæ ſemper valet plurimum.*

Ab ipſius loci ſanctitate potenter odium, & inuidiam in Clodianos cõcitat Orator pro Mil. n.91. *An ille viuus nihil malè feciſſet, qui mortuus vno ex ſuis ſatellitibus ſex Clodio duce, curiam incenderit? quo quid miſerius, quid acerbius, quid luctuoſius vidimus? Templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilij publici, caput vrbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem ab vniuerſo populo Rom. conceſſam vni ordini, inflammari exſcindi, funeſtari?*

Turpe facinus Antonij multis exaggerat qui cùm eſſet Magiſter Equitum, tantum vani hauſit, vt poſtero die vomere ei neceſſe fuerit, in populi Rom. concione 2. Phil. 63. *Sed hæc, quæ robuſtio*

Digitized by Google

robuſtioris improbitatis ſunt, omittamus: loquamur potius de iniquiſſimo genere leuitatis. Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria, totius corporis firmitate tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauſeras, vt tibi neceſſe eſſet in populi Rom. conſpectu vomere poſtridie: ô rem non modò viſu fœdam, ſed etiam auditu! ſi inter cœnam, in tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidiſſet, quis non turpe diceret? in cœtu verò populi Rom. negotium publicum gerens, Magiſter Equitum, cui ructare turpe eſſet, is, vomens fruſtis eſculentis, vinum redolentibus gremium ſuum, & totum tribunal impleuit.

Eiuſdem compotationes, luxum, ac temulentiam in villa Varronis temperantis hominis deſcribit. num. 104. *At quàm multos dies in ea villa turpiſſimè es perbacchatus? ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur. ô tecta ipſa miſera, quàm diſpari domino! quanquam quomodo iſte dominus? ſed tamen quam à diſpari tenebatur? ſtudiorum enim ſuorum M. Varro voluit eſſe illud non libidinum diuerſorium. Quæ in illa villa ante dicebantur? quæ cogitabantur? quæ litteris mandabantur? iura populi Rom. monumenta maiorum, omnis ſapientiæ ratio, omniſque doctrina. At verò, te inquilino (non enim domino) perſonabant omnia vocibus ebriorum: natabant pauimenta vino: madebant parietes: ingenui pueri cum meritorijs: ſcorta inter matres familias verſabantur.*

Hannibal in Italiam ingreſſus militibus ſuis ex hoc loco facit animos apud Liuium. *Vobis acriter pugnandum eſt, quippe à tergo Alpibus, ab vtroque latere Maris clauſi eſtis, aduerſos habetis hoſtes; quare nulla vobis ſperanda reſtant effugia, niſi vincatis.*

A loco ſe purgat Ouidius 3. Triſt. Eleg. 8.

Si qua videbuntur caſu non dicta latine.

In qua ſcribebat barbara terra fuit.

Campanos arrogantes, libidinibuſque perditos ex natura loci, victuſque conſuetudine probat Cic. proindè illis agrum pop. Rom. vendendum non eſſe concludit, Orat. 2. in Rull 94 *Non ingenerantur hominibus mores tam à ſtirpe generis, ac ſeminis, quam ex iis rebus, quæ ab ipſa natura loci, & à vitæ conſuetudine ſuppeditantur: quibus alimur & viuimus, Carthaginenſes, fraudulenti, & mendaces non genere, ſed natura loci, quòd propter portus ſuos, multis & variis mercatorum, & aduenarum ſermonibus, ad ſtudium fallendi, ſtudio quæſtus vocabantur; Ligures montani, duri, atque agreſtes. Docuit ager ipſe, nihil ferendo, niſi ipſa cultura, & magno labore quæſitum. Campani ſemper ſuperbi bonitate agrorum, & fructuum magnitudine, vrbis ſalubritate, deſcriptione, pulchritudine. Ex hac copia, atque omnium rerum affluentia, quà à maioribus noſtris alterum Capua Conſ. poſtulauit: deinde eá luxuries, quæ ipſum Hannibalem, armis etiam tùm inuictum voluptate vicit, &c.*

PVNCTVM III.

Adiunctum Tempus.

TEmpus hîc voco durationem à cœli, ſoliſque motibus deductam: atque ab illa fluunt horæ, dies, hebdomas, menſis, annus, luſtrum, ſæculum. Ex illa ducuntur argumenta, ſi repetamus antiquitatem, vel recentem memoriam. Pro Quint. Næuium coarguit ſeptingenta paſſuum millia, aut eſſe decurſa, aut Sex. Næuium diebus compluribus ante in poſſeſſionem miſiſſe quàm poſtularet, vti eliceret bona poſſidere, num. 88.

Pro lege Manil. Pompeij victoriam à celeritate commendat, num. 35. *Tantum bellum, tam diuturnum, tam longè, lateque diſperſum, quo bello omnes gentes, ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hyeme apparauit, inuento vere ſuſcepit, media æſtate confecit.* Pro Sylla. num. 53.

Ad hoc referuntur varij temporum euentus, vt ſi turbidum fuerit, nubilum, difficile, ſudum, temperatum, periculoſum, longum, breue, vel calore, vel frigore moleſtum, tempus arandi, ſerendi. Vndè Erucius aduerſus Roſcium quem patrem interemiſſe arguebat. num. 80. *Eiuſmodi tempus erat, inquit, vt homines vulgò occiderentur. Quare tu hoc propter multitudinem ſicariorum, nullo negotio facere potuiſti.*

PVNCTVM IV.

Modus.

LOcus hic ampliſſimus, & copioſiſſimus deſignat Conſilia, Finem, Intentionem. Cauſas cur ſit aliquid factum: vt ſi dicas rem geſtam

Digitized by Google

inuidiâ, odio, perturbatione, lucri ſpe, metu egeſtatis, clàm, palàm, audacter, inſidioſè, ſcienter, aut caſu.

Valet plurimum huius loci tractatio ad laudem, cùm aliquo illuſtri facinore narrato: conſilium ſimul quæritur, ſed laudatur mens auctoris hoc modo. Nimirum intelligebat vir prudentiſſimus eam vim eſſe virtutis, in vtramque partem, vt, &c.

Efficax eſt in exaggerando crimine, cùm authoris cupiditas, auaritia, & ſuperbia notantur. Sic vectū per Italiæ municipia deſcribit ac notat Antonium cum Mima ſua, in quibus omnibus fœditatis ſuæ impreſſa veſtigia reliquit ad infamiā nominis ſempiternam. 2. Phil. n. 58. *Vehebatur in Eſſedo Trib. pleb. lictores laureati antecedebant: inter quos aperta lectica, Mima portabatur: quam ex oppidis municipales, homines honeſti, obuiā neceſſariò prodeuntes, non illo, & Mimico nomine, ſed Voluminā conſalutabat. Sequebatur Rheda cùm lenonibus, Comites nequiſſimi; reiecta mater amicam impuri filij, tanquā Nurū, ſequebatur. o miſera mulieris fœcunditatem calamitoſam! horū flagitiorum iſte veſtigijs omnia municipia, Praefecturas, Colonias totam denique Italiam impreſſit.*

Plurimum dignitatis habet in narrationibus, cùm intentio, & conſilium exquiritur: ſic totâ Milonianâ Clodij cædes deſcribitur.

In coniecturis valet. Pro Amer num. 85. & ſequentibus. *Hunc quæſitorem, ac Iudicem fugiebant, vtque horrebant ij, quibus periculū creabatur. ideo, quod tametſi veritatis erat amicus, tamen natura nō tam propēſus ad miſericordiam, quàm implicatus ad ſeueritatē videbatur, Ego, quanquā praeeſt huic quæſtioni & contra audaciam fortiſſimus, & ab innocentia clemētiſſimus, tamē facile me paterer vel illo ipſo accerimo iudice quærente, pro Roſcio dicere, &c.*

Pvnctvm V.

Facultas.

Comprehendit inſtrumenta quibus ad facinus aliquod vti ſolemus, nec non & ſocios, milites, arma, quibus & tucaris, & lædas. Tuearis; vt ab eo crimen non eſſe perpetratum, qui facultate caruit, ac poteſtate illud committendi. Lædas; vt credibilius eſſe occiſos à pluribus, pauciores; à vigilantibus dormientes, à paratis, imparatos. Ita Cic. Milonem, defendit Clodium offendit. n. 56. *Age nunc iter expediti latronis, cum Milonis impedimentis comparate, Semper cum vxore; tùm ſine ea; nunquam non in Rheda; tùm in equo: Comites Graculi, quocumque ibat, etiam cùm in caſtra Etruſca properabat; tùm nugarum in comitatu nihil. Milo, qui nunquā tùm caſu pueros ſymphoniacos vxoris ducebat, & an illarum greges: ille qui ſēper lupas ducebat: tùm neminem niſi, vt virum à viro, lectum eſſe deceres. Cur igitur victus eſt? quia non ſemper viator à latrone, nonnunquam etiam latro à viatore occiditur quia quamquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros.*

Obſerua poſtremò ſermocinationem elegantem eſſe in einſmodi conſiliis exquirendis quæ commodorum ſpe, aut incommodorum vitatione ad aliquid impellit, vt ad bellum gerendum gloria, nominis decus & immortalitas; ſpes prædandi hoſtis vltio: ſociorum, & libertatis defenſio. Hoc eſt quod in Milonis defenſione colligit. Tull. n. 32. *Satis eſt quidem in illa tam audaci, tàm nefaria bellua, docere, magnam ei cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas vtilitates fuiſſe.*

Pvnctvm VI.

Conſequentia.

Adiuncta demum quæ morâ, vel ordine poſteriora ſunt, hoc eſt quæ rem geſtam ſubſequuntur, vt Pallor, Rubor, Inceſſus titubans, frequens Anhelitus, Hæſitatio, Laus clara, parentes, Diuitiæ, turpis Infamiæ nota, Reprehenſio publica, exhauſtum Patrimonium, Clades, Supplicium, Morbi, & ſi quæ ſunt alia ſigna conturbationis & conſcientiæ; præterea inſtinctus Ignis, gladius cruentus: & quæ facti ſuſpicionem mouere poſſunt. Tull. in Piſon mirificè conſulatum ſuum commendat, & quæ

Digitized by Google

geſſiſſet in Prouincia ab honore, quem à Populo Rom. ſuſcepit. n. 51. *Quid dicã aduentus meos? quid effuſiones hominum ex oppidis? quid concurſum ex agris patrum familias, cum coniugibus, ac liberis? quid eos dies, qui quaſi Deorum immort. feſti, ac ſolemnes ſunt aduentu meo, redituque celebrati?*

Sed Antonium arguit quòd leges de vi, & maieſtate falleret. Phil. 1. n. 22. *Quid eſt aliud igitur, quàm adhortari adoleſcentes, vt turbulenti, vt ſeditioſi, vt pernicioſi ciues velint eſſe? quam autem ad Reip. peſtẽ furor Tribunitius impelli non poterit, his duabus quæſtionibus, & de vi & de maieſtate ſublatis?*

PVNCTVM VIII.

Signa.

PRoprias rei notas appellat. Tull. quæ duplicia ſunt: Neceſſaria cum ipſa re cohærentia, fumus ignem ſequitur. Nullam habet cicatricem, igitur ferro non fuit vulneratus. Athenis erat cum Romæ ſcelus admiſſum dicitur, ergo alienus à crimine. Neceſſarium eſt adiunctum, quo Tull. vtitur in Quint. contra Næuium, vbi probat Quintium non deſeruiſſe vadimonium, vt erat obiectum à Næuio, quòd ea die Romæ non eſſet quâ Vadimonium deſeruiſſe videbatur Nonis Febr. pridiè enim Kal. eiuſdem menſis Romã io Galliam profectus erat; igitur ex adiuncto temporis neceſſario conuincit Næuium à num. 56.

Alia probabilia tantum & veriſimilia, per ſe infirma, & ad rem probandam parum idonea, quæ tamen ſi plura ſint, & in eandem cauſam concurrentia, & coaceruata magnam interdum vim ad ſuſpicionem facti mouendam præbent; ea propter quoad fieri poteſt enitendum eſt, vt multa ſimul congerantur: eò ſiquidem validiora ſunt, quò plura; infirmiora, quò pauciora. Hinc probabiliter oſtendas aliquem feciſſe cædem, quòd paulò ante colloquutus clàm cum amicis fuerit, quòd de nocte domum exierit, quòd auditus ſit: ſubindè pedum ſtrepitus, armorum crepitus, quòd poſtea latebras quæſierit, quòd inuentus expalluerit, aut interrogatus titubauerit.

PVNCTVM VIII.

Attributa perſonarum.

AD tres claſſes reuocantur, Prima eſt eorum quæ ad fortunæ dona pertinent, diuitiæ dignitates, affinitates, & alia. De quibus quæritur an felix, ſit an infelix homo; nobilis, diues an pauper, ſeruus, an liber; priuatus, an magiſtratus; ciuis, an peregrinus. Indè duci poteſt argumentum, pauper eſt, fecerit ergo furtum potius, quàm hic qui diues eſt; Chriſtianus eſt, acceptam igitur iniuriam ferre maluerit, quàm vlciſci.

De parricidio defenditur Roſcius ex hoc loco n. 39. *Patrem occidit Roſcius: qui homo? adoleſcentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta. Vetus videlicet ſicarius, homo audax, & ſæpe in cæde verſatus? at hoc ab accuſatore ne dici quidem audiſtis. Luxuries igitur hominem nimirum, & æris alieni magnitudo, & indomitæ animi cupiditates ad hoc ſcelus impulerunt? de luxuria purgauit Erucius, cùm dixit, hunc ne in conuiuio quidem vllo ferè interfuiſſe nihil autem vnquã debuit: cupiditates porrò, quæ poſſunt eſſe in eo, qui ruri ſemper habitarit, & in agro colendo vixerit? quæ vita maximè disiuncta à cupiditate, & cum officio coniuncta.*

Hoc circumſtantiæ genere Dido venatum proficiſcens magnificè depingitur à magno poëta 4. Æneid.

Oceanum interea ſurgens Aurora reliquit.
It portis iubare exorto delecta iuuentus,
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro,
Maſſylique ruunt equites, & odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum expectant, oſtroque inſignis, & auro
Stat Sonipes, ac fræna ferox ſpumantia mandit,
Tandem progreditur, magna ſtipante cateruа
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo,
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum.
Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem?

Digitized by Google

PVNCTVM IX.

Attributa naturæ.

ALia dicuntur bona, vel mala corporis, Ætas, Forma, Vires, Valetudo. Naturam vocamus id quod perſonis ab ipſo ortu ingenitum eſt, ſiue ad agendum, aut non faciendū, vt procliuitas ad varias corporis affectiones. Itaq; ab illa fit, vt alij ſint ingenioſi, acuti nonnulli, cæteri tardiores dicantur; Item de reliquis laudatis, & illaudatis qualitatibus: vt alij ſint obliuioſi, bene-memores alij; iſti humani, & officioſi, patientes prudentes: illi vero imbecilli, valentes, longi, breues, inurbani, deformes, formoſi.

Ad illam reuocantur & natio, & patria, varijque diuerſarum gentium mores, quæ multiplicem argumentandi locum aperiunt. Ita Samios vocant morum indagatores curioſos: mendaces Cretas; veraces Perſas, Cappadocas, ſeruos: Gepidas, truces: Acarnanas, amabiles: auxiliares Archadas: Lacedæmonios, fures: Sicyonios, molles; Syracuſanos, adulatores: Megarenſes, fraudulentos: Athenienſes, fidos: Pœnos, perfidia nobiles: Chares: virtute bellica claros: Cumanos, inertes: Phryges, mancipia: Sardos, venales; Lydos, caupones; Sybaritas, voluptate perditos: Scythas ſolitarios: Choas, vagos: Siculos, dicaces: Abydenos, ſycophantas.

Italos cunctatores, ingenioſos, irriſores, faſtuoſos, vindictæ cupidos, ſi neceſſitas adigat, bellicoſos.

Hiſpanos, alienis menſis largiores, domi victu aſperiores, iactabundos, paupertate fortes, duros, agreſtes patienter conſtantes.

Gallos, femidos, attentos ad rem ſuam, mobiles, faciles, benignos, hoſpitales, prodigos, ſui negligentes, lautos, nimis audaces, bellicoſiſſimos, caue per imprudentiam temerarios dixeris. Quoties Cic. Græcos teſtes refellit ab innata illi genti vanitate, ac perfidia? Scaliger libro qui Idea inſcribitur, de variarum gentium geniis plura diſſerit. Aſianos luxui addictos facit; Europeos acres, campeſtres, molles, deſides, Montanos, aſperos: Maritimos, prædones, agreſtes: Indos, mobiles, ingenioſos, Magiæ cupidos ad inſaniam: Ægyptios, ignauos, molles, ſtupidos, pauidos.

Patriam natio continet quæ latiùs patet. Vt non modò regione, ſed vrbes ipſæ magnam præbeāt diſputandi materiam. Indè gloriatū ſunt Platonem, quòd eſſet Athenienſis potius, quàm Thebanus. In cōiectura dici poterit Acarnan eſt, ergo non crudelis, ſed amabilis, neq; tantum facinus, quantum eſt hominis cædes, perpetrarit.

Videndum porrò, vt tùm ætatibus, tùm conditionibus non indecori mores affingantur. Si multitudinis conſilia proponuntur, illam effinge ſtupidam, credulam, timidam, peruicacem, indocilem, ſui confidentem, ſuſpicacem contemptus, inuidam, fractam in aduerſis, impotentem in proſperis, ſubitæ pœnitudinis, lucis appetentem, ſatagentem aſſiduè, vt nihil agat, inconſtantem, variam ac multiplicem, ſeruientem, vt ne pareat.

Mulierem depingis? vide ſis quas illi affectiones addas. Facies infidam, leuem, ſimulatricem, ſuſpicacem, ſi potentia adiuncta ſit, intolerabilē nihil mediocre habentem, dicacem, loquacem, mendacem, ſuperſtitioſam ipſi dabit lacrymas, gemitus, veſtiū præ dolore ſciſſionem, vlulatum. Sin probā facis, duabus potiſſimum rebus adornabis, pudore nimirum & caſtimonia; ſedulitatē inſuper aſſignabis, anxiam dices, ſollicitam, ſolertem, domus & parcimoniæ peramantem.

Ætatum ſua quoque ſunt diſcrimina. Infantum penè eſt lallare tantum, & mammare: Luſus aliqui, ſed pueriles, qualis eſt equitare in arundine longa.

Adoleſcentia præceps eſt, & incitata potius, quàm magna voluens & ingentia, ſtatim appetit, & vehementer, illicò negligenda; iram, & animum in fronte geſtat: vlciſcitur, laude paſcitur, promendo potius, quàm condendo habilis, parùm ſuſpicax, abundè credula, ſibi ipſi lex, ſocietatis ſtudioſa, ſoluta in iocos verecundiæ obnoxia, vbi peccatum eſt, ſi benè-nata fuerit, & malè, ſemper frontem gerit impudentem.

Iuuenes feroces, audaces, violenti, faciles ad iram, promptæ voluntatis; & quoniam media eſt ætas, nonnihil à ſenibus, aliquid ab adoleſcentibus accipit.

Senes moroſi, rerum nouarum obtrectatores, laudatores temporis acti, parci, atque in futurum malum prouidentes, ſolliciti officiorum exactores, cauti & ſuſpicioſi, lenti ad perſuaſiones, ſua liberaliter prædicantes iuuenibus maximè: haud quaquam patiuntur anteferre cæteras ætates, ſuæ garruli interpellatores, mali aliquid vt plurimum ominantes, creduli, pertinaces.

Ex quibus notis ſæpè deſumuntur argumenta qualia Tull. non Philoſophiæ minus, quàm eloquentiæ Doctor acutiſſimus, cùm pro Deiotaro, probat eum non ſaltaſſe ſenem, qui puer grauiſſimus, & ſeueriſſimus fuerat, n. 26. *Quid deindè furcifer? quò progreditur? ait, hac lætitia Deiotarum elatum, vino ſe obruiſſe, in conuiuioque nudum ſaltaſſe, quæ crux huic fugitiuo poteſt ſatis ſupplicij afferre; Deiotarum ſaltantem quiſquam, aut ebrium vidit vnquam? omnes ſunt in illo Regiæ virtutes, quod te Cæſar ignorare non arbitror; ſed præcipuè ſingularis, & admiranda frugalitas, etſi hoc verbo ſcio laudare Reges non ſolere. Frugi hominem dici non multum habet laudis in Rege: fortem, iuſtum, ſeuerum, grauem, magnanimum, largum beneficum, liberalem, hæ ſunt Regiæ laudes: illa priuata eſt. Vt volet, quiſque accipiat: ego tamen frugalitatem, ideſt, modeſtiam, & temperantiam virtutem eſſe maximam iudico. Hæc in illo eſt ab ineunte ætate, tùm à cuncta Aſia, tùm à Magiſtratibus, legatisque noſtris, tùm ab Equitibus Rom. qui Aſia negotiati ſunt, perſpecta, & cognita.*

Pro Cœlio ignoſci poſtulat adoleſcentiæ, ætatique teneræ aliqua permittenda monet. n. 42. *Sit adoleſcentia liberior: non omnia voluptatibus denegentur: non ſemper ſuperet vera illa, & directa ratio: vincat aliquando cupiditas, voluptasq; rationem, dummodò illa in hoc genere præſcriptio, moderatioq; teneatur. parcat iuuentus pudicitiæ ſuæ, nè ſpoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne fœnore trucidetur, ne incurrat in alterius domum; atque famam: ne probrum caſtis, labem integris, infamiam bonis inferat: ne quem interimat: ne interſit inſidijs ſcelere careat: poſtremò, cùm paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum ætatis, atque ad inanes haſce adoleſcentiæ cupiditates, reuocet ſe aliquando ad curam rei domeſticæ, rei forenſis, Reip. vt ea quæ ratione antea non perſpexerat, ſatietate abieciſſe, experiendo contempſiſſe videatur.*

Pro lege Manil. multis Pompeium commendat qui penè puer tàm fortiter ſe geſſiſſet.

In Philippicis extollitur Octauius, qui vel in ipſa prima ætate ſit aſſequutus bellicas laudes, quas vix ad occaſum vitæ vergentes mereri potuerunt.

Pvnctvm X.

Adiuncta animi.

POſtremò ſunt ea quæ ad animi bona, vel mala ſpectant; nempe virtutes omnes, & ſcientiæ, vel artes, quarum alij plures, pauciores habent alij. Ariſtoteles Philoſophus. Tullius eloquens Orator. Archimedes Mathematicus. Contra mali habitus, vitia, Ira, Superbia, Crudelitas; Neque aliud crebrius eſt quàm ab his virtutibus argumenta deſumi. Hinc Demoſthenes Philippum arguit, non diu cum Athenienſibus pacem habiturum, quòd nimio ſuperbiæ faſtu, animiq; elatione intumeſceret, ac immenſa dominandi, cupiditate flagraret.

Cic. pro Mil. contendit longè veriſimilius eſſe, Clodium ſcelerate feciſſe, quàm Milonem quòd ille ſemper leges, & iura contempſiſſet & in nefandiſſimis quibuſque maleficijs exercitatus eſſet.

Studium quod appellare poſſumus aſſiduam, & vehementem ad rem aliquam animi, magna cum voluptate, occupationem, vt Dialecticæ, Rhetoricæ. Cœlium voluptatibus deditum non eſſe arguit Cic. quòd eſſet litterarum ſtudioſus. Num. 45.

Caſtorem à crudelitate in odium adducit, qui tàm infauſtis inauxpicatiſque auibus adoleſcentiæ primordia duxerit pro Deiotaro n. 2. *Crudelis Caſtor, ne dicam ſceleratum, & impium, qui nepos auum in diſcrimẽ capitis adduxerit, adoleſcentiæque ſuæ terrorem intulerit ei, cuius ſenectutem tueri, & tegere debebat: commendationem iuuentis ætatis ab impietate, & ſcelere duxerit; aut ſeruum corruptum præmijs, ad accuſandum dominum impulerit, & à legatorum pedibus abduxerit.*

Ita Theſeus nefarium filij facinus, quod verum credebat, multis damnat, & ſeipſum ad

iram

Digitized by Google

iram vehementer conatur excitare,grauioribus verbis, quibus in adoleſcentis integri mores,& victum inuehitur.

—— Syluarum incola
Ille efferatus,caſtus, intactus, rudis
Mihi te reſeruas, à meo primùm thoro
Et ſcelere tanto placuit ordiri virum?

Conſilium quod appello diligentem, & conſideratam rei faciendæ vel omittendæ rationem; cùm quærimus , quid temerè , quid conſultò, quid prudenter gerat.

Sequuntur facta conſiliis potiora , ex quibus affectiones,habitus, facultates,& id genus alia, non incommodè cognoſci poſſunt. Illa præterita dicuntur quædam, alia præſentia, nonnunquam futura.Sic præterita Pompeij geſta dixerunt enim ſummo aduerſus Mythridatem imperio dignum : Milonem eadem abſoluebant, Clodium condemnabant.

Caſus à fortuna diſtinctus ; quod in caſibus humanis illa dumtaxat poſita ; illis verò ex omnibus quæ inſperatò, aut præter conſilium, ſiue proſpera contingant,ſiue aduerſa.Ita caſus fuit, cùm Coruus ad Valerij Coruini galeam inuolans. Gallum aduerſarium ita perturbauit , vt necis cauſam afferret. Caſus quod Epirotarum Regi Pyrrho iter facienti tegula de ſummo à muliere proiecta eſt, ex quo laus , aut vituperium.

Alexandro portenderunt magnitudinem Philippi parentis ſomnia , ominaque , cum ex Olympiadis coniugis ſuæ ſinu puerum erumpentem præſumpſit in ſomnis , pendente ad pectus bulla leonis effigie conſignata. Scipioni Africona maieſtatem quandam ille draco prægrandis matris thorum ingreſſus. Herculi robur inuictum cæſi in cunis Angues.Diuo Ambroſio (ſi miſcere licet profanis ſacra) facundiam Apiculæ in infantis pueruli labellis ceſſitantes.

Dicta cognitionem etiam adferunt aliquam, & rei dubiæ certitudinem addunt. Nam qualis Oratio, talis eſt & vir. Varia quidem illa,familiaris, elaborata, priuata, publica,ſeria ridicula, libera,coacta. Tull.è Fauonij dicto in Clodium hanc fecit argumentationem.Pro Mil. num.45. *Vox ex Fauonio audiſtis,viuo Clodio,periturum Milonem , triduò poſt tertium diem geſta res eſt, quàm dixerat. Cùm ille non dubitaret aperire, quod cogitaret,vos poteſtis dubitare,quid fecerit?*

Item è voce publica. *Res erat minimè obſcura. Etenim palam dictitabatur , Conſulatum Miloni eripi non poſſe , vitam poſſe.*

PVNCTVM XI.

Canones.

TAlia ſunt rei alicuius adiuncta , qualis eſt ipſa res,ſi bona ſint laudanda, ſi mala vituperanda , eadem attributa rei conuenient ; cuiuſmodi tam multa ſunt exempla , quàm multæ ſint laudationes, aut vituperationes, ab adiunctis animi potiſſimum,hoc eſt vitiis,aut virtutibus, nonnunquam etiam corporis. Æn. 9. Troianos Numanus à veſtitu ridet.

Et Tunicæ manicas,& habent redimicula mitræ.

Breuis ſed acutus Matt.qui diſticho penè totam Cheræ formam informem complexus eſt, vt ei non longè diſſimilem lib. 12.ep.44.

Crine ruber,niger ore,breuis pede lumine læſus.
Rem magnam præſtas Zoile,ſi bonus es.

Quibus verbis probat vultum eſſe mentis indicem , lineamenta corporis , eſſe argumenta animi, proindè liberalem, & honeſtam faciem , liberalem & honeſtum arguere animum.

Comœdum defendit Tull. non aliundiè , quàm ex aduinctis , quibus Cheræam fraudulentum probat , ab eoque deceptum Roſcium, num. 20. *Verumtamen quem fraudarit videamus. C. Fannium Cheræam Roſcius fraudauit.Oro atque obſecro vos , qui noſtris , vitam inter ſe vtriuſque conferte : qui non noſtis faciem vtrumque conſiderate : Nonne ipſum caput , & ſupercilia illa penitus abraſa , olere malitiam , & clamitare calliditatem videntur ? nonne ab imis vnguibus vſque ad verticem ſummum ? Si quam coniecturam affert hominibus tacita corporis figura,ex fraude, fallaciis mendaciis conſtare totus videtur ? qui idcirco capite, & ſuperciliis ſemper eſt raſis, ne vllum pilum viri boni habere dicatur.Cuius perſonā praclare Roſcius in ſcena tractare conſueuit:neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur.Nam Bambalionem illum impronbiſſimum & periuriſſimum lenonem cùm agit , agit Che-*

ream,perſona illa lutulenta,impura, inuiſa in huius moribus natura vitaque eſt expreſſa.

In quo ſunt adiuncta rei alicuius, in eum ſimiliter cadere poteſt facti ſuſpicio; & contra. argumenti genus maiorem in negando, quàm in affirmando vim habet; quòd in aliquo reperiri poſſint facti alicuius adiuncta, à quo tamen factum ipſum abſit; vix autem ab aliquo quidpiam factum eſt, in quo non deprehendantur plura,vel pauciora facti adiuncta.

PVNCTVM XII.

Vſus.

VTimur adiunctis ad faciendam fidem modò per negationem, modò per affirmationem,in ſtatu coniecturali potiſſimum,ab adiunctis loci,temporis, perſonarum, non à Milone Clodio,ſed à Clodio Miloni paratas fuiſſe inſidias probat Cic,

A geſtibus,& vultu indicium ſceleris arguitur 3.in Catil.13. *Ac mihi quidem Quir.cùm illa certiſſima ſunt viſa argumenta,atque indicia ſceleris, tabella ſigna,manus denique vniuſcuiuſq; confeſſio: tùm multò illa certiora,color,oculi, vultus,taciturnitas ſic enim obſtupuerant,ſic terram intuebantur, ſic furtim nunnunquam adſpiciebant, vt non iam ab alijs indicari,ſed ipſi à ſe viderentur.*

Ad exaggerandum valent Adiuncta; quàm multis amplificat Gauij crudele ſupplicium ex hoc loco Tull. Verrina Septima à num. 157.& deinceps? *Nam quid ego de P. Gauio Coſſano municipe dicam?aut qua vi vocis, qua grauitate verborum,quo dolore animi dicam?&c.*

Ad minuendum: extenuatur vis coniuratorũ 2.in Catil.à n. 5. *Itaque ego illum exercitum ex Gallicanis legionibus, & hoc delectu quem in agro Piceno Metellus habuit, & his copijs,quæ à nobis quotidie cõparantur,magnopere contemno,collectum ex ſenibus deſperatis,ex agreſti luxuria,ex ruſticis mendiculis ex decoctoribus: ex ijs qui vadimonia deſerere,quàm illum exercitum maluerunt:quibus ego non modò ſi aciem exercitus noſtri,verùm etiam ſi edictum Prætoris oſtendero, concident. Hos, quos video volitare in foro, quos ſtare ad curiam,quos etiam in Senatum venire: qui nitent vnguentis, qui fulgent purpura, ſecum ſuos milites eduxiſſet, &c.*

PVNCTVM XIII.

Narrat.

AD exponendum & narrandum. Informis enim, ac penè mortua erit Oratio, niſi ab adiunctis, & formam & animum ſumat. Cleomenem Siciliæque Nauarchos multis adiunctis à Verre grauibus pœnis malè-multatos eſſe narrat Tull.à n.104. Et Seruilium Ciuem Rom. exquiſitis ſupplicijs affectum arguit eadem orat. n.139. *Virgis quàm multos occiderit quid ego commemorem?tantùm breuiſſimè dico,nullum fuit omnino iſto Prætore,in hoc genere diſcrimen. Itaque iam conſuetudine ad corpora ciuium Rom.etiam ſine iſtius nutu ferebatur manus ipſa lictoris. Num potes hoc negare,in foro Lilybæi, maximo conuentu Seruilium ciuem Rom. in conuentu Panormitano, veterem negotiatorem,ad tribunal,ante pedes tuos, ad terram virgis, & verberibus abiectum? &c.*

PVNCTVM XIV.

Laudat.

AD laudandum, & vituperandum: Nam cùm omnis laus, & vituperium ex tribus generibus bonorum, aut malorum oriatur, bona autem, & mala ſint in adiunctis fatendum eſt huius loci fœcunditatem eſſe maximam.Suadet bellum à perſona Rom. qui ſemper appetentes gloriæ fuerunt. Cic. pro lege Man.n.7.

Bellum ſuadetur in Antonium ab ipſius perſona,contra quem eſt habita oratio 3. n. 28. ad 32. *Hodierno die primùm longo interuallo in poſſeſſionem libertatis pedẽ ponimus:cuius quidẽ ego quoadpotui,non modò defenſor ſed etiã conſeruator fui, cùm autẽ id facere non poſſẽ,qui fui?ne abiectè, nec ſine aliqua dignitate caſũ illũ temporum, & dolorẽ tuli. Hanc ego teterrimã belluã,quis ferre poſſet*

aut

Digitized by Google

ant quomodo? quid eſt in Antonio præter libidinem, crudelitatem, petulantiã, audaciam? ex his totus cõglutinatus eſt. Nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum. Quapropter, quoniam res in id diſcrimen adducta eſt, vtrũ ille pœnas Reip. luat, an nos ſeruiamus: aliquãdo per Deos immort. patrium animum, virtutemque capiamus, vt aut libertatem propriam Rom. generis, & nominis recuperemus: aut mortem ſeruituti anteponamus. Multa quæ in libera ciuitate ferenda non eſſent, tulimus, & perpeſſi ſumus: alij ſpe recuperandæ libertatis, alij viuendi nimia cupiditate. Sed ſi illa tulimus: etiámne huius impuri latronis feremus teterrimum crudeliſſimumque dominatum?

Pvnctvm XV.

Ornat.

Frequens eſt vſus per negationem extra argumentum ornandæ orationis cauſa tantum. Sit hæc idea: Quem igitur eum eſſe arbitramini, ſtudioſum honeſtatis? nihil non modò in vita, ſed ne quidem in eius morte ab ſumma turpitudine alienum reperiri poteſt. Diligentem ac ſtrenuum Imperatorem? cuius omnia ſtudia in meritricios cultus potius, quàm in aptam totius exercitus collocationem conferebantur. Manſuetum hominem? nihil minus. Fortem ne id quidem. Temperantem? repugnant eius crebræ compotationes, crapulæ, libidines, aleæ, ludi. Qualem igitur fuiſſe ſtatuemus? turpiſſimum, ignauiſſimum, timidiſſimum, omni ſcelere flagitioque contaminatiſſimum.

Pvnctvm XVI.

Deſcribit.

Maximè vtimur hoc loco in definitionibus & deſcriptionibus concinnandis; nam vix dicenti applauditur, qui non inſigni aliqua deſcriptione Orationem ſuam illuſtrarit. Ab adiunctis fortunæ, corporis, animi deſcribuntur ſocij Catil. 2. orat. num. 10. *Nihil cogitant niſi cædes, niſi incendia, niſi rapinas, patrimonia ſua profuderunt: fortunas ſuas obligurierunt: res eos iampridem, fides deficere nuper cœpit. Qui mihi accubantes in conuiuiis, vino lãguidi, confecti cibo, ſertis redimiti, vnguentis obliti, debilitati ſtupris, eructant ſermonibus ſuis cædem bonorum.*

Et num. 8. & ſeq. *Quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut benè barbatos videtis: manicatis, & talaribus tunicis, velis amictos non togis. In his gregibus omnes aleatores, omnes impuri impudiciq; verſatur, hi pueri tàm lepidi, ac delicati, non ſolum amare, & amari, neque cantare, & pſallere, ſed etiam ſicas vibrare, & ſpargere venena didicerunt.*

Theodoricum ex adiunctis deſcribit Sidonius Apoll. lib, 1. epiſt. 1. cuius ſtylus etſi non admodum placet, res ipſa tamen ac Theodorici deſcriptio non placere non poteſt. Sic orditur. *Si forma quæratur corpore exſucco longiſſimis breuior, procerior eminentiorque mediocribus. Capitis apex rotundus, in quo paululum à planicie frontis in verticem Cæſaries refuga criſpatur. Ceruix non ſedet neruis: geminos orbes hiſpidus ſupercilium coronat arcus. ſi verò cilia flectantur ad malas medias palpebrarum margo propè peruenit aurium legulæ, ſicut mos eſt, crinium ſuperiacentium flagellis operiuntur; naſus venuſtiſſimè incuruus; lata ſubtilia, nec declicatis oris angulis ampliata, pilis intra narium antra fruti cantibus, quotidiana ſucciſio: barba concauis hirta temporibus, quam in ſubdita vultus parte ſurgentem ſtirpitus tonſor aſſiduus genas aduſq; forcipibus auellit. Menti, gutturis, colli non obeſi, ſed ſucculenti, lactea cutis, quæ propius inſpecta iuuenili rubore ſuffunditur. Namque hunc illi crebro, non ira ſed verecundia facit, Teretes humeri, validi lacerti, dura brachia, patula manus: recedente aluo pectus accedens: aream dorſi humilior inter excrementa coſtarum ſpina diſcriminat: Tuberoſum eſt vtrumque muſculis prominentibus latus. Inſuccinctis regnat vigor ilibus: corneum fœmur, internodia poplitum bene-maſcula: maximus in minimè rugoſis genibus honor. Crura ſuris fulta surgentibus. & qui magna ſuſtentat membra pes modicus.*

* * *

Pvnctvm XVII.

Cautio.

HIC ſe maximè probare debet Oratoris diligentia; induſtria, prudentiaque, vt ſciat, eas rei circumſtantias eligere, quæ Orationi ſuæ fauere poſſint, illas omittere, vel refutare, vel obruere vi orationis; & copia quæ contra ſe facere videbuntur, aut ab aduerſario proferentur. Hæc autem ſunt potiſſima capita quibus oratio firmari poteſt. I. Videndum qua de re dicendum ſit, quæ perſonæ, quæ negotia gerantur, quid horum ſingula circumſtet: Et in perſonis quidem quærẽda ſunt tàm ea quæ in animo, & corpore locum habent, quàm quæ exterius adiacẽt. Si vir audax eſt, ac temerarius, ſi vitioſus & petulans, ſi leuis & inconſtans, ſi honeſtatis ſtudio addictus, ſuſpicio criminis admiſſi ab eo facilè remoueri poterit.

LECTIO XII.

Locus ab antecedentibus, & conſequentibus.

QVàm vtilis, & copioſus ſit iſte locus patet exemplo Calippi totam artem Rethoricæ penè ad hunc vnum reuocantis. Et certè plurimum valet in omni genere dicendi, cùm res etiam bonas conſequantur malæ, & malis adiunctæ ſint bonæ; vndè bonum conſequens ſuadere vel laudare, & defendere poſſumus, malum verò diſſuadere, vituperare, vel etiam accuſare.

Pvnctvm I.

Definitio. Diuiſio.

DEfinitionem huius loci tradere non eſt facilè quæ in adiuncta, cauſas, & effectus non incurrat: hinc Rodolphus Agricola, non tàm locum ab aliis diſtinctum, quàm argumentandi modum eſſe contendit: proindè non longam explicationem deſiderat, cùm in aliis iſtius argumenta tractentur, præſertim in locis cauſarum, & effectuum.

Dicuntur à Cicerone quæ cum re neceſſariò coherent, vt illa antecedant hæc conſequantur. Vulnus cordis mortem antecedit; prudentia virtutem; arma bellum: culpa, pœnam. Pœna verò culpam ſequitur, bellum arma: virtus prudentiam. In eo differunt ab adiunctis, quòd hæc non ſint certa rei ſigna, eamque non neceſſariò inferant.

Duplicia ſunt, temporis, & probationis, ſeu illationis. Illa quæ procedunt conſequentia tempore; vt genitus eſt aliquis. Ergo morietur. In quam rem Boëtius.

Conſtat æternâ, poſitumque lege eſt,
Vt conſtet genitum nihil.

Hæc verò quæ tempore conſequuntur. Horat. 2. Carm. cantu. 9.

Non ſemper imbres nimbus Hiſpidos,
Manant in agros: aut mare Caſpium.
Vexant inæquales procellæ.

Illationis argumenta dupliciter fiunt. I. Simpliciter, cùm ſcilicet nulla adhibetur ſimilitudo. Martialis Fabulam tacitè reprehendit, docetque Virgines commendari modeſtiâ, verecundiâque, quibus, dùm priuantur ornamentis, nullæ ſunt, l. 1. Epig. 29.

Bella es nouimus, & puella, verum eſt,
Et diues, quis enim poteſt negare?
Sed tùm te nimium Fabulla laudas;
Nec diues, neque bella, nec puella es.

II. Tractatur ſimilitudine, vbi ſcilicet vnâ illatione facta, quam refellere volumus, afferuntur aliæ ſimiles, quæ ridiculæ ſunt. Eleganter omninò Tull. Phil. 3. num. 14. Pulchrum eſt illud Martialis, & piperarum in Fidentinum, quem vt furem exagitat, quod alienos verſus ſuis inferret, vt alienos dentes ſuis Ægle puella, putida, edentula, quæ pulchritudiuem artificio quærebat, l. 1.

Noſtris verſibus eſſe te Poëtam,
Fidentine putas, cupiſq, credi.
Sic dentata tibi videtur Ægle.

Emptis

Emptis eſſibus, Indicoque cornu:
Sic qua nigrior eſt cadente moro,
Ceruſſata ſibi placet, Licoris.
Hàc & tu ratione, quâ Poëta es,
Calvus cùm fueris, eris comatus.

Pvnctvm II.

Canones

POſito antecedente, ſine quo conſequens eſſe non poteſt, ponitur conſequens, & viciſſim. Tale eſt illud Ciceronis pro Mur. quo probat ſaltatorem non fuiſſe Muræpam, quoniam ea in illo reprehendi non poſſunt, quæ ſaltationem neceſariò antecedunt, num. 13. *Nemo ferè ſaltat. ſobrius, niſi fortè inſanit: neque in ſolitudine, neque in convivio moderato, atque honeſto intempeſtivi convivij, amœni loci, multarum deliciarum comes eſt extrema ſaltatio. Tu mihi arripis id quod neceſſe eſt omnium vitiorum eſſe poſtremum: relinquis illa, quibus remotis, hoc vitium omninò eſſe non poteſt. Nullum turpe convivium, non amor, non comeſſatio, non libido, non ſumptus oſtenditur. Et, cùm ea non reperiantur, quæ voluptatis nomen habent, quæque vitioſa ſunt: in quo ipſa luxuriam reperire non potes, in eo te umbram luxuriæ reperturum putas?*

Si probabilis tantum ſit conſequutio, probabilis efficitur concluſio; flores edidit arbor, probabile eſt fructus hanc arborem habituram. Ex hoc pronunciato Cic. refellit eos qui ſuſceptum cum Antonio bellum, pacis nomine cælabant, 8. Philipp. num. 4 *Nolumus hoc bellum videri. Quam igitur municipiis, & coloniis ad excludendum Antonium auctoritatem damus? quam; ut milites fiant ſine vi, ſine tumultu, ſtudio, & voluntate? quam; ut pecunias in Remp. polliceantur? ſi enim belli nomen tolli tur, municipiorum ſtudia tolluntur; conſenſus populi Rom. qui jam decendit in cauſam, ſi nos lang eſcimus, debilitetur neceſſe eſt. Sed quid plura? D. Brutus oppugnetur. Non eſt bellum, Mutina obſidetur: ne hoc quidem bellum eſt! Gallia vaſtatur. Quæ poteſt pax eſſe certior, &c.*

Poſito conſequente, neceſſe eſt poni antecedens; redijt, igitur abierat. Eſt fructuum copia, fuit & florum; Rhetor igitur grammaticus. Quantus Rhetor, quàm terſus, quàm gravis, quàm jucundus, quàm pleno orationis flumnine exundans? Tu tamen vix homo trium litterarũ neſcio quid inverbo cavillaris, neſcio quid palato tuo nõ arridere dicis, nec vereris, qui Rhetor eximius ſit eum inficiari Grammaticum, quid? fundamenta non ille poſuit, qui Eloquentiæ ſacratio coronidem impoſuit? obolum non habeat, qui talenta largitur in populos?

Pvnctvm III.

Vſus.

IN omni cauſatum genere frequentiſſimus eſt, tùm negando, tum affirmando, in argumentatione tamen; nam extra, rarò niſi forte in deſini tionibus indè deſumptis. Tull. Clodium vacat, labem patriæ, flammam peſtemque Reipub. Servos Milonis cõſeruatores domini, vltores ſceleris, defenſores necis, Lentulum Deum ſalutis ſuæ, propugnatorem Senatus, patronum publici conſenſus, & his ſimiſilia, quorum eſt habenda copia, quòd Orationem exornent.

In argumento potens eſt hic uſus, & Oratori familiaris. Nonunquam ex multis antecedentibus elicitur una concluſio, fiat per negationem, ſeu per affirmationem, Sit hoc probandum Verrem omnia jura violaturum, nihil non temerè, nihil non nefariè facturum, Conſul renuncietur. Perfidus fuit Quæſtor, iniuſtus Prætor avatiſſimus Siciliæ Præfectus, ergo Conſul erit iniquiſſimus.

Qui Prætor Dolabella à populo Rom. datus, ſingulari perfidia Prætorem ſuum, hoceſt parẽtem, iniquiſſimè violarit, qui Prætor pupillos fortunis penitus everterit, non pro conſuetudine, & more populi Rom. non iure à maioribus tradito, ſed cupiditate, & avaritia incredibili ſuſtulerit, potiùs quàm dixerit. Qui Siciliæ Præfectus vrbes omnes compilaverit, ornamentis templa, frumentis agros, fortunis, exiſtimatione, vitâ Siculos multos ſpoliauerit. cum ſi Conſulatum adeptus fuerit, qualem futurum putatis? Modeſtum? repugnat natura, ad omne

Digitized by Google

facinus audaciamque promptiſſima. Continentem? non patitur antiqua cõſuetudo virum impudiciſſimum rationis limitibus contineri. Frugalem? qui fuerit libidinibus perditus. Non iniquum? qui quid æquitatis ſit, ne ſatis quidem intelligit; qui per vim adhuc omnia, nihil more, nihil inſtituto, nihil iure, nihil lege fecerit. An flagitioſiſſimum? potius, iniquiſſimum, audaciſſimum, omni ſcelere coinquinatiſſimum,

Aliàs multa ex uno inferuntur, quæ quidem inferendi ratio plurimum valet ad terrendum, 7. in Verrem num. 167. *Tolle hanc ſpem, tolle hoc. præſidium civibus Ro conſtitue nihil opit eſſe in hac voce,* CIVIS ROM: SVM: *poſſe impunè Prætorem, aut alium quemlibet, ſupplicium, quod velit in eum conſtituere, qui ſe civem Rom. eſſe dicat; quod quis ignoret: jam omnes Provincias, jam omnia regna, jam omnes liberas civitates, jam omnẽ orbem terrarum, qui ſemper noſtris hominibus maximè patuit, civibus Rom. iſta defenſione præcluſeris.*

Pro Flaco, num. 99. A conſequentibus malis deterret iudices monetque ne faveant accuſatoribus Flacci Reip. boni civis *Cum tabella vobis dabitur Iud. non de Flacco dabitur ſolum; dabitur de ducibus auctoribuſque conſervandæ ciuitatis; dabitur de omnibus bonis civibus: dabitur de vobiſmetipſis; dabitur de liberis veſtris, de vita, de patria, de ſalute communi. Non judicatis in hac cauſa de exteris nationibus, non de ſociis: de vobis, ac veſtra Rep. judicatis.*

Tota, 7. Philipp. cõtendit in ciuitate non admittendum eſſe Antonium falſa pacis ſpecie, ex his, quæ in civitate facturus fuiſſet,

Simili argumento & amplificatione probat privatum ſe non debuiſſe contra Tribunos pleb. armis contendere. Vbi recenſet incommoda quæ conſequuta fuiſſent, ſive boni, ſive improbi viciſſent, Pro Sextio num. 30. &c.

Aliàs per contraria cùm ex antecedente infertur conſequens, & abſurdum: & ſumitur rurſus aliquid contrarium conſequenti, ex quo infertur concluſio quæ priori antecedenti repugnat, 3. Phil. num. 14. *Quamobrem omnia mea ſententia, cõplectar vobis, ut intellego, nõ invitis ut & præſtantiſſimis ducibus à nobis detur auctoritas, & fortiſſimis militibus ſpes oſtendatur præmiorũ: & judicetur nõ verbo ſed re nõ modo nõ Cõſul, ſed etiam hoſtis Antonius. Nam ſi ille Conſul fuſtuarium meruerũt legiones, quæ Conſulẽ reliquerũt: ſceleratus Cæſar, Brutus nefarius, qui contra Conſulem privato conſilio exercitus comparaverunt. Sin autem militibus exquirendi ſunt honores novi, propter eorũ divinũ, atque immortale meritum, ducibus autem ne referri quidem poteſt gratia: quis eſt, qui eũ non hoſtem exiſtimet, quẽ qui armis perſequuntur, conſervatores Reip. judicantur.*

PVNCTVM IV.

Conciliat Odium

MVltum valet locus hic ad faciendũ odium. Poſtquam in Milon. pericula recenſuit, quæ Reip. cervicibus imminebant à Clodio ſuperſtite, quæ ſperãda ſint ex ejuſdem nece commemorat, ut illum ſummo dignum odio fuiſſe demonſtret, num. 78. *Mandate hoc memoriæ Iud. ſpero multa vos liberoſque veſtros in Rep. bona eſſe viſuros in his ſingulis ita ſemper exiſtimabitis, vivo P. Clodio, nihil horum vos viſuros fuiſſe. In ſpem maximam, & quemadmodũ confido veriſſimam adducti ſumus. Hunc ipſum annum hoc ſummo viro Conſule, concuſſa hominum licentia cupiditatibus fractis, legibus & judicijs conſtitutis, ſalutarem ciuitati fore. Num quis igitur eſt tam demens, qui hoc Clodio vivo contingere potuiſſe arbitretur? quid? ea quæ tenetis privata, atque veſtra, dominãte homine furioſo, quod jus perpetuæ poſſeſſionis habere potuiſſent?*

Cædes legatorum contra jus gentium, & bellum ſociis illatũ commemorat Tull. quod à calamitatibus ex hujus ſcelere in provinciam redundarant amplificat. In Piſon. 84. *Denſeletis, quæ natio ſemper obediens huic imperio, etiam in illa omnium barbarorum defectione Macedonica C. Sextium Prætorem tutata eſt, nefarium bellum, & crudele intuliſti: eiſque cũ fideliſſimis ſociis uti poſſes, hoſtibus uti acerrimis maluiſti. ita perpetuos defenſores Macedoniæ vexatores, ac perditores effeciſti: vectigalia noſtra perturbarũt urbe, ceperũt vaſtarũt agros ſocios noſtros in ſervitutem abduxerunt familias arripuerunt, pecus abegerunt, Theſſalonicenſes cùm oppido deſperaſſent, munire arcem coegerunt.*

PVNC

Digitized by Google

PVNCTVM V.

Mitigat Dolorem.

GRauiſſimis verbis populum Rom. ex hoc loco Craſſi immortalitate digni hominis obitū lugentē conſolatur Cic. 3. de Oratore, ſtatim ab exordio. *Fuit hoc luctuoſum ſuis, acerbū patriæ, graue bonis omnibus: ſed ij tamen Remp. caſus ſequuti ſunt, vt mihi non erepta Lucio Craſſo à Diis immort. vita, ſed donata mors eſſe videatur. Non vidit flagrantem bello Italiā, non ardentē inuidia Senatum, nō ſceleris nefarij Principes ciuitatis reos non luctū filiæ, non exilium generi, non acerbiſſimam C. Marij fugam, non illā poſt reditū eius cædem omnium crudeliſſimā, non denique in omni genere de formatam eam ciuitatem, in qua ipſe florentiſſima, multum omnibus gloria præſtitiſſet.*

PVNCTVM VI.

Confutat.

NOnnunquam ex aduerſariorum ſententia permulta inferūtur abſurda, quo in genere ſatis illuſtris eſt hæc Cic. Idea pro Plancio, n. 14. *Si quotieſcumque præteritus erit is, qui non debuerit præteriri, toties oportebit eum, qui factus erit, condemnari: nihil jam eſt quod populo ſupplicetur; nihil quod ſupplicatio magiſtratuum, renunciatio ſuffragiorum expectetur: ſimul vt qui ſint profeſſi, video quid dicam. Hic familia conſulari eſt, ille prætoria: reliquos video ex equeſtri loco: ſint omnes ſine macula, ſunt æquè noni viri, atque integri, ſed ſeruari neceſſe eſt gradum. Cedat cōſulari generi prætorium, nec contendat cum prætorio equeſter locus. Sublata ſunt ſtudia, extinctæ ſuffragationes, nullæ contētiones, nulla libertas populi in mādandis magiſtratibus, nulla expectatio ſuffragiorū: nihil, vt plerumq; euenit; præter opinionem accidet, nulla erit poſthac varietas comitiorū. Sin hoc perſæpè accidit, vt & facto aliquos, & non factos eſſe miremur: ſi campus, atque illa vnda comitiorū, vt mare profundum, & immenſum, ſic efferueſcunt quodā quaſi æſtu, vt ad alios accedant, ab aliis autem recedant, in tanto nos impetu ſtudiorum, & motu temeritatis, modum aliquem, & conſilium & rationem requiramus?*

PVNCTVM VII.

Permouet.

VAlet hæc amplificandi ratio plurimum vbicumque permovendi ſunt animi, ſed in deliberatiuo præcipuè cùm ſuadetur, aut diſſuadetur; nihil enim ad ſuadendum, aut dehortandum potentius, quàm ſi commoda, vel incommoda recenſeas, maximè ſi conglobentur, vt in peroratione fieri ſolet. Si bellum diſſuades, exhauſtum in milites ærarium, fractam diuturnis laboribus juuentutem, ferro, fame, frigore, peſtilentia exercitus eſſe deletos, populatas ſegetes, abacta pecora, incenſos paſſim vicos, & vrbes, euerſa mœnia, compilatas domos, direpta templa, parentes liberis orbatos, liberos parentibus, Virgines, Matronas Nobiles, Viduas indignè violatas, multa funera, multos luctus, multas lacrymas: præterea extinctas artes, oppreſſas leges, obliteratam religionem, confuſa diuina, humanaque iura omnia, corruptam ciuitatis diſcipiinam, & his ſimilia.

Ab antecedentibus rarior eſt amplificatio, quæ tamen eſſe poteſt aliqua; nimirum ſi hæc omnia prius ſubeunda dixeris, quàm fructum victoriæ, quis conſequi poſſit. Ita diſſuaderi potuit ne Ro. Senatus Carthaginem vellet euerti, cùm id fieri non potuerit, quin multa ante pericula terra marique ſubirentur, multus ſanguis funderetur, multæ dimicationes cum hoſtibus haberentur.

PVNCTVM VIII.

Deſcribit.

AD motum rem oculis ſubiicit; ſic cū morte proxima luctantem deſcribes. Coniicite ſi placet triſtes oculos in thorum funebrem, vndè præcipuos naſci luctus auditis. Solus ſpectari dignus eſt, qui ſpectare neminē amplius poteſt in lecto depoſitus. Ætate, niſi cani fallunt aciem penè centenarius eſt; pedes, marmore gelidiores, exiſtimo; manus certè niuem; vt colore,

Digitized by Google

ſic frigore nõ malè referunt; oculi frequenter in orbem conuerſi turbidiores apparent: vt extinctus eſt ille pupillarum vigor? vt naſus ipſe iam longior ſenſim acumẽ trahit, & pallorem? vt genarũ rubor abiit? vt labra contracta tremiſcunt? auditus non modò difficilis, vt olim, ſed propè nullus. Arteriæ, ſi bonus, illam examinaueris, tàm frigidum pulſum ſenties, quàm lapidis: vnicus ad cor ſuperat ſpiritus, & ille tàm lentus, vt ſummas vix fauces attingat, ac adiuncto iam ore eſt, vt cùm paulò violentius natura deficiens ſe commouerit, extremis iam labris illum emittat. En cernitis vt repentè ad gutturis anguſtias eruperit? vt paulatim ſingultiente, & luctante animo morti vicinus ſit? Age verò nega moriturum.

In negatione valent conſequentia. Sit hæc Idea. Cicero forti, ac inuicto animo mortem tulit, quia Siciliæ quæſtor, non auri, non cupiditatum blandiciis vinci ſe paſſus eſt: prætor nihil præter maiorum iura, legumque ſanctitatem facit non pecuniis vltrò numeratis, non amicorum precibus, non illuſtrium virorum auctoritate expugnari potuit: Conſul aperta vitæ diſcrimina ſæpius adire non metuit: Conſularis ſeditioſorum hominum calumnias non abiecto, non deſperato animo, ſed fortiter ac moderatè tulit.

Omnes dicendi lepores admittit, repetitiones, proſopopœias, aliaque lumina. Eum tu leuiſſimæ mortis acerbitatem timuiſſe putas, quem neque in Quæſtura Sicilienſi libido fregerit: nec in vrbana prætura poteſtas ſumma iuris patrij violandi pupillos fortunis euertendi, rei familiaris per fas & nefas augendæ data toties occaſio debilitauerit: neque potentiſſimorum hominum in Conſulatu grauiſſimæ inimicitiæ à Reip. ſalute procuranda detraxerint, non turpiſſima Conſularem exilij pœna, non atroces cum multis ſuſceptæ ſimultates, vel tantiſper ab officio reuocarint.

LECTIO XIII.

Locus à Cauſis,

LOcus hic noſtrâ commendatione non indiger, per ſe ſatis illuſtris; quia tamen vis eius plenior in res ipſas influit, ideò cognitionem eius vt vberrimam, ſic ad omnia comprobanda multum efficacem inueſtigare pluribus operæ pretium eſſe puto.

PVNCTVM I.

Definitio.

CIc. lib. de Fato, n. 34. definit, quæ id efficit, cuius eſt cauſa vulnus mortis, cruditas morbi: ignis ardoris. Hinc argumentatur pro Sylla, n. 48. vt probet non eſſe cur iraſcatur Torquatus quòd Syllam defendat. *Neque verò, quid mihi iraſcare intelligere poſſum, quod eum defendo, quem tu accuſas: cur tibi quoque non ſuccenſeo, qui accuſes eum, & amicum ego defendo meum. Non debes tamen quemquam in coniurationis quæſtione defendere. Imò nemo magis eum, de quo nihil eſt ſuſpicatus, quàm is, qui de aliis multa cogitauit. Cur dixiſti teſtimonium in alios? quia coactus. Cur damnati ſunt? quia creditum eſt. Regium eſt dicere in quem velis, ac defendere quem velis. Immò ſeruitus eſt, non dicere in quem velis, ac defendere quem velis. Ac, ſi conſiderare cœperis, vtrum magis mihi hoc neceſſe fuerit facere, an tibi: intelliges, honeſtius te inimicitiarum modum ſtatuere potuiſſe, quàm me humanitatis.*

Cauſarum verò multa ſunt genera ex Cic. Partic. n. 93. vnum earum quæ vi ſua faciũt id quod iis ſubiectum eſt vt ignis lignum accendit. In Carinum hinc agit Mart. 1. Epigramm.

Pulchrè vales Carinus, & tamen pallet.
Parcè bibit Carinus, & tamen pallet.
Benè concoquit Carinus, & tamen pallet.
Sole vritur Carinus, & tamen pallet.

Aliud earum quæ naturam efficiendi nõ habent, ſine quibus tamen effici res non poſſit, Tempus, Locus & id genus alia. Quietas vncamus, nihil agentes, & ſtolidas. Ex hoc Mart. lib. 2. in Cœlium.

Quòd fronte Cœlium nubila vides Ruſe,
Quòd ambulator Porticum terit ſerus,
Lugubre quidam quod tacet piger vultus.
Quòd penè terram indecens tangit Naſus,
Et dextrâ pectus pulſat, & comam vellit;
Non ille amici fata luget, aut fratris,

Vter

Vterque natus viuit,& precor viuat,
Salua eſt,& uxor,ſarcinaque,ſeruique,
Nihil colonus villicúſque decoxit,
Mœroris igitur cauſa quæ eſt? Domi cœnat.

Aliud cauſarum genus quæ percurſionem quandam adhibent ad efficiendum & aliquid afferūt per ſe adiumenti ; tametſi per ſe nihil efficiant. Eſt illud Ouidij in hanc rem,

Cur aliquid vidi? vidi cur noxia lumina feci?

Et lugendum hoc diuini Vatis Æn. 2.

Quos neque Tydides,nec Lariſſeus Achilles,
Non anni domuere decem,non mille Carinæ.

Tull. 1. de orat. n. 131. Cattam hortatur,& Sulpitium in perſona Craſſi,vt eloquentiæ ſtudeant & hoc à naturæ donis,quibus bene inſtructi sūt *Ego quod in vobis egregiam quandam ; ac praclaram indolem ad dicendum eſſe cognoui,idcirco hac expoſui omnia : nec magis ad eos deterrendos , qui non poſſent , quàm ad vos , qui poſſetis , exacuendos accommodaui Orationem meam. Et quanquam in vtroque veſtrum ſummam eſſe ingenii , ſtudiumque perſpexi, tamen hac,qua ſunt in ſpecie poſita,diuina ſunt. Ego enim neminem nec motus corporis, neque ipſo habitu, atque forma aptiorem,nec voce plenio rem,aut ſuauiorem mihi videor audiſſe.*

Pro Marcello n. 6. ab iiſdem cauſis per quinque diſſimilitudines, probat adeptum Cæſarem gloriam illuſtriorem parcendo inimicis , quàm multas gentes armis debellando.

Aliæ porrò cauſæ quæ nulla re iuuante aliquid efficiunt.Sol diem;Ignis calorem,Aſiæ ſunt quæ iuuari velint.Terra pluuiis,&ſole.Natura,ad valetudinem,& calorem.Sic in Olum Iuuenē videri volentem ludit Mart.quem irridet,dùm canos capillos nigro colore inficit , barbâ remanente canâ,quæ pingi non poterat.

Cana eſt barba tibi;nigra eſt coma:tingere barbā
Non potes,hac cauſa eſt ſed potes,Ole,comam.

Pari dente mordet,ridetque Lentinum,

Mentiris iuuenem tinctis,Lentine,capillis.
Tam ſubitò Coruus,qui modò Cygnus eras.

Cauſarum diuiſio.

Cauſa tandem eſt id ex quo,vel per quod, vel à quo,vel propter quod fit aliquid. Vnde quatuor cauſarum genera ſtatuit Ariſtoteles , quæ per ſe producunt effectum,vel adiuuant.Alia quæ mouet,finis:quæ mouetur efficiens;quæ fingit, forma ; quæ formam induit, materia. Et iſta rebus penè omnibus componendis præſunt.In palatio conſtruēdo finis commodam habitationē ſuadet; efficiens illud architectatur : forma deſignationem ipſam , ac deſcriptionem domus ſuggerit; Materia, lapides,ligna , cæmenta ſuppeditat. Ita Palatium erat illarum omnium effectus.

Pvnctvm II.

Materia.

Ariſtoteles illam finit, ex qua inexiſtente fit aliquid,itavt ipſa componat id, quod ex ea fit.Ex marmore;vel ære ſtatua,quod ſit intrinſecum ſtatuæ. Triplicem faciunt Oratores materiam ex qua,in qua, circa quam.

Materia ex qua duplex,vna qua remanente, & componente fit aliquid, vt domus ex lapidibus, & lignis , homo ex corpore & anima;in quibus Lapides,Ligna,Corpus,Anima,Materia, ſunt ex qua remanente,domus,homo,manent.

Altera tranſiens quæ mutatur,neque poſtrem factam manet,vt ex ligno pereunte fit ignis:Illa naturalis , & artificioſa componitur.Auro calix; homo corpore;lapidibus domus. Candelabrum materiam habebit aurum , & gemmas , quod ex illis conſtet. Tull. Verrem arguit, & furtum eius à materia multis amplificat, Act. 7. num. 64. *Candelabrum è gemmis clariſſimis , opere mirabili perfectum,&c.* Num. 62. *Non pauca pocula ex auro, quæ vt mos eſt regius , & maximè in Syria , gemmis erât diſtincta clariſſimis.Erat etiam vas vinarium ex vna gemma prægrandi,trulla excauata cum manubrio aureo.*

Ex hac materiæ dignitate,ac pretio commendantur munera Æneæ data 3 Æn.

Dona dehinc auro grauia,ſectóque Elephanto,
Imperat ad naues ferri.

Pvnctvm III.

Canones.

In argumentis à materia ex qua valent hæc dicta.Poſita materia poteſt ſequi effectus.ſi modo

do cætera non deſint: ſunt Lapides, Ligna, Cæmenta, poteſt igitur conſtrui domus.

Remota materia permanente, remouetur effectus. Non eſt aurum, Ergo nec ſunt vaſa aurea. Vnum hoc in quauis materia notandum ſcilicet proprietates quæ proueniunt à materia prædicari de effectu, vel quæ illi conueniunt: Remoueri item quæ vel illi repugnant, vel non conueniunt Ex terra homo factus eſt, igitur corruptioni obnoxius. Statua eſt ex auro, & gemmis, igitur magni pretij. Vaſa tantum habet fictilia, vilis ergo ſupellex eius eſt.

PVNCTVM IV.

Vſus

COpioſus & vtilis. Verr. 4. Sthenij neſcio cuius ſatis elegantem, & lautam ſuppellectilem commendat, vt iniqua Prætoris edicta ſubiiciat, ſummumque in odium ad populum adducat. n. 83 *Etenim Sthenius ab adoleſcentia ſtudioſius paulo haec comparârat, ſupellectilem ex aere elegantiorem, & Deliacam, & Corinthiam tabulas pictas etiam argenti benefacti, prout Thermiani hominis facultates ferebant. Quae poſteaquam ipſe abſtulit alia rogando alia poſcendo, alia ſumendo: ferebat Sthenius, vt poterat, angebatur tamen animi dolore neceſſario, quod domum eius exornatam atque inſtructam, ferè tam iſte reddiderat nudam, atque inanem.*

2. de Nat. Deorum ſyderum nobilitas aſſeritur ex materia n. 39 *Atque hac mundi diuinitate perfecta tribuenda eſt ſyderibus eadem diuinitas: quæ ex nobiliſſima, puriſſimaq; ætheris parte gignuntur, neque vlla præterea ſunt admiſta natura, totaq; ſunt calida, atque perlucida.*

Huc faciunt deſcriptiones à materia qualis eſt illa transformationum 2. Ouidij Regiam Solis, & currum eius pluribus commendantis. Et Vir. 6. Æn. Tartarum deſcribentis.

Porta aduerſa ingens, ſolidóque Adamãte colũnæ
Vis vt nulla virum, non ipſi exſcindere ferro
Cælicolæ valeant, ſtat ferrea turris ad auras.

Sic coronas quæ victoribus dabantur ex dignitate materiæ celebrare quiuis poteſt. Ignoſce fœcunda parens tellus, ſi cœca rimatus fuero viſcera, quamquam malè fortè cœca dicta ſunt. Ignoſce, quæ in mediis illis, vt appellant, tenebris nobilius propè, ac ſole ſplendidius metallum recondis. Sunt enim tibi quaſi ſtellæ albicãtis metalla cætera, Eſt argentum pro luna, Solem auro refers, niſi quod eum tantò ſuperas, quantò mortalium manibus aurum tritius eſt, quod qui aſpicit, neſcio quo affectus vinculo detinetur, vt ſingulari quadã cupiditate, ad illud deſiderandum alliciatur. Hoc porrò eſt metallum, hic ſplendor, qui ſolus Athletarum victricem comam, & cingere, & illuſtrare dignus ſit: ab eo r[illegible]ituantur dignitatem Reges, Vrbes arbitrium, Imperatores purpuram: ſi non lembis aureis, & bracteis intexatur eam & caput ipſum plebeium arbitrantur, quod ab auro pondus ſuum, maieſtatemque non acceperit.

PVNCTVM V.

Materia in qua.

SVbiectum formæ & accidentis, vt paries albedinis quòd is color in pariete recipiatur; animus hominis ſcientiæ, quòd in animo recipiatur, ſic ijs de quibus benè meremur liberalitatis materia. Prudenter Oenone monet. Ouid.

Quid facis Oenone, quid arenæ ſemina mandas?
Non profuturis littora bobus aras.

Sublato ſubiecto quæ inhærebant accidentia, tolluntur, & viciſſim. Paries non eſt, ergo nec albus. Ignis eſt, igitur calidus. Cùm autem circa materiam aliquid verſatur, quoties illa ramouetur, & ſubiectum; vt egregiè rogatus Anacharſis, num in Sicilia eſſent ebrij, ne quidẽ vites ait. Ita dici poteſt, in cœlo nullæ ſunt ærumnæ, nulli labores, non morbi, non egeſtas: Inde ſequitur nullum ibi patientiæ locum.

PVNCTVM VI.

Materia circa quam.

CIrca quam varij actus, aut habitus, vel facultates verſantur. Rhetoricæ materia res omnis:

Digitized by Google

nis virtutes, laudis: Oculorum & aurium obiecta videntur, aut audiuntur materia ſunt; voluntatis bonum; Intellectus id, quod intelligi poteſt. Hãc Mart. bellè expreſſit Baſſum Poëtam illaudatum carpens lib. 5.

Colchida quid ſcribis, quid ſcribis amice Thyeſtē?
Quid tibi vel Niobe, Baſſe, vel Andromache?
Materia eſt mihi crede tuis aptiſſima chartis,
Deucalion, vel, ſi non placet hic, Phaeton.

Cic. pro Mil. n. 36. *Quid vultis amplius? quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem, ac materiem gloriæ ſuæ, præter hoc ciuile odium, quo omnes improbos odimus? Illo erat vt odiſſet primum defenſorem ſalutis meæ; deinde vexatorem furoris, domitorem armorum ſuorum: poſtremò etiam accuſatorem ſuũ.*

PVNCTVM VII.

Vſus.

CAuſâ materiali ſæpius vti ſolebat Orator, ſed in diuinatione maximè contra Cæciliũ, quem probat imparem huic cauſæ, ob ea, circa quæ hæc accuſatio verſatur n. 45.

Pro Mur. verò concludit viliorem eſſe Iuriſprudentiam Eloquentia, ex materia circa quam illa occupatur n. 25. *Primum dignitas in tam tenui ſcientia quæ eſſe poteſt? res enim ſunt paruæ, propè in ſingulis literis, atq; interpunctionibus verborũ occupatæ.* Vbi multa ſubiicit de Iuriſconſultorum formulis, vt illam iuris ſcientiam eleuet.

Prima in Verrem grauitatẽ amplificat iudicij quod de Verre cœptum erat ab ipſius perſona; grandi & incitatâ dicendi ratione n. 9.

Valet ad hortandum, & dehortandum, extollendum, aut eleuandum; ſiue materiam ſpectes, circa quam aliquid verſari dicitur, quales ſunt actiones virtutum, quæ à Philoſophis vulgò nominatur obiecta. Hinc Prudẽtia meritò cæteris anteſertur, quòd in veri veſtigatione poſita ſit. Auaritiam pulchrè vituperat Plinius, dum oſtẽdit quæ tantò in pretio mortalibus ſunt, nihil aliud eſſe, quàm terram croceam, vel candidam. Hinc delicias accuſabis vnguẽtorum, quod plerũque ſunt murium, aut aliorum animalium excrementa: veſtium quod vermium purgamenta ſunt, & exuuiæ pecudum: Ebur dens Elephantorum, margaritæ ſpumæ concharum; ſuccinum, electorum, & id genus, multa, nihil niſi lacrymæ arborum,

Ex hoc loco Panurgum potius Roſcij, quàm Fannij fuiſſe contendit Cic. num. 28. *Panurgum tu Saturi, proprium Fannij dicis fuiſſe. At ego totũ Roſcij fuiſſe contendo. Quid erat enim Fannij? corpus. Quid Roſcij? diſciplina, facies non erat: ars erat pretioſa.*

PVNCTVM VIII.

De Forma.

DEfinitur ratio rei, & nota, per quam res eſt: atque illa triplex conſtitui ſolet. Eſſentialis vna; vt hominis forma eſt anima rationis particeps, per quam conſtituitur talis, non per efficiẽtem, aut finalem, neque per materiam, quæ eſt ex ſe indifferẽs, multarumque formarum capax. Non hanc prætermiſit Cic. ſed ab ea mortem nõ timendam ſibi, potius oppetendã fortiter, quam cedendum improbis ciuibus probat idque per Expolitionem egregiam. Pro Sext. n. 47. *An mihi ipſi, vt quidam putant, fuit mors æquo animo oppetenda? quid? tum mortemne fugiebam? an erat res vlla, quam mihi magis optandam putarem? tam erat rudis? tam ignarus rerum, tam expers conſilij, aut ingenij? nihil audieram? nihil videram? nihil ipſe legendo, quærendoque cognoueram? neſciebam vitæ breuem eſſe curſum, gloriæ ſempiternum? cùm eſſet omnibus definita mors, optandum eſſe vt vita, quæ neceſſitati deberetur, patriæ donata, quam reſeruata naturæ videretur? Neſciebam inter ſapientiſſimos homines hanc contentionem fuiſſe, vt alij dicerent animos hominum, ſenſuſque morte reſtingui; alij autem tum maximè mentes ſapientum, ac fortium virorum, cùm e corpore exceſſiſſent, ſentire ac vigere? quorum alterum, fugiendum non eſſe carere ſenſu; alterum, & iam optandum, meliore eſſe ſenſu.*

Viderunt Poëtæ veteres. Pythagoras quidem apud Ouid. 15. Metam. ex immortalitate animi fortiter mortem contemnendam eſſe confirmat.

O genus attonitum gelidæ formidine mortis!
Quid ſtyga? quid tenebras? quid nomina vana
timetis?

Morte

Morte carent animæ, ſemperque priore relicta.
Sede, nouis domibus viuunt, habitantq́; receptæ.

De Iunone ſubirata Virg. 1. Æneid.

—— Tantane animis cæleſtibus iræ

Ab animo accipit commendationem aut vituperationem: Poëta Latinus Satyr. 3. commendat homines ab animo, hoc eſt à forma.

—— ſeparat hæc nos
A grege mutorum, atque adeò venerabile ſoli
Sortiti ingenium, diuinorumque capaces.

Multò etiam auguſtius eoſdem commendat ingenioſus vates Manilius lib. 2.

Quis dubitet poſthac hominem coniungere cælo?
Eximiam natura dedit linguamque, capaxque
Ingenium, volucrēque animum, quem denique in
vnum
Deſcēdit Deus, atque habitat, ipsūque requirit.

Omnium auguſtiſſimè ſuo nomine dignus Triſmegiſtus cap. 11, *Dic animæ tuæ illo abire, & dicto citius ibit. Præcipe Oceanum tranare; celerrimè illic erit, non vt è loco in locum delata; ſed vt ibi iam exiſtens Iube in cælum euolet; alis non egebit, neque vllum ei obſtaculum, non ſolis ardor, non æther, non cæli volutatio, non corpora aſtrorum, quin omnia peruadens ad extremam naturam peruolet, imò & extra eam, ſi quid intueri tibi licet extra.*

Saluſtius in proœmio coniurationis diſcrimē aſſignat, quod homines inter & belluas intercedit, his verbis expreſſum. Omnes homines qui ſe ſtudent præſtare cæteris animalibus, ſumma ope niti licet, ne vitam ſilentio tranſigant, veluti pecora, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit.

Accidentalis altera, quæ ad naturam rei non pertinet ſine qua etiam res perfecta poteſt intelligi, licet naturā, ſæpè conſequatur. Ita ridendi facultas accedit homini, albedo parieti, ſine quibus tùm homo, tùm paries intelligi poſſunt. Intrinſecam faciunt aliqui & inhærentem, quam dicunt ſapientiam, per quam ſapiens conſtituitur; extrinſecam, & adiacentem, veſtem ſcilicet, per quam veſtitus quis dicitur.

Tertia eſt artificialis, & externa, quæ eſt a barte, atque vt plurimum in figura, & partium inter ſe ordine, ac diſpoſitione poſita. Forma domus, nauis Primò de legib. 59. qui ſe ipſe norit, primùm aliquid ſentiet ſe habere diuinum, ingeniumque, in ſe ſuum ſicut ſimulacrum aliquod dedicatum putauit, tantóque munere Deorum ſemper aliquid dignum faciet & ſentiet.

PVNCTVM IX.

Canones.

CÆterum in hoc genere cauſæ valent hæc pronunciata: Poſita cauſa formali, ponitur effectus ſublata tollitur. Nix albedinem habet, ergo alba eſt. Calorem non habet, nec calida eſt Simia rationis participem animam non habet. Ergo non eſt homo.

Quæ formæ conueniunt effectibus accommodantur; remouētur autem ab iiſdem, quæ formæ non congruunt; vt ſi diuitiæ non ſunt optimum bonum, diuitem eſſe non eſt optimum. Si ſapientia maximum bonum eſt, ſapientem eſſe ſummè bonū eſt. Arguit Tull. voluptatibus homini nefas eſſe operam dare, quod ingenio excellenti eſſet. 1. Off. 106. *Si conſiderare velimus quæ ſit in hominis natura excellentia, & dignitas, intelligemus quàm ſit turpe diffluere mollitie, & delicatè ac molliter viuere, quamque honeſtum ſit parcè, continenter ſeuerè, ſobriè*

PVNCTVM. X.

Vſus.

LIcet argumentum à forma plerumque debile ſit, & infirmum, extra argumentum tamen in vſu eſſe poteſt, tum in rerum deſcriptionibus, tùm in amplificationibus; paſſim apud Cic. Verrina Sexta deſcribitur Dianæ ſtatua Segeſtæ poſita ab Africano, quam Verrem ſacrilegum abſtuliſſe docet n. 72. *Fuit apud ſegeſtanos, ex ære Dianæ ſimulacrum tum ſumma, atque antiquiſſima præditū religione, tum ſingulari opere artificioq; perfectū. Hæc erat poſita Segeſtæ, ſanè excelſa in baſi, in qua grandibus literis P. Africani nomē erat inciſū. Erat admodū amplum, & excelſum ſignū cū ſtola: verūtamē inerat in illa magnitudine ætas, atq; habitus.*

Digitized by Google

bitus Virginalis; ſagitta pendebant ab humero: ſiniſtra manu retinebat arcum: dextra ardentem facē præferebat. Hanc cùm iſte ſacrorum omniū hoſtis, religionumque prædo vidiſſet: quaſi illa ipſa face percuſſus eſſet, ita flagrare cupiditate, atque amentia cœpit: imperat magiſtratibus ipſe, vt eam demoliantur, & ſibi dent: nihil ſibi gratius oſtendit futurum.

Hæc formam illius ſtatuæ commendant, iſta etiam materiam candelabri num. 64. *Etenim erat eo ſplēdore, qui eſt clariſſimus ex pluribus gēmis eſſe debebat, ea varietate operū, vt ars certare videretur cū copia: ea magnitudine, vt intelligi poſſet, nō ad hominum apparatum, ſed ampliſſimi templi ornamentum eſſe factum.*

Ad Oratoris imitationem commendari poteſt horologium à forma. Mirari contigit aliquando multa quæ prodiga naturæ liberalitas orbi dare ſolet vniuerſo, quæ cum materiæ nobilitate plurimum ſplendeant, illuſtrem tamen quandam eiuſdem naturæ parentis formam induſtriâ excogitatam, & artificio mirabili elaboratam præ ſe ferant. Atq; mihi quidem in Viridarium aliquod ingredienti, & ornatiſſimū naturæ intertextum acu tapetem curioſiùs inſpicienti, rident vndiq;, protinus omnia, ſeu roſarum gratum ruborem contemplor auidè, ſiue liliorum candorem admiror ſuauiſſimè, ſiue purpuram hyacinthi ſortem ſuam dolentis inſpicio, ſiue iucundam aliorum florum varietatem laudo, perfectius nihil, aut elegantius iis operibus affirmo reperiri poſſe, quæ à tam docta naturæ artificis manu prodierint. Tamen poſt quam, ad eam, quam vulgo naturæ ancillam dicimus, artem, oculos, & animum refero, hærere mihi ſuſpenſus animo videor, cui potiſſimum artificij palmam naturæ magiſtræ, an diſcipulæ arti, adſcribam. Qui hanc illi ſubiecerunt, non viderant opinor exiguam hanc machinam, quæ vel ſuperos in admirationem aliquando rapuit, tàm vario rotarum diſcurſu mirabilē, quæ quidquid amplexu ſuo cœlorum orbes immenſi continent, effingere ſola poteſt.

Memoriæ proditum eſt ac literis, datum eſſe quondam ab Archimede Imperatori Romano Horologium eâ fabricâ tàm excellenti, vt in eo, mirum dictu, viſuque minutiſſima quæque ſydera, in ſuo quaſi defixa cælo cernerentur, vbi & quotidianum à primo mobili curſum rapta perficiebant, aceruatim nec ſtellæ omnes ſeptem orbibus à ſe diſtinctis proprium cuiq; motum æquali proportione abſoluerent, in quarum meditullio cæterorum princeps aſtrorum Sol, & proprio motu annum, & alieno diem referebat, quo longè inferior Luna breuiorem annum, hoc eſt menſem à principe Cælo conuerſa reddebat.

Sed & habuit iſtud admiratione longè digniſſimum, non materiæ dumtaxat pretio, ſed formæ verius dignitate mobilis machina, vt horas ſolis, cœlique filias ſingulari proportione diſpenſatas, ita mutuò innexis inter ſe rotulis ad ſummum decem, vt in partes duodecim ſolarem diem perfectiſſimè diuiderent, perpetua quadam motus continuatione, quàm appenſa è finibus gemina pondere promouerent, quibus quaſi anima artificioſo illi corpori tribueretur: vt quod eſt ſoli in immenſo illo ambitu, vel Angelus, aut forma commouens, id appenſus lapis Horologio eſſet. Nec vnas tantum horas, ſed & Quadrantes horarū ipſos æquabilitate mirabili diſtribuebat, eoſq; ex ſuperpoſito ære campano, quod malleolis percuteretur vniuerſæ totius ciuitatis plebi canora veluti voce annuntiabat, vt ingens ciuibus inde commodum oriretur, qui nullo ferè opere diſcurſiones omnes aſtrorum, atque adeò ipſius ſolis conuerſiones, & ad occaſum acceſſus, noſſent. Quis autem attentiori paulò cogitatione defixus, & intentis in eiuſmodi machinam oculis, nō ipſam naturam damnet, artem non commendet, aut exhibeat aliquid à natura, quod non dicam Horologio præferri, ſed cum eo iure conferri poſſit.

Pvnctvm XI.

Cauſa efficiens.

Qvâ aliquid eſt, ſeu principium vnde actio proficiſcitur. Multiplex eſt: procreans. Vt Deus, parentes, artifices. Hinc auget Cæſaris facinus Romanum ærarium exhaurientis Lucanus vates ingenio, & afflatu nobilis.

Fruitur templis multis intactus ab annis
Romani cenſus populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perſes, quem victi præda Philippi,

Q *quod*

Quod tibi Roma fuga Pyrrhus trepidãte reliquit,
Quo te Fabricius Regi non vendidit auro.

Alia conſeruans, à qua Cæcilianum ridet Mart. lib 1. Epigr. 55.

Æſtiuo ſerues vbi piſces tempore, quæris?
In Thermis ſerua, Cæciliane, tuis.

Irridet verò frigidas illius Thermas, cùm à calòre calidæ dicantur, tamen aqua gelida ſunt frigidiores.

Tertia Interimens, ex qua ducitur argumentum, cùm ea producuntur, quæ perniciem afferunt; vt febris hominem. Intemperantia corpus effœtum tradit ſenectuti. Carpit hanc vitæ mollitudinem, & inertiam Poëta ſapiens, monetque,

Sperne voluptatem, nocet empta dolore voluptas.

Quod idem ſeuerè damnat in Piſon. Cic. nu. 41. & præ indignatione rei erumpit in exclamationem. *Nam ille gurges, atque Helluo, natus abdomini ſuo, non laudi atque gloriæ, cùm equites Rom. in Prouincia, cùm Publicanos, nobiſcum & voluntate, & dignitate coniunctos, omnes fortunis, multos fama, vitaque priuaſſet, cùm egiſſet aliud nihil in illo exercitu, niſi vt vrbes depopularetur, agros vaſtaret, exhaurire domos, auſus eſt à Senatu ſupplicationem per literas poſtulare. O Dij immortales tunè etiam, atque adeo vos geminæ voragines, ſcopulique Reip. vos meam fortunam deprimitis, veſtram extollitis?*

Naturalis ſeu Phyſica, vt artifex cathedræ: Moralis, quæ actiuè quidem, & agendo non concurrit ad effectum rei, cenſetur tamen concurrere, quod vehementer ipſam cauſam in opus impellat: in eum modum ſpes præmij cauſa moralis fortitudinis in milite dicetur. Licet enim actionem ipſam fortitudinis non producat, iuuat tamen, ac promouet, ſine qua militis facilè langueſcit ac emollitur, ſpeſque omnis infringitur.

Adde cauſam Suaſoriam: illum quippe iudicamus homicidij cauſam eſſe, qui auctor alteri fuerit homicidij, non quòd reuera cædem fecerit ſed quia niſi ſuaſor acceſſit, numquam in homicidium cauſa efficiens prorupiſſet. Alij cauſam impellentem nominant, quàm vſurpat, pro Mil. Cic. vt cauſas exponat cur Clodius Milonem odiſſet num. 36. *At valuit odium: fecit iratus, fecit inimicus fecit vltor iniuriæ, punitor doloris ſui.*

PVNCTVM XII.

Canones.

VBi nõ eſt cauſa, nec eſt, nec eſſe poteſt effectus. Tull. Pro Roſc. Amer. nulla producitur cauſa parricidij quod obiicitur Roſcio, parricidium ergo non fecerit.

Quæ inſunt cauſis, attribui poſſunt Effectibus Mundus à Deo parente rerum creatus eſt, igitur omnibus numeris erit abſolutum opus. Liber hic eſt Ariſtotelis; igitur ſolidæ ſciétiæ principiis nititur. Opus eſt imperiti cuiuſdam artificis, & imperfectum erit: Imprudens eſt Imperator; non pugnabit feliciter. Iratus eſt, inflammatus odio, ſcelus aut facinus aliquod aggredietur, quod per iracundiam fieri ſolet.

A cauſis ſpontaneis leue eſt argumentum, quod niſi cauſis & circumſtantiis aliis roboretur nullum. Si dicas verendum eſſe ne Turca mare occuper, quod fabricatores nauium optimos habeat; niſi conſiſtet lignorum quoque, & ferri, quibus tanquam materia naues conficiuntur, copiã eum poſſidere; niſi loca maritima, portuſque habeat, in quibus tùm inſtruere, tùm conſeruare naues poſſit, niſi bene peritos N. utas, & nauigationis expertes Turcas eſſe intelligamus; niſi denique appareat, vtilitas aliqua, quæ tales inducere poſſit ad occupandum mare. Prima ratione nihil efficitur, vnde videndum eſt diligenter in refutatione num aliquid huiuſmodi prætermittatur ab aduerſariis.

PVNCTVM XIII.

Vſus.

AMpliſſimum dicẽdi campum aperit cauſæ efficientis vſus; nec verbis ſolùm, ſed rebus etiam fœcundam facit Eloquentiam: In ciuilibus cauſis præcipuè, cæteriſque rebus inueſtigandis, in Virtutibus, vitiis, Affectibus, Euentiſque proponendis, ex quibus oritur quædam præſtabilis eloquentia, ſi modò plures cauſæ ſint adiuuantes conglobatæ, quas recenſet in Verr. Romanus Orator Actor. 3. n. 7. *Multa & in Deos, & in homines im*

Digitized by Google

nes impiè, nefariéque commiſit, quorum ſcelerum pœnis agitatur, & à mente conſiliòque deducitur. Agunt eum præcipitem pœnæ Ciuium Rom. quos partim ſecuri percuſſit, partim in vinculis necauit, partim implorantes iura libertatis, & ciuitatis in crucem ſuſtulit. Rapiunt eum ad ſupplicium Dij pretij, quod iſte inuentus eſt, qui è complexu parentum abreptos filios ad necem duceret, & parentes, pretium pro ſepultura liberum poſceret. Religiones verò, cæremoniæque omnium ſacrorum fanorumque violatæ ſimulacraque Deorum, quæ non modò ex ſuis templis ablata ſunt, ſed etiam iacent in tenebris, ab iſto retruſa, atque abdita, conſiſtere eius animum ſine furore, atque amentia non ſinunt.

Ab iiſdem cauſis adiuuantibus Cæſaris bellicas laudes extenuat, vt minus proprias Imperatoris, ſed quæ vel à militum virtute, à bellorum ſitu, ab ipſa fortuna pēdeant; quod facit vt eiuſdem clementiam pluribus commendet ab condonata Marcello iniuria per multas comparationes à n. 6. & deinceps.

Hortatur.

Valet ad hortandum; Tull. Glabrionem ad ſuſcipiēdam iudiciorum cauſam impellit 2. in Ver. n. 5. *Cogita quo loco ſis, quid dare Populo Romano, quid reddere maioribus tuis debeas. Fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem, qua lege populus Rom. de pecuniis repetundis optimis iudiciis, ſeueriſſimiſque iudicibus vſus eſt. Circumſtant te ſummæ auctoritates, quæ te obliuiſci laudis domeſticæ nō ſinant; quæ te noctes, dieſque commoneant fortiſſimum tibi patrem, ſapientiſſimum auum grauiſſimū ſocerum fuiſſe.*

Dehortatur.

Ad dehortandum. Cic. voluptatem pernicioſum hoſtem ex Effectis ſubiicit, vt in animis hominum illius acerbum odium excitetur. De Senectute lib. n. 40. *Accipite optimi adoleſcentes, veterem orationem Architæ Tarentini, magni inprimis, & præclari viri: quæ mihi tradita eſt, cum eſſem adoleſcens Tarenti, cum Q. Maximo. Nullam capitaliorem peſtem, quàm corporis voluptatem hominibus dicebat à natura datam: cuius voluptatis auidæ libidines temere, & effrenatè ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, hinc Rerumpub. euerſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci dicebat: Nullū denique ſcelus nullum magnum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum nō libido voluptatis impelleret; adulteria vero, & omne flagitium nullis aliis illecebris excitari, niſi voluptate. Cumque homini ſiue natura, ſiue quis Deus nihil mente præſtabilius dediſſet, huic diuino muneri, ac dono nihil tam eſſe inimicum, quam voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiæ locum eſſe omnino, nec in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere.*

Expolit & amplificat.

Ad amplificationem. Sic ab efficiente cauſa laudabis academiam. Quod hominum admiratione dignius, quàm Prouinciis Præfectos, ac Præſides; Tribunalibus Iudices; Ciuitatibus Magiſtratus; Scholis Doctores ad iuuētutem informandam: cuilibet domui patresfamilias eruditos tradere? Ac ſi ſacrorum dignitatem veneramur quis non id ſtupeat, quo Exedris diuini verbi præcones, Cœnobiis idonei præſules, ſummis ſedibus Pontifices donentur? Quis ille porrò ager, tàm fertilem, ac fœcundam meſſem ſuppeditat? quis equus ille Troianus, à cuius aluo duces & egregij litterario bello principes extiterunt? ſi benè mecum ratiocinari volueris; ſublatis gymnaſiis & conticeſcere iuſſis, carebunt magiſtratibus ciuitates, Pōtificibus templa, & omnis ille litterarij ordinis ſplendor, obſcuris iuſtitiæ tenebris oppreſſus vaneſcet. Debet igitur orbis ſuas opes, debent ſuam à brutis animantibus homines diſcretionem, ciuitates ſuum ſplendorem Academiis, quæ tam ſuaui ſcientiarum nectare ſuos molliter educatunt.

Vitę beatæ cauſas præcipuas colligit, ac comprehendit ad eius commendationem, animique ſui voluptatem Mart. lib. 10. Epigr. 47.

Vitam qui faciunt beatiorem,
Iucundiſſime Martialis, hæc ſunt:
Res non parta labore, ſed relicta;
Non ingratus ager, focus perennis;
Lis numquam, toga rara, mens quieta;
Vires ingenuæ, ſalubre corpus;
Prudens ſimplicitas, pares amici;
Conuictus facilis, ſine arte menſa:
Nox inebria, ſed ſoluta curis;
Somnus qui faciat breues tenebras;

Digitized by Google

Quod ſis eſſe velis,nihilq; malis.
Summum nec metuas diem,neque opes.

Quod totum eſt ad felicis vitæ tranquillitatem compoſitum.

Iam extra argumentum efficiente cauſa non ſecùs,ac cæteris locis vti poſſumus. Cic. ſæpiùs poſt Red.in Sen.n. 6.*Qua ſtrage nonnulli permoti magiſtratus,partim metu mortis,partim deſperatione Reip. paululùm à mea cauſa receſſerunt Reliqui fuerunt,quos neque terror,neque vis,neque ſpes,nec metus,nec promiſſa,nec tela,nec faces, à veſtra auctoritate,à populi Rom.dignitate, à mea ſalute depellerent Princeps P.Lentulus,parens ac Deus noſtra vitæ,fortunæ,memoriæ, nominis, hoc virtutis, hoc indicium animi , hoc lumen conſulatus ſui fore putauit,ſi me mihi,ſi vobis,ſi Reip. reddidiſſet. Qui vt eſt deſignatus nunquam dubitauit ſententiam de ſalute mea,ſe & Rep.dignam dicere.*

Furem inſequitur bene-longa Oratione, Cic. 4.in Verr.n.17.*Qui ſimul atque ei ſorte Prouincia Sicilia obuenit,ſtatim Romæ,& ad vrbem antequã proficiſceretur,quærere ipſe ſecum, & cum ſuis agitare cœpit,quibuſnam rebus in ea Prouincia maximam vno anno pecuniam facere poſſet. Nolebat in agendo diſcere(tametſi non prouinciæ rudis erat & tyro)ſed in Siciliam paratus ad prædam , meditatuſque venire cupiebat.*

PVNCTVM. XIV.

Cauſa finalis

CAuſa cauſarum finis id cuius cauſa fit aliquid;aut, id extremum ad quod res tota refertur,vt ſanitas finis eſt medicinæ,victoria belli,ſcientia ſtudij.

Ab hoc loco Mart.l.9.Epigr.23.Paſtorem inducere conatur,vt ſibi pecunias numeret.

Credis ob hoc me paſtor,opes fortaſſe rogare
Propter quod vulgus,craſſaq; turba rogat.
Vt ſetina meos conſumat gleba ligones
Et ſonet innumerà compede Tuſcus ager:
Nec labris niſi magna meis criſtalla terentur,
Et faciant nigras noſtra falerna niues:
Vt canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſedet
Et mea ſi cultu ſella cliente frequens.
Et lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas,
Et Maſſylaum virga gubernet equum.
Eſt nihil ex iſtis;ſuperos,& ſydera teſtor :
Ergo quid?vt donem paſtor,& adeficem.

In quibus liberalis animi prodit argumenta : multa enim ſe petere profitetur,ſed vt plura dare poſſit multis , & ad aliorum vſum domos exædificare,quod eſt excelſæ mentis,& liberalis animi ſignum.

LECTIO XV.

Canones.

QValis eſt finis ſiue bonus , ſiue malus,talis eſt res,quæ ad illum finẽ per ſe ordinatur. Si honeſta eſt ſcientia , honeſtum erit & illius ſtudium. Per ſe dixi;nam ſi quis furetur, vt pauperis inopiam ſubleuet , tametſi finis bonus ſit, furtum tamen malum eſt.

Cuius finis bonus eſt, & id bonum;cuius optimus,&id optimum Si Eloquentiæ finis melior eſt quàm Iuriſprudentiæ , etiam melior eſt Eloquentia,quàm Iuriſprudentia.Cic pro Mur. nu. 29.*A Iuriſperitis ſalubritas quædam, ab Oratoribus ſalus ipſa petitur.*

Qui finem expetit ea debet amplecti media, quæ ad illum obtinendum conducunt. Si pace frui volumus , fœdus cum hoſtibus ineundum eſt,vel bellum conficiendum,ſine quo pax haberi nulla poteſt.

A fine remouenda ſunt contraria media. Studes ſapientiæ ? vitandum eſt iners otium. Eloquẽtiæ;fugiẽda ſunt ea,quibus impediri poteſt, ac retardari curſus ad Eloquentiæ famam comparandam. Pietati ? ſunt ea diligenter euitanda, quæ puritati mentis officiunt.

Ex negatione cauſæ finalis,negationem effectus concludimus. Itaq; ſi poſſit oſtendi nullum fuiſſe finem homini propoſitum,cuius deſiderio incenſus , hoc aggrederetur facinus,cuius arguitur, credibile non eſt ipſum id feciſſe,nullo fine propoſito. Hanc ob cauſam in foro , curiaque verſatus Cic.in defenſionibus,ab accuſatore ſciſcitare ſolitus erat,quod bonum,quem finem ſpectare potuiſſet reus,quem defendebat,in eo crimine

mine, quod in illum conferebatur. Pro Amer. n.84.84. *Sic vita hominum eſt, vt ad maleficium nemo conetur, ſine ſpe atque emolumento accedere.* Quamobrem vt ibidem meminit L. Caſſius ille, quem populus Rom. veriſſimum, & ſapientiſſimũ Iudicem putabat, identidem in cauſis quærere ſolebat. CVI BONO FVISSET.

Argumento à fine & ſpe compendii atque emolumenti petito in Clodii; non in Milonis perſona hinc illum inſidias paraſſe probat, Cic. n 31. *Quonam igitur pacto probari poteſt, inſidias Miloni feciſſe Clodium? ſatis eſt quidem in illa tàm audaci, tàm nefaria bellua, docere, magnam ei cauſam, magnam ſpem in Milonis morte poſitam, magnas vtilitates fuiſſe. Itaque illud Caſſianum* CVI BONO FVERIT, *in his perſonis valeat: etſi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi ſæpè paruo. Atqui Milone interfecto, Clodius hoc aſſequebatur, non modò, vt Prætor eſſet, non eo Conſule, quo ſceleris nihil facere poſſet: ſed etiam vt his Conſulibus Prætor eſſet: quibus ſi non adiuuantibus, ac conniventibus, certè ſperaſſet ſe poſſe Remp. eludere in illis ſuis cogitatis furoribus, &c.*

LECTIO XVI.

Vſus.

IDem qui reliquarum, Orator familiaris eſt in laudibus. Eſt optimatum commendatio pro Sextio num. 98. quorum definitionem ad fert à cauſa finali, propoſito fine otii & dignitatis, ad quem tanquam ad ſcopum omnes illorum cogitationes collineare debent. *Quid eſt igitur propoſitum his Reip. gubernatoribus, quod intueri, & quò curſum ſuum dirigere debeant? id quod eſt præſtantiſſimum, maximeque optabile omnibus ſanis & bonis, & beatis, cum dignitate otium.* Hoc *qui volunt, omnes optimates: qui efficiunt ſummi viri, & conſeruatores ciuitatis putantur, neque enim rerum gerendarum dignitate omnes efferri ita conuenit, vt otio non proſpiciant? neque vllum amplexari otium, quod abhorreat à dignitate. Huius autem otioſa dignitatis hæc fundamenta ſunt, hæc membra, quæ tuenda principibus, & vel capitis periculo defendẽda ſunt: religiones, auſpicia, poteſtates magiſtratuum Senatus auctoritas, leges, mos maiorum, iudicia iuris dictio, fides prouinciæ ſocij, imperij laus, res militaris, ærarium harum rerum tot, atque tantarum eſſe defenſorem, & patronum, magni animi eſt, magni ingenij, magnaque conſtantiæ.*

Idem verbis optimis politico finem propoſitum explicat ad eius commẽdationem qui nunquam ab illo recedit Ep. 11. lib. 8. ad Attic. *Vt gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, Imperatori victoria: ſic huic moderatori Reip. bona ciuium vita propoſita eſt, vt opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtu- honeſta ſit. Huius enim operis maximi inter homines, atque optimi illum eſſe effectorem volo.*

Hinc Seneca probat ſpecula placuiſſe, quòd dùm in illis & Iuvenis & Senex intuentur ſe. Ille ex flore formæ fugientis tempus diſcendi laborandique deprehenderet: hic ex vultus maturitate, quæ canis eſſet indigna reijceret, deque morte ſo ùm cogitaret. *Inventa ſunt ſpecula, vt homo ipſe ſe noſceret. Multa ex hoc conſequuta, primo ſui notitia, deinde & ad quædam, conſilium formoſus vitaret infamiam: deformis, vt ſciret redimendum eſſe virtutibus quidquid corpori deeſſet: Iuvenis vt flore ætatis admoneretur illud tẽpus eſſe diſcendi, & fortia audendi: ſenex vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret.* Natural. qq. 17.

Ex hac finali cauſa dignitatem hominis, & eius animi præſtantiam commendaret Orator. Obſtupuiſſe ferunt aliquando Medicorum Principem Galenum ad humani corporis fabricæ præſtantiam, & aſpectum. Quis aiebat vir ſubtilis ingenij, tàm peritus artifex, tanto, tamque ſingulari ordine, tàm nobilem membrorum compagem coaptauit? quis quaſi baſes, ſic oſſa fundauit, quæ neruis muniantur, carne veſtiantur, venis irrigentur, cute & ornentur, & contegantur? quis tàm admirabiles in compingendis illis oſſibus exus ſtatuerit? vt imbecilliori quaſi viuculo, tàm ſolidè inter ſe, tàm multa coagmententur? quis tàm eleganti compoſitione ſummum ſtabilierit verticem, caput, ſenſuum operibus tàm accommodatum? quis totius ædificij baſes, tàm firmiter ſubiecrit pedes, quibus vndique circumferatur iſta mobilis ædificatio? denique quis omnia ſuo loco tàm perfectè collocaverit. Vnum ſi Deum excipias, ego quidem exiſtimo.

id à nullo aliter fieri potuiſſe, ſed ne cogitari quidem. Quem porrò arbitramini tàm excellentis, tamque diuini operis finem extitiſſe? ædificabatur, conſtruebatur, parabatur ſua animo ſedes, hoc eſt, ſecundum Deum, rei omnium nobiliſſimæ tabernaculum fabricabatur.

In vituperationibus. Quàm acriter Piſonem vrget, oſtenditque illum niſi ſceleribus ad obtinendam Prouinciam à ſe patratis triumphi cupiditatem obtendat, nullum colorem habere quo ſe defendat, n. 56. *At audiſtis Philoſophi vocē negauit ſe triumphi cupidum vnquam fuiſſe, ô ſcelus! ô peſtis! ô labes! cùm extinguebas ſenatum, vendebas auctoritatem huius ordinis, addicebas Tribuno plebis conſulatum tuum, Remp. euertebas, prodebas caput, & ſalutem meam vna mercede prouinciæ: ſi triumphum non cupiebas, cuius tandem rei te cupiditate arſiſſe defendes? Quod ſi te ſenatus populuſq; Rom. aut non appetentem, aut etiam recuſantem, bellum ſuſcipere, exercitum ducere coegiſſet. tamen erat anguſti animi, atque demiſſi, triumphi honorem atque dignitatem contemnere. Nam vt leuitatis eſt, inanem aucupari rumorem, vt omnes vmbras etiam falſæ gloriæ conſectari: ſic levis eſt animi, lucem, ſplendoremq; fugientis, juſtam gloriam, qui eſt fructus veræ virtutis honeſtiſſimus, repudiare.*

Quis non videt quàm acres admoveantur ſtimuli mortalibus ad virtutem ex ipſo fine; illa videlicet cum fœlicitate coniuncta temporum futurorum immortalitate?

PVNCTVM XVII.

Amplificat & movet.

VAlet ad amplificationes, graviores ſque animorum motus ciendos; quem Tullius adhibuit ad miſericordiam excitandam, pro Roſc. Amer n. 145. cùm enim oſtenſurus eſſet, nullam ſubeſſe aduerſario Roſcii cauſam accuſandi, ſic vrget. *Quiduis amplius? quid inſequeris? quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem lædi à me putas? Vbi tuis commodis officio? quid tibi obſto? ſi ſpoliorū cauſa vis hominem occidere, ſpoltaſti. Quid quæris amplius? ſi inimicitiam: quæ ſunt tibi inimicitiæ cum eo, cuius ante a prædia poſſediſti, quàm ipſum cognoſti? ſin metuis: ab eóne aliquid metuis, quem vides ipſum ab ſeſe iniuriam propulſare non poſſe? ſin quod bona, quæ Roſcij fuerunt tua facta ſunt, idcirc hunc illius filium ſtudes perdere, nonne oſtendis, id te vereri, quod præter cæteros tu metuere non debeas, ne quando liberis proſcriptorum bona patria reddātur?*

Invidiam Murænæ aduerſariis concitat, dùm oſtendit Catilinæ nihil accidere poſſe gratius, quàm ſi Conſulatu cedat Muræna, n. 83. *Si L. Catilina cum ſuo Conſilio nefariorum hominum, quos ſecum eduxit, hac de re poſſe iudicaret, condemnaret L. Murenam; ſi interficere poſſet, occideret. Petunt enim rationes illius, vt orbetur auxilio Reſp. vt minuatur contra ſuum furorum Imperatorem copia: vt maior facultas Tribunis plebis detur, depulſo aduerſario, ſeditionis ac diſcordiæ concitandæ.*

Ex cauſis finalibus concludit in Rullum pro agro pop. Rom. non divendendo, quod decemviri regnum quærant, & in ſervitutem populum redigant, diſſimilitudine ad commiſerationem leviter inflexa, vt illos in odium adducat, 2. Act. in Rull. n. 73. *Etiamne ſi Reip. non expediat? & in quo loco præterea videbitur? quid igitur eſt cauſa quin Coloniam in Ianiculum poſſes deducere? & ſuū præſidium in capite, atque ceruicibus veſtris poſſint collocare? Tutu non definias, quô colonias, in quæ loca, quo numero colonorum deduci velis? tu occupes locum, quem idoneum ad vim tuam iudicaris? compleas numero? Confirmes præſidio, quo velis? populi Rom. vectigalibus, atque omnibus copiis ipſum popu. Ro. coercas? opprimas? redigas in iſtam decem viralem ditionem, ac poteſtatem? Num obſcurè regnum conſtituitur? num obſcurè libertas veſtra tollitur? nam cùm ijdem totam Italiam ſuis opibus obſidebunt; ijdem veſtram libertatem ſuis præſidijs, & colonijs interclusam tenebunt: quæ ſpes tandem, quæ facultas recuperandæ veſtræ libertatis relinquetur?*

Hortatur deinde populum Rom. tribus argumentis, ſcilicet ex Adiunctis, à fine maiorum qui factis illuſtribus, vt quidvis potius patiantur, quàm agrum optimum vendant, aut abalienent n. 79. *Quod ſi poſſet ager iſte ad vos pervenire: nōne eum tamen in patrimonio veſtro remanere malletis? Vnúmne fundū pulcherrimū, pop. Rom. caput, veſtræ pecuniæ, pacis ornamētū, ſubſidiū belli, fundamentū vectigalium, horreum legionum, ſolatium annonæ diſperire patiemini? an obliti eſtis Italico bello amiſſis cæteris vectigalibus quātos agro Cāpani fructibus*

exercitus

Digitized by Google

citus aluerit? in ignoratis, cætera illa magnifica populi Rom. vectigalia perleui ſæpè momento fortunæ, inclinatione temporis pendêre?

Tum ad commiſerationem deſcendit, pudoremque populo libertatis retinentiſſimo conatur inicere, & metũ grauiorẽ ex agri venditione n.81. *At qui homines poſſidebunt? Primo quidem acres, ad vim prompti, ad ſeditionem parati: qui ſimul ac decem viri concrepuerint, armati in ciues, & expediti ad cædem eſſe poſſunt. Atque illi miſeri, nati in illis agris, & educati, glebis ſubigẽdis exercitati, quò ſe ſubito conferãt non habebũt. His robuſtis, & valentibus, & audacibus decem-virûm ſatellitibus agri cãpagni poſſeſſio tota tradetur, & vt vos nunc de veſtris maioribus prædicatis. Hunc agrũ nobis Maiores noſtri reliquerunt: ſic veſtri poſteri de vobis prædicabunt: hunc agrum patres noſtri acceptum à patribus ſuis, perdiderunt.*

PVNCTVM XVIII.

Suadet.

IN ſuaſione valet plurimum. Tull. initio de Offic. poſito ob oculos filij fine, ob quem Athenas periiſſet, illũ hortatur ad ſapientiæ ſtudium. Nos hominem ad præclarum amorem virtutis. Inſpice intentus aliquando cui te fini Deus conditor in hanc lucem emiſerit; cui te fini rationis radiis illuſtrarit, mentis præſidiis, memoriæ ſubſidiis, oculo ſagaci, & erecto corpore, pulchro, & valido exornarit, cui inquam fini; Tum per reiectionem, non vt tanquam ſues Circæa in hara voluteris, & lutulento voluptatum cœno te conſpurces: non vt tanquã Formica, Talpaue terram fodias: non vt tanquam Tygris, aut Leo, vel Vrſus ſanguine rictus, ingluuie vẽtrem impleas, immortalem, & Dei capacem condidit, vt perituris ac puerilibus huius vitæ negotiis poſthabitis immortale decus & gloriam ambias.

PVNCTVM XIX.

Extra argumentum.

NIhil in Cicer. frequentius, quàm huius cauſæ vſus: hũc agnoſces in Orat. de Haruſpic. reſp. n.12. *Poſtea vos, non quod dubia res eſſet ſed vt huic furiæ, ſi diutius in hac vrbe quã delere cuperet, maneret, vox interdiceretur, decreuiſtis, vt de mearum ædium religione ad Pontificum collegium referretur.*

Qui modus plurimũ valet ad amplificandam periodum. Vix enim vlla circunſcripto eſt, quam per cauſam finalem amplificare non liceat. Si dicendum ſit Athanaſium Arriani in exilium amandarunt, amplificabitur cauſa addita; vt cum illo Catholica fides ab Oriente toto exularet.

Nonnunquam pro re ponitur, cuiuſmodi ſunt hæc Tull. pro Mur. n.80. *Quæ cũ ita ſint, primùm Reip. cauſa, quâ nulla res cuiquam potior eſſe debet, vos pro mea ſumma, & vobis cognita in Remp. diligentia moneo; pro auctoritate Conſulari, hortor; pro magnitudine periculi, obteſtor, vt otio, vt paci, vt ſaluti, vt vita veſtra, & cæterorum ciuium conſulatis.* Quod dictũ eſt pro illo, Obteſtor vos, vt Murænã abſoluatis ob illum finem vt otio, vt ſaluti, &c.

Aliàs Rei adiungitur, in eadem Orat. n.2. *Cùm omnium Deorũ immort. poteſtas aut tranſlata ſit ad vos, aut certè communicata vobiſcum, idem Conſul eum veſtræ fidei commẽdat, qui antea Diis Immort. commendauit: vt eiuſdem hominis voce, & declaratus Conſul, & defenſus, beneficium populi Ro. cum veſtra, atque omnium ſalute, tueatur.*

Addo cauſam ipsã finalem in Oratione poni pro effectu. Si hoc efferendum ſit, patriam bello ſuſcepto conſeruate, per cauſam finalem eleganter efferetur. Hoſtium furori fortunas veſtras eripite, templa, liberos, coniuges, vitam ab eorum iniuria prohibete. Cauſa finalis belli ſuſcipiendi erit vitæ, fortunarum, bonorumque conſeruatio. Quærenti enim cur Ciuis pugnet; reſpondetur, vt vitam ſeruet. Quæ ratio multum confert ad elegantiam, & locorum varietatem.

LECTIO XIV.

Locus ab Effectis.

LOngè ſunt effecta, quàm cauſæ notiora, quò fit vt locus iſte ſit facilis, & ad manum omnibus, ad ſuadendum verò diſſuadendumque vtiliſſimus.

PVNC

PVNCTVM I.

Definitur.

EFfecta dicuntur à Cic. quæ ſunt orta de Cauſis, ex quibus ad omnia Cauſarum genera ducuntur argumenta, vti ex omnibus cauſarum generibus ipſa demonſtrantur. Nam & Cauſam efficientem ex his inveſtigamus Militia auget Imperij dignitatem, Remp. conſeruat, , exteras nationes atque Prouincias ad ditionem noſtram adiungit, quis igitur magnam in Rep. dignitatem habere neget militiam.

Finem ſimiliter ex effectis probamus Princeps delectum habet militum, conſcribit legiones, magnum belli apparatum inſtruit, duces conuocat. Ergo bellum meditatur. Ex hoc fonte Poëta magnus 9. Æn.

Durum à ſtirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, ſævoque gelu duramus, & vndis.

Effectus materiæ cognoſceretur, ſi quid ex illa proficiſcatur, attendas. Quid nobis eſt à corpore, niſi diurna mutatio? quod intellexit Virg. Georg. 3. vbi miſeros homines concludit.

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit, ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus.

Quid igitur homine miſerius, qui in horas mutatur?

A forma, ſcilicet animo immortali cōmendatur homo, colligiturque præſtantiſſimus omniū, quòd animam rationis participem ſortitus ſit.

In iudiciis regnat, quòd indè affectus iræ odij, miſericordiæ concitari poſſint, enumeratis incōmodis. vel commodis, quæ ex impunitate alicuius, aut ſuplicio naſcuntur.

In demonſtratiuò, nihil effectis vberius eſſe poteſt ad laudes, & vituperationes quas qui libet conſequitur à rebus ſuis præclarè, vel infeliciter geſtis.

In Deliberatiuo quot effecta neceſſariò ſubiiciuntur oculis, vt animos ad aliquid impellamus, aut incitatos reuocemus? Propoſitâ laude, vel infamiâ, &c.

PVNCTVM II.

Canones.

EFfectu poſito, neceſſe eſt præfuiſſe cauſas ad effectum neceſſarias. Homo eſt conditus; eſt igitur ad æternam felicitatem, ex corpore, & anima compoſitus.

Frequens eſt argumentandi modus ab attributis effectorum, ad ſimilia. Scilicet à bonitate effectus, ad bonitatem cauſæ, à præſtantia illius, ad huius præſtantiam. Item ab effectu laudabili ad laudem cauſæ. Hoc ipſum declarat Cic. pro Mur. dùm rei militaris virtutem cæteris omnibus præſtare contendit n. 22, *Hæc nomen Populo Rom. hæc huic vrbi æternam gloriam peperit: hæc orbem terrarum parere huic imperio coegit, omnes vrbanæ res, omnia hæc noſtra ſtudia, & hæc forenſis laus, & induſtria latent in tutela, ac præſidio bellicæ virtutis: ſimulatque increpuit ſuſpicio tumultus, artes illicò noſtræ conticeſcunt,*

Eodem. n. probauerat ad Conſulatum adipiſcendum multò plus attuliſſe dignitatis Murænæ rem militarem, quàm iuris ciuilis gloriam Sulpitio, ab vtriuſque effectis inter ſe comparatis Quod ornamentum quidem inſigne eſt quoties plura inter ſe componuntur. *Vigilas tu de nocte, vt tuis conſultoribus reſpondeas; ille vt quò intendit, maturè cum exercitu perueniat; tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit,*

Tunc enim licet vnamquamque rem ex ſuis effectibus æſtimare & hæc illis opponere, atque indè rem vnam inferiorem alterâ, vel præſtantiorem, vel ei æqualem, præferendam, aut poſtponendam concludere. Quod quidem duobus modis effici poteſt, aut percēſendo effectus omnes vnius rei s deindè alterius ſubjungendo, vel ſingulos ſingulis proximè conferendo.

PVNCTVM III.

Vſus.

TAm copioſus inter cæteros, vt aliquandò partes Orationis integras in eo penè ſolo verſari

verſari Tull. in Topicis affirmare non dubitaverit. In laudationibus valet potiſſimum, ac vituperationibus, quæ ex rerũ benè, vel malè geſtarum enumeratione cõſtant; quibus virtutes hominum, aut vitia, fontes illarum, & capita, ſatis intelliguntur, Ita paſſim Cic. pro Marcello Cæſarem ab effectis laudat: Pompeij virtutem, auctoritatem, felicitatem, pro lege Manil: Verrem à rebus improbè, nefarieque geſtis. Piſonem cũ Collega Gabinio, Antonium in Philipp. Vatinium & alios notat, inſectatur que graviſſimè.

Quod ſi tractetur infinita quæſtio, nec aliquid certis temporibus, negotiis perſonis definitum explicetur, ſed rei natura à particularibus circũſtantiis abſtracta & per ſe condita incognitaque inveſtigetur tùm conſequẽtes illius proprietates, & effectus quæruntur, per quos rei natura qualis ſit facilè colligi poteſt à poſteriori, qualis item illius dignitas, vtilitas, difficultas. Inſignis eſt ille locus 1. de Orat. num. 30. Vbi pluribus Eloquentiam ejuſque dignitatem, neceſſitatem jucunditatemque commendat ab effectis Craſſus. *Neque verò mihi quidquam præſtabilius videtur, quàm poſſe dicendo tenere hominum cætus, mentes allicere, voluntates impellere quò velit, undè autẽ velit, deducere. Hac vna res in omni libero populo, maximeque in pacatis, tranquilliſque civitatibus præcipuè ſemper floruit, ſẽperque dominata eſt. Quid enim eſt aut tam admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum exiſtere unum, qui id, quod omnibus natura ſit datum, vel cum paucis facere poſſit aut tàm jucundum cognitu atque auditu, quàm ſapientibus ſententijs, gravibusquè verbis ornata oratio, & perpolita? aut tàm potens, tãque magnificum, quam populi motus, judicum religiones, Senatus gravitatem unius oratione converti? Quid tàm porro Regium tàm liberale, tã magnificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate? Quid autem tam neceſſarium, quàm tenere ſemper arma, quibus vel tectus ipſe eſſe poſſis, vel provocare improbos, vel te vlciſci laceſſitus?*

Antonium hoſtem infenſiſſimum patriæ facit ac vituperat vt Hannibalem effectis 5. Phil num, 2. *Poſt autem, neque ſacrificiis ſolẽnibus factis, neque votis nuncupatis, nõ profectus; eſt ſed profugit paludatus. At quò? in provinciã fortiſſimorũ civium; qui illũ, ne ſi ita quidem veniſſet, vt nullũ bellum inferret, ferre potuiſſent: impotentem, iracundũ contumelioſum, ſuperbum, ſemper poſcentẽ, ſemper rapientem, ſemper ebrium. At ille cujus ne paratam quidẽ nequitiã quiſquam ferre poſſet, bellum intulit Provinciæ Galliæ: circumſedit Mutinam firmiſſimam & ſplendidiſſimã Populi Rom. coloniam: oppugnat D. Brutum Imperatorẽ Conſulẽ deſignatum, civem nõ ſibi, ſed nobis & Reip. natũ: Ergo Hãnibal hoſtis, ciuis Antonius? quid ille fecit hoſtiliter, quod hic aut nõ fecerit, aut non faciat, aut non moliatur, & cogitet Totum iter Antonij quid habuit niſi depopulationes? vaſtationes, cædes, rapinas*

PVNCTVM II.

Amplificant. Deſcribunt.

COnferunt plurimùm effectus in omni genere dicendi propoſita eorum pulchritudine, aut cõtrariis, præcipuè verò in deſcriptionibus, cum auditorum oculis ſubijciuntur Vrbis direptæ faciem miſerandã deſcribit Saluſt. in Catil. Plerique eorum qui ante me dixerunt, copioſè ſatis ac magnificè caſum Reip. miſerati ſũt etiã rapi Virgines pueros à complexu parentum divelli matres-familias pati, quæ victoribus collibuiſſent, fana domoſque ſpoliata, cædem & incendia fieri, poſtremò armis, cadaveribus, cruore omnia repleri:

Effecta coaceruata membratim ſi vibrentur odium, aut miſerationem excitant. Copioſè D. Ambroſ. de ſac. cap. 7. inſanam habendarum pecuniarum libidinem damnat. *Quid de avaritia dicam inſatiabili pecuniæ cupiditate, & quadam æris libidine, qua quò plura abſtulerit, eò magis inopem eſſe ſe credit? omnibus invidia, ſibi vilis; in ſummis divitijs inops, affectu extenuat quod cenſu abundat. Nullus rapiendi modus, ubi nulla menſura cupiendi. Sic inflammat, ſic igne ſuo paſcit animum, ut hoc ſolo diſtet, quod ille voluptatis formarum adultera ſit, iſta terrarum. Elemen concutit, mare ſulcat, terram effodit, cælum votis fatigat nec ſereno grata, nec nubilo, condemnat provenus annuos, fætuſque arguit.*

Germanam libidinis, & morborum matrem gulã dicit Chryſol. 1 *Bella gentinũ legimus ſuperaſſe quam-plurimos, quos tament pugnã carnis legimus*

mus non viciſſe, & audivimus eos dediſſe delictis pectora, qui dorſa hoſtibus non dederunt. Proh dolor! victores gentium, vitiorum fuiſſe captivos; ſtetiſſe inter ſævientes gladios, & inter eneruata lenocinia corruiſſe, regnis fuiſſe terrori, ludibrio fuiſſe peccatis: adverſas acies contriviſſe, jejunos, & crapulatos ſuorum caſtra diſſoluiſſe virtutum, jacuiſſe effuſo vino, qui jacere effuſo ſanguine neſcierunt. Hoc non eſt ratio, ſed languor, non vita, ſed febris & phrenеſis, non natura. Nam quoties ciborum cruditas vitalia dejicit, inficit ſtomachum, corrumpit ſanguinem, vitiat humores, ſuccendit choleram, extremum febris gignit incendium, toties æger mentem perdit, amittit ſenſũ fertur deſiderijs, contrarijs rgetur, ſalutaria reſpuit, quærit noxia.

Quantam malotum meſſem invehat avaritia, quantam ſtragem faciat, docet Conſt. Manaſſes in Annalib. quod facit per adverſantia cóglobata. Crudelis hominum perſequutor aurum, nulla res in hominum vita tecum in certamé venire poteſt. Durum emollis, mollem induras; linguam mutam ſoluis, loquacem comprimis: curLendo valentem tardum efficis, ac viciſſim de tardo volucrem. Corda inflammas & voluptate quadã demulces; ſenſus illecebris, ac præſtigiis quiſbudam excantas: cùm interim vnuſtas illa tua, nõ minus veneno ſuo, quàm vipera noceat. Leges & jura proculcas: verecundiam, & pudorem abigis, ſepulchra violas, parietes perforas; nihil non habes venale, nihil non prodis Nimirum fabula mera eſt quod vulgò dicitur, adamantum ſolum ſanguine molliri. quid enim te poſſit eſſe efficacius, etiam in ſaxis emolliendis?

Aliàs, plures effectus conglobentur ad majorem vim per deſcriptionem, quæ ſubjicitur oculis potius, quàm auribus. Ebrietatis & intemperantiæ vel quoduis aliud vitium ex hoc loco depinges. Quis peſtes atque morbos omnes numerando percenſere poſſit, quos in humanum genus imoportat hoc infame vitiũ? extinguit rationis lumen, obtundit aciem ingenii, animique conſilium obtenebrat, vt in homine temulento videre potuiſti. Quid enim belluæ ſimilius, imò quid infrà belluas abjectius? vt lubricus eſt inceſſus? vt micãt oculi, ſpumat os, diffluũt genæ, pectus languet, pedes titubant, greſſus incertus, totum corpus attonitum, & ruinoſum animi domiciliũ horret? vt incerta verba ſui impos eructat cum teterrima crapula? Interim ſepulta ratio in fumoſis vini vaporibus nullum uſum retinet, vigilãs ſomniat, ſine mari fluctuat, ſine hoſte terrores patitur, ſine febri corporibus tremit, vt ſtipes jacet, vt inſonto morbo ſpumat: vt canis vomit? ô ré non modò viſu fœdam, ſed & auditu injucundam! quid hac imagine, quid his ſordibus tetrius fingi poteſt, aut excogitari?

Quòd ſi nõ ſolum temulentum inſpicias dùm præſentior eſt morbus, atque vehementior, ſed concocto edomiroque per ſomnum mero, Deus immortalis qualis evigilat! quid ex frequẽtibus poculis niſi fæx moroſæ ſenectutis relinquitur? Viden' tremunt artus, laxantur nerui, & quo més ſæpius orbrura vino eſt, aſſurgere ad altiora nõ poteſt, neque niſi de ſepulchro ſuo, hoc eſt, de iis quibus viva ſepelitur deliciis, cogitare

Eandem ebrietatem paucis vituperat Horat. lib. 1: epiſt. 5. ad Torquatum.

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit,
Spes jubet eſſe ratas, in prælia trudit inermem.
Sollicitis animis onus eximit; addocet artes
Fœcundi calices, quem non fecère diſertum;
Contractâ quem non in paupertate ſolutum?

PVNCTVM I.

Per negationem.

NOnnunquam ex effectuũm negatione cauſas negamus; Ita nõ eſſe negligentem probare potes aliquem ex negatione effectuum negligentiæ. Nõ vagatur otioſè per urbem, nec officio deeſt aſſiduus, non obiter ac perfunctoriè res ſuas agit, non ad multam diem ſtertit iners. Næ tu igitur iniquus es qui negligenté cũ appelles?

Tum illuſtris eſt argumẽrandi ratio, cùm aliqua objecta ſũt ab adverſariis? quæ facilè oppoſitis effectibus refelluntur: tunc ludere poteſt Orator, & quaſi pilam adverſarium, omnes in partes verſare, interrogando, ſubjectionibus, repetitionibus, apoſtrophe definitionibus frequẽter utendo:

Hûc

Digitized by Google

Hûc pertinent Metonymiæ, quæ cauſam declarant per effectum, vti contra per eundem tropum effectus per cauſam poteſt intelligi. Poſt reditum in ſen. orat. n. 7. Cic. Lentulum à ſe nominatum ornat rebus in gratiâ ſuam factis. *Princeps Lentulus parens ac Deus noſtræ fortunæ, memoriæ, nominis, hoc ſpecimen virtutis.*

Valet hic dicendi modus ad locutionum varietatem, vt, ſi de de Scipione Africano ſæpius in eadem Oratione ſermo incideret, modo everſorem Carthaginis, modo victorem Aſiæ appellare poſſemus; ſi de ſanctiſſimo Sacramento, nunc gratiæ originem, ac fomitem, modò caſtitatis auctorem, ac conſervatorem, modo ſanctitatis largitorem Chriſtum ſub ſpeciebus latentem diceremus.

Hic vſus etiam ad numerum Orationis, & periodi circumſcriptionem facit. Nempe ſi non ſatis plena ſit hæc Oratio, Scipioni triũphum Senatus decrevit, poterunt effecta conglobari, Scipioni illi Carthaginis everſori, illi patriæ acerrimo defenſori, illi Numantiæ domitori potentiſſimo, Senatus egregiæ virtutis teſtimonium ampliſſimos honores meritò decreuit.

LECTIO XV.

Locus à comparatione Maiorum, Minorum, Parium.

QVia cum triplici genere res quæpiam conferri poteſt, ideò locus hic à comparatione triplex eſt. Rerum enim aliæ majores ſunt, hoc eſt veriſimiliores, & quibus id de quo agitur, potiori jure conveniat: Aliæ minores, id eſt minus veriſimiles, quibus non æquè res aliqua conveniat, ac ei, cum qua conferuntur: Aliæ in æquali gradu veritatis ſunt, vt vtris res potius conveniat illiſne conferuntur, an potius illis quibuſcum conferuntur, non ſatis cognoſcas. Itaque pro veriſimilitudinis, ac probabilitatis ratione hic locus triplex eſt, quia triplicem ob finem vti quis exemplo poteſt, vt maiorem faciat rem qua de agitur, adducto exemplo vel vt minorem, vel vt parem.

PVNCTVM I.

Comparatio Maiorum.

LIcet ipſa comparatio minus habeat ingenii, ſi tamen rectè quis vtatur, eſt ad perſuadendum ſatis efficax, præſertim apud plebejos, & craſſioris ingenii viros, imò etiam præſtabiles, ſi modò variam ſapiat eruditionem.

Comparationem vocamus, ait Rodol. Agricola lib. 1, cap. 25. cùm duo, vel plura in tertio aliquo conferuntur, quod commune ſit eis. Vt Catoni licuit ſequi bellum civile, Ergo Ciceroni licebit. Commune eſt hic ambobus, ſequi bellum civile. Exemplum eſt ſpecies quædam comparationis, quod colligitur vel à maiori ad minus, vel à pari, vel quod frequentius eſt à minori ad maius.

A maiori porrò ducitur argumentum cùm, quod veriſimilius eſt, & convenientius, aut non convenit tamen, aut verum eſt, colligimus aliud quod veriſimile, minuſque conveniens eſt, non convenire, ac verum eſſe. Cic. pro domo, docet Deos Immort. ſuam domum non concupiiſſe, quòd ne homines quidem ſceleratiſſimi, quos illam concupiſſe æquius erat, illam expetiverint. In quo exemplo, vt & in aliis ductis à comparatione majorum, ne id putes maius eſſe, quod præſtãtioris eſt dignitatis, ſed potius id quod veriſimile eſt. Sic enim ille n. 108. *Civis eſt nemo in sãto populo, extra contaminatam illam, & cruentam P. Clodij manum, qui rem vllam de meis bonis attigerit, qui non pro ſuis opibus in illa tempeſtate defenderit. At qui aliqua ſua contagione prædæ, ſocietatis, contaminaverunt, nullius neque privati, neque publici iudicij pœnam effugere potuerunt. Ex his igitur bonis quorum nemo rem vllam attigit, qui non omnium iudicio ſceleratiſſimus haberetur, Dij immortales domum meam concupierunt.*

Perindè infertur multò minus Dii, nam in hoc argumento maius, aut minus aliquid cenſetur, prout ei res de qua agitur, verius, aut minus verè convenit.

Præterea in argumento à maiori ſemper tùm id, quod infertur, tùm, id ex quo confertur negationem adiunctam habet, vt ſcelerati domum

meam non concupierunt;hoc argumentum eſt, ex quo infertur complexio, quæ negationem æquè adiunctam habet, ergò multò minus Dij concupierunt.

PVNCTVM II.

Canones.

EA vis eſt argumentationis à maiori ad minus vt ſi quod magis probabile videtur, id tamen non eſt verum,certe quod minus eſt probabile verum non erit. Si quinque legiones hoſtilem exercitum vincere non potuerunt,multò minus duæ poterunt, ſic quod majori negatur minori tribui non debet. Hector ſummâ licet virtute,animique, & corporis fortitudine vir Troïam à Græcorum armis non defendit,mollis & effœminatus Paris tuebitur?

Tale eſt illud Cic. pro Sexto Amer quo probat Syllam non omnia animaduertere potuiſſe. cùm Iupiter ipſe non poſſit.n.131.*Etenim ſi Iup. Opt.Max.cuius nutu & arbitrio Cœlum,terra,mariaq; reguntur,ſæpè ventis vehementioribus,aut immoderatis tempeſtatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit,vrbes deleuit fruges perdidit,quorum nihil pernicie cauſa,diuino conſilio,ſed ui ipſa, & magnitudine rerum factum putamus:at contra commoda quibus vtimur, lucemq; qua fruimur,ſpiritumq; quem ducimus, ab eo nobis dari,atque impertiri videmus. Quid mirum L. Syllam,cùm ſolus Remp. regeret, orbemq; terrarum gubernaret,imperijq; maieſtatem, quam armis receperat,legibus confirmaret,aliqua animaduertere nō potuiſſe?niſi hoc mirū eſt,quod eſt,quod vis diuina aſſequi nō poſſit,ſi id mēs humana adepta nō ſit.*

In diuinat.contra Cæcilium ex hoc loco diſputat.n.40 *Quod ſi ego hac propter magnitudinem rerum,ac difficultatem aſſequi non poui, qui in omni vita nihil aliud egi;quàm longè tute ab his rebus abeſſe arbitrare,quas non modo antea nunquam cogitaſti,ſed ne quidem,cum in eas ingrederis,qua & quanta ſint,ſuſpicari potes?*

Quod valet in maiori,valet in minori.Gygantem vicit,& Pygmeum ſuperarit.

O paſſi grauiora,dabit Deus his quoque finem.
Conſolabatur ſuos Virg. Exul. Ovid. 1.

Cur ego poſſe negem leniri Cæſaris iram.
Cum videam mites hoſtibus eſſe Deos?

Pro Mil. n. 42. *Quem cum omnium gratia noluit Hunc voluit cū aliquorū querela,quem iure, quem impune non eſt auſus,hunc iniuria,iniquo loco alieno tempore,periculo capitis,non dubitavit occidere.*

LECTIO III.

Vſus.

FRequens eſt in amplificationibus,dùm licere nobis parua dicimus,cùm aliis maiora conceſſa ſint:vel certè levius aliquid facere,aut pati qui gravius antea geſſerunt. Sic argumento, à maioribus feſtiva ad placendum allegoria Sulpitio aſſentatur,dùm Iuriſprudentiam Eloquentia tantò ſuperiorem facit, quantò fontes rivulis ſunt aupliores Orat.pro Mur.n.9. *Atque huiuſce rei coniecturam de tuo ipſius ſtudio, Servi facillimè ceperis. Nam ſi tibi neceſſe putas, etiam aduerſarijs amicorum tuorum de iure conſulentibus reſpondere:& ſi turpe exiſtimas,te aduocato,illum ipſum,quē contra veneris, cauſa cadere:noli tàm eſſe iniuſtus,vt cùm tui fontes,vel inimicis tuis pateant noſtros rivulos etiam amicis putes clauſos eſſe oportere.*

Habet in hoc genere benè longam amplificationem ſed elegantem pro Mil. qua contendit non eſſe decretum à Cn. Pompejo in gratiam Clodii, vt nouo quodam more, de Clodii nece quereretur,quod nō eſſet id antea factum inRep. multò clarioribus lucis interfectis,aui violatis.à n.16.*Domi ſuæ nobiliſſimus vir,Senatus propugnator,atque illis quidem temporibus penè patronus, avunculus huius noſtri iudicis,fortiſſimi viri M. Catonis, Tribunus Pleb. Mar.Druſus occiſus eſt. Nihil de eius morte populus conſultus, nulla quæſtio decreta à Senatu eſt,quantum luctum in hac urbe fuiſſe à noſtris patribus accipimus,cum P. Africano domi ſuæ quieſcenti illa nocturna vis eſſet illata? quis tùm non ingemuit?quis non arſit dolore? quem immortalem ſi fieri poſſet omnes eſſe cuperent, eius ne neceſſariam quidem expectatam eſſe mortem.*

Pro quibus omnibus cùm nulla ſimilis quæſtio decreta ſit,nullam Clodio fieri debuiſſe concludit,qui tot illuſtribus viris mortē intentaverat.

Pro

Digitized by Google

Pro Syll. quod ſciret Regis nomen poſt exa-ctos Reges Romanis ſemper odioſum fuiſſe, illud non affectaſſe Cic. probat, à maiori ad minus n. 21. per Dialogiſmum. *Hic ait ſe ille regnum meũ ferre nõ poſſe. Quod tandem; Torquate, regnũ? Cõſulatus credo mei, in quo ego imperaui nihil, ſed contra patribus conſcriptis, & bonis omnibus parui; quo in magiſtratu non inſtitutum eſt à me regnum, ſed non permiſſum.*

Hoc totum concludit à diſſentaneis.

Iam à maiori. *Quem tum in tanto imperio, tanta poteſtate, non dicis fuiſſe Regem, nunc priuatum regnare dicis? quo tandem nomine? quod, in quos teſtimonia dixiſti, inquit, damnati ſunt, quem defendis ſperat ſe abſolutum iri. Hic tibi ego de teſtimoniis meis non reſpondeo: ſi falſum dixerim, te in eos dixiſſe. Sin verum: non eſſe hoc regnare, cùm verum iuratos dicas probare.*

Ad hunc locum reuocari poſſunt gradationes oratoriæ, qualis illa pro Milone n. 62. *Quod ſi nondum ſatis cernitis, cùm res ipſa tot tàm claris argumentis ſignisq; liceat, pura mente atque integra Milonem nullo ſcelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla cõſcientia exanimatum Romam reuertiſſe: Recordamini per Deos immort. quæ fuerit celeritas reditus eius: Qui ingreſſus in forum, ardente curia, quæ magnitudo animi, qui vultus quæ Oratio. Neque verò ſe populo ſolùm, ſed etiam Senatui tradidit; neque Senatui modò, ſed etiam publicis præſidiis, & armis: Neque is tantum, verum etiam eius poteſtati, cui Senatus totam Remp. omnem Italiæ pubem, cuncta populi Rom. arma commiſerat, cui ſe nunquam profectò tradidiſſet, niſi cauſæ ſuæ confideret, præſertim omnia audienti, magna metuenti, multa ſuſpicanti, nonnulla credenti.*

Orat. pro Planc. probat ſe defenſori ſalutis ſuę gratias referre debuiſſe, quod Populus Rom. id facere non dubitauerit, n. 78. *An verò putas, idcirco minus mea cauſa facturos, quod me eſſe gratũ crimineris? an, cùm Populus Rom. illo SC. quod in monumento Marij factum eſt, quo mea ſalus omnibus eſt gentibus commendata, Cn. Plancio gratias egeris (vnus enim fuit de magiſtratibus defenſor ſalutis meæ: cui Senatus pro me gratias agendas putauit) ei ego à me referendam gratiam non putem?*

Pvnctvm IV.

Comparatio Mirorum.

Frequentiſſimum eſt argumẽtum quod à minori ad maius ducitur, ſuperiori oppoſitum; cuius iſta vis eſt. Si quod minus probabile eſt, nihilominus verum eſt, ergo & quod magis erit probabile verum erit exiſtimandum. Si duabus legionibus vinci potuit hoſtilis exercitus, certè poterit idem à quatuor ſuperari.

Vnus Chriſti causâ non ſanguinem modò ſed & vitam Martyres effuderunt: nos exiguam eiuſdem causâ Chriſti contumeliam non perferemus?

Quæ porrò ducuntur ex hoc loco argumenta pleraque ſunt affirmatiua. 2. in Verr. n. 28. *Quid eſt quæſo, Metelle, iudicium corrumpere, ſi non eſt? teſtes præſertim Siculos timidos homines, & afflictos, non ſolùm auctoritate deterrere, ſed etiam conſulari metu; & duorum Prætorum poteſtate? Quid faceres pro homine innocente, & propinquo, cùm propter hominẽ perditiſſimum, atque alieniſſimum, de officio ac dignitate decedis: & committis vt quod ille dictitat, alicui qui te ignorat, verum eſſe videatur?*

Sic D. Ambroſ. corporum reſurrectionem probat ex ſeminibus poſt frigidam hyemis tempeſtatem à terra verno tempore ſurgentibus. Cùm occata, & mortua ſoli genitalis ſuccus animaduertit quodam calore vitali ſpiritum quendam herbæ viridantis exhalant; deinde paulatim teneram ſpicæ adoleſcentis ætatem culmo erigit, & vaginis quibuſnam natura tanquam ſedula mater includit, ne pubeſcentem glacies adurat, aſpera, atque à nimio defendat ardore, frugem quoque ipſam adhuc primis quaſi erumpentem cunabulis, mox adultam ne pluuia decutiat, ne aura diſpergat ne auium minorum morſus interimat, vallo ariſtarum ſepire ſueuit. Quid igitur miraris ſi homines quos acceperit terra reſtituat, cùm ſeminum corpora quæcumque ſuſceperit viuificet, erigat, veſtiat, muniat, atque defendat. Deſine igitur dubitare quod depoſitum generis humani terræ fides reddat, quæ commẽdata ſibi ſemina vſurario quodam fœnore multiplicata reſtituat. Libro de fide Reſurr.

Digitized by Google

PVNCTVM V.

Vſus.

FAcilius hic vſus, & ad perſuadendum,& accommodatus,ad delectandum: Nam & delicias facit,& multũ conferr ad Eloquentiæ venuſtatem,& ornamenta. Populũ Rom. ex hoc loco multis hortatur ad imperij ſui gloriã retinendam Romanus Orator pro lege Man.n.11. *Maiores veſtri ſæpè mercatoribus iniurioſius tractatis bella geſſerunt;vos tot ciuium Rom. millibus vno nuntio, atq; vno tẽpore necatis,quo tãdem animo eſſe debetis? Legati quod erant appellati ſuperbius,Corinthũ patres veſtri,totius Græciæ lumen extinctũ eſſe voluerunt:Vos eum Regẽ inultũ eſſe patiemini,qui legatũ Populi Rom.conſularem vinculis,ac verberibus atque omni ſupplicio excruciatũ necauit? Illi libertatẽ ciuiũ Rom. imminutã non tulerunt;vos vitam ereptã negligetis? Ius legationis verbo violatũ illi perſequuti ſunt:vos legatum Populi Rom.omni ſupplicio interfectum,inultum relinquetis?*

Poſtea pudorem inijcit,ſi minus virtutis ſuæ vim exeruerint,& in patriam ciueſque ſuos nullum pietatis,amoriſque ſpecimen ediderint.

Videte ne,vt illis pulcherrimũ fuit,tãtam vobis imperij gloriam relinquere:ſic vobis turpiſſimum ſit, illud quod accepiſtis,tueri, & conſeruare non poſſe.

Illuſtris amplificatio quâ varijs oppoſitionibus multiplicem cõparationem inſtituit,reſpondente ſibi ex aduerſo æquali numero membrorum ad inuicem comparatorum.

Illa cõmodior amplificatio,quæ habetur orat. poſt redit.in ſen.n.2.*Quod ſi parentes chariſſimos habere debemus,quod ab iis nobis vita,patrimoniũ, libertas, ciuitas tradita eſt: ſi Deos immort. quorũ beneficio,& hæc tenuimus,& cæteris rebus aucti ſumus: Si Populum Rom. cuius honoribus in ampliſſimo conſilio, & in altiſſimo gradu dignitatis,atque in hac omnium terrarum arce collocati ſumus: ſi hũc ipſum ordinem à quo ſæpè magnificentiſſimis decretis ſumus honeſtati,immenſum quiddam,& infinitum eſt; quod vobis debeamus, qui veſtro ſingulari ſtudio,atque conſenſu parentum beneficia,Deorum immort. munera, Populi Rom. honores, veſtra de me multa iudicia nobis omnia vno tempore reddidiſtis:vt cum multa vobis magna Populo Rom. innumerabilia parentibus omnia diis immortalibus debeamus,quod hæc antea ſingula per illos habuerimus, nunc vniuerſa per vos recuperanimus.*

PVNCTVM VI.

Amplificat.

AD perſuadendum,& amplificandum efficax hic locus, cùm rem vnam multis comparamus,quæ minus probabiles eſſe videantur,veræ tamen ſint, vnde duci ſolet firma concluſio. Qua illud infertur quod veriſimilius ſit, aut cõtra res multas vni cõparamus 3 in Verr. n. 127.*An verò dubitamus, quo ore iſte cæteros homines inferiore loco,auctoritate,ordine; quo ore homines ruſticanos ex municipiis quo denique ore,quos nunquam liberos putauit, Libertinos homines ſolitus ſit appellare,qui ob ius dicendũ M.Octauiũ Ligurem,hominem ornatiſſimum loco,ordine,nomine,virtute,ingenio,copiis poſcere pecuniam non dubitarit.*

Luceij eiuſdem auctoritatem exaggerat quatuor conglobatis argumentis à maiori ad minus, vt refutet quæ aduerſarij criminantur.Pro Cælio n. 54 *Habeo quem,vos ſocium veſtræ religionis iuriſq; iurandi facilè eſſe patiemini L. Luceium,ſanctiſſimum hominem,& grauiſſimum teſtem:qui tantum facinus, in famam, atque fortunas ſuas,neque non audiſſet illatum à Cælio,neque neglexiſſet,neque tuliſſet. An ille vir illa humanitate præditus, illis ſtudiis, artibus atque doctrina,illius ipſius periculum quem propter hæc ipſa ſtudia diligebat negligere potuiſſet? & quod facinus in alienum hominem illatum ſeuerè acciperet id omiſiſſet curare in hoſpite? quod per ignotos actum cum comperiſſet,doleret,id à ſuis tentatũ eſſe negligeret? quod in agris, lociſue publicis factum reprehenderet, id in vrbe,ac ſua domi cœptam eſſe leuiter ferret? quod in alicuius agreſtis periculo non prætermitteret,id homo eruditus in inſidiis doctiſſimi hominis diſſimulandum putaret?*

Ab hoc loco præclarè oſtendit ſibi vitio non vertendũ, licet ductus odio Piſonis,& Gabinij, atrocẽ in eos dicat ſententiã de Prouinciis Coſſ. n.2.*Quid ſi ille,& paulò ante,& quotieſcumque ei locus dicendi ac poteſtas fuit,Gabinium & Piſonẽ, duo Reip.portenta,ac penè funera,cùm propter alias*

causas,

Digitized by Google

cauſas,tùm maximè propter illud inſigne ſcelus eorum,& importunam in me crudelitatem, non ſolùm ſententia ſua,ſed etiam verborum grauitate eſſe notandos putauit : quonam me animo in eos eſſe oportet, cuius illi ſalutem pro pignore tradiderunt ad explendas ſuas libidines?

Cuius argumenti vis eſt.Si Seruilius priuatim læſus cùm fuit opportunum Piſonem acerbè notauit, multò magis id ſibi qui læſus eſt, concedi poteſt, & debet.

PVNCTVM VII.

Mouet.

COmmendat hunc locum ad motus animorũ Tull.metumque facit 3.in Anton.vbi ſentit non modò non vrbe recipiendum , ſed bello perſequendum , proponitque futuram illius in Populum Rom.crudelitatem.n.4. *Hac illa crudelitate imbutus , cùm multò bonis omnibus venerit iratior,quàm illis fuerat,quos trucidarat : cui tandem veſtrum, aut cui omnino bono peperciſſet.*

Cuius argumenti vis ea eſt:militibus quibus non erat iratus perniciem attulit.Ergo maiorem vobis quibus eſt iratior afferet.

Idem vrget pro Cæcin n. 45. *Itane vero ſcire eſſe armatos,ſatis eſt,vt vim factã probes:in manus eorum incidere,non eſt ſatis ? adſpectus armatorum ad vim probandã valebit : incurſus,& impetus non valebit, qui abierit , facilius ſibi vim factam probabit , quàm qui effugerit?*

PVNCTVM VIII.

Laudat.

AD laudationes vti poſſumus hac comparatione:magnificè Cic.ad Quirit.poſt redit à n.9 quibus ſui reditus amplitudinem ab eorum collatione,qui ab exilio aliquando reuocati ſunt cõmendat.Sed illuſtris eſt ille modus pro Planc. n.26.*Etenim ſi ante reditum meum Cn. Plancio ſe vulgò viri boni,cùm hic Tribunatum peteret, vltro efferebant : cui nomen meum honori fuiſſet , ei meas præſentes preces non putas profuiſſe ? An Minturnenſes, quod Ca. Marium ex ciuili errore,atque ex impiis manibus eripuerunt : quod tecto receperunt: quod feſſum inedia fluctibuſque recrearunt : quod viaticum congeſſerunt ; quod nauigium dederunt: quod eum linquentem terram eam,quam ſeruauerat lacrimis,votiſque omnibus proſequuti ſunt,æterna in laude verſantur:Plancio,quod me,vel vt ipſum,vel ratione cedentem tempori,receperit, iuuerit , cuſtodierit,his , & ſenatui Populoque Rom. vt haberent quod reducerẽt conſeruarit:honori hãc fidem,miſericordiã,virtutem fuiſſe miraris ?* 3.in Catil nũ 24. beneficium quod in populum contulerat reſtincta ſeditione extollit, comparatione cæterarum ſeditionum,quæ antea nullæ iſti pares extiterãt. Vt ſe illis vitamque ſuam commendet.

PVNCTVM IX.

Vituperat.

VAlet ad vituperationes,vel eleuandas:vulgaris eſt illa militaris artis & forenſis comparatio pro Muræna n.22.Inſignis eſt & hæc in Piſonem , vbi Conſularis edicti , quo patres ad veſtitum redire iubebãtur, crudelitatem amplificat.n.18.*Edicere eſt auſus cum illo ſuo pari,quem tamen omnibus vitiis ſuperare cupiebat, vt ſenatus, contra , quàm ipſe cenſuiſſet, ad veſtitum rediret. Quis hoc fecit vlla in Scythia barbarus,vt eos, quos luctu afficeret,lugere non ſineret?mærorẽ re linquis? mœroris aufers inſignia : eripis lacrymas non conſolando,ſed minando.Quod ſi veſtem non publico conſilio patres conſcripti,ſed priuato officio,aut miſericordia mutauiſſent , tamen id iis non licere per interdicta crudelitatis tuæ,poteſtatis erat non ferẽde. Cùm verò id ſenatus frequens cenſuiſſet:ordines reliqui iam ante feciſſent : tu ex tenebricoſa Popina Conſul extractus,cum illa ſaltatrice tonſa,ſenatum Reip.occaſum, atque interitum lugere vetuiſti.*

PVNCTVM X.

Hortatur.

VTimur ad cohortationes argumentis à minori ad maius cũ Cic.Mil.n.81.*Græci homines Deorũ honores tribuũt iis viris,qui barbaros necauerũt.Quæ ego vidi Athenis?quæ aliis in vrbibus Græciæ*

Digitized by Google

Græciæ? quas res diuinas talibus inſtitutas viris? quos cantus? quæ carmina? prope ad immortalitatem, & religionẽ & memoriã conſecrantur. Vos tanti cõſeruatorem populi, tanti ſceleris vltorẽ, non modo honoribus nullis afficietis: ſed ad ſupplicium rapi etiam patiemini. His concludit maiori dignum honore Milonem qui cæde Clodij Reip. liberauit, quàm qui Græciæ ciuitates liberarunt.

Pro Archia n. 19. multis Poëſim eius commendat, dignumque ciuitate concludit, hortaturque iudices, vt tantum vatem admittant.

Pvnctvm XI.

Obiurgat.

AD obiurgationes valet plurimum, concitationeſque animorum. Pro Cluentio, n. 32. *Memoria teneo, Mileſiam quandam mulierem, cùm eſſem in Aſia, quòd ab hæredibus ſecundis accepta pecunia, partum ſibi ipſa medicamentis abegiſſet rei capitalis eſſe damnatam: neque iniuriâ, quæ ſpem parentis, memoriam nominis, ſubſidium generis, hæredem familiæ, deſignatũ Reip. ciuẽ ſuſtuliſſet. Quantò eſt Oppianicus in eadem iniuria maiore ſupplicio dignus? Siquidẽ illa, cùm ſuo corpori vim attuliſſet, ſeipſam cruciauit: hic autem illud idem efficit per alieni corporis mortem, atque cruciatum. Cæteri non videtur in ſingulis hominibus multa parricidia ſuſcipere poſſe: Oppianicus inuentus eſt, qui in vno corpore plures necaret.*

Iiſdem argumentis vtitur pro Sylla 48. in Torquantum. *Ac ſi conſiderare cœperis, vtrum magis mihi hoc neceſſe fuerit facere, an tibi; intelliges honeſtius te inimicitiarum modum ſtatuere potuiſſe quàm me humanitatis.*

4. in Verrem, num. 57. 3. Phil. 9. 27. & aliis.

Pvnctvm XII.

Canones.

QVod valet in minori, & in maiori. Claud. ſuauis, & ingenioſus Poëta.

Nullus ab hoſte metus, quis enim quem vincere ſolum.
Non potuit tanto munitum milite vincat?
Quis ferat armatũ quem non ſuperauit inermẽ?

Pro Roſcio Amer. n. 62. *Quod in minimis noxis & in his leuioribus peccatis, quæ magis crebra, & iã propè quotidiana ſunt maximè, & primum quæritur quæ cauſa maleficij fuerit: id Ericius in patricidio quæri non putat oportere: in quo ſcelere etiã cùm multæ cauſæ conueniſſe vnum in locũ, atque inter ſe congruere videntur: tamen non temerè creditur; neque leui coniecturâ res penditur, neque teſtis incertus auditur, neque accuſatoris ingenio res iudicatur.*

Pvnctvm XIII.

Comparatio Partium.

LOcus eſt in quo paria cum paribus conferũtur, cuius ea vis eſt, vt parium par ſit quoque iudicium, & quod in vno valet admittatur in alio. Lex eſt. Qui occiderit patrem inſutus in culeum deiiciatur in profluentem, ergo & qui matrem occiderit.

Beati omnes innocentiâ, virtute, laborum tolerantiâ gloriã æternam ſibi pepererunt; iiſdem nos ad tantum honoris faſtigium gradibus oportet aſcendere.

Eodem modo per negationem concludere poſſumus. Non vitæ turpitudine, non opum aut voluptatum incensâ libidine, in cœlum peruenerunt.

Ne ergo nos in luxu ac deliciis, in omnium rerum abundantia viuentes, honorum cupiditate inflammatos, ardentes libidinum facibus & odij, eodem peruenturos putemus.

Ad eam rẽ Cic. pro Syll. n. 58. *Neque verò quid mihi iraſcare intelligere poſſum, ſi quod eum defẽdo, quẽ tu accuſas: cur tibi quoque ipſe non ſuccẽſeo, qui accuſas eum, quem ego defendo? Inimicũ, inquis, accuſo meum, Et amicũ ego defendo meum. Non debes tamen quemquam in coniurationis quæſtione defendere. Immò nemo magis eum, de quo nihil eſt ſuſpicatus, quam is qui aliis multa cogitauit.*

Quod in vno parium non valet, nec etiã valere poteſt in altero. Pro domo ſua probat legẽ Clodij non eſſe vnam à pari, n. 52. *Tam Hercule eſt*

Digitized by Google

eſt vnum, quàm quod vna lege tuliſti, vt Cyprius Rex cuius maiores huic populo ſemper amici fuerũt cũ bonis omnibus ſub præcone ſubijcerentur, & exules Byſantium, reducerẽtur. Eidem, inquit, *vtraque de re negotium dedi. Sed quid, ſi eidem negotium dediſſes, vt in Aſia Ciſtophorũ flagitaret, indè iret in Hiſp. Cum Roma deceſſiſſet: Conſulatum ei petere: Cùm factus eſſet, Prouinciam Syriam obtineret: quoniam de vno homine ſcriberes, vna res eſſet?*

Hoc eſt, ſicut lex vlla non eſſet, ita nec ea de domo vna eſt. Quod iterum vrget pluribus, n. 124 vtriuſque pronunciati exemplũ eſt, n. 41. *Si quod in cæteris legibus triũm nundinũm eſſe oportet, id in adoptione ſatis eſt, trium eſſe horarum: nihil reprehendo. Sin eadem obſeruanda ſunt: decreuit Senatus M. Druſi legibus, quæ contra legem Cæciliam, & Didiam latæ eſſent, populum non teneri.*

Multis probat ſe nec reprehendendum quod Syllam defenderit, ſi nec Hortenſius, nec viri boni reprehendantur, qui hoc idem fecerunt argumento à pari, n. 4. & deinceps, pro Sylla. *Si coniuratio patefacta per me eſt, tam patet Hortenſio, quàm mihi. Quam cum videas honore hoc, auctoritate, virtute, conſilio præditum, non dubitaſſe, quin innocentem Syllam defẽdere: quæro, cur qui aditus ad cauſam Hortenſio patuerit, mihi intercluſus eſſe debuerit. Quæro illud etiam, ſi me qui defendo, reprehendendum putas eſſe, quid tandem exiſtimes de his ſummis viris, & clariſſimis ciuibus, quorum ſtudio, & dignitate celebrari hoc iudicium, & ornari, cauſam defendi huius innocentes vides?*

Poſt multa concludit illam amplificationem à pari, n. 7. *Quamobrem quid eſt, quod mirere, ſi cum ijſdem me in hac cauſa vides adeſſe, cum quibus in cæteris intelligis abfuiſſe? niſi vero me vnum vis ferum præter cæteros, me aſperum, inhumanum exiſtimari: me ſingulari immanitate, & crudelitate præditum.*

Parem eſſe bonis bonum eſt, malis malum, 3. Phil. n. 17: *Quid accidere Octauio adoleſcenti potuit optatius, quàm cognoſci ab omnibus Cæſaris conſiliorum eſſe ſocium, Antonij furoris inimicum?*

Hinc verum eſt dictum illud pium. Similem eſſe Chriſto, honor eſt diſſimilem, dedecus, quod in vno bonum eſt illud quoque bonum in pari ſolet eſſe, n. 16. 3. Phil. *Sed Aricinam vxorem non probas, cur probas Tuſculanam?*

Eſt illud Martialis elegans & ingenioſum ab effectis ex loco à pari, l. 5. Epigr.

Aſtra ſolũmque dedit quamuis obſtante nouerca:
Alcidæ Nemeæ terror, & arcus Aper.
Et caſtigatum Libycæ ſe Roma paleſtræ:
Et grauis in Siculo puluere fuſus Erix.
Illa tua, Cæſar quoties pars ſpectatur arena:
Dat maiora nouus prælia mane dies.

Quod ſic à comparatione diſſimilium concludit.

Pro meritis cœlum tantis Auguſte dederunt,
Alcidæ cito Dij, ſed tibi ſero dabunt.

A paribus item eiuſdem eſt, l. 8. Epigr. 35:

Cùm ſitis ſimiles, pareſque vita.
Vxor peſſima, peſſimus maritus,
Miror non benè conuenire vobis.

Pvnctvm XIV.

Vſus.

Confert non parum ad motus, & amplificationes; grauis eſt illa 5. Phil. Vbi Hannibali Quiritium hoſti infenſiſſimo componit Antonium, n. 25. *Ergo Hannibali hoſtis, ciuis Antonius? quid ille fecit hoſtiliter, quod hic, aut nõ fecerit, aut nõ faciat aut non moliatur, & cogitet? Totũ iter Antonij quid habuit niſi depopulationes, cædes, rapinas? quas non faciebat Hannibal, quia multa ad vſum ſuum reſeruabat.*

Verrem 7. Act. n. 48. obiurgat ironicè. *At enim idcirco nauẽ Mamertinis non imperaſti, quod ſint fœderati Dij approbẽt. Habemus hominem, in fecialiũ manibus educatum: vnus præter cæteros, in publicis regionibus fœderum ſanctum, & diligentem. Omnes, qui ante prætores fuerant, dedãtur Mamertinis quod iis cõtra pactionẽ fœderis imperarint. Sed tamẽ, tu ſancte homo, ac religioſe, cur Tauromitanis item fœderatis nauem imperaſti? an hoc probabis in æqua cauſa populorum ſine pretio varium ius, & diſparem conditionem fuiſſe?*

Paria valent ad exornandum, in hunc finem adhibuit Cic. pro Roſc. Am. cum docuit non eſſe turpem illorum artem, qui ſubigendæ terræ opibus, & dignitate præſtantes operam poſuerint,

Ex pari iudicio bonorum omnium damnatum Catilinam diſcedendum ex vrbe ſeuerè grauiterque monet, 1. in Cat. n. 17. *Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? ſerui mehercule mei ſi me iſto pacto metuerent, vt te metuunt omnes ciues tui, domum meam relinquendam putarem: tu tibi vrbem non arbitraris, & ſi me meis ciuibus iniuria ſuſpectum tàm grauiter, atque offenſum viderem: carere me aſpectu ciuium, quàm infeſtis omnium oculis conſpici mallem. Tu cùm conſciētia ſcelerum tuorum agnoſcas odium omnium iuſtum, & iam tibi diu debitum, dubitas, quorum mentes ſenſuſque vulneras, eorum adſpectum, præſentiamque vitare? Si te parentes timerent, atque odiſſent tui, neque eos vlla ratione placare poſſes: vt opinor ab eorum oculis aliquo concederes. Nunc te patria, quæ cōmunis eſt omnium noſtrum parens odit, ac metuit: & iamdiu te nihil iudicat, niſi de parricidio ſuo cogitare. Huius tu neque auctoritatem verebere, neque iudicium ſequere, neque vim pertimeſces?*

PVNCTVM XVII.

Vſus ſine argumento.

VT cæteri omnes loci, ſic & hic à comparatione extrà argumentum, venire in vſum poteſt cùm id adiuncta comparatione maiorum, minorum, aut Parium dicimus, quod illa omiſſa dici potuit, licet minus ornatè. Quod obſeruatū eſt à Cic. 7. in Verr. n. 14. *o præclarum Imperatorem, nec iam cū M. Aquilio fortiſſimo viro, ſed vero cum Paulis, Scipionibus, Mariis, conferendum!*

5. In eundē. n. 83. *Quæ cum de populi Rom. victu, de vectigalium neruis, de ſanguine detraxiſſet ærarij, tertiæ Mimæ condonauit, Vtrum impudentius à ſociis abſtulit populo Rom. ademit? an audacius publicas tabulas commutauit?*

Sed omninò benè 6 Verr. n. 112. *Anne tu ſimulacrum Cereris victoriam deripere, & Deam Deæ detrahere conatus es? quorū nihil violare nihil attingere auſi ſunt, in quibus erant omnia, quæ ſceleri propiora ſunt, quàm religioni. Tenuerunt enim P. Popilio, P. Rupilio Coſſ. illum locum ſerui, fugitiui, barbari, hoſtes; ſed neque tàm ſerui, illi dominorum quàm tu libidinum: neq; tàm fugitiui illi à dominis quàm tu à iure, & à legibus: neq; tàm barbari lingua, & natione illi, quàm tu natura, & moribus: neq; illi tàm hoſtes hominibus, quàm tu Diiis immortalibus. Quæ deprecatio eſt igitur illi reliqua, qui indignitate ſeruos, temeritate fugitiuos, ſcelere barbaros, crudelitate hoſtes viderit?*

Sic pro crudeli, Oenomao, Bruſiride, Antheo, vel Donyſio aut Sylla crudeliorem licet dicere: ſimiliter doctum, & Clemētem, & Iuſtum Piumque deſcribere, facta cum aliis eiuſdem generis, & conditionis comparatione.

Per negationem verò Ciceronem nominare poſſumus non aliquem à triuio Oratorem, ſed cum Pericle, Demoſthene aliiſque præſtantiſſimis Oratoribus conferendum, imò multis anteponendum.

Differt hic locus à ſimilitudine, quod in ſimilibus non quæruntur qualitas & exceſſus, ſed tantùm ſimilis qualitas, aut propoſitio, nulla quantitatis habita ratione, per quam res vna, altera maior, eſt, aut minor, aut illis æqualis.

Secundo, quod ſimilitudo in probando vim non multam habet, ſed in explicando, ornandoque venuſtatem. Comparatio firmiſſima ſuggerit argumenta. In eo conueniunt, quod vterque aliis locis miſcetur, rerumque effectus adiuncta, cauſas, conſequentia, alia quæ rem attingunt, perſequitur, vt inde argumentum, aut amplificationem eliciat, imò locis non minus extrinſecis, quàm intrinſecis, vtatur.

PVNCTVM I.

Definitur.

EFfecta dicuntur à Cic. quæ ſunt orta de Cauſis, ex quibus ad omnia Cauſarum genera ducuntur argumenta, vti ex omnibus cauſarum generibus ipſa demonſtrantur. Nam & Cauſam efficientem ex his inveſtigamus Militia auget Imperij dignitatem, Remp. conſeruat, exteras nationes atque Prouincias ad ditionem noſtram adiungit, quis igitur magnam in Rep. dignitatem habere neget militiam.

Finem ſimiliter ex effectis probamus Princeps delectum habet militum, conſcribit legiones, magnum belli apparatum inſtruit, duces conuocat. Ergo bellum meditatur. Ex hoc fonte Poëta magnus 9. Æn.

Durum à ſtirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, ſævoque gelu duramus, & vndis.

Effectus materiæ cognoſcetur, ſi quid ex illa proficiſcatur, attendas. Quid nobis eſt à corpore, niſi diurna mutatio? quod intellexit Virg. Georg. 3. vbi miſeros homines concludit.

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit, ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus.

Quid igitur homine miſerius, qui in horas mutatur?

A forma, ſcilicet animo immortali cõmendatur homo, colligiturque præſtantiſſimus omniũ, quòd animam rationis participem ſortitus ſit.

In iudiciis regnat, quòd indè affectus iræ odij, miſericordiæ concitari poſſint, enumeratis incõmodis. vel commodis, quæ ex impunitate alicuius, aut ſuplicio naſcuntur.

In demonſtrativo, nihil effectis vberius eſſe poteſt ad laudes, & vituperationes quas qui libet conſequitur à rebus ſuis præclarè, vel infeliciter geſtis.

In Deliberatiuo quot effecta neceſſariò ſubiiciuntur oculis, vt animos ad aliquid impellamus, aut incitatos reuocemus? Propoſitâ laude, vel infamiâ, &c.

PVNCTVM II.

Canones.

EFfectu poſito, neceſſe eſt præfuiſſe cauſas ad effectum neceſſarias. Homo eſt conditus; eſt igitur ad æternam felicitatem, ex corpore, & anima compoſitus.

Frequens eſt argumentandi modus ab attributis effectorum, ad ſimilia. Scilicet à bonitate effectus, ad bonitatem cauſæ, à præſtantia illius, ad huius præſtantiam. Item ab effectu laudabili ad laudem cauſæ. Hoc ipſum declarat Cic. pro Mur. dùm rei militaris virtutem cæteris omnibus præſtare contendit n. 22, *Hæc nomen Populo Rom. hæc huic vrbi æternam gloriam pèperit: hæc orbem terrarum parere huic imperio coegit, omnes vrbanæ res, omnia hæc noſtra ſtudia, & hæc forenſis laus, & induſtria latent in tutela, ac præſidio bellicæ virtutis: ſimulatque increpuit ſuſpicio tumultus, artes illicò noſtræ conticeſcunt,*

Eodem. n. probauerat ad Conſulatum adipiſcendum multò plus attuliſſe dignitatis Murænæ rem militarem, quàm iuris ciuilis gloriam Sulpitio, ab vtriuſque effectis inter ſe comparatis Quod ornamentum quidem inſigne eſt quoties plura inter ſe componuntur. *Vigilas tu de nocte, vt tuis conſultoribus reſpondeas; ille vt quò intendit, maturè cum exercitu perueniat; tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit.*

Tunc enim licet vnamquamque rem ex ſuis effectibus æſtimare & hæc illis opponere, atque indè rem vnam inferiorem alterâ, vel præſtantiorem, vel ei æqualem, præferendam, aut poſtponendam concludere. Quod quidem duobus modis effici poteſt, aut percèſendo effectus omnes vnius rei; deindè alterius ſubjungendo, vel ſingulos ſingulis proximè conferendo.

PVNCTVM III.

Vſus.

TAm copioſus inter cæteros, vt aliquando partes Orationis integras in eo penè ſolo verſari

verſari Tull. in Topicis affirmare non dubitaverit. In laudationibus valet potiſſimum, ac vituperationibus, quæ ex rerũ benè, vel malè geſtarum enumeratione cõſtant; quibus virtutes hominum, aut vitia, fontes illarum, & capita, ſatis intelliguntur, Ita paſſim Cic. pro Marcello Cæſarem ab effectis laudat: Pompeij virtutem, auctoritatem, felicitatem, pro lege Manil: Verrem à rebus improbè, nefarieque geſtis. Piſonem cũ Collega Gabinio, Antonium in Philipp. Vatinium & alios notat, inſectaturque graviſſimè.

Quod ſi tractetur infinita quæſtio, nec aliquid certis temporibus, negotiis perſonis definitum explicetur, ſed rei natura à particularibus circũſtantiis abſtracta & per ſe condita incognitaque inveſtigetur tùm conſequẽtes illius proprietates, & effectus quæruntur, per quos rei natura qualis ſit facilè colligi poteſt à poſteriori, qualis item illius dignitas, vtilitas, difficultas. Inſignis eſt ille locus 1. de Orat. num. 30. Vbi pluribus Eloquentiam ejuſque dignitatem, neceſſitatem jucunditatemque commendat ab effectis Craſſus. *Neque verò mihi quidquam præſtabilius videtur, quàm poſſe dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere quò velit, undè autẽ velit, deducere. Hæc vna res in omni libero populo, maximeque in pacatis, tranquilliſque civitatibus præcipuè ſemper floruit, ſẽperque dominata eſt. Quid enim eſt aut tam admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum exiſtere unum, qui id, quod omnibus natura ſit datum, vel eum paucis facere poſſit aut tàm jucundum cognitu atque auditu, quàm ſapientibus ſententijs, gravibusque verbis ornata oratio, & perpolita? aut tàm potens, tãque magnificum, quam populi motus, judicum religiones, Senatus gravitatem unius oratione converti? Quid tàm porro Regium tàm liberale, tã magnificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate? Quid autem tam neceſſarium, quàm tenere ſemper arma, quibus vel tectus ipſe eſſe poſſis, vel provocare improbos, vel te vlciſci laceſſitus?*

Antonium hoſtem infenſiſſimum patriæ facit ac vituperat vt Hannibalem effectis 5. Phil num, 2. *Poſt autem, neque ſacrificiis ſolẽnibus factis, neque votis nuncupatis, nõ profectus; eſt ſed profugit paludatus. At quò? in provinciã fortiſſimorũ civium; qui illũ, ne ſi ita quidem veniſſet, vt nullũ bellum inferret, ferre potuiſſent: impotentem, iracundũ contumelioſum, ſuperbum, ſemper poſcentẽ, ſemper rapientem, ſemper ebrium. At ille cujus ne paratam quidẽ nequitiã quiſquam ferre poſſet, bellum intulit Provinciæ Galliæ: circumſedit Mutinam firmiſſimam & ſplendidiſſimã Populi Rom. coloniam: oppugnat D. Brutum Imperatorẽ Conſulẽ deſignatum, civem nõ ſibi, ſed nobis & Reip. natũ: Ergo Hãnibal hoſtis, civis Antonius? quid ille fecit hoſtiliter, quod hic aut nõ fecerit, aut non faciat, aut non moliatur, & cogitet Totum iter Antonij quid habuit niſi depopulationes? vaſtationes, cædes, rapinas*

PVNCTVM II.

Amplificant. Deſcribunt.

Conferunt plurimùm effectus in omni genere dicendi propoſita eorum pulchritudine, aut cõtrariis, præcipuè verò in deſcriptionibus, cum auditorum oculis ſubijciuntur Vrbis direptæ faciem miſerandã deſcribit Saluſt. in Catil. Plerique eorum qui ante me dixerunt, copioſè ſatis ac magnificè caſum Reip. miſerati ſũt etiã rapi Virgines pueros à complexu parentum divelli matres-familias pati, quæ victoribus collibuiſſent, fana domoſque ſpoliata, cædem & incendia fieri, poſtremò armis, cadaveribus, cruore omnia repleri:

Effecta coacervata membratim ſi vibrentur odium, aut miſerationem excitant. Copioſè D. Ambroſ. de ſac. cap. 7. inſanam habendarum pecuniarum libidinem damnat. *Quid de avaritia dicam inſatiabili pecuniæ cupiditate, & quadam æris libidine, quæ quò plura abſtulerit, eò magis inopem eſſe ſe credit? omnibus invidia, ſibi vilis; in ſummis divitijs inops, affectu extenuat quod cenſu abundat. Nullus rapiendi modus, ubi nulla menſura cupiendi. Sic inflammat, ſic igne ſuo paſcit animum, ut hoc ſolo diſtet, quod ille voluptatis formarum adultera ſit, iſta terrarum. Elemen concutit, mare ſulcat, terram effodit, cœlum votis fatigat nec ſereno grata, nec nubilo, condemnat proventus annuos, fœtuſque arguit.*

Germanam libidinis, & morborum matrem gulã dicit Chryſol. 1 *Bella gentiũ legimus ſuperaſſe quam-plurimos, quos tamen pugnã carnis legimus*

Digitized by Google

mus non viciſſe, & audivimus eos dediſſe delictis pectoris, qui dorſa hoſtibus non dederunt. Proh dolor! victores gentium, vitiorum fuiſſe captivos; ſtetiſſe inter ſævientes gladios, & inter eneruata lenocinia corruiſſe, regnis fuiſſe terrori, ludibrio fuiſſe peccatis: adverſas acies contriviſſe, jejunos, & crapulatos ſuorum caſtra diſſolviſſe virtutum, jacuiſſe effuſo vino, qui jacere effuſo ſanguine neſcierunt. Hoc non eſt ratio, ſed languor, non vita, ſed febris? phraeneſis, non natura. Nam quoties ciborum cruditas vitalia dejicit, inficit ſtomachum, corrumpit ſanguinem, vitiat humores, ſuccendit choleram, extremum febris gignit incendium, toties æger mentem perdit, amittit ſenſu fertur deſiderijs, contrarijs urgetur, ſalutaria reſpuit, quærit noxia.

Quantam malorum meſſem invehat avaritia, quantam ſtragem faciat, docet Conſt. Manaſſes in Annalib. quod facit per adverſantia cõglobata. Crudelis hominum perſequutor aurum, nulla res in hominum vita tecum in certamẽ venire poteſt. Durum emollis, mollem induras; linguam mutam ſoluis, loquacem comprimis: currendo valentem tardum efficis, ac viciſſim de tardo volucrem. Corda inflammas & voluptate quadã demulces; ſenſus illecebris, ac præſtigiis quibuſdam excantas: cùm interim venuſtas illa tua, nõ minus veneno ſuo, quàm vipera noceat. Leges & iura proculcas: verecundiam, & pudorem abigis, ſepulchra violas, parietes perforas; nihil non habes venale, nihil non prodis Nimirum fabula mera eſt quod vulgò dicitur, adamantum ſolum ſanguine molliri. quid enim te poſſit eſſe efficacius, etiam in ſaxis emolliendis?

Aliàs, plures effectus conglobentur ad majorem vim per deſcriptionem, quæ ſubijcitur oculis potius, quàm auribus. Ebrietatis & intemperantiæ vel quoduis aliud vitium ex hoc loco depinges. Quis peſtes atque morbos omnes numerando percenſere poſſit, quos in humanum genus importat hoc infame vitiũ? extinguit rationis lumen, obtundit aciem ingenii, animique conſilium obtenebrat, vt in homine temulento videre potuiſti. Quid enim belluæ ſimilius, imò quid infrà belluas abjectius? vt lubricus eſt inceſſus? vt micãt oculi, ſpumat os, diffluũt genæ, pectus languet, pedes titubant, greſſus incertus, totum corpus attonitum, & ruinoſum animi domiciliũ horret? vt incerta verba ſui impos eructat cum teterrima crapula? Interim ſepulta ratio in fumoſis vini vaporibus nullum uſum retinet, vigilãs ſomniat, ſine mari fluctuat, ſine hoſte terrores patitur, ſine febri corporibus tremit, vt ſtipes jacet, vt inſonto morbo ſpumat: vt canis vomit? ô rẽ non modò viſu fœdam, ſed & auditu injucundam! quid hac imagine, quid his ſordibus tetrius fingi poteſt, aut excogitari?

Quòd ſi nõ ſolum temulentum inſpicias dùm præſentior eſt morbus, atque vehementior, ſed concocto edomitoque per ſomnum mero, Deus immortalis qualis evigilat! quid ex frequẽtibus poculis niſi fæx moroſæ ſenectutis relinquitur? Viden' tremunt artus, laxantur nerui, & quo mẽs ſæpius obruta vino eſt, aſſurgere ad altiora nõ poteſt, neque niſi de ſepulchro ſuo, hoc eſt, de iis quibus viva ſepelitur deliciis, cogitare

Eandem ebrietatem paucis vituperat Horat. lib. 1: epiſt. 5. ad Torquatum.

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit,
Spes jubet eſſe ratas, in prelia trudit inermem.
Sollicitis animis onus eximit; addocet artes
Fæcundi calices, quem non fecère diſertum;
Contractâ quem non in paupertate ſolutum?

PVNCTVM I.

Per negationem.

NOnnunquam ex effectuũm negatione cauſas negamus; Ita nõ eſſe negligentem probare potes aliquem ex negatione effectuum negligentiæ. Nõ vagatur otioſè per urbem, nec officio deeſt aſſiduus, non obiter ac perfunctoriè res ſuas agit, non ad multam diem ſtertit iners. Næ tu igitur iniquus es qui negligentẽ eũ appelles?

Tum illuſtris eſt argumẽtandi ratio, cùm aliqua objecta ſint ab adverſariis? quæ facilè oppoſitis effectibus refelluntur: tunc ludere poteſt Orator, & quaſi pilam adverſarium, omnes in partes verſare, interrogando, ſubjectionibus, repetitionibus, apoſtrophe definitionibus frequẽter utendo:

Huc

Hûc pertinent Metonymiæ , quæ cauſam declarant per effectum,vti contra per eundem tropum effectus per cauſam poteſt intelligi. Poſt reditum in ſen. orat.n.7.Cic. Lentulum à ſe nominatum ornat rebus in gratiã ſuam factis.*Princeps Lentulus parens ac Deus noſtræ fortunæ , memoriæ,nominis,hoc ſpecimen virtutis.*

Valet hic dicendi modus ad locutionum varietatem,vt,ſi de de Scipione Africano ſæpius in eadem Oratione ſermo incideret,modo euerſorem Carthaginis,modo victorem Aſiæ appellare poſſemus;ſi de ſanctiſſimo Sacramento, nunc gratiæ originem, ac fomitem , modò caſtitatis auctorem , ac conſervatorem , modo ſanctitatis largitorem Chriſtum ſub ſpeciebus latentem diceremus.

Hic vſus etiam ad numerum Orationis,& periodi circumſcriptionem facit.Nempe ſi non ſatis plena ſit hæc Oratio, Scipioni triũphum Senatus decrevit,poterunt effecta conglobari,Scipioni illi Carthaginis everſori,illi patriæ acerrimo defenſori,illi Numantiæ domitori potentiſſimo,Senatus egregiæ virtutis teſtimonium ampliſſimos honores meritò decreuit.

LECTIO XV.

Locus à comparatione Maiorum, Minorum,Parium.

QVia cum triplici genere res quæpiam conferri poteſt,ideò locus hic à comparatione triplex eſt Rerum enim aliæ majores ſunt , hoc eſt veriſimiliores,&quibus id de quo agitur,potiori jure conveniat: Aliæ minores,id eſt minus veriſimiles,quibus non æquè res aliqua conveniat, ac ei,cum qua conferuntur: Aliæ in æquali gradu veritatis ſunt,vt vtris res potius conveniat illiſnæ conferuntur , an potius illis quibuſcum conferuntur,non ſatis cognoſcas.Itaque pro veriſimilitudinis,ac probabilitatis ratione hic locus triplex eſt,quia triplicem ob finem vti quis exemplo poteſt , vt maiorem faciat rem qua de agitur,adducto exemplo vel vt minorem,vel vt parem.

PVNCTVM I.

Comparatio Maiorum.

LIcet ipſa comparatio minus habeat ingenii, ſi tamen rectè quis vtatur, eſt ad perſuadendum ſatis efficax , præſertim apud plebejos , & craſſioris ingenii viros,imò etiam præſtabiles,ſi modò variam ſapiat eruditionem.

Comparationem vocamus , ait Rodol. Agricola lib.1.cap.25.cùm duo,vel plura in tertio aliquo conferuntur , quod commune ſit eis. Vt Catoni licuit ſequi bellum civile,Ergo Ciceroni licebit. Commune eſt hic ambobus , ſequi bellum civile· Exemplum eſt ſpecies quædam comparationis,quod colligitur vel à maiori ad minus,vel à pari,vel quod frequentius eſt à minori ad maius.

A maiori porrò ducitur argumentum cùm, quod veriſimilius eſt, & convenientius,aut non convenit tamen,aut verum eſt,colligimus aliud quod veriſimile , minuſque conveniens eſt,non convenire,ac verum eſſe. Cic· pro domo, docet Deos Immort. ſuam domum non concupiiſſe, quòd ne homines quidem ſceleratiſſimi,quos illam concupiſſe æquius erat,illam expetiverint. In quo exemplo,vt & in aliis ductis à comparatione majorum,ne id putes maius eſſe,quod prę-ſtãtioris eſt dignitatis,ſed potius id quod veriſimile eſt.Sic enim ille n.108.*Civis eſt nemo in tãto populo,extra contaminatam illam,& cruentam P. Clodij manum,qui rem vllam de meis bonis attigerit,qui non pro ſuis opibus in illa tempeſtate defenderit.At qui aliqua ſua contagione prædæ,ſocietatis, contaminaverunt,nullius neque privati , neque publici iudicij pœnam effugere potuerunt.Ex his igitur bonis quorum nemo rem vllam attigit, qui non omnium iudicio ſceleratiſſimus haberetur, Dij immortales domum meam concupierunt.*

Perindè infertur multò minus Dii,nam in hoc argumento maius, aut minus aliquid cenſetur, prout ei res de qua agitur,verius,aut minus verè convenit.

Præterea in argumento à maiori ſemper tùm id,quod infertur,tùm,id ex quo confertur negationem adiunctam habet , vt ſcelerati domum

Digitized by Google

meam non concupierunt;hoc argumentum eſt, ex quo infertur complexio, quæ negationem æquè adiunctam habet, ergò multò minus Dij concupierunt.

PVNCTVM II.

Canones.

EA vis eſt argumentationis à maiori ad minus vt ſi quod magis probabile videtur, id tamen non eſt verum,certè quod minus eſt probabile verum non erit. Si quinque legiones hoſtilem exercitum vincere non potuerunt,multò minus duæ poterunt, ſic quod maiori negatur minori tribui non debet. Hector ſummâ licet virtute,animique, & corporis fortitudine vir Troïam à Græcorum armis non defendit,mollis & effœminatus Paris tuebitur?

Tale eſt illud Cic. pro Sexto Amer quo probat Syllam non omnia animaduertere potuiſſe. cùm Iupiter ipſe non poſſit.n.131. *Etenim ſi Iup. Opt.Max.cuius nutu & arbitrio Cœlum,terra,mariaq; reguntur,ſæpè ventis vehementioribus,aut immoderatis tempeſtatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit,vrbes deleuit fruges perdidit;quorum nihil perniciei cauſa,diuino conſilio,ſed ui ipſa, & magnitudine rerum factum putamus:at contra commoda quibus vtimur, lucemq; qua fruimur,ſpiritumq; quem ducimus, ab eo nobis dari,atque impertiri videmus. Quid mirum L.Syllam,cùm ſolus Remp. regeret, orbemq; terrarum gubernaret,imperijq; maieſtatem, quam armis receperat,legibus confirmaret,aliqua animaduertere nō potuiſſe?niſi hoc mirū eſt,quod eſt,quod vis diuina aſſequi nō poſſit,ſi id mēs humana adepta nō ſit.*

In diuinat.contra Cæcilium ex hoc loco diſputat.n.40 *Quod ſi ego hac propter magnitudinem rerum,ac difficultatem aſſequi non poui, qui in omni vita nihil aliud egi;quàm longè tute ab his rebus abeſſe arbitrare,quas non modò antea nunquam cogitaſti,ſed ne quidem,cum in eas ingrederis,quæ & quanta ſint,ſuſpicari potes?*

Quod valet in maiori,valet in minori.Gygantem vicit,& Pygmeum ſuperarit.

O paſſi grauiora,dabit Deus his quoque finem.

Conſolabatur ſuos Virg. Exul. Ovid. 1.

Cur ego poſſe negem leniri Cæſaris iram.
Cum videam mites hoſtibus eſſe Deos?

Pro Mil. n. 42. *Quem cum omnium gratia noluit Hunc voluit cū aliquorū querela,quem iure, quem impune non eſt auſus,hunc iniuria,iniquo loco alieno tempore,periculo capitis,non dubitavit occidere.*

LECTIO III.

Vſus.

FRequens eſt in amplificationibus,dùm licere nobis parua dicimus,cùm aliis maiora conceſſa ſint:vel certè levius aliquid facere,aut pati qui gravius antea geſſerunt. Sic argumento, à maioribus feſtiva ad placendum allegoria Sulpitio aſſentatur,dùm Iuriſprudentiam Eloquentia tantò ſuperiorem facit, quantò fontes rivulis ſunt aupliores Orat.pro Mur.n.9. *Atque huiuſce rei coniecturam de tuo ipſius ſtudio, Servi facillimè ceperis. Nam ſi tibi neceſſe putas, etiam aduerſarijs amicorum tuorum de iure conſulentibus reſpondere:& ſi turpe exiſtimas,te aduocato,illum ipſum,quē contra veneris, cauſa cadere:noli tàm eſſe iniuſtus,vt cùm tui fontes,vel inimicis tuis pateant noſtros rivulos etiam amicis putes clauſos eſſe oportere.*

Habet in hoc genere benè longam amplificationem ſed elegantem pro Mil. qua contendit non eſſe decretum à Cn. Pompejo in gratiam Clodii, vt nouo quodam more, de Clodii nece quereretur,quod nō eſſet id antea factum inRep. multò clarioribus lucis interfectis,aui violatis.à n.16. *Domi ſuæ nobiliſſimus vir,Senatus propugnator,atque illis quidem temporibus penè patronus, avunculus huius noſtri judicis,fortiſſimi viri M. Catonis, Tribunus Pleb. Mar. Druſus occiſus eſt. Nihil de eius morte populus conſultus, nulla quæſtio decreta à Senatu eſt,quantum luctum in hac urbe fuiſſe à noſtris patribus accipimus,cum P. Africano domi ſuæ quieſcenti illa nocturna vis eſſet illata? quis tùm non ingemuit?quis non arſit dolore? quem immortalem ſi fieri poſſet omnes eſſe cuperent, eius ne neceſſariam quidem expectatam eſſe mortem.*

Pro quibus omnibus cùm nulla ſimilis quæſtio decreta ſit,nullam Clodio fieri debuiſſe concludit,qui tot illuſtribus viris mortē intentaverat.

Pro

Digitized by Google

Pro Syll. quod ſciret Regis nomen poſt exactos Reges Romanis ſemper odioſum fuiſſe, illud non affectaſſe Cic. probat, à maiori ad minus n. 21. per Dialogiſmum. *Hic ait ſe ille regnum meũ ferre nõ poſſe. Quod tandem; Torquate, regnũ? Cõſulatus credo mei, in quo ego imperaui nihil, ſed contra patribus conſcriptis, & bonis omnibus parui; quo in magiſtratu non inſtitutum eſt à me regnum, ſed non permiſſum.*

Hoc totum concludit à diſſentaneis.

Iam à maiori. *Quem tùm in tanto imperio, tanta poteſtate, non dicis fuiſſe Regem, nunc priuatum regnare dicis; quo tandem nomine? quòd, in quos teſtimonia dixiſti, inquit, damnati ſunt, quem defendis ſperas ſe abſolutum iri. Hic tibi ego de teſtimoniis meis non reſpondeo: ſi falſum dixerim, te in eos dixiſſe. Sin verum: non eſſe hoc regnare, cùm verum iuratos dicas probare.*

Ad hunc locum reuocari poſſunt gradationes oratoriæ, qualis illa pro Milone n. 62. *Quod ſi nondum ſatis cernitis, cùm res ipſa tot tàm claris argumentis, ſignisq; liceat, pura mente atque integra Milonem nullo ſcelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla cõſcientia exanimatum Romam reuertiſſe: Recordamini per Deos immort. quæ fuerit celeritas reditus eius: Qui ingreſſus in forum, ardente curia, quæ magnitudo animi, qui vultus quæ Oratio. Neque verò ſe populo ſolùm, ſed etiam Senatui tradidit; neque Senatui modò, ſed etiam publicis præſidiis, & armis: Neque is tantum, verùm etiam eius poteſtati, cui Senatus totam Remp. omnem Italiæ pubem, cuncta populi Rom. arma commiſerat, cui ſe nunquam profectò tradidiſſet, niſi cauſæ ſuæ confideret, præſertim omnia audienti, magna metuenti, multa ſuſpicanti, nonnulla credenti.*

Orat. pro Planc. probat ſe defenſori ſalutis ſuę gratias referre debuiſſe, quod Populus Rom. id facere non dubitauerit, n. 78. *An verò putas, idcirco minus mea cauſa facturos, quod me eſſe gratũ crimineris; an, cùm Populus Rom. illo SC. quod in monumento Marij factum eſt, quo mea ſalus omnibus eſt gentibus commendata, Cn. Plancio gratias egerit (vnus enim fuit de magiſtratibus defenſor ſalutis meæ: cui Senatus pro me gratias agendas putauit) ei ego à me referendam gratiam non putem?*

PVNCTVM IV.

Comparatio Minorum.

Frequentiſſimum eſt argumẽtum quod à minori ad maius ducitur, ſuperiori oppoſitum; cuius iſta vis eſt. Si quod minus probabile eſt, nihilominus verum eſt, ergo & quod magis erit probabile verum erit exiſtimandum. Si duabus legionibus vinci potuit hoſtilis exercitus, certè poterit idem à quatuor ſuperari.

Vnius Chriſti causâ non ſanguinem modò ſed & vitam Martyres effuderunt: nos exiguam eiuſdem causâ Chriſti contumeliam non perferemus?

Quæ porrò ducuntur ex hoc loco argumenta pleráque ſunt affirmatiua. 2. in Verr. n. 28. *Quid eſt quæſo, Metelle, iudicium corrumpere, ſi non eſt? teſtes præſertim Siculos timidos homines, & afflictos, non ſolùm auctoritate deterrere, ſed etiam conſulari metu; & duorum Prætorum poteſtate? Quid faceres pro homine innocente, & propinquo, cùm propter hominẽ perditiſſimum, atque alieniſſimum, de officio ac dignitate decedis: & committis vt quod ille dictitat, alicui qui te ignorat, verum eſſe videatur?*

Sic D. Ambroſ. corporum reſurrectionem probat ex ſeminibus poſt frigidam hyemis tempeſtatem à terra verno tempore ſurgentibus. Cùm occata, & mortua ſoli genitalis ſuccus animaduertit quodam calore vitali ſpiritum quendam herbæ viridantis exhalant; deinde paulatim teneram ſpicæ adoleſcentis ætatem culmo erigit, & vaginis quibuſnam natura tanquam ſedula mater includit, ne pubeſcentem glacies adurat, aſpera, atque à nimio defendat ardore, frugem quoque ipſam adhuc primis quaſi erumpentem cunabulis, mox adultam ne pluuia decutiat, ne aura diſpergat ne auium minorum morſus interimat, vallo ariſtarum ſepire ſueuit. Quid igitur miraris ſi homines quos acceperit terra reſtituat, cùm ſeminum corpora quæcumque ſuſceperit viuificet, erigat, veſtiat, muniat, atque defendat. Deſine igitur dubitare quod depoſitum generis humani terræ fides reddat, quæ commẽdata ſibi ſemina vſurario quodam fœnore multiplicata reſtituat. Libro de fide Reſurr.

Digitized by Google

PVNCTVM V.

Vſus.

FAcilius hic vſus, & ad perſuadendum,& accommodatus,ad delectandum: Nam & delicias facit,& multũ confert ad Eloquentiæ venuſtatem,& ornamenta. Populũ Rom. ex hoc loco multis hortatur ad imperij ſui gloriã retinendam Romanus Orator pro lege Man.n.11. *Maiores veſtri ſæpè mercatoribus iniurioſius tractatis bella geſſerunt:vos tot ciuium Rom. millibus vno nuntio, atq; vno tẽpore necatis,quo tãdem animo eſſe debetis? Legati quod erant appellati ſuperbius,Corinthũ patres veſtri,totius Græciæ lumen extinctũ eſſe voluerunt:Vos eum Regẽ inultũ eſſe patiemini,qui legatũ Populi Rom.conſularem vinculis,ac verberibus atque omni ſupplicio excruciatũ necauit? Illi libertatẽ ciuiũ Rom. imminutã non tulerunt;vos vitam ereptã negligetis? Ius legationis verbo violatũ illi perſequuti ſunt:vos legatum Populi Rom.omni ſupplicio interfectum,inultum relinquetis?*

Poſtea pudorem iniicit,ſi minus virtutis ſuæ vim exeruerint,& in patriam ciueſque ſuos nullum pietatis,amoriſque ſpecimen ediderint.

Videte ne,vt illis pulcherrimũ fuit,tãtam vobis imperij gloriam relinquere:ſic vobis turpiſſimum ſit, illud quod accepiſtis,tueri, & conſeruare non poſſe.

Illuſtris amplificatio quâ variis oppoſitionibus multiplicem cõparationem inſtituit,reſpondente ſibi ex aduerſo æquali numero membrorum ad inuicem comparatorum.

Illa cõmodior amplificatio,quæ habetur orat. poſt redit.in ſen.n.1. *Quod ſi parentes chariſſimos habere debemus,quod ab iis nobis vita,patrimoniũ, libertas, ciuitas tradita eſt: ſi Deos immort. quorũ beneficio,& hæc tenuimus,& cæteris rebus aucti ſumus: Si Populum Rom. cuius honoribus in ampliſſimo conſilio, & in altiſſimo gradu dignitatis,atque in hac omnium terrarum arce collocati ſumus: ſi hũc ipſum ordinem à quo ſæpè magnificentiſſimis decretis ſumus honeſtati,imenſum quiddam,& infinitum eſt; quod vobis debeamus, qui veſtro ſingulari ſtudio,atque conſenſu parentum beneficia,Deorum immort. munera, Populi Rom. honores, veſtra de me multa indicia nobis omnia vno tempore reddidiſtis:vt cum multa vobis magna Populo Rom. innumerabilia parentibus omnia diis immortalibus debeamus.quòd hæc antea ſingula per illos habuerimus, nunc vniuerſa per vos recuperanimus.*

PVNCTVM VI.

Amplificat.

AD perſuadendum,& amplificandum efficax hic locus, cùm rem vnam multis comparamus,quæ minus probabiles eſſe videantur,veræ tamen ſint, vnde duci ſolet firma concluſio. Qua illud infertur quod veriſimilius ſit,aut cõtra res multas vni cõparamus 3 in Verr. n. 127. *An verò dubitamus, quo ore iſte cæteros homines inferiore loco,auctoritate,ordine; quo ore hominus ruſticanos ex municipiis quo denique ore,quos nunquam liberos putauit, Libertinos homines ſolitus ſit appellare,qui ob ius dicendũ M.Octauiũ Ligurem,hominem ornatiſſimum loco,ordine,nomine,virtute,ingenio,copiis poſcere pecuniam non dubitarit.*

Luccij eiuſdem auctoritatem exaggerat quatuor conglobatis argumentis à maiori ad minus, vt refutet quæ aduerſarij criminantur.Pro Cælio n. 54. *Habeo quem vos ſocium veſtræ religionis iuriſq; iurandi facilè eſſe patiemini L. Luceium,ſanctiſſimum hominem,& grauiſſimum teſtem:qui tantum facinus, in famam, atque fortunas ſuas,neque non audiſſet illatum à Cælio,neque neglexiſſet,neque tuliſſet. An ille vir illa humanitate præditus, illis ſtudiis, artibus atque doctrina,illius ipſius periculum quem propter hæc ipſa ſtudia diligebat negligere potuiſſet? & quod facinus in alienum hominem illatum ſeuerè acciperet id omiſiſſet curare in hoſpite? quod per ignotos actum cum comperiſſet,doleret,id à ſuis tentatũ eſſe negligeret? quod in agris, lociſue publicis factum reprehenderet, id in vrbe,ac ſua domi cœptam eſſe leuiter ferret? quod in alicuius agreſtis periculo non prætermitteret,id homo eruditus in inſidiis doctiſſimi hominis diſſimulandum putaret?*

Ab hoc loco præclarè oſtendit ſibi vitio non vertendũ, licet ductus odio Piſonis,& Gabinij, atrocẽ in eos dicat ſententiã de Prouinciis Coſſ. n.2. *Quid ſi ille,& paulò ante,& quotieſcumque ei locus dicendi ac poteſtas fuit,Gabinium & Piſonẽ, duo Reip.portenta,ac penè funera,cùm propter alias*

cauſas,

Digitized by Google

cauſas,tùm maximè propter illud inſigne ſcelus eorum,& importunam in me crudelitatem, non ſolùm ſententia ſua,ſed etiam verborum grauitate eſſe notandos putauit : quonam me animo in eos eſſe oportet, cuius illi ſalutem pro pignore tradiderunt ad explendas ſuas libidines?

Cuius argumenti vis eſt.Si Seruilius priuatim læſus cùm fuit opportunum Piſonem acerbè notauit, multò magis id ſibi qui læſus eſt, concedi poteſt, & debet.

PVNCTVM VII.

Mouet.

COmmendat hunc locum ad motus animorũ Tull.metumque facit 3.in Anton.vbi ſentit non modò non vrbe recipiendum , ſed bello perſequendum , proponitque futuram illius in Populum Rom.crudelitatem.n. 4 *Hac illa crudelitate imbutus , cùm multò bonis omnibus veneris iratior,quàm illis fuerat,quos trucidarat : cui tandem veſtrum, aut cui omninò bono pepercisſet.*

Cuius argumenti vis ea eſt:militibus quibus non erat iratus perniciem attulit.Ergo maiorem vobis quibus eſt iratior afferet.

Idem vrget pro Cæcin n. 45. *Itaue vero ſcire eſſe armatos,ſatis eſt,vt vim factã probes:in manus eorum incidere,non eſt ſatis ? adſpectus armatorum ad vim probandã valebit : incurſus,& impetus non valebit, qui abierit , facilius ſibi vim factam probabit , quàm qui effugerit?*

PVNCTVM VIII.

Laudat.

AD laudationes vti poſſumus hac comparatione?magnificè Cic.ad Quirit.poſt redit à n.9 quibus ſui reditus amplitudinem ab eorum collatione,qui ab exilio aliquando reuocati ſunt cõmendat.Sed illuſtris eſt ille modus pro Planc. n.26.*Etenim ſi ante reditum meum Cn. Plancio ſe vulgò viri boni,cùm hic Tribunatum peteret, vltro offerebant : cui nomen meum honori fuiſſet , ei meas præſentes preces non putas profuiſſe ? An Minturnenſes, quod Ca.Marium ex ciuili errore,atque ex impiis manibus eripuerunt : quod tecto receperunt: quod feſſum inedia fluctibusque recrearunt : quod viaticum congeſſerunt ; quod nauigium dederunt: quod eum linquentem terram eam,quam ſeruauerat lacrimis,votiſque omnibus proſequuti ſunt,æterna in laude verſantur:Plancio,quod me,vel vt ipſum,vel ratione cedentem tempori,receperit, iuuerit , cuſtodierit,his , & ſenatui Populoque Rom. vt haberent quod reduceret conſeruarit:honori hãc fidem,miſericordiã,virtutem fuiſſe miraris ?* 3.in Catil nũ 24. beneficium quod in populum contulerat reſtincta ſeditione extollit, comparatione cæterarum ſeditionum,quæ antea nullæ iſti pares extiterãt. Vt ſe illis vitamque ſuam commendet.

PVNCTVM IX.

Vituperat.

VAlet ad vituperationes,vel eleuandas:vulgatis eſt illa militaris artis & forenſis comparatio pro Muræna n.22.Inſignis eſt & hæc in Piſonem , vbi Conſularis edicti , quo patres ad veſtitum redire iubebãtur, crudelitatem amplificat.n.18.*Edicere eſt auſus cum illo ſuo pari,quem tamen omnibus vitiis ſuperare cupiebat, vt ſenatus, contra , quàm ipſe cenſuiſſet , ad veſtitum rediret. Quis hoc fecit vlla in Scythia barbarus,vt eos, quos luctu afficeret,lugere non ſineret?mærorẽ re linquis? mœroris aufers inſignia : eripis lacrymas non conſolando,ſed minando.Quod ſi veſtem non publico conſilio patres conſcripti,ſed priuato officio,aut miſericordia mutauiſſent , tamen id iis non licere per interdicta crudelitatis tuæ,poteſtatis erat non ferẽdæ. Cùm verò id ſenatus frequens cenſuiſſet:ordines reliqui iam ante feciſſent : tu ex tenebricoſa Popina Conſul extractus,cum illa ſaltatrice tonſa,ſenatum Reip.occaſum, atque interitum lugere vetuiſti.*

PVNCTVM X.

Hortatur.

VTimur ad cohortationes argumentis à minori ad maius cũ Cic.Mil.n.81.*Græci homines Deorũ honores tribuũt iis viris,qui barbaros necauerũt.Quæ ego vidi Athenis?quæ aliis in vrbibus*

Græciæ

Digitized by Google

Græciæ? quas res diuinas talibus inſtitutas viris? quos cantus? quæ carmina? prope ad immortalitatem, & religionẽ & memoriã conſecrantur. Vos tanti cõſeruatorem populi, tanti ſceleris vltorẽ, non modo honoribus nullis afficietis: ſed ad ſupplicium rapi etiam patiemini. His concludit maiori dignum honore Milonem qui cæde Clodij Reip. liberauit, quàm qui Græciæ ciuitates liberarunt.

Pro Archia n. 19. multis Poëſim eius commendat, dignumque ciuitate concludit, hortaturque iudices, vt tantum vatem admittant.

Pvnctvm XI.

Obiurgat.

AD obiurgationes valet plurimum, concitationeſque animorum. Pro Cluentio, n. 32. *Memoria teneo, Mileſiam quandam mulierem, cùm eſſem in Aſia, quòd ab hæredibus ſecundis accepta pecunia, partum ſibi ipſa medicamentis abegiſſet rei capitalis eſſe damnatam: neque iniuriâ, quæ ſpem parentis, memoriam nominis, ſubſidium generis, hæredem familiæ, deſignatũ Reip. ciuẽ ſuſtuliſſet. Quantò eſt Oppianicus in eadem iniuria maiore ſupplicio dignus? Siquidẽ illa, cùm ſuo corpori vim attuliſſet, ſeipſam cruciauit: hic autem illud idem effecit per alieni corporis mortem, atque cruciatum. Cæteri non videtur in ſingulis hominibus multa parricidia ſuſcipere poſſe: Oppianicus inuentus eſt, qui in vno corpore plures necaret.*

Iiſdem argumentis vtitur pro Sylla 48. in Torquantum. *Ac ſi conſiderare cœperis, vtrum magis mihi hoc neceſſe fuerit facere, an tibi; intelliges honeſtius te inimicitiarum modum ſtatuere potuiſſe quàm me humanitatis.*

4. in Verrem, num. 57. 3. Phil. 9. 27. & aliis.

Pvnctvm XII.

Canones.

QVod valet in minori, & in maiori. Claud. ſuauis, & ingenioſus Poëta.

Nullus ab hoſte metus, quis enim quem vincere ſolum.
Non potuit tanto munitum milite vincat?
Quis ferat armatũ quem non ſuperauit inermẽ

Pro Roſcio Amer. n. 62. *Quod in minimis noxis & in his leuioribus peccatis, quæ magis crebra, & iã propè quotidiana ſunt maximè, & primum quæritur quæ cauſa maleficij fuerit: id Ericius in parricidio quæri non putat oportere: in quo ſcelere etiã cùm multæ cauſæ conueniſſe vnum in locũ, atque inter ſe congruere videntur: tamen non temerè creditur; neque leui coniecturâ res penditur, neque teſtis incertus auditur, neque accuſatoris ingenio res iudicatur.*

Pvnctvm XIII.

Comparatio Partium.

LOcus eſt in quo paria cum paribus conferũtur, cuius ea vis eſt, vt parium par ſit quoque iudicium, & quod in vno valet admittatur in alio. Lex eſt. Qui occiderit patrem inſutus in culeum deiiciatur in profluentem, ergo & qui matrem occiderit.

Beati omnes innocentiâ, virtute, laborum tolerantiâ gloriã æternam ſibi pepererunt; iiſdem nos ad tantum honoris faſtigium gradibus oportet aſcendere.

Eodem modo per negationem concludere poſſumus. Non vitæ turpitudine, non opum aut voluptatum incensâ libidine, in cœlum peruenerunt.

Ne ergo nos in luxu ac deliciis, in omnium rerum abundantia viuentes, honorum cupiditate inflammatos, ardentes libidinum facibus & odij, eodem peruenturos putemus.

Ad eam rẽ Cic. pro Syll. n. 58. *Neque verò quid mihi iraſcare intelligere poſſum, ſi quod eum defẽdo, quẽ tu accuſas: cur tibi quoque ipſe non ſuccẽſeo, qui accuſas eum, quem ego defendo? Inimicũ, inquis, accuſo meum, Et amicũ ego defendo meum. Non debes tamen quemquam in coniurationis quæſtione defendere. Immò nemo magis enim, de quo nihil eſt ſuſpicatus, quam is qui aliis multa cogitauit.*

Quod in vno parium non valet, nec etiã valere poteſt in altero. Pro domo ſua probat legẽ Clodij non eſſe vnam à pari, n. 52. *Tam Hercule eſt*

eſt vnum, quàm quod vna lege tuliſti, vt Cyprius Rex cuius maiores huic populo ſemper amici fuerũt cũ bonis omnibus ſub præcone ſubijcerentur, & exules Byſantium, reducerẽtur. Eidem, inquit, *vtraque de re negotium dedi. Sed quid, ſi eidem negotium dediſſes, vt in Aſia Ciſtophorũ flagitaret, indè iret in Hiſp. Cum Roma deceſſiſſes: Conſulatum ei petere: Cùm factus eſſet, Prouinciam Syriam obtineret? quoniam de vno homine ſcriberes, vna res eſſet?*

Hoc eſt, ſicut lex vlla non eſſet, ita nec ea de domo vna eſt. Quod iterum vrget pluribus, n. 124 vtriuſque pronunciati exemplũ eſt, n. 41. *Si quod in cæteris legibus triũm nundinũm eſſe oportet, id in adoptione ſatis eſt, trium eſſe horarum: nihil reprehendo. Sin eadem obſeruanda ſunt: decreuit Senatus M. Druſi legibus, quæ contra legem Cæciliam, & Didiam latæ eſſent, populum non teneri.*

Multis probat ſe nec reprehendendum quod Syllam defenderit, ſi nec Hortenſius, nec viri boni reprehendantur, qui hoc idem fecerunt argumento à pari, n. 4. & deinceps, pro Sylla. *Si coniuratio patefacta per me eſt, tàm patet Hortenſio, quàm mihi. Quam cum videas honore hoc, auctoritate, virtute, conſilio præditum, non dubitaſſe, quin innocentem Syllam defẽdere: quæro, cur qui aditus ad cauſam Hortenſio patuerit, mihi intercluſus eſſe debuerit. Quæro illud etiam, ſi me qui defendo, reprehendendum putas eſſe, quid tandem exiſtimes de his ſummis viris, & clariſſimis ciuibus, quorum ſtudio, & dignitate celebrari hoc iudicium, & ornari, cauſam defendi huius innocentes vides?*

Poſt multa concludit illam amplificationem à pari, n. 7. *Quamobrem quid eſt, quod mirere, ſi cum iiſdem me in hac cauſa vides adeſſe, cum quibus in cæteris intelligis abfuiſſe? niſi vero me vnum vis ferum præter cæteros, me aſperum, inhumanum exiſtimari: me ſingulari immanitate, & crudelitate præditum.*

Parem eſſe bonis bonum eſt, malis malum, 3. Phil. n. 17: *Quid accidere Octauio adoleſcenti potuit optatius, quàm cognoſci ab omnibus Cæſaris conſiliorum eſſe ſocium, Antonij furoris inimicum?*

Hinc verum eſt dictum illud pium: Similem eſſe Chriſto, honor eſt diſſimilem, dedecus, quod in vno bonum eſt illud quoque bonum in pari ſolet eſſe, n. 16. 3. Phil. *Sed Aricinam vxorem non probas, cur probas Tuſculanam?*

Eſt illud Martialis elegans & ingenioſum ab effectis ex loco à pari, l. 5. Epigr.

Aſtra ſolùmque dedit quamuis obſtante nouerca:
Alcide Nemeæ terror, & arcus Aper.
Et caſtigatum Libycæ ſe Roma paleſtræ:
Et grauis in Siculo puluere fuſus Erix.
Illa tua, Cæſar quota pars ſpectatur arena:
Dat maiora nouus prælia mane dies.

Quod ſic à comparatione diſſimilium concludit.

Pro meritis cœlum tantis Auguſte dederunt,
Alcide cito Dij, ſed tibi ſero dabunt.

A paribus item eiuſdem eſt, l. 8. Epigr. 35.

Cùm ſitis ſimiles, pareſque vita.
Vxor peſſima, peſſimus maritus,
Miror non benè conuenire vobis.

PVNCTVM XIV.

Vſus.

COnfert non parum ad motus, & amplificationes; grauis eſt illa 5. Phil. Vbi Hannibali Quiritium hoſti infenſiſſimo componit Antonium, n. 25. *Ergo Hannibali hoſtis, ciuis Antonius? quid ille fecit hoſtiliter, quod hic, aut nõ fecerit, aut nõ faciat aut non moliatur, & cogitet? Totũ iter Antonij quid habuit niſi depopulationes, cædes, rapinas? quas non faciebat Hannibal, quia multa ad vſum ſuum reſeruabat.*

Verrem 7. Act. n. 48. obiurgat ironicè. *At enim idcirco nauẽ Mamertinis non imperaſti, quod ſint fœderati? Dij approbẽt. Habemus hominem, in fecialiũ manibus educatum: vnum præter cæteros, in publicis regionibus fœderum ſanctum, & diligentem. Omnes, qui ante prætores fuerant, dedãtur Mamertinis quod iis cõtra pactionẽ fœderis imperarint. Sed tamẽ, tu, ſancte homo, ac religioſe, cur Taurominitanis item fœderatis nauem imperaſti? an hoc probabis in æqua cauſa populorum ſine pretio varium ius, & diſparem conditionem fuiſſe?*

Paria valent ad exornandum, in hunc finem adhibuit Cic. pro Roſc. Am. cum docuit non eſſe turpem illorum artem, qui ſubigendæ terræ opibus, & dignitate præſtantes operam poſuerint,

Digitized by Google

Ex pari iudicio bonorum omnium damnatum Catilinam diſcedendum ex vrbe ſeuerè grauiterque monet, 1. in Cat. n. 17. *Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? ſerui mehercule mei ſi me iſto pacto metuerent, vt te metuunt omnes ciues tui, domum meam relinquendam putarem: tu tibi vrbem non arbitraris, & ſi me meis ciuibus iniuria ſuſpectum tàm grauiter, atque offenſum viderem: carere me aſpectu ciuium, quàm infeſtis omnium oculis conſpici mallem. Tu cùm conſciẽntia ſcelerum tuorum agnoſcas odium omnium iuſtum, & iam tibi diu debitum, dubitas, quorum mentes ſenſúsque vulneras, eorum adſpectum, præſentiamque vitare? Si te parentes timerent, atque odiſſent tui, neque eos vlla ratione placare poſſes: vt opinor ab eorum oculis aliquo concederes. Nunc te patria, quæ cõmunis eſt omnium noſtrum parens odit, ac metuit: & iamdiu te nihil iudicat, niſi de parricidio ſuo cogitare. Huius tu neque auctoritatem verebere, neque iudicium ſequere, neque vim pertimeſces?*

PVNCTVM XVII.

Vſus ſine argumento.

VT cæteri omnes loci, ſic & hic à comparatione extrà argumentum, venire in vſum poteſt cùm id adiuncta comparatione maiorum, minorum, aut Parium dicimus, quod illa omiſſa dici potuit, licet minus ornatè. Quod obſeruatũ eſt à Cic. 7. in Verr. n. 14. *o præclarum Imperatorem, nec iam cũ M. Aquilio fortiſſimo viro, ſed vero cum Paulis, Scipionibus, Mariis, conferendum!*

5. In eundẽ. n. 83. *Quæ cum de populi Rom. victu, de vectigalium neruis, de ſanguine detraxiſſet ærarij, tertiæ Mimæ condonauit, Vtrum impudentius à ſociis abſtulit populo Rom. ademit? an audacius publicas tabulas commutauit?*

Sed omninò benè 6 Verr. n. 112. *Anne tu ſimulacrum Cereris victoriam deripere, & Deam Deæ detrahere conatus es? quorũ nihil violare nihil attingere auſi ſunt, in quibus erant omnia, quæ ſceleri propiora ſunt, quàm religioni. Tenuerunt enim P. Popilio, P. Rupilio Coſſ. illum locum ſerui, fugitiui, barbari, hoſtes; ſed neque tàm ſerui, illi dominorum quàm tu libidinum: neq; tam fugitiui illi à dominis quàm tu à iure, & à legibus: neq; tàm barbari lingua, & natione illi, quàm tu natura, & moribus: neq; illi tàm hoſtes hominibus, quàm tu Diiis immortalibus. Quæ deprecatio eſt igitur illi reliqua, qui indignitate ſeruos, temeritate fugitiuos, ſcelere barbaros, crudelitate hoſtes viderit?*

Sic pro crudeli, Oenomao, Bruſiride, Antheo, vel Donyſio aut Sylla crudeliorem licet dicere: ſimiliter doctum, & Clemẽtem, & Iuſtum Piumque deſcribere, facta cum aliis eiuſdem generis, & conditionis comparatione.

Per negationem verò Ciceronem nominare poſſumus non aliquem à triuio Oratorem, ſed cum Pericle, Demoſthene aliiſque præſtantiſſimis Oratoribus conferendum, imò multis anteponendum.

Differt hic locus à ſimilitudine, quod in ſimilibus non quæruntur qualitas & exceſſus, ſed tantùm ſimilis qualitas, aut propoſitio, nulla quantitatis habita ratione, per quam res vna, altera maior, eſt, aut minor, aut illis æqualis.

Secundo, quod ſimilitudo in probando vim non multam habet, ſed in explicando, ornandoque venuſtatem. Comparatio firmiſſima ſuggerit argumenta. In eo conueniunt, quod vterque aliis locis miſcetur, rerumque effectus adiuncta, cauſas, conſequentia, alia quæ rem attingunt, perſequitur, vt inde argumentum, aut amplificationem eliciat, imò locis non minus extrinſecis, quàm intrinſecis, vtatur.

EXERCITATIO TERTIA.

ARA ELOQVENTIÆ,

Siue

DE LOCIS RETHORICÆ EXTRINSECIS:

PROOEMIVM.

NON erit opinor inſolens erudito Lectori quod hanc de Locis extrinſecis tractationem Aram E'oquentiæ nuncupandam cenſuerim; quis enim neſcit more olim poſitum fuiſſe? vt ad aras Deorum Immortalium iuſiurandum conciperetur. Neque vero etiam opus eſt monere pluribus apud veteres ab Aris legum authoritatem arceſſitam, nec quicquam legis habuiſſe, quod & ex puluinaribus Deorum repetitum, & ad eadem ſcitum nō eſſet. Quid autem hic teſtium audiendorum rationem commemorem, qui ita fidei ſuæ teſtem appellabant Deum, vt ipſorum teſtimonia Iudices ad Aras etiam exciperent. Vaticinationes demum & Oracula, Sacerdotum, Haruſpicum, Augurum cæterorúmque Coniectorum omnium reſponſa nemo rei veteris peritus à Templis vnquam ſeiunxit. Quæ cùm omnia ad Locos extrinſecos, remotóſque pertineant, faceret profecto ipſis iniuriam Eloquentia, ſi dum ipſorum adminiculis vtitur, à loco eadem ſacro remoueret.

LECTIO PRIMA.

De Locis aſſumptis.

SIc à principio Locos Rhetorices cum Cic. Cauſarum & Eloquentiæ principe diuiſimus, vt alios diceremus in eo ipſo de quo ambigitur, hærere: de quibus hactenus multa, ſed vtilia, ſcituque neceſſaria: alios aſſumi extrinſecus.

* * *

PVNCTVM PRIMVM.

Definitio.

DE quibus ſic Ariſtotel. lib. 1. Rhetor. cap. 1. τῶν δὲ πίστεων, αἱ μὲν ἄτεχνοί εἰσιν. Probationes arte carentes, quæ maximam partem contentionum forenſium continent ait Quint. lib. 5. cap. 1. Vnde, vt ipſæ per ſe carent arte: ita ſummis Eloquentiæ viribus, & eleuandæ ſunt plerumque & refellendæ. Non igitur inartificiales dicuntur ratione Vſus, cùm maximum requirant artificiū, ſed ratione Inuētionis, eo quod iſti loci ſint extra Oratoris artem: & probationes ab illis de ſum

ſumptæ, non ex viſceribus cauſæ, hoc eſt ex rebus ipſis, ſed foris eruantur.

PVNCTVM II.

Diviſio.

EOrum portò genera ſex à Quintil. lib. 10. cap 5. conſtituuntur: *Ex illo priori genere ſunt Præiudicia, Rumores, Tormenta, Tabulæ, Iuſiurandum, Teſtes.* Sed hunc ſenarium Tull. partic 6. vnico Teſtimonio cõprehẽdit, quod vocat quicquid ab aliqua re externa, vel perſona ſumitur ad faciendam fidem, dividitque bifariàm in divinũ vt Oracula, Auſpicia, Vaticinationes, Reſponſa Sacerdotum, Aruſpicum, Coniectorum: & Humanum, quod ſpectatur ex Authoritate, Voluntate, Oratione aut libera, aut expreſſa, in quo inſunt ſcripta, Pacta, Promiſſa, Iurata, Quæſita, quam ego diviſionem amplector vt clariorem.

LECTIO II.

De Teſtimonio divino.

MAgnum planè in omnes partes divini teſtimonii pondus eſſe nemo nõ intelligit; tum propter excellentis naturæ nobilitatem, quæ ſummam Deo venerationem, atq; auctoritatem conciliat; tum propter eminentiſſimam ſapientiam, quæ eum falli, atque errare non patitur; ac demum propter eximiam bonitatem, quæ facit, vt nec fallere, nec mentiri poſſit. Neque verò apud Chriſtianos tantùm valuit Dei teſtificãtis authoritas, ſed & apud Ethnicos, quorum ex opinione Cic. teſtimonium divinum in ſex genera diſtribuit, qui numerus colligitur ex ſex modis quibus cum homine Deus loquitur.

I. Per ſe nobiſcum verba facit, & eſt Oraculũ.

II. Per Aves, aut Cœlum ipſum, & ſic eſt Auſpicium.

III. Per homines, idque triplici ratione; nullo externo ſigno, ſed ui quadã inſita, qua futura cognoſcant; & hinc Vaticinia, & Prophetiæ: Vel per homines qui libros ſacros interpretentur, & ſunt Reſpõſa Sacerdotum; vel per eos qui à Portentis, Viſceribus, & Signis quibuſdam inſolitis, futura conijciant, ſunt Haruſpicum reſponſa: vel per alios qui ſomnia interpretentur, & ſunt Reſponſa Coniectorum ex qua enumeratione ſola ſatis liquet Oratori Chriſtiano, nõ adeò ſæpè vſuvenire vt hoſce locos tractet: nam exoleverunt, pridem illa veterũ Deliria atque in aniles fabulas defecerunt. In profanis tamen argumentis, in quibus, aut animi gratia, quaſi Oratoris Ethnici perſonã ſuſtinens Chriſtianus hæc prægustat aliquando, vel etiam nonnumquam ad ornatum, aut confirmationem moralis alicuius ſentẽtiæ, Oraculorumque, Augurum reſponſa detorquet. Operæ-pretium erit ſaltem indicare, quæ ratione cum aliqua probabilitate proferri, aut contrà elevari poſſint infirma iam iſtius generis argumenta.

PVNCTVM I.

Pro Oraculis.

CVm ex Cic. 1. de Invent. n. 12. Duo ſint divinandi genera; Alterum naturale, quod animos arriperet, afflaretque divinitùs: Alterum artificiale, quod extrinſecùs aſſumeretur, conſtaretque partim coniectura, partim obſervatione diuturna: in primo genere ponitur Oraculum, quod inſit in eo Deorum oratio, dæmonum verè præſtigium, quo veram Theomantiam, ſeu Prophetiam conati ſunt imitari, dum reſponſa petentibus, vel ex Antris, vel ex Statuis, aut ex Arboribus ipſis, vel per ſe, vel per homines, & animalia reſpondebant.

Primò favere poteſt Oraculis ſummus nationum conſenſus, quarum vix vllam inuenies, quæ ſua non habuerit Oracula, quibus eam fidem habebant, vt quæcumque veriſſima videri volent, oraculis compararent. Cic. ad Brut.

II. A pœnis quas luerunt illi, qui ea contempſerunt: & contrà, à rebus proſperis, quas ſunt ſortiti, qui caruerunt, quam in rem multa Valer. Max. lib. 1.

II. A ratione qua dabantur, ſi fortè veſtigium aliquod probitatis, aut temperantiæ, in eis appareat, cuiuſmodi reperiuntur apud Tertul. de anim. c. 48.

IV. Quod ab iiſdem prædicta non pauca ſint

Digitized by Google

ad res Chriſtianas pertinentia, vt quæ de Triſmegiſto. Pythio, Apolline, Sybillis, à Theodoreto, Lactantio, aliiſque relata ſunt.

Ac optima fuerunt illa, cùm indutus Ephod ſacerdos Deum interrogaret, atque ipſe petenti reſpóderet ex Tabernaculo, vel ex Templi Adytis. Nos autem certius ſecuriuſque Oraculum habemus in ſacro Evangelio; in quo ſalutis noſtræ reparator Chriſtus per ſe loquutus eſt, ea quæ nobis credenda propoſuit.

Tull. Offic. 2. n. 77. Avaritiam ab Oraculo deteſtatur. Itaque quod Apollo Pythius Oraculo edidit Spartam nulla re alia niſi avaritia eſſe perituram. id videtur non ſolùm Lacedæmoniis ſed etiam omnibus opulentis populis prædixiſſe De quibus Plutar. de Ceſſat.

Porrò res ſacras & Oracula divina quodam tegi velamine decet, ne contemptum incurrant. ἐνίοτε inquit Zonaras tom. 1. *δι' αἰνιγμάτων τὰ θεῖα δηλοῦται, ἵνα μὴ πᾶσι γένοιτο δῆλα καὶ διὰ τοῦτο καταφρόνητα*, divinæ res aliquando per ænigmata innuuntur, ne omnium intelligentiæ expoſitæ contemnantur. Eam ob cauſam Sancti Ioannis Apocalypſis ſuo cortice καλύπτεται.

PVNCTVM II.

Contra Oracula.

EAdem infirmat I. illorum Author Dæmon, hinc Tertull. *De Oraculis etiam cæteris apud quæ nemo dormitat quid aliud pronunciabimus, quàm dæmoniacam eſſe rationem eorum ſpirituum, qui iam tunc in hominibus ipſis habitaverint, vel memorias eorum affectaverint ad omnem malitiæ ſuæ ſcenam, in iſta æquè ſpecie divinitatem mentientes, eademq; induſtria etiam per beneficia fallentes medicinarum, & admonitionum, & pronunciationum, quæ magis lædant iurando, dùm per ea quæ iuvant, ab inquiſitione veræ divinitatis abducunt ex inſinuatione falſa*, Lib. de anima cap. 46.

II. Quod obſcura, dubia, in certa, & ambigua ſemper darentur. Vnde Tert. in Apologetico, cap. 22. *In Oraculis autem, quo ingenio ambiguitates temperent in eventus, ſciunt Crœſi, ſciunt Pyrrhi. Iſtud quod Crœſo datum eſt, ex Herodo quàm porrò verum eſt.*

Perdet Crœſus halym tranſgreſſus maxima regna. Et verò perdidit, ſed ſua, non hoſti Cyri, vt interpretatus eſt regna.

Idem arguit Pomponius lætus in vita Diocletiani in hæc verba. *Illud ſanè conſtat in omnium Oracula, bona ex parte, vana, & fidem raro implere, & ſi quando evenerint, vix intelligi, & ſæpius eludere credentes.*

Eorundem Oraculorum vim infringit Tull. 2. de divinat. à n. 175. ad 119. refertque in primis quod de Oraculo Delphico præter trecentis ante annis dixerat Demoſthenes ipſum ſcilicet φιλιππίζειν cum Philippo facere. Quod eò ſpectabat, vt Phythiam à Philippo corruptam diceret, quô licet exiſtimare in aliis quoque Oraculis Delphicis aliquid non ſinceri fuiſſe.

PVNCTVM III.

De Vaticinationibus.

PRædictiones Vatum ſunt & Poëtarum, quos ad futura prædicenda divinus quidam agitatæ mentis furor eximios fecit, vel ex Aſtris aut alia quàvis re obiecta. In hoc ab Oraculis differunt, quòd in iſtis per ſe Deus loquatur, vel homines aliqua ui recens à Deo ſuſcepta: in illis verò nihil novi ſuſcipiatur. De quibus Cic. divinat. 1. n. 93. hinc eximius argumentandi locus, cùm vel præſtantem virum aliquem à Vaticinatione laudabis.

Gabinium quendam Deorum numen vendidiſſe, ait Tull. quòd mercede conductus à Ptolomæo Alexandriæ Rege, eundem in regnum reſtituerit, quod libri Sybillini diuinæ voluntatis antea inſpecti fieri prohibebant. Orat. in Piſon. num. 48. *Ecce tibi alter effuſa jam maxima prædâ, quam ex fortunis Publicanorum, ex agris, vrbibuſque ſociorum exhauſerat, cùm partim eius præda profunda libidines deuoraſſent, partim noua quædam, & inaudita luxuries, partim etiam in illis locis, vbi omnia diripuit, emptiones, partim permutationes ad hunc Tuſculanum montem extruendum, cùm illa eius immenſa & intolerabilis ædificatio conſtitiſſet: Seipſum, faſces ſuos, exercitum Populi Rom. numen in ter dictumque Deorũ immort:*

Digitized by Google

mort. Reſponſa Sacerdotum, auctoritatem Senatus juſſa populi, nomen, ac dignitatem imperij Regi Ægyptio vendidit.

Clarè Dio facinus idem arguit lib. 39. *Cùm libros Sybillinos adiſſent Sacerdotes, ita ſcriptum inuenerunt. Si Rex Ægypti à vobis auxilium petiturus acceſſerit, amicitiam quidem ei ne denegate: ſed ne ad eius auxilium mittatur exercitus: ſi ſecùs feceritis, & labores & pericula conſequentur.*

Ab hoc loco Pompeij mortem mirificè exornat gratiarum muneribus locuples, ac fortis vates Lucanus lib. 8. ſub finem.

Haud equidē immeritò Cumanæ carmine vatis,
Cautum ne Nili Peluſia tangeret ora
Heſperius miles, ripaſque æſtate tumentes.

Erat enim Sybillæ Vaticinario, miles Romane, Ægyptum fuge. Quod Lucan. de Pompejo interpretatur.

Sed quàm hæc vana ſint, quàm incerta quàm nullius fidei eſſe debeant vera fides nos docet, multorumque imprudentum experientiæ, qui inanibus hiſce fabulis ac figmentis multò plus fidentes fortunarum & animæ naufragium fecerunt.

Furorem inſanum Vatum irridet Tull. 2. de diuinat. à num. 110. ad 115. *Quid habet* (inquit) *auctoritatis furor iſte quem diuinum vocatis, vt quæ Sapiens non videat, ea videat inſanus, & is qui humanos ſenſus amiſerit, diuinos aſſecutus ſit Sybillæ verſus obſeruamus quos illa furens fudiſſe dicitur, &c.*

Vt verum ſit ſolertes eos eſſe debere, doctéque cautos, qui Deos conſulunt, malos inquam genios, quorum primus labor eſt, vt conſultorem ſimul & alios plures perdant. Monitus fuerat Philippus Macedo, vt à quadrigo ſibi, caueret deluſus eſt Princeps; à ſe currus omnes amoueri ſeduló ſategit: ſed non ſatis egit, quippe confoſſus eſt, Pauſaniæ gladio, cuius in manubrio quadriga ad ornatum inciſa fuerat.

Apud Suidam Zeno Mnaſeæ filius querens quî demum optimè viueret, Oraculum hoc accepit εἰ συγχρῴζοιτο τοῖς νεκροῖς ſi concolor mortuis fieret; ille quidē de libris in mitiorem partē interpretatus eſt, quòd iis euoluendis & veterum ſcripta agnoſcamus, & mortuorum conſuetudine fruamur parum cautus prouiduſque reſponſū hoc ænigmatum in ſuâ perniciem conuertiſſet.

Quam anceps fuit illud quod Locro cuidam dictum eſt ex Tripode, vt eo loci ciuitatem, de qua conſulebat, conderet, vbi canis lignea morſum infixiſſet. Vbi ergo ad alteram ripam enauigauit κυνόσβατον ſeu rubrum caninum (ſpinæ genus eſt) pedibus calcans, indeque plagam accipiens, Oraculi memor vrbem condidit; in cuius rei monumentum Coloni Locri Ozolæ canem ex ligno confectam cōſtanter aſſeruarūt. Athen. lib. 2.

Inter cæteros verò Meleſij cum maximo detrimento ambages Appollinis experti ſunt: cùm enim de iis in belli ſocietatem vocandis à Tripode verſus is eſſet acceptus.

Πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι

Quondam fuerunt ſtrenui Mileſij.

Fide ſemel habita (ſic arbitrabātur omnes) Oraculo diuino, victoria quòd caſtris adueniſſent Mileſij, expectabatur: ſed omnes ad vnū cæſi ſūt.

Superati non ſemel à Tegæatibus Lacdæmonij, acceperunt ab Apolline certo futuram iis victoriam, ſi ſuum in locum Oreſtis oſſa transferrentur, quibus nuſquam deprehenſis iterum rogatus Apollo ſic effatus eſt.

Ἐςὶ τις Ἀρκαδίης Τεγέη λευρῷ ἐνὶ χώρῳ
Ἔνθ' ἄνεμοι πνείουσι δύο κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης
Καὶ τύπος ἀντίτυπος, καὶ πῆμ' ἐπὶ πήματι κεῖται:
Ἔνθ' Ἀγαμεμνονίδην κατέχει φυσίζοος αἶα
Τὸν σὺ κομισσάμενος Τεγέης ἐπιτάρροθος ἔσσῃ.

Eſt quadam Arcadiæ Tegea in regione patenti
Hic duo flant venti vi per vehemente coacti.
Forma hoſtis forma, & plaga ſuper indita plaga
Hic Agamemnonides terra omnīparente tenetur
Quo tu ſublato Tegeæ ſperabere victor.

Sed enim cum hoc Ænigma ſolueret nemo homo, nec erat etiam qui Oreſtis oſſa effoderet. Tandem Liches ex Spartanis Agathoergis vnus, cum Tegeam veniſſet & quodam loco Fabri Ferrarij ſedens miraretur operas. Quid miraris ait Faber? multo magis mirare ſi ſepulchrum quod ego in puteo fodiendo ſub terra reperi, vidiſſes, in quo quidem ſeptem cubitorum oſſa deprehēſa terrâ obtui. Liches igitur tandiu quæſitum cadauer ibi latere coniiciens, ſic Oraculum interpretatus eſt Duos Fabri Folles, duos vētos dixit: typum & antitypum, ſeu formam formæ hoſtem, malleum

in ſternutamentis precandi. Quod Tyberius Cæſar hominum triſtiſſimus ſtudioſè exegit, ex Plin. lic. 28. cap. 2. vt ſi quid diri atque infandi Ominis immineret ea precatione auerteretur.

PVNCTVM V.

Pro Augurijs.

PRo his Auſpiciis. I. Poteſt quis adducere quanti veteres ea facerent. Ex. 1. de diuin. Valer. Maxim. cap. 4. & 5. lib. 1. Græci & Ægiptij ex Pauſan. in Achaïcis, Theophraſto in characteriſmis, & quæ Cæcilius in hanc rem fusè diſſerui apud Minutium felicem.

Ab Avibus Æn. 1. virg. Æneæ. mater Fauſta quæ diceret, confirmat.

Adſpice bis ſenos volitantes agmine Cycnos
Ætheria quos lapſa plagâ Iouis Ales aperto
Turbabat Cælo: nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas jam deſpectare videntur,
Vt reduces illi ludunt ſtridentibus alis,
Et cœtu cinxere polum, cantuſque dedere.

Ab Augurio Vates idem infauſtum Omen colligit, quod nec à dextra, nec ab ſiniſtra parte volarit. Cornix, ſed in Ilice caua conſederit. Eglog. 9.

Ante ſiniſtra caua monuiſſet ab Ilice Cornix.

II Probos etiam & Chriſtianos nonnumquam Ominibus huiuſmodi vſos fuiſſe docet Fulgoſius lib. 1. cap. 3.

III Graues pœnas multos dediſſe, quod ea nimis audacter ſpreuiſſent refert. Valer. Maxim.

PVNCTVM X.

Contra Auguria

I. QVod eſſent à dæmone, Minutius ea bellè confuta dum ait. *Iſti igitur impuri ſpiritus ſub Statuis, & imaginibus conſecratis deliteſcunt, & afflatu ſuo auctoritatẽ, quaſi præſetis numinis cõſequuntur. Dũ inſpirantur interim vatibus, dũ fanis immorãtur, dum nonnumquam extorum fibras animant, auium volatus gubernant, ſordes tegunt, Oracula efficiunt falſis pluribus innoluta, nam & falluntur & fallunt vt, & neſcientes ſinceram veritatem, & quã ſciunt in perditionem ſui confitentes. Sic à cælo deorſum grauant, & à Deo vero ad materias auocant, viam turbant, ſomnos inquietant, irrepentes etiam corporibus ocultè, vt ſpiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra diſtorquent, vt ad cultum ſui cogant? vt nidore altarium, vel hoſtijs pecudum ſaginati, remiſſis, quæ conſtrinxerant, curaſſe videantur.*

II. Quod vana, quod incerta, quod ambigua. Nemo melius inanitatem hanc demonſtrauit. Octauio Minuc. fel. *Iam venio ad illa auſpicia, & auguria Romana, quæ ſummo labore collecta teſtatus es, & pœnitenter omiſſa, & obſeruata feliciter. Clodius ſcilicet, & Flaminius & Iunius ideò exercitus perdiderunt quod pullorum Soliſtimum tripudium expectandum non putauerunt? Quid Regulus? nonne auguria ſeruauit, & captus eſt? Mancinus religionem tenuit, & ſubiugum miſſus eſt, & deditus. Pullos edaces habuit & Paulus, apud Cannas tamen cum maiore Populi Rom. parte proſtratus eſt.*

Quæ vero & quanta de Oraculis proſequar? poſt mortem Amphiareus ventura reſpondit, qui proditus eſt ipſe ob monile ab vxore neſcius. Tireſias cœcus futura videbat, qui præſentia non videbat, &c.

III. Quod non tantum impunè, ſed etiam feliciter ſæpius neglecta ſint. Cic. 2. de diuin. Quid ipſe Cæſar, cum à ſummo haruſpice moneretur, ne in Africam ante brumam tranſmitteret, nonne traſmiſit? quod ni feciſſet in locum omnes adverſariorum copiæ conuenissent. Renitentibus igitur Auguriis, & Auſpiciis ſpreuit, eò facilius & nauigauit, & vicit.

IV. Quod ſæpè caltores ſuos deceperunt. Tull. 2. de diuin. num. 55. *Auſpicijs Paulus paruit! num minus cecidit in Cannenſi pugna cum exercitu?* Cæterùm de genere hoc adeò multa ſunt vt loquacem fœminam laſſare poſſint, & Fabrum.

PVNCTVM VI.

Reſponſa Sacerdotum.

IN diuinis teſtimoniis habentur eorum reſponſa, qui rebus ſacris præſunt, aut cum Diis, quorum voluntates interpretantur, familiarius verſari videntur: quos vt antiqui omnes, ita & recentiores cultus & honore ſingulari venerati sūt Babylonij Chaldæos; Perſæ magos; Græci Philoſophos: Æthiopes Gymnoſophiſtas; Indi Brahamnas: Romani Regem ſacrorum, Pontifices, Flamines: Gallorum demum populares, Druidas, à quibus rerum diuinarum interpretationes expectabant. Eſt enim hoc ſacerdotum munus, maximeque Pontificum. Vt benè monet Cic. pro domo ſua n. 1. *Cùm multa diuinitus Pontifices, à majoribus noſtris inuenta, atque inſtituta ſunt nihil præclarius, quàm quod vos eoſdem & religionibus immort Deorum & ſummæ Reip. præeſſe voluerunt: vt ampliſſimi, & clariſſimi ciues Remp. benè gerendo, religiones ſapienter interpretando Remp. conſeruarent. Quod ſi vllo tempore magna cauſa in Sacerdotum Pop. Rom. judicio, ac poteſtate verſata eſt: hæc profectò tanta eſt, vt omnis Reip. dignitas, omnium Ciuium ſalus, vita, libertas, aræ, foci, Dij Penates, bona fortunæ, domicilia, veſtræ ſapientiæ, fidei poteſtatique commiſſa, creditaque eſſe videantur*, & n. 34. 38. Clodij adoptionem nullam eſſe probat.

PVNCTVM VIII.

Haruſpicum Reſponſa.

HOc differunt ab Auguribus, & Auſpiciis Haruſpices, quod illi Aues, iſti Aram, victimas extaque diligentius inſpicerent; à veteri vocabulo Arūga quæ ſignificabat hoſtiam; quippe tota illa diſciplina diuinandi in ſacrificiis obſeruabatur, fuitque multiplex.

I. Diuinatio vitæ adhuc victimæ curioſa obſeruatio, vel dum ipſa producebatur, aut ad Aram ſiſtebatur, dum attractabatur ſacrificantium manibus, dum ei vinum infundebatur. Dirio minis erat ſi victima ducenti obluctaretur, ſi ſe fugâ proriperet, ſi ictum elapſa falleret, ſi ſæpius percutienda, aut perculſa exiliret, altius, vel horridius immugiret, aut non ſtatim, & quidem placidè; ſi prouoluta ſemianimis terram calcitraret impunè; vel jugulata non copioſum ſanguinem redderet. Contra læta omnia portendebantur, ſi ſpontè ad aram properaret, ſi placidè ictum ferret, ſi collapſa ſine ſtrepitu, ac deformi pedum agitatione animam exhalaret, multuſque ſanguis, & cum impetu prorumperet.

Multis hæc omnia deſcribit Seneca in Oedipo, Sen. 2. act. 2.

Placidône vultu ſacra, & admotas manus
Patiuntur? M. Altum Taurus attollens caput,
Primos ad ortus poſitus, expauit diem.
Trepidusque vultum ſolis & radios fugit.
Tr. *Vnône terram vulnere afflicti petunt?*
Ma. *Iuuenca ferro ſemet oppoſito induit*
Et vulnere vno cecidit: at Taurus duos
Perpeſſus ictus, hùc dubius ruit,
Animamque feſſus vix reluctantem exprimit
Tir. *Vtrum citatus vulnere anguſto micat,*
An lentus altas irrigat plagas cruor?
Ma. *Huius per ipſam, quâ patet pectus, viam*
Effuſus amnis: huius exiguo graues
Maculantur ictus imbre Sed verſus retro
Per ora multus ſanguis, atque oculos redit.
Tir. *Infauſta magnos ſacra terrores cient.*

II. Fuit Extiſpicina, quâ motum ex ſingulis hoſtiæ iam mactatæ membris ſacerdotes rimabantur, Cor Pulmonem, Renes, maximè verò Iecur. Exta autem triſtia, irata, & vt loquitur Amianus, ominoſa, quando pallida, liuida, rabida, marcida, vitioſa, aut cum omnibus ſuis partibus non cōſtabant, aut aliquâ labe, & tetris notis aſperſa, quæ loco mota, & naturali ſitu minimè poſita, quæ ſplendida, benè colorata, integra, plena, ſolida, abſque vlla denique macula, & vitio hæc bona & læta dicebantur. Exta porrò Haruſpices mente, & cogitatione in duas partes diuidebant, vnam hoſtilem inimicis, alteram familiaribus amicam, ſeu ſacrificium offerētibus tribuebant, atque ex vtriuſque partis colore; tabe, habitu, plenitudine, diminutione, quid ad verſariis,

ſariis, quid ipſis euenturum eſſet ariolabantur. Hinc Lucanus lib. 1. —— *venaſque minaces.*

Hoſtili parte videt.

Quod & multis deſcribit Oedipus Senec.

—— —— Non leui motu, vt ſolent
Agitata trepidant exta, ſed totas manus
Quatiunt, nouiſq; proſilit venis cruor.
Cor marcet agrum penitus, ac merſum latet,
Lucentque venæ; magna pars fibris abeſt,
Et felle nigro tabidum ſpumat jecur.
Hoſtile valido robore inſurgit latus,
Septemque venas tendit.

Ex iiſdem Lucanus, Romanis infortunia futura colligit, & lib. 1.

Nec cruore emicuit ſolitus; ſed vulnere largo
Diffuſum rutilo nigrum pro ſanguine virus.
Fibra latet, paruuſque ſecat vitalia limes.
Cor jacet, & ſaniem per hiantes viſcera rimas
Emittunt, produntque ſuas Omenta latebras.

II. Πυρομαντεία ignis obſeruatio ſi victimam admota flammâ citò corriperet, ſi pura, nitida, ſplendida; ſi placidè aſſurgeret in Pyramidem, abſque turbulenta & crepitante fauillarum eiaculatione, proſpera interpretabantur. Si verò lentior eſſet, vel obſcurior, aut inquietior, ſi deorſum ſerperet, aut ad latera delaberetur, aut ſponte extingueretur antequam tota victima conflagraſſet, læſi atque offenſi numinis erant argumenta certiſſima.

Laudatus ſupra Sen. Oedipus

Tr. *Vtrùmne clarus ignis & nitidus ſtetit,*
Rectuſne purum verticem cœlo tulit,
Et ſummam in auras fuſus explicuit comam?
An latera circa ſerpit incertus via,
Et fluctuante turbidus fumo labat?
Ma. *Non una facies mobilis flammæ fuit.*
Sed ecce pugnax, ignis in partes duas.
Diſcedit, & ſe ſcindit vnius ſacri.
Diſcors fauilla.

Scrutabantur, & fumum qui ex victimario igne aſcendebat, rectuſne ſurſum tenderet, an in obliquum vergeret, aut in vertigines, pyraſque volueretur;

Libata Bacchi dona permutat cruor,
Ambitque denſus regium fumus caput.
Ipſoque circa ſpiſſior vultus ſedet,
Et nube denſa ſordidam lucem abdidit,

Ex incenſo quoque thure diu inabant, ex Cineribus ſacrificii, ex vino libaminum, ex aqua ſacra, ex Mola, aliiſque diuinationum commentis. Virg. 4. Æn.

Vidit thuricremis cùm dona imponeret Aris.
Horrendum dictu latices nigreſcere ſacros,
Fuſaque in obſcœnum ſe vertere vina cruorem.

Qui hæc omnia infirmare voluerit, adeat. Tull 2. de diu. à num. 28. ad 87.

PVNCTVM IX.

Reſponſa Conjectorum.

CONjectores hic accipe, qui ex ſomniis ariolabantur. Dubium autem non eſt quin aliquando ſomnia diuinitus accidant, ac proindè verum euentum prænuntient, vt multis conſtat exemplis, quæ vel ſacri Codices, vel SS. Patrum ſcripta ſuggerunt. Interdum quoque à dæmone excitentur, vt habet D. Gregor. in Dialog. l. 4. cap. 84. tamen vt plurimum merè naturalia ſunt; eorumque quatuor, aut quinque omninò cauſas reperio. Fortuitum in quiete phantaſmatum motum, corporis affectionem, ceu ingenitum intemperamentum.

Vndè Iracundi ſeu Cholerici rixas, pugnas, incendia ſomniant: Melancholici fumos, caliginem tenebras, nocturnas oberrationes, ſolitudines, ſpectra, cædes.

Pituitoſi ceu Phlematici mare, aquas, balnea, ſubmerſiones, onera grauantia, tardam & impeditam à noxiis fugam.

Quibus ſanguis eſt copioſior, & purior, roſas hortos, conuiuia, choreas, aërem volatum, læta omnia, aëris ambientis cœleſtiumque corporum impreſſionem atque influentiam: hæc enim ad mouendum phantaſiam, vt pote corporeis organis immerſam, mirum quantum poſſunt. Denique mentis ipſius cura, quæ ſopitos ſenſus explicat, & res quibus inuigilando valde intenta fuit dormiendo retractat. Vndè ſatis acutè D. Greg. Nyſſ. ſcripſit huiuſmodi ſomnia ſimilia cenſenda Cytharæ, cuius fides ceſſantis manus impulſu adhuc modicum extrema motione trepidant, & tinniunt.

Hinc argues veterum Ethnicorum ſuperſtitionem, qui nullo diſcrimine quæcunque menti ſomnia obiicerentur, anxiè obſeruabant, iiſque maximam habebant fidem, quæ poſt mediam noctem remeante ad nos ſole contigiſſent. Non ea tantùm de cauſa, quòd tùm decoctis cibis, ac ſubſiſtentibus craſſis vaporibus liberior mens, & clarior, atque ob ſpiritus illa horâ dominantes, viuidior; ſed etiam quod ſolis, Phœbiquæ vatis acceſſu, vt dicebant, roborari vaticinium videretur.

A ſomniis argumentatur Plutar. in lib. de Vitio & Virtute adverſus improbos, dum ait ex antiquo Poëta.

Ο ταν δ' Απόλλυμαι ὑπ' ἐνύπνιον.

Eoſdem ſceleratos Iuuen. Satir. 13. mordet vtiliter.

Nocte breuem ſi fortè indulſit cura ſoporem:
Et toto verſata thoro jam membra quieſcunt:
Continuò templum, & violati numinis Aras,
Eſt quod præcipuis mentem ſudoribus vrget
Te videt in ſomnis, tua ſacra, & major imago
Humana turbat pauidum, cogitque fateri.

Ab Oromate hoc eſt viſione. Lucan. in milites Cæſaris agit, l. 7.

Exigit a meritis triſtes victoria pœnas.
Sibilaq; & flammas infert ſopor, vmbra perempti,
Coruus adeſt ſua quemq; premit terroris imago.

Ab Oraculo, ſeu Chriſmatiſmo, Virg. 3. Æn.

Nox erat, & terris animalia ſomnus habebat,
Effigies ſacra diuûm Phrygiique Penates,
In ſomnus viſi ante oculos adſtare jacentis.

Quàm dubia ſit ipſorum fides oſtendit Tull. 2. de diu. à n. 119. ad finem.

PVNCTVM X.

Multipiex Somnium

COEterum Somnia ſunt in multiplici differentia; nonnulla quod euentutum repræſentant, vel ſignificatione tantum, Cai. Gracchus dormiendo Tit. Gracchum fratrem ſe commonefacientem audiuit fieri non poſſe, vt quâ ipſe Caius obierat morte, eâdem & ipſe non periret, quòd quidem die ſequenti euenit.

Vel te ſimillima: Pridiè illius diei quo Iulius tot plagis eſt confoſſus, viſus eſt ab vxore per quietem vulneribus ſauciatus jacere in ſinu eiuſdem, vnde illa exterrita, non excitata tantum obnixè, ſed perperam obſecrabat eum, vt ſe domi contineret, Curiamque non audiret.

Vel reipſa; Ruffus quidam in theatro ſomnium narrabat, quo ſe viderat occidendum à Retiario cumque de facie cognitum digito deſignater (nec enim illum ante viderat) dubitare cœpit, an domum ſe reciperet: ſed commodum ſederat, cum ab eo ipſo inſectante Myrmillonem eò compulſum, gladio transfixus eſt.

Quædam verò res futuras imaginibus connotant: quarum aliæ perſpicuæ ſunt, & videntur Emblemata: ſic Ioſephi manipulus eleuatus quaſi Princeps aliquis, delatum honorem à fratrum manipulis accipiebat, & à Sole, Lunâ Stelliſque ſumma veneratione cultus eſt, Geneſis 37 Principatus Augurium, nec incertum Omen futuræ dignitatis, ad quam paulò poſt euectus eſt.

Nonnullæ eam habent obſcuritatis latebrā vt vix aliquis perſpicacilicet ingenio præditus, illas in apertum & lucem bonam proferre poſſit. Sic Aſtyages apud Iuſtinum Cyro nepoti Regnum portendi coniecit, per eam vitē, quam filia Mandana erumpēte ex vtero palmitibus ſuis omnes Prouincias & Pampinis inumbrare viderat.

Octauij pariter Auguſti parens Accia cum geſtaret vterum effundi viſcera polum aduſque & totum orbem cœlique ambitum explicari vidit, Imperij futuri clarum Omen; quod pater eiuſdē pridē admiſerat, cum ex Acciæ coniugis prægnātis vtero ſolis exortū jubar per ſoporem.

Iam verò ſi difficiles explicatus habeant, rerumve ſint aliquæ ſpecies aut ſimulacra, dicentur ænigmata Somniorum: tale fuit illud Piſtorum præfecti Geneſis, cap. 40. *Vidi*, inquit, *ſomnium quod tria caniſtra farinæ habebam ſupra caput meum & in vno Caniſtro quod erat excelſius portare me putabam omnes cibos, qui fiunt arte Piſtoria, aueſque comedere ex eo.* Id explicaret nemo, nec Oedipus quidem, ſolus Ioſephus ſingulari numinis afflatu diceret, quod ibidem habetur. *Tria Caniſtra adhuc dies ſunt, poſt quos auferet Pharao caput tuum ac ſuſpendet te in cruce & lacerabunt volucres carnes tuas.* Quod accidit, vt conjectoris veritas probaretur.

Tale-

Digitized by Google

Tale fuit illa Alexandri, cùm enim pridê Tyrum Rex magnæ mentis obſideret ſibi ſecundùm quietem Satyrum applaudentem diſpexit, eumque iocabundum apprehendere conabatur. reſiliebat ſæpius aſſectantis manum fruſtratus, cúque diu deluſiſſet, exoratus tandem in manus venit. Somnium interpretati coniectores victoriam Alexandro portenderunt, propter vocis affinitatem. Dicebant vtique σὰ τυρ@ σάτυρ@ ſeu tua eſt Tyrus. Multis poſt ſæculis rei monumentum retinuit fons in vrbis vicinia perennis cuius ad ſuſurrum dormitarat Alexander.

Quàm glorioſa ſomniant vitæ liberioris amatores! ſed ô præpoſteram agendi rationē! dum illos nihil de ſalute ſua cogitātes arctior ſōnus cōplectitur, in plūmis ſublimes ſe dormire putāt, in cœlo ſūt ſibi molliter blādiuntur. geſtiunt, triumphant, in poſſeſſione per ſpeciem oblatā mens ebria placidè ſatiatur & quod Africæ lumen vehementer carpit ſenſibus ſopore ligatis ruinoſa gaudia cōſtruūt. Interim vitę nox velocibus alis aduolat, ſoluitur ſopor, quies euaneſcit, inter ſpem metumque dubij ſomniatores euigilant, nec quidquam inueniunt in manibus ſuis quia nihil in manu Chriſti poſuerūt. Neſcimus quàm citò rorans in floribus exſiccetur, matutinus humor, quàm tepefactis ex agris excitatus à ſole vapor, aut ex reſpiratione aquarū efflatus momento euaneſcat; quā vmbra nihil effigiei ſolidæ habens expreſſam, ſed vanæ tantū imaginis ſubitò auolet, quam ventus, ſeu ille ā-helitus terræ, ſeu popularis aliter vanæ gloriæ ōni feſtinatione properet; quàm inanis denique ſpecies ſomnij ſēſibus, non obiecta citius; quàm auerſa, & fugiens ſpem nos veter inchoare longam & in rerum fugientium ſtudio diutius immorari. Somniamus.

PVNCTVM XI,

Idea diuini teſtimonii

CÆſari ſuadetur ne domo exeat Idibus Ianuarij Ethnicorum more.

Ignoſce C. Cæſar, ego enim poſtulationē affero, ſpecie ipſa ridiculam, atque abſurdam. Ille vt ſibi timear, ſub quo Roma, totuſque penè orbis tremit? ſibi vt caueat, quem quaſi filiolum amplexa fortuna, inter armorū, ac ciuilium turbarum pericula tutum hactenus ſecurumque voluit? Rides, opinor, meam hanc nimiā ſolicitudinem: patiar enim verò perlibenter rideri me abs te, modò id vnū te ſinas exorari quod oro, mi Cæſar atque obteſtor. Hactenus fortunæ tuæ ac felicitati cōſiſus nihil timuiſſe generoſi, & excelſi cuiuſdā animi eſt; hodierna verò die fallacem Deam tandem habere ſuſpectā in diuinæ cuiuſdam prudentiæ: rantū fortuna minatur, quātū largita eſt. Cæſari nihil deeſſe poteſt, niſi Cęſarem, vt ſaluum & incolumen velit. Contine te igitur Cæſar hac luce, ſi te, ſi familiares tuos, ſi patriam diligis. Spurium haruſpicem minitantem neſcio quid, quod non vltra Idus Martias proferatur, audiſti; non ſunt mihi crede, non ſūt anicularum deliramēta, quæ vir in haruſpicina verſatiſſimus denunciat; non inane aliquod portentum, aut phauraſma dubium illuſit oculis ſed vera, certaque Auſpicia, ſed ipſa victimarum exta, ſed volatus, garrituſque auium, cælum, terra, elementa omnia, & qui te amant, Deorum voces, cauendum admonent inſidias, inſidias clamare non ceſſant.

Quis verò ad heſternum illud prodigium non totus cohorruit, cum autem Pompeianæ Curiæ ſeſe inferentem, volucres varij generis ex proximo nemore perſequutæ ibidem decerpſere ramos: in re tàm aperta facilè eſt ſine haruſpice ariolari, Non eſt quod dira obtrudant omnia Calpurniæ vxori tuæ per quietem oblata, quorum memoria amātiſſimam tui fœminam miſerè torquet, atque excruciat: te ipſū C. Cæſar, in tua cauſa coram te appello tot victimas his diebus immolaſti, litaſti nunquam. De reperta Capuæ in ſepulchro Capis fatali tabula nolo te eſſe ſollicitū; ſed non poſſum non commoueri, totiſque artubus contremiſcere, cùm audio equorum greges, quos in traijciendo Rubicone conſecraſtis hominum in morem collacrymari, & pertinaci inediâ macerare ſeſe.

Quid enim viſo prodigio ſuſpicari poſſum aliud, quàm hunc doloris ſenſum brutis animantibus à Diis Immort. datum eſſe, vt Cæſarem ſuū

de præſentiſſimo periculo admonerent. Age igitur C. Cæſar, ſine te Calpurniæ tuæ, tuorumque precibus imò & Deorum vocibus, monitiſque expugnari, & quam tibi authoritatem, & gloriam peperiſti, facili, & ſalutari cautione conſerua.

Ab his Auſpiciis Iulianæ cædis attrocitatem amplificat prodigiorum omnium enumeratione, quæ mortem eius conſequuta ſunt, Virgil. in cuius verſibus magis, quàm in prodigiis obſtupeſcent omnes animi conſequentes. Sic enim 1. Georg.

Ille etiam extincto miſeratus Cæſare Romam,
Cùm caput obſcura nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt ſæcula noctem.
Tempore quamquam illo tellus quoque, & æquora Ponti,
Obſcœnique canes importunaque volucres
Signa dabant. Quoties Cyclopũ efferuere in agros
Vidimus vndantem ruptis fornacibus Etnam,
Flãmarumq; globos, liquefactaq; voluere ſaxa?
Armorum ſonitum toto Germania cœlo
Audiit: inſolitis tremuerunt motibus Alpes.
Vox quoque per Lucos vulgo exaudita ſilentes
Ingens, & ſimulacra modis pallentia miris,
Viſa ſub obſcurum noctis, pecudeſq; loquutæ,
Infandum, ſiſtunt amnes: terraq; dehiſcunt,
Et mœſtum illacrymat templis ebur, æraq; ſudãt,
Proluit inſano contorquens vortice ſiluas,
Fluuiorum Rex Eridanus, campoſq; per omnes
Cum ſtabulis armenta tulit, nec tempore eodem
Triſtibus aut extis fibra apparêre minaces,
Aut puteis manare cruor ceſſauit: & altè
Per noctem reſonare, lupis vlulantibus, vrbes.
Non alias cœlo ceciderunt plura ſereno
Fulgura: nec diri toties arſere Cometæ.
Ergo inter ſeſe paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi:
Nec fuit indignum ſuperis, bis ſanguine noſtro
Emathiam, & latos Æmi pingueſcere campos.

Multa congerit in hanc rem Tull. de Haruſpicũ reſponſis Oratione n. 18. & 20. & in Antonium 4. Phil. n. 10. *Ita verò ei, vt precamini, euenit, quo huius amentiæ pœna ipſum, familiamque eius recidat, quod ita futurum eſſe confido. Iam enim non ſolùm homines, ſed etiam Deos immortales, ad Remp. conſeruandam arbitror conſenſiſſe, ſiue enim prodigiis, atque portẽtis Dij immort. nobis futura prædicũt, ita ſunt apertè denuntiata, vt & illi pœna, & libertas nobis appropinquet: ſiue tantus conſenſus omnium, ſine impulſu Deorum eſſe non potuit, quid eſt quod de voluntate cœleſtium dubitare poſſimus?*

Hæc de teſtimoniis diuinis apud veteres vſitatis; quæ verò vſurpãtur à Chriſtianis ea ſunt, quę Deum authorem habent plerumque, tùm per Angelos aut afflatu diuino proferuntur. Quare ad hoc genus non modò referenda quæ ſacris codicibus continentur, ſed etiam tradita ab ipſis Apoſtolis Eccleſiæ militantis inſtituta, quæ inſtrũcta diuino ſpiritu falli non poteſt; In hac vera ſunt decreta, ſummorumque Pontificum reſponſa, de fide vel moribus aliquid authoritate Pontificia decernentium; In hac vera oracula, multa miracula, veræ vaticinationes, veræ ſomniorum interpretationes continentur: extra quam mera figmenta, quæ ſtulta nobis reliquit antiquitas.

LECTIO III.

De Teſtimoniis humanis.

TRia cum Cic. ſtatuo generis humani teſtimonia. Primum quod pendet ex authoritate virorum, aut eruditione, aut opibus, aut virtute illuſtrium, Alterum à voluntate Regum, Principum, & Reimp. Tertium ab Oratione, tùm libera, hoc eſt, quam homines nulla vi coacti proferunt; vt cùm reus crimen vltrò fatetur admiſſum, vel iurati teſtes coram Prætore confirmant tum expreſſa, vt cum reus in Equuleo torquetur atque ad ſceleris confeſſionem adigitur vi tormentorum.

Ad primum pertinent Exempla, Sententiæ, Prouerbia, Symbola, & alia quæ ex veterum libris eruuntur: ad ſecundum Leges. Edicta, Præiudicia; ad tertium Teſtimonia, Iuſiurandum, Pacta, Conuenta, Quæſita de quibus ordine dicendum; omiſſis tamen quæ Forenſis potius diſciplinæ, quam Oratoriæ facultatis eſſe videbuntur.

* *
*

PVNT.

Digitized by Google

PVNCTVM PRIMVM.

De Exemplo.

DE Exẽplis hæc habet Cic. 5. in Verr. n. 109. *Cum in crimine maximo dixi à defenſore cæptũ eſt factitatũ eſſe aliquid: expectant ij, qui audiũt, exempla ex veterũ, memoria & monumentis, ac litteris, plena dignitatis, plena antiquitatis. Hæc enim plurimum ſolent & auctoritatis habere ad probandum, & iucunditatis ad audiendum.*

Definitur autem exẽplum à Quint. rei geſtæ; aut vt geſtæ vtilis ad perſuadendum id, quod intenderis, commemoratio; qua definitione fabulas vides comprehendi. Duplex igitur exemplũ quod tradit Ariſt. 2. Rhet. Alterum verum, fictum alterum. I. veri tractatione hæc ſunt obſeruanda.

I. Vt ex authore idoneo promatur.

II. Vt quoad fieri poterit, ipſum adeas fõtem, vnde purum atque incorruptum hauriatur.

III. Vt ne violenter accerſitum, atque in rem intruſum eſſe videatur; in quo multos grauiter peccare videas, qui ſingularis alicuius exempli ſplendore capti, ad rem illud, atque extra rem dicunt, omni quod aiunt, panno aurum aſſuentes.

IV. Vt ne ſis nimius in longa Exemplorum ſerie concatenãda, quod puerum ſapit; pauca omninò, & certa proferes, vel ſi multa celerrimè, & quaſi in tranſitu decurres, præſertim ſi peruagata fuerint, & trita, vel ſi dicas apud eruditos, quorũ ſuperbæ aures exquiſitum aliquid expectant.

V. Vt ex tuis interdum Annalibus eruantur; hæc enim, recentiora præſertim magis placent, vtpote loco, & tempore minus ab auditoribus remota.

Nunquam verò cum laudabis, niſi adhibita quadam præmunitione, Exemplum duces ab earum gentium hiſtoriis, quibus cum, vel ob ingenitam morum antipathiam, vel ob diuturnam de gloria atque imperio contentionem, vel denique ob damna Reipub. importata, graues inimicitias exercemus: pari ratione, cum vituperabis, aliena potius, quam domeſtica produces.

Si tamen alicuius in laude veteris aliquando, ſic occurres Inuidiæ. Fuit hæc veterum Anglorũ virtus, quæ in poſteris exoleuit, ſi nimirum vetuſtiora ſunt exempla; vel ſi recentiora ſunt, quæ multò plus habent inuidiæ, vt Ammian. Marc. in laude Eutheri, Enuchi lib. 15. profatur enim de eo ſe dicturum forſitan non credenda: ſed inter vepres, inquit, roſæ naſcuntur, & inter feras nonnullæ miteſcunt: vel denique ſi notior eſt illarũ gentium virtus, quam vt eleuari poſſit, collatione mollies, ac mitigabis inuidiã peregrino exẽplo domeſticum ſtatim ſubiiciens, quod multò illuſtrius appareat, priorisque lucem obſcuret. Victor enim victo nuſquam invidet, ſatius tamẽ fuerit externa illa reticere, ſi magna ſint, atque admirabilia. Nunquam verò ad obiurgationem, vel ad exhortationem prudenter hoſtis laudabitur à viro graui, & magnæ authoritatis: ſed hic quoque videndum, vt honori ſemper audientiũ parcat, ne contemni ſe putent, vnde offenſio, vel hoſtium metus animorumque ſequeretur infractio. Hoc feretis Germani nobiles Barbarus miles ad inediam vigiliaſque occaluit, vos labor franget ac debilitabit: quos multò promptiores, alacrioreſque ad bellum natura finxit? vincent ergo, quia vincere recuſatis? &c.

PVNCTVM II.

Exempla figuris ornanda.

NOn illa nudè proponenda, atque ciuili quadam ſimplicitate narranda, ſed verbis ſententiis, figuriſque, quantum res patitur, ornanda ſunt: grauiſſima verò, & quæ exitus habent inopinatos, cum animorum ſuſpenſione, ac ſuſtentatione præclarè efferentur.

Eſt illuſtris omninò Idea 4. cõtra Catil. vbi ſe ipſũ Tull. hortatur ad omnia fortiter pro Rep. perferẽda. N. 21. *Sit Scipio clarus ille, cuius cõſilio, atque virtute Annibal in Africã redire, atq; ex Italia decedere coactus eſt: Orietur alter eximia laude Africanus, qui duas vrbes huic imperio infeſtiſſimas Carthaginem, Numantiamque deleuit; habeatur vir egregius L. Paulus ille, cuius currũ Rex potẽtiſſimus quodã & nobiliſſimus Perſes honeſtauit: Sit in æterna gloria Marius, quibis Italiã obſidione, & metu ſeruitutis liberauit: Anteponatur omnibus Põpeius, cuius res geſtæ atque virtutes iiſdẽ, quibus Solis curſus*

Digitized by Google

curſus regionibus, ac terminis cantinentur. Erit profectò inter horum laudes aliquid loci noſtræ gloriæ: niſi fortè maius eſt patefacere nobis prouincias, quò exire poſſimus, quam curare, vt etiam illi qui abſunt habeant quo victores reuertantur.

Per ſuſtentationem eſt hoc lepidum ſatis quo Grammaticis antiquos plurimum detuliſſe probatur. Nam honores Grammaticam profeſſis olim habitos quid me attinet commemorare? ſtatuas ad perennem hominum memoriam in ampliſſimis vrbibus poſitas, decretas maximis de rebus legationes, immunitates iure ciuili conceſſas, ſtipendia legibus cõſtituta. Quid? amicitiæ Principum, honorificæ appellationes, Elogia illorum laudibus, ac nomini conſecrata, traditi in diſciplinam Imperatorum liberi, ſatiſnè docent, quantum nomen, quanta eorum æſtimatio fuerit? longum eſt dicendo perſequi ſingula, vnum tamen præterire non poſſum iucundum certè, & pleriſque veſtrum fertè inauditum.

Mirabilis omnino caſus Regilianum Imperatorem ad tantæ dignitatis faſtigium erexit. Cœnabant apud eum miliтes aliquot iamque prouectis epulis ad hilariores ſe ſermones conuerterant: Cum ecce inter iocandum quæſtionem excitat Valerius Tribu. Vnde hoſpitis Regiliani nomen deduci arbitrarentur; tum verò multi, vt fit, multa certatim prout ſuum cuique ingenium ſuggerebat; alij ad Regillum lacum, alij alio originem referebant. Aderat fortè Grammaticus quidam non ineruditus, in quem, vt cæteri coniecerunt oculos, ille ſuas eſſe partes ratus quid ſuper hac re ſentiendum eſſet, definire, aurem ſibi dantibus ait, Rex, Regis, Regi, indè Regilianus. Quid expectes ab inſolente turba, medijs in poculis, calente vino, vt feſtiuè applaudant ingenioſo interpreti? vt ludicrum & fungum Regem in menſa conſtituant? vt fictitiæ maieſtati hilarius propinent? vt ei ſe ſuaque omnia laſciuientes deferant? Sic fieri conſueuit, ſed audite quid fecerint, ad hanc vocem tanquam ad Oraculum è veſtigio ſuccłamatum eſt, & inditum nomen, haud dubium Regiæ maieſtatis, *Rex eſto.* Quid multa? Res defertur ad ducem exercitus, communibus ſuffragijs eligitur, poſtridiè cum ſe publico commiſiſſet ab vniuerſis eſt Imperator ſalutatus. Quid? non vobis videtur iuanis ac nugatoria diſciplina quæ coronam capitibus impoſuit?

PVNCTVM III.

Epiphonemate claudenda.

NArrationem ſingularis exempli Epiphonemate, vel exclamatione concludes, & Tull. imitaberis dum latenter inſinuat Piſonem auaritia compulſum dediſſe militibus ſuis miſſionem eo tantum fine, ne ſtipendium eis exolueret, periurium eiuſdem & fugam, tum militum in ducem odium per gradationem, & acclamationem complectitur, quo victi ſtatuas eius euerterunt. In Piſon. n. 93. *Quibus cùm iuratus affirmaſſet, ſe quæ deberentur poſtero die perſoluturum, domum ſe abdidit: inde nocte intempeſta, crepidatus veſte ſeruili nauem conſcendit, Brunduſiumque vitauit, & vltimas Adriani maris oras petiuit. Cùm interim Dyrrachij milites domum in qua iſtum eſſe arbitrabantur obſidere cœperunt, & cùm latere hominem putarent, ignes circumdederunt. Quo metu commoti Dyrrachini profugiſſe noctu crepidatum vt erat rem indicauerunt. Illi autem ſtatuam iſtius perſimilem: quam ſtare celeberrimo in loco voluerat, ne ſuauiſſimi hominis memoria moreretur, deturbant affligunt, comminuunt, diſſipant.*

SIC ODIVM QVOD IN IPSVM ATTVLERANT, IN EIVS IMAGINEM AC SIMVLACRVM PROFVDERVNT.

PVNCTVM II.

Exempla circumſtantiis veſtita.

ALias amplificabis expendendo Adiuncta, opponendo Antithet a, comparãdo maiora; hæc ſunt à maiori ad minus Exempla Tull. pro Milon. quæ ab adiunctis amplificantur, quibus oſtendit Liuij Druſi, & P. Scipionis Æmiliani cædem Clodij tanti non fuiſſe, vt propter eam inſtitui debuerit noua quæſtio. Nu. 16. 16. *Domi ſua nobiliſſimus vir, Senatus propugnator, atque illis quidem temporibus penè patronus, auunculus huius noſtri*

Digitized by Google

iudicis, fortiſſimi viri, M. Catonis, Tribunus plebis M. Druſus occiſus eſt. Nihil de eius morte populus conſultus, nulla quæſtio decreta à Senatu eſt. Quantū luctum in hac vrbe fuiſſe à noſtris patribus accepimus, cùm P. Africano domi ſua quieſcenti illa nocturna vis eſſet illata? quis tùm non gemuit? quis non arſit dolore? quem immortalem, ſi fieri poſſet, omnes eſſe cuperent, eius ne neceſſariam quidem expectatā eſſe mortem. Num igitur vlla quæſtio de Africani morte lata eſt? certe nulla. Quid ita? quia non alio facinore clari homines, alio obſcuri necantur. Interſit inter vitæ dignitatem ſummorum atque infimorum, mors quidem illata per ſcelus iiſdem pœnis teneatur, & legibus. Sed quid ego illa commemoro? Comprehēſus eſt in templo Caſtoris ſeruus P. Clodij, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendū collocarat extorta eſt confitenti ſica de manibus, caruit foro poſtea Pōpeius: caruit Senatu, caruit publico, ianuâ ſe ac parietibus, non iure legum iudiciorumque texit.

A variis circumſtantiis Clodij factum exaggerat, qui ſeruum ad inferendam Pompeio necem in veſtibulo curiæ collocarat, ex quo efficit, ſi nulla de his inſidiis decreta quæſtio eſt, multò minus de Clodi nece decerni debuiſſe.

Num quæ rogatio lata? num quæ noua quæſtio decreta eſt? atqui ſi res, ſi vir, ſi tempus vllum dignum fuit, certè hæc in illa cauſa ſumma omnia fuerint inſidiator erat in foro collocatus, atque in veſtibulo ipſo Senatus; ei viro autem mors parabatur, cuius in vita nitebatur ſalus ciuitatis; eo porrò Reip tempore, quo ſi vnus ille occidiſſet, non hæc ſolùm ciuitas, ſed gentes omnes concidiſſent. Quoties ipſe ex Pub. Clodij telis, & ex cruentis eius manibus effugi? ex quibus, ſi me non mea, vel Reip. fortuna ſeruaſſet, quis tandem de interitu meo quæſtionem tuliſſet?

Deuoluitur poſtea ad comparationem, quam præclarè per Ironiam inſtituit, vnde conficitur non fuiſſe tanti Clodium, vt de eius nece, ſi nihil aliud cauſæ fuiſſet, quæſtio habēda videretur.

Sed ſtulti ſumus, qui Druſum, qui Africanū, Pōpeium, noſmetipſos, cū P. Clodio conferre audeamus: tolerabilia fuerunt illa: P. Clodij mortē æquo animo nemo ferre poteſt. Luget Senatus, mæret equeſter ordo, tota ciuitas confecta ſenio eſt: ſqualent municipia afflictantur coloniæ, agri denique ipſi, tàm beneficum, tàm ſalutarem, tam manſuetum ciuem deſiderant.

PVNCTVM V.

A ſimili diſſimili, contrario petita exempla.

NOtandum ex Quintiliano exemplum eſſe vel planè ſimile, vt iure occiſus eſt Saturninus ſicut Gracchus, quæ ſi coaceruata fuerint multum valent. His vſus eſt Cic. dum præiudicia confutat quæ ab inimicis contra Milonem ſæpè iactata fuerant ſcilicet in Rep. bonis legibus inſtitutа morte plectendum, qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur. Num. 7. pro Mil.

Negant intueri lucem eſſe fas ei, qui à ſe hominē occiſum eſſe fateatur. In qua tandē vrbe hæc homines ſtultiſſimi diſputant? nempe in ea quæ primum iudicium de capite vidit M. Horatij fortiſſimi viri; qui, nondum libera ciuitate, tamen Populi Rom. comitiis liberatus eſt, cùm ſua manu ſororem interfectam eſſe fateretur. An eſt quiſquam qui hoc ignoret, cùm de homine occiſo quæratur, aut negari ſolere omnino eſſe factum: aut rectè, aut iure factum eſſe defendi? niſi vero exiſtimatis dementem P. Africanum fuiſſe, qui cùm à D. Carbone Tribuno pleb. in concione ſeditioſè interrogaretur, quid de T. Gracchi morte ſētiret, reſpōdit iure cæſū videri. Neq; enim poſſet aut Hala ille Seruilius, aut Naſica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut, me Cōſule, Senatus non nefarius haberi. Si ſceleratos ciues interfici nefas eſſet, &c.

Vel diſſimile, vt Brutus occidit liberos proditionē moliētes, Manlius virturē filij morte mulctauit. Diſſimilia sūt 7. in Verrē vbi facetè deſcribitur Imperator Verres & cōparatur cū Aquiliis, Fabiis, Pōpeiis. N. 5. *Quid dices? an bello fugitiuorū Siciliā virtute tua liberatam magna laus & honeſta oratio. Sed tamen quo bello? nos enim poſt id bellū quod M. Aquillius confecit, ſic accepimus nullū in Sicilia fugitiuorum bellū fuiſſe. At in Italia fuit: Fateor, & magnum quidem ac vehemens, nū igitur ex eo bello partē aliquā laudis appetere conaris: nū tibi illius victoriæ gloriā cū M. Craſſo, aut Cn. Pōpeio cōmunicandam putas? non arbitror hoc etiam deeſſe tuæ impudentiæ, vt quidquam eiuſmodi dicere audeas. Obſtitiſti videlicet, ne ex Italia trāſire in Siciliā fugitiuorum copia poſsēt. Vbi? quando? qua ex*

Digitized by Google

parte?cùm aut nauibus, aut ratibus conarentur? accedere nos enim nihil vnquã prorſus audiuimus,&c. Huic gen eri mirificè ſeruiunt ad irridendum aduerſarium frequentes ironiæ.

Vel contrarium, vt Marcellus oanamenta Syracuſanis hoſtibus eripuit. Verres eadem ſociis abſtulit. Cic. ex ſerui corruptela vniuerſo generi hominum peſtem impendere docet,per contrarium exemplum Domitij iuſtè ſæuientis in ſeruum,& eorum qui degenerare videntur à moribus antiquis,dum molliores ſeruorum corruptelam videntur approbare.Pro Deiot.n.31. *O tempora!ô mores!Cn.Domitius ille,quem nos pueri Conſulem, Cenſorem, Pontificem Maximum vidimus, cum Tribunus Pleb.M.Scaurum principem ciuitatis,in iudicium populi vocauiſſet, Scaurique ſeruus ad eum clàm domum veniſſet,& crimina in Dominum delaturum ſe eſſe dixiſſet,comprehẽdi hominem iuſſit ad ſcaurumque deduci. Vide quid interſit:etſi nique Caſtorem cum Domitio comparo: Sed tamen ille inimico ſeruum remiſit:tu ab auo abduxiſti:ille incorruptum audire noluit, tu corrupiſti:ille adiutorem ſeruum contra Dominum repudiauit,tu etiam accuſatorem adhibuiſti.*

PVNCTVM VI.

Exemplum per communicationem.

GEſtit animus ſtatim ipſa recordatione iucũditatis, nec temperare ſibi poteſt,quin ſeipſum ſuumque hac in parte ſẽſum aperiat.Equidem ſic exiſtimo in legendis interdum Poëtis eâ nos poſſe voluptate perfundi, cui nullæ deliciæ poſſint cõparari;ſuus cuique genius eſt,vt aiunt, & voluptas,me quidem maximè rapit ſtylus ille dulcis certis temperatus numeris,mira varietate diſtinctus omni effloreſcens venuſtate, ac lepóre,necnon in multis ſublimitate quadam aſſurgens,cùm res nactus præclaras vim ſuam exerit, tonat,irrumpit, penetrat dominatur, mirabileſque excitat in nobis motus animorum; tumultuantur interdum in pectore concurrentes affectus,hinc dolor,indè lętitia,modò ſpes aliàs metus,nunc ira,modò miſeratio, qua ex pugna mirifica quædam voluptas exiſtit, quæ in omnes corporis partes diffunditur. Quoties lacrymæ non tàm legentibus, quàm lugentibus oculis vberum erumpunt? quoties exultante intus animo emicare ſentio cor meum omneſque artus exuberãte lætitia excitari?quoties attonitus mecum ipſe exclamo?ô facinus!Pereat,pereat impius ille,crudelis,ſacrilegus. Diis atque hominibus execrandus. Nihil cælabo vos, quando huc me diuinus quidã ardor intulit, viſus ſum mihi aberrare interdum animo & quaſi ſenſus amiſiſſe,vt ſubinde ad me reuerſus mirarer ibi me non eſſe, vbi me eſſe videbam,cùm anteà æſtuarem in mari ventis,ac tempeſtatibus agitatus, directas ad ilium intuerer acies, pugnarem ex equo, per medias ſtrues cadauerum cruentus,victor decoro puluere ſordibus volitarem. Dicam magis meipſum in meipſo vix agnoſcebam,cùm Achilles mihi,cùm Priamus,cum Hector viderer,quorum motus ſic indueram,vt deceptus à me ipſo,quis eſſem propè obliuiſcerer; ſic animum quaſi diſtraxerat nimia violentus ſuauitate, nimiaque violentiâ ſuauis affectus.ô iucunditatem!ô delicias!

PVNCTVM VII.

Exemplorum coaceruatio, quibus per præteritionem probatur viros litteratos non eſſe alienos à factitandis Artibus mechanicis.

NOn ita, qui ſemel hauſerit eruditionis aliquid, de repente tanquam aliquo Circæo poculo totus obrigeſcit, vt ineptus fiat, ad omnem domeſticarum Artium exercitationem.Moleſtus eſſem numerando, ſi laudarem hîc omnes eruditionis eximiæ viros, qui è Lycæo,& Academia ad quotidianos opificum labores deſcenderunt.Quid Phyrronem & Metrodorum appellem, quos in pingendi æquè, ac Philoſophandi ſtudio deſudaſſe legimus? quid Simonem illum Cor. nominem, cuius ad Officinam Socrates perſæpè de Philoſophia diſputabat? Prætereo Cleanthem qui frequenter in Piſtrino de Natu-

ra.

Digitized by Google

ra;de Cœlo,de Syderibus philoſophabatur,non dico Euripidem & Pacuuium Poëtas eius nominis.& notæ non viuam ſolum,& loquentem picturam eſſe profeſſos,ſed mutam adhuc,& mortuam cum laude exercuiſſe.Sileo,quod niſi togatorum doctiſſimus Varro literis conſignaſſet,vix animum ſanè inducerem Plautum aliquãdo cum perdoctus Fabulas Romæ ſcriberet, aliquandiu locaſſe piſtori operam ſuam.At certè non perindè etiam æquum eſt, vt Hyppiam Philoſophum tacitus prætermittam,qui tam aptas,tamq; multarum Artium miniſtras manus ſua ſibi fecit induſtria, vt reliquorum opificum manibus non indigeret,vt veſtitus,vt palliatus, vt annulo ornatus incederet.

PVNCTVM VIII.

De Exemplo ficto,ſeu facto.

NOn malè quidem dixere Poëtas ſimiles eſſe celebratis illis Alcybiadis igunculis, quæ clauſæ quidem turpem, ac monſtruoſam faciem præferebant; apertæ verò diuinæ frontis decus, auguſtamque maieſtatem referebant: Sic enim illi fabulas quaſdam aſpectu primo ridiculas ita concinnant,vt deſipere videantur,verum ſi quis diligentius introſpexerit diuina quædam in illis arcanæ ſapientiæ myſteria latere deprehendet. Nam vt omittam illud,quod facilè fuerit oſtendiſſe,ſcientiarum ferè omnium ſemina,veterumque Academiarum pugnantia dogmata his inuoluta integumentis,&quaſi velis obtenta comprehendi: Hoc certè nemo negauerit quin Poetæ nobiles hominum actiones, ingenia, motus, & ſtudia, pictis tabus,perſoniſque imitando,luculenta nobis virtutum omnium, vitiorumque exempla ſtatuerint. Sic enim Camillam nobis Virginitatis inſignem ſtudio; Didonem contra turpiter furentem,pium Æneam,impium & crudelem Mezentium,alioſque aliis tanquam in viuis, ſpirantibuſque talibus exhibuerunt, vt eorum non modò expreſſos vultus, geſtus, actiones, ſed intimos etiam videre ſenſus, intelligere conſilia, voces audire liceat.

Et verò quod vnquam extitit à Philoſophorũ ſcholis paulò ſanctius præceptum, quod non ex hoc quaſi fonte fluxiſſe videatur? quod in vita negotium, quod negotij forma, cuius non effigiem nobis diuina poeſis expreſſerit; quam ſpectare animo,atque imitari in communi vita, & conſuetudine debeamus?Militiam ſequeris?fortitudinem Aiacis intuere,Vlyſſis aſtutiam, Diomedis iunctam cum virtute prudentiam. Imperatorem agis?tibi Agamemnonem ad imitãdum propone,ſuperos tibi donis, ac precibus concilia,Neſtorem ad deliberationes adhibe,nihil temerè,nihil præcipitãter aggredere,nulla te grauior concitatio percellat,non ita perturbet,non abiiciat fortunæ volubilis inconſtãtia.Cares patria,vxore,dulciſſimiſque liberis,varij te caſus,& labores exercent?Verſetur ob oculos ſapiens Vlyſſes,vt conſtans erat in aduerſis?vt ſui ſemper ſimilis?vt rebus humanis altior? vt ſeipſo maior? vt denique aduerſus omnes vel inimicorum inſidias, vel illecebras voluptatum munitus,ac tectus? Iam hoſpitia principum Thelemachi in quærendo iuuandóque patre ſolertia; conſtans Penelopes animus,laborque infinitus,nec quietem recipiens,nec reperiens exitum, quid aliud quàm aduenis hoſpitalitatem, pietatem filiis, coniugibus fidem, omnibus qui pudori conſultum voluerint otij fugam,laboriſque indefeſſi ſtudium commendant.

Sed alia ſunt quæ prudens Orator ex Poëtarum lectione decerpat. Nam proh Deum immortalem!quæ ſuauitas Poeticæ loquitionis?qui lepos?quæ venuſtas?quod inuentionis acumen? quæ compoſitionis harmonia? qui verborum ſplendor? quæ grauitas ſententiarum?quod dicendi genus non ita ſunt aſſequuti,vt vel in exẽplum ipſis Oratoribus eſſe poſſint?quas iniis virtutes?quæ lumina? quæ tandem Orationis ornamenta deſideras? vndè melius & in rebus ſanguis ac ſpiritus;& in verbis ſublimitas,& in perſonis decor,ac dignitas peti poſſit.

Iam verò in permouendis affectibus quanti ſunt?ſeu molliendus ſit efferatior animus,ſeu remiſſior excitandus, ſeu denique percellendus contumax, aliámque pro arbitrio trahendus in partem?quid illis aut ſonat dulcius, aut exultat,

Digitized by Google

alacrius, aut ſubtilius penetrat, aut rotatur ardentius? quippe nihil hic ſqualere incultum, nihil ſerpere abiectum, aut iacere videas, grandes ſunt illuſtres, ſplendidi, magnifici, res narrando ſubiiciunt oculis, perſonas omnes ſuſcipiunt, motus verò vel leues, vel concitatos ſic habent in poteſtate, vt non alienos imitari, ſed ſuos ipſi exprimere videantur. Quæ ſi totum cogitas, ſi te genius tuus ad illam ducit victricem animorum, ciuitatúmque dominatricem Eloquentiam, ſub iis tibi ſudandum magiſtris, his ducibus facienda prima ſtipendia, in iis caſtris ponenda forenſis illius pugnæ, velitationiſque rudimenta.

Sic exiſtimo locum aliquem eſſe Poëtarum fabulis apud viros graues, & doctos etiam cum res ſeriæ diſceptantur, modò parcè, & cum hac moderatione adhibeantur, vt Oratori in iis exponendis non iuueniliter exultare fictionis ſuauitate captus, ſed latentis ac reconditæ ſententiæ quaſi ſuccum refecto cortice exprimere videatur. Ita Cic. pro Roſc. Amer. n. 67 *Nolite enim putare quemadmodum in fabulis ſæpenumerò videtis, eos, qui aliquid impiè, ſceleratéque commiſerint, agitari, & perterreri furiarum tædis ardentibus. Sua quemque fraus, ſuus terror maximè vexat: ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit, ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæque animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ, domeſticæque furiæ, quæ dies noctéſque parentum pœnas à conſceleratiſſimis repetant.*

Pro Milone n. 8. probat indemnatum hominem nonnunquam interfici poſſe, auctoritate veterum Poëtarum, qui nunquam Oreſtem de patris cæde confitentem Palladis ipſius calculo abſolutum fuiſſe finxiſſent, niſi aliquando hominē occidi poſſe cenſuiſſent. *Itaque hoc non ſine cauſa fictis fabulis doctiſſimi homines, memoriæ prodiderunt eum, qui patris vlciſcendi cauſa matrem necauiſſet, variatis hominum ſententiis, non ſolum humana, ſed etiam Deæ ſapientiſſimæ ſententia liberatum.*

2. Tuſc. n. 40. Euripili veterani militis patientiam proponit, vt vim conſuetudinis atque exercitationis oſtendat. Inſignis omninò locus nec omittendus 5. de finib. vbi de innata hominibus cupiditate diſcendi diſſerit in hunc modum n. 49. *Mihi quidem Homerus huiuſmodi quoddam vidiſſe videtur in iis, quæ de Sirenum cantibus finxerit: Neque enim vocum ſuauitate videntur, aut nouitate quadam, & varietate cantandi reuocare eos ſolitæ, qui prætervehebantur, ſed quia multa ſe ſcire profitebantur, vt homines ad earum ſaxa diſcendique cupiditate adhæreſcerent.* Ita enim inuitant Vlyſſem,

O decus Argolicum, quin puppim flectis Vlyſſes,
Auribus vt noſtris poſſis agnoſcere cantus?
Nā nemo hac vnquā eſt tranſvectus cærula curſu
Quin prius adſtiterit vocum dulcedine captus
Poſt variis auido ſatiatus pectore Muſis,
Doctior ad patrias lapſus peruenerit oras.

Vnde patet quàm venuſtè Poëtarum figmenta nonnunquam à Philoſopho morali atque Oratore profano vſurpentur: Nam Eccleſiaſtæ, ad populum concionem habenti, neque virtutibus Chriſtianis diſſerenti, vix permitterem has nugas aniles, quas Religio noſtra locique ſanctitas reſpuit.

Sunt tamen quædam fabulæ populari concioni ſatis accommodatæ ex mente Ariſtot. 2. Rhet. quæ ex imperitis hominibus ferè conſtat, proindè ſimplicius quæ facta ſunt audiunt & capti voluptate facilè conſentiunt iis, quibus delectantur. Tale commentum fuit Steſicori Poëtæ Siculi ex Hymera Ciuitate, qui cùm Ciues ſuos videret Phalari ſceleſto, ac perfido homini imperium in hoſtes ſumma cum poteſtate tradidiſſe, corporis quoque cuſtodes eidē velle tradere, veritus ne ſi id feciſſent, libertatem amitterent, eos hac fabula ab incepto reuocauit, quam Horat. epiſt. lib. 1. Latinis verſibus expreſſit.

Ceruus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat donec minor in certamine longo
Implorauit opes hominum, frænumq; recepit,
Sed poſtquam victor violens diſceſſit ab hoſte
Non Equitem dorſo, non frænum depulit ore.

Porrò in huiuſmodi fabulis exponendis ridetur Orator, qui graues ſententiarum figuras adhiberet, natiuo potius quodam lepore condienda. Oratio Et ſi quādo fuſius narrare placet quod ſæpè magnam habet venuſtatem, ſi loco, & tempore fiat, ad excitandos, exhilarandoſq; auditorum animos perſonæ inducentur, & mutis animātibus ſermo affingetur. Hac enim natiua ſimplicitate

Digitized by Google

pl icitate miruminmodum recreantur indoctorum animi, & conceptum ex gravioti Oratione faſtidium levatur, dummodo nihil ſit in illis puerile.

PVNCTVM V.

De Teſtimonio Veterum.

SÆpè venit in vſum hic locus: Cùm enim nulla ſit opinio tàm à communi omnium ſenſu aliena, quæ non patronos defenſoreſque habuerit, quacumque de re inſtitnetur Oratio, nulli non facilè fuerit, & expeditum à communibus locis, qui paſſim habentur in manibus, aut ex propriis commentariis veterum ſententias, & teſtimonia promere, quæ cauſæ ſuæ ſuffragari videantur. Neque verò vbi Oratio vacillet quidquam eſſe poſſit efficacius authoritate virorum illuſtrium, qui vel in genere ſuo principes habiti ſunt, vel ſummam ab omnibus laudem promeriti Proindè memoria tenere debebit Orator ſelectas quaſdam formulas laudandi authoris cuius ſententiam vſurpat. Aliquot in exemplum ſubiicere non erit ingratum opus Eloquentiæ primùm ſtudioſis,

Quoties prætergreſſa eſt tuas aures celebris illa magni Platonis ſententia; quæ ſi ſemel animo penitus inſediſſet, nunquam hanc in contentionem deſcendiſſes?

Venit in mentem Ageſilai, qui percontatus à quodam quam ob cauſam Sparta nullis mœnibus cingeretur, ciues armatos & ſumma animorum contentione junctos oſtendit vir de ſummis vnus.

Deus immortalis! qvàm multos & virtutum laude, & ſcientiarum omnium gloria conſpicuos Athletas, multarumque victoriarum palmares viros intuetur animus, dùm memoriam temporum recordatur vltimam? qui cùm viderent lucem veritatis nonnullis eſſe pudori, multis formidini, non paucis contemptui, ſceleratis odio, probis periculo; fidei dogmata ſuis decertationibus firmarunt, ſuas decertationes factis locupletatunt, ſua facta ſanguinis profuſione nobilitarunt, ſuum ſanguinem in os quorundam obtruderunt, eoſque dedocuerunt temeritatem in ſuſpicando, facilitatem in ſubſannãdo, in carpendo audaciam, in amandis rebus ſuis concitationem.

In hac ſapientiæ Palæſtra, hoſtium Chriſti fulmen & Eloquentiæ Chriſtianæ flumen D. Pau- excelluit.

Hinc qui amplexantis, aut cum Deo luctantis nomen ſortitus eſt Propheta. In ea te multus eſſe ſolet tam ſcriptis, quàm moribus & vita celebris.

Totius ſcholæ miraculum S. Thomas, cuius altæ cõmentationes beatarum potius mentium artificio compoſitæ, quàm humano ingenio excogitatæ videntur.

Audio non invitus illa quæ Imperii Romani ſplendor Seneca Lucilio ſuo pluribus commendavit'

Non ſine magno lætitiæ ſenſu mihi ſæpius in memoriam revoco quæ Sæneſius in omni ſcientiæ genere ſummus tradidit, cui potiùs quàm mihi fidem te habiturum eſſe certo ſcio.

Lætor me poſſe virum ingenio præſtantem & virtute clatum producere, qui te vultu ſuo terreat, ſapientia comprimat, & authoritate refellat.

Me quidem capit ac retinet piè ſanctèque Sapiens N. quo viro neminem ego ſtatuo neque prudentia, nec eruditione, neque verò in tanta ingenii gloria florentiſque doctrinæ maiorem.

Quis aures & animos ei dare recuſet, qui ſuperiorum omnium grotiam dicendo ſuperavit?

Non ſubtilius dixerat, quàm verius ex antiquis auctoribus vir bellator eximius & eruditione celebris.

Hic mihi venit in mentem Catonis, quo viro neſcio an priſca ætas præſtantiorem vllo in genere tulit, qui cum naturæ deerrantis vitia vſu diuturno cognoviſſet, id aliquando graviſſimè pronunciavit.

Plinius ſecũdus qui veterũ Oratorũ laudem & ingenio, & dicẽdi ſuavitate, vicit, aut æquavit.

Conſideratæ mentis effatum eſt, quod maturo judicio vir memorabat.

Id quàm fœdum ſit in Adoleſcente docet qui ad rerum ſubtilium difficultatem, arcanoſque ſenſus flores Orationis adjunxit.

Theophraſtus in notandis hominum vitiis, & naturæ varietate imprimis acutus & ſolers exquiſito planè iudicio, non dubitavit affirmare, &c.

Digitized by Google

Quod feciſſe ſcimus magnum in dicendo Oratorem,qui ab oris & linguæ ſuavitate nomē invenit Themiſtius.

Sapienter omninò vir ætatis ſuæ diſertiſſimus & præſtāti rerū maximarū cognitione nobilis.

Illud credo meminiſtis quod eſt apud Pythagoram,à quo non Italia modò fuit exculta diſciplinis ſed infinitæ propè regiones eruditæ.

Dux inveſtigandæ veritatis optimus.

Præclarè mihi viſus eſt dixiſſe Socrates neminem ante mortem beatum eſſe.

Huc pertinent quæ. N. qui toties è foro palmas, è Curia triumphos intentā vi, ſncenſo ſtudio,grandi Eloquentia reportavit.

Pvnctvm VI.

De Symbolis.

PRo ſigno&indicio rei alicuius vſurpari ſymbolū vult Suidas in voce σύμβολον οἷ ζ σημεῖον τῦ φθάρτον εἶ) τὸν ἄνθρωπον πρὸ τῦ θανάτου οἱ δερματινοὶ χιτῶνες εἰ γένοιτό τι σύμβολον, ἀπετέλουν τὰ δόξαντα. Hominem eſſe mortalem, vel ante mortem, argumenta ſunt, pelliceæ tunicæ, ſi quod ſignum extitiſſet decreta perficiebant, & ad finem perducebāt, σεισμὸς εἰ γένοιτο, ἢ πῦρ ἀπὸ τρόπου, nempe ſi terræ motus factus fuiſſet aut inuſitatus ignis arſiſſet.

Pari ratione dictum aliquod vel ſcriptū Symbolum dici poteſt;quando eſt nota rei conceptæ animo. Vnde Ariſt. de ſenſu & ſenſili. ὁ γὰρ λόγος αἴτιος ἐστι τῆς μαθήσεως ἀκουστὸς ὢν ἐνοχάτων σύγκει. ταυτῶν, δ' ὀνομάτων ἕκαστον σύμβολόν ἐστι. Sermo diſciplinæ eſt auctor,cum ſui audiendi copiā faciat:ex nominibus quippe conſtituitur:nominum autem quodvis eſt ſymbolum,hoc eſt ſignū.

Porrò dicitur à Græcis ἐξ οὗ ἐστιν ἡμῖν τι συμβάλλειν, καὶ γνῶναι ex quo aliquid conjectari, & cognoſcere poſſimus,eſtque nomen ſignis omnibus commune, vndè teſſeræ hiſpitales quæ publicè dabantur à civitatibus:militares quibus ab hoſtibus ſocii dignoſcebantur,palma virttus,felicitas:Signa quæ vel epiſtolæ apponnuntur,ne reſignentur à quibus minimè oporteat, aut vaſibus imprimuntur, & alia eiuſdem generis ſymbola. ſunt.

In hoc autem argumento commodè à nobis definietur, occultæ, ac latentis rei ſignum, ceu imago,ingenioſam ac reconditam habens ſimilitudinem,qualis eſſe poteſt vitis vlmum arentem tegens atque inumbrans,quæ fidelem poſt mortem amicum ; Ciconia, quæ pietatem in parentem amicum : Ciconia,quæ pietatem in parentes,Canis fidam cuſtodiam,ſignificat.

Pvnctvm VII.

Multiplex & varia Symbolorum ſpecies.

ALia verbis, alia picturis, atque expreſſis imaginibus proponuntur,quædam vtrumque conjungūt. Verbis Pythagorica, *Staterem ſuperans*,litera ſymbolica, qua illum qui Iuſtitiæ limites trāſgreditur,exprimimus. *Ignem gladione fodito* hoc eſt ira percitum ne laceſſas,ne virorum principum aut potentiorum animas prorites. *Cor ne odito*,curis animum ne excrucies,quæ magnām cum Adagio cognationem haben t.

Inde factum eſt vt dicere aliquid συμβολικῶς ſit ænigmaticè narrare, vel allegoricè,vel vt loquitur Heſychius σεσημειωμένως. aut figuratè. Philo quod omnis probrus ſit liber Pythagoræ præceptionem explicans monet nos. Ταῖς λεωφόροις μὴ βαδίζειν ὁδοῖς οὐχ ἵνα κρημνοβατῶμεν σὺ γὰρ ποσὶ κάματον παρήγγειλεν ἀλλ' αἴτ τόμος διὰ συμβόλου τὸ μήτ' ἔργοις μήτε λόγοις δημώδεσι καὶ πεπατημένοις χρῆσθαι. Is ergo monet per vnam publicam non ingredi, non vt feramur per rupes devias, ne eum laborem pedibus imperat, ſed figuratè διὰ συμβόλου ſubindicatur nec dictis,nec factis vtendum protritis & vulgaribus.

Theognis Vates,cùm præceptionibus vtiliſſimis Cyrnum inſtruit&informat ſententiis locuples licet,obſcura tamen non pauca proponit,& quæ ſymbolum ænigmaticum ſapiunt: Sic enim

Σοὶ μὲν ἐγὼ πτέρ' ἔδωκα, σὺν οἷς ἐπ' ἀπείρονα πόντον.
Πωτήσῃ καὶ γῆν πᾶσαν ἀειρόμενος.

Tibi quidem ego alas dedi, quibus ſuper immenſum mare volabis, per terram omnem ſublatus. His verò gloriam intelligit, qua quidem à ſe donatum Cyrnum exiſtimat eodem Opuſculo pruden.

Digitized by Google

prudentiam in loquendo ſuadet , dùm inter amicos,vel hoſtes,verſamur.

Βοῦς μοι ἐπὶ γλώσσῃ κρατερῷ ποδὶ λὰξ ἐπιβαίνων.
Ἴσχει κωτίλλειν , μέ περ ἐπιστάμενον.

Bos mihi in lingua forti pede calcitrando inſiliens prohibet garrire etiam ſcientem.

Signa quædam ſunt naturalia, idcircò Gryphus pro auaro ponitur,quia ſcilicet, hoc habet à natura ſemel impreſſum, vt auro libenter iucumbat:Leo notat iracundum , quia ſic à natura factus , vt facilis ſit ad iram : Ovis pro manſueto ſumitur,quòd ſegnius feratur, & facilè manſueſcat vt non longum faciam nemo neſcit gladium flammam cadauer,faces aut entem , ſi quis ſubiratus Imperator ad vicinum mittat rudem licet & omnium ignarum,illum tamen docente natura facile collecturum his ſymbolis ſibi bellum, incendia, mortem denunciari , quamvis apud eum nullus numquam de hoc ſcribendi modo ſermo ſit habitus:vt verum ſit quod ille Comicus olim.

Ἡ φύσις ἁπάντων τῶν διδαγμάτων κρατεῖ.
Natura doctrinam omnem ſuperat.

Fuit ſignum aliquod Ænigmaticum qnando Tarquinius filiò Gabiis degenti litteris acceptis, nihil quidem ſcripto reſpondit, ſed in hortum nũtio deducto,coram ſumma papavera vimine oblongo demetere occepit,indicans vrbis Proceres capite truncandos,vt eam continuo interciperet quod exitu felici perfecit filius ſapiens. Nam ejus ope pater ſuperbus Volſcorum illud Oppidum occupauit Ovidio canente 2.Faſtorum.

Hortus odoratis ſuberat cultiſſimus herbis,
Sectus humum riuo,leue ſonantis aquæ.
Illic Tarquinius,mandata latentia nati
Accipit, & virga lilia ſumma metit.
Nuncius vt rediit, decuſſaq; Lilia dixit.
Traduntur ducibus mœnia nuda ſuis.

Cæterum non hic tantum loquimur de ſymbolis quæ in Epiſtolis exarantur,ſed de iis quæ faciãt ad rem,aut negotium de quo agitur , & involucrum aliquod enuncient. Et hoc quidem contigit,cum Tauroſthenes apud Ælianum lib. 9. quam ad bellum proficiſcens abductam. à pullis ſecum advexerat Columbam purpurâ ornatam remiſit,ex Piſa Ægina vſque , victoriæquæ parte nunciam eſſe voluit,parenti præ expectatione anxio:facilè verò quæ non in volucres modò,ſed madentes adhuc fœtus coacta reliquerat, eodem die reuolauit.

Fuit & Ænigmatica Scytharum Regis ad Darium elatæ mentis faſtu ſuperbientem Epiſtola, quam habet Herodotus in ſua Melpomene. Cujus inſolentem arrogantiam vt comprimeret,miſit ad eum Caduceatorem cum muneribus ave, mure,rana,& quinque Sagittis. Quis niſi ſolers, & intelligens ex vmbris lucem erueret ? Darius ſecundis rebus effrænatus ſibique præfidens,Scythas deditionem meditari facilè credidit,niſi Gobrias clarus inter ſuos & ſapientia nobilis rem explicaſſet. *Ἢν μὴ ὄρνιθες γενόμενοι ἀναπτῆσθε ἐς τὸν οὐρανὸν ὦ Πέρσαι, ἢ μύες γενόμενοι κατὰ τῆς γῆς καταδύητε, ἢ βάτραχοι γενόμενοι , ἐς τὰς λίμνας ἐκπηδήσητε , οὐκ ἀπονοστήσετε ὀπίσω , ὑπὸ τῶν δὲ τῶν τοξευμάτων βαλλόμενοι.* Niſi effecti ſicut aues, ſub volctis in cœlum,vel vt mures ſubeatis terram,vel vt ranæ inſiliatis in paludes.non remeabitis vndè veniſtis,his confecti ſagittis.

Iam Scythis id in more poſitum eſſe vt ſymbolicè ſcriberent,tum hoc ipſum aſtruit , tum ea quæ apud Q.Curtium mittunt Alexandro,uimirum adumbrata graphicè Bonum Iugum,Aratrũ, Sagittam, necnon & Pateram , cum hoc arcano ſenſu his vtimur cum amicis, & ad verſus inimicos.

Effictis verò cælatiſque Imaginibus maximè vſi ſunt Sapientes Ægyptiorum , qui non alijs literis, quàm figuris animalium arcana Philoſophiæ Theologiæquæ dogmata exprimebant , & ad reconditæ huius ſapientiæ oſtentationem eiuſmodi,quas ſacras vocabant : Apuleius *Notas Ignorabiles* appellat.Quia vulgò erant incognitæ illaſque templorum valuis Pyramidibuſque inſculpebãt;vnde dicta Hieroglyphica *ἀπὸ τοῦ γλύφειν* quod eſt ſculpere,abſtruſa myſteria ſic exponentes,palam . vt ab Imperitorum tamen oculis, caputque remouerent,vt *τὸ ἀδύνατον*, ſeu quod fieri non poteſt,ſignificarent:pedes hominis in aquis ambulantes , aut abſque capite ingredientem pringebant.Deum Oculo deſignabant, cui Sceptrum ſuppoſitum eſſet,quod vnus omnia videret atque omnibus imperaret.

Si quando populum Regi ſuo obſequentem ſubijcerent oculis,pingebant Apiculas ? quod ex animan-

Digitized by Google

animantibus ſolæ Regem habeant, quem multitudo ſequatur eique non ſecus ac vulgus Regi obtemperet: Ideo pingebant Apem Ægiptij, vt Regiis juſſis obſequentem populum oſtenderent λαον πρὸς βασιλέα πειθήνιον Orus l. 1. Hier. 59.

Vt verum ſit, eum qui Hieroglyphi nominis Etymon, aut informationem perſpicit nihil aliud niſi τῶν ἱερῶν γλυφῶν intelligere. Vndè Budæus ea vult eſſe ſacta quædam monumenta non literis, ſed ſculptis rerum animaliumque figuris ſignificantia. Malunt alij penitiſſima quædam eſſe rerum, vel ſententiarum, aut etiam verborum ſigna, quæ litterarum inſtar ſenſa mentis exprimunt, aut res faciendas indicunt, vel factas poſteris indicant.

Clemens Alexandrinus. l. 5, Stromat. cum de multiplici Ægytiorum ſcribendi ratione diſſerit, tres facit Hieroglyphorum ſpecies. Symbolicarum inquit, vna propriè loquitur per Imitationem; alia verò ſcribitur veluti Tropicè, alia ſumitur apertè: Allegoricè tertia per quædam Ænigmata.

PVNCTVM I.

Hieroglyporhum ſpeciesper Imitationem

PRimam Symbolorum ſpeciem ſemel laudatus Clemens Imitatiuam κατὰ μίμησιν appellat, nec arduam, nec operoſam, quippe per quæ ſimilitudinem, eamque affinitatem, quam Characterum formæ cum rebus ſignificatis obtinent, ferè fiat. Si cum Rege Solem compoſueris, continuò Sol pro Rege graphicè quidem adumbrabitur, Cœlum pro Regno, Stellæ pro Subditis. Quod ſi nimis iſta jejunè dicta ſint, fac Solem eſſe Regem, CœlumPalatium ſeu Regiam, Lunam Reginam, Stellas errantes, ſeu Planetas reliquos eſſe quinque Principes Regi affines, & conſanguineos, firmamentum eſſe Regis Satellitium, in eo tot Manipulos & Cohortes. quot Sydera, tot Milites quot Aſtra, ſeu Stellas: Primum Mobile Regis Conſilium; Sublunaria & quæ ſunt in terris, Regi ſubiectos populos, &c.

Ad eandem ſpeciem refertur Circulus pro Sole ob rotunditatem ad cuius notionis confirmationem eſt ille verſus Procli, quo mundi ſplendidiſſimum Circulum profitetur.

Καὶ κόσμου κραδιαῖον ἔχων ἐριφεγγέα Κύκλον.

Idem judicium eſſe poteſt de Palma, quam, vt annum indicent, pingunt: quod hæc arbor Sola ex omnibus ad ſingulos Lunæ recurrentis ortus ſingulos ramos procreet; ita vt duodecim ramorum productione annus expleatur. Eſt igitur imitatio quædam, ſi non figuræ, ſed rei, quia palmã 12. ramis ornatam ſi quis expreſſerit, nemo non intelliget annum 12. menſibus perfectum repræſentari.

Ad hanc pariter ſymbolorum formam pertinet illa Rota quæ voluitur in Deorum templis, ea ſi quidem naturam diuinam adumbrari monet Clemen Str. 5. quam & Democritus vocat νοῦν ἐν πυρὶ σφαιροειδεῖ mentem in igne Orbiculari. *Vox tonitrui tui in Rota*; Ignis accenſus, quid niſi vim vltionis diuinæ ſignificet? niſi mauis ægyptios illam in Fanis Orbitam ſeruaſſe, vt cœli ambitum, vel Solis curſum indicarent.

Ne multa congeram otioſus, Canem & Lupum auerſo capite Niliaci pingebant, ſi quando vellent hominem exprimere alienum ab aliqua re habere animum, idque ſecundùm hanc μίμησιν ſeu Imitationem. ait Λύκος, Orus l. 2. ἢ Κύων ἀπεστραμμένος ἀποστροφὴν δηλοῖ. Lupus aut Canis auerſus auerſionem oſtendit.

PVNCTVM IX.

Alias ſpecies per Tropos.

ALtera Hieroglyphorum ſpecies, vt eſt Princeps ac potiſſima, ſic latiſſimè patet; quippe Sapientum æquè ac Sacerdotum propria: horum quidem propter conſuetudinem, ritus, moremque maiorum; illorum verò quod quædam naturæ latentis myſteria ſymbolis ſignificantibus, rebuſque ſignificatis communia ſectatur. Quam his verbis exprimit Clemens Alex. τροπικῶς δὲ λέγοντες τάδε πολλαχῶς μετασχηματίζοντες κατὰ οἰκειότητα μετάγοντες καὶ μετατιθέντες, τὰ δ' ἐξαλλάττουσιν. Tropicè autem per conuenientiam tradu-

Digitized by Google

traducentes, & transferentes, & alia quidem immutantes, alia verò multis modis transfigurantes imprimunt.

Quæ conuenientia non formam exteriorem ſpectat, ſed eam quæ intus eſſe cognoſcitur, ſive ex hominum inſtituto, ſiive ex ipſius rei genio & natura emanet. Analogiam attingit obſcurè interdum, nonnunquam apertè, Longâ vita per Leonem, qui robore pollet, ac vigilantia facilè deſignatur.

Obſcurius per Oculum Deus exprimitur, & per Piſcem Odium, quòd ſit recurrendum ad res latentes atque reconditas vt enim omnia Deo ſunt perſpecta; ſic aperta oculo quæ occurrunt videtur vniuerſa: quia vero Piſcis in piſcé, hoc eſt in genus ſuum ſævire conſueuit, idcirco vſurpatur pro Odio.

Iam verò metaphora ſeu Tranſlatio ſumit inanima pro animatis, vt apud Orium Lyra vſurpatur pro eo, qui alios ſibi conciliandi facultatem obtinet. Sic Columba nigra pro Vidua, Ciconia pro bene-pio in parentes ſuos filio; Cygnus pro ſene Muſico; Camelus pro Tardo; Talpa pro Cœco pingitur, & ſic de cæteris.

PVNCTVM I.

Tertia ſpecies Hieroglyphorum Ænigmatica.

SIxtus Senenſis l. 3. Bibliothecæ tertiam hanc ſpeciem ex aliis, vel aliarum partibus ſimul iunctis produci innuit poſt diviſionem Hieroglyphorum triplicem quam aſſignat videlicet. Imitativam, quæ res per Characteres rebus ipſis perſimiles deſignat: Tropicam, quæ varias diverſarum rerum præſertim animalium formas, figuraſque transfert ad ſignificandum vel Deorũ, vel hominum Dignitates, Fortunas, Mores, Virtutes & Vitia; ſecundum quam ſignificationem apud Ægyptos Ibidis pictura, Lunam: Hominis forma, prudentiã & ſolertiam, equus Libertatem, Crocodilus Impudentiam, Piſcis Odium, Turtur lactentem mulierem, Cicada ſacris initiatum ſignificat. Ænigmaticam ſubijcit, quæ ex harum conjunctione ac mutuâ permiſtione coaleſcit: Quo quidem modo Sphinx ex humano capite & corpore Leonis compoſita Imago, templis, altaribus, aliiſque rebus ſacris inſculpitur, ut indè diſcamus omnia nobis Ænigmatica, penituſque latentia ſub notionibus obſcuris.

Ad eam ipſam ſpeciem ut Nilum exhiberent Ægyptii ſenem pingebãt cum urna jugitera quis ex ea manantibus; ſubtus verò Crocodilum aliquando, aliàs Hippopotamum, ad ſenis brachia cruraq; colludentibus puerulis non paucis: Quod tamen non adeò videtur αἰνίττεσθαι, vt Ænigmatis potius, quàm Emblematis nomen ſortiatur. Nam ex Vrna Flumen, ex Crocodilo Nilum, ex Puſionibus Colonos agrorum fœcunditate gaudentes nullo negotio concipimus. De quibus ita loquitur Plinius, lib. 36. cap. 7. *Pictus Nilus & formatus in marmore XVI. liberis circà ludẽtibus, per quos totidem cubiti ſummi incrementi augentis ſe amnis intelliguntur.*

PVNCTVM XI.

A Tropis & Allegoriis ſymbolica Ænigmata.

MOnet Ariſtoteles lib. 3. Rhet. cap. 2. Ænigmata inter & Metaphoras affinitatem eſſe quandam. ὅλως ἐκ τῶν δ' ἠνιγμένων ἐστὶ μεταφορὰς λαβεῖν ἐπιεικεῖς· μεταφοραὶ γὰρ αἰνίττονται. Omnino ex probè factis Ænigmatibus licet translationes ſumere elegantes. Tranſlationes enim faciunt Ænigmata. Vocat autem Metaphoram ſi quis ſenectutem dicat ſtipulam, aut veſperum ætatis; Iuventutem vernum tempus: Namq; in tralatitiis dictionibus Analogiam eſſe contendit. Vt enim ſe habet ſcutum ad Martem, ita poculum ad Bacchum. Idcirco φιάλην Διονύσου ἀσπίδα, ἀσπίδα τοῦ Ἄρεος φιάλην appellat.

Quod vero de tranſlatione dicitur, de Imagine pariter intelligendum eſt, quam quidem fieri probat Ariſt. ſi Metaphoræ particula quædam addatur. Cùm enim quis dicit Achillem Leonem, facit Metaphoram, Imaginem verò ſi dicat

Achillem tuere vt Leonem. ἐστὶ γὰρ ἡ εἰκὼν καθάπερ εἴρηται πρότερον μεταφορὰ διαφέρουσα προσθέσει.

Iam ſi tranſlationi generis eiuſdem addatur Tranſlatio continuò fiet Allegoria, hæc autem ſi fuerit obſcurior, naturam induet ænigmatis. Sic enim Tull. Attico l. 2. Epiſt. 20. *De Repub. breuiter ad te ſcribam. Iam enim Charta ipſa ne nos prodat pertimeſco: Itaque poſt hac ſi erunt mihi plura ad te ſcribenda, ἀλληγορίαις obſcurabo. Nunc quidē nouo quodam morbo ciuitas moritur, vt cùm omnes ea quæ ſunt acta improbent, querantur, doleant.*

Porrò quia factū eſt vt magis ac magis timeret ne res innoteſceret ἀλληγορίας obſcuriores addidit, quas vocat Ænigmata, *Poſthac*, ait eodem libro, Epiſt. 19. *Ad te, aut ſi perfidelem habebo, cui idem reſcribam plane omnia, aut ſi obſcurè ſcribam, tu tamen intelliges. In his Epiſtolis me Lelium, te Furium faciam: cætera erunt ἐν αἰνίγμοις.*

Sic igitur habeto Rhetorum Locos, Tropos, figuras eſſe cuivis vſui: vndè poſſit picturas & Imagines dictioni peridoneas effingere, quæ modò loquutioni, modò ſignis & fabulis inſerniant, inueſtigandum proindè quomodo petantur à Tropis imagines Ænigmatum.

PVNCTVM XII.

Rerum quæ exprimuntur in Aenigmate Iehnographia.

VIx dici poteſt quanto ſint Eloquentiæ ſtudioſis & adiumento ſimul & præſidio præceptionum, quæ traduntur à pluribus, expreſſæ formæ, ac Ideæ quædam, quas hic ſubiicere breuiter operæ pretium eſſe puto.

Res ſpiritalis per corpoream effingitur: vt Deus per radiantis ſolis, aut capitis, aut corporis Imaginem.

Res corporea inuiſibilis per corpoream viſibilem. Aër per Iunonem.

Incorporea, inuiſibilis vixq; exiſtēs per corpoream viſibilem; vt fama per monſtrū aliquod aut per præconem, vel aurium multitudinem.

Res vna per aliam eiuſdem ſpeciei, homo per hominem; vt Rex per Paſtorem: Magiſter per Ducem.

Res vna per aliam diuerſæ ſpeciei; Homo per Brutum. Vt Rex per Leonem. Dux per Arietem indicatur.

Res vna per aliam diuerſi generis. Rex per Coronam Conſulatus per Faſces; quamquam & hoc pertinet ad alias ſpecies; ſed nihil prohibet quominus ad plures modos Imago vna referatur.

Res animata per inanimam: vt Iupiter, vel Terminus per Lapidem.

Res inanima per Animatam: Luna per Dianā.

Animata per Animatam: Pallas per Noctuam.

Qualitates ſortiuntur Imagines ſubobſcuras. Quando.

Qualitas per rem animatam redditur: Vitium per Feram: Virtus per Virginem.

Qualitas quæ eſt in ſubiecto vno per aliud ſubiectum, in quo eadem qualitas reperitur Herodes per Vulpem.

Qualitas in abſtracto per ſubiectum animatum in quo ineſt. Luxuria per Hircum; Timor per Leporem.

Qualitas per ſubiectum inanimatum; Virtus per Tetragonum.

Rationes ad προσωπογραφίαν pertinent Quando.

Nomen aut perſona per rem cognominem effertur, Decius Mus per Murem. ſeu Soricem: Leo Imperator, per Leonem feram.

Nomen aut perſona per rem à qua nomen deſumptum; Fabius per Fabam: Cicero per Cicer, & eſt quaſi Etymologia.

Nomen aut perſona per rem ex qua nomen ob qualitatem, vel cauſam aliam ſumptum eſt: Q. Fabius Cunctator per Ouiculam: Pyrrhus per Aquilam.

Ad Rerum Formas referuntur Quando.

Figurata res per figuram in abſtracto exprimitur, Sicilia per triangulum Δ aut ferè per δέλτα.

Figu

Digitized by Google

Figurara res per figuram etiam in concreto. Per Corium Bovis Hiſpania, Gallia per Draconem, Italia per Quernam frondem, quòd ſub illis formis exprimantur.

Res per figuram, aur formam, ad quam accedit aliquando, ſive ſit animata, ſive non. Canis Sydus per Canem terreſtrem, ac domeſticum.

Ad Indicia pertinent, & Synecdochem faciunt Quando.

Totum per partem aliquam præcipuam exprimitur, Homo per caput humanum, Navis per puppem. Gens per ſignum aut Vexillum Gentis ipſius. Per Aquilas Romani, per Noctuas Athenienſes. Plures per vnum, ſic hominum genus per vnum hominem, ſenectus per vnum ſenem exhibetur.

Conſequens per antecedens Cædes per infixum gladium; Terra culta per Aratrum.

Metonymia continentur. Quando.

Res inventa per auctorem exprimitur, frumentum per Cereris imaginem; per Bacchi vinum & eſt effectus per cauſam.

Author & Inventor rei alicuius per rem ipſam Pallas per Oleam: per Botrum Bacchus, per Equum Neptunus, & eſt tunc cauſa per effectum.

Res aliqua per falſum Deum cui præficiatur, Bellum per Martem: Partus per Lucinam, quòd Parientibus præeſſe & adeſſe dicatur.

Res contenta per continentem indicatur: Eruditio per Librum; Vinum per Poculum: quin & hac ratione Mors per Gladium exprimi poſſet.

Ars aliqua vel facultas, per eiuſdem inſtrumenta: Bellum per enſes; fœdus per manus mutuò nexas.

Res ſignata per ſigna: Mercurius per Caduceum, per Tridentem Neptunus, per Faſces Magiſtratus.

Propter Convenientiam aut vicinitatem paſſim vſurpantur. Quando.

Propter Epithetum aliquid affingitur imagini. Sic alata victoria, vel Saturnus, aut Plutus; quia Divitiæ; Tempus, Victoria cæteraque eiuſdem modi niſi quis illis prudens vtatur citò tranſeunt & avolant.

Propter effecta perſonæ tribuitur aliquid, vel adimitur. Sic amor facibus armatus, quia incentivum eſt, Mors pallida, Bacchus pinguis & obæſus; Cupido cæcus, nimirū hæc ab Amore, Morte, Vino, Cupidine importantur hominibus incommoda.

Propter Viciniam pingitur aliquid. Flumen pro Regione ipſa, quam alluit, aut cui vicina eſt. Nilus pro Ægypto. Tagus pro Hiſpania. Euphrates & Tygris pro Meſopotamia, &c.

Neque tantum his ſeptem modis ſcrutari poterit aliquis rerum ſpecies & ſimulachra, ſed etiā ab omni Analogia, maximè ſi quid inſit venuſtatis: nec-non ab Hiſtoriarum monumentis ſi quæ celebriores erunt εἰκὼν pulchrè aſſumetur præſertim ſi non aduerſabitur illa rationi narratio.

PVNCTVM XIII.

De Ænigmate.

Licet arcanæ rei cuiuſlibet nota vel Imago ſymbolum Ænigmaticum dici poſſit, celebrabantur tamen duo præcipua genera, Emblemata ſcilicer, atque Ænigmata.

Cæterum Græca vox ἀπὸ τὸ αἰνίττομαι, obſcurè ac perplexè loquor ſignificat δεινὸν καὶ σκοτινὸν λόγον, implexum & obſcurum ſermonem, Antiqui Gryphon dixerunt, ab impliciti quodam genere retis, & κυλικεια ζήματα, vt ait Pollux, quod inter calices & pocula Cryphi ſeu Æigmata proponerentur ad convivas obſcuris quæſtionibus capiēdos; ſolebant enim in epulis certare Ænigmatis. Quæ ſtudia Regibus olim familiaria fuiſſe docet Plutarch. in ſapiētum conuivio τὰ ταῦτα ἐρωτᾶν, καὶ ἀποκρίνεσθαι βασιλικόν σοι ὦ Νιλόξενε πρόσοικόν ἐστι Huiuſmodi quæſtiones, ô Niloxene & proponere, & ſoluere Regibus convenit, quod quidem & Græcis in more poſitum fuiſſe pluribus confirmat.

Quoniam ait D. Ambroſius, in cōviviis homines interdum bene-poti dicacius loqui ſolent &

Digitized by Google

intemperantius alios proſcindere: quæ res in iurgia frequenter, & rixas erumpit; id ne fieret graves homines Ænigmata, ſeu problemata proponere ſolebant, colloquiis periculoſis omiſſis, & animo converſo ad rei propoſitæ ſenſum & explicationem:

Lancibus & patinis heu parta licentia peſtes
Accerſit! quid enim? diſtento abdomine Bacchi
Muneribus dapibusq; acres dum ſurgat in iras
Laſcivus Natura, Iocos & noxia verſat
Scommata, Salmacios & ſi non ſuſcitat ignes,
Pluſquam Theſſalicis inſtaurat prælia menſis,
Et ciet inviſos Lapitharum more furores:
Aut certè effrenis jactat convicia linguæ.
Rectius ad leporum lances, inferre lepôres
Argutoſq; ſales, priſco ſapientia ritu
Præcipit, obſcuri nec-non problemata ſenſus.

Super menſam autem ſermones eruditos, quaſi bellaria proferre ſolitos eſſe ſapientes tradit Lycophron apud Illuſtrium. Sic enim ille de Menedemo,

Ὡς ἐν βραχείαις δειπνὸς ἡ βαιὰ κύλιξ.
Αὐτοῖς κυκλεῖσαι πρὸς μέτρον, τράγημα δὲ
Ὁ σωφρονιστὴς τοῖς φιλακόοις λόγος
Cœna in brevi puſillus admodum calix
In orbem obambulat, tragematum efficit
Vicem eruditus ſermo cum ſodalibus.

Demum quidquid obſcurum involutumque eſt, ſive jocetur aliquis, ſive carpat, mordéatve ſub Ænigmatis nomine comprehendi nemo neſcit: hoc ſenſu Iovinianum Ænigmatiſtem vocat Hieronymus: ſed jocabatur Tullius cũ Hortenſio fateri ſe Ænigmata, hoc eſt obſcura, quæ proferebantur à Cicerone non percipere, dixit enim Sphyngem habere domi. Carpebatur tamen à Verris patrono, quod non perſpicuè ſatis loqueretur; acutius nihilominus ille, quòd is Sphyngæ argenteæ ſignum (de Sicilienſi præda) ab ipſo Verre acceperat. Reprehendit autem & ſugillat ſcriptionem neſcio quam Orator in Epiſtolis ad Atticum lib. 7. ep. 13: *Ænigma Oppiorum ex Velia planè non intellexi; eſt enim numero Platonis obſcurius*. Et alibi paſſim, ex quo factum eſt vt ſenſus obſcurus Ænigmatis nomen retineret.

Sermonem obſcurum ita definit Clearchus apud Athenæum lib. 10. γρῖφος πρόβλημα ἐςὶ παιςικὸν, προςακτικὸν τῦ διὰ ζητήσεως, δ' εὑρεῖν τῇ διανοίᾳ τὸ προβληθὲν τιμῆς ἢ ἐπιζημίου χάριν εἰρημένον. Gryphus (idem enim de Ænigmate ſentiendum) eſt ludicrum problema ſeu jocoſa quæſtio qua iubentur convivæ mentis acie perſcrutari & invenire ſenſum rei propoſitæ honoris aut mulctæ gratia. Tandem illud omne dicitur Ænigma quo aliquid indicatur, ſed perobſcurè, vt difficultatem intelligere volenti faceſſat.

PVNCTVM XIV.

Multiplex Ænigmatum genus.
I. in Syllabis.

NOn eſt hic mihi conſilium, multiplex & varium genus Ænigmatum pluribus perſequi. vnum eſt quod in verbis tantùm conſiſtit, & ſyllabas ſeu litteras aucupatur: quæ litteras quidem non ſignificat, ſed per aliquid ſignificatur, & ſi plures ſint ſingillatim exponuntur. Hæc ſit Idea dicit quis aut pingit ad exprimendum elementum I, columnam, S, ſerpentem, C, falcem. Quale illud Iunii de ſalutari IESVS nomine, Ænigmate octavo,

Dicito quale putes nomen quod recta Columna.
Incohat, indè Tridens fuſcina nectis idem.
Flexus vtrinq; Vncus ſecat hinc bivij nota claudit
Indè Vncus medio qui ſtetit ante loco.

In Columna I, in Tridente E. Vncus vtrimque flexus in S, in V, bivii nota. Iterum in S, vncus infernè & supernè flexus, ex quibus conflatur IESVS:

Alterum quod per primam nominis litteram rem aut perſonam, cuius nomen id eſt, declarat, in hunc modum pingitur pro X ειςῦ X, pro Κωνςαντίῳ K. Sic apud Iulianũ veræ pietatis hoſtem, quàm perfidia ſcriptiſque violavit, in Miſopogone legitur Ænigma de his duobus, τὸ χῖ φύσιν ὐδὲν ἠδίκησε τὴν πόλιν. ὐδὲ τὸ Κάππα τὶ μὲ ἐςι τῦτο τῆς ὑμετέρας σοφίας αἴνιγμα X, civitati nihil nocuit, neque K, quodnam eſt iſtud ſapientiæ veſtræ Ænigma. Quis autem de Chriſto, & Conſtantio hæc intelligenda non videat.

Sic Dio

Sic Dionyſio portendebatur Imperium litterà M, quam cum in ſortitione vidiſſet illi euenisſe quiſpiam obiecit illicò μυριολογίας ὦ Διονύσιε, ſed lepidè verſipellis & auſpicatò reſpondit μοναρχήσω μὲν ἐγώ, Ille ſtultitiam criminabatur, iſte Regnum ſibi affore gratulabatur.

Tertium quod per numeros literam deſignat. Plena ſunt ſimilibus in volucris Sybillarum Oracula dum Imperatores in earum libris prædicuntur: atque imprimis Iulius Cæſar, cuius dictionis vtriuſque elementa Græca prima ſunt I, quod decem, & K, quod bis decem, aut 20. facit

Ἔσται ἄναξ πρῶτιστος, ὅτις δέκαδις κορυφώσει
Γράμματος ἀρχομένου, πλείστων δ' ἐπὶ πουλὺ κρατήσει.
Ἕξει δ' ἐκ δεκάδος πρῶτον τύπον
Primus erit Regum cuius capitalis habebit
Littera bis decies, poterit qui plurima bello
Et numeri formam primam denarij habebit.

De Auguſto verò cuius prima littera eſt A, hoc habetur.

—— Ὅς τι μετ' αὐτὸν
Ἄρχειν συχνεῖ ὅς τις λαχεχράμματος ἄρχει.
Proximus hunc Princeps ſequitur quem litera ſignat, Prima elementorum.

In his obſeruandum literas non ſingulares, vel plures proponi, quæ ſuam notionem retineant, ſuiſque locis reponantur, vel in vnam formam compendio contrahi. De primis eſt illud quod Æſopo, & eius Hero non leue negotium exhibuit. Ille primo Dominum monuit latere Theſaurum ſub Columna literis inſcripta, cuius cùm ſe participem minimè fieri videret, iterum monuit literis indicari vti diuideretur ac in partem veniret ipſe, quod vbi neglectum ab Xancto ſenſit, theſaurum Dionyſij Regis eſſe contendit, & id pariter ijs elementis ſignificari, ſic enim ille literas interpretatus eſt.

A. B. Δ. O. E. Θ. X.

Ἀποβὰς βήματα δ' ὀρύξας εὑρήσεις θησαυρὸν χρυσίου.

Abſcedens gradus quatuor fodiens inuenias theſaurum aureum.

Quibus ſub columnæ baſi theſaurum latere dicebat Æſopus; qui quidem vt illius auri diuiſi partem acciperet, hanc ſubiunxit tanquam Germanam veràmque litterarum notionem.

Ἀνελόντες βαδίσαντες διέλετε ὃν εὕρετε θησαυρὸν χρυσίου.

Tollentes ite diuidite quem inueniſtis theſaurum aureum,

Sed poſtquam intellexit à Domino ſe defraudari, vt Regi metum faceret, hanc tertiam addidit, & hæc verba litteris affinxit.

Ἀπόδος βασιλεῖ Διονυσίῳ ὃν εὗρες θησαυρὸν χρυσίου.

Redde Regi Dionyſio quem inveniſti theſaurum aureum.

Multæ reperiuntur id genus Epigraphæ in Heroum monumentis, vt eorum virtus poſteris commendetur, nobilitas, interdum etiam felicitas Occurrit illud nobile quidem inuentum F E R T. in quo de Sabaudiæ Sereniſſimis Ducibus agitur & Fortitudo Eorum Rhodum Tenuiſſe perhibetur.

Auſpicatum fuit illud quod Rodolphus II. Imp, Aquilæ ſagittam pedibus verſanti ſubiecit A D S I T. Quod nonnulli in hæc verba extenderunt: Adiuuante Domino Superabo Imperatorem Turcarum. Sed iſta paſſim obuia ſunt, neque magnam induſtriam admittunt.

Literas non ſingulares diximus quod ſolæ nihil efficiant, cum ſocijs aliquid. Proinde neceſſe eſt vt pendeant à ſe inuicem, niſi cenſere velis illa in numero ſingularium.

At vero litteræ quæ vel iunctæ ſunt, vel in compendium congeſtæ, in Regum ſigillis perſæpè, nonnumquam in nummis, in ſepulchris rarò deprehenduntur Singulis hiſce elementis H L S T O. in vnum coarctatis verba ſingula continentur, ſcilicet: Hunc Locum Sibi Teſtamento ordinauit.

In nummis Syllæ F A V S T V S coarctatus ob felicitatem, quam affectabat, legitur; in Sygillis Regum ſolemne fuit; Lotharius Auguſtus ſuæ voluntatis teſſeram cupiebat diplomatis adhiberi; in qua Lotharij nomen implicari perſpicuum eſt.

Digitized by Google

Pvnctvm XV.

De initialis, medij & finalis Elementi *detractione.*

Alterum genus eſt Ænigmatis in ſyllabis, dum excogitamus in eodem nomine multa ſignificata: ſiuè illud retrò legimus, ſiue diſſipamus in ſyllabas, ſeu alio quouis modo interpolamus, quod vulgò Logogrphyum dicimus. De quo quia nullius ferè momenti eſt, leuioris induſtriæ laboris exigui, fructus vis apparentis, non magnopere laborandum, niſi ſi aliquam indè venerem Orationis peti velimus. Lepidum illud Comici fortunam ſuam ridentis, & ſic Mendicumi Ænigmaticè pronuntiantis.

Sum ego vna littera pluſquam Medicus.

Verum ſi quid operoſum habent illa, in quorum fine vel fronte vocales aut conſonæ conficientes aliquid digeruntur; non eſt expers laboris & induſtriæ, quod quibuſdam elementis caret ſiue carmen, ſiue quiduis aliud. Acutè ſatis & ingenioſè excogitatum eſt à bellatore, qui laborantem amicum hoſtium victorem eſſe cupiebat.

Quid tibi Vincendos toties mihi ſcripſeris hoſtes
Vnum mitto tibi reſeces modo Millia menſem.

Is enſem ſe mittere aſſerit ad victoriam; nam ſi ab hac dictione M E N S E M elelementum M, quod millenarium numerum ſignat detraxeris deprehendes Ensem.

Quod genus Ænigmatis πρίζλημα dicitur. ſiquidem ea velut ſcommata nonnumquam iaciunt: ſic enim perſtringitur *Cronus* apud Laërtium in Stilpone.

Στίλφων σύ λύτας ἐπὶ
Αἰνιγματώδη τοῖς γὰρ εὑρέτης Κρόνος
ἔξωθεν πρὸς κάππατι.

Stilponis non explicaſti verſus Ænigmatices. Igitur deprehenderis Κρόνος ſine P & ſine k, ſic inquam vocatur non Κρόνος ſed ὄνος. Qui paulo poſt mœrore contabeſcens ob non diſſolutum ænigma vitam affectam traxit.

Copioſior eſt hic modus, & vel pueris ludus ad argutias, & Ænigmata, quæ venuſtiorem reddant orationem ſi modo rarius vſurpentur. Triplex autem eſt literas demendi ratio.

In principio.

IESVS, Eſus.	*Color. Olor.*
Magnus, Agnus.	*Caper, Aper.*
Nauis, Auis.	*Fluctus, Luctus.*
Parcus, Arcus,	*Raptus, Aptus.*

In medio

Muſica, Muſca.	*Auarum. Aurum.*
Solum, Solum	*Mars, Mas.*
Magnus, Magus.	*Vita, Via.*
Decus, Deus.	*Viſcus, Viſus.*

In fine.

Muſa, Mus.	*Iubar, Iuba.*
Roſa, Ros.	*Sagax, Saga.*
Ferax, Fera,	*Genus, Genu*
Menſa, Mens.	*Limax, Lima*

Detractionis eſt illud luculentum ſatis apud Dionem lib. 56. Cùm enim in Auguſti ſtatuā fulmen decidiſſet, atque ex dictione Cæsar. C abſtuliſſet. Vates interrogari reſponderunt, Cæſarem poſt centum dies (quod C. apud Latinos 100. deſignet) alicuius diuinitatis fore participē Nam Etruſcorum lingua Æsar quod intactum remanſerat, Deum ſignificat.

Detractionis in medio fuit illud ſcommma, quo quidam elato ſupercilio perſtringitur,

Tu magnus Paulus ſolio es, tu Muſica viuusque
Vni ſi medio litera dempta perit.

Nam ſi ſubtraxeris elementum è media dictione totum inuertitur, & hoc conficitur.

Tu Magus, Paulus, ſolo, tu es Muſca virtuſque

Nec nimis ridiculum hoc, contumelioſum licet in Sagam verulam,

Menſa tibi nulla eſt ſine cauda, tu quoque ſagax
Atque ferax pariter: ſed ſine fronte manus.

Sic illa dicitur manus ſine fronte, hoc eſt Agnus tollendo M, deinde aſſeritur nulla menſa illi eſſe ſine cauda, id eſt ſine A, quæ eſt vltima liitera in menſa & pariter, hoc eſt pari ratione tollendo caudam ſeu X, extremum elementum vocum *ſagax*, & *ferax*, dicitur ſine mente *ſaga* & *fera Anus*.

Eſt & aliud detractionis exemplum in principio & fine dictionis, quo quis compoſitus & eru
ditus

ditus ad aſſentationẽ plus iuſto neſcio cui blanditur, illi primò Menſas, Roſas, & Carmina, tum Ouem auream, Honorem, Sellam Surulem, & Aras quaſi Deo cupiens.

Mẽs ros musque *tibi Alphæo ſed cũ pede dentur*
Stet capite ablato laurea *amiſſa* bouis,
Conor Aſella *tibi frõntisq; expertia* rara
Ex centum è medio nomine tolle Decus.

De Nomine decus ſi demas C, ſeu centum, hæc eſt enim centenarij numeri nota, manet Deus. *Conor, Aſella, Rara*, ſint ſine frõte, ſeu primo elemento, ſupererunt Honor, Sella, Ara: Si ſtet ſine capite *laurea, amiſſa, bouis*, erit illi Ouis, A V R E A, M I S S A. Denique ſi cum pede Alphæo, id eſt Alpha finali dentur *Mens, Ros, Mus*, dabuntur Menſa, & Roſa Muſa.

Græci frequẽtes ſunt in hac initialis literæ, vel ſyllabæ detractione. Hinc Ebrioſus neſcio-quis Apianus illuſus eſt: cùm enim eſſet Obeſus diceba tur nomen in quo vna littera redundaret habere: conijcitur A, ſiquidem Πιαρὸς reſidua vox ex Ἀπιαρὸς pinguem ſignificat. Sic Ἀνθολογ. lib. 1.

Γράμμα περισσὸν ἔχεις τὸ προκείμενον, ἐὰν ἀφέλῃ τις.
Τοῦτό σοι, οἰκεῖον κτήσῃ ἁπλῶς ὄνομα.

Litteram abundantem habes præpoſitam; ſi auferat quis hanc tibi, conueniens poſſidebis ſimpliciter nomen.

Quin & in prima ſyllaba Ἀντίσταται Scomma ſeu conuicium aliquod eſt. Eodẽm libro εἰς πονηρούς. Vbi Marcus quidam dicitur τῶν σταυρῶν, ſeu non vnâ Cruce dignus.

Maſtauron tollens duas literas, Marce priores dignus es multis illis, quæ relinquuntur.

Μασταύρων ἀφελὼν δύο γράμματα Μάρκε τὰ πρῶτα
Ἄξιος εἶ πολλῶν τῶν ὑπολειπομένων.

Se quis enim ex hac voce μασταύρων M, & A, detraxerit, relinquerur σταυρῶ quibus ab Ammiano nequam homo deſtinatur.

Eſt & ibidem Ænigmaticum hoc iudicij plenum, & fellis eiuſdem Ammiani.

Θηρίον παρὰ γράμμα, καὶ ἄνθρωπος διὰ γράμμα,
Ἄξιος εἶ πολλῶν ὧν παρὰ γράμμα γράφῃ.

Fera es præter litteram, & homo per litteras, dignus es multis, quibus præter literam ſcriberis. Vir pius æquè ac eruditus exiſtimat nomẽ huius hominis fuiſſe Αἰθήρ. Quæ vox, ſublato Elemento vno, reddit Θήρ hoc eſt *fera*, & per vnam literam id eſt, N. quæ loco Θ, reponitur facit Ἀνήρ, *Vir*: quia vero parum probatus erat moribus dicitur dignus multis, quibus ſcribitur literis, præter vnam. Quod intelligitur de vocabulo Θηρίον, vel de Θήρ quod vtrumque feram ſignificat. Vnde concludit, illum eſſe dignum qui multis feris obijciatur. Hoc enim de nefariis inclamatum toties. A D L E O N E M.

Nihl moror Gryphos in literis ſeu ſyllabis vtpote communes & minoris fructus quàm laboris: hic eſt ille de Termino, qui in exædificando Capitolio Ioui non conceſſiſſe dicitur 2. Faſtorum apud Ouid.

Quid noua cùm fierent Capitolia? nempe Deorum
Cuncta Ioui ceſſit, turba locumq; dedit.
Terminus vt memorant veteres) inuentus in æde
Reſtitit, & magno cum Ioue templa tenet.

Tale porrò fuit Ænigma:

Semel minúſve, an bis minus non ſat ſcio
An vtrumque horum, vt quodam audiui dicier
Ioui ipſi Regi noluit concedere.

Quod à Gellio proponitur lib. 12 cap. 6. & à Politiano ſoluitur Miſcellan. cap. 36. Dubita quippe Vates an ſemel minus, an bis minus, an vtrũque id *Ter minus* Ioui reſtiterit.

Hũc reuocari debent quæ ſunt in ſyllabis ambigua, qualis eſt vox iſta *Dominus*, quæ diuiſa facit *do minus* cum ſignificatione longè diuerſa. Sic in Anthologia Palladas negat ſe *Dominum* ſalutar; quia nõ habet quod det aſſentatori. Lib 1. εἰς Κόλακας.

Ἢν ὁ φίλος τι λάβῃ, δόμινε φράτερ, αὐθὶς ἔγραψε,
Ἢν δ' αὖ μή τι λάβῃ, τὸ φράτερ εἶπε μόνον,
Ὤνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα· αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ ἐθέλω δόμινε, οὐ γὰρ ἔχω δόμεναι.

Si quid accipiat amicus, Domine frater ſtatim ſcripſit: ſin verò rurſus nõ accipi t frater, dixit ſolũ. Venalia enim & hæc verba. Verũ ego non volo Domine: non enim habeo quod dem.

Cùm autem Poëta dicit ſe nolle hanc vocem *Domine*, quòd non poſſit δόμεναι dare, monet interdum venuſtatem peti ab vnius elemẽti detractione, vel additione. Quàm arridet iſta mutatio? Ego quidem ***Dominus***, inquit Auarus, & idcirco

idcirco *do minus*:vxor verò eò peior,& vt ait Simonides ὥσπερ ἀμφὶ τέκνοισι μῦνον ἀμὴ λεχὼ πασι At ego cenſeor inter *Dominas* quia domeſticis & externis *do minas*.

Ad hunc locum pertinent problematicæ quæſtiones,in quibus multus eſt Plutarchus ; has autem refert Niloxenus & propoſitas aſſerit ſolutaſque ; à Thalete verò ſapienter examinatas in conuiuio ſapientum.

Quid antiquiſſimum ? *Tempus*.

Thales reponit.

Devs : Nam ante tempus mundus extitit.

Quid maximum ? *Mundus*.

Th. *Locus*:Quia ſupponit mundum loco contineri.

Quid ſapientiſſimum ? *Veritas*.

Th. *Tempus* : Auctor eſt enim eorum quæ inuenta ſunt & inuenienda.

Quid pulcherrimum ? *Lux*.

Th.*Mundus*:Quia paries eius ordinatim collocatæ ſunt.

Quid communiſſimunm *Mors*.

Th. *Spes*. Quibus enim reliqua deſunt, illa adeſt.

Quid vtiliſſimum ? *Deus*.

Th. *Virtus* : Facit enim reliqua vt ſint vtilia.

Quid dammoſiſſimum ? *Genius*.

Th. *Animi vitium*. Vitio quippe omnia corrumpuntur.

Quid robuſtiſſimum ? *Fortuna*.

Th *Neceſſitas* ; Sola enim eſt in rebus inſuperabilis.

Quid facillimum ? Quod *ſuaue* eſt.

Th. Quod naturæ *conſentaneum* : in eo ſiquidem nihil difficultatis experimur.

Sic expendebat problemata eorũ que reſponſa corrigebat Thales apud laudatum Plutarch. antiquiſſimum vult Deum:quia quod eſt ab omni æternitate, etiam extitit ante omnia quæ eſſe cœperunt.ἀγέννητον γάρ ἐστι.Nam ortu caret.Ethnici Deum eſſe non tantùm ἄφθαρτον incorruptibilem, & αἰώνιον æternum, ſed etiam ἀμήτορα ſine matre aſſerebant,

Εἷς Θεὸς ὃς μόνος ἐστὶν ὑπερμεγέθης ἀγένητος

Vnus Deus qui ſolus eſt immenſus & ortu carens, canebat Sybilla.

Quæſitum eſt aliàs quis & cuius, viri Aſinus fuerit ; qui ſapientiæ laude floruerit, Platonicorum effata commentariis illuſtrarit,de bello,deque Philoſophia multa ſcripſerit.Reſponſum eſt. Ονοσάνδρος. Neſcitur enim cuius ἀνδρὸς ſeu viri ὄνος hoc eſt Aſinus fuerit. Hæc tamen omnia perfecit Platonicæ ſectæ Philoſophus cuius tale nomen erat Ονοσάνδρω.

Sunt & in vita S. Pachomij tria problemata, quæ Theodoto ſuo proponit apud Surium.

Quis ex mortalibus mortuus eſt,nunquam tamen natus ? *Adam*.

Quis ex hominibus natus eſt, nunquam tamen mortuus ? *Enoch tranſlatus*.

Quis natus & mortuus,non tamen corruptus? *Lothi* vxor in ſalis ſtatuam conuerſa.

Pvnctvm XVI.

Species III.

De variis Ænigmatum formis.

VAriæ ſunt ac múltiplices Ænigmatum formæ,ſed quæ per ἐναντία vel meras negationes fieri poſſunt, maiorem cæteris afferũt delectationẽ. Eſt hæc ἐναντίωσις erudita ἀνὴρ καὶ οὐκ ἀνὴρ ὄρνιθα οὐκ ὄρνιθα ἰδών τε κοὐκ ἰδὼν, ἐπὶ ξύλου, καὶ οὐ ξύλου, καθημένην καὶ οὐ καθημένην, λίθῳ καὶ οὐ λίθῳ, βάλλει τε καὶ οὐ βάλλει. Vir non vir,volucrem non volucrem, videns, non videns ligno non ligno, ſedentem non ſedentem,lapide non lapide, iaculatur non iaculatur. Quod interpretatur Athenæus de Eunucho luſco qui pumice petiit Veſpertilionem ſedentem in futice ingenioſè fictum.

Tale fuit illud Antiphanis de ſomnio apud Dipnoſophiſtam,

Οὐ θνητὸς, οὐδ᾽ ἄμβροτος, ἀλλ᾽ ἔχων τινὰ...

Non mortalis,nõ immortalis, ſed habens quandam temperationem,vt nec in hominum numero,nec in Deorum viuat,ſed naſcetur ſemper.

Duo leguntur apud Sympoſium non iniucunda;alterum de Vite, quæ & Virgo, & fœcunda, non tumulo, ſed terrâ condenda dicitur.

Nolo

Digitized by Google

Nolo thoro iungi, quamuis placeet eſſe maritum:
Nolo virum thalamo, per me mea nata propago,
Nolo ſupulchra pati, ſi io me ſubmergere terra.

Alterum de Aceto, quod ex veris fructibũs conficitur, ſeu ex vino.

Sublatum nihil eſt, nihil eſt extrinſecus auctum,
Quod fuerat non eſt cœpit quod non erat eſſe:
Nec tamen inueni quidquid prius eſſe reliqui.

In Epitaphiis ſæpius adhibentur hæc Antitheta, multorum exercuit ingenia ſepulchralis inſcriptio Bononiæ quam bene-multi cum admiratione legerunt & eam in aliquo lumine ponere conati ſunt. Nonnulli Aquam pluuiam interpretati ſunt, vt Marius Pataninus: Alij materiam primã dixerunt, vt Turrius Brugẽſis: Niobem alij, vel animam, aut Ideam, vt Richardus Anglus: Iſti Mercurium Chimicum, ita Bernardus Gallus. Vir eruditus ac ingenioſè pius D. Andreas Neſmondius In Burdigalenſi Senatu primarius Præſes litem dixit, litigandi ſcilicet ſtudiũ turpe, ſiue Cacoheтes, quod non vitium, ſed multis vitiis conflatum portentum eſſe vult. Denique Geuartius Epitaphium de Amore ſcriptum eſſe contẽdit: Quod ex Plutarcho confirmat dum Amorẽ dicit Ænigma. Οὔ τοι δ᾽ ἄχαρι ὁ ἔρως ἔχει τὸ χαρίεν καὶ οὐκ ἄμουσον ἀλλ᾽ ἀμείνιον καὶ ἐπιτερπές, ἁρπάζει δὲ καὶ βίους καὶ οἴκους οὐκ αἰνίγματα προβάλλων, ἀλλ᾽ αὐτὸς αἴνιγμα δυσεύρετον ὢν καὶ δύσλυτον Sic Amor habet etiam quiddam gratioſum, nec inelegans ſed blandum & iucundum. Rapit autem hominum vitas familiaſque, non Ænigmata proponens, ſed ipſemet Ænigma inuentu ſolutuque difficile exiſtens. Cuius interpretatio quoniam acuta ſatis & propius ad verum accedit, quam multis exequutus eſt, eandem paucis complectar.

Æ L I A L Æ L I A C R I S P I S
N E C V I R N E C M V L I E R, N E C A N D R O G Y N A,
N E C P V E L L A, N E C I V V E N I S, N E C A N V S,
N E C C A S T A, N E C M E R E T R I X, N E C P V D I C A,
S E D O M N I A.
S V B L A T A N E C F A M E, N E C F E R R O, N E C V E N E N O,
S E D O M N I B V S,
N E C C O E L O, N E C A Q V I S, N E C T E R R I S,
S E D V B I Q V E I A C E T.
L V C I V S A G A T H O C R I S P V S.
N E C M A R I T V S, N E C A M A T O R, N E C N E C E S S A R I V S,
N E Q V E M O E R E N S, N E Q V E G A V D E N S, N E Q V E F L E N S,
H A N C
N E C M O L E M, N E C P Y R A M I D E M, N E C S E P V L C H R V M,
S E D O M N I A.
S C I T E T N E S C I T C V I P O S V E R I T.
H O C E S T S E P V L C H R V M I N T V S C A D A V E R N O N H A B E N S,
H O C E S T C A D A V E R S E P V L C H R V M E X T R A N O N H A B E N S,
S E D C A D A V E R I D E M E S T, E T S E P V L C H R V M S I B I.

Amoris hic Epitaphium eſt ex veterum Platonicorum mente. Sic enim Alexis apud Athenæum Dipſoph. 13 confirmans pictores, & qui ſtatuas amoris conficiunt ignorare, quis ille ſit.

Ἐστιν γὰρ οὔτε θῆλυς οὔτ᾽ ἄρσην πάλιν
Οὔτε Θεὸς, οὔτ᾽ ἄνθρωπος, οὔτε ἀβέλτερος
Οὔτ᾽ αὖθις ἔμφρων, ἀλλὰ συνενηνεγμένος
Πανταχόθεν, ἑνὶ τύπῳ πόλλ᾽ εἴδη φέρων.
Ἡ τόλμα μὲν γὰρ ἀνδρὸς, ἡ δὲ δειλία
Γυναικὸς ἡ ἄνοια μανίας, ὁ δὲ λόγος
φρονοῦντος, ἡ σφοδρότης δὲ θηρὸς, ὁ δὲ πόνος
Ἀδάμαντος, ἡ φιλοτιμία δὲ δαίμονος

Nec enim mas ille eſt, nec fœmina; nec Deus, nec homo; nec fatuus, nec prudẽs: Sed coagmentatus ex omnibus, ſub vna forma multas oſtendẽs ſpecies, nã eius virilis eſt audacia, muliebris vero timiditas: amentia furioſa: ratio cordata & circumſpecta: Ferina vehementia: Labor indomitus, ambitio & contentio prodigioſa.

Quorſum autẽ hæc inſcriptio fœminei generis nomina tribuit amori ÆLIA LÆLIA CRISPIS? Quod vtrumque ſexum in eo agnoſcat: Nam vt diuerſas formarum differentias quæ conueniunt amori recenſuit, ſic illi nomina diuerſa attribuit, quaſi dicat amorem eſſe in ÆLIA, in

Lælia, & in Crispi ſolēt enim à Poëtis hæc nomina fœminis ac meretriculis vulgo tribui, in quas luſit Martialis licet minus verecundè lib. 1. Epigr. 19.

Si memini, fuerant tibi quatuor Ælia dentes,
Expuit vna duos Tuſſis, & vna duos.

Porrò de notione nominis huius ita Feſtus, Ælia gens appellatur, quæ ex multis gentibus conficitur. Læliæ verò nomen etiam promiſcuè Martialis paſſim vſurpat lib. 5. Epiſt. 72. ad Quintum, vbi locus eſt à notatione verbi legis & legitima, in quibus laret Oratio dubia propter Iuliam à Domitiano reuocatam, quâ puniebantur adulteri. Lælia vero, de qua Vates hic, erat adulter, quæ ne puniretur mœcho nupſit, vt poſſet dici legitima,

Quæ legis cauſa nupſit tibi Lælia Quincto,
Vxorem potes hanc dicere legitimam.

In Æliam lib. 13. epiſt. 22. Edentulam, Luſcam, Caluam, Anum ridet, quæ fruſtrà ſibi Iuuentam artibus concinnare ſtudebat,

Dentibus, atque comis nec te pudet vteris emptis
Quid facies oculo Lælia, non emitur?

Crispis, nomen à Criſpo deductum. Solet autem criſpitudo capillorum amori plerumque tribui, vndè Moſchus *δ' ἀπόκαμο* eum vocat Idilio de amore fugitiuo. Quin & homines molles fractique blandiciis & amoribus irretiti Criſpo ſolent eſſe capillirio vt plurimum. Martialis mollitudinem hanc ſuo more ridet lib. 5. epiſt. 61.

Chriſpulus iſte quis eſt vxori ſemper adhæret.
Qui Mariane tuæ? Criſpulus iſte quis eſt?

Vt & Criſpa & Criſpilla vulgo Scortorum nomina faciant, apud Poëtas.

Nec vir, nec mvlier,

Non ideo tantùm amori conuenit vtriuſq; ſexus appellatio, quòd ei ſit virilis audacia, Muliebris timor, vt ait Alexis laudatus, ſed quòd in vtroque ſexu æquè vires ſuas exerat, atque dominetur. Hinc, vt author eſt Macrobius, in Cypro videbatur barbaræ Veneris ſimulachrum. Signũ eius eſt, ait Cypri barbarum corpore, ſed veſte muliebri, cum ſceptro & ſtatura virili.

Ariſtophanes apud Platonem in Sympoſio fabulatur principio tria hominum fuiſſe genera, marem, fœminam, Androgynum, ſed mox tertiũ hoc genus, cùm faſtu & ſuperbia elatum Diis æquare ſe vellet, ab Ioue, ſeparatum quas in partes ſed per vim amoris iterum vnitas fuiſſe.

Nec pvella, nec ivvenis, nec anvs.

Phædrus in eodem Platonis Sympoſio Deorum vetuſtiſſimum amorem facit, Agathon verò cuius hîc meminit maximè Iuuenem.

Nec casta, nec meretrix, nec pvdica

Sed omnia.

Amori caſtitatem & impudicitiam conuenire monet Phornutus. Nam ἔρως per ω amorem impudicum & flagitioſum arguit; ἔρος verò pero pudicum & bonum.

Svblata neqve fame, neqve ferro, neqve veneno.

Sed omnibvs.

Meminiſſe tantum oportet varios infelicium amantium exitus, quorum alij lenta fame, alij gladio, alij veneno alij alio mortis genere perierunt.

Nec coelo, nec aqvis, nec terris.

Sed vbiqve iacet.

Vis amoris & poteſtas per elementa ſingula, mundumque vniuerſum oſtenditur. In quibus vires ſuas exerit. De quo ſic Eryſimachus apud Platonem in Sympoſio καὶ ὡς μέγας, καὶ θαυμαστὸς, καὶ ἐπὶ πᾶν ὁ Θεὸς τείνει κατ' ἀνθρώπινα καὶ κατὰ θεῖα πράγματα; Magnus hic Deus per omnia tam diuina, quàm humana longè lateque ſe porrigit.

Lvcivs agatho Crispvs.

Hic ille nobilis Athenienſis eſt egregiâ formâ Iuuenis, qui ſympoſium à Platone deſcriptum celebrauit, in quo de amoris natura, déque vi copiosè diſputatum eſt à Græcorum doctiſſimis. Is cùm palmam in Tragœdia coram 30 Græcorum millibus reportaſſet, ſequenti die feſtum victoriæ ſuæ celebrauit, & ætate ſua poſt hac Græcorũ deliciæ fuit tùm ob formæ pulchritudinem eximiam, tùm ob ingenij præſtantiam ſingularem.

Nec maritvs, nec amator, nec necessarivs.

Quippe ſimul & maritus eſſe potuit vxoris ſuæ & amore præpoſtero aliam adamare.

Neqve

NEQVE MOERENS, NEQVE GAVDENS NEQVE FLENS.

Sunt affectus amantium, Gaudium, Dolor, Spes. Metus: Aphrodiſæus 1. Problem. 87. Pictores air pingere Cupidinem aliàs triſtem, anxium & iacentem, aliàs hilarem ſubridentem, volitantem, ſubſultantem. Plutarchus autem in Opuſculo, quo probat amorem non eſſe iudicium. proponit hoc Ænigma. Quid ſit quod oderit ſimul & amet, fugiat & perſequatur, minetur & ſupplicet, iraſcatur, & miſereatur, deſinere velit ac nolit, eadem re tum maximè gaudeat, tum triſtetur. Amantium character eſt. Amant, oderunt, eundem: abſentem deſiderant præſentem metuunt; adulantur, conuicia dicunt: pro amato moriuntur, occidunt: optant non amare, abſtinere amore nolunt: emendant & obcœcant: docent ac perdunt: imperare volunt ac ſeruitutem tolerant. Τοῦτο αἴτιον γίγνεται μάλιστα τ͂ μανίαν ὑπολήψεσθαι τὸ πάθος. Et eſt cauſa cur hic affectus maximè pro inſania reputaretur.

Hinc factum eſt vt veteres geminos arcus Cupidini tribuerent: alterum quo lætitiæ; alterum quo mœroris ſagittas emitteret. De quibus videtur meminiſſe Claudianus in Nuptiis Honorij.

Labuntur gemini fontes, hic dulcis amarus
Alter, & infuſis corrumpit te àvenenis,
Vnde Cupidineas armauit fama ſagittas.

HANC NEQVE MOLEM, NEQVE PYRAMIDEM, NEC SEPVLCHRVM, SED OMNIA

Varias ac multiplices Tumulorum Epitaphiorumque ſpecies à ſuperſtitibus extrui, fingique ſolitas complectitur, vt prius de caſibus eorundem dixerat. Alij namque vt in vita functos amorem ſuum teſtarentur immenſas Sepulchrorum moles conſtruxerunt Mauſolæum Artemiſia, quæ longius progreſſa mariti ſui cineribus hauſtis, in viuum eius ſepulchrum conceſſit. Alij Pyramidas erexerunt: vt illam Rhodopidi meretriculæ, quæ miraculo famâque ſuâ, Cæteras Regum Ægyptiorum ſuperauit.

SCIT ET NESCIT CVI POSVERIT.

Acutè ſatis & ingenioſè, ſcit quidem ſe amori poſuiſſe, ſed cum ignoret quid ſit amor, quod iam ante profeſſus eſt, dum tot eius nomina formaſque recenſuit, fit vt ſciat pariter, & neſciat cui poſuerit.

Crediderim plures ſimul hic eſſe Sepulchrales inſcriptiones, quibus & addunt recentiores aliqui tres verſus ex Antologiæ, l. 3. deſumptos, quos de Niobe in Saxum conuerſa vult intelligendos eſſe Richardus Anglus.

Ὁ τύμβος οὗτος ἔνδον οὐκ ἔχει νεκρόν
Ὁ νεκρὸς οὗτος ἐκτὸς οὐκ ἔχει τάφον.
Ἀλλ' αὐτὸς αὐτοῦ νεκρός ἐστι καὶ τάφος.

Hic tumulus intus non haber mortuum. Mortuus hic extrà non habet Sepulchrum. Sed ipſe ſibi ipſi mortuus & Sepulchrum.

Celebre fuit illud olim de Leoplani Matreæ beſtia; narrabat enim, vt habet Athenæus, lib. 1. feram ſibi eſſe, quæ ſeſe comederet, idcirco Romanis æquè ac Græcis erat admirationi ἐθαυμάζετο παρ' Ἕλλησι, καὶ Ῥωμαίοις ματρέας ὁ πλάνος, ὁ Ἀλεξανδρεὺς, ὃ ἔλεγε καὶ θηρίον τρέφειν, ὃ αὐτὸ ἑαυτὸ κατεσθίει Quod Ænigma pluribus explicat Euſtathius de IRA, MOERORE, INVIDIA, LIBIDINE. Nimirum ipſa ſe mens cruciat, conficitque ſi quando perturbationibus illjs grauis agitetur. Sic pars concupiſcibilis Platoni πολυκέφαλον θηρίον bellua multorum capitum: Iraſcibilis λέων. D. Chryſoſt. vitia λέοντες καὶ θηρία. Vult Nyſſenus in oratione de Profeſſione Chriſtiani nominis vitioſos ἄλλοτε πρὸς ἄλλα πάθη μεταμορφουμένους, καὶ πολλὰς ὑποδυομένους, θηρίων ἐν τῷ εἴδει μορφάς. Nazianzenus autem non cum feris, ſed cum Dæmone illa eadem vitia confert.

Οἶνος, μέθη, ζῆλός τε καὶ δαίμων ἴσα,
Οἷς ἂν προσέλθῃ, τὸ φρονεῖν ἀπέχουσι.

Vinum, Libido, Liuor & Dæmon pares, hos mente priuant quos tenent.

PVNCTVM XVIII.

Picta Ænigmata.

Nihil ſole lucente pulchrius, nihil in rebus humanis illo diuinius, ſi quando tamen nubibus caput obuoluit neſcio quam delectationem ſolito maiorem pueris exhibet, ac delicias, facit, inquit Plutarch. Ita ſermo claritate ſua laudabilis ſi fortè qui obſcurum admiſerit, pla-

cet τὰ δ' ᾐνιγμένα (Ariſtot. 3.Rhet.cap.11. Διὰ τὸ αὐτὸ ἡδέα, quæ leguntur Ænigmatis nubibus hoc ipſo iucunda ſunt, & ſuauitatem affert in illis latens eruditio αἴνιγμα παιδιὰν ἔχει vult Pollux.

Licet verum ſit quod ait Plato ζωγραφίαν μὲν ἐξηγγελμένην τὴν ποίησιν, ποίησιν δὲ σιγῶσαν τὴν ζωγραφίαν picturam eſſe loquentem Poëſim, Poëſim verò tacentem picturam, ſuas tamen ſeruant vices vt interdum lectori verſus, alias imagines exhibeantur. Poëtis ſingulatim aliqua; pictura ſimul vniuerſa repræſentat; illa mentem, hæc oculos paſcit ac recreat: illa literatos, hæc etiam eruditionis expertes oblectat. Sic Annus Ænigmaticè ac Poeticè deſcribitur, qui duodecim menſibus completur, quorum quolibet 30 diebus, nocte & luce diſtinctis perficitur.

Eſt vnus genitor, cuius ſunt pignora bis ſex,
His quoque triginta natæ, ſed diſpare forma.
Aſpectu hinc niueæ, nigris & vultibus indè.
Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.

Hæc quæ verbis exprimũtur, ſi pictor in tabella bonus adumbrarit, ſenioremque depinxerit, quem circumſtent 12. filij certis ornati inſignibus, frugibus, floribus, fructibuſque, pro menſium, tempeſtatumque ratione coronati, quorum quilibet triginta ſecum puellas trahat bicolores manibus conſertis ſeſe trudentes, & quaſi chorum ducerent, ſibi inuicem ſuccedentes, Ænigma depinxerit.

Cæterum non ſemper humana manu pinguntur Ænigmata, nonnunquam diuina videntur ad hominum terrorem & ſalutem expreſſa Zonatas Annalium to. 1. de Danielis hiſtoria loquutus ait ἀκριβῶς πρόσχες τοῖς λεγομένοις αἰνιγματώδεσιν ἐστι, καὶ πλείονος δεομένοις σπουδῆς. Attente auſculta, nam verba ſunt obſcura, magnamque poſtulant attentionem, ἐνίοτε δὲ δι' αἰνιγμάτων τὰ θεῖα δείκνυται ἵνα μὴ πᾶσιν γένοιτο δῆλα καὶ διὰ τοῦτο ἀκαταφρόνητα. Nam aliquando per Ænigmata res diuinæ innuuntur, ne omnium intelligentiæ expoſitæ contemnantur.

Tale fuit illud Danielis 5. cap. Cùm incaluiſſet vino Balthaſar ſacrilegus, eò progreſſus eſt inſaniæ vt afferri præceperit vaſa, quibus nõ ipſe ſolum, ſed Regij quoque proceres, ſed vxores ad flagirioſos hanſtus abuterentur, at dum Idolorũ laudibus aula perſonat, in aduerſo pariete, quem candelabri ſplendor oppoſitus illuſtrabat, viſi ſunt digiti, qui certas & obſcuras quaſdam notas efformabant, quo ſpectro inopinato perculſus impius & conſternatus metu expalluit, & in aliam ſpeciem vultus eius mutatus eſt, hæc autem notis decurtatis obſcurè digeſta legebantur MANE, THECEL PHARES inuiſum prorſus, θεσπέσιον prodigium. Nam ſacrilego decretum à vindice iuſtitia ſupplicium denunciabatur. Numeratum Imperij tui tempus, & illud completum; appenſum & minus inuentum? Propterea diuidendum Regnum, & ad Medos, & Perſas transferendum. Alij MANE Mors. THECEL. Iudicium PHARES. Infernus.

Θεσπέσιον omninò fuit illud literarum Schema quod refert Gretſerus in Palla ſuper altare poſitæ

K

expreſſum his notis latẽtibus & obſcuris A P H to-

D

mo 3. de Enice, l. 1. cap. 19. Cuius ſignificationem annos 16. aſſequutus eſt nemo, vna demum S. Hildegerdis Analyſi elementari expoſuit K. Kyrium, P. Presbyter, D. Deſiſit, A. Aſcendat, P. Pœnitens. H Homo, quæ non humanis, vt conſtabat manibus exarata, mortalibus horrorem incuſſerunt & religionem, donec deuotæ Virginis aduentu timor omnis eſt ſublatus, reſipiſcente eo, & ad religioſæ cuiuſdam familiæ Aſylum ſe recipiente.

Non diſſimili territus ad ſalutem & imperium elementorum Ænigmate diu multumque manſit S Henricus Bauariæ Dux Sanctæ Cunegundis coniux. illi enimuero apparens S. Wolfgangus, in pariete ſcriptam vocem geminam oſtendit, POST SEX. Sed ô fœlix cogitationum æſtus! ſecum reputans vir pius credidit ſibi poſt ſex dies, hebdomadas aut menſes, eſſe morien-dum. Ad hanc diſceſſionem parabat ſeſe diligenter, ne fatis præuenientibus interiret à ſuis rebus, & pietate imparatus. Sed longè aliter res cecidit; Gryphum ipſe diſſoluit rem de-gẽs, vbi poſt annos ſex Imperator renũciatus eſt

A Regum Palatiis & à Templo ſi deſcendamus in ſyluas & agros, audiemus Paſtorẽ qui requirat

rogetque quod ille, 3. Ecloga Virg. Menalcas.

Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum,
Naſcantur flores. ———

PVNCTVM XVIII.

De Emblemate.

EMblema dicitur quod operi cuipiam ad ornamentũ adjectum eſt, atque inſertum παρὰ τὸ ἐμβάλλεσθαι, inſerere, inſculpere, atque hoc nomine peculiariter ſignificarunt antiqui vaſorum aureorum, Corinthiorumque ornamenta exemptilia: vtpura Claviculos, gemmas cæteraque ejuſdem generis; quæ ita pateris, vaſiſque inſerebantur, vt quoties lubitum eſſet cōmodè revelli poſſent, quod intelligi poteſt ex Verrina 6. nu. 62. Pro Sex. Roſc. num. 133.

Verum & hoc nomine comprehenderũt quæcumque in parietibus vermiculata, in lignis ſegmentata, in veſtibus acu picta & deſcripta, in vaſis, clypeis, gladiis ſigilliſque cælata: vndè Emblema dicitur quodlibet ſymbolum ingenioſè excogitatum ad mores pertinens, pictura, & plerumque adjecto lēmatę conſtans, quo arguta aliqua ſententia viſque appicti ſymboli judicetur. Indè patet quid ab Ænigmate differat; Etſi enim cum illo in ratione ſymboli conveniat, diuerſum tamen hoc habet, quòd Ænigma ſit Rerum: Emblema Morum, Virtutis, Opum, Fortunæ, Dignitatis, expreſſio: Ænigma obſcurum & ambiguum, vt etiam viros alioqui doctos; & ſolertes impediat: Emlbema apertius liquidiuſque, vt ſi indoctos quidem, ac rudes fallat, certè ingenuis artibus eruditos præterire non poſſit. Vis hominem ponere ſub aſpectum Emblematicè, quem rerum celeſtium medidatio ſupra caſus omnes humanos erexerit, Ardeam pinge altiſſimas nubęs, & fulmina, defluenteſque pluuias ſuperuolantem adjecta Epigraphe, SVBLIMITATE SECVRIOR.

Similiter ad exprimendam vtilitatem quæ interdum ex inimicis percipitur, depinges Roſariũ inter alia magnificè creſcens, roſiſque micans coloratiſſimis, atq; elegantiſſimis adſcripto, PER OPPOSITA. Nam periti Agricolæ roſas, violaſque exiſtimant odoratiores eſſe, melioreſque, ſi juxta eas allia, cæpaſque plantauerint; ſiue quod alliis tellus incaleſcat; ac proindè elaboratius eſt quidquid in Roſæ cedit alimentum; ſiue quòd, cùm omnia ſimili nutriantur, ſi quid terræ ineſt fœtidi, ab alliis trahitur ſicque reliquum purius remanet, vndè ſuavior in roſa ſuccus atque odor exiſtat.

Si probare volueris hominum animos demereri melius Clementiâ, quàm ſeueritate; propones illud fictum ad delectationem ingenioſè ſatis, quo Sol, & Boreas olim inter ſe contenderunt, quis prior viatorem veſtibus ſpoliaret? Ille benigno radiorum aſpectu influxuque? Hic omnia vehementioris auræ ſuæ flatu concutiens, in qua pugna faciſè Sol clementiæ ſymbolum, Boream ſe veritatis ideam ſuperauit. Nam vix radios princeps aſtrorum expanderat, cùm æſtu majore calefactus viator veſtes, quas flante Boreâ collegerat, excuſſit ad clamydem interiorem, cui conveniet iſtud lēma mutuatū ex Claudiano.

Peragit tranquilla poteſtas, quod violenta nequit.

Hinc referuntur. Pontificum, Imperatorum, Regum ac Principum, virorumque nobilium Inſignia, Stemmata, & Symbola, in quibus excogitandis luſerunt elegantiſſima cujuſlibet ætatis ingenia. Noctua fuit Athenienſium, Perſarum Aquila aurea, Thebanorum Sphinx, Oſiridis canis, Alcibiadis amor fulminans, bona fortuna Demoſthenis, cincta ſerpentibus Hydra Aventini, Luna Tydei, Tædifer Campanei; Iuſtitiâ Polexenis. Placet illud apprimè Caroli IX. Francorum Regis, duæ columnæ vna contortæ & quaſi complicatæ, cùm *Pietate & Iuſtitia* deſcriptæ epigraphe, vt ſignificaret Pietate, quæ Deo jungit, Iuſtitia quæ ciuilem Concordiam firmat, homines hominibus conſociari.

Hæc & alia locum habent in Epidictico genere, vbi iucunditas & delectatio quæritur, quippe quæ ſuauiſſima voluptate auditorem afficiunt, cum ſymboli non ingrata obſcuritate aliquādiu ſuſpenſus animus luce ſubito affulgente rem detegit, atque in veritate cognita conquieſcit, hæc de FERDINANDI II. fortitudine bonus

Digitized by Google

Orator interpretabitur. Rex Æthiopum cùm Amaſi Ægyptiorum Rege olim de ſapientia, & interpretandi arte contendebat, cumque ſæpius Scirpos, & Ænigmata propoſuiſſet, quæ alter eleganti ſubtilique indicio diſſolueret, miſit tandem Gryphum ad Ægypti ū pto imperio iubens vt mare vniuerſum hauriret, quem nodum cum Amazis ſoluere non potuiſſet, ad Biantem ex ſapientibus vnum miſit expediendum. ô Amazi! ô Moderator Æthiopum! ô Græci Sapientes nos in venimus Regem, qui vniuerſum mare ex ſorbuerit tot aduerſæ fortunæ flatibus, tot fluctibus incommodorum, tot periculorum procellis, tot monſtris exitiorum plenum ac redundans, Delius his natator vndis hauſtus, merſuſque periiſſet; ex omni mortalium conditione vnus FERDINANDVS hunc tantum, vt fluctuum, ſic calamitatum concurſum excipere potuit, ac ſuſtinere.

Eſt & aliud Emblema Iuliani ſatis ob Apoſtaſiâ infamis, quod Orator de FERDINANDO III. Imp ſemper Auguſto proponere poſſet in hæc verba. Qui Conſtanti in Imperio orbis terræ ſucceſſit Chriſtianæ Religionis deſertor princeps, ita ſe pingi fingique curauerat, vt Iupiter tanquã de cœlo apparens, coronam & purpuram ipſi præberet, quæ ſunt Imperij inſignia, hinc indè Mars & Mercurius in eum intuentes, cùm videri vellet, & diuinirus electus ad principatum, & coſilio Princeps atque Mercurius. Sed homo inſolens, & ſtultæ impietatis, nec Deo charus erat, cuius nomen, ac religionem violarat, nec in bello fortis, ac ſtrenuus, qui furore æmẽs in exitium peſtemque ruebat, nec conſilio Sapiens, quem inhumana ſæui indi libido tranſuerſùm agebat. Tibi FERDINANDE III. iſta debebantur inſignia, qui ſummo rerum Principi, & gubernatori Deo, qui te Imperio, Imperiũ tibi conceſſit, ita charus es, & dilectus, vt nec in pace tibi conſilium, nec in bello virtus vnquam ſit defutura.

* * *

PVNCTVM IX.

De Prouerbiis.

DEfinitur celebre dictum ſcitâ quapiam nouitate inſigne *παροιμία* Græcis, quòd vulgò iactatur, & in viis per ora hominũ vagatur. Talia ſunt, *ne quid nimis: bis dat qui citò dat: conſcientia mille teſtes*. Quamquã ſunt aliqua paulò abſtruſiora, quæ tantum inter doctos percrebuerunt, ſcilicet quæ ex Antiquitate, Hiſtoria, Fabulis, Apophtegmatis puniuntur, aut obſcuram Allegoriam continent, vt, *Inter ſacrum, ſaxumq; Sto. Atticus inquilinus*. Hoc eſt, moleſtus odioſuſque vicinus ab Atticis, qui cùm in Samũ Inſulam migraſſent, indigenas expulerunt. *Carpathius Leporem*, de eo qui domum ſuam rem aliquam tanquã vtilem ſibi futurã attulerit, ex qua tamẽ ingẽs detrimentũ acceperit. Cuius Prouerbij vim, & originem explicat Iulius Pollux, l. 5. Scribit enim in Carpatho inſula nullos olim fuiſſe Lepores; Itaque Carpathij cùm illud animal, eſculentũ eſſe intelligerent, & in obſoniis vltimum, ſummo ſtudio curauit, vt vnum par Leporum in Inſulam ſuam importaretur, ſed breui tempore (vt eſt hoc animal fœcundiſſimum) magnopere multiplicati ferè fructus omnes agrorum corruperunt: hinc ergo natum Prouerbium.

Perſuadent.

Valent autem Prouerbia, I. ad perſuadendum. Quid enim poreſt adferri probabilius, quàm quod ab omnibus vulgo receptum eſt, quodque ætatum, tot nationum conſenſus, & veluti idem ſuffragium comprobauit. Itaque Parœmialibus illis ſententiis vti nos iubet Ariſtot. l. 2. Reh. cap. 21. *διὰ γὰρ τὸ εἶναι κοιναὶ ὡς ὁμολογούντων πάντων, ὀρθῶς ἔχειν δοκοῦσιν*. Nam quæ ſunt communes, quaſi confitentibus omnibus rectè ſe habere videntur.

Ornant.

II. Vtimur Prouerbiis ad ornatum; nam & maieſtatem antiquitas conciliat Orationi, & acuta breuitas ſermoque figuram; ac facetus gratiæ multum, & amœnitatis aſpergit.

Eleuans

Digitized by Google

Eleuant Orationem.

Obſeruandum tamen, quod idem Ariſtot. de adhibendis Epithetis præcipit, nimirum vt illis vtamur non tanquam cibis, ſed veluti condimẽtis id eſt non ad ſatietatem, ſed ad venuſtatem & gratiam, ac proindè ne ſint nimis crebra, ne temerè, ac per vim intruſa, ne obſcuriora, & cùm res exiget, feſtiua accedat interpretatio Magnificè Tull. fidem teſtibus habendam Prouerbio eleuat, pro Flacco num. 9. *Hoc dico de toto genere Græcorum: tribuo illis literas, do multarum artiũ diſciplinam, non adimo ſermonis lepòrem, ingeniorũ acumen, dicendi copiam: denique etiã ſi qua ſibi alia ſumunt, non repugno: teſtimoniorum religionem, & fidẽ nũquã iſta Natio coluit totiuſq; huiuſce rei quæ ſit vis, quæ auctoritas quod põdus ignorãt. Vnde illud eſt, da mihi teſtimoniũ mutuũ? Num Gallorũ num Hiſpanorum putatur? totum iſtud Græcorum eſt, vt etiam qui Græcè neſciunt hoc, quibus verbis à Græcis dici ſoleat, ſciunt* δάνεισόν μοι μαρτυρίαν.

Eorumdem Græcorum leuitatẽ in Aſia deſcribit variorum Prouerbiorum teſtimoniis. n. 65. *Quamobrem quaſo à vobis Aſiatici teſtes, cum verè recordari voletis, quãtum auctoritatis in indicium afferatis, voſmetipſi deſcribatis Aſiã: nec quid alienigeni de vobis loqui ſoleãt ſed quid voſmetipſi de genere veſtro ſtatuatis, memineritis. Namq; vt opinor, Aſia veſtra conſtat ex Phrygia, Miſia, Caria, Lydia. Vtrum igitur noſtrum eſt, an veſtrum, hoc vetus Prouerbium Phrygem plagis fieri ſolere meliorem? quid de tota Caria? nõne hoc veſtra voce vulgatum eſt, ſi quid cum periculo experiri velis, in Caria hoc potiſſimum eſt faciendum? Quid porrò in Græco ſermone tàm tritum, atque celebratum eſt, quàm, ſi quis deſpicatui ducitur, vt Myſorum vltimus eſſe dicatur? Nam quid ego dicam de Lydia: quis vnquam Græcus Comœdiã ſcripſit, in qua ſeruus primarum partium non Lydus eſſet? quamobrem quæ vobis ſit iniuria, ſi ſtatuimus veſtro bis indicio ſtandum eſſe de vobis?*

Irrident.

Iiſdem Prouerbiis exagitare licet nobilẽ generis, ac diuitiarum gloria tumentem, cæterum omnis eruditionis, politioriſque literaturæ expertem. Tu genere ſatus pollenti auorum cenſes titulos, ſcmeſaſque oſtentas imagines, & ſtantes in curribus Æmilianos? eximia ſanè commendatio, καὶ γὰρ δεινὸς χαρακτὴρ κἀπίσημος ἐν βροτοῖς ἐσθλῶν γενέσθαι, ait Euripides, ſunt opimæ divitiæ, vndè vel ſebum excoquas vt Plautinus ille ſenex; neque id ſanè contemnendum puto, vt nũc quidem ſunt tempora, ad virtutis opus plerumque agunt nummi, ſtipant clientum cunei, ancillantur familiarium greges, ingens amicorum turba proſequitur, verentur optimates, amat plebecula, rex ipſe in delicis habet amplectitur, oſculatur. Papæ! magnum virum. Quid amplius? multis iam bellis ſpectata virtus toto regno inclaruit, quoquo te verteris, ſequuntur omnes oculis, digitoque intento, hic ille eſt, inquiunt, vir ſtratioticus, & bellator, ſalus patriæ, terror hoſtium, ſpes ſociorum. Nunc enim vero propè eſt, nihil vt in te deſiderandum putem, ſed vnum tamẽ habeo interrogare, cùm illa ſint in te multa quæ dicis, age porrò, qui cultus ingenij? quæ bonarum artium cura? quam incitatus animus ad hæc præclara ſtudia, quibus omnis humanitas rerumque cognitio efflorescit? Hic tu mihi deductis miſtacibus, anſatam dexteram ſubducta veſte retegens. Ego Cecropides, ais, ridicule, eſto enim Cecropides.

> —— *Altaque ſi te*
> *Nomina delectant, omnem Titanida pugnam,*
> *Inter maiores ipſumque Promethea ponas.*

Quid tum poſtea? Apage ergo apage otioſorum hominum curas. Quid ita vero? ſunt iſta nempe tenuiorum, quibus aliundè creſcere non licet. Audio. Syri ergo, vel Damæ alicuius erat Alexander Macedo, qui tot annos Ariſtotelis ſe diſciplinæ permiſit: viles Fœniſecæ Themiſtocles, Pericles Olympicus, Epaminondes, Africani, Põpeii, Luculli, Cæſares, qui Anaxagoram, qui Lyſum Pithagoreum, qui Panetium, qui Crattippũ Ariſtonem tàm ſtudioſè colerent, atque audirent.

Tibi ergo ſi apponatur Encomiaſtes aliquis excurret in maiorum laudes, qui iam indè à primis mundi ſurgentis incunabulis, orbi terrarum, ſi ſuperis placet, imperarunt, qui vt Pyrgo polini

polinices ille in campis Gurguſtinodiis,cũ Neptuni nepote congreſſi ſint,qui legiones hoſtiles difflauerint ſpiritu,quaſi ventus folia,aut panniculam tectoriam : Deſcribet ſumptuoſa Palatia, Cœlo educta propilæa,parietes verſicolore lapide variatos , pendentia auro laquearia , amplas porticus Phrigiis ſtantes columnis , polycleticâ aut phidiacâ manu ad miraculum diſtinctas,gementes ſub marmore Athlantes , gradus Dædalæâ fabricatos arte,medio ludentes cylyndro,ſinuoſiſque conductos orbibus , addet Campanica periſtromata,Alexandrina belluata,Conchyliata rapetia, vaſa Corinthia,menſiſque Anaglypta paternis , ſcutulatas & ſegmentatas veſtes, gemmis graues atque Afro bis murice ſatiatas, hæc vbi aliaq; multa ſtylo magnifico perſequutus fuerit de te ipſo quid dicet? Opinor quod ille Satyricus.

——— ——— *actu*

Nil niſi Cecropides,& trunco ſimillimus Hermæ.

Eximia ſunt omnia tua præter teipſum,boni parentes,numeroſa familia, domus oppidò elegãs, ampla & copioſa prædia, lautiſſima ſupellex,epulæ apparatiſſimæ,profuſa & luxuriãs in omni genere magnificentia ; tu ſolus cui ornando iſta ſeruiunt in tanto apparatu neglectu atque horridus,in media rerum omnium affluentia inops ac nudus iaces,& te tamẽ magnificè,& glorioſè circumfers,multoque comitatu ſæpius,quaſi Regum æquares fortunam te das in conſpectum ſummi cuiuſdam atque illuſtris viri , cæteroqui, vt facetè quondam Diogenes πρόβατον χρυσόμαλλον vera pecus aureo vellere conueſtita,aut ſi magis iſtud ex Comico placet.

Lapis maximus Elephanti corio circumtectus.

LECTIO IV.

De Legibus:

HIC de humana lege loquimur,quæ ex mente Iuſtiniani tit. 2. Inſt. diuiditur in legem quæ eſt Iuris communis,ſeu Iuris gentium,& in eam quæ eſt Iuris proprij.

Ius cõmune ſeu gentium eſt, quo omnes homines vtuntur in fœderibus ſanciendis,in iudiciis,bellis,negationibus,eruptionibus , venditionibus,& cæteris atque illud non ſcripto ſancitũ , ſed moribus atque vſu quodam,ad bonum humanæ ſocietatis inductum eſt.

Ius proprium ſeu ciuile dicitur , quod eſt alicuius ciuitatis,aut prouinciæ,vel regni propriũ, vt Ius ciuile Romanum,Gallicum &c. Quod vel ſcripto conſtat,vel longâ,& inolitâ conſuetudine paulatim receptum eſt ; atque huius quidem præcipuè Iuris legumque ciuilium vſus eſt in foro,cùm tota vitæ ciuilis,ac ſocietatis humanæ ratio iis fermè legibus deſcripta contineatur,ac proindè Oratorem neceſſe eſt,qui ad forum accedat,apprimè omnes percallere atq; ita contuliſſe , vt varias ex rerum quaſi conflictione pro re concluſiones poſſit elicere.

PVNCTVM I.

Qua ratione Lex vrgenda ſit.

SI lex aliqua ſit iis ſcripta,& concepta verbis, quæ rem noſtram conficere videantur,ex vſu erit eam cum dignitate , & pompa tractare , ne vel à Iudicibus prætereatur , aut eludatur ab aduerſario.

Eam in rem primò quæ ad commentationem legis dici poſſunt afferenda ſunt,eam eſſe vinculum ciuitatis , quo diſſoluto , fiat omnis ciuitas prædonum receptaculum : eſſe ex Pyndaro hominum Deorumque Reginam ; ex Demoſthene δ' εὕρημα καὶ δῶρον Θεῶν inventum ac donum Deorum ; ex Platone diuinæ mentis homine 12. de leg. non immeritò nomen menti proximum atque affine obtinuiſſe cũ inter νόμος & νοῦς vnius ſit literæ diſcrimen, vt alterum ex altero natum eſſe videatur.

Legũ neceſſitatẽ,dignitatẽque multis cõmendat Cicero pro Cluentrio n.146 *Vt tibi concedam hoc indignum eſſe (quod cuiuſmodi ſit iam videro) tu mihi cõcedas neceſſe eſt,multo eſſe indignius in ea ciuitate,quæ legibus contineatur , diſcedi à legibus. Hoc enim vinculũ eſt huius dignitatis,quâ fruimur in Rep.*

in Rep. hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis, mens & animus, & conſilium, & ſententia ciuitatis, poſita eſt in legibus. Vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege, ſuis partibus, vt neruis, ac ſanguine, & membris vti non poteſt. Legum miniſtri, magiſtratus legum interpretes: legum denique idcirco omnes ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus.

II. Iudices legum cuſtodes iuratos monere debet Orator ne diſcedant à legibus. Hoc multis præſtat. Cic. 1. de inuent. N 70. *Qui ex lege iurati iudicatis, legibus obtemperare debetis, obtemperare autem legibus non poteſtis, niſi id, quod ſcriptum eſt in lege, ſequamini: quod enim certius legis ſcriptor Teſtimonium voluntatis ſuæ relinquere potuit, quàm quod ipſe magna cum cura, atque diligentia ſcripſit? quod ſi literæ non extarent, magnoperè eas requireremus, vt ex his ſcriptoris voluntas cognoſceretur.*

III. Fruſtra ſcriptas, & conſignatas leges, ſi cuilibet ſenſum pro arbitrio licet affingere. Non licere legem vllam mutare, aut violare probat Cato ſapiens apud Liuium. At Hercule pro lege Appia, ne quid nouum in eas rogetur, recuſant non ius, ſed iniuriam deprecantur, imò nec quam accepiſtis, iuſſiſtis, ſuffragiis veſtris legem, quam vſu tot annorum, & experimento comprobaſtis, hanc vt abrogetis, hoc eſt vnam tollendo leges cæteras infirmetis, nulla lex ſatis commoda omnibus eſt, id modo quæritur, ſi maiori parti, & in ſummum prodeſt, ſi quod cuiquam priuatim officiet ius, id deſtruet ac demolietur, quid attinebit vniuerſas rogari leges, quas mox abrogare in quos latæ ſunt poſſis?

IV. Oſtendes legem nullis eſſe ambagibus implicatam, nec poſſe in contrariam partem commoda interpretatione detorqueri.

PVNCTVM II.

Lex de homicidiis contra Milonem vrgetur.

FAtetur Iudices An. Milo à ſe occiſum eſſe Clodium, & crimine conuictus, quo nullum actius, maiores noſtri vindicarunt, venit in forū nihilo capillatior quàm ante, nec mutauit habitum inceſſum, oculos frontem, os ipſum denique plenum audaciæ, ac furoris, ſedet hic tumidis ceruibus, erecto ſupercilio, non Iudicum clementiam deprecaturus, ſed quaſi parricidij præmium petiturus oſtentat patricio ſanguine infectas manus, quibus veſtra prenſari genua oporteret, O inauditam, & intolerandā audaciam! neſcit fortaſſe neſcit in omni iure hoſpes atque peregrinus eum viuere nefas eſſe, qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur, aut certè qui ciuis Rom. & clariſſimi viri ſanguinem in Appia via fuderit, eum putauit etiam poſſe hac in æquitatis arce, in ſubſelliis veſtris, in ore atq; in oculis populi Rom. Romanarū legum maieſtatem vi ferróque violare, aut earum firmitatem Oratoris Eloquentiâ conuellere. Erras Milo, & vehementer erras; non erit hîc aut verborum lenocinio locus, aut ſicariorum audaciæ. temeritatem & & audaciam firmiſſimo præſidio reprimet æquitatis legumque retinentiſſimus Pompeius, Oratoris verò loquacitatem Iudicum ſeueritas coërcebit, non te Romano ſanguine ſtillans gladius è iudiciorum laqueis expediet, in quos te miſer induiſti, nón te tuorum gladiatorum familia, furoriſque ſatellites ex his cancellis abripient, quos etiamſi fugiens tranſilires, tamen è populi manibus, qui te ad pœnam poſcit, effugere non poſſes.

Explica iam Eloquentiæ tuæ vela Marce Tulli, dic legem omnis æquitatis regulam, ſacrum humanæ ſocietatis vinculum, innocentiæ propugnaculum, ſcintillam æterni luminis in maiorū noſtrorum animos ab Ioue Opt. Max. immiſſam, legem inquam, quam metuunt vniuerſi, boni reuerentur, ſapientes adorant; dic hodierna die penitus antiquandam. Lex ipſa legatur: SI QVIS HOMINEM DOLO MALO SCIENS MORTI DVIT PARRICIDA ESTO. Nihil hic obſcurū, nihil ambiguum, nihil verborum caligine inuolutum, patent omnia, lucem hanc nō obſcurabis, neque puluerem, vt olim gloriatus eſt, in iudicū oculos inicies, nihil nō vſu frequenti, & authoritate publicâ confirmatum eſt, hoc robur tua nunquam infringet oratio. Sunt hîc Iudices integerrimi, ſunt legum Interpretes ſapientiſſimi, ſunt æquitatis defenſores acerrimi, ſunt qui maiorum

Digitized by Google

iorum noſtrorum iura vel ipſo vitæ periculo, tueantur.

Interdum tamen à legibus diſcedere licet, ſi quando maior vtilitas ſequitur, aut ab eis abſoluitur aliquis. Hinc Cæſar Auguſtus Principis Poëtæ cedro digna opera conſeruare maluit, quàm obtemperare Teſtamento, quod tamen leges iubent, vndè poſteris hæc in illum amoris ſui monumenta tranſmiſit.

Frangatur potius legum veneranda poteſtas,
Quàm tot congeſtos, noctesque dieſque labores
Hauſerit vna dies.

Et iſtis ſe Græcorum legibus ſolutum eſſe contendit Sinon 2. Æneid.

Fas mihi Graiorum ſacrata reſoluere iura,
Fas odiſſe viros, atque omnia ferre ſub auras
Si qua tegunt: teneor patriæ nec legibus vllis.

Cic. pro domo ſua multus eſt in iſtis à n. 32. vbi ex iure adoptionis, Tribunitio, Publico, Pontificio, Augurali, & Populari deſumit argumenta, quibus concludit Clodium non potuiſſe contra ſe vllam legem ferre.

PVNCTVM III.

Quomodo lex refutanda ſit & infringenda.

I. LEgem non ita conſtantem eſſe, quin facilè pro hominum arbitrio mutetur. Quo argumento vſus videtur Tert. dùm probat non ſtādum eſſe legibus omnibus ſcriptis c. 4. Apolog. *Mirabimini hominē aut errare potuiſſe in lege condenda, aut reſipuiſſe in reprobanda. Nonne & ipſius Lycurgi leges à Lacedæmoniis emēdatæ tantū dolorē authori ſuo intulerunt, vt in ſeceſſu de ſemetipſo iudicarit? nonne & vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totā illā veterem, & ſqualentem ſyluā legū nobis principaliū reſcriptorum, & edictorum ſecuribus truncatis, & cæditis.*

II. Extinctam iam eſſe cauſam legis latæ. proinde legis ipſius nullum amplius eſſe vigorem. Exēplum ſingulare tractat Liuius lib. 33. vbi de lege Appia abroganda quæritur, quâ luxuries mulierū in veſtibus cohibebatur, lata in feruore belli Punici per Appiū Trib. pleb. contra quam ſic agit L. Valerius Trib. *Ego quemadmodū his legibus, quæ non in tēpus aliquod, ſed perpetuæ vtilitatis cauſa in æternū latæ ſūt nullā abrogari debere fateor, niſi quā aut vſus coarguit, aut ſtatus aliquis Reip. inutilem fecit; ſic quas tempora aliqua deſiderarunt leges, vt ita dicam, & temporibus ipſis notabiles eſſe video, quæ in pace latæ ſūt plerumque bellū abrogat, quæ in bello pax. Vt in nauis adminiſtratione alia in ſecūda; alia in aduerſa tēpeſtate vſi ſunt. Hæc cū ita natura diſtincta ſint, ex vtro tandem genere eſſe videtur ea lex, quam abrogamus?*

Ita legem eludit, contraque illā pugnat Cic. pro Rabirio aduerſus Labienum quando prudēter oſtēdit legem obiectam non eſſe amplius in vſu nec ea manere propter quæ lata fuerat N. 13. *Tu mihi etiam legis Porciæ, tu C. Gracchi, tu horū libertatis, cuiuſquā denique hominis popularis mētionem facis, qui non modò ſuppliciis inuſitatis, ſed etiam verborum inaudita crudelitate, violare libertatem huius populi, tentare manſuetudinem, cōmutare diſciplinam conatus es? Namque hæc tua quæ te hominem clementem popularēq; delectant.* I. LICTOR COLLIGA MANVS; *Quæ non modo huius libertatis magnitudiniſque non ſunt, ſed Tarquinij ſuperbiſſimi, atque crudeliſſimi Regis: Iſta ſunt crudelitatis carmina, quæ tu homo lenis libentiſſimè commemoras,* CAPVT OBNVBITO, ARBORI INFELICI SVSPENDITO. *Quæ verba iampridē in hac Rep. Quirites nō ſolū tenebris vetuſtatis, verū etiā luce libertatis oppreſſa ſūt. Vbi docet leges iſtas, quæ initio locū habuiſſent ad coercendam Romanorum ferociam, ſublatis regibus, ciuibuſque quodammodo circuratis, exoleuiſſe.*

III. A ratione quâ nata fuit. Ex hoc Clodianā legem impugnat Cicer. pro domo n. 53. *Quod per vim lata ſit. Quid ſi per vim tuliſti: tandemne lex eſt? aut quidquam iure geſtum videri poteſt, quod per vim geſtum eſſe conſtet? an, ſi in ipſa latione tua capta iam vrbe, lapides iacti, ſi manus collata non eſt, idcirco tu ad illam labem, atque eluuiem ciuitatis, ſine ſumma vi peruenire potuiſti?*

Quam vim Tribunitiam probat per diſtributionem in lapidatione, conſcriptione hominum concluſione tabernarum, comportatione armorum, graduum conuulſione, Prouinciarum venditio

ditio

ditione, eâ quâ ſolet Eloquentiâ Tull. *Cum in Tribunali Aurelio conſcribebas palam non modò liberos ſed etiam ſeruos, ex omnibus vicis concitatos, tùm videlicet non parabas? cùm edictis tuis tabernas claudi jubebas, non vim imperitæ multitudinis, ſed hominũ honeſtorum modeſtiã prudentiamq; quærebas. Cum arma in ædem caſtris cõportabas, nihil aliud, niſi vti ne quid per vim agi poſſet, machinabare. Cùm verò gradus Caſtoris conuelliſti, ac remouiſti: tùm, vt modeſtè tibi agere liceret, homines audaces ab eius tẽpli aditu, atque adſcenſu repuliſti. Cùm eos qui in conventu virorum bonorum verba de ſalute mea fecerant, adeſſe juſſiſti, eorumque ad vocationem manibus, ferro, lapidibus diſcuſſiſti, tùm profectò oſtendiſti, vim tibi maximè diſplicere.*

IV. Iniuſtè latã eſſe, quod probat de lege Clodia Cic. 1. ex cauſa efficiente, tùm ex partibus legis pro domo. n 47. *At qui tulit legẽ ſcriptor peritus, & callidus?* VELITIS, IVBEATIS, VT M. TVLLIO AQVA, ET IGNI INTERDICATVR? *Crudele, nefarium, ne in ſceleratiſſimo quidem ciue ferendum ſine iudicio. Non tulit vt interdicatur, quid ergo? vt interdictũ ſit. O cænum! ô portẽtum! ô ſcelus! Hanc tibi legem Clodius ſcripſit ſpurciorem linguâ ſuâ, vt interdictum ſit, cui non ſit interdictum?*

V. Si quando accidit vt duæ leges caſu aliquo, vel euentu perſonarum adiunctorumque inter ſe pugnantium collatione non ſcripta, contra ſcriptam vtendum erit. Lex eſt *Exhæredatus bonorum paternorum expers eſto.* Alia Lex, *Qui in naufraga naui remanſerit, nauis illius eſto.* Iam nauis cuiuſdam mercatoris ex Oriente rediens pretioſis onuſta mercibus, naufragium facit, nauclerus vnà cum ſociis deſperata ſalute in mare proſiliũt, & natando portum petunt, ſolus mercatoris filius exhæredatus in naui remanet, venti cadunt ille nauim retinet, ac ſibi vendicat, pater illi litem ex priori lege intendit, tibi exhæredato non licet quidquam è bonis paternis poſſidere, reſpondet filius ex altera lege.

Hanc legum oppoſitionem non prætermiſit Tull. vt domum ſuam non juſtè ſibi ereptam concluderet n 43. *Fuerit ſanè Trib. pleb. tàm jure, quàm lege, quàm fuit hic ipſe Rullus, vir omnibus rebus clariſſimus, atque ampliſſimus: quo jure, quo exemplo legem nominatim de capite ciuis indemnati tuliſti? vetant leges ſacratæ, vetant duodecim tabulæ, leges priuatis hominibus irrogari; id eſt enim priuilegium. Nemo vnquam tulit: nihil eſt crudelius, nihil pernicioſius, nihil quod minus hæc ciuitas ferre poſſit.*

VI. Si demonſtraueris neceſſitatem aliquam faciendi contra legem tunc nullus humanis legibus locus relinquitur: humanis inquam, nulla enim poteſt eſſe neceſſitas in qua naturalem violare liceat. Diſertè locum hunc tractat Cic. pro Mil. num. 10. *Eſt enim hæc non ſcripta, ſed nata lex. Quam non didicimus, ſed ex natura ipſa arripuimus, hauſimus.*

VII. Si nullus eſt tergiverſandi locus, ſi crimen in legem directè arietet, confugiendum ad benignam legis interpretationem, ſummique iuris moderationem, rogandi Iudices, vt mentem, conſilium, finem Legiſlatori attendant; vt ex æquitate, non ex verbis legis iudicent. Duobus enim modis legem interpretari poſſumus; vel ſcriptum & verba ſequimur, quod qui faciunt, agere ſummo iure dicuntur; ab Ariſt. ἀκριβοδίκαιοι: vel ſententiam & conſilium Legiſlatoris conſideramus, quẽ in tali caſu veriſimile eſt voluiſſe eam adhiberi ſeueritatem, quam verba legis crudè accepta præ ſe ferunt: hoc qui faciunt æquitatem ſequi, & ex æquo bonoque conſulere dicuntur, quod maximè laudatur in iudiciis.

Exemplum proponit Ariſt. 1. Rhet. c. 13. *Ne quemquam ferro vulneranto*, aliquis annulo ferreo, quem habet in manu percutit alium (nam primis temporibus annulos ferreos etiam viri principes geſtabant, ſoliſque legatis ad exteras gentes ituris aurei publicè dabantur) ex verbis legis reus eſt, re autem vera iniuſtè nihil fecit, æquitatem ſcilicet reſpiciẽtibus, neque enim id conſilium fuit Legiſlatoris, vt is condemnaretur, qui annulo ferreo, ſed qui gladio, haſta, pugione percuſſiſſet.

Aliud habet Maginus. Lex eſt *Vetus Imperator nouo Imperatori tradat exercitũ alioqui capitale eſto.* Epaminondas Thebanorũ Imperator cùm bellum gereret aduerſus Lacedæmonios, ſucceſſori ſuo noluit exercitum tradere, quod timeret ne eo duce Reſp. malè adminiſtraretur impedıtiſſimis tẽporibus, ipſe interim paucis poſt diebus inſignem de Lacedæmoniis victoriam reportauit. Accerſitur capitis: & videtur contra legem

Digitized by Google

te pœnarum tanta iuiſtis obuiam temeritati, conſtitutumq; à vobis, eſt ne quis poſthac hominum id quod eſſet turpitudini proximum, aut Deorum maieſtatibus indignum, loqueretur.

Aduerſarij Teſtimonium.

IV. Inter omnia teſtimoniorum genera valet illud plurimum, quod Oratoris arte atque induſtria ab aduerſario nonnunquam petitur, Minutius Felix in Octauio res Chriſtianorum ab ipſo teſtimonio Idolorum confirmat. *Ipſe Saturnus, & Serapis, & Iuppiter, & quidquid Dæmonum colitis, victi dolore, quod ſunt eloquuntur, nec vtique turpitudinem ſui nonnulis præſertim veſtrum aſſentientibus mentiuntur, ipſis teſtibus eos dæmonas, de ſe verum confitētibus credite: Adiurati enim per Deū verū, & ſolum iuncti miſeris corporibus inhorreſcūt, vel exiliunt ſtatim, vel euaneſcunt gradatim.*

In cauſis verò forenſibus Cic. 7. in Verr. num. *mitaſſe, ſe ciuem eſſe Romanum: apud te nomen* ci-164 *Hoc tu Verres idē dicis, hoc tu cōfiteris, illū clamitaſſe ne tantum quid in valuiſſe, vt dilationem aliquam crucis, vt crudeliſſimi teterrimique ſuplicij aliquam paruam moram ſaltem poſſet afferre. Hoc teneo, hic habeo iudices, hoc vno ſum contentus, omitto, ac negligo cætera: ſua confeſſione indatur ac iuguletur neceſſe eſt, qui eſſet, ignorabas? ſpeculatorem eſſe ſuſpicabare? non quæro qua ſuſpicione: tua te accuſo oratione.*

Rem eandem perficit pro Comœdo n. 9. *Magnum eſt quod coner, difficile eſt quod polliceor, niſi eundē, & aduerſariū, & teſtē habuerit volo vincat.*

Item pro Quintio n. 37. *Quis huic rei teſtis? Idem qui acerrimus aduerſarius. In hac re te, te, inquam teſtem, Naui, citabo.* Bellè pro Cæcinna n. 25. 26. 27.

V. Huic teſtimonio proxima ſunt illa, quæ ab amicis, & propinquis aduerſariorum ducuntur, in his enim maximè creditur ineſſe veritas; quale eſt illud 5. in Verr. n. 166. *Vtar teſte. Quē Vettio Chilone homine Equeſtris ordinis honeſtiſſimo, atque ornatiſſimo, qui iſti ita amicus, & neceſſarius, vt etiamſi vir bonus non eſſet, tamen quod contra iſtum diceret, graue videretur: ita vir bonus eſt, vt etiamſi inimiciſſimus iſte eſſet, tamen eius teſtimonio credi oporteret.*

Scriptum Teſtimonium.

VI. Si teſtimonium de ſcripto proferatur poterit illud confirmari contra ſuperius dicta; eiuſmodi enim teſtimonia olim recepta erant, modò ſigillis eſſent notata, vt ex Oratione pro Quintio patet n. 25. *Veniunt frequentes, teſtificantur iſti P. Quintium non ſtetiſſe, & ſe ſtetiſſe, tabulæ maxim ſignis hominum nobilium conſignantur: diſceditur. Poſtulat à Purrieno Prætore Nauius, vt ex edicto bona poſſidere liceat, & quæ de teſtimonio ex ſcripto accipienda ſunt.*

Iuratus Teſtis.

VII. Si iurati ſint teſtes: tunc enim à religione ſacramenti teſtimonium valet. Cic. pro Roſc. Comœdo à n. 42. *Quo teſte igitur hoc planum faciam? venerat, vt opinor, hac res in iudicium? certè Quis erat petitor? Fannius. Quis reus? Flauius. Quis Iudex? Cluuius. Ex his vnus mihi teſtis eſt producendus qui pecuniam datam dicit. Quis eſt ex his grauiſſimus? ſine controuerſia qui omnium iudicio comprobatus eſt Iudex. Quem igitur ex his tribus à me teſtem ſpectabis? petitorem? facinus eſt Contra ſe nunquam teſtimonium dicet. Reum? Flauius eſt. Is iampridem eſt mortuus. Si viueret verba eius audiretis, Iudicem? Cluuius eſt. Quid is dicit?* I.I. CCCIↃↃↃ. *Panurgi nomine Flauium Fannio diſſoluiſſe, quē tu ſi ex cēſu ſpectes Eques Romanus eſt Si ex vita: Homo clariſſimus eſt: ſi ex te, iudicē ſumpſiſti: ſi ex veritate: id, quod ſcire potuit, & debuit, dixit. Nega, nega nunc Equiti Romano, homini honeſto. Iudici tuo credi oportere, circumſpicit, æſtuat negat nos Cluuij teſtimoniū recitaturos. Recitabimus, erras: inani, & tenui ſpe te conſolaris Recita teſtimonium.*

Cuiuſque Oratio.

VIII. Eſt & aliud teſtimonium humanū, quod Orationē vocant, à qua trahitur argumentum ſanè firmiſſimū, nimirum à verbis cuiuſque; cùm nihil ſit aliud Oratio, quàm, vt Græci dicunt, ἔργων εἰκὼν Inde Tull. in Clodiū argumentatur pro Mil. n. 26. *Res erat minimè obſcura: etenim palàm dictitabat, conſulatū Miloni eripi non poſſe vitam eſſe, Significauit hoc ſæpè in Senatu; dixit in concione Qui etiam Fannio fortiſſimo viro, quærenti ex eo.*

Digitized by Google

qua ſpe fueret Milone viuo,reſpondit,triduò illum, ad ſummum quatriduo periturum In Piſo.item. n. 13.14.

Neque verò ſemper omnibus teſtibus reſpondendum eſt:expedit enim aliquando ſuperſedere huic reſponſioni,vt ſi pateat indignos eſſe teſtes fide,aut reſponſione,vel ſi nõ expediat teſtes ipſos lædere,vtpote magnæ authoritatis viros, & ipſi Oratori notos ac familiares. Sic tamen hac in re ſe gerere debet , vt nullum cauſa ſua detrimentum accipiat. Tull. pro Plancio ſe pro teſtibus non eſſe reſponſurum ait, quod nihil opus eſſe videatur , & ſatis per ſe Iudices de illorum teſtimoniis iudicare poſſint.n 59.*Quibuſcum me pugnantem meo more priſtino non videbitis : non quod mihi fas ſit quidquam effugere,quod ſalus Plãcij poſtulet:ſed quia neque,neceſſe eſt,me id perſequi voce,quod vos mente videatis ; & quod ita de me meriti ſunt illi ipſi,quos ego teſtes video paratos, vt eorum reprehenſionem vos veſtra prudentia aſſumere,mea modeſtia retinere debeatis.*

Praxis confirmationis ab omni genere Teſtium peti poteſt ex Edmondi Campiani libello planè aureo,vbi conglobat omnia,quæ Catholicæ religionis veritatem aſtruunt.*Theatrum vniuerſitatis rerum ponamus ob oculos , quidquid eſt vſpiam,per ageremus:omnia nobis argumentum ſuppeditant:Eamus in Cœlum:Roſas & Lilia contemplemur:purpuratos nempe Martyrio,candidatos innocentia. Nunc è contrario ſi libet , inſpiciamus in Tartara,Cremantur incendio ſempiterno,qui? Iudæi. Quam Eccleſiam aduerſati? Noſtrã. Qui? Ethnici. Quam Eccleſiam crudeliſſimè perſequuti? noſtram. Qui? Turcæ, quæ Templa demoliti? noſtra. Qui? Hæretici, cuius Eccleſiæ perduelles? noſtra. Quæ enim Eccleſia præter noſtram omnibus inferorum portis ſe oppoſuit? &c.*

* * *

PVNCTVM II.

Qua ratione ſint infirmandi teſtes.

A Teſtium moribus.

IMpugnanti teſtes vnus locus eſt,vt dicatur de toto genere Teſtium,quàm ſit id infirmum,& argumenta rerum eſſe propria , teſtimonia voluntatum. Inſignis eſt in hoc genere locus apud Tull.pro Flacco vbi vanitatem leuitatemq; Græcorum à teſtimonij religione alienam pluribus exagitat à n. 6. *At a teſtibus læditur Antequam dico à quibus,quã ſpe , qua vi,qua re concitatis,qua leuitate,qua egeſtate , qua perfidia , qua audacia præditis , dicam de genere vniuerſo , & conditione omnium noſtrum.*

Deinde n. 9 refutat hos teſtes Græcos, primum quidem in communi , auocata Oratione à propriis illius cauſæ teſtibus , ad omnes è Græcia teſtes.

At quos teſtes? primùm dicam id quod eſt commune,Græcos:non quò d nati nihil huic ego vnius maximè fidẽ derogẽ.Verum tamen hoc dico de toto genere Græcorũ:tribuo illis litteris,do multarum Artiũ diſciplinam,non adimo ſermonis leporem,ingeniorũ acumen,dicendi copiam : denique etiam ſi qua alia ſibi ſumunt,non repugno:Teſtimoniorum religionem & fidem nunquam iſta natio coluit ; totiúſque huiuſce rei quæ ſit vis,quæ auctoritas, quod pondus,ignorant. Nunquam nobis ad rogatum reſpondent: ſemper accuſatori plus,quam ad roga um,nunquam laborant,quemadmodum probent, quod dicunt , ſed quemadmodum ſe explicent dicendo. Græcus teſtis cum ea voluntate proceſſit,vt lædat:non iuſiurandi ſed lædendi verba meditatur ; vinci, refelli , coargui putat eſſe turpiſſimũ;ad id ſe parat:nihil aliud curat. Itaque non optimus quiſque, nec grauiſſimus, impudentiſſimus,loquaciſſimusque deligitur.

Denique nominatim contra eos agit qui teſtimonium erant dicturi n.13. *Quid tu iſtum roges, Læli,qui priuſquam,hoc te rogo dixeris plura etiam effundet,quàm tu ei domi ante præſcripſeris? quid ego autem defenſor rogem? nam aut Oratio teſtium refelli ſolet,aut vita lædi.*

Bona pars Orationis pro Fonteio occupatur in eo

in eodem teſtium refutandorum genere, quibus omnem teſtimonij & inſinuandi religionem adimit, tùm in communi de vniuerſa gente tum ſingillatim de iis ipſis qui contra Fonteium venerant, diſputans quibus alios teſtes longè grauiores opponit, i Fonteio fauerent, à nu 13. *Quid eſt igitur, vbi elucere poſſit prudentia? vbi diſcerni ſtultus auditor, & credulus ab religioſo & ſapienti iudice? nimirum illud, in quo ea quæ dicuntur à teſtibus, coniectura, & cogitatione traduntur, quanta auctoritate, quanta animi æquitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto ſtudio exiſtimationis bonæ, quanta cura, quanto timore dicuntur. An verò vos id in teſtimoniis hominum barbarorum dubitabitis, quod perſæpè & noſtra, & patrum memoria ſapientiſſimi iudices de clariſſimis noſtræ ciuitatis viris dubitandum non putauerunt? qui Cn. & Q. Cæpionibus, L. & Q. Metellis teſtibus in Q. Pompeium hominem nouum non crediderunt, quorum virtuti, generi, rebus geſtis, fidem & auctoritatem in teſtimonio cupiditatis, atque inimicitiarum ſuſpicio derogauit. Ecquem hominem vidimus, ecquē verè commemorare poſſumus parem conſilio, grauitate, conſtantia, cæteris virtutibus, honoris, ingenij, rerū geſtarum ornamentis, M. Æmilio Scauro fuiſſe? tamen huius, cuius iniurati nutu prope terrarum orbis regebatur, iurati teſtimonio neque in C. Fimbriam, neque in C. Memmium creditum eſt. Noluerunt ij, qui iudicabant hanc patere inimicitiis viam, quem quiſq. odiſſet, vt cum teſtimonio poſſet tollere. Quātus in L. Craſſo pudor fuerit, quod ingenium, quanta authoritas quis ignorat? tamen is, cuius etiam ſermo teſtimonij authoritatem habebant, teſtimonio ipſo quæ in M. Marcellum inimico animo dixit, probare non potuit. Fuit illis iudicibus diuinum ac ſingulare conſilium, qui ſe non ſolum de reo, ſed etiam de accuſatore de teſte iudicare arbitrabantur, quid fictum, quid fortuna, ac tempore allatum, quid pretio corruptum, quid ſpe aut metu deprauatū, quid à cupiditate aliqua, aut inimicitiis profectum videretur. An vero illi Equites Romani quos nos vidimus, qui nuper in Rep. iudiciiſque maximis floruerunt, habuerunt tantum animi, tantum roboris, vt M. Scauro teſti non crederent: vos Belgarum, atque Allobrogum teſtimoniis non credere timetis?*

Teſtis in cauſa ſua.

II. Si teſtes in partē periculi venire doceamus, in quod adductus eſt ille, pro quo teſtantur: Sic enim teſtes eſſe non poſſunt in cauſa ſua. Quod egregiè pro more ſuo tractat Cic. in Orat. pro Roſ. Amer. num. 102 *Alter ſi Diis Immort. placet, teſtimonium etiam in Roſ. dicturus eſt. Quaſi verò id nunc agatur, vtrum id quod dixerit credendū, an quid fecerit, vindicandum ſit. Itaque more maiorum comparatum eſt, vt in minimis rebus homines amplißimi teſtimonium de ſua re nō dicerent. Africanus qui ſuo cognomine declarat tertiam partem orbis terrarum ſe ſubegiſſe, tamen ſi ſua res ageretur teſtimonium non diceret. Nam illud in talem virum non audeo dicere, ſi diceret non crederetur. Videte nunc quàm verſa, & mutata in peiorē partē ſit omnia. Cùm de bonis, & de cæde agatur, teſtimoniū dicturi eſtis, qui & ſector eſt, & ſicarius, hoc eſt qui illorum ipſorū bonorū de quibus agitur, emptor, atque poſſeſſor eſt: & eum hominem occidendum curauit, de cuius morte queritur.*

Teſtis Domeſticus.

III. Si probaueris teſtē eſſe domeſticū, ridiculus eſt enim ait Cic. qui in lite, aut in iudicio, domeſtico teſte pugnat, & ſui ipſius teſtimonio abutitur. Atque vt benè monuit Paulus Iuriſc. non debent interrogari teſtes, quos accuſator de domo produxerit Cic. pro Flacco, n. 22. ſeuerè, ac liberè reprehēdit. *Hoc verò quid eſt? vna ſedēt, ex accuſatorū ſubſelliis ſurgunt, non diſſimulāt, non verētur de ſubſelliis queror? vna ex domo prodeunt. Si verbo titubauerint, quò reuertātur, nō habebunt. An quiſquā eſſe teſtis poteſt, quem accuſator ſine cura interroget: nec metuat ne ſibi aliquid quod ipſe nolit, reſpondeat? Vbi eſt igitur illa laus Oratoris, quæ vel in accuſatore antea, vel in patrono ſpectari ſolebat: callidè acceſſit; reprehendit: quo noluit adduxit: cōiicit, & elinguem reddidit. Summa eſt in teſtibus. Hi viuunt cum inimicis; adſunt cum aduerſariis, habitant cum accuſatoribus.*

Seruus & Amicus.

IV. Pendet à ſuperiore, illud tamen auget, ſi nempe non domeſticum tantum teſtem eſſe, ſed aut ſeruum, aut amicum, aut familiarem, vel affinem, & propinquum oſtenderis. Nam vt Iulianus ſcripſit, non videntur idonei teſtes, quibus imperari poteſt, vt teſtes fiant. Et Calliſtratus cum primis in perſona teſtis obſeruādā putat, ne amicus ei ſit, pro quo teſtimonium dicit. Etenim de

his

Digitized by Google

cet τὰ δ' ᾐνιγμένα (Ariſtot. 3. Rhet. cap. 11. Διὰ τὸ αὐτὸ ἡδέα, quæ leguntur Ænigmatis nubibus hoc ipſo iucunda ſunt, & ſuauitatem affert in illis latens eruditio *ἄνιγμα παιδιὰν ἔχει* vult Pollux.

Licet verum ſit quod ait Plato *ζωγραφίαν εἶ φθεγγομένην τὴν ποίησιν, ποίησιν δὲ σιγῶσαν τὴν ζωγραφίαν* picturam eſſe loquentem Poëſim, Poeſim verò tacentem picturam, ſuas tamen ſeruant vices vt interdum lectori verſus, alias imagines exhibeantur. Poëtis ſingulatim aliqua; pictura ſimul vniuerſa repræſentat; illa mentem, hæc oculos paſcit ac recreat: illa literatos, hæc etiam eruditionis expertes oblectat. Sic Annus Ænigmaticè ac Poëticè deſcribitur, qui duodecim menſibus completur, quorum quolibet 30 diebus, nocte & luce diſtinctis perficitur.

Eſt vnus genitor, cuius ſunt pignora bis ſex,
His quoque triginta natæ, ſed diſpare forma.
Aſpectu hinc niueæ, nigris & vultibus indè.
Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.

Hæc quæ verbis exprimũtur, ſi pictor in tabella bonus adumbrarit, ſenioremque depinxerit, quem circumſtent 12. filij certis ornati inſignibus, frugibus, floribus, fructibuſque, pro menſium, tempeſtatumque ratione coronati, quorum quilibet triginta ſecum puellas trahat bicolores manibus conſertis ſeſe trudentes, & quaſi chorum ducerent, ſibi inuicem ſuccedentes, Ænigma depinxerit.

Cæterum non ſemper humana manu pinguntur Ænigmata, nonnunquam diuina videntur ad hominum terrorem & ſalutem expreſſa Zonaras Annalium to. 1. de Danielis hiſtoria loquutus ait *ἀκριβῶς πρὸς τοῖς λεγομένοις αἰνιγματῶδεσιν ἔστι, καὶ πλείονος δεομένοις σπουδῆς.* Attente auſculta, nam verba ſunt obſcura, magnamque poſtulant attentionem, *διότι δὲ δι' αἰνίγματος τὰ θεῖα δείκνυται ἵνα μὴ πᾶσιν γένοιτο δῆλα καὶ διὰ τοῦτο καταφρονῆται.* Nam aliquando per Ænigmata res diuinæ innuuntur, ne omnium intelligentiæ expoſitæ contemnantur.

Tale fuit illud Danielis 5. cap. Cùm incaluiſſet vino Balthaſar ſacrilegus, eò progreſſus eſt inſaniæ vt afferri præceperit vaſa, quibus nõ ipſe ſolum, ſed Regij quoque proceres, ſed vxores ad flagitioſos hauſtus abuterentur, at dum Idolorũ laudibus aula perſonat, in aduerſo pariete, quem candelabri ſplendor oppoſitus illuſtrabat, viſi ſunt digiti, qui certas & obſcuras quaſdam notas efformabant, quo ſpectro inopinato perculſus impius & conſternatus metu expalluit, & in aliam ſpeciem vultus eius mutatus eſt, hæc autem notis decurtatis obſcurè digeſta legebantur MANE, THECEL PHARES inuiſum prorſus, *θεσπέσιον* prodigium. Nam ſacrilego decretum à vindice juſtitia ſupplicium denunciabatur. Numeratum Imperij tui tempus, & illud completum; appenſum & minus inuentum? Propterea diuidendum Regnum, & ad Medos, & Perſas transferendum. Alij MANE Mors. THECEL. Iudicium. PHARES. Infernus.

Θεσπέσιον omninò fuit illud literarum Schema quod refert Gretſerus in Palla ſuper altare poſitæ

K
expreſſum his notis latẽtibus & obſcuris A P H to-
D
mo 3. de Enice, l. 1. cap. 19. Cuius ſignificationem annos 16. aſſequutus eſt nemo, vna demum S. Hildegerdis Analyſi elementari expoſuit K. Kyrium, P. Presbyter, D. Deriſit, A. Aſcendat, P. Pœnitens. H Homo, quæ non humanis, vt conſtabat manibus exarata, mortalibus horrorem incuſſerunt & religionem, donec deuotæ Virginis aduentu timor omnis eſt ſublatus, reſipiſcente eo, & ad religioſæ cuiuſdam familiæ Aſylum ſe recipiente.

Non diſſimili territus ad ſalutem & imperium elementorum Ænigmate diu multumque manſit S. Henricus Bauariæ Dux Sanctæ Cunegundis coniux. illi enimuero apparens S. Wolfgangus, in pariete ſcriptam vocem geminam oſtendit, POST SEX. Sed ô fœlix cogitationum æſtus! ſecum reputans vir pius credidit ſibi poſt ſex dies, hebdomadas aut menſes, eſſe moriendum. Ad hanc diſceſſionem parabat ſeſe diligenter, ne fatis præuenientibus interiret à ſuis rebus, & pietate imparatus. Sed longè aliter res cecidit; Gryphum ipſe diſſoluit rem degẽs, vbi poſt annos ſex Imperator renũciatus eſt

A Regum Palatiis & à Templo ſi deſcendamus in ſyluas & agros, audiemus Paſtorẽ qui requirat

rogetque quod ille, 3.Ecloga Virg. Menalcas.
Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum,
Naſcantur flores. ———

PVNCTVM XVIII.

De Emblemate.

Emblema dicitur quod operi cuipiam ad ornamentũ adjectum eſt, atque inſertum ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλεσθαι, inſerere, inſculpere, atque hoc nomine peculiariter ſignificarunt antiqui vaſorum aureorum, Corinthiorumque ornamenta exemptilia: vtputa Claviculos, gemmas cæteraque eiuſdem generis, quæ ita pateris, vaſiſque inſerebantur, vt quoties lubitum eſſet cõmodè revelli poſſent, quod intelligi poteſt ex Verrina 6. nu. 62. Pro Sex. Roſc. num. 133.

Verum & hoc nomine comprehenderũt quæcumque in parietibus vermiculata, in lignis ſegmentata, in veſtibus acu picta & deſcripta, in vaſis, clypeis, gladiis ſigilliſque cælata: vndè Emblema dicitur quodlibet ſymbolum ingenioſè excogitatum ad mores pertinens, pictura, & plerumque adjecto lẽmate conſtans, quo arguta aliqua ſententia viſque appicti ſymboli judicetur. Indè patet quid ab Ænigmate differat; Etſi enim cum illo in ratione ſymboli conveniat, diuerſum tamen hoc habet, quòd Ænigma ſit Rerum: Emblema Morum, Virtutis, Opum, Fortunæ, Dignitatis, expreſſio: Ænigma obſcurum & ambiguum, vt etiam viros alioqui doctos, & ſolertes impediat: Emlbema apertius liquidiuſque, vt ſi indoctos quidem, ac rudes fallat, certè ingenuis artibus eruditos præterire non poſſit. Vis hominem ponere ſub aſpectum Emblematicè, quem rerum celeſtium medidatio ſupra caſus omnes humanos erexerit, Ardeam pinge altiſſimas nubes, & fulmina, defluenteſque pluuias ſuperuolantem adjecta Epigraphe, SVBLIMITATE SECVRIOR.

Similiter ad exprimendam vtilitatem quæ interdum ex inimicis percipitur, depinges Roſariũ inter alia magnificè creſcens, roſiſque micans coloratiſſimis, atq; elegantiſſimis adſcripto, PER OPPOSITA. Nam periti Agricolæ roſas, violaſque exiſtimant odoratiores eſſe, melioreſque, ſi juxta eas allia, cæpaſque plantauerint; ſiue quod alliis tellus incaleſcat; ac proindè elaboratius eſt quidquid in Roſæ cedit alimentum; ſiue quòd, cùm omnia ſimili nutriantur, ſi quid terræ ineſt fœtidi, ab alliis trahitur ſicque reliquum purius remanet, vndè ſuavior in roſa ſuccus atque odor exiſtat.

Si probare volueris hominum animos demereri melius Clementiâ, quàm ſeueritate; propones illud fictum ad delectationem ingenioſè ſatis, quo Sol, & Boreas olim inter ſe contenderunt, quis prior viatorem veſtibus ſpoliaret? Ille benigno radiorum aſpectu influxuque? Hic omnia vehementioris auræ ſuæ flatu concutiens, in qua pugna faciè Sol clementiæ ſymbolum, Boream ſeveritatis ideam ſuperauit. Nam vix radios princeps aſtrorum expanderat, cùm æſtu majore calefactus viator veſtes, quas flante Boreâ collegerat, excuſſit ad clamydem interiorem, cui conveniet iſtud lẽma mutuatũ ex Claudiano.

Peragit tranquilla poteſtas, quod violenta nequit.

Hinc referuntur Pontificum, Imperatorum, Regum ac Principum, virorumque nobilium Inſignia, Stemmata, & Symbola, in quibus excogitandis luſerunt elegantiſſima cujuſlibet ætatis ingenia. Noctua fuit Athenienſium, Perſarum Aquila aurea, Thebanorum Sphinx, Oſiridis canis, Alcibiadis amor fulminans, bona fortuna Demoſthenis, cincta ſerpentibus, Hydra Aventini, Luna Tydei, Tædifer Campanei; Iuſtitiâ Polexenis. Placet illud apprimè Caroli IX. Francorum Regis, duæ colũnæ vna contortæ & quaſi complicatæ, cùm *Pietate & Iuſtitia* deſcripta epigraphe, vt ſignificaret Pietate, quæ Deo iungit, Iuſtitia quæ ciuilem Concordiam firmat, homines hominibus conſociari.

Hæc & alia locum habent in Epidictico genere, vbi iucunditas & delectatio quæritur, quippe quæ ſuauiſſima voluptate auditorem afficiunt, cum ſymboli non ingrata obſcuritate aliquãdiu ſuſpenſus animus luce ſubito affulgente rem detegit, atque in veritate cognita conquieſcit, hæc de FERDINANDI II. fortitudine bonus

Digitized by Google

Orator interpretabitur. Rex Æthiopum cùm Amaſi Ægyptiorum Rege olim de ſapientia, & interpretandi arte contendebat, cumque ſæpius Scirpos, & Ænigmata propoſuiſſet, quæ alter eleganti ſubtilique iudicio diſſolueret, miſit tandem Gryphum ad Ægypti ū pro imperio iubens vt mare vniuerſum hauriret, quem nodum cum Amazis ſoluere non potuiſſet, ad Biantem ex ſapientibus vnum miſit expediendum. ô Amazi! ô Moderator Æthiopum! ô Græci Sapientes nos in venimus Regem, qui vniuerſum mare ex ſorbuerit tot aduerſæ fortunæ flatibus, tot fluctibus incommodorum, tot periculorum procellis, tot monſtris exitiorum plenum ac redundans, Delius his natator vndis hauſtus, merſuſque periiſſet; ex omni mortalium conditione vnus Ferdinandvs hunc tantum, vt fluctuum, ſic calamitatum concurſum excipere potuit, ac ſuſtinere.

Eſt & aliud Emblema Iuliani ſatis ob Apoſtaſiā infamis, quod Orator de Ferdinando III. Imp ſemper Auguſto proponere poſſet in hæc verba. Qui Conſtanti in Imperio orbis terræ ſucceſſit Chriſtianæ Religionis deſertor princeps, ita ſe pingi fingique curauerat, vt Iupiter tanquā de cœlo apparens, coronam & purpuram ipſi præberet, quæ ſunt Imperij inſignia, hinc indè Mars & Mercurius in eum intuentes, cùm videri vellet, & diuinitus electus ad principatum, & cōſilio Princeps atque Mercurius. Sed homo inſolens, & ſtultæ impietatis, nec Deo charus erat, cuius nomen, ac religionem violarat, nec in bello fortis, ac ſtrenuus, qui furore æmēs in exitium peſtemque ruebat, nec conſilio Sapiens, quem inhumana ſæui indi libido tranſuersùm agebat. Tibi Ferdinande III. iſta debebantur inſignia, qui ſummo rerum Principi, & gubernatori Deo, qui te Imperio, Imperiū tibi conceſſit, ita charus es, & dilectus, vt nec in pace tibi conſilium, nec in bello virtus vnquam ſit defutura.

* * *

Pvnctvm IX.

De Prouerbiis.

DEfinitur celebre dictum ſcitā quapiam nouitate inſigne παροιμία Græcis, quòd vulgò iactatur, & in viis per ora hominū vagatur. Talia ſunt, *ne quid nimis: bis dat qui citò dat: conſcientia mille teſtes*. Quamquā ſunt aliqua paulò abſtruſiora, quæ tantum inter doctos percrebuerunt, ſcilicet quæ ex Antiquitate, Hiſtoria, Fabulis, Apophtegmatis puniuntur, aut obſcuram Allegoriam continent, vt, *Inter ſacrum, ſaxumq; Sto. Atticus inquilinus*. Hoc eſt, moleſtus odioſuſque vicinus ab Atticis, qui cùm in Samū Inſulam migraſſent, indigenas expulerunt. *Carpathius Leporem*, de eo qui domum ſuam rem aliquam tanquā vtilem ſibi futurā attulerit, ex qua tamē ingēs detrimentū acceperit. Cuius Prouerbij vim, & originem explicat Iulius Pollux, l. 5. Scribit enim in Carpatho inſula nullos olim fuiſſe Lepores; Itaque Carpathij cùm illud animal, eſculentū eſſe intelligerent, & in obſoniis vltimum, ſummo ſtudio curauit, vt vnum par Leporum in Inſulam ſuam importaretur, ſed breui tempore (vt eſt hoc animal fœcundiſſimum) magnopere multiplicati ferè fructus omnes agrorum corruperunt: hinc ergo natum Prouerbium.

Perſuadent.

Valent autem Prouerbia, I. ad perſuadendum. Quid enim poteſt adferri probabilius, quàm quod ab omnibus vulgo receptum eſt, quodque ætatum, tot nationum conſenſus, & veluti idem ſuffragium comprobauit. Itaque Parœmialibus illis ſententiis vti nos iubet Ariſtot. l. 2. Reh. cap. 21. διὰ γὰρ τοῦτο κοιναὶ ὡς ὁμολογούντων πάντων, ὀρθῶς ἔχειν δοκοῦσιν. Nam quæ ſunt communes, quaſi confitentibus omnibus rectè ſe habere videntur.

Ornant.

¶I. Vtimur Prouerbiis ad ornatum; nam & maieſtatem antiquitas conciliat Orationi, & acuta breuitas sermoque figuram; ac facetus gratiæ multum, & amœnitatis aſpergit.

Eleuans

Eleuant Orationem.

Obſeruandum tamen, quod idem Ariſtot. de adhibendis Epithetis præcipit, nimirum vt illis vtamur non tanquam cibis, ſed veluti condimẽtis id eſt non ad ſatietatem, ſed ad venuſtatem & gratiam, ac proindè ne ſint nimis crebra, ne temetè, ac per vim intruſa, ne obſcuriora, & cùm res exiget, feſtiua accedat interpretatio Magnificè Tull. fidem teſtibus habendam Prouerbio eleuat, pro Flacco num. 9. *Hoc dico de toto genere Græcorum: tribuo illis literas, do multarum artiũ diſciplinam, non adimo ſermonis lepôrem, ingeniorũ acumen, dicendi copiam: denique etiã ſi qua ſibi alia ſumunt, non repugno: teſtimoniorum religionem, & fidẽ nũquã iſta Natio coluit totiuſq; huiuſce rei quæ ſit vis, quæ auctoritas quod põdus ignorãt. Vnde illud eſt, da mihi teſtimoniũ mutuũ? Num Gallorũ num Hiſpanorum putatur? totum iſtud Græcorum eſt, vt etiam qui Græcè neſciunt hoc, quibus verbis à Græcis dici ſoleat, ſciunt δάνεισόν μοι μαρτυρίαν.*

Eorumdem Græcorum leuitatẽ in Aſia deſcribit variorum Prouerbiorum teſtimoniis. n. 65. *Quamobrem quæſo à vobis Aſiatici teſtes, cum verè recordari voletis, quãtum auctoritatis in iudicium afferatis, voſmetipſi deſcribatis Aſiã: nec quid alienigeni de vobis loqui ſoleãt ſed quid voſmetipſi de genere veſtro ſtatuatis, memineritis. Namq; vt opinor, Aſia veſtra conſtat ex Phrygia, Miſia, Caria, Lydia. Vtrum igitur noſtrum eſt, an veſtrum, hoc vetus Prouerbium Phrygem plagis fieri ſolere meliorem? quid de tota Caria? nõne hoc veſtra voce vulgatum eſt, ſi quid cum periculo experiri velis, in Caria hoc potiſſimum eſt faciendum? Quid porrò in Græco ſermone tàm tritum, atque celebratum eſt, quàm, ſi quis deſpicatui ducitur, vt Myſorum vltimus eſſe dicatur? Nam quid ego dicam de Lydia: quis vnquam Græcus Comœdiã ſcripſit, in qua ſeruus primarum partium non Lydus eſſet? quamobrem quæ vobis ſit iniuria, ſi ſtatuimus veſtro bis iudicio ſtandum eſſe de vobis?*

Irrident.

Iiſdem Prouerbiis exagitare licet nobilẽ generis, ac diuitiarum gloria tumentem, cæterum omnis eruditionis, politioriſque literaturæ expertem. Tu genere ſatus pollenti auorum cenſes titulos, ſemeſaſque oſtentas imagines, & ſtantes in curribus Æmilianos? eximia ſanè commendatio, *καὶ γὰρ δεινὸς χαρακτὴρ κἀπίσημος ἐν βροτοῖς ἐσθλῶν γένεσθαι.* ait Euripides, ſunt opimæ diuitiæ, vndè vel ſebum excoquas vt Plautinus ille ſenex; neque id ſanè contemnendum puto, vt nũc quidem ſunt tempora, ad virtutis opus plerumque agunt nummi, ſtipant clientum cunei, ancillantur familiarium greges, ingens amicorum turba proſequitur, verentur optimates, amat plebecula, rex ipſe in delicis habet amplectitur, oſculatur. Papæ! magnum virum. Quid amplius? multis iam bellis ſpectata virtus toto regno inclaruit, quoquo te verteris, ſequuntur omnes oculis, digitoque intento, hic ille eſt, inquiunt, vir ſtratioticus, & bellator, ſalus patriæ, terror hoſtium, ſpes ſociorum. Nunc enim vero propè eſt, nihil vt in te deſiderandum putem, ſed vnum tamẽ habeo interrogare, cùm illa ſint in te multa quæ dicis, age porrò, qui cultus ingenij? quæ bonarum artium cura? quam incitatus animus ad hæc præclara ſtudia, quibus omnis humanitas rerumque cognitio effloreſcit? Hic tu mihi deductis miſtacibus, anſatam dexteram ſubducta veſte retegens. Ego Cecropides, ais, ridicule, eſto enim Cecropides.

—— — Altaque ſi te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam.
Inter maiores ipſumque Promethea ponas.

Quid tum poſtea? Apage ergo apage otioſorum hominum curas. Quid ita vero? ſunt iſta nempe tenuiorum, quibus aliundè creſcere non licet. Audio. Syri ergo, vel Damæ alicuius erat Alexander Macedo, qui tot annos Ariſtotelis ſe diſciplinæ permiſit: viles Fœniſecæ Themiſtocles, Pericles Olympicus, Epaminondes, Africani, Põpeii, Luculli, Cæſares, qui Anaxagoram, qui Lyſum Pithagoreum, qui Panetium, qui Crattippũ Ariſtonem tàm ſtudioſè colerent, atque audirent.

Tibi ergo ſi apponatur Encomiaſtes aliquis excurret in maiorum laudes, qui iam indè à primis mundi ſurgentis incunabulis, orbi terrarum, ſi ſuperis placet, imperarunt, qui vt Pyrgo polini

polinices ille in campis Gurguſtinodiis, cũ Neptuni nepote congreſſi ſint, qui legiones hoſtiles diſſlauerint ſpiritu, quaſi ventus folia, aut panniculam tectoriam: Deſcribet ſumptuoſa Palatia, Cœlo educta propilæa, parietes verſicolore lapide variatos, pendentia auro laquearia, amplas porticus Phrigiis ſtantes columnis, polycleticâ aut phidiacâ manu ad miraculum diſtinctas, gementes ſub marmore Athlantes, gradus Dædalæâ fabricatos arte, medio ludentes cylindro, ſinuoſiſque conductos orbibus, addet Campanica periſtromata, Alexandrina belluata, Conchyliata tapetia, vaſa Corinthia, menſiſque Anaglypta paternis, ſcutulatas & ſegmentatas veſtes, gemmis graues atque Afro bis murice ſatiatas, hæc vbi aliaq; multa ſtylo magnifico perſequutus fuerit de te ipſo quid dicet? Opinor quod ille Satyricus.

—— —— *acta*
Nil niſi Cecropides, & trunco ſimillimus Hermæ.

Eximia ſunt omnia tua præter teipſum, boni parentes, numeroſa familia, domus oppidò elegãs, ampla & copioſa prædia, lautiſſima ſupellex, epulæ apparatiſſimæ, profuſa & luxuriãs in omni genere magnificentia; tu ſolus cui ornando iſta ſeruiunt in tanto apparatu neglectu atque horridus, in media rerum omnium affluentia inops ac nudus iaces, & te tamẽ magnificè, & glorioſè circumfers, multoque comitatu ſeptus, quaſi Regum æquares fortunam te das in conſpectum ſummi cuiuſdam atque illuſtris viri, cæteroqui, vt facetè quondam Diogenes πρόβατον χρυσόμαλλον vera pecus aureo vellere conueſtita, aut ſi magis iſtud ex Comico placet.

Lapis maximus Elephanti corio circumtectus.

LECTIO IV.

De Legibus:

HIC de humana lege loquimur, quæ ex mente Iuſtiniani tit. 2. Inſt. diuiditur in legem quæ eſt Iuris communis, ſeu Iuris gentium, & in eam quæ eſt Iuris proprij.

Ius cõmune ſeu gentium eſt, quo omnes homines vtuntur in fœderibus ſanciendis, in iudiciis, bellis, negationibus, eruptionibus, venditionibus, & cæteris atque illud non ſcripto ſancitũ, ſed moribus atque vſu quodam, ad bonum humanæ ſocietatis inductum eſt.

Ius proprium ſeu ciuile dicitur, quod eſt alicuius ciuitatis, aut prouinciæ, vel regni propriũ, vt Ius ciuile Romanum, Gallicum &c. Quod vel ſcripto conſtat, vel longâ, & inolitâ conſuetudine paulatim receptum eſt; atque huius quidem præcipuè Iuris legumque ciuilium vſus eſt in foro, cùm tota vitæ ciuilis, ac ſocietatis humanæ ratio iis fermè legibus deſcripta contineatur, ac proindè Oratorem neceſſe eſt, qui ad forum accedat, apprimè omnes percallere atq; ita contuliſſe, vt varias ex rerum quaſi conflictione pro re concluſiones poſſit elicere.

PUNCTUM I.

Qua ratione Lex vrgenda ſit.

SI lex aliqua ſit iis ſcripta, & concepta verbis, quæ rem noſtram conficere videantur, ex vſu erit eam cum dignitate, & pompa tractare, ne vel à Iudicibus prætereatur, aut eludatur ab aduerſario.

Eam in rem primò quæ ad commendationem legis dici poſſunt afferenda ſunt, eam eſſe vinculum ciuitatis, quo diſſoluto, fiat omnis ciuitas prædonum receptaculum: eſſe ex Pyndaro hominum Deorumque Reginam; ex Demoſthene δ' εὕρημα καὶ δῶρον Θεῶν inventum ac donum Deorum; ex Platone diuinæ mentis homine 12. de leg. non immeritò nomen menti proximum atque affine obtinuiſſe cũ inter νόμος & νοῦς vnius ſit literæ diſcrimen, vt alterum ex altero natum eſſe videatur.

Legũ neceſſitatẽ, dignitatẽque multis cõmendat Cicero pro Cluentio n. 146 *Vt tibi concedam hoc indignum eſſe (quod cuiuſmodi ſit iam videro) tu mihi cõcedas neceſſe eſt, multo eſſe indignius in ea ciuitate, quæ legibus contineatur, diſcedi à legibus. Hoc enim vinculũ eſt huius dignitatis, quâ fruimur in Rep.*

Digitized by Google

in Rep. hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis, mens & animus, & conſilium, & ſententia ciuitatis, poſita eſt in legibus. Vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege, ſuis partibus, vt neruis, ac ſanguine, & membris vti non poteſt. Legum miniſtri, magiſtratus legum interpretes: legum denique idcirco omnes ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus.

II. Iudices legum cuſtodes iuratos monere debet Orator ne diſcedant à legibus. Hoc multis præſtat. Cic. 1. de inuent. N 70. *Qui ex lege iurati iudicatis, legibus obtemperare debetis, obtemperare autem legibus non poteſtis, niſi id, quod ſcriptum eſt in lege, ſequamini: quod enim certius legis ſcriptor Teſtimonium voluntatis ſuæ relinquere potuit, quàm quod ipſe magna cum cura, atque diligentia ſcripſit? quod ſi litteræ non extarent, magnoperè eas requireremus, vt ex his ſcriptoris voluntas cognoſceretur.*

III. Fruſtra ſcriptas, & conſignatas leges, ſi cuilibet ſenſum pro arbitrio licet affingere. Non licere legem vllam mutare, aut violare probat Cato ſapiens apud Liuium. At Hercule pro lege Appia, ne quid nouum in eas rogetur, recuſant non ius, ſed iniuriam deprecantur, imò nec quam accepiſtis, iuſſiſtis, ſuffragiis veſtris legem, quam vſu tot annorum, & experimento comprobaſtis, hanc vt abrogetis, hoc eſt vnam tollendo leges cæteras infirmetis, nulla lex ſatis commoda omnibus eſt, id modo quæritur, ſi maiori parti, & in ſummum prodeſt, ſi quod cuiquàm priuatim officiet ius, id deſtruet ac demolietur, quid attinebit vniuerſas rogari leges, quas mox abrogare in quos latæ ſunt poſſis?

IV. Oſtendes legem nullis eſſe ambagibus implicatam, nec poſſe in contrariam partem commoda interpretatione detorqueri.

PVNCTVM II.

Lex de homicidiis contra Milonem vrgetur.

FAtetur Iudices An. Milo à ſe occiſum eſſe Clodium, & crimine conuictus, quo nullum acrius, maiores noſtri vindicarunt, venit in forū nihilo capillatior quàm ante, nec mutauit habitum inceſſum, oculos frontem, os ipſum den ique plenum audaciæ, ac furoris, ſedet hic tumidis cętuibus, erecto ſupercilio, non Iudicum clementiam deprecaturus, ſed quaſi parricidij præmium petiturus oſtentat patricio ſanguine infectas manus, quibus veſtra prenſari genua oporteret, O inauditam, & intolerandā audaciam! neſcit fortaſſe neſcit in omni iure hoſpes atque peregrinus eum viuere nefas eſſe, qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur, aut certè qui ciuis Rom. & clariſſimi viri ſanguinem in Appia via fuderit, eum putauit etiam poſſe hac in æquitatis arce, in ſubſelliis veſtris, in ore atq; in oculis populi Rom. Romanarū legum maieſtatem vi ferróque violare, aut earum firmitatem Oratoris Eloquentiâ conuellere. Erras Milo, & vehementer erras; non erit hîc aut verborum lenocinio locus, aut ſicariorum audaciæ. temeritatem & & audaciam firmiſſimo præſidio reprimet æquitatis legumque retinentiſſimus Pompeius, Oratoris verò loquacitatem Iudicum ſeueritas coërcebit, non te Romano ſanguine ſtillans gladius è iudiciorum laqueis expediet, in quos te miſer induiſti, non te tuorum gladiatorum familia, furoriſque ſatellites ex his cancellis abripient, quos etiamſi fugiens tranſilires, tamen è populi manibus, qui te ad pœnam poſcit, effugere non poſſes.

Explica iam Eloquentiæ tuæ vela Marce Tulli, dic legem omnis æquitatis regulam, ſacrum humanæ ſocietatis vinculum, innocentiæ propugnaculum, ſcintillam æterni luminis in maiorū noſtrorum animos ab Ioue Opt. Max. immiſſam, legem inquam, quam metuunt vniuerſi, boni reuerentur, ſapientes adorant; dic hodierna die penitus antiquandam. Lex ipſa legatur: SI QVIS HOMINEM DOLO MALO SCIENS MORTI DVIT PARRICIDA ESTO. Nihil hic obſcurū, nihil ambiguum, nihil verborum caligine innolutum, patent omnia, lucem hanc nō obſcurabis, neque puluerem, vt olim gloriatus eſt, in iudicū oculos inicies, nihil nō vſu frequenti, & authoritate publicâ confirmatum eſt, hoc robur tua nunquam infringet oratio. Sunt hic Iudices integerrimi, ſunt legum Interpretes ſapientiſſimi, ſunt æquitatis defenſores acerrimi, ſunt qui maiorum

Digitized by Google

iorum noſtrorum iura vel ipſo vitæ periculo, tueantur.

Interdum tamen à legibus diſcedere licet, ſi quando maior vtilitas ſequitur, aut ab eis abſoluitur aliquis. Hinc Cæſar Auguſtus Principis Poëtæ cedro digna opera conſeruare maluit, quàm obtemperare Teſtamento, quod tamen leges iubent, vndè poſteris hæc in illum amoris ſui monumenta tranſmiſit.

Frangatur potius legum veneranda poteſtas,
Quàm tot congeſtos, noctesque dieſque labores
Hauſerit vna dies.

Et iſtis ſe Græcorum legibus ſolutum eſſe contendit Sinon 2. Æneid.

Fas mihi Graiorum ſacrata reſoluere iura,
Fas odiſſe viros, atque omnia ferre ſub auras
Si qua tegunt: teneor patriæ nec legibus vllis.

Cic. pro domo ſua multus eſt in iſtis à n. 32. vbi ex iure adoptionis, Tribunitio, Publico, Pontificio, Augurali, & Populari deſumit argumenta, quibus concludit Clodium non potuiſſe contra ſe vllam legem ferre.

PVNCTVM III.

Quomodo lex refutanda ſit & infringenda.

I. LEgem non ita conſtantem eſſe, quin facilè pro hominum arbitrio mutetur. Quo argumento vſus videtur Tert. dùm probat non ſtádum eſſe legibus omnibus ſcriptis c. 4. Apolog. *Mirabimini hominẽ aut errare potuiſſe in lege condenda, aut reſipuiſſe in reprobanda. Nonne & ipſius Lycurgi leges à Lacedæmoniis emẽdatæ tantũ dolorẽ authori ſuo inuſſerunt, vt in ſeceſſu de ſemetipſo iudicarit? nonne & vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totã illã veterem, & ſqualentem ſyluã legũ nobis principaliũ reſcriptorum, & edictorum ſecuribus truncatis, & cædisis.*

II. Extinctam iam eſſe cauſam legis latæ, proinde legis ipſius nullum amplius eſſe vigorem. Exẽplum ſingulare tractat Liuius lib. 33. vbi de lege Appia abroganda queritur, quâ luxuries mulierũ in veſtibus cohibebatur, lata in feruore belli Punici per Appium Trib. pleb. contra quam ſic agit L. Valerius Trib. *Ego quemadmodũ his legibus, quæ non in tẽpus aliquod, ſed perpetuæ vtilitatis cauſa in æternũ latæ sũt nullã abrogari debere fateor, niſi quã aut vſus coarguit, aut ſtatus aliquis Reip. inutilem fecit; ſic quas tempora aliqua deſiderarunt leges, vt ita dicam, & temporibus ipſis mortales eſſe video, quæ in pace latæ sũt plerumque bellũ abrogat, quæ in bello pax. Vt in nauis adminiſtratione alia in ſecũda; alia in aduerſa tẽpeſtate vſi ſunt. Hæc cũ ita natura diſtincta ſint, ex vtro tandem genere eſſe videtur ea lex, quam abrogamus?*

Ita legem eludit, contraque illã pugnat Cic. pro Rabinio aduerſus Labienum quando prudẽter oſtẽdit legem obiectam non eſſe amplius in vſu nec ea manere propter quæ lata fuerat N. 13. *Tu mihi etiam legis Porciæ, tu C. Gracchi, tu horũ libertatis, cuiuſquã denique hominis popularis mẽtionem facis, qui non modò ſuppliciis inuſitatis, ſed etiam verborum inaudita crudelitate, violare libertatem huius populi, tentare manſuetudinem, cõmutare diſciplinam conatus es? Namque hæc tua quæ te hominem clementem popularẽq; delectant.* I. LICTOR COLLIGA MANVS; *Quæ non modo huius libertatis magnitudiniſque non ſunt, ſed Tarquinij ſuperbiſſimi, atque crudeliſſimi Regis: Iſta ſunt crudelitatis carmina, quæ tu homo lenis libentiſſimè commemoras*, CAPVT OBNVBITO, ARBORI INFELICI SVSPENDITO. *Quæ verba iampridẽ in hac Rep. Quirites nõ ſolũ tenebris vetuſtatis, verũ etiã luce libertatis oppreſſa sũt. Vbi docet leges iſtas, quæ initio locũ habuiſſent ad coercendam Romanorum ferociam, ſublatis regibus, ciuibuſque quodammodo cicuratis, exoleuiſſe.*

III. A ratione quâ nata fuit. Ex hoc Clodianã legem impugnat Cicer. pro domo n. 53. *Quod per vim lata ſit. Quid ſi per vim tuliſti? tandemne lex eſt? aut quidquam iure geſtum videri poteſt, quod per vim geſtum eſſe conſtet? an, ſi in ipſa latione tua capta iam vrbe, lapides iacti, ſi manus collata non eſt, idcirco tu ad illam labem, atque eluuiem ciuitatis, ſine ſumma vi peruenire potuiſti?*

Quam vim Tribunitiam probat per diſtributionem in lapidatione, conſcriptione hominum concluſione tabernarum, comportatione armorum, graduum conuulſione, Prouinciatum venditio

ditione, eâ quâ ſolet Eloquentiâ Tull. *Cum in Tribunali Aurelio conſcribebas palam non modò liberos ſed etiam ſeruos, ex omnibus vicis concitatos, tùm videlicet non parabas? cùm edictis tuis tabernas claudi jubebas, non vim imperatæ multitudinis, ſed hominũ honeſtorum modeſtiã prudentiamq́. quærebas Cùm arma in eadem caſtris cõportabas, nihil aliud, niſi vti ne quid per vim agi poſſet, machinabare. Cùm verò gradus Caſtoris conuelliſti, ac remouiſti: tùm, vt modeſtè tibi agere liceret, homines audaces ab eius tẽpli aditu, atque adſcenſu repuliſti. Cùm eos qui in conventu virorum bonorum verba de ſalute mea fecerant, adeſſe juſſiſti, eorumque ad vocationem manibus, ferro, lapidibus diſcuſſiſti, tùm profecto oſtendiſti, vim tibi maximè diſplicere.*

IV. Iniuſtè latã eſſe, quod probat de lege Clodia Cic. 1. ex cauſa efficiente, tùm ex partibus legis pro domo. n 47. *At qui tulit legẽ ſcriptor peritus, & callidus?* VELITIS, IVBEATIS, VT M. TVLLIO AQVA, ET IGNI INTERDICATVR? *Crudele, nefarium, ne in ſceleratiſſimo quidem ciue ferendum ſine iudicio. Non tulit vt interdicatur, quid ergo? vt interdictũ ſit. O caenum! ô portentum! ô ſcelus! Hanc tibi legem Clodius ſcripſit ſpurciorem linguâ ſuâ, vt interdictum ſit, cui non ſit interdictum?*

V. Si quando accidit vt duæ leges caſu aliquo, vel euentu perſonarum adiunctorumque inter ſe pugnantium collatione non ſcripta, contra ſcriptam vtendum erit Lex eſt *Exhæredatus bonorum paternorum expers eſto.* Alia Lex. *Qui in naufraga naui remanſerit, nauis illius eſto.* Iam nauis cuiuſdam mercatoris ex Oriente rediens pretoſis onuſta mercibus, naufragium facit, nauclerus vnà cum ſociis deſperata ſalute in mare proſiliũt, & natando portum petunt, ſolus mercatoris filius exhæredatus in naui remanet, venti cadunt ille nauim retinet, ac ſibi vendicat, pater illi litem ex priori lege intendit, tibi exhæredato non licet quidquam è bonis paternis poſſidere, reſpondet filius ex altera lege.

Hanc legum oppoſitionem non prætermiſit Tull. vt domum ſuam non juſtè ſibi ereptam concluderet n 43. *Fuerit ſanè Trib. pleb. tàm jure, quàm lege, quàm fuit hic ipſe Rullus, vir omnibus rebus clariſſimus, atque ampliſſimus: quo jure, quo exemplo legem nominatim de capite ciuis indemnati tuliſti? vetant leges ſacratæ, vetant duodecim tabulæ, leges priuatis hominibus irrogari: id eſt enim priuilegium Nemo vnquam tulit: nihil eſt crudelius, nihil pernicioſius, nihil quod minus hæc ciuitas ferre poſſit.*

VI. Si demonſtraueris neceſſitatem aliquam faciendi contra legem, tunc nullus humanis legibus locus relinquitur: humanis inquam, nulla enim poteſt eſſe neceſſitas in qua naturalem violare liceat. Diſertè locum hunc tractat Cic. pro Mil. num. 10. *Eſt enim hæc non ſcripta, ſed nata lex. Quam non didicimus, ſed ex natura ipſa arripuimus, hauſimus.*

VII. Si nullus eſt tergiverſandi locus, ſi crimen in legem directè arietet, confugiendum ad benignam legis interpretationem, ſummique iuris moderationem, rogandi Iudices, vt mentem, conſilium, finem Legiſlatoris attendant; vt ex æquitate, non ex verbis legis iudicent. Duobus enim modis legem interpretari poſſumus; vel ſcriptum & verba ſequimur, quod qui faciunt, agere ſummo iure dicuntur, ab Ariſt. ἀκριβοδίκαιοι: vel ſententiam & conſilium Legiſlatoris conſideramus, quẽ in tali caſu veriſimile eſt voluiſſe eam adhiberi ſeueritatem, quam verba legis crudè accepta præ ſe ferunt: hoc qui faciunt æquitatem ſequi, & ex æquo bonoque conſulere dicuntur, quod maximè laudatur in iudiciis.

Exemplum proponit Ariſt. 1. Rhet. c. 13. *Ne quemquam ferro vulnerato*, aliquis annulo ferreo, quem habet in manu percutit alium nam primis temporibus annulos ferreos etiam viri principes geſtabant, ſoliſque legatis ad exteras gentes ituris aurei publicè dabantur) ex verbis legis reus eſt, re autem vera iniuſtè nihil fecit, æquitatem ſcilicet reſpiciẽtibus, neque enim id conſilium fuit Legiſlatoris, vt is condemnaretur, qui annulo ferreo, ſed qui gladio, haſta, pugione percuſſiſſet.

Aliud habet Maginus. Lex eſt *Vetus Imperator nouo Imperatori tradat exercitũ alioqui capitale eſto.* Epaminondas Thebanorũ Imperator cum bellum gereret aduerſus Lacedæmonios, ſucceſſori ſuo noluit exercitum tradere, quod timeret ne eo duce Reſp. malè adminiſtraretur impeditiſſimis tẽporibus, ipſe interim paucis poſt diebus inſignem de Lacedæmoniis victoriam reportauit. Acceſſitur capitis: & videtur contra legem

Z 2 haud

Digitized by Google

te pœnarum tanta iuiſtis obuiam temeritati, conſtitutumq; à vobis, eſt ne quis poſthac hominum id quod eſſet turpitudini proximum, aut Deorum maieſtatibus indignum, loqueretur.

Aduerſarij Teſtimonium.

IV. Inter omnia teſtimoniorum genera valet illud plurimum, quod Oratoris arte atque induſtria ab aduerſario nonnunquam petitur, Minutius Felix in Octauio res Chriſtianorum ab ipſo teſtimonio Idolorum confirmat. *Ipſe Saturnus, & Serapis, & Iuppiter, & quidquid Dæmonum colitis, victi dolore, quod ſunt eloquuntur, nec vtique turpitudinem ſui nonnulis præſertim veſtrum aſſentientibus mentiuntur, ipſis teſtibus eos dæmones, de ſe verum confitetibus credite: Adiurati enim per Deũ verũ, & ſolum iuncti miſeris corporibus inhorreſcũt, vel exiliunt ſtatim, vel euaneſcunt gradatim.*

In cauſis verò forenſibus Cic. 7. in Verr. num. 164 *mitaſſe, ſe ciuem eſſe Romanum: apud te nomen ci- Hoc tu Verres idẽ dicis, hoc tu cõfiteris, illũ clamitaſſe ſe ciuem eſſe Romanum: apud te nomen ciuitatis ne tantum quidem valuiſſe, vt dilationem aliquam crucis, vt crudeliſſimi teterrimique ſupplicij aliquam paruam moram ſaltem poſſet afferre. Hoc teneo, hic habeo iudices, hoc vno ſum contentus, omitto, ac negligo cætera: ſua confeſſione indatur ac iuguletur neceſſe eſt, qui eſſet, ignorabas? ſpeculatorem eſſe ſuſpicabare? non quæro qua ſuſpicione: tua te accuſo oratione.*

Rem eandem perficit pro Comœdo n. 9. *Magnum eſt quod conor, difficile eſt quod polliceor, niſi eundẽ, & aduerſariũ, & teſtẽ habueris volo vincat.*

Item pro Quintio n. 37. *Quis huic rei teſtis? Idem qui acerrimus aduerſarius. In hac re te, te, inquam teſtem, Naui, citabo.* Bellè pro Cæcinna n. 25. 26. 27.

V. Huic teſtimonio proxima ſunt illa, quæ ab amicis, & propinquis aduerſariorum ducuntur, in his enim maximè creditur ineſſe veritas; qualc eſt illud 5. in Verr. n. 166. *Vtar teſte. Quo? Vectio Chilone homine Equeſtris ordinis honeſtiſſimo, atque ornatiſſimo, qui iſti ita amicus, & neceſſarius, vt etiamſi vir bonus non eſſet, tamen quod contra iſtum diceret, graue videretur: ita vir bonus eſt, vt etiamſi inimiciſſimus iſte eſſet, tamen eius teſtimonio credi oporteret.*

Scriptum Teſtimonium.

VI. Si teſtimonium de ſcripto proferatur poterit illud confirmari contra ſuperius dicta; eiuſmodi enim teſtimonia olim recepta erant, modò ſigillis eſſent notata, vt ex Oratione pro Quintio patet n. 25. *Veniunt frequentes, teſtificantur iſti P. Quintium non ſtetiſſe, & ſe ſtetiſſe, tabulæ maximi ſignis hominum nobilium conſignantur: diſceditur. Poſtulat à Purrieno Prætore Næuius, vt ex edicto bona poſſidere liceat, & quæ de teſtimonio ex ſcripto accipienda ſunt.*

Iuratus Teſtis.

VII. Si iurati ſint teſtes: tunc enim à religione ſacramenti teſtimonium Valet. Cic. pro Roſc. Comœdo à n. 42. *Quo teſte igitur hoc planum faciam? venerat, vt opinor, hæc res in iudicium? certè. Quis erat petitor? Fannius. Quis reus? Flauius. Quis Iudex? Cluuius. Ex his vnus mihi teſtis eſt producendus qui pecuniam datam dicit. Quis eſt ex his grauiſſimus? ſine controuerſia qui omnium iudicio comprobatus eſt Iudex. Quem igitur ex his tribus à me teſtem ſpectabis? petitorem? facinus eſt Contra ſe nunquam teſtimonium dicet. Reum? Flauius eſt. Is iampridem eſt mortuus. Si viueret verba eius audiretis, Iudicem? Cluuius eſt. Quid is dicit? I. L. CCCIↃↃↃ. Panurgi nomine Flauium Fannio diſſoluiſſe, quẽ tu ſi ex cẽſu ſpectes t Eques Romanus eſt Si ex vita: Homo clariſſimus eſt: ſi ex te, iudicẽ ſumpſiſti: ſi ex veritate: id, quod ſcire potuit, & debuit, dixit. Nega, nega nunc Equiti Romano, homini honeſto. Iudici tuo credi oportere, circumſpicit, æſtuat negat nos Cluuij teſtimoniũ recitaturos. Recitabimus, erras: inani, & tenui ſpe te conſolaris Recita teſtimonium.*

Cuiuſque Oratio.

VIII. Eſt & aliud teſtimonium humanũ, quod Orationẽ vocant, à qua trahitur argumentum ſanè firmiſſimũ, nimirum à verbis cuiuſque; cùm nihil ſit aliud Oratio, quàm, vt Græci dicunt, ἔργον σκιά Inde Tull. in Clodiũ argumentatur pro Mil. n. 26. *Res erat minimè obſcura: etenim palàm dictitabat, conſulatũ Miloni eripi non poſſe vitam eſſe, Significauit hoc ſæpè in Senatu; dixit in concione Qui etiam Fannio fortiſſimo viro, quærenti ex eo.*

Digitized by Google

qua ſpe fueret Milone viuo, reſpondit, triduò illum, ad ſummum quatriduo periturum. In Piſo. item. n. 13. 14.

Neque verò ſemper omnibus teſtibus reſpondendum eſt: expedit enim aliquando ſuperſedere huic reſponſioni, vt ſi pateat indignos eſſe teſtes fide, aut reſponſione, vel ſi nō expediat teſtes ipſos lædere, vtpote magnæ authoritatis viros, & ipſi Oratori notos ac familiares. Sic tamen hac in re ſe gerere debet, vt nullum cauſa ſua detrimentum accipiat. Tull. pro Plancio ſe pro teſtibus non eſſe reſponſurum ait, quod nihil opus eſſe videatur, & ſatis per ſe Iudices de illorum teſtimoniis iudicare poſſint. n. 59. *Quibuſcum me pugnantem meo more priſtino non videbitis: non quod mihi fas ſit quidquam effugere, quod ſalus Plācij poſtulet: ſed quia neque, neceſſe eſt, me id perſequi voce, quod vos mente videatis; & quod ita de me meriti ſunt illi ipſi, quos ego teſtes video paratos, vt eorum reprehenſionem vos veſtra prudentia aſſumere, mea modeſtia retinere debeatis.*

Praxis confirmationis ab omni genere Teſtium peti poteſt ex Edmondi Campiani libello planè aureo, vbi conglobat omnia, quæ Catholicæ religionis veritatem aſtruunt. *Theatrum vniuerſitatis rerum ponamus ob oculos, quidquid eſt vſpiam, peragremus: omnia nobis argumentum ſuppeditant: Eamus in Cælum: Roſas & Lilia contemplemur: purpuratos nempe Martyrio, candidatos innocentia. Nunc è contrario ſi libet, inſpiciamus in Tartara, Cremantur incendio ſempiterno, qui? Iudæi. Quam Eccleſiam aduerſati? Noſtrā. Qui? Ethnici. Quam Eccleſiam crudeliſſimè perſequuti? noſtram. Qui? Turcæ, quæ Templa demoliti? noſtra. Qui? Hæretici, cuius Eccleſiæ perduelles? noſtra. Quæ enim Eccleſia præter noſtrum omnibus inferorum portis ſe oppoſuit? &c.*

* * *

PVNCTVM II.

Qua ratione ſint infirmandi teſtes.

A Teſtium moribus.

IMpugnanti teſtes vnus locus eſt, vt dicatur de toto genere Teſtium, quàm ſit id infirmum, & argumenta rerum eſſe propria, teſtimonia voluntatum. Inſignis eſt in hoc genere locus apud Tull. pro Flacco vbi vanitatem leuitatemq; Græcorum à teſtimonij religione alienam pluribus exagitat à n. 6. *At a teſtibus læditur. Antequam dico à quibus, quâ ſpe, qua vi, qua re concitatis, qua leuitate, qua egeſtate, qua perfidia, qua audacia præditis, dicam de genere vniuerſo, & conditione omnium noſtrum.*

Deinde n. 9 refutat hos teſtes Græcos, primum quidem in communi, auocata Oratione à propriis illius cauſæ teſtibus, ad omnes è Græcia teſtes.

At quos teſtes? primùm dicam id quod eſt commune, Græcos: non quod nati ſi huic ego vnus maximè fidē derogē. Verum tamen hoc dico de toto genere Græcorū: tribuo illis litteris, do multarum Artiū diſciplinam, non adimo ſermonis leporem, ingeniorū acumen, dicendi copiam: denique etiam ſi qua alia ſibi ſumunt, non repugno: Teſtimoniorum religionem & fidem nunquam iſta natio coluit; totiúſque huiuſce rei quæ ſit vis, quæ auctoritas, quod pondus, ignorant. Nunquam nobis ad rogatum reſpondent: ſemper accuſatori plus, quam ad rogatum, nunquam laborant, quemadmodum probent, quod dicunt, ſed quemadmodum ſe explicent dicendo: Græcus teſtis cum ea voluntate proceſſit, vt lædat: non iuſiurandi ſed lædendi verba meditatur; vinci, refelli, coargui putat eſſe turpiſſimū; ad id ſe parat: nihil aliud curat. Itaque non optimus quiſque, nec grauiſſimus, impudentiſſimus, loquaciſſimuſque deligitur.

Denique nominatim contra eos agit qui teſtimonium erant dicturi n. 23. *Quid tu iſtum roges, Læli, qui priuſquam, hoc te rogo dixeris plura etiam effundet, quàm tu ei domi ante præſcripſeris? quid ego autem defenſor rogem: nam aut Oratiō teſtium refelli ſolet, aut vita lædi.*

Bona pars Orationis pro Fonteio occupatur in eo

Digitized by Google

in eodem teſtium refutandorum genere, quibus omnem teſtimonij & inſinuandi religionem adimit, tùm in communi de vniuerſa gente tum ſingillatim de iis ipſis qui contra Fonteium venerant, diſputans quibus alios teſtes longè grauiores opponit, i Fonteio fauerent, à nu 13. *Quid eſt igitur, vbi elucere poſſit prudentia? vbi diſcerni ſtultus auditor, & credulus ab religioſo & ſapienti iudice? nimirum illud, in quo ea quæ dicuntur à teſtibus, coniectura, & cogitatione traduntur, quanta auctoritate, quanta animi æquitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto ſtudio exiſtimationis bonæ, quanta cura, quanto timore dicuntur. An verò vos id in teſtimoniis hominum barbarorum dubitabitis, quod perſæpè & noſtra, & patrum memoria ſapientiſſimi iudices de clariſſimis noſtræ ciuitatis viris dubitandum non putauerunt? qui Cn. & Q. Cæpionibus, L. & Q. Metellis teſtibus in Qu. Pompeium hominem nouum non crediderunt, quorum virtuti, generi, rebus geſtis, fidem & auctoritatem in teſtimonio cupiditatis, atque inimicitiarum ſuſpicio derogauit. Ecquem hominem vidimus, ecquẽ verè commemorare poſſumus parem conſilio, grauitate, conſtantia, cæteris virtutibus, honoris, ingenij, rerũ geſtarum ornamentis, M. Æmilio Scauro fuiſſe? tamen huius, cuius iniurati nutu prope terrarum orbis regebatur, iurati teſtimonio neque in C. Fimbriam, neque in C. Memmium creditum eſt. Noluerunt ij, qui iudicabant hanc patere inimicitiis viam, quem quiſq. odiſſet, vt cum teſtimonio poſſet tollere. Quãtus in L. Craſſo pudor fuerit, quod ingenium, quanta authoritas quis ignorat? tamen is, cuius etiam ſermo teſtimonij authoritatem habebant, teſtimonio ipſo quæ in M. Marcellum inimico animo dixit, probare non potuit. Fuit illis iudicibus diuinum ac ſingulare conſilium, qui ſe non ſolum de reo, ſed etiam de accuſatore de teſte iudicare arbitrabantur, quid fictum, quid fortuna, ac tempore allatum, quid pretio corruptum, quid ſpe aut metu deprauatũ, quid à cupiditate aliqua, aut inimicitiis profectum videretur. An vero illi Equites Romani quos nos vidimus, qui nuper in Rep. iudiciiſque maximis floruerunt, habuerunt tantum animi, tantum roboris, vt M. Scauro teſti non crederent: vos Belgarum, atque Allobrogum teſtimoniis non credere timetis?*

Teſtis in cauſa ſua.

II. Si teſtes in partẽ periculi venire doceamus, in quod adductus eſt ille, pro quo teſtantur: Sic enim teſtes eſſe non poſſunt in cauſa ſua. Quod egregiè pro more ſuo tractat Cic. in Orat. pro Roſ. Amer. num. 102 *Aliter ſi Diis Immort. placet, teſtimonium etiam in Roſ. dicturus eſt. Quaſi verò id nunc agatur, vtrum id quod dixerit credendũ, an quid fecerit, vindicandum ſit. Itaque more maiorum comparatum eſt, vt in minimis rebus homines ampliſſimi teſtimonium de ſua re nõ dicerent. Africanus qui ſuo cognomine declarat tertiam partem orbis terrarum ſe ſubegiſſe, tamen ſi ſua res ageretur teſtimonium non diceret. Nam illud in talem virum non audeo dicere, ſi diceret non crederetur. Videte nunc quàm verſa, & mutata in peiorẽ partẽ ſit omnia. Cùm de bonis, & de cæde agatur, teſtimoniũ dicturi eſtis, qui & ſector eſt, & ſicarius. hoc eſt qui illorum ipſorũ bonorũ de quibus agitur, emptor, atque poſſeſſor eſt: & eum hominem occidendum curauit, de cuius morte queritur.*

Teſtis Domeſticus.

III. Si probaueris teſtẽ eſſe domeſticũ, ridiculus eſt enim ait Cic. qui in lite, aut in iudicio, domeſtico teſte pugnat, & ſui ipſius teſtimonio abutitur. Atque vt benè monuit Paulus Iuriſc. non debent interrogari teſtes, quos accuſator de domo produxerit Cic. pro Flacco, n. 22. ſeuerè, ac liberè reprehẽdit. *Hoc verò quid eſt? vna ſedẽt, ex accuſatoris ſubſelliis ſurgunt, non diſſimulãt, non verẽtur de ſubſelliis queror? vna ex domo prodeunt. Si verbo titubauerint, quò reuertãtur, nõ habebunt. An quiſquã eſſe teſtis poteſt, quem accuſator ſine cura interroget: nec metuat ne ſibi aliquid quod ipſe nolit, reſpondeat? Vbi eſt igitur illa laus Oratoris, quæ vel in accuſatore antea, vel in patrono ſpectari ſolebat: callidè acceſſit; reprehendit: quo noluit adduxit: cõiicit, & elinguem reddidit. Summa eſt in teſtibus. Hi viuunt cum inimicis; adſunt cum aduerſariis, habitant cum accuſatoribus.*

Seruus & Amicus.

IV. Pendet à ſuperiore, illud tamen auget, ſi nempe non domeſticum tantum teſtem eſſe, ſed aut ſeruum, aut amicum, aut familiarem, vel affinem, & propinquum oſtenderis. Nam vt Iulianus ſcripſit, non videntur idonei teſtes, quibus imperari poteſt, vt teſtes fiant. Et Calliſtratus cum primis in perſona teſtis obſeruãdã parat, ne amicus ei ſit, pro quo teſtimonium dicit. Etenim de

his

ſunt ea videtur veritas ipſa dicere: & quæ à perturbationibus animi fiunt dolore, cupiditate, iracundia metu, quia neceſſitatis vim habent, afferunt auctoritatem & fidem.

Scitè Liuius in hanc rem lib. 10. *Vrgente conſcientia ſcelerati hominis conſpectum tortoris, verberumq; non ſuſtinent duritiem*, Et alia eiuſmodi quæ fidem corrogant confeſſioni per quæſtionem extorræ.

II. Si quis tormentis coactus quippiam fateri, poſt quæſtionem in veritate manſerit, & in confeſſione perſeuerarit, creditur illud firmiſſimum, cætoroquin vt plurimum inualidum: vndè poſt quæſtionem interrogatur num ſibi conſtet in rebus dictis. Sic olim Alexander, vel in hoc verè Magnus, Philotam licet in Equuleo confeſſum crimen, non ante damnari voluit, quàm denuò, & interuallo rogatus, & quæ faſſus eſſet in tormentis agnouiſſet.

III. Si nulla vi tormentorum adduci potuit innocens, vt contra veritatem crimen impoſitum fateretur: triumphat in dicendo patronus, ac defenſor. Ita Minut. Felix in Octauio, cùm à conſtantia Martyrum inter cruciatus fidei Catholicæ veritatem aſtruit. *Quàm pulchrum Deo ſpectaculum, quando Chriſtianus cum dolore congreditur; cùm aduerſus minas, & ſupplicia componitur cùm ſtrepitum mortis, & terrorem carnificis irridet inſultat: cùm libertatem ſuam inter Reges, & Principes erigit ſoli Deo, cuius eſt, cedit; cum triumphator, & victor ipſi ſecundum ſe ſenteneiam dixit, inſultat, fecit enim quidquid obtinuit.* Eundem triũphum erigit mulieri ſepties ictæ D.Hieron.

IV. Confirmatur quæſtio, ſi oſtendantur rectè facta in eos, qui vim tormentorum pertulerunt conſtanter, moriquè maluerunt quàm mentiri: ex cuius falſi criminis confeſſione turpem, & acerbam mortem expectare poterant, ac debebant.

Pvnctvm III.

Quibus quæſtio poſſit infirmari

AD infirmandam quæſtionem longè plura poſſunt afferri 1. quod fragilis ſit, & fallax, quæ tormentis exprimitur, Confeſſio. Vt enim infirmitas cogit quoſdam vera fateri, ſic & falſa docet comminiſci. Atque vt ait Author Heren. lib. 2 *Qui in equuleo eſt poſitus, ſcire aut ſuſpicari facilè poteſt, quid audire quæſitor velit quod cùm dixerit, intelligat ſibi doloris finem futurum.*

Nec peritè minus in partic. n. 50. *Sæpè, etiam quæſtionibus reſiſtendum eſt, quòd & dolorem fugientes multi in tormentis ementiti perſæpè ſunt, moriq; maluerunt falſum docendo, quàm verum inficiando, dolere. Multi etiam ſuam vitam neglexerunt, vt eos, qui his cariores, quàm ipſi ſibi eſſent, liberarent. Alij autem à natura corporis, aut conſuetudine dolendi, aut metu ſupplicij, aut mortis, vim tormentorum pertulerunt. Alij ementiti ſunt in eos, quos oderant.*

Dotoris impatientia victus adoleſcens apud D.Hieron. in muliere ſepties icta, quod non admiſerat adulterij crimen affictum, confeſſus eſt, tormentiſque ſuccubuit innocens.

Sed haud ſcio, an alicubi melius quàm pro Sylla Cic. de toto genere quæſtionũ diſputarit, vbi quæſtiones eleuat è loco communi, & ei vitam Syllæ opponit. n. 78. *Quæſtiones nobis ſeruorum, ac tormenta accuſator minitatur: inquibus quanquam nihil periculi ſuſpicamur; tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cuiuſq; tum animi, tum corporis, regit quæſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, vt in tot rerum anguſtijs nihil veritati loci relinquatur. Vita P. Sylla torqueatur: ex ea quæratur, num quæ occultetur libido, num quod lateat facinus, num quæ crudelitas, num quæ audacia. Nihil erroris erit in cauſa, nec obſcuritatis, ſi à vobis Iu. vita perpetua vox, ea, quæ grauiſſima debet eſſe, audietur.*

Hanc ob cauſam Vlpian. quæſtionem vocat rem fragilem, & periculoſam, & quæ veritatem fallat, quod ſcilicet an vi doloris adactus verum dixerit, vel mendacio ſe à cruciatu liberare voluerit, anceps coniectura ſit. Cuius dubij cauſam reddit, Curtius in Alex. lib. 6. *Quoniam & vera confeſſis, & falſa dicentibus, idem doloris finis oſtenditur.*

In reliquis videndæ erunt circumſtantiæ ſingularum quæſtionum, vt alia ex ipſis ducantur argumenta. Maximè vero erit opportunum inſtituere totius quæſtionis narrationem ali-

quàm, vt quid in ea contra ius factum ſit appareat; quod facit Tull.

Vbi quæſtionis fides infirmatur, quod Appius, & apud ſe ſeruos habuiſſet, & ab accuſatore producerentur, & ipſemet quæſtionem haberet de ſeruis, qui in eius gratiam facilè mentiri poſſunt n.60. *Sed quæſtiones vrgent Milonem, quæ ſunt habitæ nunc in atrio libertatis. Quibuſdam de ſeruis? rogas? de P. Clodij. Quis eos poſtulauit? Appius. Quis produxit? Appius. Vndè? Ab Appio. Dij boni! quid poteſt agi ſeuerius? de ſeruis nulla quæſtio eſt in Dominum, niſi de inceſtu, vt fuit in Clodium. In reum de ſeruis accuſatoris cùm quæritur, verum inueniri poteſt? Age vero, quæ erat, aut qualis quæſtio? heus tu Roſcio, vbi Caſca: Clodius inſidias fecit Miloni? fecit. Certa Crux. Nullas fecit. Sperata libertas. Quid hac quæſtione certius? ſubitò arrepti in quæſtionem, tamen ſeparantur à cæteris, & in arcas conijciuntur, ne quis cum ijs colloqui poſſit. Hi centum dies penes accuſatorem cùm fuiſſent ab eo ipſo accuſatore producti ſunt. Quid hac quæſtione dici poteſt integrius? quid incorruptius?*

Non eſt omittendum aliud Cic. documentum partic. n. 51. alter locus impugnandarum quæſtionum eſt, ſi ea quæ dicta ſunt, aut ambiguè, aut inconſtanter, aut incredibiliter dicta ſunt, aut etiam aliter ab alio dicta ſubtiliter reprehenduntur.

Aliàs Orator poſcit quæſtionem, quæ ab aduerſario negatur: tunc enim illa negatio, ad criminis ſuſpicionem detorqueri poteſt. Id obſeruat Cic. pro Roſc Amer. n. 119. *Dixi iam antea ſæpenumerò poſtulatos eſſe ab iſtis duos ſeruos in quæſtionem, tu ſemper T. Roſci recuſaſti. Quæro abs te iine, qui poſtulabant, indigni erant, qui impetrarent? an iſte non commouebat, pro quo poſtulabant? an res ipſa tibi iniqua videbatur. Poſtulabant homines nobiliſſimi, atque integerrimi noſtræ ciuitatis. Res porrò abs te eiuſmodi poſtulabatur, vt nihil intereſſet, vtrum eam rem recuſares, an de maleficio confiterere. Quæ cùm ita ſint quæro abs te, quam ob cauſam recuſaris, cùm occiditur Sex. Roſcius, ibidem fuerunt. Seruos ipſos, quod ad me attinet, neque arguo, neque purgo. Quod à vobis hoc pugnari video, ne in quæſtionem dentur, ſuſpicioſum eſt, quod vero apud vos ipſos in honore tanto ſunt, profectò neceſſe eſt, ſciant aliquid, quod ſi dixerunt, pernicioſum vobis futurum ſit, &c.*

Eundem locum tractat in contrariam partem pro Mil nam poſtquam illius innocentiam comprobauit, ſoluit obiectionem de ſeruis; criminabantur Milonem, quòd illos, quaſi ſibi conſcius eſſet, libertate donaſſet, ne quæſtioni ſubderentur, & rem, vt geſta fuerat, indicarent, contrarium infert, eum potius criminandum, quòd iis non ſatis ampla præmia contuliſſet num. 58. *Cur igitur eos manumiſit? metuebat ſcilicet indicarent, ne dolorem perferre non poſſent, ne tormentis cogerentur occiſum eſſe à ſeruis Miloni in Appia via P. Clodium confiteri. Quid opus eſt tortore? quid quæris? occideritne? occidit, Iure, an iniuria? nihil ad tortorem. Facti enim in equuleo quæſtio eſt, id agamus: hoc quod tormentis inuenire vis, id fatemur. Manu verò cur miſerit, ſi id potius quæris, quàm cur parum amplis affecerit præmijs: neſcis inimici factum reprehendere.*

Supereſt denique vt ſecundum Ariſtotelem exempla proferantur, vel ex antiquis reperita, vel ex recentioribus; multa referr Val. Max. lib. 8. cap. 4. quibus aut creditum non eſt, aut temerè habita fides eſt.

LECTIO VIII.

De Iureiurando.

INter probationes artis expertes ponitur iusiurandum; quanta verò debeat eſſe iuſiurandi fides, ac religio, quàm ſanctè, pieque ſeruari debeat, vel hoſti, breuiter ſed benè, & multa paucis Cic. de Fide & Conſtantia Reguli loquutus. 3. Offic. num. 111. *Nullum vinculum ad aſtringendam fidem, iureiurando maiores arctius eſſe voluerunt. Id indicant ſacra, indicant leges in 12. tab. indicant ſacra, indicant fœdera quibus etiam cum hoſte deuincitur fides: indicant nationes, animaduerſioneſq; Cenſorum, qui nulla de re diligentius, quàm de iureiurando indicabant.*

* *
*

Pvn

PVNCTVM I.

Definitio.

EST affirmatio vel negatio rei ſacræ contrectatione confirmata. Ciceroni verò 3. de off nu. 104. eſt iuſiurandum affirmatio religioſa. Quod autem affirmatè: quaſi Deo teſte, promiſeris, id tenendum eſt. Ariſtoteli 1. cap. vlt. *Dictio cum diuina veneratione probationis expers.*

Teſtimonium porrò iureiurando firmatum longè validius eſt reliquis; quippe tàm antiqua eſt apud omnes iuſiurandi Religio, vt ad dirimendas quaſlibet controuerſias olim interponeretur apud Romanos, maximè regnante Numa: Hic enim tanto religionis cultu omnium pectora impleuerat, vt fides, ac iuſiurandum propulſo legum, ac pœnarum metu, ciuitatem regeret: atque ne tandem in contemptum veniret iuſiurandum formulas interpoſuerunt, tres penè maiores, quæ vel ſua inſolentiâ, vel atrocitate metum, ac formidinem incuterent. Nam ex Pauſania in Heliacis, Græci Iouis effigiem habebant, qui ὅρκιος dicebatur tanquam iuriſiurandi vindicem; ante cuius pedes erat tabula, in eaque inciſi elegi verſus atroces ad horrorem peierantium compoſiti.

Plut. in vita Dionyſij Syracuſani ad majorem religionem iurantibus injiciendam, narrat iuſſos fuiſſe templum Veneris, & Proſerpinæ, iurantes ingredi, ſacriſque quibuſdam factis. Veſtem Deæ purpuream induere, & ſic ſumptá ardenti tæda iurare.

Apud Arianum ὅρκος Bitiniæ flumen eſt, in quo periuros probare conſueuerant, eos enim ſuis vorticibus inuoluere, ac mergere credebatur.

Denique Romani diras imprecationes iurandi formulis inſerebant. SI SCIENS FALLO, ITA ME DIESPITER SALVA VRBE HAC ARCEQVE, ET BONIS, ME DEICIAT, VT EGO HVNC LAPIDEM IACIO. Quæ ideo ad terrorem adhibebantur omnia, quòd, vt ait Symmachus l. ep. 54. *Omnia quidem Deo plena ſunt, nec perfidis tectus eſt locus, ſed plurimum ad metum valet delinquentis præſentia religionis.* Quę fundaměti ſunt inſtar, ad aliquid è iure iurando ſumptum confirmandum, quibus accedere debent locijam toties deſignati, à moribus perſonæ iurantis; nunquam enim religioſus fruſtegâ iurabit, malus verò contra, vel non rogatus. Quales igitur erunt mores, tale iuſiurandum neceſſario futurum eſt exiſtimandum.

PANCTVM II.

Diuiſio.

EX mente Ariſtotelis huius loci quadripartita eſt diuiſio: Nam eorum qui litigant, vel vterque, vel neuter iurat, vel reus tantùm, aut accuſator ad arbitrium accuſantis, aut aduerſario iuſiurandum permittentis, aut denegantis. Hæc obſeruanda ſunt.

I. Qui iuſiurandum aduerſario permittere renuit, dicet mores eius, ac vitam probè ſibi notam, qui nimirum eo ſit ingenio præditus, vt non dubitet peierare, quò non teneatur ea reddere, quæ debet. Quod euincet, ſi doceat illum aliquando peieraſſe, vel falſum dixiſſe, aut aliquid flagitioſè deliquiſſe; veriſimile namque eſt eum qui in aliqua re ſit improbus, etiam in aliis ſceleratum futurum; ex Cic. pro Rabir. Poſth. num. 36. *Vbi ſemel quis peierauerit, ei credi poſtea, etiamſi per plures deos iuret, non oportet.* Quod idem repetit pluribus orat. pro Roſc. Com. num. 46. *Qui mentiri ſolet, peierare conſueuit. Quem ego vt mentiatur inducere poſſum, vt peieret, exorare facile potero. Nam qui ſemel à veritate deflexit, hic non maiore religione ad periurium, quàm ad mendacium perduci conſueuit. Quis enim deprecatione Deorum, non conſcientia fide commouetur? propterea quæ pœna ab Diis immortalibus periuro, hæc eadem mendaci conſtituta eſt. Non enim ex pactione verborum, quibus iuſiurandum comprehenditur, ſed ex perfidia, & malitia, per quam inſidiæ tenduntur alicui Dij immortales hominibus iraſci, & ſuccenſere conſueuerunt.*

Deinde ſuæ ſe cauſæ confidere dicet Orator, quæ tam ſit aperta, vt eam in dubium vocare nihil ſit neceſſe: quippe non dubitat quin

quin iudices etiam contra non iuratos aduerſarios ſententiam dicturi ſint, propterea nolle ſe iuſiurandum aduerſariis deferre.

Poſtremò comparationem inſtituet, dicetque ſe malle iudicum religionem ſequi, quos ſciat iuratos ſententiam laturos, quàm aduerſariorum, quibus fidem nullam habeat, vt pote cupidis,& auaris, Iudicibus autem integerrimis omnem.

II. Qui iuſiurandum oblatum non admittit, docet pecuniâ ſacramentum extorqueri poſſe ac propterea nolle ſe iurare, ne pecuniâ corruptus eſſe videatur. Deinde hoc ſignum eſſe probitatis ſuæ, quòd improbi iuſiurandum nunquam detrectent. Tùm non æquam eſſe prouocationem hominis impij, aduerſus pium; quia is valde timidè accedit ad iuſiurandum, veteturque ne temeritate ſua Deum offendat: Impius verò rerum diuinarum humanarumque contemptor audacter iurare ſolet: atque in hac prouocatione idem eſt, ac ſi quis robuſtus, & valens infirmum prouocet ad certamen; ita prorſus ſe reus habet ſi innocens,& fretus cauſæ bonitate pronum ad iuſiurandum admittat, & illum nocentem cauſæque infirmitate iam cadentem.

III. Qui iuſiurandum oblatum ab aduerſario recipit, ſe tuetur; quòd fretus conſcientiâ, & probitate ſunt pluribus nota, iurare ſit paratus, quodque ipſe ſibi credat, tùm propter rei veritatem, tùm ob ſpectatos mores ſuos ab omni fraude abhorrentes, minimè verò aduerſario, cuius improbitatem ipſe alijque omnes probatiſſimam habent, quæ tamen ratio eò valentior erit, quò melior, ac religioſior actu exiſtimabitur: nam ſi malus apertè videbitur Iudicibus, toti foro riſum de ſe propinabit. Deindè quod iuramentum fidenter admittat, quia ipſi quoque Iudices iurati de legibus iudicaturi ſunt, & pro cauſa ſua ſententiam laturi.

IV. Si quis iuſiurandum defert alteri his vtetur rationibus. Prima quod rem totam ſuperis committat, vltoribus fandi atque nefandi.

V. Si rem totam aduerſarij voluntati relinquat, vt non expectatâ Iudicum ſententiâ litem dirimat.

VI. Quod indignum ſit recuſare iuſiurandum aduerſario ſupet ea re, de qua rogat Iudices iuratos ſententiam dicere.

Cæterùm nihil potentius hac in re argumento à moribus deſumpto, vt quis aut iuſiurandum admittat, aut recuſet, permittat aut neget, vbique periculum. Nam vt benè Vlpian. nonnulli faciles ſunt ad iurandum, contemptu religionis; alij perquam timidi vſque ad ſuperſtitionem. Et ſicut de Quæſitore dicit Fabius lib. Inſt 5. cap.4. mentietur qui tormenta ferre poteſt, mentietur etiam qui non poteſt; quia aliis patientia facilè mendacium facit; alijs infirmitas neceſſarium. Ita in iure-iurando quidam timore mentiuntur, alij minis, alij neglectu religionis, quod vltimum adeò nunc ſerpit in deprauatos hominum mores, vel de illis dicat Iuuenalis Satyra 10.

Sunt qui fortunæ iam caſibus omnia ponunt,
Et nullo credunt crimen rectore moueri,
Atque adeò intrepidi quæcunque adtalia tangunt.

Alij ſua periuria per ſummam impudentiam, ac impietatem tuentur, ſe lingua tantum, non mente iuraſſe dictitantes, atque in ore impium illud Cic. habentes Off. 3 num. 108. *Non enim falſum iurare peierare eſt, ſed quod ex animi tui ſententia iurauerit, ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere periurium eſt.*

LECTIO. IX.

de præiudicijs.

QVoniam maxima pars contentionum forenſium conſiſtit in probationibus arte carentibus; ait Fabius lib. 5. cap 1. Hanc vt vnam ex præcipuis, de præiudiciis omittere non debuimus.

PVNCTVM IX.

Definitio.

PRæiudicia ſunt anteriora quædam iudicia, quæ ad præſentis rei iudicium, aut cauſæ definitionem momenti aliquid adferre poſſunt:

Digitized by Google

liberent, quòd exiſtimaſſe videtur Cic. qui pro Ligario tale mendacium vocat honeſtū,& miſericors.n. 16. *Quod ſi Caſari probare poſſemus, in Africa Ligariū omninò non fuiſſe:ſi honeſto, & miſericordi mendacio,ſaluti ciuis calamitoſi cōſultum eſſe vellemus:tamen hominis non eſſet,in tāto diſcrimine,& periculo ciuis,refellere,& coarguere noſtrū mendacium, & ſi eſſet alicuius, eius certè non eſſet, qui in eadem cauſa, & fortuna fuiſſet.*

Inſignem huius loci formam habes pro Mur. quâ grauiſſimum licet apud Romanos Catonis teſtimonium, tantumque vt vulgò de incredibilibus dicerent, ne ſi Cato quidem author ſit, id eſſe probabile, & cui teſti, ne Catoni quidem ſtādum eſſ., id inquam eleuat Cic. ſimulque docet contra huiuſmodi teſtes, deprecandos eſſe iudices,vt nulla dignitatis teſtium habita ratione,tantum quid dicant,intueantur,n. 58. *In quo ego accuſatore,Iudices,primùm illud deprecabor,ne quid L. Murana dignitas illius, ne quid exſpectatio Tribunatus,ne quid totius vita ſplendor,& grauitas noceat: denique ea ſoli huic obſint bona M Catonis, qua ille adeptus eſt, vt multis prodeſſe poſſet.*

Teſtis Abſens.

IX. Vſui eſſe poteſt cùm teſtimonia de ſcripto prolata refutanda ſunt, quod, vt ait Calliſtratus, Adrianus ſemper reſponderit, non teſtimoniis,ſed teſtibus credi oportere Tacit.ſeu Fabius Dial de Orat. *Teſtimonia in publicis non abſentes,nec per tabellam dare ,ſed coram, praſentes dicere cogebantur.*

Refutationis huius ideam habet Cic.pro Flacco,n 90. *At Falcidianum crimen eſt ingens. Talenta quinquaginta ſe Flacco dicit dediſſe. Audiamus hominem,non adeſt. Quomodo igitur dicit? Epiſtolam mater eius profert, & altera ſoror: Scriptum ad ſe dicunt eſſe ab illo,tantā pecuniam Flacco datam. Ergo is qui ſi aram tenens iuraret, credere nemo,per epiſtolam,quod volet,iniuratus probabit?atqui vnquàm non amicus ſuis ciuibus? qui patrimonium ſatis lautum,quod hic nobiſcum conficere potuit,Gra corum conuiuis maluit diſſipare.Sed tamen quis tibi, Lali, de epiſtolis iſtis indicauit? mulieres negant ſe ſcire. Quis?is ipſe:igitur ille tibi ſed ad matrem, & ſororem ſcripſiſſe narrauit? an etiam ſcripſit rogatu tuo? his tu igitur epiſtolis, Deciane, recitatis, his mulierculis productis, illo abſente auctore laudato;tantum te crimen probaturum putaſti.Praſertim cum ipſo nō deducendo Falcidium, iudicium feceris plus falſam epiſtolam habituram ponderis, quàm ipſius praſentis fictam vocem, & ſimulatum dolorem?*

Adde quod plurimùm facit in eo ſubtilis diligentia, ſi cognoſcatur quâ confidentia dicat, aut trepidatione, quàm conſtanti fronte, & immurato vultu,qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, teſtimonium ferat, quod in abſente fieri non poteſt.

Denique fidem negamus iis teſtibus in quos iſta cadunt,ira, vel odium, vlciſcendi ſtudium, dolor iniuriæ, honoris & gloriæ, pecuniæ vel imperij cupiditas, periculi timor, æs alienum, anguſtia rei familiaris,audacia præceps, leuitas, crudelitas,impotentia,ſtultitia, ebrietas, amor, animi mentiſque perturbatio, ſpes efficiendi quidpiam, & aliæ perturbationes, quibus in ſuſpicionem veniunt teſtis, aut accuſatori, vel reo velle gratificari. Eam ob rem plus ſignis, & argumentis credi oportere docet Orator, quàm teſtibus, quos corrumpi poſſe, vel pretio, vel gratiâ, vel metu, aut ſimultate monet ac præcipit, Orat. pro Cœl. num. 22. *Equidem vos abducam à teſtibus:neque huius iudicij veritatem, qua mutari nullo modo poteſt, in voluntate teſtium collocari ſinam, qua facillimè effingi nullo negotio flecti, ac detorqueri poteſt argumentis agimus: ſignis omni luce clarioribus crimina refellemus; res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione pugnabit.*

LECTIO VI.

De Pactis, Tabulis & Signis.

LIcet hæc potius ad Fori contentiones,& Iuris ſcientiam, quàm ad vſum Eloquentiæ pertineant, quia tamen ab Oratore nonnunquam tractantur in cauſis, ne videamur aliquid omiſiſſe, paucis rem totam attingimus.

PVNCTVM II.

De Pactis & conuentis.

DEfinitur à Cic. 2. de Inu. num. 68. id quod inter aliquos conuenit. Ab Vlpiano duorum conſenſus, atque conuentio, ex quibus pater huc pertinere quæcunque homines ſibi mutuò permiſerunt. Quorum tantum momentum eſt, vt Ciceroni 1. de Off. n. 23. Fundamentum iuſtitiæ ſit dictorum conuentorumque conſtantia, & veritas. Adde quod nihil inter homines ſanctius eſſe debere videatur, quàm ius, cùm in eo tota fides humana verſetur, alioquin interitura, ſi tantum ſignis, & tabulis credat, quam in rem egregiè Philoſ. Seneca, 3. de Benef. cap. 15. *Vtinam quidem perſuadere poſſemus, vt pecunias creditas tantum à volentibus acciperent! Vtinam nulla ſtipulatio emptorem venditori obligaret! nec pacta conuentus que impreſſis ſignis cuſtodirentur! fides potius illa ſeruaret, & æquum colens animus; ſed neceſſaria optimis prætulerunt, & cogere fidem, quàm ſpectare malunt. Adhibentur ab vtraque parte teſtes: ille per tabulas, plurium nomina interpoſitis parariis. Facit: Ille non eſt interrogatione contentus, niſi rem manu ſua tenuit, ô turpem humano generi fraudis, ac iuſtitiæ publicæ confeſſionem! annulis noſtris plus quàm animis creditur.*

Ariſtoteles magnus Author Eloquentiæ vlt. Rhet. cap. 1. in pactis tractandis catenus verſatur, vt vel ea exaggeret, vel deprimat, fidem eis conciliet, vel detrahat, prout à ſe, vel ab aduerſario faciunt, ſiquidem planè eadem ratio eſt quæ in teſtibus: quales enim fuerint illi, inter quos interceſſerunt illa pacta, talia eſſe credentur. Atque ità inſpiciendi erunt mores, & fides eorum, qui pactum fecerunt: ab iiſque ſumetur argumentum, vt dicamus ſanctiſſimum eſſe illud, optimumque fœdus & pactum, quod ab integerrimis ſancitum eſt.

Præterea multum iuuabit imprimere pacti vim, rem ipſam pacto contentam, & eius finem, totamque rationem, quà pactum tranſactum eſt: iure enim magna argumentorum vbertas erit in vtramque partem: nimirum ſi pactum tranſactum eſt ex inaugurato, nec ſeruatis ritibus, qui ex cuiuslibet nationis moribus, & inſtitutis ſunt colligendi: ſi neque loco, neque die debito, de re humano generi pernicioſa, aut Reip. vt priuatis hominibus; quale illud inter coniuratos Catilinæ de vrbe euertenda; ſi non tàm ad publicam, quàm ad priuatam quorundam vtilitatem factum; & ſic de cæteris, quæ in vtrumque partem non parum Oratori conferunt.

Deinde obſeruandum erit, vtrum pacta conueniant legibus; omnino ipſa lex pactum quoddam eſt atque conuentio; vt qui fidem fallit, pactioneſque ſubuertit, is leges ipſas tollere cenſeatur. Pactis etiam continentur multa negotia, quæ qui facit irrita, eâdem opera commercium inter homines, ac vſum diſſoluit.

Ad idem etiam videndum eſt an pactum alicui pacto, aut iuri-ſcripto, vel naturali opponatur, quæ multis illuſtrat Cic. 3. Off. num. 92. Vbi fusè docet quænam pacta ſeruanda ſint, quæ non, num. 94. *Ac ne illa quidem promiſſa ſeruanda ſunt, quæ non iis ipſis vtilia, quibus illa promiſeris. Sol Phaëtonti filio facturum ſe eſſe dixit quidquid optaſſet: optauit vt in currum patris tolleretur, ſublatus eſt inſanus. Atque quà conſtitit, ictu fulminis deflagrauit. Quanto melius fuerat, in hoc, promiſſum patris non eſſe ſeruatum?*

PVNCTVM II.

De Tabulis.

TAbulæ ſunt teſtimonia quæ ex ſcripto proferuntur, quibus Pacta, Conuenta, Contractus & Codicilli, Stipulationes aut teſtamenta, vel quiduis eiuſdem generis continetur; eſt autem oratoris illarum authoritatem amplificare pluribus, aut eleuare, ratas eſſe, vel irritas probare, quibus fidem addere conabitur, ſi pro ſe facere intellexerit. Sin contra pro aduerſario, multis rationibus eis fidem adimet, Ex hoc loco Tull. commendat Tabulas, quibus Archias Poëta profeſſus fuerat numero 8. *At non eſt profeſſus; quæ ſola ex illa profeſſione col-*

Digitized by Google

legioq; Pratorum obtinent publicarum tabularum, auctoritatem.

Iam in vtramque partem quomodo Tabulæ vel confirmari poſſunt, vel infirmari præcepta ſunt iſta.

I. Antiquitas illis multum affert auctoritatis, vt contra nouitas detrahit. Tert.l.2. Scripturas ſacras omnibus profanis,ab antiquitate, ſic ante ponit,cap.19.l 2.Apolog. *Primum inſtrumentis ipſis auctoritatem ſumma antiquitas vendicat, apud vos quoque religioois eſt inſtar, fidem de temporibus aſſerere.Omnesitaque ſubſtãtias,omneſq;ſtyli veſtri gentes etiam pleraſque, & vrbes inſignes hiſtoriarum cauſas, & memoriarum ipſa denique effigies literarum indices,cuſtoſque rerum, ipſos inquam Deos veſtros,ipſa templa,& oracula,& ſacra vnius interim Propheta ſcrinium ſaculis vincit, in quo videtur theſaurus collocatus Iudaici ſacramenti,& inde etiam noſtri:* quibus agit de Prophetarum antiquitate.

II. Plurium Tabularum conſenſus ad faciendam fidem multum iuuat; contra verò diſcrepantia minuit auctoritatem.Hoc argumento Chriſtianam veritatem Philoſophiæ præfert Lactantius Orator cùm probat Apoſtolos nihil fictum ſcripſiſſe Inſt. 5. cap. 3. *Abſuit ab illis fingendi voluptas,& aſtutia, quoniam rudes fuerunt: at quis poſſit indoctus apta inter ſe, & coharentia affingere,cum Philoſophorum doctiſſimi Plato, & Ariſtoteles,Epicurus,& Zeno ipſi ſibi repugnantia & contraria dixerint. Hac eſt enim mendaciorum natura,vt coharere non poſſint. Illorum autem traditio non vera eſt.*

III. Si integræ, ſi nec corruptæ,nec ſuppoſitæ ſint;contrarium fidem omnem tabulis abrogat, Tull. in Orat. pro Cluent. Verris Prætoris tabulas,propter quaſdam lituras, corruptas eſſe contendit,num. 92. *Quod C. Verres Prator Vrbanus,homo ſanctus,& diligens, ſubſortitionem eius in eo codi ce haberet, qui tum interlitus proferebatur,*

IV. Si tabulæ fiant à probis,& integræ famæ hominibus, alioquin ab improbis, ac dementibus compoſitæ reiiciuntur. Sic apud Romanos prohibitũ erat legibus, ne furioſi Teſtamentum ſcriberent,atqui improbitas quanta ſtultitia eſt? Contra quod poſſet exemplum proferri cuiuſdam Tuditani, de quo Val. Max. qui cùm notæ eſſet infami,vt pote qui nummos de noſtris populo ſparſiſſet, & vt verbis Tull. vtar è Phil.3. velut tragicam veſtem in foro trahens,cum maximo omnium riſu, in foro conſpectus fuiſſet, multaque furoris indicia reliquiſſet, tamen Teſtamentum fecit.

Denique tales habentur Tabulæ, quales ij ſunt, qui eas vel confecerint, vel aſſeruarint, Hinc docet Cic. pro Archia Poët. cuſtodes etiam propter tabulas infamari ſolere. Num. 8. *Nam cum Appij Tabula negligentius aſſeruata dicerentur Gabinij, quamdiu incolumis fuit,leuitas poſt damnationem, calamitas omnem tabularum fidem reſignaſſet: Metellus homo ſanctiſſimus, modeſtiſſimuſque omnium, tanta diligentia fuit, vt ad L. Lentulum Pratorem, & ad Iudices venerit,& vnius nominis litura ſe commotum eſſe dixerit.*

Non omittendum quod plurimi putat Ariſt. Tabulas ab authoribus ſuis fidem, aut fraudem trahere,quare ad illarum confirmationem valebit æquitas,& experientatia; adconfutationem improbitas & ignorantia.

PVNCTVM III.

De Signis.

QVoniam per ſigna Chyrographum vel ſubſcriptiones, & ſigilla tabulis impreſſa intelligere poſſumus, teſtimonij loco ſunt, & tabularum, proindè eodem quæ ſuperiora modo tractari debent, & ex iiſdem argumenta deſumi in vtramque partem. Cic. Lentulum ſic vrget, dum oſtendit illi coniurationis teſtes litteras cum ſigillo Catil. 3. num. 10. *Introductus Statilius, cognouit manum, & ſignum ſuum: recitata ſunt tabulæ in eandem ferè ſententiam. Tum oſtendi tabulas Lentulo, & quaſiui cognoſceretne ſignum. Annuit. Eſt verò inquam, ſignum quidem notum imago aui tui, clariſſimi viri,qui amauit vnicè patriam, & ciues ſuos, quæ quidem te à tanto ſcelere etiam muta reuocare debuit.*

Aliquando iubet Orator reos ſua ſigna

Digitized by Google

ſunt:ſuperioribus enim iudiciis debet poſteriora confirmari,ſi rectè inſtituta ſunt, ac perfectè iudicata.Etenim quod iam proborum hominum ſententia confirmatum eſt,id omninò iis vtile eſt,qui eadem re litigant.Hoc Tull.oſtendit pro Arch.Poëta,eumque in ciuitate retinẽdum cõcludit, quòd illum & Tarentini, & Rhegini,& Neapolitani,ciuitate,cæteriſque præmiis donarunt,& quòd omnes qui aliquid de ingeniis iudicare poterant, cognitione, atque hoſpitio dignum exiſtimarunt.Quibus clarum eſt Præiudicia eſſe quædam Senatuſconſulta,ſiue ſententias atque decreta iam ante facta,quibus vtitur Orator ad ſimilem cauſam, vt eadem ratione definiendam eſſe confirmet.

PVNCTVM II.

Diuiſio.

EOrum tria ſunt genera. I. Eſt earum rerum, quæ ex paribus cauſis aliquãdo iudicatæ ſũt quæ rectiùs exempla dicuntur.Sic de reſciſſis patrum Teſtamentis,vel contra filios confirmatis, propter eaſdem cauſas, quæ in noſtra conuerſia inueniuntur. Vt putâ ſi velit Orator aliquid decerni propter corruptos mores iuuentutis,dicet olim teſtamenta reſciſſa fuiſſe, propter eandem cauſam atque exhæredatos lege publica perditos adoleſcentes;cuius Præiudicij vis tum, non à decreto, ſed à cauſa decreti ſumetur. In hanc rem multa Valer.Maxim.lib.7.& 8.

Hinc eſt illa definitio Aſconij dicentis Præiudiciũ eſſe rem,quæ cum ſtatua fuerit,afferr iudicaturis exemplum,quod ſequantur.Quam cõfirmat Cic. dum Catilinam perſuadet à Præiuciis,non ab vrbe tantũ,eiiciendum,ſed à naturæ finibus exterminandum eſſe 1.Act n.4. & 4 *An vero vir ampliſſimus P.Scipio Pontifex Max.liberiũ Gracchũ mediocriter labefactantem ſtatũ Reip. priuatus interfecit:Catilinam orbem terræ cæde atque incẽdiis vaſtare cupientẽ, nos Conſules perferemus;decreuit quondã Senatus vt Luc.Opimius Coſ. videret,ne quid Reſp.detrimenti caperet. Nox nulla interceſſit: interfectus eſt propter quaſdam ſeditionũ ſuſpiciones C Gracchus, clariſſimo patre natus,auis,maioribus;occiſus eſt cum liberis M. Fulnius cõſularis ſimili.S.C.Caio Mario & L.Valerio Coſſ.permiſſa eſt Reſp. nũ vnũ diẽ poſtea L.Saturninum Trib.plebis,& C. Seruiliũ mors à Reip.pœna remorata eſt? At nos viceſimum iam diem patimur hebeſcere aciem horũ auctoritatis. Habemus enim huiuſmodi S.C.verũtamen incluſum in tabulis tanquam gladium in vagina reconditum:quo ex S.C.Confeſtim interfectum te eſſe Catilina conuenit.*

II. In iudiciis ad ipſam auſam pertinentibus. cum ſcilicet multa quæ cauſæ noſtræ annexa fuerant,iam iudicata ſunt.Nimirum ſi in cauſa Cic. pro domo ſua iudicatum ante fuiſſet, Clodium non iure adoptatum tranſiſſe ad plebem;neque iure potuiſſe fieri Tribunum pleb. facilè ex illo Præiudicio concluſiſſet,non iure,ſed iniuria domum ſuam euerſam fuiſſe,vel conſecratam,bonaque ſua publicata:quia ſuperiora iudicia,quæ cauſæ annexa fuiſſent,nulla erant.

Sic in Milon.duo erant,primũ maieſtatis Milonem reũ ſecundũ,feciſſe Milonem Clodio inſidias,Tullius igitur,quod Senatus cẽſuiſſet nequaquã Clodij cædem cõtra Remp.videri eſſe,ab eo Præiudicio argumentatur,& immunẽ ab inſidiis,& ſcelere Milonẽ arguit n.12. *Sequitur illud quod à Milonis inimicis ſæpiſſimè dicitur. Cædem quã Clodius occiſus eſt,Senatũ iudicaſſe cõtra Rep. eſſe factã.Illã vero Senatus nõ ſentẽtiis ſuis ſolùm, ſed etiam ſtudiis cõprobauit. Quoties enim eſt illa cauſa à nobis acta in Senatu? quibus aſſenſionibus vniuerſi ordinis?quàm nec tacitis,nec occultis.*

III.Genus eſt,cum de eadem cauſa pronũciatum,& factũ eſt decretum.Scilicet de re agraria, ſeu de dirimendis agris publicis pleb Rom.aut ante Senatuſconſulta, & plebiſcita facta fuerunt:quare meritò ex vi illorum præiudiciorũ,de eadẽ re,eodem modo ſtatuendum fuit,ſuadente Cic. & ſanè non minimi momenti ſunt præiudicia. Vnde Oratoris eſt non inerudit, ſi ius defendat,ire obuiã ſi premat alios ac vrgeat,ea in aduerſariũ quaſi tela,& hamẽtatas haſtas intorquere,quod facit Tull.pro Cluẽtio n.6 *Quãobrẽ à vobis, Iudices antequã de ipſa cauſa dicere incipio,hac poſtulo:Primũ,id quod æquiſſimũ eſt,vt ne quid huc præiudicati adferatis. Etenim nõ modò auctoritatẽ,ſed etiã nomen iudicum amit emus,niſi hic ex ipſis iudicauimus,acis ad cauſas iudicia iam facta domo deferemus:deinde ſi quã opinione iã veſtris mentibus cõprehẽdiſtis,ſi eam ratio conuellet ſi ratio*

Digitized by Google

ratio labefactabit, ſi deniqueveritas extorquebit; ne repugnetis, eamque animis veſtris, aut libentibus, aut æquis remittatis.

Pvnctvm III.

Qua ratione confirmentur Præjudicia.

PRo Præiudiciis quidem I. in citandis eiuſmodi decretis, debet Orator eorum auctoritatem commendare, qui eam ſententiam decreuerunt. Hoc monet Cic. pro Cluen. n. 107. poſtquam Præiudicium compoſuit. *Ac ne ex facto ſolùm ſapientes illos iudicetis, ſed etiam ex nominibus ipſis quod ij fecerint, rectiſſimè, ac ſapientiſſimè factum probetis. Quis Octauo Balbo ingenio prudentior, iure peritior, fide, religione, officio diligentior, aut ſanctior commemorari poteſt? non abſoluit. Quis P. Conſidio conſtantior? quis iudiciorum, atque eius dignitatis, qua in iudiciis publicis verſari debet peritior? quis virtute, conſilio, auctoritate præſtantior? ne is quidem abſoluit. Longum eſt de ſingulorum virtute ita dicere? quæ quia cognita ſunt ab omnibus verborum ornamenta non quærunt. Qualis vir Iuuentius Pedo fuit ex vetere illa Iudicum diſciplina? qualis L. Caulius? M. Baſilius? qui omnes in iudiciis publicis iam tum florente Rep. floruerunt. Ex eodem numero L. Caſſius. Cn. Nanius, pari integritate, & prudentiâ; quorum nullius ſententia eſt Oppianicus abſolutus. Atque ex his omnibus, natu minimus, ingenio, & diligentia, & religione pariis, quos antea cõmemoraui, P. Saturius, in eadem ſententia fuit. O innocentiam Oppianici ſingularem! quo in reo qui abſoluit, ambitioſus; qui diſtulit, cautus; qui condemnauit, conſtans exiſtimatur.*

II. Præiudicium examinandum, & comparandum eſt cum iudicio noſtro, cauſa cum cauſa, res cum re, vt in vtroque ſimilitudo oſtendatur. Id obſeruat eadem orat. Cic. num. 55 poſtquam enim explicuit damnationem Scamandri cum Oppinianico conuenire, ſic probat. *Quis tum erat omnium; qui Scamandro condemnato, non Iudicium de Oppiniaco factum eſſe arbitraretur? quid eſt illa damnatione iudicatum, niſi venenum, id quod habito daretur, eſſe quæſitum? quæ porro tenuiſſima ſuſpicio collata in Scamandrum eſt, aut conferri potuit, vt is ſua ſponte necare voluiſſe Habitum putaretur.*

III. Hortandi ſunt Iudices, ac monendi, vt quod alias iudicatum eſt, nunc etiam obſeruent, aliorumque decretis inhæreant. Ibidem num. 60. *Verum per Deos Immort. magis eſt mirandum, quod is condemnatus eſt, an quod omnino reſpondere cauſus eſt? quid enim illi Iudices facere potuerunt? qui ſi innocentes Fabricios condẽnaſſent, tamen in Oppiniaco ſibi conſtare, & ſuperioribus conſentire iudiciis debuerunt. An verò illi ſua per iudicia reſcinderent, cùm cæteri ſoleant in iudicando, ne ab aliorum iudiciis diſcrepent prouidere? & illi qui Fabricij libertum, quia miniſter in maleficio fuerat, patronum, quia conſcius, condemnaſſent, ipſum Principem, atque Architectum ſceleris abſoluerent? & qui cæteros, nullo Præiudicio facto, tamen ex ipſa cauſa condemnaſſent: hunc quem bis condemnatum iam acceperant, liberarent?*

Quod ſi apud eoſdem Iudices agatur, qui Præiudicium ante tulerunt, monendi ſunt tantum, propoſitâ iudicum conſtantia, vt in ſententia perſeuerent.

IV. Quia in Iudiciis numerari Senatuſconſulta, & decreta Principum ſolent. Et Quintil. cenſet præferenda. *Aduerſus ea, inquit, nullum eſt remedium, niſi aut inuenta quantulacunque differentia, aut aliqua, vel eorundem, vel aliorum eiuſmodi poteſtatis hominum, poſterior conſtitutio illi contraria*

Multum proderit etiam cauſam noſtram exaggerate pluribus, & oſtendere grauiorem aliquam rem in controuerſia poſitam eſſe, quàm in ipſis Præiudiciis, propter quam longè potiori ratione, idem ſit quod ante ſtatuendum, 1. in Catil, num. 3.

Pvnctvm VIII.

Qua ratione infirmentur Praiudicia.

SI oſtendatur cauſa eſſe diſſimilis. Hoc animaduertit Orator pro Cluent. dum oſtendit Balbi, Guttæ, & aliorum damnatorum iudicium non nocere Cluentio, quòd licèt accuſati erant tanquam corrupti pecuniâ, ab illo tamen, ob alia crimina, damnati fuiſſent num. 97. *ac etiam Balbus eſt cõdẽnatus, adde maieſtatis: vt intelligas hoc iudiciũ cum illo non eſſe cõiunctum. vt eſt hoc illi crimẽ obiectum*

Digitized by Google

obiectum fateor: ſed etiam legionem ab eo ſollicitam in illyrico L. Coſconij litteris, & multorum teſtimoniis planum factum eſt, quod crimen erat propriũ illius quæſtionis, & quæ res lege majeſtatis teneba-tur. At hoc obfuit ei maxime, iam iſta diuinatio eſt.

II. Excutienda ſunt illa Præiudicia, videndumque fueritne aliquid in ipſis nõ ritè factum, quod eorum vim poſſit eleuare. Ibidem Tull. vt oſtendit condemnationem non debere Cluentio nocere, ait, illum ex inuidia, & tumultu Tribunitio damnatum fuiſſe; in cauſa nihil eſſe præter inuidiam, errorem, ſuſpicionem, contentiones quotidianas ſediriosè, ac populariter concitatas, n. 95. *Quam quidem rationem vos Iud. diligenter pro veſtra ſapientia, & humanitate cogitare & penitus perſpicere debetis, quid mali, quantum periculi, vnicuiq; noſtrum inferre poſſit vis Tribunitia conflata preſertim inuidia, & contentionibus ſeditiosè concitatis. Optimis hercle temporibus, tum cùm homines ſe non iactatione populari, ſed dignitate, atque innocentia tuebantur, tamen nec C. Popilius, nec Q. Metellus clariſſimi viri, vim Tribunitiam ſuſtinere potuerunt; nedum his tẽporibus, his moribus, his magiſtratibus, ſine veſtra ſapientia, ac iudicio rũremediis ſalui eſſe poſſimus. Non fuit igitur illud iudicium, iudicij ſimile Iud: non fuit: in quo nõ modus eſt adhibitus, non mos, conſuetudoque ſeruata non cauſa defenſa; vis illa fuit, & vt ſæpè iam dixi, ruina quædam, atque tempeſtas, & quiduis potius quàm iudicium, aut diſceptatio, aut quæſtio.*

Hoc eodem argumento licet actorum negligentiam, infirmitatem perſonarum, quæ tunc ſe tueri non potuerint; conditionem temporis, aduerſariorum gratiam, & poteſtatem, teſtes corruptos, inuidiam, ignorantiam, aliaque id genus proferre, quæ damnatorum cauſæ obfuerunt, hæc in Cluentio deprehenduntur omnia, multis numeris, 106. & deinceps.

III. Debebit Orator oſtendere, aliquid nouum cauſæ ab eo tempore acceſſiſſe, quod ſi in ea fuiſſet, nunquam eam tuliſſent ſententiam Iudices.

IV. Si non poſſit alio modo refelli Præiudicium, quàm vt falſum eſſe oſtendatur, videanturque Iudices in eadem ſententia perſtare, nè inconſtantes habeantur ad eos erit conuertenda Oratio, docendumque nihil obeſſe eorum conſtantiæ, famæ, religioni, ſententiæ mutationem: quandoquidem Sapientis eſt rectè conſulere, non autem in malè conſultis perſeuerare: nõ eorum culpa, ſed Oratorum, & Actorum, fraudem illam admiſſam.

LECTIO X.

De Rumore & Fama.

HVnc locum propiùs intueri certũ eſt, quòd ſit inſtar publici teſtimonij, tametſi multorum iudicio non tanti momenti ſit, vt Oatoris animum occupare debeat, quod plerumque vix quidquam veri habeat, aut certi; Nam quiſquis Rumores audit, addit & affingit auditis, quidquid aut credulitas, aut decorum ſuaſerit, proinde fama ſæpè veritatem opprimit, tamen operæpretium eſt illam indagare, ne ſpecioſis commentis deludamur.

PVNCTVM PRIMVM.

Definitio.

EST ex Fabio, l. 5. cap. 3. Sermo ſine vllo auctore diſperſus cui malignitas initium dedit, incrementum credulitas; quæ definitio, quia tantum inanes Rumores deſcribit, ideò veris nõ eſt tribuenda. Alij narratiunculæ quædam, quas honeſtiori nomine NOVA vocare malunt quæ vix audiuntur, & fidem amittunt. Eam ob rem cautelam hic adhibere debebit Orator maximam, ne ſi noua narrat imprudens, veterum perdat fidem & mendax habeatur; Nam qui tantum audita refert ſæpè fallit, falſus ipſe prior; memor ſit igitur Thaletis à quodam interrogati, quantum à vero falſum abeſſet, quantum, inquit, ab auribus diſtant oculi; quaſi diceret eos plerumque mentiri qui audita, ſolùm, non viſa referunt.

PVNCTVM II.

Diuiſio:

COmmodè ergo dicemus alios eſſe Rumores inanes, grauiores alios. Inanes à Cic. l. 15. Fam. 17. ἀδέσποτοι nominantur. *De Hiſp. noui nihil,*

ſed expectatio valde magna: Rumores triſtiores,ſed ἀδιάκοτοι. Cælius apud eundem 8. Famil. 1. *Subroſtrarios* vocat, quod ſub roſtris otioſe reſidentes nouos Rumores, aut captarent ipſi, aut Vnde in Satv. Poëta Magnus,Serm. 2. Saty.6.

Frigidus à roſtris narret per compita. Rumor.

Cœleſtis in dicendo,viuendóque vir D.Hieron. Apologia contra Ruffinum, Rumigeros *Cereales nuntios* appellat,tanquam alteros Triptolemos, àCerere ad ſpargendum non frumentum,ſedRumôres iniſſos in orbē. Ammi.Marcellinus,l.11. Rumorum *Aucupes* vocat, qui non tantū audita referunt.ſed&multa ipſi confingunt cognitaque conduplicant,quorum ingenium deſcribit apud Plautum in Comœdia nobilem Mepatonides Senex.

Quo omnia ſe ſimulant ſcire,nec quidquam ſciūt.
Quidquisq;in animo habet,aut habiturus eſt ſciūt
Id quod in aurem Rex Regina dixerit,ſciunt.
Quod Iuno fabulata ſit cum Ioue;quod neque
Futura ſunt,neque facta ſunt;tamen illi ſciunt.

Contra graues, & veri Rumores ſunt,qui conſtanti firmantur hominū opinione,certo & graui auctore, de re non adeò à nobis remota quique iam diu conſtātes in ore omnium verſantur. Nā tempus eſt lapis Lydius Rumorum,vt rectè monuit Tacit. Ann. 2. *Rumores*, ait, *tempori permittantur,quo facilè ſeneſcunt.*

Præter quæ duo Rumorum genera, ad hunc etiam locum ſpectare poſſunt fama,ſiue opinio, quam homines conceperunt de cuiuslibet moribus,quæque in aliorum laudem,aut vituperationem vulgò dicuntur;ſed iſta potiſſimum ad genus deliberatiuum pertinent, alia ad Iudiciale, ſupereſt inueſtigandum quomodo Rumores in vtramque partem tranctandi ſint.

PVNCTVM III.

Contra Rumores.

PRimo quidem afferri poteſt locus communis de inconſtanti variaque famæ, atque Rumoris natura. Vt enim præclarè Minut.Felix, *Fama ſemper inſperſis mendaciis alitur, offenſa veritate conſumitur.* Inter alia bene- multa quæ ſcribit Ouid.transform.12.hæc habet de fama creſcēte.

Patria turba tenet,veniunt leue vulgus,euntq;
Mixtaq;cum veris paſſim commenta vagantur,
Millia rumorum, confuſaq; verba volutant,
E quibus & vacuas implent ſermonibus aures:
Hi narrata ferunt alio;menſuraque ficti.
Creſcit,& auditis aliquid nouus adijcit author.

Nam Rumores vbi ſpargi cœperint,ſubitò creſcere ſolent, & in eam extendi magnitudinem, quæ credi non poſſit. Ad quos alludens Panegyriſtes Max.& Conſt. *Quæcunque*, inquit *fama vltra naturam, qua fingitur diſcurſus volucres mutuata, & poſtquam mille vocibus ſonera percrepuit.* Hæc autem leuitas maximè obſeruatur in rumoribus falſis. Vt enim ait ſanctus, & Eloquens Hieron *Rumor falſus,falſe diſſeminatur,quis igitur eiuſmodi aniles fabulas audiat?* Illud Gorgiæ ſæpius quærendum eſſet,quis magis fatuus,qui fabulas tam indoctas, tumuſculos tam mendaces ſpargit, an qui credit, & aliis vendit auctiore pretio.

Preſſit hoc argumentum acerrimi iudicij vir Tertull.in Apolohet. l. 2. c. 7. refellens ea quæ vulgo in Chriſtianos mentiebantur Ethnici. *Natura famæ nota eſt omnibus. Veſtrum eſt.*

Fama malum,quo non aliud velocius vllum
Mobilitate viget.

Cur malum fama? quia velox?quia index?an quia plurimum mendax? quæ ne tum quidem, cùm aliquid veri affert,ſine mendacij vitio eſt, detrahent, adijciecens demutans de veritate: quid quod ea illi conditio eſt,vt nonniſi cùm mentitur,perſeueret, & tandiu viuit,quandiu non probat,ſiquidem vbi probauit,ceſſat eſſe,& quaſi officio nuntiandi functa rem tradit, & exinde res tenetur, res nominatur. Nec quiſnam dicit,&c. hoc Romæ aiunt factum, aut famâ eſt illum prouinciam ſortitum, ſed ſortitus eſt ille Prouinciam; & hoc factum eſt Romæ. En fama malum?ſed vt bonum ſit,dixeris ne?verum id, ſolidumque.

Iterum Turtull. l. 1. ad nationes. *Fama nomen incerti locum non habet, vbi certum eſt, an verò fama credat, niſi conſideratus? quia Sapiens non credit incerto. Omnium eſt æſtimare, quantacumque illa ambitione diffuſa ſit, quantacumque aſſeueratione conſtructa, quod ab vno aliquando præcipuè exorta ſit neceſſe eſt.*

Exinde

Digitized by Google

Exinde in traduces linguarum,& aurium ſerpat,& ita medici ſeminis vitium,cætera Rumoris obſcurat vt nemo recogitet,ne primum illud os mendacium ſeminaverit:quod ſæpe fit,aut ingenio æmulationis, aut arbitrio ſuſpicionis, aut non nova, ſed ingenita, quibuſdam mentiendi voluptate. Meritò igitur fama tandiu ſola conſcia eſt ſcelerum Chriſtianorum. Hanc indicem adverſus nos profertis, quæ quod aliquando jactavit,tantoq; ſpatio,in opinionem corroboravit,vſque adhuc probare nõ valuit. Quomodo bonum dixeris,quod ab vno ore ſive mendacis ſive ſuſpicioſi hominis primum extoritum in auras inaniter diffunditur,vireſque acquirit eundo?

Non acutè arguteque minùs Cic. pro Cœlio cõtra famã diſputat n. 38. *At fuit fama, Quotuſquiſque iſtã effugere poteſt,in tam maledica civitate:viciuũ eius mulieris miraris male audiſſe,cuius frater germanus ſermones iniquorum effugere non potuit?*

Contra famæ levitatem multis obſecrat Iudices Cic. pro Plãcio,ne diſſeminatis, diſperſiſque ſermonibus fidẽ habeant,à n. 56. *Illud vnum vos magnopere oro,atque obſecro,cum huius,quem defendo,tum communis periculi cauſa,ne fictis auditionibus,ne diſſeminato diſperſoq; ſermoni,fortunas innocentium ſubijciendas putetis. Multi amici accuſatoris,nonnulli etiam noſtri iniqui,multi communes obtrectatores atque omnium invidi multa finxerunt. Nihil eſt autem tam volucre,quàm maledictum:nihil facilius emittitur,nihil citius excipitur,nihil latius diſſipatur. Neque ego ſi fontem maledicti reperietis,vt negligatis,aut diſſimuletis vnquam poſtulabo. Sed,ſi quid ſine capite,aut ſi quid erit eiuſmodi,vt non extet author,qui audierit, aut ita negligens vobis eſſe videbitur, vt vndè audierit, oblitus ſit;aut ita levem habebit auctorem, vt memoria dignum non putarit:huius illa vox vulgaris auditu,ne quid reo innocenti noceat,oramus.*

II. Proponenda ſunt pericula,quæ manant ex fama leviter receptã;quam in rem ſic Cæſar, lib. 5. de bello Gall. Quæ enim civitates cõmodiùs, ſuam rem ad miniſtrare exiſtimantur, habent legibus ſancitum;ſi quis de Rep. quid fama,aut rumore acceperit,vti ad magiſtratum deferat, neque cum quo alio communicet,quòd ſæpe homines temerarios, atque imperitos falſis rumoribus terreri,& ad facinus impelli cognitum eſt.

Quibus ſententiis erunt adjungenda exempla. Plutarchus ſcriptor nobilis vnum refert in Demetrio,vbi ait Stratoclem cùm Athenienſes bello navali contriti fuiſſent circa Amorbũ falſum de victoria Rumorem ſparſiſſe; quo exemplo, per vnamquamque Tribum conſtitum eſt, & ſacrificia, publicæque ſupplicationes decretæ, donec contrarium nuntium delatum eſſet: quò graviſſimè cõmotus eſt populus in Stratoclem.

III. Leges, ac pœnæ rumigerulis propoſitæ, impoſitæque,vt facit Sophus Cheronẽſis in Nicia;ait enim Athenienſes, hoſpitem quendam, quod in officina tõſoris de his quæ in Sicilia geſta erant referret aliquid,in concionem vocaſſe, cumque id probare non poſſet,in carcerem conjeciſſe,quòd incerto rumore,civitatem penè omnem ad ſeditionem concitaſſet.

Apud Romanos verò,in huiuſmodi Nugigerulos non rarò animadverſum eſt:vt colligere licet ex his quæ Cic. de Pub. Valerio ſcripſit, l. 2. de Nat. Deor. cui Præfectum Theatina Romam venienti,noctu duo Iuvenes Equis albis inſidentes dixiſſet Regem Perſeum eo die captum, idque ipſi ſenatui nuntiaſſet,quaſi temerè de Rep. loquutus eſſet,in carcerem conjectus eſt.

Quin & apud Tacitum ann. 12. Cœlius libertus Neronis atroci mendacio vniuerſos perculit, affirmans ſuperventu XIV. legionis, junctis à Brixello viribus cæſo victore verſam partium fortunam; eamque ob cauſam paucos poſt dies juſſu Vitelli pœnas luit.

PVNCTVM IV.
Pro Rumoribus.

ADferri poteſt quod Plinius Iunior in Trajani Panegy. his verbis pronunciat. *Cæſar tales nos crede,qualis fama cuiuſque eſt:huic aures, huic oculos intende,ne reſpicias clandeſtinas exiſtimationes,nulliſq; magis,quàm audientibus inſidiantes ſuſurros. Melius omnibus quàm ſingulis creditur:ſingulis creditur:ſinguli enim decipere, & decipi poſſunt,nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.* Hinc vides quantu[illegible] Illi famæ,cùm ea facit æquiſſimã arbitrã cu[illegible] morũ,ac vitæ.

Quod ſi elicere non poſſit [illegible] quibuſcumque Rumoribus fides habe[illegible], obtinebit ſaltem ne reijciantur temerè, & in medio relin-

quantur, donec clarior veritatis lux affulgeat. Hoc autem obtinebit, tùm gravibus Sapientum ſententiis, tum exemplis, & quotidiana rerum magiſtra experientia, quæ ſæpè docuit fuiſſe dejectos perperam Rumores Reip. totique populo ſalutares.

LECTIO XI.

De familiari Locorum vſu.

PLacet imprimis quod de ſe profitetur. Antonius 2. de Orat. 162. *Ego autem ſi quem nunc planè rudem inſtitui ad dicendum, velim. his potius tradam aſſiduis vno opere eandem incudem diem noctemq; tundentibus; qui omnes tenuiſſimas particulas, atque omnia minima manſa, vt ajunt nutrices infantibus pueris, in os inferant. Sin ſit is qui, & doctrina mihi liberaliter inſtitutus, & aliquo jam imbutus vſu, & ſatis acri ingenio eſſe videatur: illùc eum rapiam, vbi non ſecluſa aliqua teneatur. Sed vnde vniverſum flumen erumpat. Qui illi ſedes & tanquam domicilia omnium argumentorum commonſtret, & ea breniter illùſtret, verbiſq; definiat.*

Factum eſt hactenùs quod juber Antonius, ſupereſt vt ſingulorum locorum breviter vſus ſubij ciatur in exemplo. Sit igitur hoc, multorum inſtar Orationis argumentum, Caſtimoniam mentis & corporis diligentiſſimè procurandam.

Quoniam verò diſputatio debet à definitione proficiſci, dicendum erit illibatam integritatem eſſe verum corporis animique decus, & ornamentum.

Notatio ἁγνεία, ἐγκράτεια Latinis ſanctimonia. Genus, quòd ſit virtus moralium honeſtiſſima. Cauſa efficiens, Deigratia, qui nihil niſi nobile molitur; Fortirudo, & Temperantia in com[illegible]endis affectibus; à tantis parentibus, quanta [illegible]oles?

[illegible]alis, Dei fruitio, quô quid illiſtrius?

Materialis, corp[illegible]nimi illibata incorruptio, quâ quid hom[illegible]gnius?

Form[illegible]nor. Quid homini melius [illegible] diſpiciendæ propius, nivis ca[illegible], cog[illegible]onum ſplendor, memoriæ nitor, corporibus integritas: Tùm effecta numerāda innumera, gloriā mereri cœleſtem, jucundum eſſe omnibus, amicum Deo, acceptum Angelis, ſpectabilem hominibus, omnibus amabilem caſtū.

Adiuncta, quæ antecedunt, honeſta educatio; quæ comitantur, virtutes quibus fulcitur, & fovetur, moderatio incibis, oculorum aurtumque vigil cuſtodia; ſeceſſus, honeſtus labor occaſionum diligens fuga, timor & amor Numinis.

Similia ſunt candor nivis, roſæ vel lilii decor ſolis pura lux, ignis munditia, Pantheræ dulcis fragrantia.

Contraria innumera vitia, vnum enim oppoſitum ab iiſdem locis turpe ſatis, ac deforme oſtenditur.

Ab Extrinſecis, ſcilicet Oraculis, vt Salomonis, *Quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate!* Chriſti Doctoris exemplum, Virginum Reginæ Mariæ matris: Ethnicorum, Spurinæ, Nicetæ, Alexandri; Sacrorum, Ioſeph, Daniel, &c.

Peroratio, quæ ſparſa per totam orationem ſub vnum aſpectum colligit. Intelligitis huius virtutis præſtanriam, vr nos Deo accepros, Angelis pares, imò ſuperiores reddat, corpus valetudine, rem familiarem copià, animum omni virtute exornet. Tum ad motus ciendos, & affectum percellendum vim intendit. Quæ cum ita ſint quid ſupereſt, niſi vt vos obteſter, vt ſit vobis curæ animi nitor, famæ ſplendor, Dei ſingularis amicitia. Contendite tàm glorioſum vobis naturæ ornamentum comparare; vndè laudes eius virtutis enumerabuntur:

Odium excitatur & timor. Quod ſi, Deus avertat hoc omen, contingeret ea virtute deſtitui vnum aliquem; & in fœdiſſimum illi inimicum virium prolabi, obteſtor, expendite quot damna vobis ex hàc ſentina, quot detrimēta ſunt emerſura. Hìc recenſenda ſunt, damna, ſupplicia, minæ adhibendæ, terrores incutiendi per hypotypoſes, proſopopœjas, exclamationes.

Ex illo locorum acervo rationes aliquot præcipuæ ſumuntur, ex quibus exſurgat Oratio, nimirum à cauſis efficientibus:

Alterum caput orationis, finis, tertium denique à contrariis, quæ graviores affectus, & commotiones admittunt. Cur materiæ ſic comparatæ; atque ordinatæ, Oratoris color erit apponendus, & Nrationis lumina.

EXER

EXERCITATIO IV.

ARMAMENTARIVM ELOQVENTIÆ,

Siue

DE ARGVMENTATIONE

déque variis eius formis & Amplificatione.

PROOEMIVM.

EX Ariſtotelis primi Rhetoricorum cap. 2. Tria ſunt omnino quibus ſuaſio perficitur, mores Oratoris, motus Auditoris, & Argumentorum tractatio. Quàm neceſſe ſit ad ſuaſionem vt ſe probet antè Auditoribus ſuis Orator, eorúmque ſibi beneuolentiam conciliet, ipſi etiam in dicendi facultate hoſpites audierunt. Quis enim neſcit ſpem nullam eſſe vt dicendo ad animos penetretis, qui commendatione morum ſuorum Oratoris induſtria. Et de ratione quidē mouendorū affectuū ſuo poſtea ac proprio loco; Iam ad Argumentationem aggredior: quippe cùm eruta ſint è locis Argumenta, videndum eſt ne eadem condita teneamus, & in vituperationem cadamus eam, qua Apollinem carpit Diana. Iliad. φ.

τί νυ τόξον ἔχεις ἀνεμώλιον αὔτως

Cur telum fruſtra inane geris? Neque vero erunt otioſi, vel languidi Oratorij mucrones ſi accedat Argumentatio, hæc vim atque impetum eiſdem adiunget. Fateor equidem non eandem eſſe omnium in tractandis Argumentis felicitatem. Scio enim inbelli atque ignaua frigidorum Oratū manu ac lingua emiſſa leuia eſſe prorſus, & plerumque ſine ictu, quæ eadem ſi ab aliis iaciantur mirabiles faciant impreſſiones in animos. Habebimus in hoc Armamentario vnde vincamus, vnde imbecillima quæque corroboremus, vnde alieniſſimos quóſque pertrahamus in noſtram ſententiam. Cùm autem Amplificationi maxima ſit cum Argumentatione affinitas, faceremus iniuriam vtriq; ſi inter ſe coniunctiſſimas Eloquentiæ partes tractatione, ſic tanquam domo diſtraheremus. Quare placuit vtramque in vnum hoc Eloquentiæ Armamentarium conferre.

LECTIO

Google

LECTIO PRIMA.

De Argumentatione.

QVONIAM Argumētatio quaſi neruus quidam eſt, aut arcus quo iacitur argumentum, multum refert quâ manu veniat, & torqueatur telum. Quod leue prorſus eſt, niſi acceſſerit argumentatio, quæ argumentum, ſiue ſagittam criſpat, quæ vibrat, quæ torquet, quæ vulnus figit.

PVNCTVM I.

Definitio.

PLerique cum Tullio partic. 41. definiunt argumenti explicationem: eſt enim Argumentum antequam fuſius explicetur per argumentationem, gladiùs quaſi vaginâ incluſus, qui vt vim habeat liberandus eſt, & per illā quaſi ad vſum adhibendus. Argumenta vt & motus atque affectiones eruuntur quidem ex locis ſed intereſt quemadmodum tractentur, quod eſt totum in argumentatione poſitum. Probandum eſt fugiēdam eſſe voluptatem, id ſi quis oratoriè velit tractare, ratio primùm erit inueſtiganda, & quidem è fontibus communium locorum, ſcilicet ab effectis, quòd dolorem ingeneret, *nocet empta dolore voluptas*, ait Horatius quæ ratio dicitur argumentum, ſed nondum explicatum: latet enim integumentis verborum contracta veritas; quæ ſi latiùs explicetur, & fundatur oratoriè, argumentatio diceretur. Cuius hîc rationem & formam Oratorio more tractandi proſequimur.

PVNCTVM II.

Diviſio.

DVo ſunt ex Ariſtotele genera argumentationis, ſeu probationis; nam quæ Cic. quatuor aſſignat non ſatis accuratam definitionem efficiunt; proindè tutiùs eſt Ariſtotelem ſequi, & argumentationem in Syllogiſmum, & Inductionem diuidere, tanquam in duo faſtigia, ad quæ cætera facilè reuocari poſſunt. Syllogiſmus eſt, cùm argumenti loco affertur ratio quædam cōmunis ad probandum idonea. Inductio cum propoſitio quæ communem & vniuerſam habet veritatem, oſtenditur vera eſſe ex ſingulis exemplis inductio.

Quia vero maioris eſt operæ argumentatio ad illam aliqua ſunt obſeruanda. I. quod Cic. præcipit, vt quæ in ea adhibentur, aut certa ſint, aut probabilia, aut veriſimilia, cuius rationem habet Quintil. cùm ſit rationem probatione præſtare, quâ colligitur aliud per aliud, & quod dubiū eſt, per id quod dubiū non eſt, cōfirmat, neceſſe eſt eſſe aliquid in cauſa quod probatione non egeat, alioquin nihil erit quod probemus niſi fuerit quod aut ſit verum, aut videatur, ex quo dubio fides fiat.

II. Laborare non debet Orator in eruendis argumentis ex omnibus locis, ſed ex iis tantum, qui magis cauſæ fauent: puerile namque eſſet, quamlibet cauſam per omnes locos ducere, cùm aliæ ſint aliis aptiores.

III. Nec eodem ordine diſtribuenda ſunt argumenta, nec temerè ſpargenda, ſed cum arte certis locis collocanda: in quo bonus Orator optimum Imperatorem, ac peritum ducem imitari debet, qui ſuam aciem quadrato nunc inſtruit ordine, nunc ſinuat in Lunam, modò porrigit in laterculum, aliàs denſat in turrim, tùm diuidit cornibus, opponit globo, denique aperit iungit, laxat, glomerat, prout res poſtulat, locuſque patitur: ſic Orator argumenta ſua, nunc hoc, nunc illo diſponit ordine habita ratione cauſæ, vel auditorum. Quod licet à circumſtantiis pendeat, neque certa dari poſſit in omnes cauſas diſpoſitionis ratio, tamen hoc in genere dici poteſt, ex eloquentiæ magiſtris, vt quem ordinem ſeruaueris in cauſa diſponenda idē in argumētatione ſeruetur. Vt ſcilicet validiſſima quæque primum & extremum agmen teneant in medium infirmiora reiiciantur, niſi fortè ad quoddam prælium, & velitationem leuia quædam præmitti poſſint

Digitized by Google

poſſint, ad laceſſendum potius hoſtem, quam ad vincendum.

IV. Quæ valida ſunt argumēta ſeorſim vt plurimum fusè ſunt, & apertè tractanda, maximoq; impetu vibranda in hoſtem; quod fit, cùm Orator, re benè explicata complexionem quandam totius argumenti, amplificatione vehementi intorquet in hoſtem; quæ minus firma globo plerumque proponenda ſunt, vt quod ſingula per ſe non efficiunt, coniuncta poſſint.

V. Vt argumentorum ordo varietur debitâ forma figuraquè; grauia tropicè efferri debent, vt vis verborum argumenti vim comitetur: in quo tamen figurarum delectus eſt habendus, pro ratione argumentorum; nempe grauiora illuſtriores figuras requirunt, Hypotipoſes, Ethopœias, Proſopopœias & ſimiles: cōtra leuia Præteritionibus, Interrogationibus, aliiſque leuioribus figuris accommodanda ſunt.

LECTIO II.

De Ratiocinatione

TRitum illud Zenonis Stoici dictum, Dialecticam adſtrictæ manui, & in pugnum collectæ: Rhetoricam eidem expanſæ, conferentis quod ſi qua in re valet, in ſyllogiſmo maximè, tùm Dialectico, tùm Rhetorico: ille quia parcus eſt, & adſtrictus, iſte quia multò ſolutior, ac liberior vagatur.

PVNCTVM I.

Prima ſpecies & forma ſyllogiſmi.

TRactandi ſyllogiſmi multiplices formas & ideas tradunt Oratores; quarum prima Ratiocinatio dicitur, cuius partes Philoſophi non plures tribus numerant, quinque Rhetores, quarum prima Propoſitio; quarta eiuſdem Ratio, vltima denique Concluſio. Probandum eſt adoleſcenti retinendum eſſe pudorem & continentiam? quærenda primum ratio quæ id perſuadeat, non aliundè certè quàm ex locis communibus; ab effectis ſcilicet, qua pudor diuinam amicitiam conciliat: quod ſic erit ratiocinatione tractandum.

Primò philoſophicum ſyllogiſmum non erit ſuperfluum texere, vt vis argumenti ſit illuſtrior. Hic erit.

Quod diuinam amicitiam conciliat, omnibus modis retinendum eſt,
Sed pudor & continentia conciliat adoleſcenti diuinam amicitiam,
Ergo omnibus modis eſt retinenda.

Iam ab Oratore quærenda ſunt ornamenta: diuidatur itaque in ſuas partes hæc ratiocinatio, propoſitio erit iſta, diuina amicitia modis omnibus eſt retinenda: propoſitionis ratio; quia ex Deo pendent omnia, vita, voluptas, honor: Aſſumptio, at pudor & continentia diuinam amicitiam retinent: Aſſumptionis probatio; etenim ſimilitudo cōtrahit amicitiam: Deus autem puriſſimus, & caſtiſſimus: Concluſio, ergo, retinenda eſt continentia.

Hæc argumentatio confecta eſt, & habet integritatem omnium partium, quæ ſi figuris, & ſchematis illuſtretur habebit omninò vim perſuadendi ſingularem; ſed caput eſt partes illas omnes ex arte tractari, ſit igitur exemplum, propoſitum ſic ingredieris, vt mollem ingreſſum, & facilem quæras, hoc ferè modo.

Si quid eſt in amicitiæ fructu voluptatis, quæ certè tanta eſt, vt nullum bonum in humana vita optabilius eſſe videatur, non video quid huic homini ad ſummam felicitatem deeſſe poſſit qui diuinam amicitiam & familiaritatem fuerit conſequutus.

Hanc prepoſitionem, quæ & breuitatem, & modeſtiam continere debet, excipiat probatio. Enim vero quid eſt in vita boni, quod non ſit ab infinito eius amore profectum? Vita? hanc omnibus mortalibus tribuit: Honores? fons eſt omnis exiſtimationis; & gloriæ. Voluptates? ab eo ſolidiſſimæ, veriſſimæque dimanant. Diuitias? in eo tantæ ſunt, vt cum vlatè vel auidiſſimis ſatisfaciat.

Quæ probatio non ſubiectionis tantùm, ſed etiam omnium figurarum capax eſt.

Digitized by Google

Ad Aſſumptionem verò quærenda eſt imprimis tranſitio,quæ ſic inſtitui poſſet; videris opinor diuinæ vim amicitiæ, quam ſi quis negligat, non impium modò, ſed etiam ſtupidum eſſe neceſſe eſt;at qua tandem ratione vim tàm infiniti boni conſequi poſſumus?

Si quis illuſtriorem hanc tranſitionem facere voluerit vti poterit loco à contrario cum ſubjectione. Superbiâ fotraſſe? vaniſſimè. Voluptatibus atque delicijs?ſtultiſſimè id quidem. Quid eſt igitur quod Deum conciliat?Pudor,pudor inquam nexus eſt,& vinculum diuinæ amicitiæ.

Eſt Aſſumptio,quæ dilatari poteſt,& exornari figuris,voto ſcilicet atque optatione. Vtinam intelligerent homines, quantum in ea virtute momentum poſitum: ſit ad felicitatem! vtinam diligenter ad integritatis præſtantiam,ſtudiumq; conuerterent animos! fugerent profectò hanc ſolutioris vitæ rationem,neque ſe tot vitiorum ſordibus inquinarent,caſtitatem & innocentiam præcipuo quodam amore, ac ſtudio proſequerentur;ſcirent tantum nos Deo charos eſſe caſtimoniâ mentis,& corporis, quantum cœno voluptatum,ac turpitudinis inimici reddimur.

Iam ad probationem Aſſumptionis. Nam quî fieri poteſt vt eum hominem ſummo quodam amore non complectatur Deus,quem ſibi videt eſſe ſimillimum;quæ verò major cum divina natura ſimilitudo,quàm ſi ejus integritatem, morum innocentiâ proximè imitere?

Quam ſi velis ornare,vtendum erit Antitheſi ſeu Contentione. Diuina mens incorrupta eſt nulla rerum corporearum contagione fœdata; integritas ab omnibus corporeæ voluptatis ſordibus animum abſtrahit Diuina mens immortalis eſt; ſua quoque eſt pudori immortalitas. Concluſio. Et erit aliquis tàm nihil de ſua ſalute cogitans,tàm inimicus & hoſtis ſummo puritatis authori Deo,qui continentiam non amet,ſine qua,&c. tàm ab omni recti judicii ſenſu derelictus,qui neget caſtitatem eſſe verum adoleſcentiæ decus, & ornamentum, quâ compendioſa quadam ad Deum via propius accedimus,&c.

Porrò vt melius intelligatur vſus ratiocinationis exemplum aliquod è Cicerone repeti debet, cuius partes omnes diligenter, & earum ornamenta diſtinguantur, quas mox ad imitandum proponat Eloquentiæ ſtudioſus. Facilis eſt illa Tull.7.Phil.num. 9. Qua pacem cum Antonio nullam eſſe poſſe diſputat. Pax populo Rom. cum vllo mortalium turpis eſſe nulla debet,cujus propoſitionis per ſe notæ nullam rationem ſubijcit,ſed Aſſumptio ſequitur At cum Antonio niſi turpis eſſe nulla poteſt,quam pluribus probat. Tandem concludit,alienos ab hac pace animos eſſe oportere.

Non eſt ſcrupuloſè meditandum à qua propoſitione ratiocinationi detur initium,cùm liberum ſit nunc alteram propoſitionum omittere aliàs à concluſione,modò ab Aſſumptione,nonnunquam à probationibus inchoare:quin & una tantum ſingulari licebit eſſe contentum,aut Aſſumptione,aut Propoſitione. Vt,Non eſt homo mihi crede qui omnem exuerit humanitatem, bellua eſt,fera eſt. Ratiocinationem feciſſe dici poterit etiam ſolâ iſta propoſitione:quoniam à quouis adjungi poteſt Aſſumptio & complexio. Ita poſitâ ſola Aſſumptione ſæpè ratiocinatio, conſtat Cc. pro Plancio. num. 49. *Sed cur ego ſic ago?quaſi non comitijs jā ſuperioribus ſit Plācius deſignatus Ædilis,ei ratio non fuit reddenda cur poſterioribus ſit factus.*

Leuat imprimis tædium & ſatietatem,ſi crebræ ſententiarum figuræ uſurpentur in ipſa propoſitionum expoſitione,neque vna continuo via teneatur. Itaque explicanda fuerit aliquando propoſitio Optatione, aliàs Exclamatione, Interrogatione, Percontatione, Execratione: Intermiſcendæ Reprehenſiones,Admonitiones,& ipſa concluſio variè amplificanda.

Tull:Aſſmptionem in Percontatione poſuit, pro Planc.num.48. *Quid taces? quid diſſimulas? quid tergiuerſaris?etiam atque etiam inſto atque urgeo,inſector,poſco,atque adeo flagito crimen.*

PVNCTVM II.

De Enthymemate ſecunda forma argumentationis.

INter omnes ſiue Rhetores, ſiue Philoſophos unus omnium maximè ſtuduiſſe breuitati viſus

eſt

Digitized by Google

eſt Chryſippus,&omiſſis illis argumentationum formis,quæ præ cæteris longè breviores eſſe videbantur, eas quæ punctim ferirent, & acutiores eſſent,adamaſſe,quod eruditionem ſaperent. Proindè Iuven. Satyr. 6. daturus conſilium, ne conjux vnquam nimium erudita quæratur, ait,

Non habeat matrona tibi quæ juncta recumbit
Dicendi genus aut curtum ſermone rotato
Torqueat Enthymema,nec hiſtorias ſciat omnes,
Sed quædam ex libris,& non intelligat.

Enthymemate,quàm Syllogiſmo frequentius vtuntur Oratores:Nam quoties theſis omittitur &hypotheſis vna explicatur,totus penè ſyllogiſmus exulat,regnat Enthymema,vt eſt illud Cic. interrogatione pro.Mur.n.3. *A quo tandem M. Cato eſt æquius Conſulem defendi;quàm à Conſule? quis mihi in Rep. poteſt, aut debet eſſe conjunctior, quàm is cui Reſp. à me vno traditur ſuſtinenda, magnis meis laboribus,& periculis ſuſtentata:* Ibid. n. 7. *Quòd ſi tùm,cùm Reſp.vim & ſeveritatem deſiderabat,vici naturam,& tàm vehemens fui,quàm cogebar, non quàm volebam ; nunc, cùm omnes me cauſæ ad miſericordiam,atque ad humanitatem vocent,quanto tandem ſtudio debeo naturæ meæ conſuetudiniq; ſervire?*

Hîc autem non dicitur argumentum à contrariis ductum;quale Cic. illud pro Milone n. 80. *Eius igitur ſedetis vltores, cuius vis ſi putetis per vos reſtitui poſſe,noliţis.*

Non quælibet ſententia per antitheſim expreſſa ; *Non eſt ira mortali viro immortalis fovenda. Quem impunè non eſt auſus,hunc iniuria,iniquo loco,alieno tempore,periculo capitis,non dubitavit occidere.* Pro Mil.n.

Definitur imperfectus Syllogiſmus, ſeu diminuta ratiocinatio,quæ ex vna ptopoſitione conſtat,& concluſione. Ab hoc punctim cæſimque ferit Antonium Cic.5.Phil.n.3. *Pacem vult Antonius arma ponat,roget,deprecetur. Nihil eſt profectò quod dari poſſit bellum gerenti:erit fortaſſe aliquid,quod concedi poſſit roganti.*

Imperfectum autem dicimus cui deeſt vna propoſitionum,hanc redde, perfectum & abſolutum effeceris,verum quia pars illa probatione non indiget,idcirco omittitur : probandum ſit ſapientem virum nullum pro patria periculum ſubterfugere,ſic fiet Enthym. Sapiens non ſibi tantùm,ſed multò etiam potius patriæ natum ſe putat,Ergo nullum eſſe pro patria periculum fugiendum.

Pars igitur tota Enthymematis poſita eſt in vna dumtaxat propoſitione probanda, & ornate tractanda, quod quia veris modis fieri poteſt, hinc diuerſæ naſcuntur formæ,quarum prima eſt Collectio omnium certè perfectiſſima, ſed & difficillima,quæ ſcilicet magnam vim judicii requirit.

PVNCTVM III.

De Collectione, tertia argumentationis forma.

IDea quædã eſt argumentationis de qua iſthæc præceptio tradi ſolet, primò quidem res proponitur, quæ probanda ſuſcipitur, ideoque locum propoſitionis obtinet,deinde ſubijcitur ratio;tertiò,rationis confirmatio;quartò, explantio ſeu expoſitio,vltimò concluſio,quæ quidem eadem eſt atque propoſitio. Probetur illud in quæſtione propoſitum, ſapienti nullum eſſe pro Reipubl. vitandum periculum,illud ſic exiſtimo fundendum.

Cum agitur incolumitas perpetua Ciuitatis, ſapientem virum & bonis rationibus præditum in ea ſemper fore ſententia puro, vt pro ſalute Reip. pugnet quamvis in magnam deſcendat vitæ dimicationem, neque vllum ſibi periculum pro cummuni libertate fugiendum arbitretur.

Cui propoſitioni ratio ſubjungi poteſt, hoc pacto. Neque enim ſe natum ſibi ſoli putat, ſed etiam amicis,affinibus, liberis, multoque etiam patriæ magis, in qua hæc omnia continentur, à qua cùm omnia commoda acceperit, nullum huic profectò, ſi memoriam tueri velit beneficii pro eius ſalute periculum grave& moleſtum videri poteſt.

Quæ ratio ſi placet,firmari poterit ſermocinatione inducta;ſic enim ſecum loquitur. Non mihi ſoli,ſed etiam,atque adeò multò potius natus ſum patriæ ; labores ſunt, ſuſcipiantur. Aluit hæc me tutè atque honeſtè produxit, ad hanc

vſque ætatem; pericula ſunt adeantur. Muniit rationes meas bonis legibus, optimis moribus, honeſtiſſimis diſciplinis, quid eſt quod à me ſatis ei perſolui poſſit, vnde hæc accepta ſunt?

Ratio confirmationis derivari poteſt à conſequentibus hoc modo. Accedit quemadmodum maximis difficillimiſque Reip. temporibus id ſæpè contingit, vt qui pro Republ. perire noluerit, cum Repub. pereat, & communi patriæ incendio, quod extinguere ſuo periculo neglexerit, liberos ſuos videat, fortunas opes, totam denique familiam miſerè deflagrare.

Ex infinitis propè locis reperi poteſt exornario, ſed delectus pendet ex Oratoris iudicio, hîc à contrario. Quæ cùm ita ſint ſtultè omnino faciat neceſſe eſt, qui vitandum ſibi diſcrimen pro patria putet, cùm neque effugere incommoda poſſit, & ingratus in Remp. reperiatur. Etenim vehementer eſt iniquum vitam, quam à natura acceptam, propter patriam conſervaveris, naturæ reddere, patriæ cum res cogat, non dare, & cum poſſis non ſine ſumma virtute, & honore pro patria interire malle per dedecus & ignominiam vivere.

Similitudo magnum ornamentum adfert. Itaque vti contemnendus eſt qui in navigando ſe, quam navim mavult incolumem, ita vituperandus, qui in Reip. diſcrimen ſuæ plus quàm communi ſaluti conſulit: Nave enim fracta multi incolumes evaſerunt, ex naufragio patriæ ſalvus nemo poteſt enatare.

Similitudini exemplum ſi addideris, valebit. Quod mihi videtur intellexiſſe Decius, qui ſe devoviſſe liberè dicitur, & pro legionibus in hoſtes medios immiſiſſe, vitam amiſit, at non perdidit, rè ſi quidem viliſſima tenuiſſimaque maximam redemit, dedit vitam, accepit patriam, amiſit animam, potius eſt gloria, quæ cum ſumma laude prodita vetuſtate quotidie magis enitescit. Concluſio abſolutum operis effectum dabit.

Accuſatur Vlyſſes Aiacis interfecti, propoſitio ſit id, in quo ſemper quod eſt probandum collocatur, Non eſt Iud. quod dubitetis interfectum ab Vlyſſe ſceleratiſſimo fortiſſimum Aiacem, totius Græciæ lumen ac decus. Ratio. Nam cùm in veſtra ſolitudine virum reperiſſet, odii ſaturandi tàm præſentem opportunitatem, quam locus dabat, arripuit. Confirmatio. Etenim cùm arborum frequentiam proſpectum omnem eripere poſſe vidit imprudentem opprimit, & incautum crudelis & impius mactat. Expoſitio. Itaque ſolitudo loci, ſylvæ tenebroſa denſitas, paratæ inſidiæ, dolus hoſtis infenſiſſimi nullo timore hùc & illùc fluctuantis poteſtatem viri interimendi, deterrimo omnium præbuerunt. Quis enim id non videat, ſi modò norit Vlyſſem audaciſſimum? quis Palamedis exitium neſcit? Igitur in ſylvis in ſolitudine paratus qui poterit ab inimîco ſceleratas manus cohibere; qui Græcorum omnium in oculis, celeberrimo in loco, iudicio publico, fortiſſimum ſapientiſſimumque virum non dubitarit occidere.

PVNCTVM IV.

De Sorite.

SIc à Cic. finitur, argumentatio quæ multas gradatim, & aceruatim inuoluit, ac tandem quibuſdam gradibus ad concluſionem accedit. Pro Flacco n.44. *Si Prætor dedit, vt eſt ſcriptum: à Quæſtore numerauit: Quæſtor à menſa publica menſa, aut ex vectigali, aut ex tributo. Nunquam erit iſtud ſimile criminis, niſi mihi totam rationem omni, & perſonarum genere, & litterarũ explicaris.*

Hac vtebatur Dux Themiſtocles dùm filium imperatori Græciæ contenderet ad oblectamentum animi. Nam filius meus matri imperat, illa mihi, ego Athenienſibus, Athenienſes toti Græciæ, ergo, & filius toti Græciæ.

Acervationem habet D. Ambroſ. lib. de fuga ſeculi cap. 8. dùm de Iacobi diligentia loquitur in eripienda fratri benedictione. *Quod invenitur quæritur, & quod quæritur temporis eſt, quod temporis eſt vtique diligentiæ eſt, quod autem prævenit vſum temporis, Deus fundit, Deus dat; quod Deus dat naturæ non diligentiæ eſt: Ingenium igitur divini eſt muneris; quod autem divini muneris, hoc naturæ. Ingenium ergo naturæ eſt, inventio diligentiæ; illud ſine tempore, hoc indiget tempore.* Sic Tull. 5. Tuſc. 44 probat omne bonum eſſe honeſtum.

Iterum

Digitized by Google

Iterum. Quid exiſtimandum eos feciſſe, qui in eſfloreſcentium ad omnẽ doctrinæ gloriam ſæculorum luce non exPrometheo quodam, ſed diuini pneumatis accenſa fornace meliore igne formati, non tàm homines, quàm Angeli ingenium ac induſtiam cupiditate, cupiditatem cognitione, cognitionem ſpe, ſpem propoſito futuræ immortalitatis præmio exacuerunt, modumque explorarunt commodum, quo ſua Deo præpotenti ſtudia, ſuos poſteris labores, ſuas demum commentationes æternitati conſecrarent.

Duo circa Soritem monenda, primum periculoſum & lubricum eſſe argumentationis genus; quare cauendum cautè ne in tranſcurſu aliquid non legitimum admittatur, aut minus conſequens: alioquin conglobatis conſequentiis, ex paruo errore ingens tandem præcipiciũ exiſtet, in quo tranſitu facilè capitur auditor, neque videt quæ ſibi ad extremum telæ texantur; ſpuriæ atque illegitimæ huius argumentationis hæc eſt forma. Bibliopola multos libros habet, eos ſæpè euoluit, qui autem libros ſæpè voluit, multum ſtudet, qui multum ſtudet doctus euadit. Ergo Bibliopola doctus euadit. Error huius argumentionis poſitus eſt in tertio gradu; eſt enim anceps hæc propoſitio, qui libros ſæpè voluit, multum ſtudet.

Alterum eſt Soritem ad amplificationes concluſionum aptiſſimam, vbi rebus antea diligenter probatis in vnam velut cathenam multæ argumentationes coaceruantur, in hunc ferè modum. Quis dubitet Principes in ſua regia, tanquã in altiſſima ſpecula collocatos eſſe, vt oculis peragrata imperij ſui magnitudine, ſolerti diligẽtia curaque peruigili prouideant, ne quid Reſp. detrimenti capiat? quale verò detrimentum paſſura eſſet, ſi pateret hoſtium incurſionibus, ſi in prouinciis, ac vrbibus, in penatibus, ac focis domeſticis barbarorum arma graſſarentur? Iam ad exitialem illam calamitatem emolliendam bella identidem cum irrumpentibus hoſtium copiis ſunt facienda, bellum vt geri poſſit cõſcribendæ ſunt cohortes omnibus præſidiis inſtructę legiones. Quis autem cogere milites, conflare exercitum, inſtruere aciem poſſit, niſi ſtipendio, congiariis, muneribus propoſitis, quibus milites incendi conſueuerunt, atque ad difficillima quæq; pericula ſubeunda permoueri. Porrò ad numerandam infinitæ propè multitudinis pecuniam, opus eſt ærario locupletiſſimo, quapropter ex omnibus regni partibus; atque Clientium fortunis neceſſe eſt in ærarium Regium vectiga'ia comportari.

Tandem vt aptè Soritem efficias, vti pores vel ſubmiſſione, vel gradationis artificio. Linguam domabis, ſi vigilabis, vigilabis, ſi timebis, timebis, ſi te Chriſtianum eſſe cognoueris.

Hoc argumento rationis in homine dignitatem atque præſtantiam probaret aliquis. Age verò quid eſt in orbe præcipuum, quid optimum; Homo, τολμηροτάτης τῆς φύσεως ἄγαλμα, & vtriuſque naturæ confinium. Quid homine? Animus κορυφαῖος τῶν κατορθωμάτων, & omnium gratiarum ſedes. Quid in animo? Mens ſecretum beneuolentiæ Dei tabernaculum, & καὶ τῆς θείας δόξης ἐμφανεία. Quid in mente? Ratio, quâ nihil, non in homine, ſed in omni cœlo diuinius, quæ cùm adoleuit, & perfecta eſt ſua luce, reliquorum omnium lucem extinguit. Quid in ratione? ipſamet Ratio, quæ fœcundo in ſeipſam reditu, & felicitatio opifice circulos in liquidis illis ſplẽdoribus effuſa dum reuertitur confuſa ad ſupremi Numinis communionem, attollitur inſolita & excellenti mutatione, quæ â myſticæ Theologiæ principibus θέωσις appellatur lumen vultus Dei, quod ſine Sole obſcuriſſima contemplatur ac videt, lux quædam formoſior iubaris Empyrei Stilla, in difficultatum Oceano Cynoſura, in artium littore Pharus, in ſapientiæ turribus auſpicatiſſima φρυκτωρία, in tenebris domeſticis lampas, in dubiis radius, fax in conſiliis, in terrendo fulmen, verbo dicam, inſigne prorſus animi decus & ornamentum viam oſtendens ne fatua erranti que vaniloquentiæ flamma deceptus in ignorantiæ Syrtes impingat, naufragiumque patiatur, ſed ex vitio & omnium rerum ignoratione; ſi volueris, ſine prolapſione glorioſus emergas.

PVNCTVM V.

Da Submiſſione.

EST quinta ſpecies argumentationis in qua noſipſi rationem petimus, cur quidq; dicamus, pro Quintio n. 37. *Non fuit cauſa cur poſtulares. Qui hoc intelligi poteſt? quia Sext. Nauio neque ex ſocietatis ratione, neque priuatim quicquam debuit Quinctius. Quis huic rei teſtis eſt? idem qui acerrimus aduerſarius. In hac re te, te inquam teſtem Naui, citabo.*

Fundi poteſt argumentatio producique longius, ſi roges rationem propoſitionis, aut rationis allatæ his verbis; quid ita? cur? quamobtem? quare hoc? quæ cauſa illius rei? quid te mouet ad hoc?

Author ad Heren. lib. 4. n. 24. vbi multis explicat quid ſit ratiocinatio, eamque ideam format. *Benè maiores noſtri hoc comparauerunt, vt neminem Regem, quem armis cepiſſent, vita priuarent. Quid ita? quia quam nobis facultatem fortuna dediſſet, iniquum erat in eorum ſupplicio conſumere, quos eadem fortuna paulò ante in ampliſſimo ſtatu collocarat. Quid quod exercitumcontraduxit? deſino meminiſſe. Quid ita? quia viri fortis eſt, qui de victoria contendant, eos hoſtes putare: quia victi ſunt eos homines iudicare; vt poſſit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere. At ille ſi viciſſet, num idem feciſſet? non profectò tam ſapiens fuiſſet. Quid igitur ei parcis? quia talem ſtultiam contemnere, non imitari conſueuit.*

Hæc verò diſputandi ratio excellit imprimis, ſi tamen duo conſiderentur, I. vitãdas eſſe ineptas interrogationes, non tantùm verbis, ſed etiam ſententiis. II. Vim totam huius raciocinationis in eo poſitam eſſe, vt acutè reſpondeas, aut grauiter, pro, rei, & naturæ opportunitate. Miſcebis autem facilè cum Sorite, Submiſſionem, ſi petitiones, & reſponſiones quædam inter ſe cum quadam ſerie, ac veluti per gradus connectantur; ita planè vt à prima, ad vltimam per intermedias duci poſſit conſequutio.

PVNCTVM XI.

De Enthymemate Compoſito.

COmpoſitum vocamus, cùm plures propoſitiones, & rationes ſimul conglobantur, è quibus vna duntaxat colligitur concluſio: vel contra cùm ex vna propoſitione plures concluſiones eliciuntur: quod pluribus modis fieri poteſt pro cuiuſque ingenio. Prioris exemplum eſſe poteſt huiuſmodi. Moriendum; igitur ſtultè facit is, qui caducis, & perituris voluptatibus indulget: moriendum eſt; inſanum igitur exiſtima quiſquis breuiſſimi temporis gloriam, & exiſtimationem ſequitur, de internis non cogitat. Moriendum eſt inquam; quid igitur huius vitæ commodis adhæreſcis?

Hæc imprimis ratiocinandi forma ad probandum eſt efficax, cauendum vero ne in ſtylo durum ſit, aut auſperum quidpiam.

Pluribus ex cauſis concluſionem vnam ſic elicies. Quæ eſt enim iſta tua ratio Calene, quæ mens, qui nũquam poſt Calendas Ianuarias idẽ cenſeris quod is, qui te primum ſententiam rogat, cur ſemper tui diſſimiles defendis. Hæc eſt concluſio, ſequuntur rationes, Cur cùm te & vita, & fortuna tua, ad otium, & ad dignitatem inuitet ea probas, ea decernis, ea ſentis, quæ ſunt inimica, & otio communi, & dignitati tuæ, quid eſt tibi cum Brutis bellum, qui eos, quos omnes venerari debemus, ſolus oppugnas; ampliſſimæ tibi fortunæ ſunt ſummos honoris gradus aſſequutus es, filius vt & audio, & ſpero natus ad laudem, quæro igitur cum Brutine ſimilem malis an Antonij?

Verum quia hæc ratiocjnatio paulò obſcuriorem habet Ideam, ſed tamen nihilo peiorem, nudam & apertam propono.

Quæris cur hic ſe voluptatibus abſtineat; ſtudet innocentiæ, quam voluptates contaminant: ſtudet animi tranquillitati, quam perturbant, ſtudet externæ felicitati, quæ molles, & effœminatos ſpoliat. Vides multiplices cauſas vnius concluſionis à fine petitas.

Iam ab effectis. Totus eſt in deliciis, ac voluptatibus, totus in obſcœnis libris, totus in conuiuiis,

Digitized by Google

niis,ac comeſſationibus , totus in ludo,& alea, miraris hunc impudentem eſſe?

Per Ironiam poteſt tractari. Terit aſſiduè libros infames,& obſcœnos ; impudicus non eſt? adhinnit ad omnes voluptates ; impudicus non eſt?Vis eſt in illis argumentationibus vehemẽs partim ad vrgendum aduerſarium , partim ad probandum,& mouendum.

Pvnctvm VII.
De Subiectione.

IN qua quærimus quid pro aduerſario,vel contra nos dici poſſit,deinde per ſingulas interrogationes continuò orationem ſubiicimus, quâ id quod dictum eſt falſum eſſe contendimus. Cic.4. in Verr. probat nullam eſſe viã defendendi Verris relictam Hortenſio,n.191. *Nunc verò quid faciat Hortẽſius?auaritiane crimina frugalitatis laudibus deprecetur ? at hominem flagitioſiſſimum,libidinoſiſſimum;nequiſſimumq; defẽdit. An ab hac eius infamia,nequitia , veſtros animos in aliam partem fortitudinis cõmemoratione traducat?at homo inertior , ignauior , magis vir inter mulieres nequam, impura inter viros muliercula proferri non poteſt. At mores commodi. Quis contumacior?quis inhumanior?quis ſuperbior? At hæc ſine cuiuſquã malo. Quis acerbior?quis inſidioſior ? quis crudelior vnquã fuit? in hoc homine , atque in eiuſmodi cauſa quid facerent omnes Craſſi,& Antonij ? tantùm opinor Hortenſi,ad hanc cauſam non accederent,ne in alterius impudentiæ ſui pudoris exiſtimationem amitterent. Liberi enim ad cauſas ſolutique veniebãt;neque cõmittebant,vt , ſi impudentes in defendendo eſſe voluiſſent,ingrati in deferendo exiſtimarentur.*

Idem pro Quinct.n.41. *Apellandi tempus non erat?ac tecum annoplus vixit,In Gallia agi non potuit?at & in Prouincia ius dicebatur , & Romæ iudicia fiebant. Reſtat,vt aut ſumma negligentia tibi obſtiterit,aut vnica liberalitas.Si negligentiam dices,mirabimur,ſi bonitatem,ridebimus.*

Et illud Pompeio. *Quid ? vt ſequuti eſſe videamini voluntatem hominũ ? Grauior igitur vobis erit, hoſtium voluntas , quam Ciuium. An dignitatem teſtium ? poteſtis igitur notos ignotis iniquos æquis anteferre?*

Pvnctvm VIII.
De Violatione.

ARgumẽtatio dicitur in qua vtimur rationibus aduerſariorum contra aduerſarios. Violationis duplex eſt forma , altera,cùm aduerſariũ ſecum pugnare oſtendimus,vt ſi cum Plutharcho Stoicorum ſententiam exagites, qui ſe beatos ac felices aſſerebant , etiam cum ſtipem cogerent. Da pallium Philoſopho,valde rigeo,& dentibus crepo. Quid ais felix?pallium poſcis , & tamen diues es?tu beatus,& dentibus crepas.Vbi veſtra illa conſtantia ? Quid petis. Si omnia poſſides? Quid tremis & riges,ſi fortunatus es?Subtilis & contentioſa ratiocinatio.

Altera eſt cùm rationes aduerſarij detorquemus ad ſententiam,quam impugnat ,Tull. Cœcilium hac ratione confutat:Ille qui quòd Verris Quæſtor fuiſſet ; eus ſibi accuſationem deberi contendebat;eâdem ipſius Cœcilij ratione conuellit,quaſi dilemmate Diuinat.in Verr.n.61. *At vide quàm differat inter meã opinionem,ac tuam. Tu cum omnibus rebus inferior ſis , hac vna in re mihi anteferri putas oportere,quod Quæſtor illius fueris. Ego,ſi ſuperior omnibus rebus eſſes , hanc vnam ob cauſam te accuſatorem repudiari putarem oportere. Sic enim à maioribus noſtris accepimus , Prætorem Quæſtori ſuo parentis loco eſſe oportere:nullam neq; iuſtiorẽ neq; grauiorem cauſam neceſſitudinis poſſe reperiri quàm coniũctionem ſortis,quàm Prouinciæ, quàm o fficij,quàm publici muneris ſocietatem.*

Idem pro Sylla n. *Regium eſt dicere in quem velis:immò ſeruitus eſt non dicere in quem velis , ac non defendere quem velis.*

Prodeat abdomini ſuo ventriq; natus ex inferis Caluiniſta neſcio quis , & Ieiunium procul amandandũ ab orbe Chriſtiano dictitet impudẽter : Quid ita ? quia ſatis ſuperque cauſa noſtra Chriſtus ieiunauit?Imverò imo maximè ieiunãdum quòd Ieiunij magiſter & auctor Chriſtus eſſe voluerit.

Pvn

PVNCTVM IX.

De Oppoſitione.

EſT argumentatio in qua propoſitioni contrarium aliquid eſt. Probare vult aliquis incūbendum eſſe Chriſtiano bonis operibus, quia mortis hora dubia eſt, ac incerta;ſic ratiocinari poteſt per Oppoſitioné.Certè ſi mors nno impéderet ceruicibus noſtris fortè quieti locus eſſet aliquis,ac ſecuritati.Oppoſitio.Nunc autem cùm breuiſſimum tempus nos vrgeat,& hoſtis inſtet, ac immineat iudex quis non arbitretur ſumma contentione enitendum eſſe,vt Dei fauorem bonis operibus conſequamur,& felicem ex hac vita diſceſſum ad immorralitatem.

PVNCTVM X.

De Dilemmate.

IN duas partes,ſiue rationes eſt diniſa ratiocinatio, quarum vtraque ferit aduerſarium, ſic planè,vt vtram partem conceſſeris reprehendaris;ſic probari poteſt quemvis dolorem ferendum eſſe; nam omnis dolor aut eſt vehemens, aut leuis?ſi leuis facilè feretur;ſi vehemens certè breuis erit.

Multis ex hoc vrget aduerſariū Tull. nec eſſe mittēdos ad Antonium legatos Dilemmate probat Phil 5.n.25. *Legatos decernitis,ſi vt deprecentur,contemnet,ſi vt imperetis,non audiet.*

Piſonem ferit,n. 56. vel triumphi,vel prædæ cupiditas,te ad petendam Prouinciam rapiebat; non triumphi,vt tute profiteris,ergo prædæ.

Secunda in Anton. Chirographum adulteratum,& falſo nomine Cæſaris,ſubiectum probat, n.100.*Sed ad Chirographa redeamus.Quæ fuit tua cognitio? acta enim Cæſaris pacis cauſa confirmata ſunt à Senatu quæ quid in Cæſare egiſſet,non ea quæ Cæſarē egiſſe dixiſſet Antonius.Vnde iſta erumpūt? quo authore proferuntur?ſi ſunt falſa cur probantur? ſi vera,cur veneunt.*

Valenr ad refutandum Dilemmata, Clodiam perſtringit Cic. & Cœlium purgat. n. 50. *Nam ſi non es impudica,procax & petulans meretrix,nihil eſt quod obiiciant Cœlium cum honeſta matrona parum honeſte verſatum:ſi meretricem impudicā eſſe confitentur accuſatores inſtructi, non eſt magis Cœlio,quàm ipſi Clodia ab hoc impudicitia crimine metuendum.*

Crinitus,l.8.de honeſta diſciplina,c.9.Hoc habet in Aſtrologos.Si proſpera pollicentūr,& fallunt,miſer fies fruſtra expectando: ſi aduerſa dicunt & mentiantur, miſer fies, fruſtrà timendo.

Renatus Laurentius in Comment. Tertull. Lucretiæ factum ſibi manus afferentis arguit Dilemmate.

Si fuit ille tibi Lucretia gradus adulter,
Immerita ex merita præmia morte petis;
Sin potius caſto vis eſt allata pudori,
Quis furor eſt hoſtis crimine velle mori,
Fruſtrà igitur laudem captas Lucretia;namq;
Vel furioſa ruis,vel ſcelerata cadis.

Propoſitis rationibus ob quas iuſtus poſſit videri dolor,aliis appoſitis inanem prorſus eſſe luctum diſputat ſubtili Dilemmate Senec.conſol.ad Polybium de fratris obitu,c.27. *Illud quoque magno tibi erit leuamento,ſi ſæpè te ſic interrogaueris: Vtrúmne meo nomine doleo, an eius qui deceſſit? ſi meo perit mea indulgentia laxatio;& incipit dolor, hoc vno excuſatus, quòd honeſtus eſt,cùm ad vtilitatē reſpicit,à pietate deſciſcere. Nihil autem minus bono conuenit, quam in fratris luctu calculos ponere.Si illius nomine doleo;neceſſe eſt alterutrum ex his duobus eſſe indicem. Nam ſi nullus defunctis ſenſus eſt,euaſit omnia frater meus vita incommoda, & in eum reſtitutus eſt locum, in quo fuerat antequam naſceretur:& expers omnis mali,nihil timet, nihil cupit,nihil patitur.Quis iſte furor eſt, pro eo me nūquā dolere deſinere,qui nūquā doliturus eſt?ſi eſt aliquis defunctis ſenſus;nūc animus fratris mei, velut ex diuitino carcere emiſſus,tandem ſui iuris & arbitrij geſtit, & rerum naturæ ſpectaculo fruitur, & humana omnia ex ſuperiore loco deſpicit:diuina verò quorum rationem tamdiu fruſtra quæſierat, propius intuetur. Quid itaque eius deſiderio maceror,qui aut beatus,aut nullus eſt?beatum deflere,inuidia eſt:nullum,dementia.*

Sapienter Poëta bonus aнream mediocritatem appellauit,quæ modum rebus conſtituat,talemque temperationem adhibear, vt neque iuſtam lineam tranſiliant, nec ab ea longiùs abſiſtant,

Google

ſtant, nec illis deſit quidquam, nec imperet. Iuſtitia ſi juris ert tenacior, ſeueritatis frontem induere videbitur: humanitas ſi fuerit explicatior, & facilior, in molliorem indulgentiam degeneratura eſt: ſic Conſul impinget qui ſeueritatem humanitate, vel humanitatem ſeueritate non temperarit. Fac enim indulgentiorem eſſe, laxum ocytantem in ciuium perditorum ſceleribus conniuentem: cum Clientes ſui non magis amauerint, quàm contempſerint: fac ſeueriorem, importunum, barbarum, furioſum, truculentum: Ciues ſui, non tam eum coluerint, quàm metuerint.

Vſurpatur nonnunquam inſtar Epiphonematis, 2. in Rull. vbi varia narrauit incommoda Reip. R. euentura, ſi cum faſcibus, & imperio permittantur obire Prouinciam Decem-viri tùm concludit Dilemmate, num. 45. *Quid cenſetis, cùm iſti Decemuiri cum imperio, cum illa delecta finitimorum iuuentute per orbem terrarum vagabuntur? quo tandem animo, quo metu, quo periculo, miſeras nationes futuras? Eſt imperio terror: patientur. Eſt in aduentu ſumptus: ferent. Imperabitur aliquid muneris: non recuſabunt. Illud verò quantum eſt, Quir. cum Decemuir, qui aliquam in vrbem aut exſpectatus, vt hoſpes, aut repente, vt Dominus, venerit, illum ipſum locum, quò venerit, illam ipſam ſedem hoſpitalem, in quam erit deductus publicam, Populi Rom. eſſe dicet? Quinta calamitas populi, ſi dixerit? quantus ipſi quæſtus, ſi negarit?*

Martialis ex hoc in Cinnam argumentatur, monetque officij immemorem, promiſſique violatorem, 7 Epig 42.

Primum eſt vt præſtes, ſi quid te Cinna rogabo;
Illud deinde ſequens, vt citò Cinna, neget.
Diligo præſtantem, non odi, Cinna, negantem.
Sed tu nec præſtas, nec citò, Cinna, negas.

Diluendi Dilemmatis omninò duplex eſt ratio, eàque facilis: I. cum totum Dilemma inuertitur. Scitum eſt illud Antigoni Regis à quo cum frater peteret, vt cauſa, quam habebat, non in foro, ſed domi cognoſceretur, ſic ille reſpondit; cauſam iniuſtam habes, cur litigas? ſi iuſtam, cur hominis conſpectum fugis?

Cui reſpondere potuit frater parte vtraque inuersâ: ſi iuſta eſt melius, & facilius domi cognoſcetur; ſi iniuſta, minorem priuatim infamiam ſubibo, quàm publicè.

Altera ratio ſoluendi Dilemmatis, cùm vna dumtaxat ex duabus partibus infirmatur. Sic herus ille ſeruum percutiens reſpondere potuiſſet, roganti cur illius operâ vteretur, ſi eſſet improbus, cur percuteret, ſi probus. Non percutio quia probus, ſed quia improbus, vt probo vti poſſim.

Huc refer Crocodilos quos vocant, ſeu callidas interrogationes, quibus ſimplices, ac imperiti circumueniri ſolent: dicuntur autem Crocodili, propterea quòd Poëtæ commenti ſunt Crocodilum rapto viduæ mulieris filio, ſic cum ea fuiſſe collocutum. Reddam tibi filium ſi verum dixeris; reſponde igitur vtrum tibi ſim redditurus, necne, negauit illa fore vt redderet, & ob eam cauſam debere reddi, quòd verum dixiſſet, Cui Crocodilus non reddam, inquit: ſi enim reddidero vera non eris loquuta; ſin me redditurum dixeris, falſum dices, non enim certò reddam.

Huc etiam reuocantur mentientes Propoſitiones, quæ ſeipſas negant, vel ſi ſe includunt, falſum affirmant; ſic cum ille Poëta dixiſſet Cretenſes omnes eſſe mendaces, propoſitionem ſanè mentientem attulit; nam ſi omnes Cretenſes mēdaces; ergo & ipſe mendax, cum Cretenſis ipſe mendaces illos omnes dixerit: ſi neget ſe mendacem falsò dixerit Cretenſes omnes eſſe mendaces, erit itaque & ſimul mendax, & ſimul verax.

De Inductione.

Socratica dicitur argumentatio, quòd illâ præ cæteris plurimum vſus ſit apud Platonem in Theag. vbi multis probat hominem ſapientum conſuetudine ſapientem fieri, agricolam agricolarum conuictu, militari contubernio militem.

Eſt autem ea probandi ratio quæ communem & vniuerſalem veritatem in ſingularibus manifeſtam oſtendit, cuius Ideas aliquot faciunt Oratores.

* * *

Dd

PVNCTVM I.

De Enumeratione, prima Inductionis forma.

FAmiliaris eſt inter locos communes hæc argumentationis ſpecies, quę ſi rectè tractetur ad perſuadendum vim habet ſingularem, fit autē variis modis. I. quidem cum ſingulis diſtributionis membris aliquid per Iſocola diſtribuitur, talis eſt illa 14. Phil. n. 34. *Sed quoniam P. C. gloriæ munus optimis, & fortiſſimis ciuibus monumenti honore perſoluitur, conſolemur eorum proximos, quibus optima eſt hæc quidem conſolatio parentibus quod tanta Reip. præſidia genuerunt: liberis quod habebũt domeſtica exempla virtutis: cõiugibus, quod iis viris carebunt, quos laudare, quam lugere præſtabit: fratribus quod in ſe, vt corporum, ſic virtutum ſimilitudinem eſſe confident.*

Hæc ſpecies diſtributionis plus valet ad amplificandum, & ornandum, quàm probandum; ſed quæ ſequitur in contentionibus potiſſimum excellit.

II. Fit igitur diſtributio per aculeatas interrogationes contra Piſon n. 53 *Habes reditum meum. Confer nunc viciſſim tuum, quando quidem amiſſo exercitu, nihil incolume domum præter os illud priſtinum tuum, retuliſti qui primùm, quà veneris cum laureatis tuis lictoribus, quis ſcit? quos tùm Mæandros, tum omnes ſolitudines perſequeris, quæ diuerticula flexioneſque quæſiſti? quod te municipium vidit? quis amicus inuitauit? quis hoſpes adſpexit? nonne tibi nox erat pro die? non ſolitudo pro frequentia? caupona pro oppido? nõ vt redire ex Macedonia nobilis Imperator, ſed vt mortuus infamis referri videretur? Romam verò ipſam fœdauit aduentus tuus.*

III. Additur vis diſtributioni, quando præter interrogationem antithetis etiam ornatur. Sic hæc Idea. Nam fraudulentis hominibus quorum ea eſt ars amare vitia principum, vt amētur, tametſi inter ipſa ſatellitum præſidia nobilium animos prædari ſoleant, ſi ad fauorem tuum adrepere velint, tum erit difficilius latere prudentiam quàm placere pietati; graſſentur adulatione; modeſtiam offendent: Amorem ſimulent laruam detrahet prudentia: calumniæ laqueos ſtruant; ſolertia deprehendet: terrorem & metum miſceãt, fortitudo repellet. Sola innocentia aditum habet ad gratiam Principis, nec capit quidquam animus tuus, niſi virtutes, nec capitur niſi virtutibus.

Fit per congeriem interrogatione vibratam. Diuinat in Verr. n. 37. *Tu te collige, & qui ſis, & quid facere poſſis, conſidera. Putáſne te poſſe de maximis, acerbiſſimiſque rebus, cùm cauſam ſociorum, fortunáſque Prouinciæ, ius Populi Rom grauitatémiudicij, legumq́, ſuſceperis, tot res, tàm graues, tàm varias, voce, memoria conſilio ingenio ſuſtinere? Putaſne te poſſe: &c.*

PVNCTVM II.

Similium ac diſſimilium Inductio.

ESt etiam altera ſpecies Inductionis, cùm pluribus ſimilibus inductis propoſitio confirmatur, ad quam ſatis eſt aliqua ſimilia collgere. Ex ſimilibus multis aliud infertur ſimile. Sic. D. Cyprian. Deum vnũm eſſe probat contra Idola Gentium. Ad diuinum imperium etiam de terris mutuemus exemplum. Quando vnquam regni ſocietas, aut cũ fide cepit, aut ſine cruore deſiiit? Sic Thebanorum germanitas rupta.

Inductione probat D. Ambroſ. virtutem magnam in minoribus experimentum capere: per exercitationem verò frequentem ad illuſtriora progredi 1. Offic. c. 10. *Qui diſciplinam Gallicam vult aſſequi, quotidie exercitatur armis, & tanquã in procinctu poſitus præludit præliũ, & velut coram poſito prætendit hoſte, atque ad peritiam vireſque iaculandi, vel ſuos explorat lacertos, vel aduerſariorum declinat ictus, & vigilanti exit obtutu. Qui nauim in manu regere gubernaculis ſtudet, vel remis ducere, prius, in fluuio præludit. Qui canēdi ſuauitatem, & vocis affectant præſtantiam, prius ſenſim canendo vocem excitant. Et qui viribus corporis, legitimoque luctãdi certamine coronam petunt, quotidiano vſu Palaſtræ, durantes membra nutrientes patientiam; laborem aſſueſcunt. Necnon ipſa natura nos in paruulis docet, quòd prius ſonos meditatur loquendi, vt loqui diſcant.* Dũ probare conatur Cic.

ad non

ad nouos caſus temporum ſemper nouorum cõſiliorum rationes accommodandas, aliqua recenſet, tum ex veteribus petita, vt Scipionem Africanum in quo noua multa conſtituta fuerant: tum ex recentioribus, vt C. Marium; deinde refert quæ in ipſo Pompeio conſtituta ſunt, vt concludat à ſimilibus contra Catulum pro lege Manil num. 61. *In ipſo Cn. Pompeius, in quo noui nihil conſtitui vult. Qu. Catulus, quam multa ſint noua, ſumamque Catuli voluntate conſtituta, recordamini. Quid tàm nouum quàm adoleſcentulum priuatum exercitum difficili Reip. tempore conficere? confecit, huic præeſſe? Præfuit; rem optimè ductu ſuo gerere? geſſit. Quid tam præter conſuetudinem, quàm homini per adoleſcenti, cuius a Senatorio gradu ætas longè abeſſet, imperium, atque exercitum dari? Siciliã permitti, atque Affricam, bellumque in ea adminiſtrandum? fuit: in his Prouinciis ſingulari innocentiâ grauitate, virtute, bellum in Africa maximum confecit victorem exercitum deportauit. Quid verò tàm inauditum, quàm Equitem Romanum triumphare? at eam quoque rem populus Rom. non modo, vidit, ſed etiam omni ſtudio viſendam putauit. Quid tàm inuſitatum, quid tàm ſingulare? &c.*

Vti ſimilibus, ita diſſimilibus aliquando conſtat Inductio, quibus contraria propoſitio, & probatur, & illuſtratur. Sic probare quis poſſet, eum denique, qui iuſtus eſt. boni Principis partes expleuiſſe. Qui aliqua virtute præcellit, non continuò perfectus, & abſolutus Princeps exiſtimari debet, laudatarum artium ſtudioſus fuit Iulianus, quis bonum idcirco principem appellet? Claudium naturalis quædam bonitas commendauit; neque tamen is bonis principibus nominatur: at qui iuſtus eſt is denique boni Principis partes omnes explicuit.

P V N C T V M III.

De Exemplo.

EST argumentatio in qua per multa paucis coaceruantur cum eleganti diſtributione, vt ex illis veritas vniuerſa conſiſtat. Exemplum eſſe poteſt illud diuinæ Sapientiæ, *Qui me contemnunt erunt ignobiles.* Hanc ſententiam ſic amplificabis. Nihil ad amorem populorum, nihil ad gloriam, nihil ad felicitatem efficacius eſſe poteſt opinione pietatis, Scipio Iouem in Capitolio conſulebat, circumferebat Sylla Sigillum Apollinis, Ceruam Sertorius, Marius Syram fatidicam; & Scipionem quidem virtus, Syllam felicitas, Sertorium prudentia, fortitudo Marium, omnes pietatis fama victor s'effecit. Quanta vis'eſt amabo virtutis, ac pietatis cuius inanis vmbra clariſſimorum Principum fortunæ tantam inclinationem dedit? atqui non minorem euertit impietas. Hieroſolymitanum templum Nabuchodonoſor explanauerat, repentè ad belluarũ pactum homo belluis rapacior] abiicitur: ſacra ſupellectili Balthaſar ad profanas delicias abuſus fuerat, ecce tibi in crapula ſepultum animum reliquit, atque imperium. Heliodorum in templum auara cupiditas immiſerat, ſed inter ſonitum, crepitumque plagarum, temeritatem deponit. Anthiochum contemptus religionis ad inexpugnabilem morbum moribus ad pœnitentiam, pœnitentia ad deſperationem præcipitat. Pompeij cineres ſine ſepulchro, Craſſi caput auro circumcluſum, Caſſij cum Romanæ ciuitate interitum eadem cauſa nobilitat. Decium repentinus, Diocletianum voluntarius, Iulianum caſus violentus abſumit; Maxentium tab.s, Maximum ſacer ignis Valentem haurit incendium, Leonem ventris profluuius, Copronimum mala peſtis, Copronimi filium inſana febris euertit. In tanta funerum clade audio Cœlum, vel potius intonantem Deum; QVI ME CONTEMNVNT ERVNT IGNOBILES Eſt igitur boni Principis diuini, famulari, vt humana moderetur.

P V N C T V M IV.

De Auctoritate.

EST familiaris, & trita probandi ratio, qui rem auctoritate alicuius hominis, aut exitu negotij, vel confirmat, vel certè infirmat. Differt à ſuperiori ſpecie, quòd à ſingulis procedat ad ſingula, vnde & Inductio diminuta dicitur. Pro Milone, num. 58. *Cur igitur eos manumiſit? metuebat ſcilicet, ne indicaretur: ne dolorem perferre non poſſent: ne tormentis cogerentur, occiſum eſſe à ſeruis Milonis in appia via P. Clodium. confiteri.*

Digitized by Google

Affinis eſt exemplo Parabola, Fabula,& Apologus, quæ poſſunt ab Oratore tractari, quæ ſumam voluptatem audienti afferunt,nec paruum aliquando firmamentum ipſi Orationi. Porrò in Apologis, Exemplis, & fabulis ars narrationis maximè dominatur,ſupereſt, vt quemadmodum de argumentatione præcepta ſunt tradita, & alla æ multiplices probandi formæ, de vſu dicatur hîc aliquid.]

LECTIO IV.

De vſu & varietate Argumentationis.

MIrum eſt doctorem Eloquentiæ Tullium aliquid perfectionis deprehendiſſe in aliis, quod in ſe deſideraret,ſic enim de Carneade.2.de Orat.num.161. *Carneadis verò vis incredibilis illa dicendi,& varietas,perquam eſſet optanda nobis:qui nullam vnquam in illis ſuis diſputationibus rem defendit,quam non probarit:nullam oppugnauit, quam non euertit.*

Hanc ego varietatem in argumentatione cum Cicerone probo maximè,quippe rebus in omnibus ſimilitudo ſatietatis eſt mater, quam docet vitandam. 2. de Orat. num. 177. *Tractatio autem varia eſſe debet, ne aut cognoſcat artem, qui audiat; aut defatigetur ſimilitudinis ſatietate Proponi oportet, quid afferas, & id quare ita ſit,oſtendere ; & ex iiſdem illis locis interdum concludere, relinquere aliàs,alióque tranſire:ſæpè non proponere, ac ratione ipſa afferenda,quid proponendum fuerit,declarare: ſi cui quid ſimile dicas prius,vt ſimile cõfirmes:deinde quod agitur,adiungas:puncta argumentorum plerumque vt occulas, ne quis ea numerare poſſit,vt re diſtinguantur,verbis confuſa eſſe videantur.*

Ex his facilè quiuis colligere poteſt tribus,aut quatuor potiſſimum rebus vſum argumentationis abſolui. I. Vt in Oratione commodè diſponantur argumenta, & in optimum ordinem adducantur. II. Vt varietas quæratur in argumentationibus cauſa vitandi faſtidij. III. Vt figuris perpoliatur. IV. Vt cum erit inuenta argumentandi varietas,tranſitionibus,& artificioſo nexu variæ illæ ſpecies atque formæ illigentur.

PVNCTVM I.

Primus variandæ argumentationis modus.

VAriari iubet Tull. totas ipſas argumentationes, ſi nimirum ad roborandam quæſtionem geminam,aut triplicem rationē colligamus, ne ſingulas Epichiremate pertractemus, aut Enthymemate ſingulas: ſed priori deſeruiat Argumẽtatio quinque partita, mediam vibret Enthymema,tertiam claudat Inductio. Proponatur hæc quæſtio contra Stoicos, Affectiones animi non eſſe ſtirpitus euellendas. Quærendum primò vnde depromas argumenta ſcilicet è locis,& in illis varietas,ne ſi fortè in ſingulis eandem formam, & ſpeciem ſerues,ineptus,& imperfectus artifex habearis : At vnde tandem illa varietas?è variis locis varia ducuntur argumẽta,ſic ex diuerſis argumentandi formis varietas tractãdi argumenti.

Primum igitur petatur à cauſa finali,quod victoriæ materiam,ac triumphorum præbeant. Et id Syllogiſmo conficietur,hac ferè ratione. Etenim ea res homini ſapienter eſt indita, quæ frequentem,&aſſiduam laudis ſegetem ſubminiſtrat:at vndè maior gloria, quàm exanimi perturbationibus, quas ſi quis domitas habeat, &c. Quid eſt igitur quòd eas ex natura penitus reſcindendas putes ? en Syllogiſmum breuem, quem ſi velis, facilè dilatare potes.

Altera ratio ducitur ab efficiente cauſa,quòd à natura nobis ſint inſitæ,hæc frequenti Epichiremate tractari debet. Quis enim credat ea funditus eſſe tollenda,quæ pectoribus noſtris natura parens inſeuit, àqua nihil fruſtrà, nihil temerè ſuſcipitur, quâ obluctante quidquid quæritur violentum eſt, plenum verò temeritatis conſilium, ſi cum ea pugnare velis, quis autem à natura neget, impreſſas eſſe huiuſmodi commotiones.

Enumeratione hæc aſſumptio probari poteſt. Et enim ſedem vnicuiq; propriam in corpora cõſtitutam

Digitized by Google

ſtitutam eſſe voluit, in ſplene, lætitiæ, iræ in felle, cupiditati in jecore, timori in corde: has euelle, vitam ſuſtuleris.

Tertia ratio ab effectis, quod virtutes non parùm iuuent: Enthymemate hoc includitur. Et certè detracto quod redundat, ad ſalutarem modum cogi omnes perturbationes poſſunt. Damodum auaritiæ; frugalitas eſt: profuſionem reuoca liberalitas: ambitionem coërce; animi magnitudo: iracundiam cohibe; fortitudo cenſebitur

Rationem à contrariis quàm facilè eſt abſoluere? Hæc erat, quòd ſine perturbationibus omnis actio langueſcat, vigor animi reſoluatur. Non ſit cupiditas, quomodo temperantiam exercebis? Tolle metum; prudentiæ frænum detrahis: interclude lætitiam; fons omnis ſenſus, & amor virtutis exareſcit.

A ſimili. Vt in agro Plantæ diligenti cultura manſueſcunt, ſic affectus in animo. Vis dilemma? Nam ſi pernicioſæ ſunt animi concitationes, cur à natura inſitæ? ſi vtiles cur exſcindendæ?

Exemplum illud habes, deliberationem in Senatu Romano agitatam, cenſeréntne patres Cartaginem eſſe euertendam: negauit Fabius, negauit & Scipio, quòd eſſet vrbs illa Romanæ virtutis cos & incitamentum, quæ vbi ceſſaret ab acuendo robore iuuentutis Rom. in ſua viſcera ferrum eſſent conuerſuri, quis igitur euellendas ex hominum mentibus perturbationes concedat? Vides quanta varietas in hoc exemplo non argumentorum modò, ſed argumentationum exiſtat, ſi quis arte oratoria vti velit.

Eandem varietatem ſeruat in quatuor prioris Cat. ratiocinationibus, quibus concludit in exilium Catilinæ abeundum eſſe. I. Quia eius conjuratio patet: quam rationem quadripartita ratiocinatione tractat. Num. 6. *Etenim quid eſt, Catilina, quod jam amplius expectes, ſi neque nox tenebris obſcurare cœtus nefarios, nec priuata domus; parietibus continere vocem conjurationis tuæ poteſt: ſi illuſtrantur, ſi erumpunt omnia, muta jam iſtam mentem: Mihi crede, obliuiſcere cædis, atque incendiorum, teneris vndique, luce ſunt clariora nobis tua conſilia omnia, quæ etiam licet mecum recognoſcas.*

Rationem aſſumptionis affert, à num. 7. ad 10. *Memini, ne me ante diem xij Kalend. Nouembris dicere in Senatu certo die fore in armis Caium Manlium audaciæ ſatellitem, atque adminiſtuum tuæ?*

Secunda ratio quia nihil eum in vrbe delectare poteſt. Quam per Enthymemata multis amplificat, cuius hoc eſt antecedens. Tibi nihil in vrbe jucundum, à num 13. *In qua nemo eſt extra iſtam conjurationem perditorum hominum qui te non metuat, nemo qui te oderit? quæ nota domeſtica turpitudinis non inuſta vitæ tuæ eſt? quod priuatarum rerum dedecus non hæret infamia, quæ libido ab oculis, quod facinus à manibus nunquam tuis, quod flagitium à toto corpore abfuit? Cui tu adoleſcentulo, quem corruptelarum illecebris irretiſſes, non aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinem faces prætuliſti?*

Concludit num. 20. egredere. *Quæ cùm ita ſint dubitas ſi hic emori æquo animo non potes, abire in aliquas terras, & vitam iſtam multis ſupplicijs iuſtis, debitiſque ereptam fugæ ſolitudinique mandare?*

Tertia ratio. Quia te omnes boni cupiunt vehementer egredi, Inductionem habet à num. 20. *Optat Senatus, Equiſter ordo, populus. De te cùm quieſcunt, probant, cùm patiuntur, decernunt, cùm tacent, clamant. Neque hi ſolum, quorum tibi authoritas eſt videlicet cara, vita viliſſima, ſed etiam illi Equites Rom. honeſtiſſimi viri, cæterique fortiſſimi cives, qui circumſtant Senatum.* Concluſio 23. *Quamobrem proficiſcere. Si ſeruire laudi meæ manis egredere cum importuna ſceleratorum manu; confer te ad Manlium, concita perditos Cives, ſecerne te à bonis: infer patriæ bellum, exulta impio latrocinio, vt à me non ejectus ad alienos, ſed inuitatus ad tuos eſſe videaris*

Quarta ratio, qui ipſemet cupit ad Manlium proficiſci, quam rurſus Enthymemate includit à num. 24. cui concluſio deeſt, quòd jam eſſet tertium à Ciceron. repetita. *Quamquam quid ego te inuitem à quo jam ſciam eſſe præmiſſos, qui tibi ad forum Aurelium præſtolentur armati? Sciam partam, & conſtitutam eſſe cum Manlio diem.*

* * *

Digitized by Google

PVNCTVM II.

Alter argumentationis variandæ modus.

VAriãtur illius partes ſingulæ I. Per diminutionem, quod eſt admodum Ciceroni familiare; quippè qui ferè ſemper eas partes adimit quæ per ſe ſatis patent, quaſque ſi pertractet, diffidere auditorum ſapientiæ videatur.

II. Variando tractandi artificium, Quot enim ſunt figurarum modi, tot variandarum partium rationes; nempè propoſitio per interrogationẽ tractabitur. Agè verò quid eſt quod te, &c.

Ratio per addubitationem, aſſumptio per ſuſtentationem, & ſic de cæteris.

III. Non ſemper eundem ordinem ſeruandum, ſed quo cautius ille turbabitur, eò tutior erit ſus artificii, quare nonunquam ab ipſa concluſione ordiendum erit, mox ab alterutra ratione, aliàs ab aſſumptione, quod obſeruat diligenter Cic.

Iam Stoïcus aliquis affectiones animi penitus euellendas eſſe contendat, hoc Epichiremate. Optandum eſt in tuto ſitum eſſe potius, quàm perturbationi ſemper obnoxium. Nam nullus eſt Sapiens gubernator, qui vt artis periculum faciat iactari tempeſtate velit. At qui ſtirpitus euellit ex animo perturbationes in tuto ſe collocat. Etenim neque erupturæ in furorem iræ præcipitis deinceps erit obnoxius, neque cupiditati, non timori, &c.

Inuertes propoſitionem ſi dixeris. Dabis aures: ſi conſiliis meis acquieueris, Stoïcorum Zenoni ſapientiſſimo, perturbationumque fibras omnes euelles. Age verò ſi liberum ſit, nunquid præſtat non inſanire penitus, quàm modicè: citra omnem periculi aleam, quàm in ipſo periculo viuere? num melius eſt, in tuto velut in arce, ex qua deiici non poſſis, quàm procellis, & naufragio temet obiicere? Etiámne quæris quas procellas intelligam? iræ fluctus & cupiditatis, cæteraſque mentis agitatæ commotiones Adhuc fræna cupiditati ſemel incitatæ, ſi potes: odij inflammati faces & incendium, ſi vales, extingue: impera modum iræ vehementiori, pone metam libidini. Nihil audit ſemel perturbata ratio, &c.

PVNCTVM III.

Tertius variandæ argumentationis modus.

IN exornationibus conſiſtit; nec enim ſemper omnia judicantis, & affirmantis modo ſingula proponit Orator, ſed imperandi nonnunquam, & optandi modis vtitur; nec affirmatione ſimplici tantum rẽ exprimit, ſed interrogationibus ſemetipſum, tùm alios percunctatus, aliiſque luminibus, ac figuris orationem diſtinguit.

De quo genere ſcribit in hæc verba Tull. par ric, num. 47. Percunctamur inſtandi, & vrgendi cauſâ nimirum quòd negari, vel dici non poſſit. Eſt autem illa varietas in argumentando, & non injucunda diſtinctio, cùm interrogamus noſipſos, aut imperamus, aut optamus.

A nobis rationem reſpoſcimus dùm quare, quid vedicamus crebrò petimus. Quantum conniti animo poſſumus, quantum labore contendere, tantum efficere debemus, vt charitatem habeamus. Quid ita? quoniam omni ſtudio nobis elaborandum eſt, vt id adipiſcamur, quod arctiſſimè nos cum Deo ſumma voluntatatum cõmunione jungit. Quidam porro ſingularem hanc cum tanto, tàm diuino parére ſocietatem efficit? vna eaque ſola charitas. Quo tandem pacto? quia cuius animum hæc diuina virtus exornat, habet is habitatorem eum, qui ſummè bonus omnibus naturæ muneribus, & gratiæ donis hoſpitem ſuum cumulat, id ſi ita eſt, quis nolit his amoris facibus inflammari?

Optamus & imperamus. Incumbite per Deum immortalem in hanc rem diligenter, vt non tàm communi cœlo, quàm amore diuino viuatis, ſi beati, ſi felices eſſe vultis. Vtinam vehementi ſemper odio proſequeremur omnia, quæ tàm utilem nobis, & neceſſariam cum Deo conjunctionem diſſoluere poſſunt, & amoris flammas extinguere, quibus ad æternæ felicitatis ſedem eleuamur.

Com-

Digitized by Google

Communicamus, deliberamus, exclamamus. Quæro à vobis quidnam ei faciendum putetis, qui coniunctiſſimus eſſe Deo velit. Nū corporis & animi vires in id vnum conferre debet, vt ab amore diuino non deſeratur, fugere veró diligenter, & auerſari, quæ ſocietatem hanc hominibus, & Angelis gratiſſimam diſſoluant. O vim charitatis ſingularem, quæ facit vt mortales cum immortali Deo coniunctiſſimè viuant! In iis ſedem ac domicilium eligit, qui nunquam à charitatis officiis diſcedunt: in iis delicias habet, qui ſanctè puritatem mentis ambiunt: in his commoratur ſuauiſſimè, qui diuinum ignem ſinu fouent, vndè vigor, vndè motus, vndè in eximia facinora perennis impulſus. Et hanc coniunctionem diſſoluas?

Subiicimus. In vna charitate comparanda, conſeruandaque, neruos omnes induſtriæ contendere debent, quotquot Chriſto nomen dederunt. Quid ita? quia niſi bonorum authori Deo coniungantur arctiſſimè, nihil in vita præclarū, nihil æternitate dignū vnquam efficere poſſunt. Cur? quia ſcilicet animus vitâ ſua, qui Deus eſt, ſemel privatus, nihil caſtum cogitare, nihil ſanctum aggredi, nullum pietatis officiique munus exequi poteſt quo felicitatem conſequatur; quid porrò nos ad hanc cum Deo conjunctionem, vitæque beatę felicitatem euehit generiſne ſplendor, atque nobilitas; at permulti etiam nobiliſſimi ſemel à Deo diſiuncti, ſeipſis pernicioſi, & aliis extiterunt: an excelſi dignitatum gradus, & fortunæ donorum abundantia; at infinitus penè illorum eſt numerus, qui circumfluentes omnibus diuitiis, & bonorum titulis inſignes, cùm à Deo diſceſſerunt, æternùm miſeri flammis inferorum nunquam extinguendi addicti ſunt. An corporis robur atque pulchritudo? quibus Syren & Leo quibus Lenones & Hercules, quibus ſordidæ mentis homines etiam gloriantur. An acumen ingenij plurimaque rerum diuinarum, & humanarum cognitio? Sunt iſta quidem hominibus ad ſalutem adiumenta, quæ ſi ſola ſunt, eam vim non habent, vt coniunctionem, quam miramur & quærimus, conciliare poſſint. Nimirum vſque adeo natura noſtra ex ſeſe tenuis & abiecta, parentum autem ſic deformata ſordibus, debilitata vitiis, & exhauſta luxu, vt morbi ſæpè adſint, mors ſemper impendeat, multóque plures huius vitæ calamitates, ac ærumnas conqueri, quàm eius opportunitates gloriari videantur. Quo tandem animo, qua pietate, quo amore vitæ parentem proſequi debemus?

O ſtolidi & inſani hanc ſi coniunctionem cū Deo repudiemus; ingrati ſi aliquo die, vel tempore memoriam huius tanti honoris, atque beneficij definiamus, impij ſi nobiliſſimū & amātiſſimum hunc ſocium contemnamus; contemnamus autem, immò ſi non eum flectere, & deuincire votis omnibus, ſummaque pietatis contentione ſtudeamus. Nam ſi vel ſola dignitat is eſſet habenda ratio, tamen ad illius cultum, & venerationem per ſeſe ipſa videretur magna ſatis, nunc vero cōiuncta cum tot beneficiis, quibus ille nos continuò comprehendit, quid eſt quod eius honorandi, ſeruiendi, aman di cauſa recuſare, vel omittere fas eſſe credamus. Et erit qui vitiorum ſordibus diuinum hunc amoris ignem extinguat?

PVNCTVM IV.

Quartus Argumentationis variandæ modus.

Tandem variatur Argumentatio variitais ingreſſionibus, ac tranſitionibus, quarum ſpecies, & formæ frequentes ex Cicerone facilè colliguntur.

I. Nonnunquam ſimpliciter & ingenuè in rē ſuam ingreditur Orator. pro Mur. n. 11. *Obiecta eſt enim Aſia, quæ ab hoc non ad voluptatem, & luxuriam expetita eſt, ſed in militari labore peragrata.*

Num. 54. *Nunc mihi tertius, ille locus eſt Orationis de ambitus criminibus purgatus ab iis, qui ante me dixerunt; à me quoniam ita M. ur. voluit retractandus.*

Num. 58. *Venio Nunc ad M. Catonem quod eſt firmamentum, ac robur totius accuſationis.*

Aliàs brevi repetitione Superiorum, conſecuen

ſequenti connectit.Pro Milon.23. *Quamobrem Iud.vt aliquando ad cauſam, crimenq; veniamus; ſi neque omnis confeſſio facti eſt inuſitata;neque de cauſa quidquam noſtra,ac nos vellemus, à Senatu iudicatum eſt.*

III. Modò ſimplici concluſione præſertim, cùm ad finē properat Orator.Pro Mur.86. *Quæ cùm ita ſint Iud.primum Reip.cauſa,quā nulla res cuiquam potior eſſe debet, vos pro mea ſumma,& vobis cognita in Remp.diligentia moneo,pro auctoritate conſulari hortor, pro magnitudine periculi obteſtor,vt otio,vt paci vt ſaluti, vt vitæ veſtræ & cæterorum ciuium conſulatis.*

IV.Nunc per ſimplicem propoſitionem, cùm firmis lateribus,& veluti tubâ claſſicū canitur; vbi nempè certam ſpem concepit orator rei liquido commonſtrandæ. Pro Mil. 7. *Negant intueri lucem eſſe fas ei,qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur, in qua tandem vrbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant?*

Pro Mur.6.*Negat eſſe eiuſdem ſeueritatis Catilinam,exitium Reip.intra mœnia molientem, verbis, & penè Imperio vrbe expuliſſe, & nunc pro Mur.dicere.*

V.Alibi cauſam reddit,quæ ſe cogat ad cætera veluti feſtinare.Pro Mur.n.7. *Sed me Iud non minus hominis ſapientiſſimi Seru. Sulpitij conqueſtio,quàm Catonis accuſatio commouebat.*

VI. Nunc concluſio viam facit ad ſequentem Orationem Ibid.n.14.*Nihil igitur in vitā Mur. dici poteſt?nihil inquam omninò,quo conſtituto facilior eſt mihi aditus ad contentionem dignitatis; quæ pars altera fuit accuſationis.*

VII. Modò per præteritionem,eiuſdē orat. n. 18. *Omittamus igitur de genere dicere, cuius eſt magna in vtroque dignitas:videamus cætera.Quæſturam vnâ petiit,& ſum ego factus prior.*

VIII.Aliàs etſi reſponſurus ſit, profitetur tamen ſe ſuo iure omittere reſponſionē poſſe,pro Muræn.n.37.*Sed tamen ſi eſt reddenda ratio,duæ res vehementer in Prætura deſiderata ſunt quæ ambæ in Conſulatu tùm Murænæ profuerunt.*

IX.Elegans eſt illa forma,quâ per conceſſionem de ſuo iure decedit Orator,poſt rem probatam, quaſi dubiam adhuc noua ratione probaturus Ibid. n. 41. *Sed hæc ſanè paria ſunt omnia; ſit par forēſis opera militari ſit par militari ſuffragatio vrbana;Quid?in ipſa Prætura nihilne exiſtimas inter tuam,& illius ſortem interfuiſſe?*

X.Iam profitetur ſeuerè nimis actum ab accuſatore n.74. *Atenim agit mecum auſterè & Stoicè Cato: negat verum eſſe allici beneuolentiam cibo:negat iudiciū hominum in magiſtratibus mandandis corrumpi voluptatibus oportere.*

XI,Modo rogat auditores ne ſibi dicenti fidem habeant,donec rem in luce poſuerit.Milō. n 6. *Quāquam in hac cauſa Tit.Annij tribunatu rebus omnibus pro ſalute Reip. geſtis,ad huius criminis defenſionem non abutemur,niſi oculis videritis inſidias Milonis à Clodio factas;nec deprecaturi ſumus.*

XII.Occupatio inſuper,ſiue Obiectio fit,quâ ſibi id opponit Orator,quod erat ab aduerſario opponendū Ibid. 15. *Atenim cur Pompeius rogatione ſua,& de re,& de cauſa iudicauit,tulit enim de cæde,quæ in Appia via facta eſſet,in qua P.Clodius occiſus fuit. Quid ergo tulit nempe vt quæreretur. Quid porrò quærendum eſt?factumne ſit? at conſtat. A quo? at patet. Vidit etiam in confeſſione facti,iuris tamen defenſionem ſuſcipi poſſe.*

Pro Mur.35.*Atenim in præturæ petitione prior renūciatus eſt Seruius.Pergitiſne vos tanquam ex ſyngrapha,agere cū populo,vt quē locū ſemel honoris cuipiā dederit,eūdē reliquis hominibus debeat?*

XIII.Aliàs rem oſtendit adeò claram vt de ea dubitandum non ſit.Pro Mil.55.*Si hæc non geſta audiretis;ſed picta videretis;tamen appareret,vter eſſet inſidiator,vter nihil cogitaret mali,cùm alter veheretur in Rheda penulatus, vnâ ſederet vxor.*

XIV.Vna nonnunquā vox repetita,plures cōnectit rationes.Ibid.n.39. *Quem ſi interficere voluiſſet,quãtæ quoties occaſiones,quàm præclaræ fuerunt?Potuitne cùm domum, ac Deos Penates ſuos, illo oppugnante defenderet,iure ſe vlciſci?potuitne ciue egregio,& viro fortiſſimo P.Sextio Collega ſuo vulnerato? potuitne Fabricio viro optimo, cùm de reditu meo legem ferret pulſo, crudeliſſima cæde in foro facta? potuitne Cæcilij iuſtiſſimi Prætoris oppugnata domo?potuitne illo die, cùm eſt lex lata de me.*Et n.43. per Anaphoram Quid.

XV.Tūc re probata reſpirat,ac profitetur expeditū deinceps curſum patere. Ibid.48.*Reſpiraui,liberatus ſum:non vereor ne,quod ne ſuſpicari quidem potuerim,videar id cogitaſſe.*

XVI.Alibi

Digitized by Google

XVI. Alibi Orationem inchoaturus, ſuos excitat Auditores, quod iis vocibus optimè præſtari poteſt, Age, agite, pro Mil. 56. *Age nūc iter expediti latronis, cum Milonis impedimētis cōparate.*

XVII. Accuratio vtiliſſima, ſi præcipuis rationibus, velut in faſcem collectas minores adiungamus, quod facit Tull. pro Mil. cùm docet fieri non potuiſſe, vt ab impedito Milone, expeditus Clodius interficeretur, poſt præcipuas enim rationes, ſic colligit. Num. 57. *Adde caſus, adde incertos exitus pugnarum, Martemque communem, qui ſæpè ſpoliantem iam, & exultantem euertit, & perculit ab abiecto; Adde inſcitiam pranſi, poti oſcitantis ducis: qui cum à tergo hoſtem interclusum reliquiſſet, nihil de eius exercitu cogitauit.*

XVII. Nunc ſemet interrogat, quid tandem ſuperſit, eiuſdem orat. n. 93. *Sed iam ſatis multa de cauſa: extra cauſam etiam nimis fortaſſe multa. Quid reſtat, niſi vt orem obteſterque vos Iud. vt eam miſericordiam tribuatis fortiſſimo viro, quam ipſe non implorat, ego autem repugnante hoc & imploro, & expoſco.*

XIX. Præſtantiſſima ſpecies eſt αὔξησις argumentum, cum vel nullius eſſe momenti, quæ dicta ſunt aſſerit, eorum quæ ſequuntur habita ratione Pro Mil. 77 *Quamquam hæc quidem iam tolerabilia videbantur; etſi æquabiliter in Remp. in priuatos, in longinquos, in propinquos, in alienos, in ſuos irruebat: ſed neſcio quomodo iam obduruerat & percalluerat ciuitatis patientia. Quæ vero aderant iam & impendebant, quonam modo ea, aut depellere potuiſſetis, aut ferre imperium, ſi id ille nactus eſſet?*

Phil. 2. n. 20. *Sed non huius temporis, ad maiora veniamus.* Clarius ibidem n. 78. *Sed nimis multa de nugis, ad maiora veniamus.*

Vel vetuſtiora ſub initium ponit, vt ad recentiora tranſeat, eadem orat. n. 25. *Sed hæc vetera, illud verò recens, Cæſarem meo conſilio interfectum.* Et num. 112.

XX. Quandoque nonnulla interponit narrationi, quare meritò poſcit, vt ad rem inſtitutamque redeatur, ibid. n. 101. *Sed ad iter Italiamque redeamus, deduxiſti Coloniam.*

XXI Ἀπομνησις, ſeu commonefacio frequens, quæ multipliciter fieri poteſt. 1 vt committat aliquid Orator memoriæ Auditorum Milo. n. 97. *Mandate hoc memoriæ Iud. ſpero multa vos, liberoſque veſtros in Rep. bona eſſe viſuros. In his ſingulis, ita ſemper exiſtimabitis, viuo Clodio nihil horum vos viſuros fuiſſe.*

Vel profiteatur ſe non probandi, ſed renouandæ memoriæ causâ quidpiā attingere. 2. in Antō. n. 57. *Scio me in rebus celebratiſſimis ſermone omnium verſari, eaque quæ dico dicturuſque ſum, notiora omnibus eſſe, qui in Italia tum fuere, quàm mihi qui non fui. Notabo tamen ſingulas res: etſi nullo modo poterit Oratio mea ſatisfacere veſtræ ſciētiæ.*

Vel feſtinationem quandā præ ſe fert ne maiora ſibi excedant. Ibid. n. 84. *Sed ne fortè ex multis rebus geſtis M. Antonij rem vnam pulcherrimā tranſiliat Oratio, ad Lupercalia veniamus. Non diſſimulat PC. apparet eſſe commotum, ſudat, pallet.*

Vel denique memoriam Aduerſarij ſuſcitat, vel Auditorum, eiuſdem orat. num. 84. *Sed arrogantiam hominis inſolentiamque cognoſcite.* Et n. 115. *Recordare igitur illum M. Antonij, diem, quo Dictaturam ſuſtuliſti: pone ob oculos lætitiam Senatus.*

XXII. Seſe reprehendit, & increpat, quod in vna ratione commoretur diutius, cùm validiores ſuperſint. 2. in Catil n. 71. *Sed cur tandiu de vno hoſte loquimur, & de eo hoſte, qui iam fateatur ſe eſſe hoſtem: de his qui diſſimulant, qui Romæ remanent, qui nobiſcum ſunt, nihil dicimus?*

XXIII. Aliquoties in prolixiori præſertim Oratione, defatigatos Auditorū animos recreat, & innouata attentione, & petitione beneuolentiæ: quod quia pluribus modis fieri poteſt, vnicuique res integra relinquitur. Notandæ ſunt tantùm quædam particulæ coniunctiuæ quibus frequenter Tullius argumenta ſua coarctat. 2. Phill. n. 16. *At etiam auſus es quid autem eſt quod tu non audeas?* Idem officium præſtant aliæ multæ. *Quid quod. Nunc. Iam vere. Etenim. Atenim. Equidem.*

XXIV. Per Allegoriam tranſitio fit illuſtris. Pro Sext. n. 13. *Verùm hæc ita prætereamus, vt tamen intuentes, & reſpectantes relinquamus. Ad Tribunatum, quia ipſe, ad ſeſe iamdudum vocat, & quodammodo abſorbet Orationem meam contento ſtudio, curſuque veniamus.*

Digitized by Google

cendo facultatis, vt.

VIII. Poſſem hoc loco euagari latiùs, & id quod dico, tùm repetitis è memoria veteri, tùm vivis ac ſpirantibus exemplis confirmare; niſi me temporis ratio breuem eſſe admoneret. Excitarem ab inferis, nominarem, cōmemorarem; ſed ab hac moleſta narratione animos abducamus.

IX. Date oculos qui aures hactenus præbuiſtis vt reliquas orbis partes, & quantum ſatis eſt luſtrare, & quantum licebit admirari poſſimus.

X. Bellè me vocat ad alteram orationis partem N. meque propoſiti mei tenax vt ſim tacitus admonet. Propoſueram enim, &c. quod facere paratus ſum, ſi benevolentiam veſtram & attentionem æquè, ſemper paratam, & fauentem expetiar, accipietis opinor res cognitu non iniucundas, auditu magnam partem admirabiles, virorum grauium authoritate comprobatas.

XI. Pudet me toties à breuitate, quam mihi propoſueram, aberraſſe; ſed materiæ grauitas & amplitudo me.

XII. Scio me in rebus peruagatis verſari, atque omnium ſermone celebratis: ſed ejuſmodi rerum non cogitatio ſolùm, ſed etiam recordatio animos noſtros excitare debet. Repetite igitur ſilentio nunquam prætermittendum facinus omni momento maius.

XIII. Dicam equidem audaciùs fortaſſe, ſed tamen verè, nullum eſſe.

XIV. Feliciter cecidit, vt ab iis pietatis officiis, quæ ſub oculos hominum cadunt, ad priuata, quæ ſunt publicorum ſemina deſcenderem, Doleo tantum nimis anguſtum mihi tempus ad amplitudinem materiæ ſubiectam, eſſe relictum.

XV. Poſſem equidem eadem quoque de cæteris commemorare, ſed ne videar inanes quaſdam fabulas ad delectationem magis, quàm ad veritatem enarraſſe; Adeſte mecum animis, meque vt adhuc feciſtis ad munitiſſimam fidei, atque religionis arcem, quò me dudum oratio mea rapit, contendentem beneuolentiâ veſtra ſubleuate.

XVI. Facit in me audiendo veſtra ſingularis humanitas, vt mihi perſuadeam, non inanem hanc orationis meæ partem extitiſſe, eoq; non modo breuiorem eius, verū etiam faciliorem ad reliquas curſum fore polliceor; quo feliciorem veſtro

PVNCTVM. V.

De Tranſitionibus variis.

PRo varietate materiæ qua de agitur, vel generis, variandus erit etiam tranſitionis modus & ratio; paſſim obuia ſunt exempla, quæ paucis contraho.

I. Lætor Orationem meam eò rediiſſe, vndè deflexerat. Et vt ſim ſemel in opinione mea conſtans, abutarque patientia veſtra, qui mihi tàm alto ſilentio feciſtis audaciam. Contendo nos.

II. Hæc à me nemo dici mirabitur, cuius in animo primæ, & recentis adhuc calamitatis ſpecies inſidebit, quam nonnullorum mentis impotentia in Rempub. inuexit. Nam ſi repetere volumus ſpatium præteriti temporis, ac prima Reip. ſurgentis fundamenta, progreſſuſque recordati, reperiemus.

III. Sed per vos aberrauit à propoſito tantiſper oratio, illam ſi placet reuocemus. Et quoniam liberius, celeriuſque vagari poteſt cogitatio, quàm ſermo, perluſtrate animis ea, quæ nec vobis in ipſo Muſatū ſinu, natis & educatis poſſunt, vel eſſe debent incognita; neque cuiquam propter ſui ſplendorem obſcura, nec à me propter ſtudium breuitatis, quam conſector, ſigillatim repetenda.

IV. Satiſne probatum eſt, nullam ſalutem reliquam eſſe Reip. Chriſtianæ, nullam bonis moribus, aut liberalium artium cognitionem, quæ nocentibus non ſit exitio, innocentibus præſidio, improbis terrori, probis ornamento,

V. Hæc multa ſatis eſſe debent hominibus non ignaris, nimis multa vobis, quos literarum amantes nouimus; quippe nec ignota cuiquam ſunt, aut incredibilia, quæ dixi; neque ejuſmodi, vt à me potius expectanda, quàm à veſtra omniū conſcientia, experientiaque probanda ſint.

VI. Vnum erat reliquum, ſi benè menimi, vt doceremus ſcientias conferre plurimum ad ſtabiliendam vitæ, morumque bonitatem. Hoc aggredior, ſi modo per vos.

VII. Vellem mihi tantum eſſet otii, & in di-

veſtro beneficio curſum in hoc diuinæ ſapientiæ mari tenuiſſe videatur.

XVII. Maximè vellem vt quantùm mihi vos in tanta rerum multitudine attentionis, ac benevolentiæ commodatis: tantùm mihi tempus facultatis ad dicendum, atque opportunitatis concederet; Ego penetrarem in eius arcana, docerémque.

XVIII. Nunc quoniam temporis anguſtiæ tantam rerum multitudinem capere non poſſunt Ego humanitate veſtra fretus, à gravioribus ad mitiora meam orationem tantiſper, animumque convertam. Atque vt omittamus de nobiliſſimis hiſtoriæ ſcriptoribus dicendo recordari; quid ad gratiam opportunius, ad dignitatem illuſtrius, ad ornatum elegantius, ad majeſtatem præſtantius eſſe poteſt?

XIX. Sed enim me longius, vt video, quàm aut voluntas, aut opinio mea tulerat, provexit, partim argumenti amplitudo, partim veſtra in me audiendo benignitas. Itaque vela contraham, jam enim oratio mea optatum ac felicem, ex longa navigatione, portum intuetur: neque verò expectatis opinor vt demonſtrem.

XX. Deſiderarem hîc novum dicendi genus, & eloquentiæ flumen abundantius, vt quemadmodum vna cum pietatis amplificatione Virtus illius creſcit, ita mea quoque in illius explicatione, quaſi per gradus attolleretur, & ſeipſa grandior, ac ſublimior fieret Oratio.

XXI. Siſterem hic niſi vna me cogitatio ſublevaret, quòd apud eos me dicere intelligam qui nigil iucundius audiant, atque avidius: quàm viri principis egregia facinora,

XXII. Facere non poſſum quin illud in hanc rem efferam, quod ſemper viſum eſt maxima commendatione digniſſimum.

XXIII. Ad hanc tàm ſanctæ pietatis commendationem, quis ſit veſter ſenſus planè neſcio; ſi tamen ex meo conjecturam facere permittitis, ea vos interius perfundi voluptate ſentio, quæ debet eſſe maxima, præſertim cùm.

XXIV. Creſceret in immenſum oratio, ſi conſectandis ſingulis, aut naturæ benignitatem, ſequerer, aut veſtræ in audiendis eius laudibus hilaritati obſequerer, aut officium meum in laudando explere cogerer. Itaque modera bor ipſe mihi & ea tantùm breviter aperiam.

XXV. Vellem ingenii mei tenuitas, & debitæ voluntatis in principem ratio, conſtitutique ad dicendum temporis brevitas pateretur aliquid amplius, docerem pluribus in vna pietatis dote cæteras comprehendi, aut ab ea proficiſci virtutes.

XXVI. Iam verò quoniam expectare videmini. Sentio me paulatim eò eſſe dicendo provectum quò jamdudum aſpirabam vt.

XXVII. Ad extremum abuti me patientia veſtra permittite, qui eam mihi feciſtis audaciam; quamquam vereor, vt potius tanti viri virtutum magnitudine detraham, quàm vt illam me verbi æquare poſſe confidam: ſemper enim iuſtum metuendi metum faciunt, ea quæ ſpem amplificandi ſua magnitudine ſuſtulerunt. Venio tandem ad.

XXVIII. Sed vt Orationem meam ad finem properantem ea virtute concludam, qua, &c. Hic ego quid prædicem, puibus Conſulem ad rem gerendam excitarit; quot ſtimulos admoverit homini ſtudioſo victoriæ? longum eſſet omnia percenſere numerando. Hoc breviter accipite.

XXIX. Atque vt illius temporis atrocitatem recordari poſſitis, audite litteras, & veſtram memoriã ad timoris præteriti cogitationẽ excitate.

XXX. Vtinam ad hanc qualemcumque laudationem, dicendi vim & copiam veſtræ non imparem afferre poſſem, dicam tamen hoc imprimis.

XXXI. Rem hanc quaſi per tranſennam oculo fugiente reſpexiſſe ſatis ſit, ad lætiora recurramus.

XXXII. Sentio me terminos prætergreſſum, quos ipſe mihi poſueram, & eo me ſenſim eſſe deductum. Sentio me ad eum locũ deveniſſe in quo actioni meæ terminos ſcitis eſſe cõſtitutos.

XXXIII. Sed quoniam ingens aliquid & humano penè auguſtius ſonant illa ſapientum effata; lubet hæc etiam animi cauſa reguſtare. Mentiar niſi.

XXXIV. Verum hæc prætermittamus quæ liberali multorum confeſſione conceduntur: ad illud accuſationis caput jamdiu feſtinat oratio, Geſtit enim ea vobis exponere quæ.

Digitized by Google

XXXV. Multa ſatis opinor ſuperque dicta ſunt de rebus fortiter feliciterque geſtis, abripit jam & quodammodo abſorbet orationem meam virtutis ac religionis nulli vnquam mortalium ſatis adorata majeſtas.

aures prætervolet, vel auditum etiam non intelligatur. Quod ipſum tamen ſi magis inculcetur, fuſiuſque deducatur, lucem accipiat, & penitiſſimè animo, affectui, ac memoriæ inſideat: eóque tota hæc amplificandi doctrina pertinet.

LECTIO V.

De Amplificatione.

GRaviſſimam omninò partem Eloquentiæ aggredimur, cuius hactenus in locis, & argumentis materiam duntaxat paravimus, per omnes orationis partes fundendam. Quantum enim inter ſtruem lignorum, & rogum intereſt, tantum inter ſimplicem illum motum, & amplificationem intercedit. Nam, vt benè Fabius cum omnis Eloquentiæ vis in amplificando conſiſtat atque hinc non colorem modo, ac lucem, ſed ſanguinem ſpiritumque, & lacertos ſumat oratio non video quid afferri poſſit hac doctrina, vel melius, vel excitandis ingeniis accommodatius; adoleſcentum præcipuè in quibus neceſſe, quod ait Tull. ſeſe efferat luxuries quædam depaſcenda ſtylo, ardorque ebulliat, ætatis ac iudicii maturitate temperandus.

Obſervandum autem, cùm de Amplificatione præcipimus, nõ id agere, nos, quod olim Græculi Sophiſtæ, imprimiſque Iſocrates, non ſine ſua, atque artis infamia, profitebantur: vt res ſupra meritum augere poſſimus: ne in nos quoque dictum illud Ageſilai jactetur, qui nonnullis Oratorem commendantibus, quòd res exiguas mirificè verbis extolleret. At ego, inquit, peſſimum eum Sutorem putem, qui paruis pedibus grandes calceos inducat. Nos iſtas vaniſſimæ artis præſtigias & neſcimus, & neſcire volumus, idque vnũ quærimus modò, vt magnarum rerum amplitudinem, ac dignitatem poſſit Orator æquare dicendo, hominumque emendare judicia, & ad iuſtam reducere æquitatem, ſi quando, vt fieri amat, in æſtimandis rebus hallucinentur, eaſque aut majores faciant, aut minores quam revera ſint. Vix enim fieri poteſt, quin ſi aliquid ſemel tantum, & adhuc breviter dicatur, facilè

Pvnctvm I.

Quid ſit Amplificatio.

NObilis Orator Iſocrates interrogatus, aliquando quid eſſet Rhetorica, reſpondit τὰ μὲν μικρὰ μεγάλα, τὰ δὲ μεγάλα μικρὰ ποιεῖν. Ars qua ex paruis magna, ex magnis parua fieri poſſunt. Amplificationem Sophiſta potiùs, quàm Rhetoricam deſcripſit. Nemo melius naturam eius Cicerone comprehendit dùm partic. n. 53. ſic illam definit. ***Eſt igitur amplificatio gravior quædam affirmatio quæ motu animorum conciliet in dicendo fidem.***

Nec te moveat quod Orator fidem addit, tametſi finis ille proprius videatur eſſe argumentationis: id enim præſtat argumentatio ſimplici rationis expoſitione; illa ſubtiliter enucleando ſingula, lucem rebus addit; Iſta in vnum velut aceruum plurima congerendo perturbat, ac premit vniuerſa: Illa genus habet dicendi argumentis explicandis accommodatum, conciſum ſcilicet ac tenue: iſta ſententiarum pondere, orationis vbertate, ambitus magnitudine, & ingenti quadam ui comprehenſionis impellit: Illa facem gerit, ſed ad prælucendum dumtaxat: iſta quatit ad incendẽdũ: illa partem ſpectat intelligentem: iſta voluntatem etiam impugnat, & velut admoto ſubverrit ariete: Illa fertur ſedatè amnis inſtar leniter fluentis; iſta Pelagi in morem intumeſcit, nunc metas attingens, modò præceps dehiſcens & voce, verbis, geſtu, colore, calore, ſic incendit auditorem, vt eo tantum viſo cæteri facilè flammas concipiant.

I Ex hac definitione ſatis intelligitur quid amplificationem inter, & argumentationem interſit; ſcilicet in tribus, in materia ipſa; nam adhibetur argumentatio ad omnia quæſtionum genera, quæ in dubitationem cadere poſſunt:

Ampli

Amplificatio verò nō niſi ad magnas graueſque cauſas, in quibus videlicet oſtendere debeat Orator aliquid eſſe in genere ſuo calamitoſum, indignum, lætum, triſte, miſerabile, amabile, deteſtabile, formandum, optandum, fugiendum.

II. Tractatione, vt iam dictum eſt illa preſsè, argutè proponit; hæc fusè, & grauiter exponit Illa ad pugnam leuiter procurrit, factáque plagâ confeſtim ſe ſubducit: Iſta in apertum, ac patentem campum procedit, tela & ornamenta omnia excutit, dum fatigatus hoſtis, ac planè fractus concidat.

III. Diſcrepant etiam fine: nam finis Argumentationis proximus eſt cognitio: Amplificationis verò motus: vndè non niſi rè iam expoſita, vel confirmata adhibetur, cùm videlicet perſpecta veritate rei dignitas, amplitudo, grauitas: vel contra indignitas atrocitas ve demonſtranda ad motum: ſeruit tamen & fidei faciendæ, quod vbi exarſit auditor, motumque concepit, multò firmius rebus creditis adhæreſcat, quàm cum antè frigeret.

Diſcrimen hòc quiuis deprehendere poteſt in Orat. Tull. pro Sext. n. 88. pro Mil. 89: in Argumentatione dixiſſet, odio habendum eſſe Clodium. Sceleratiſſimus quiſque non eſt in Rep. retinēdus, quid igitur nos ciues inquinatiſſimum Clodium diutius perferemus At dum amplificat mouetque odium, ſic orationi habenas laxat. *Dura mihi medius fidius, iam fortuna populi Rom. & crudelis videbatur, quæ tot annos illum in hanc Reimp. inſultare videret, ac pateretur. Polluerat ſtupro ſanctiſſimas religiones: Senatus grauiſſima decreta perfregeras, pecunia ſe palàm à iudicibus redemerat, vexarat in Tribunatu Senatum; omnium ordinum conſenſu pro ſalute Reip. geſta reſciderat, me patria expulerat, bona derſpuerat, domum incenderat, liberos, coniugem meam vexauerat, Cn. Pompeio nefarium bellum indixerat, magiſtratuum priuatorumque cædes effecerat, vaſtarat Etruriam, multos ſedibus, ac fortunis eiecerat, inſtabat, vrgebat, capere eius amentiam ciuitas, Italia, Prouinciæ, regna non poterant, incidebantur iam domi leges, quæ nos noſtris ſeruis addicerent.*

Patriæ proditorem Antonium eiiciendum, exterminandum diceret, quē ſic verget, atque conficit Amplificatio. Phil. n. 28. *Hanc teterrimam belluam, quis ferre poſſet, aut quomodo? quid eſt in Antonio præter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? ex his totus conglutinatus eſt. Nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum. Etiamne huius impuri latronis feremus teterrimum, crudeliſſimumque dominatum quid hic faciat ſi potuerit iratus, qui, cùm ſuccenſere nemini poſſet, omnibus bonis fuerit inimicus: Quid hic victor non audebit, qui nullam adeptus victoriam, tanta ſcelera poſt Cæſaris interitum fecerit: refertam eius domum exhauſerit? hortos compilarit? ad ſe omnia ex his ornamenta tranſtulerit! cædis & incendiorum cauſam quæſierit ex funere? duobus aut tribus SC. benè & è Rep. factis, reliquas res ad lucrum, prædamque reuocauerit? vendiderit immunitates: ciuitates liberauerit? Prouincias vniuerſas ex imperij Populi Rom. iure ſuſtulerit; exules reduxerit? falſas leges Cæſaris nomine, & falſa decreta in æs incidenda, & in Capitolio figenda curauerit, earumque rerum omnium domeſticum mercatum inſtituerit? Populo Rom. leges impoſuerit, armis & præſidiis Populum Rom & magiſtratus ferro excuſerit? Senatum ſtuprauerit armatis?*

PVNCTVM II.

Quænam ſit Amplificationi propria ſedes in Oratione.

ELoquentiæ Doctor Tull. 2. de Orat. n. 310. tribus rebus omnes ad noſtrā ſentētiam perducimus, aut docendo, aut conciliando, aut permouendo, vna ex tribus his rebus, res præ nobis eſt ferēda, vt nihil aliud niſi docere velle videamur: reliquæ duæ ſicuti sāguis in corporibus: ſic illæ in perpetuis orationibus fuſæ eſſe debebūt.

Conciliario lenes comprehendit effectus, qui licet maximè proprij ſint procemij: tamē in omnibus orationis partibus frequenter adhiberi ſolent, ac debent. Nimirum inter argumenta ſingula ſpargenda ſunt amplificationum ſemina quædam, vel vt Tullij verbis vtar, iacienda velut in viam tela, quæ mox pugnaturus torqueas, maximè cùm aliquid confirmatum eſt, aut reprehenſum. Hoc artificium Ciceroni familiare fuit vtique. Pro Milone per congeriem nu. 33. *An verò*

Digitized by Google

Iud. vos ſoli ignoratis, vos homines in hac vrbe verſamini: veſtræ peregrinantur aures, neque in hoc peruagato ciuitatis ſermone verſantur, quas ille leges (leges nominandæ ſunt, ac non faces vrbis, & peſtes Reip.) fuerit impoſiturus nobis omnibus atque inuſturus.

Vbique quaſi clauum tundendo infigit Amplificatio, exclamat, inſultat, deprecatur, iraſcitur, orat minatur, varioſque motus affert: ſed nuſquam ita triumphat, ac in peroratione, vbi ad extremam ſeſe pugnam comparans, copias velut in armiluſtrio recenſet, ſpargit confertim, quod ſigillatim emiſerat, & grauiſſimis lituis victoriam inclamat.

PVNCTVM III.

Amplificationis Partitio.

SIc illam partitur Orator partic. n. 53. Ea & verborum genere conficitur, & rerum. Verba ponenda ſunt, quæ vim habeant illuſtrandi, nec ab vſu ſint abhorrentia, grauia, plena, ſonantia, iuncta, facta, cognominata, non vulgata, ſuperlata, nec in ſingulis verbis, ſed in continẽtibus ſoluta quæ dicuntur ſine cõiunctione, vt plura videantur, de quibus ſingulis pauca dicenda ſunt.

PVNCTVM. IV.

De Verbis Illuſtribus.

I. PLuribus modis illuſtris fieri ſolet Oratio, ſi verba grauitate delecta ponuntur, qualia ſunt hæc pro lege Man. n. 6. *Agitur Populi Rom. gloria, quæ vobis à maioribus cùm magna in rebus omnibus, tùm ſumma in re militari tradita eſt; igitur ſalus ſociorum, atque amicorum, pro qua multa maiores veſtri magna, & grauia bella geſſerunt. Aguntur certiſſima Po. Rom. vectigalia, & maxima quibus amiſſis, & pacis ornamenta, & ſubſidia belli fruſtra requiretis.*

Illuſtria eſſe debent eiuſmodi, vt ab vſu non ſint abhorrentia, ſed quæ ab omnibus intelligantur: Illuſtris eſt illa Plancij, & vſitatis verbis exclamatio, n. 99. *ô acerbam mihi memoriam temporis illius ac loci, cùm hic in me incidit, cõplexus eſt, conſperſitque lacrymis, nec loqui præ mœrore potuit! ô rem cum auditu crudelem, tùm viſu nefariam! ô reliquos omnes dies, noctesque eas quibus iſte à me non recedens Theſſalonicam me, in quæſtoriumque perduxit.*

II. Tranſlata plurimum illuſtrant Orationẽ. Lumen orationis, ſplendor generis, concionum procellæ, orationis flumina, fulmina, tonitrua. *Quid odiſſet Clodium Milo ſegetem ac materiam gloriæ ſuæ?* n. 63.

Valent ad augmentum. Ibid. n. *Equidem cæteras tempeſtates, & procellas in illis duntaxat fluctibus concionũ ſemper putaui Miloni eſſe ſubeundas.*

Significantior tranſlatio ad dicendi ſubtilitatem adhibetur. Sic ira incenſum, inflammatum cupiditate, errore lapſum dicimus.

III. Superlata mirè faciunt ad ornatum. Talia ſunt pro Marcello. n. 8. *Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas omni copiarum genere abundantes.*

Talia pro Pompeio num. 28. *Qui extremæ pueritia miles fuit ſummi Imperatoris: ineunte adoleſcentia maximi ipſe exercitus Imperator, qui ſæpiùs cum hoſte conflixit, quàm quiſquam cum inimico concertauit: plura bella geſſit quàm cæteri legerunt, plures Prouincias confecit, quàm alij concupierunt.*

Superlata verò dicuntur quæ veritatem excedunt, & plus dicunt, quàm reipſa eſſe poſſit. Pro Mil. num. 106. *O terram illam beatam quæ hunc virum exceperit: hanc ingratam ſi eiecerit, miſeram ſi amiſerit!*

IV. Ad nomen addita magnum Orationi ſplendorem, ac dignitatem adducunt, quo in genere tantopere Tullius excelluit, vt aliqui putẽt eius eloquentiam ideò tùm admirabilem eſſe, quòd illã [vbique appoſitè ſciat epithetis copulare. Pro Manil. n. 3. Dicendum de Pompeij virtute, quod membrum duobus adiectis mirum in modum illuſtrat, *ſingulari eximiaque virtute.*

Pro Mil. nu. 40. *Erat id temporis clariſſimus, & fortiſſimus Conſul inimicus Clodio. P. Lentulus, vltor ſceleris illius, propugnator Senatus, defenſor veſtræ voluntatis, patronus illius publici conſenſus, reſtitutor ſalutis meæ.*

Si quis dixerit Bruti prudentia, virtuſque militaris

Digitized by Google

tatis Antonium expulit, Latinè quidem. Quantò ſublimius ſi quis epithetis idem exornet? Incredibilis, ac propè diuina Bruti virtus, ac prudentia ſingularis, ſuperbiſſimum, atque crudeliſſimum ciuem Antonium ab vrbe Roma priuatum expulit.

V. Illuſtris etiam fiet Oratio duplicatione particularum, ac iteratione quarundam vocum. Aſpicite, aſpicite Iud. ſqualorem, ſordeſque ſociorum. Ille, ille, inquam eſt nefarius patriæ proditor.

VI. Congeries verborum & ſententiarum idem penè ſignificantium aceruus illuſtrem facit Orationem. Pro Mil. n. 34. *Tu P. Clodij cruentum cadauer eiecisti domo, tu in publicum eiecisti; tu ſpoliatum imaginibus, exſequiis, pompis laudatione infeliciſſimis lignis ſemiuſtulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti.*

Qui fortiter manum fecerit, copias pararit, multitudinem hominum coëgerit, milites propriis ſumptibus conſcripſerit in Reip. ſalutem, ex eiuſdem patriæ ſinu per vim extrahetur, expelletur, eiicietur, exterminabitur?

Vide quàm ſit varia vita, commutabiliſque ratio; quàm vaga volubiliſque fortuna; quantæ infidelitates in amicis, quàm ad tempus aptæ ſimulationes, quantæ in periculis fuga proximorum timiditates. Pro Milone num. 70.

VII. Verba quæ rem, aut actionem imitantur vim habent illuſtrandi, qualia ſunt illa 6. in Verr. n. 161. *Nullus gemitus, nulla vox alia miſeri inter dolorem, crepitumque plagarum, audiebatur, niſi hæc, ciuis Romanus ſum* Et iſta. Vedete videbar. *Alios intrantes, alios verò exeuntes quoſdam ex vno vacillantes, quoſdam heſterna potatione oſcitantes.* Quæ ſi vel omnia vel pleraque continet Oratio illuſtris, & iucunda efficietur.

PVNCTVM V.

De verborum conſonantia.

INitium & prima vis eloquētiæ in verbis perſpicitur, illorumque conſonantia maiorem habet grauitatem, de quibus regulas quinque facit Cicero.

I. Vt ſuperlatiua pro abſolutis ponantur. Pro lege Man. n. 1. *Quamquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multò iucundiſſimus hic autem locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus.*

Quæ ſuperlatiua ſi tollantur, auferetur illa venuſtas. Conſtans eſt in iſtis Cic. Pro Flacco 1. *Cùm in maximis periculis huius vrbis, atque imperij grauiſſimo, atque acerbiſſimo Reip. caſu.*

II. Conſonantiora fiunt, ſi non ſingulari, ſed plurali numero efferantur Pro Balb. 11. *Si auctoritates patronorū in iudiciis valerēt, ab ampliſſimis viris L. Cornelij cauſa defēſa eſt, ſi vſus à peritiſſimis, ſi ingenia ab eloquentiſſimis, ſi ſtudia ab amiciſſimis.*

Sic numerus multitudinis plus ſæpè poteſt, quàm vnius, licet de vno loquaris. Sicarios ergo per vrbem impunè volitare patiemur?

III. Verbalia pro abſolutis ſonantia ſunt. Sic dominatrix animi cupiditas, cōſonātius eſt, quàm ſi domina; vitæ philoſophia dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorū, & artiū procreatrix.

IV. Verba compoſita grandiora habentur; Parentum pœnas à conſceleratiſſimis, quàm ſceleratiſſimis; contrucidare, excruciare, conſonantiora ſunt quam trucidare.

V. Quæ plures habēnt ſyllabas, quam quæ pauciores tempeſtas, quam tempus. Vt quâ tempeſtate Pœnus in Italiam venit; Illuſtris, quam clarus: Immenſus, immanis quam magnus.

VI. Quæ ſyllabas habent longiores, etſi pares numero grandiora videntur, princeps quam primus, parens quam pater.

PVNCTVM VI.

De grauioribus verbis.

1. GRauiora ſunt, quæ maiorē vim bonitatis oſtēdunt: vt charitas, & pietas, quā amor & beneuolentia Tull. in epiſt. *Credo te perſpicere meam in te pietatem, quid enim dicam beneuolentiam, cùm illud ipſū grauiſſimum, & ſanctiſſimum nomen pietatis leuius mihi meritis erga te meis eſſe videatur.* Ita Clementia grauius eſt, quam lenitas, magnificentia, quam liberalitas.

II. Gra

II. Grauiora ſunt quæ maiorem vitioſitatis vim præ ſe ferunt;vt latro,prædo raptor,ſacrilegus,quàm fur:carnifex, quàm ſicarius:parricida, quàm homicida;impius ac nefarius, quam improbus,ſceleſtus:gladiator, quàm ferox ; profligator, quàm malus,

III. Quæ maiorem nocendi vim habent: vulnerare & ferire,quàm percutere:exterminare quàm eiicere : trucidare, quàm occidere : cruciare, quàm torquere : mendicitas , quàm paupertas.

IV. Quæ magis prodeſſe videntur:curare grauius, quàm mederi : reſtituere , quam reducere: confirmare, quam ſeruare;opes & robur, quam diuitiæ & valetudo.

V. Debent eſſe grauia in agendo pro Mil 98. *Ex omnibus præmiis virtutis,ſi eſſet habenda ratio præmiorum , ampliſſimum eſſet præmium , gloriam eſſe hanc vnā,quæ breuitatē vitæ, poſteritatis memoria cōſolaretur:quæ efficeret,vt abſentes eſſemus,mortui viueremus : hanc denique eſſe cuius gladibus etiam homines in cœlum viderentur aſcendere.*

VI. Plena. ſunt illa Cic *De me ſemper populus Rom. ſemper omnes gentes loquentur,nulla vnquam obmuteſcet ætas.*

Sonantia. Nec me ſolùm deprecatorem fortunarum tuarum, ſed comitem , ſociumque profitebor. Cognomina dicuntur ea quæ ſignificationem habent eandem. Pro Planc. 101. *Quid me aſpectas?quid mea promiſſa repetis ? quid meam fidem imploras ?*

VII. Non vulgata quæ ſupra communem ſermonem efferuntur , ne humilis reddatur Oratio. Quas ille præceps amentiâ , cæſis proſtratiſque ſanctiſſimis lucis ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat.

Grauitatem ſapit Oratio,cum ampliora verba conferuntur cum his, pro quibus ea poſituri ſumus 3.in Verr.n.9.*Non furem ſed ereptorem;non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ;non ſacrilegum,ſed hoſtem ſacrorum,religionumque ; non ſicarium,ſed crudeliſſimum carnificem:ciuium,ſociorumque in veſtrum iudicium adducimus.*

VIII. Periphraſis quoties verborum circuitu quod paucioribus dici poterat , explicamus. Ne dicas Deum offendiſti , ſed violaſti. numen illud quod immenſo ſinu comprehendit omnia, nec vllis locorum ſpatiis definiri poteſt.

IX. Spirans , & acuta Metaphora. Patrimonij Charybdim, oppidorum Gurgitem , Syllam libidinum , vitiorum Hydram , malorum Oceanum.

X. Diſſoluta, dum vnumquodque membrum ſuum verbum habet,ac ſenſum. Me patriâ expulerat,bona diripuerat,domum incenderat , liberos,coniugem meam vexauerat , cum pop. bellum nefarium indixerat.

Aliàs dum in ſingulis verbis fit ſolutio. Cum illa indicia communis exitij indagaui, patefeci, proruli, extinxi;quæ diſſoluta dicuntur;vt plura videatnur. Nos Penates , aras , focos, ſepulchra maiorum ; nos leges, iura, libertatem,coniuges, liberos,patriam defendimus.

XI. Cum paria paribus. Vt illa pro Mil.n. 10. Vel contraria contrariis referuntur.*Sed mihi omnis ratio eſt, cum virtute,non cum deſidia : cum dignitate,non cum voluptate : Non inimici mei te eripient ſed amiciſſimi ; non malè aliquando de me meriti, ſed ſemper optimè.*

XII. Quod inuerſum , atque immutatum eſt contentionibus , & grauioribus orationibus eſt accommodatiſſimum, in eoque omnis aliquando vis,& eloquentiæ maieſtas perſpicitur.Quod enim ſua ſponte fuſum eſt , hoc eſt ſimplex , vt virtus poteſt omnia:verſum , ac immutatum ſit varium,& multiplex planeque Oratorium : vt ſi ſententiam eandem variis modis efferamus,modò per interrogationem. Quid eſt quod virtus efficere non poſſit?

Modò per negationem Nihil eſt quod virtute non poſſit effici.

Aliàs per circuitionem.Nihil tam altè poſitū eſt à natura, quô virtutis amor eniti non valeat.

Per exclamationem.Tanta vis eſt, ac poteſtas in vna virtute poſita,vt quæ multi fieri vix poſſe exiſtimant, ea ſine vlla penè difficultate,nullo labore perficiat.

Si ſublimius idem quis enunciare velit.Quid eſt in omni rerum natura tam arduum,tam difficile , tam abditum quod non virtus amplecti, ſuperare,ac in bonam lucem educere poſſit.

13, Com-

Digitized by Google

XIII. Compoſitio debet eſſe magnifica, proindè numerus grandior, & exercitatior vt oportet; in quo maximè commendantur Dactyli, Pæanes, & qui minimum ab iis abeunt pedes. Damnantur verò crebri Spondæi, quia tardiores; multi Iambi, Tribrachi voceſque omnes Brachyſyllabæ, quia celeriores.

XIV. Periodiorum membra ſint producta ſatis: nam quæ ſubitò cadunt, & quaſi ſubſultant, grauitatem orationis tollunt, licet in verbis, & ſententiis ſit magnificentia. Non tamē hoc prohibeat, quo minus in magno periodo bonus, Orator membra quædam breuia longis poſſit inſerere. Nam in ampla domo, non omnia conclauia ſunt æquali magnitudine extructa, ſed alia magna, exigua mediocria: quin & omittenda periodus erit aliquando, & inciſis membriſque diuidenda Oratio, vt inſiliat, atque inſtet acriùs.

XV. Sit Orationis ſtructura aſperior potius, quàm cultior, nec ita fugiat concurſum, vocaliū aut ſonantium literarum colliſionem, vt ſuauitatem Orationis conſectari videatur, neque admodum rerum ipſarum, quas ſuſcepit amplificādas, magnitudine commoueri.

XVI. Sit tota naturalis Oratio non fucata, nō artificioſa nimis, ſed quæ veros affectus indicet, vt pro Milon. 103. *Quid reſpondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant, quid tibi Q. Frater, qui nunc abes conſorti mecum temporum illorū?*

Item illud. *Quid iam reſtat? quid habeo quod dicā? quid faciam pro tuis in me meritis, niſi vt eam fortunam, quæcumque erit tua, ducam meam?*

LECTIO VI.

Quibus ex locis rerum Amplificatio ſumatur.

CVM ſpecies quædam Argumentationis ſit Amplificatio, ex iiſdem planè locis petenda eſt, quos ad probandum, fidemque faciendā aſſumimus; ſed ex præcipuis tantùm, & à Cicerone commendatis, de quibus cùm antea dixerimus, cæteris omiſsis, vſum dumtaxat amplificandæ rei neceſſarium, & vtilem oſtendemus, Quintilianum ſequuti, qui modos quatuor ſeu fontes aperuit exaggerandæ rei idoneos, l. 8. inſt. c. 4. Incrementum, Comparationem Ratiocinationem, Congeriem.

PVNCTVM I.

De Congerie.

VSitatus & facilis eſt hic Amplificandi modus: duplicem faciunt Congeriem eloquētiæ magiſtri: vnam verborum, de qua ſatis multa diximus, cum illam dictiones eiuſdem ſignificationis coaceruatas diximus. Verres totam Siciliam depopulatus eſſe dicitur, Siculorum ciuitates vaſtaſſe, domos exinaniuiſſe, fana ſpoliaſſe.

Plautus in Bacchidibus, actu 5. Scena 1.

Quicūque vbi ſunt, qui fuerunt, quiq; futuri ſūt poſthac,
Stulti, ſtolidi, fatui, fungi, bardi, blenni buccones.
Solus ego omnes longè anteo ſtultitia, & moribus indoctis.

Alteram ſententiarum, cùm orationes ſiue ſententiæ plures, eiuſdem pariter ſignificationis cōponuntur. Ita ſinonymis quibuſdam Piſonis inſaniam creſcente ſenſim oratione exaggerat, Cic. n. 47. *Ego non vecordē, non furioſum, non mente captum, non tragico illo Oreſte, aut Athamante dementiorem putem qui ſis auſus primum facere, deinde paulò ante Torquato viro ſāctiſſimo premēte confiteri, ſe prouinciam, ſine vllo milite, reliquiſſe? Mitto de amiſſa maxima parte exercitus. Sit hoc infelicitatis tuæ; dimittendi verò exercitus quam potes afferre cauſam? quam poteſtatem habuiſti? quam legem? quod Senatuſconſultum? quod ius? quod exemplum?*

Et n. 53. *Quot Mæādros, dùm omnes ſolitudines perſequeris, quæ diuerticula, flexioneſque quæſiſti? quod te municipium vidit? quis amicus inuitauit? quis hoſpes adſpexit, nónne tibi nox erat pro die? non ſolitudo pro frequentia? caupona pro oppido?*

Triplex eſt vſus in Oratione. I. Vt iis quæ minus aperta ſunt lucis aliquid adferat; dùm priora poſterioribus explicantur.

II. Vt orationem pleniorem, ac modulatio-

Digitized by Google

rem expleto n.reddat. Tale eſt illud in Piſon.1. *Non enim nos color iſte ſeruilis,non piloſa gena,non dentes putridi deceperunt. Oculi, ſupercilia,frons, vultus denique totus,qui ſermo quidam tacitus mẽtis eſt,hic in errorem homines impulit:hic eos quibus erat ignotus,decepit,refellit,in fraudem induxit.*

III. Qui huc potiſſimum ſpectat, vt inſtandi, onerandi,vel exprobrandi criminis cauſa exaggerationem aliquam faciat. Nam vt ait Gellius, lib.13.cap.23.quæ cum orationis dignitate, & cum graui verborum copia dicuntur,quamquam eadem ferè ſint, & ex vna ferme ſententia oriantur, plura tamen eſſe exiſtimantur, quoniam & aures, & animum ſæpius feriunt, vndè & oratio fit acrior, & res ipſa multò grauior, maiorque apparet. Eſt ille locus celebris & notus in Cic. pro Ligario,n.9. *Quid enim Turberno tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens?oculi?manus? ardor animi?quid cupiebas? quid optabas. Expende quam multa ſint hic idem ſignificantia; gladius, mucro,arma,ſenſus,mens,animus,cupiebas,optabas. Tum quot ſententiæ eodem ſpectantes, diſtringere in acie gladium,latus petere.*

Nihilò profanis Oratoribus eſt inferior D. Cyprianus de Liuore. *Si receſſerunt de pectore tuo tenbræ,ſi nox inde diſcuſſa eſt,ſi caligo deterſa ſi illuminauit ſenſus tuos ſplendor diei,ſi homo lucis eſſe cœpiſti,quæ ſunt Chriſti ſequere, ſequere quia lux & dies Chriſtus eſt,quid in Zeli tenebras ruis? quid te nubilo liuoris inuoluis?quid inuidiæ cæcitate omne pacis,& charitatis lumen extinguis?*

Porrò ſpretis, vel etiam exhauſtis vocibus propriis. Metaphoricis, vel Allegoricis vti licet,idem D.Cyprian.de habitu Virginis. *Si tu te ſumptuoſius, & comas, per publicum notabiliter incedas,oculos iuuentutis in te illicias,ſuſpiria adoleſcentum poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nutrias,peccandi fomenta ſuccendas,vt, etſi ipſa non percas,alios tamen perdas,& velut te gladium, ac venenum videntibus præbeas,excuſari non potes quaſi mente caſta ſis ac pudica,*

Sic probabis allegoricè his qui volunt olim auditores in foro audiri Poëtas, , & Oratores eſſe ſtudioſè legendos. Quare ſi forum cogitas, ſi te genius & indoles ad illam ducit victricem animorum ciuitatumque dominatricem Eloquentiam, ſub his tibi ſudandum magiſtris, iis ducibus facienda prima ſtipendia, in his caſtris ponenda forenſis illius pugnæ rudimenta; his diſces ſumma vi torquere haſtam, gladium ſtringere,confodere aduerſarium, clypeum opponere, declinare ictus, hoſtium mumimenta conuellere,ſuſque deque vertere omnia, verbo dicam in iudiciis vincere,in concionibus dominari,vbique triumphare.

Cauendum tamen ne temerè hac figura vtamur, multiſque verbis quamlibet ſententiam pueriliter oneremus. Neque enim in re leui tot fruſtrà perdenda verba, & in graui etiam, quàm vrgeri conuenit, id videndum vt poſteriores ſententiæ vel aliquid lucis prioribus afferant,vel plus acrimoniæ contineant,incendantque vehementius orationem; qua re neceſſe eſt vt ſit in illis vis aliqua maior, ne frigeſcat oratio.

PVNCTVM II.

De Coaceruatione rerum.

MVltis congeries ſimpliciter dicitur, cùm ad inſtandum, augendumque variæ actiones, reſque enumerantur, & in vnum quaſi aceruum congeruntur, ſublatis aliquando coniunctionibus, vt acrius inſtet; ſed illic plurium rerum eſt congeries, hic vnius vocis multiplicatio, 3. in Catil. numero 16. *Ille erat vnus timendus ex omnibus, ſed tandiu dum mœnibus vrbis continebatur. Omnia norat, omnium aditus tenebat; appellare: tentare, ſollicitare poterat, audebat, erat ei conſilium ad facinus aptum, conſilio autem, neque lingua,neque manus deerat.*

Tùm adhibetur cùm incaleſcit oratio, ad amplificandum quæ benè, vel malè geſta ſunt, Admirati onem enim conciliant multæ ſimul ſub oculos poſitæ virtutes.pariterque graue odium conflant vnum in locum collata multa vitia: vt ſi quem dixeris pudicitiæ ſuæ proditorem, inſidiatorem alienæ, cupidum, intempe-

ran

Digitized by Google

rantem, petulantem ſuperbum, impium in parentes, ingratum in amicos, infeſtum in cognatos, in ſuperiores contumacem, in æquos, & pares faſtidioſum, in inferiores crudelem, denique in omnes intolerabilem.

PVNCTVM III.

Congeries definitionis.

DEfinitionem appellant Rhetores quamlibet rei explicationem, quæ aut naturam ipſius, aut partes, vel cauſas, & effecta, vel officia & adiuncta continet, eaque vel propriis vocibus, vel translatis explicat: quod vt illuſtrius, ita frequentius eſt, vt pluribus in locis diſſeruimus.

Congeries huiuſmodi definitionum vim habet ad Amplificandum maximam, ſeu vituperando inſectari, ſeu ornare laudando velis: in vtramque partem ſæpius à Cicerone adhibetur Quæ Definitio, ſeu deſcriptio conglobata per omnes locos commodè fieri poteſt. Per cauſas, Hæreſis eſt peſtis orbis: in hunc modum hanc propoſitionem amplificare licet Ego hæreſim monſtrum non appellem, non hominum peſtem, non perniciem, quam ex omnium errorum, ac ſordium colluuiône conflatam excitauit ambitio, concepit impietas, rebellio genuit, educauit bellorum confuſio, auxit libertas ſcelerum, confirmauit impunitatis ſpes, crudelitas pauit, ac perfidia, dominandi libido florere fecit in legum contemptum, religionum violationem, Regum caput, pacis omnium, ac ſalutis extinctionem. Quod igitur monſtrum, ſi hoc non eſt?

II. Per partes rem deſcribimus; ſic definit Imperatorem Pompeium, Cic. pro lege Man. ſic Auaritiam, & Ambitionem Rulli damnat, 2. Agr. num. 97. Accepti beneficij magnitudinem ad Quirites, num. 5. Sic per Metaphoram, hæreſis exercitum, per partes deſcribere poteris. Sed quid hæc queror? quid aliud ab hac ſcelerum coniuratione debuit expectari? cuius Imperator excucullatus Germaniæ venter, Rex Stigmaticus, Galliæ Apoſtata, Duces, Tribuni, Centuriones transfugæ Monachi, profani Sacerdotes, pudet dicere Sardones, Lanij, Sartores, Piſtores & huiuſmodi fæcis plebeiæ ſordes, præcones impuri, ſcurræ popinarij, tabernarij, mancipia, tenebriones, reliquum agmen collectum ex iuuenibus diſſolutis, ſenibus deſperatis, ex agreſti luxuria, ex ruſticis mendiculis, ex decoctoribus, ex libertinis voluptatum, & perduellibus, ex Atheis & hos audis? hos ſequeris, hos in amicitiam vitæque ſocietatem admittis?

III. Per effecta, probat Aquilium eſſe virum probum Cic. à prudentia, humanitate, fide, Iuſtitia, Orat. pro Cæcin. num. 78. *Hoc loco percommodè accidit, quòd non adeſtis, qui paulè ante affuit, & adeſſe nobis frequenter in hac cauſa ſolet, eis ornatiſſimus Aquilius; nam ipſo præſente de virtute eius & prudentia timidius dicerem, quod & ipſe pudore quodam afficeretur ex ſua laude, & ſimilis ratio pudoris, à præſentis laude tardaret. Cuius auctoritati dictum eſt ab illa cauſa concedi nimium non oportere. Vereor de tali viro plus dicam, quam vos aut ſentiatis, aut apud vos commemorari velitis.*

Iam vti pudore & modeſtiâ præparauit auditorum animos, liberius in viri boni laudes excurrit. *Quapropter hoc dicam, nanquam eius auctoritatem nimium valere, cuius prudentiam populus Ro. in cauendo, non in decipiendò perſpexerit; qui iuris ciuilis rationem nunquam ab æquitate ſeiunxerit: qui tot annos ingenium, laborem, fidem ſuam Populo Rom. promptam expoſitamque prabuerit: qui ita bonus & iuſtus vir eſt, vt natura non diſciplina conſultus eſſe videatur: ita peritus, ac prudens, vt ex iure ciuili, non ſcientia ſolùm quædam, verum etiam bonitas nata videatur: cuius tantum eſt ingenium; ita prompta fides, vt quidquid indè hauries, purum liquidumque te haurire ſentias.*

Similiter in hæreſim. Etenim vt arborum, & ſtirpium ſemen: ſic noſtrarum omnium calamitatum cauſa, & origo fuit. Cæſi Sacerdotes, proſtitutæ Virgines Deo conſecratæ, diruta Templa, prophanata ſacra, vicies centena millia Gallorum occiſa? denique quidquid mali vidimus [quid autem non vidimus?]

ſi rectè ratiocinabimur vni acceptum hæreſi referemus. Et hanc Galliæ calamitatem non appelles.

IV. Per accidentia, & qualitates paulò fuſiornam excurrit per omnia attributa. Huc refer Hiſtoricas Poëtricaſque deſcriptiones locorum, temporum, &c. 2. Agrar. Cic. num. 8 ait ſe Remp. afflictiſſimam recepiſſe quam deſcribens per omnes calamitatis circunſtantias definit. *Ego qualem Kalendis Ianuariis acceperim Remp. Quir. intelligo, plenam ſollicitudinis, plenam timoris: in qua nihil erat mali, nihil aduerſi quod non boni metuerent, improbi expectarent: omnia turbulenta conſilia contra hunc Reip. ſtatum, & contra veſtrum otium partim iniri, partim nobis Conſulibus deſignatis inita eſſe dicebantur: ſublata erat de foro fides, non ictu aliquo nouæ calamitatis, ſed ſuſpicione ac perturbatione iudiciorum, infirmatione rerum iudicatarum nouæ dominationes, extraordinaria non imperia, ſed regna quæri putabantur. Quæ cum ego non ſolum ſuſpicarer, ſed planè cernerem, dixi in Senatu, in hoc magiſtratu me popularem Conſulem futurum. Quid enim eſt tàm populare, quàm pax? qua non modò ij, quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta atque agri mihi lætari videntur: Quid tàm populare quàm libertas? quam non ſolum ab hominibus, verum etiam à beſtiis peti, atque omnibus rebus anteponi videtis? quid tam populare, quàm otium, quod ita iucundum eſt, vt & vos, & maiores veſtri & fortiſſimus quiſque vir, maximos labores ſuſcipiendos putet, vt aliquando in otio poſſit eſſe?*

Ita ſub Allegoria belluæ depinges hæreſim. O deteſtabilis hominum factio! ô portentum inauditum! ô leonina rabies! depingere me vis animo monſtrum hoc? concipere nec poſſum, nec velim, ita terret. Cedo tamen colores; quos autem? de Cerberi ſpuma ſi quid habes, ſi quid de Meduſæ tabo, ſi quid de prophano ſacrilegi Promethei ſanguine, ſi quid de Lamiæ voracis ferino lacte. Miſce pubem, tibi multiplex erit furia errorum colubris crinita, fero hians rictu, vibrante lingua, & ante minas etiam virus ad corporum, animorumque præſens exitium ſpargente: oculis ignem ſpirantibus, ad mortalium ruinam, & orbis incendium. Caue vultum intuearis, multiplex eſt, ridet, minatur, blanditur, excandeſcit, expalleſcit, vnus tamen omnibus color eſt inferorum fuſcus.

V. Per ſimilia. Valet ad rem melius exprimendam, cùm rem dictam ſimpliciter, per metaphoram illuſtramus. Sic à Cic. Curia deſcribitur & Senatus incendium deplorat, pro Mil. num 91. *An ille Prætor, ille verò Conſul, ſi modo hæc templa, atque ipſa mœnia ſtare eo viuo tamdiu, & Conſulatum eius expectare potuiſſet, ille denique viuus nihil mali feciſſet, qui mortuus vno ex ſuis ſatellitibus Clodio duce, curiam incenderit? quod quid miſerius, qui acerbius? quid luctuoſius vidimus? Templum ſanctitatis, amplitudinis, mẽtis, conſilij publici, caput vrbis aram ſociorum, portũ omnium gentium, ſedem ab vniuerſo populo Romano conceſſam vni ordini, inflammari, exſcindi, funeſtari?*

Hæreſis verò. Nam quæ Sylla, quæ Charybdis, quæ vorago, qualis hydra, ſi illa non eſt? Quod imperij totius commune naufragium, quæ poſtremas etiam naufragij noſtri tabulas abſorpſit, vt iterum in caput noſtrum eructaret: Quam ſi ferro petis, inualeſcit, ſi ſecas repullulat; quæ non de Meduſa, ſed arbitror de Megæra nata eſt, non in Lernæo, ſed in Lemano lacu educata, faces ad Gallorum; imò ad orbis interitum accendit. Et hanc amabis?

V. Per negationem. Ad amplificandum apta definitio maximè in rebus ſublimibus, vel remouendo contraria, vel dicendo quod non eſt. Tull. in Piſonem poſtquam naufragium, exilium, mortem, cæteraque fortunæ tela non eſſe ſupplicij loco ducenda demonſtrauit; ad Piſonis & Gabinij ſcelera delapſus propriè definit ſupplicium, illorumque furorem, & audaciam vera eſſe ſupplicia concludit quæ Deus ab illis exigat, n. 43. *Quæ igitur pœna? quod ſupplicium? id mea ſententia, quod accidere nemini poteſt, niſi nocenti, ſuſcepta fraus, impedita, & oppreſſa mens conſcientia, bonorum omnium odium, nota iuſti Senatus; amiſſio dignitatis. Nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginienſes, reſectis palpebris, illigatum in machina, vigilando necauerunt ſupplicio videtur affectus: Nec C. Marius, quem Italia ſeruata ab illo, demerſum in Minturnenſium paludibus, Africa deuicta, ab eodem expulſum, & naufragum vidit. Fortunæ enim iſta tela ſunt, non culpæ: ſupplicium autem eſt pœna peccati.*

Sic

Digitized by Google

Sic Hæreſim. Quamquam quid ego mōſtrum appellem, quod non vnum eſt, ſed multiplex, nō Hydra, ſed Hydrarum Lerna, non furia, ſed effectus ipſe furiarum coetus. At homines ſumus, inquiunt, Chriſtiani ſumus. Tu in hominis figura, quam & iam lapidibus facimus communem? Tu in nomine Chriſtiani, tu in Baptiſmatis luſtratione, quæ omnia Porphyriis conceſſimus, quæ Lucianis Atheis, quæ Iulianis Apoſtatis, nomen hominis, nomen Chriſtiani eſſe putas? tu in Biblicis codicibus ventilandis: quos corrumpitis; in ſacris voluminibus lectitandis; quæ in Arianis olim, Gnoſticorum luſtris, in Manichæorum proſtibulis, in hæreticorum manibus, vidit & indignata eſt antiquitas. Mente hominem, animo Chriſtianum, Religione maiorum fidelem, ſanctitate morum commendabilem, obſequio Regibus promptum eſſe conuenit. Ego Chriſtianū appellem eū, qui Chriſtum nomine ſalutat, fide prodit; qui Chriſti ſponſam ore laudat re proſtituit: qui fidem opinioni ſuæ maiorum prudentiam iuuentutis ſuæ temeritati; qui doctoſſimorum hominum ſcientiam, qui ſanctitatem angularibus prophanæ ſcholæ canibus, & Anglici moloſſi latratibus impiis, vel decantatæ Galliarum ſimiæ gannitui, vel Germaniæ ſuis grunnitui poſthabeas? cui Religio ſumma, carere Religione. Quinam ergo ſacrilegi, ſi vos religioſi? quinam impij, ſi vos pijeſtis? qui Chriſti hoſtes, ſi vos Chriſtiani?

PVNCTVM IV.

Congeries partium.

Diues quoddam inſtrumentum amplificandi, cùm pro toto partes conglobatæ afferuntur. Sic enim quæ in vna aliqua re confuſa, & conuoluta quodammodo latebant, exponuntur oculis vno aſpectu intuenda; vndè rei meritum, & amplitudo, vel infamia, atque attrocitas creſcit. Tull. in Piſonem, magna ſermonis vbertate, & copioſo velut æſtu verborum criminibus in vnum conglobatis, oſtendit Piſonem omnium mortalium ſententiis eſſe damnatum, n. 96. *An ego exſpectem, dùm de te quinque, & ſeptuaginta tabellæ diribeantur, de quo iampridem omnes mortales omnium generum, ætatum, ordinum iudicauerunt? quis enim te aditu, quis vllo honore, quis deniq; cōmuni ſalutatione dignū putet? Omnes memoriam Conſulatus tui facta, mores faciem denique, ac nomen à Rep. deteſtantur. Legati qui vnà fuere, alienati: Tribuni militum, inimici: Centuriones, & ſi qui ex tanto exercitu reliqui milites exiſtunt, non dimiſſi abs te, ſed diſſipati, te oderunt, tibi peſtē exoptans, te exſecrantur. Achaia exhauſta; Theſſalia vexata, laceratæ Athenæ: Appollonia exinanita; Ambracia direpta; Bullienſes illuſi; Epirus exciſa? Locri exuſti; Athamanūm gens vendita; Macedonia condonata barbaris, Ætolia miſſa; Dolopes finitimq; mōtani oppidis, atq; agris exterminati: Ciues Rom. qui in iis locis negotiantur, te vnum ſolum ſuū depeculatorē, vexatorem, prædonem, hoſtem veniſſe ſenſerūt.*

Quæ dilatandi ratio frequentiſſima eſt, cùm totum in partes diducimus, ſatis erat Tullio dicere, vrbem hodie conſeruatam videtis, ſed vt animos vehementius permoueat ſic vrget Catilinam orat. 3. *Remp. Quirites, vitamq; omniū veſtrum, bona, fortunas, coniuges, liberoſq; veſtros, atq; hoc domicilium clariſſimi imperij fortunatiſſimum, pulcherrimamq; vrbem, hodierno die, Deorum Immortal. ſummo erga vos amore, laboribus conſiliis periculiſq; meis, ex flama atque ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam, & vobis conſeruatam, ac reſtitutam videtis.*

D. Greg Naz. ſtupendam Machabæorum conſtantiam amplificat, quæ propoſitis omnibus tormentorum generibus de gradu virtutis, & conſtantiæ deiici non potuit. Martis robur animique conſtantiam nihil flectere, & emollire, aut debilitare potuit: non inſtrumenta luxandis artubus accommodata, non rotę propoſitæ, non exquiſitiſſima quæque tormentorum genera, non ferrearum vngularum acies, non furentes beſtiæ, non enſes acuti, non feruentes ollæ, non ignis erumpens, non vrgentes ſatellites, non filiorum aſpectus, non membra quæ diſcerpebantur, non carnes quæ lacerabantur, non defluentes ſanguinis riui, non flos ætatis qui abſumebatur, non præſentia mala, non impendentes acerbitates.

Digitized by Google

Sapienter D. Ambroſ. de Fuga ſæc c.7. hominis fragilitatem, facilitatemq; ad peccandum deplorat. *Quis inter tot paſſiones huius corporis, inter lentas illecebras huius ſæculi, tutum atque intemeratum ſeruare poteſt veſtigium? reſpicit oculus, & ſenſum mentis euertit: audiuit auris, & intentionẽ inflexit; inhalauit odor, & cogitationem impediuit; os libauit, & crimen reddidit, tactus contigit, & ignem adoleuit.*

Rem amplificat, motumque concitat ab enumeratione rerum quæ ſunt in vita clariſſimæ in quarum vexatione non mediocrem hauſit animo dolorem, Tull. pro Sextio, n. 145.

Hęc diſtributio ſæpe maiorem orationis partem implet atq; amplificat. Sic beneficij magnitudinem commendat Cic. poſt redit, ad Quir. 5.

Si qui húc fontem aperiat & Angelorum in nos officia, beneficiaque gratus commemoret ac Ciceronis ingenium.

Si tantopere nos parentibus natura conciliat; morum atque artium diſciplina præceptoribus; vitæ conſuetudo, & ſocietatis amicis: cæteris hominibus vaga volubiliſque fortunæ ratio; quæ tandem nobis cum Angelo cuſtode religionis neceſſitas intercedit, cuius in nos moderatio tutelaque omnes omnium charitates, & neceſſitudines illa complexa eſt? Magnum dico, nec meo tamen indicio quidquam ad illius prędicationem illuſtrius, quàm ad opinionem veſtram fidemque procliuius. Quare idipſum repetam, & quod paucis antea verbis indicaui, nunc pluribus, vt omnes intelligãt, confirmabo.

Nego vllum tàm illuſtrę; tanque innuſitatum beneficij genus, quod vel communione ſanguinis & vſurâ lucis à parentibus, vel confirmatione & elegantiâ doctrinæ à magiſtis; vel ſuauitate conuictus, fide & officiorum multitudine ab amicis, vel denique vlla fortunarum, aut cuiuſque modi rerum facultate à cæteris hominibus, quibus nos ciuile ius, & quædam vitæ cõmunitas adſtrinxit, nullum inquam beneficij genus, quod proficiſcatur ab iis, qui Angelorum cura, ſtudio, vel procuratione quodammodo contineatur.

* * *

Prima Pars diſtributionis à Parentibus.

Age verò vt omittamus ſingula numerando beneficia recordari, quæ partim noſtris Parentibus, partim iis Angelis, qui nos in ſuam adſcripſere clientelam, accepta referre poſſumus. Enimverò, ſi vim & rationem paternæ dignitatis, ac neceſſitudinis, apud nos obtinent illi propter quos vitalem hunc ſpiritum, lucemque hauſimus, quis eamdem vis cuſtodibus Angelis non concedat? qui ſimul ac maternis viſceribus in ſedimus, ſic inuigilare, ſic operam noſtrę ſaluti dare cœperunt, ne priùs illis incluſi tenebris extingueremur, quàm lucem hanc aſpicere poſſemus. Qui deinde nos exſolutos vtero, ſordidiſque partus integumentis reuolutos, & in vitæ ſtationem receptos ſic aluerunt, vt ſi rectè ratiocinari volumus, non tàm nutricum vberibus, quàm tacitis illorum blandiciis, innuutriti fuiſſe, nec tàm è matrum gremio, quàm ex eorum tutela pependiſſe, nec tàm in cunis, quam in eorum cuſtodia vagiiſſe infantes, lallaſſe, ac ſenſim adoleuiſſe videamur.

Quoties mille periculis, niſi cuſtodes Angeli ſtatim occurrerent, potuere tenelli fœtus in præcordiis matureſcentes diſcuti? quoties matrum ægritudine, vel repentino pauore, aut medicamentis abigi? quoties nutricum lapſu elidi? quoties in ipſis incunabulis præfocari? at iis omnibus malis tacitè obuiam iuiſſe cuſtodes nemo non vidit. Quare nos aut naturæ communis fragilitatem ignoramus quod turpe eſt, aut parum grato animo Geniorum cuſtodiam interpretamur, quod eſt impium, ſi minus eorum opem, quàm parentum operam neceſſariam nobis eſſe credimus, vt oriamur, & in lucem editi ſuſceptique, hoc cœleſti ſpiritu augeamur. Sin hoc cenſemus quantam religionem apud noſtros animos eorum neceſſitas poſſidere debet, qui vel æqualia, vel maiora, certè multò plura in nos quàm parentes ipſi beneficia contulerunt.

Altera.

Digitized by Google

Altera Pars diſtributionis à Præceptoribus.

Quod vti melius etiam atque etiam videa-
ris,ad ea Præceptorum officia, quæ cœleſtes illi
gubernatores hominum iure præcipuo quo-
ſua vendicant, tranſeamus.
æceptores, ſint câ dignitate,
ſophorum ex communi an-
itio, & clariſſimorum Prin-
is eſſe voluit; an verò eo-
t ex omni retrò memoria
m alicuius diſciplinæ, vel
bilis, tàm inſtituendæ iu-
tàm ſuorum vtilitati con-
ſe uiſe vel cum minimo An-
gelo ate, ſtudio, vel induſtria
conf eſtes intelligendi præcep-
tores entium mentes ad pieta-
tem, & artes, non vno certo de-
finitoque illis tempore, ſed aſſiduè dies, noctesque informant; nos quidem illorum iuris & dignitatis vicarij loquendo præceptiones artis, ac virtutis in diſcipulorum aures infundimus;illi agendo in eorum ſenſibus, animiſque inſcribunt. Nos digitum in arcem Eloquentiæ,vel humanæ, diuinæque Philoſophiæ fontes intendimus; illi abruptum iter multis interceptum diuortiis, multis circumſeptum difficultatibus aperiunt, ac ſternunt. Nos puerorum animos ad ingenuas artes capeſſendas impellimus; illi mentis diſſipata caligine eoſdem imbuunt, ac fingunt, hôc felicius, quò propius ab ipſa facultate reſident animi. Nos verbis, vt poſſumus; illi cogitationibus optimis; nos ſententiarum aculeis, illi diuinis occultiſque facibus ſolidæ laudis, & immortalis gloriæ ſtudio inflammatas voluntates abripiunt. Illas à Deo, cuius & ad communicandum larga, & benefica natura, petunt & impetrant cogitationes mirificas, quæ non fuſis precibus, non votis conceptis, non noſtris vllis promeritis eblanditæ, aut expreſſæ, ſed nobis nec opinantibus, ſæpè etiam reluctantibus iniectæ, ſimul atque exoriantur, animoque fulgurant ſplendore ſuo, & violento quodam lenocinio, nos ad ſpem immortalitatis conuertunt. Non illos ingrati Clientis impietas, non diſcipuli contumacis aſperitas, non illos deſpicatiſſimi, abiectiſſimique tarditas ab illius vtilitatis proſequutione auertit, vel amore deterret. Quis ergo non illos parentum loco ac præceptorum numero pius habeat? quis non vltima veneratione genios proſequatur, à quorum procuratione diuina in nos ab immortali numine beneficia promanarunt? quis non talium magiſtrorum memoriam incredibili beneuolentia complectatur?

Tertia Pars ab Amicis.

Iam vero ſi quid amicos diligimus,quibus ad vtilitatem,vitæque ſuauitatem, ac honeſtatem vtimur, quis illorum impenſiſſimam erga nos voluntatem, & inductionem animi, in noſtris precibus fidem, in rebus aduerſis mœſtitiam ſuauiſſimo pietatis, & amoris ſenſu recordari queat? Si noſtra vſque adeò natura ex ſeſe tenuis & abiecta, parentum autem ſic deformata ſordibus, debilitata vitiis, & exhauſta luxu, vt morbi ſæpè adſint, mors ſemper impendeat, multoque plures huius vitæ ærumnas conqueri, quàm eius opportunitates gloriari videantur, quo tandem animo, quâ pietate nos in beatiſſimos illos ſpiritus eſſe oportet, cùm rerum noſtrarum curam vt amici fideles recipere, cùm ſalutis noſtræ defenſionem amplecti, & ad omnia nobis vitæ procuranda præſidia, commodaque deſcendere non grauentur.

Si tanta eſt egeſtas animi, tanta mentis noſtræ cœcitas, vt non modò nihil in poſterum præſentire, ſed ne pericula quidem, quæ nos circunſtant proſpicere poſſimus: ſi tàm eſt inexplebile Dæmonis in nos odium, vt cùm iam tot mortalium ruinis, & funeribus ſe pauerit, tamen ad reliquorum peſtem, exitium ſe nouis quotidie maleficiis excitat; obſecro vos quis ab Angeli tutela, præſidioque diſcedat? quis ab illius amicitia prudens ſecedat? dubitabitis vos iam pridem funditus inte

interituros fuiſſe, niſi fideliſſimus ille cuſtos animi veſtri teterrimi hoſtis immanitatem ſuppliciis illaqueatam premeret, ac ſingulis momentis eius impetus à pernicie veſtra refrænaret. Prouocate illum prouocate, & ſi quid audetis remoto defenſore laceſſite, vos ſcilcet illius ſoluti, ac liberi ludetis aſtutias, frangetis audaciam, cuius vix numeratis victorias, aut retardatis furias implicati? Ille quotidie nouos ſceleris adminiſtros, & funeſtiſſimos ſatellites comparat, quorum fraude nefaria vos intercipere, telis configere, crudelitate mactare, & accerbiſſimis ad perpetuum dolorem vulneribus cruentare conatur. At eius conatibus ſeſe cœleſtis ille propugnator obijcit, & amicus fidelis in intimos vniuſcuiuſque noſtrum affectus penetrare nititur, ſi quæ ſunt infixà viſceribus tela reuellere, mentem à concepti, & erumpentis propè ſceleris cogitatione, ad ſpeciem honeſtatis reflectere, omni denique artificio deliniendæ, vel expugnandæ voluntatis alumnum à maleficio ſemouere, quem ſe nihilo ſecius, ſuauiſſimis conſiliis propter vim furentis cupiditatis præfractius obniti, vel aduerſari ſentiat, vel extremo periculo conſtitutum, propter fœdam anteactæ vitæ, mortiſque impendentis faciem luctari, deſperatione agi, & à ſalutis præſidiis abhorrere videat, quo ſtudio, quâ diligentia, quâ fide, & conſtantiâ exiſtimatis, cum ad beatorum preces confugere, ſociorum opem expoſcere, auxilium implorare, omnes ordines obire, precari, obteſtari? non prius ab illa imploratione deſiſtit, quàm vel omni ſpe ſalutis damnatâ coactus ſit mœrens à miſero cliente diuelli, vel eum tandem omni periculo ſolutum ad beatam vitam perduxerit. Quod conſequutus, proh. Deus immortalis! incredibile eſt quibus eum lætitiis, quâ gratulatione, quibus oſculis, & amplexibus illum tanquam alumnum ſuis conſiliis ab interitu vindicatum ſinu excipiat. Sunt ne igitur hæc certiſſima Cuſtodis, & amici fideliſſimi argumenta? Sunt ne hæc beneficia, quibus nec maiora, nec illuſtriora cogitari poſſunt.

Motus grauior.

Quàm grauis, & potens erit Amplificatio ſi motus adhibeantur in hunc ferè modum?

Agedum tu quiſquis es, cum omni conſilio præceps, ac deuius ad omnem quotidie libidinem, & nequitiam proiectus viuis, tu ibi præſentem, & affixum præceptorem illum cæleſtem prædicas? ita tibi aſſiduum obſeruatorem appoſitum, vt ne puncto quidem temporis abſcedat, ſed vtero matris acceptum ad extremum vitæ diem comitetur. Tu illius dignitatem nec obliuiſci potes ſine turpitudine, nec immortalia diuinaque eiuſdem in te beneficia ſine impietate, nec moderationem ſine ſcelere. Tu ab illius conſpectu non magis obliteſcere potes, quàm ille vult à tuo capite ſeparari.

Tu igitur baccari coram, tu laſciuire, tu furere, tu ſuperos hominesque periuriis & maledictis inceſſere? tu iſto rectore, & ductore comitatus in gurguſtia, in luſtra, in ganeas, in lupanaria intrare non erubeſcis? tu illum trahere in domicilium, & officinam tuarum libidinum non verecundaris? tu illum fœdiſſimarum voluptatum, ac ſcelerum ſpectatorem facere non perhorreſcis? O cœnum! ô luem! Inſpectante graui homine ne concipere quidem flagitium, nec admittere in te ſcelus, aut crimen ſuſtines? tu parentis oculos reuereris; tu non aſpectum modò, ſed etiam ſuſpicionem magiſtri exhorreſcis, magiſtri dico? Tu pueri, tu mancipij, tu ancillulæ vocem, veſtigia, vmbramque refugis, nec tanti Parentis, tàm diuini Præceptoris, nec Angeli maieſtatem metuis, non expaueſcis? non te pœnarum formidines, quas opponit cupiditati, commouent? non promiſſorum blandiciæ, quibus aſſiduè te prolectar, reuocant? non vides bellua, non ſentis illum effrænatæ tuæ libidini reclamare, ingemiſcere, illacrimari? & hîc etiam mihi tu gloriabere nunquam illum abeſſe à tuo latere? hoc eſt eum habere præſentem, hoc eſt illius ſpirantem imaginem geſtare? Tu cum iſto ore procaci & contaminato ſpiritu, cum toto corpore ad libidinem omnem & nequitiam pelluminato, & proſtrato, cunctos mortales, niſi

niſi quos eadem inuaſit laſciuiendi temeritas, à tua conſuetudine repellas, non exiſtmas deterreri abs te Angelum, atque refugere, qui ne leuiſſimas viſus eſt vnquam ſine pudore gemituq; maculas intueri? O miſerum quod eum peccandi libidine abeſſe cogas! quod abeſſe ſentias!

Nam fac eum adeſſe: tu igitur hunc dolorem inuris tãtæ maieſtati, cuius oculi, & curæ omnes in te vno defixæ habitant? tu Parenti à quo ſemel communem ſpiritum, ſæpè autem precariam incolumitatem, & ſalutem acceperis? tu Præceptori, à quo nihil deſideratre poſſis præter peccandi licentiam? tu Amico, qui te oculis, auribus, perpetuoque complexu tenere cupiat, qui ne in periculo quidem cum cæteris Angelis colluctandi, in grauiſſimis diſcordiis, deſerere defenſionem velit.

Sed perge ſceleratе, ſi neminem alium ſaltem oblectas hoſtem infenſiſſimum humani generis quo cum iſte tuæ ſalutis, & libertatis aſſerendæ cauſa dies, noctesque dimicat. Tu eius aſpectum, & mentem recreas, qui nihil vnquam hilarioribus oculis aſpexit, quam conſcientiæ tuæ labes, ac vulnera: tu illius furores ſuſtentas, qui in omnem occaſionem intentus, atque imminens, hoc vnum molitur, hoc pùgnat, vt te repente fracta, vel obtorta gula, non modò ſtatione vitæ, ſed etiam in perpetuum ſpe ſalutis exturbet; eius crudelitatem exſaturas, qui lucrum ex tuis damnis, ex tuis ſuppliciis immortales ſibi quæſtus conflari putat.

Sed me reuoco, qui ſermonem hunc cogitatione tantùm attigi. Quid? nos cuſtodis Angeli patrocinium, opemque negligere? nos illius charitatis obliuiſci? cultum eius ſine ſcelere, ſine impietate poterimus aſpernari? qui nõ vana, & falſa, ſed expreſſa; non ficta, & hominis ingenio adumbrata, ſed ſingularis Dei artificio commẽdata, naturæ vi, atque dignitate omnes mortales anteit, qui cùm ad perpetuam domeſticamque tutelam nobis tanquã puer honorarius cœleſti, diuinoque munere ſit delegatus, nihil aliud laboret, nihil contendat, nihil expetat, quam vt ſuæ moderationi nos credere velimus, in ſuis conſiliis acquieſcere, adminiculis, & ſubſidiis ad beatæ vitæ ſpem eniti.

O ſtolidi & inſani hanc ſi opem repudiamus ingrati ſi aliquo die, vel tempore memoriam huius tanti honoris, atque beneficij definiamus! impij ſi nobiliſſimum, & amantiſſimum cuſtodem contemnamus! contemnamus autem imò niſi eum flectere, & deuincire votis omnibus, ſummaque pietatis contentione ſtudeamus.

PVNCTVM V.

Congeries Cauſarum.

CAuſarum denſatarum conglobatio ſingularis eſt ad amplificandum. Cic. pro Mil. Clodium inſidiatum eſſe Miloni probat, quia ſceleſtus, quia oderat eum, quia honores ambiebat, qui ſperabat impunitatem. Pro lege Man. bellum eſſe difficile, ac periculoſum, quia coniungunt illud Reges potentiſſimi, renouant agitatæ nationes, ſuſcipiunt integræ gentes, nouus eſt Imperator, qui reſiſtit.

Idem pro Sext. per allegoriam mixtam, & propriis verbis temperatam, cauſas proponit, cur non mortem pugnans oppetierit, vt nec inultus moreretur, & ſe tùm ab inimicorum vexatione, tum ab exilij dedecore, moleſtiaque liberaret, n. 46. *Cum in hanc Reip. nauem, ereptis ſenatui gubernaculis fluitantem in alto tempeſtatibus ſeditionum ac diſcordiarum, armata tot claſſes, niſi ego vnus deditus eſſem, incurſuræ viderentur: cùm proſcriptio cædes, direptio denunciarentur: cùm alij me ſuſpicione periculi ſui non defenderent, alij vetere odio bonorum incitarentur, alij inuiderent, alij obſtare ſibi me arbitrarentur, alij vlciſci dolorem ſuum aliquem vellent, alij remipſam publicam, atque hunc bonorum ſtatum, otiumque odiſſent, & ob huſce cauſas, tot tamque varias me vnum depoſcerent, depugnarem potius cum ſummo non dicam exitio, ſed periculo certè veſtro, quàm non id quod omnibus impendebat vnus pro omnibus ſuſciperem, ac ſubirem.*

Vt Clodium vocet in odium, & inuidiam Cic. cauſas affert, cur etiamſi inſidiator non fuiſſe dicatur, tamen iure cæſus videri poſſit; qui tanta impunitate per omnia facinora faciendis cædibus, diripiendis ciuium bonis, & omni iniuſtitiæ genere graſſatus eſt, tanta impudentia, ſe in omnium

Digitized by Google

nium libidinum cœno volutauit, vt nihil eſſe, nefas, nihil illicitum eſſe videretur. Sic autem illum vrger, n. 74. *Eum cuius ſupplicio ſenatus ſolemnes religiones expiandas ſæpe cenſuit, cum qui ciuem quem ſenatus, quem populus, quem omnes gentes, vrbis ac vitæ ciuium conſeruatorem indicabant, ſeruorum armis exterminauit: eum qui regna dedit, ademit orbem terrarum quibuſcum voluit, partitus eſt; eum, qui pluribus cædibus in foro factis, ſingulari virtute, & gloria ciuem domum vi, & armis compulit: eum, cui nihil vnquam nefas fuit, nec in facinore, nec in libidine: eum, qui ædem Nympharum incendit, vt memoriam publicæ recenſionis, tabulis publicè impreſſam extingueret.*

Ingenij florem, ac eruditionis in Senatu reperiri ex hoc loco cuius probare facile eſt. Ego Sanatum illum appello, ego ſubſidium afflictæ, laborantiſque patriæ, ego propugnaculum fori, arcem æquitatis publicæ portum charitatis. Imperialem Curiam, delectum illum ſapientiſſimorum hominum, quos ex tota Imperij amplitudine in Academiarum lucem, propter ingenium; ex Academiis in fori theatrum, propter eruditionem: ex foro in Iudiciorum tribunalia, propter integritatem: ex Iudiciis in conſiliorum Templum, propter Sapientiam: denique propter admirabilem diuinarum huiuſmodi partium cõplexionem imperij, & gloriæ domicilium, Vt quemadmodum huic rei vniuerſitati Præſides ſuos, ac Tutelares genios præpoſuit Deus Immort, qui tanquã vigiles excubarent; ſic illi tanquam in ſpecula conſtituti Remp. tuerentur vniuerſam, partes imperij omnes ſalubri temperamento componerent. Populorum patroni fideles, ſanctioris conſilij principes, legum ac iudiciorum interpretes, improborum vltores, iniuriarum repreſſores; denique quos ad ordinis ſplendorem purpura, quos aureis fibulis ad gradus prærogatiuam, quos Aquiligeris puluinaribus, auguſtis titulis, toto illo Imperiali apparatu, ad ſupremæ maieſtatis ſanctitatem, Imperatores ipſi condecorarunt.

PVNCTVM VI.

Congeries effectorum.

VT cauſæ ad amplificandum, ſic effecta rei alicuius congeruntur. quorum multitudo in laude admirationem parit, in vituperio ciet indignationem. Effectuum cumulus eſt apud Cic. dùm vitæ perniciem, ac interitum animæ voluptatem deſcribit Dialogo de Senect. vt maturæ illius ætatis fructus amplificet, quæ peſſimos æſtuantis ætatis, ac, libidinibus perditæ motus cohibet n. 39. Verris libidines Act. 3. r. 78. *Tantæne tuæ libidines erunt, vt eos capere ac ſuſtinere non Prouinciæ pop. Rom. non exteræ nationes poſſint? Tùne quod videris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, niſi id ad nutum tuum præſtò fuerit, niſi libidini tuæ, cupiditatiq; paruerit, immittentur homines? expugnabuntur domus, ciuitates non modò pacatæ, verùm etiam ſociorum, atque amicorum ad vim, atque ad arma confugient, vt ab ſe, atque à liberis ſuis legati populi Rom. ſcelus atque libidinem propulſare poſſint?*

Diuitiarum cupiditatem inſanam, malorum originem omniũ ex effectis colligere licet. Quis Sapiens dubitet cupiditatem eſſe fontem malorum omnium radicem ſcelerum, culparum fomitem, delictorum materiam; propter quam nec terra, nec maria, nec vllus omninò locus, aut ſecurè inhabitatur, aut ſine pauore tranſitur? huius igitur concupiſcentiæ cauſa prædones in fluctibus, in itineribus latrones, in vicis & vrbibus fures, & in omni regione raptores. Propter hanc circumuentiones, rapinæ, mendacia, periuria, falſa teſtimonia, fraudes, impietates, crudelitates & quæcunque eſſe nefandorum facinorum genera poſſunt. Huius cauſa quotidie innocentium cauſa polluitur, ſpoliatur pauper, miſer opprimitur, nec viduis, aut orphanis parcitur. Propter hãc omnibus penè momentis res diuina contẽnitur, & aſſiduis præuaricationum generibus decretum cœleſte violatur. Huius cauſa nonnunquam expugnatur pudor, caſtitas vincitur, & per illicitas voluptates impudẽs libido vagatur. Per hãc ſæpè parricidia, partim votis, partim operi-

bus

bus perpetrantur. Dùm enim quis ad diuitiarum poſſeſſionem nimiâ, & impatienti auiditate feſtinat mortem parentibus, aut optat, aut irrogat.

Sic veterum ſolertiam, & ingenium ornabis commemoratis omnibus quæ ingenioſè ab illis, vel excogitata, vel perfecta ſunt. Nam quid eorum inuenta perſequar? quid ſapientiæ aut induſtriæ prodigia? cum mutis cantum, vitam, motumque inſpirarunt inanimis cùm matalla mugitum; Dædali ſuſtulere volatum, cùm ſibilarunt angues in aëre, volucres ſimulatè fritinnierunt, organa peregrinis flatibus inſonuerunt; quid hic in luce, atque oculis ponā Protegenis Hyalifon, quo nouus Iupiter incluſus cucurriſſe nimbos, pluuiſſe, grandinaſſe, tonuiſſe, fulguraſſe, fertur? quid Archimedis fulmina? quid Semiramidis penſiles hortos? quid Ægypti Pyramides? quid fræna maris; quid Templa Salomonis orbis miracula? ſcilicet rudes populos expoliuit antiquitas, hæc rerum omnium ignaros pulchris imbuit diſciplinis: hæc ore, & manu ſenſa promere, hæc homines eſſe, & humana agere docuit, hæc iura legeſque ciuitatibus deſcripſit, hæc mundum adhuc penè i formé ornauit; hæc denique quidquid artium eſt ſolerter inuenit, ac poſteris ſuis tradidit, cùm miſeri cruda glande veſceremur, cùm nudi ineſteſque diſcurrerent, cum bruta ſtoliditas homines, feras, agros, ſyluas, omnia miſceret, cum nulla commercia; nullus eſſet voluptatum, ac deliciarum vſus; ſed horrida barbaries ignauum otium, atque ex otio æterna inopia, & vaſta magno orbe ſolitudo.

Sic Solem ab effectis conglobatis commendabis. Nolim religioſo nimis cultu Solem venerari mirari tamen licet aſtrum iſtud aureum, ac intueri Iouis oculum, lucis parentem, quippe quo nihil eſt in hoc ſpectabili mundo, vel ad ſpeciem pulchrius, vel ad rerum gignendarum commoditatem fœcundius, vel ad incredibilem rerum omnium varietatem in humanos vſus inuehendam efficacius. Sol is eſt qui vitalem vim; ac ſalutarem corporibus atque animātibus communicat; qui hoc eſt in æthere, quod in animali cor, truncus in arboribus, animus in homine: qui vices temporum, annorumque nouo ſemper flore redeuntes ex vſu naturæ temperat, eiuſque partes ita diuidit, vt inter ſe non ſecus ac in choro, nectantur: cuius vis ac poteſtas motus reliquorum ſyderum conſtituta dimenſione moderatur, & ipſos Stellarum ignes colluſtrat; cuius influxus in abditiſſimos vſque receſſus penetrat, terræque viſcera peruadit, vbi gemmas, & aurum progenerat Is eſt qui Meſſes inaurat, fœcūdat arbores, colorat prata, vites purpuriſſat, vireta pingit, hortorum areas florum pigmentis illuminat, quem denique Deus quaſi pulcherrimum ſui ſimulachrum in communi conſtituit.

Interdum venuſtè per ſubiectionem conglobantur effecta, quod Cic. pro lege Man. num. 61. *Quid tàm nouum, quàm adoleſcentem priuatum difficili Reip. tempore. exercitum confeciſſe? confecit, huic præeſſe? præfuit. Rem optimè ductu ſuo gere re? geſſit: quid verò tàm inauditum quàm Equitem Rom. triumphare? at eam quoque rem populus Rom. non modo vidit, ſed id omni ſtudio viſendam putauit. Quid tàm inuſitatum?* &c.

Crudele bellum Antonij, peſtem, vaſtitatem, cruciatum, tormenta omnibus denuntiantis per effecta ſubiicit. Cicer. 14. Phil. n. 8. *Refugit animus eaque formidat dicere, quæ L. Antonius in Parmenſium liberis, & coniugibus effecerit. &c.*

Libidinis & intemperantiæ varios effectus conglobat, vt damnet Diu. Ambroſ. lib. de Cain. c. 5. *Sæuus criminum ſtimulus eſt libido, quæ nunquam manere quietum patitur affectum: nocte feruet, die anhelat, de ſomno excitat, à negotio abducit, à ratione reuocat, aufert conſilium amentes inquietat, lapſos inclinat, caſtis inſidiatur, potiendo inflammat: vſque accenditur.*

PVNCTVM. VII.

Congeries concomitantium & conſequentium.

Est hic fons cum præcedenti coniunctus; mirè autem efficax, aut ad ſuadendum, aut diſſuadendum, ad virtutes, aut vitia exaggeranda, cum ea videlicet, ſeu bona, ſeu mala, commoda

Digitized by Google

moda ſiue incommoda, quæ virtutem, aut vitium, aut rem omninò aliam vt plurimum comitantur conſequunturque, enumeramus. Pro Mur. n. 85. *Sed quid tandem fiet, ſit hæc elapſa de manibus noſtris, in eum annum qui conſequitur, redundarint. Illa peſtis immanis importuna Catilinæ prorūpet, qua poterit, & iam populo Rom. minatur, in agros ſuburbanos repentè aduolabit, verſabitur in caſtris furor, in curia timor, in foro coniuratio, in campo exercitus, in agris vaſtitas, omni autē in ſede, loco, ferrum, flamamque metuemus.*

Pulchrè nonnumquam per hypotipoſim congeruntur hæc conſequentia. 4. in Catil n 11. *Videor mihi hanc vrbem videre, lucem orbis terrarum atque arcem omnium Gentium ſubito vno incendio concidentem: cerno ſepultam patriam, miſeros, atque inſepultos aceruos ciuium; verſatur mihi ante oculos adſpectus Cethegi, & furor in veſtra cæde bacchantis.*

Paulò longior eſt hæc idea quæ illuſtri ſimilitudine extenditur. Si Sol luminum reliquorum moderator deficeret, aut extingueretur, rerum ſimul omnium moderatio interiret, è medio aureus ordo tolleretur, vna confuſio regnaret, in luctu, in tenebris iacerent omnia, vinctorum pulchritudo, & dignitas defloreſceret, herbarum florumque ridens pictura ſordeſceret, frugum vbertas exareſceret, Regiarum ædium decor obſoleſceret, auri gemmarumque ſplendor contenebreſceret, hominis ipſius vita inter ancipites librata periculorum aleas ærumnoſiſſimè luctareretur; Quid enim? Pelago te committeres? te fluctus irati maris abſorberent. Terram pedibus peragrares? at præceps rueres in foueam, in interitum. Domi placeret ad ſecuritatem conſiſtere? at in parietes & abacos offenderes. Iam verò Rex veluti ſol eſt longè lateq; omnibus regni ſui partibus collucens: fac Regiæ dominationis maieſtatem ruere, fac oppreſſa per inauditam licentiam Monarchia, Democraticam imperitare petulantiam. Deus Immortalis! Ex hac præpoſtera, prodigioſaque conuerſione, quanta in omnes ordines calamitatum diluuia redundabunt? Videbis turbulentiſſimas illicò tempeſtates excitari: regnabunt ſcelera; nulla improbis ſupplicia ſtatuentur: nulla benemeritis præmia decernentur, quia etiam ab ſceleratiſſimis hominibus, & prementur innocentes, & opprimentur; ius humanum, ciuile, diuinum impunitate leges proculcante violabitur: omnia denique peruellentur, funditusque perfringentur regnorum temperamenta: verbo dicam, æquitate, pace, concordia, virtutibus omnibus eliminatis improbitas, iniuſtitia, perfidia graſſabuntur, regnumque ipſum è concordiæ domicilio in furioſorum hominum perditorumque receptaculum conuertetur.

PVNCTVM VIII.

Congeries contrariorum.

VNiuerſa claſſis cōtrariorum maximè per antitheſim ampificationem reddit illuſtrem. Pro Mur. n. 88. *Habet magnum dolorem, vnde cum honore deceſſeris, eodem cum ignominia reuerti.*

Horret ac refugit animus ea commemorare damna, quæ per hæreſim, ac rebellionem in benè temperatas prouincias, regnaq; florentiſſima importata ſunt. Vidimus proh dolor! omnia iuris humani diuiniq; repagula perfringi, leges violari; vidimus impietate iuſtitiam, pietatem perfidia, continentiam libidine, ignauia, ſuperbia fortitudinem, fidem fraudatione, omnes denique virtutes, vitiorum omnium colluuione ſuperari.

Ex his colligitur quàm grauis & potens ſit hæc Amplificatio, quæ ex contrariarum rerum comparatione fit. Talis eſt Oratio qua præcones impietatis ac falſitatis hæretici, cum Doctoribus pietatis veritatiſque componuntur. Me quidem errantium miſeret, qui ad Syllam hæreſeos ac libidinis ſcopulos, fidei ſalutiſque naufragium fecerunt Sed qua ſimilitudine pudoris vacui, rationiſque impatientes noſtris hominibus cohærere poſſunt, aut potius quàm longo deceptores à paſtoribus noſtris diſſident interuallo? Illi pulmonibus ſanie fluentibus aërem veritatis dulcem illum ac vitalem nec hauriunt, nec alios reſpirare patiuntur: Noſtri ſalutis auram vbique ſpirāt, ac Erebo deuotos ad veri Numinis cultum ad Religionem conuertunt: Illis malus Dæmon, vt furoris adminiſtris luem atque perniciem eructat ad extinguendum omne decus pietatis: Noſtros Chriſtus

Chriſtus ad propagandum vbique Dei venerationem adhibet:Illi nefandas opiniones,vt peſtilens Medea virus, ſpargunt id ignaros & imbecilles capiendos:Noſtri Hercules Apotropæi ſublaris vitiorum monſtris medicamenta parāt, ad peſtilentem ſerpentis veneni vim retundendam:illi non minus modeſtiæ & caſtitatis,quàm Religionis inimici ſuos libidinibus furētes reddunt; noſtri caſtos & amantes puritatis ſuos efficiunt;illi ſuos in aliena miſeria ferreos& crudeles volunt: Noſtri ſuos ad miſerorum ſubleuandum inopiam inſtruunt: Illi præcones falſitatis ſacris codicibus ad ſuam nequitiam, & aliorum perniciem abutuntur:Noſtri Doctores veritatis conſilii ſui luce montiſque plurimos erudiunt ad ſalutē:Vigilant illi vt innocētesChriſti cauſas diſſipent: Noſtri Paſtores, vt lupos arceant: Illi in deſerta ſolitudine,aut ramoſis mapalibus ſuas ineprias,ac malæ mentis ſomnia garriunt: Noſtri in auguſtiſſimis delubris divinæ legis myſteria ſuos edocent:Illi denique faces ad incēdia præferunt,ferrum ad cedem& carnificinam acuunt: Noſtri faces amoris ad illuſtrandam Religionem accendunt, arma pietatis, vt pacis inſtrumenta, præparant ad omnium felicitatem. Et erit tam mentis inops aliquis tamque ſalutis oblitus qui talium conſuetudine teneatur? qui ſceleratorum dicta,velut ſapientum decreta,vel etiam miſſa diuinitus Oracula auribus excipiat? quiSacerdotibus noſtris diuinæ gloriæ præconibus & adminiſtris componat vel etiam anteponat flagitioſos apoſtatas, nugarum buccinatores verbo dicam nefarios communis hoſtis imitatores,hoc eſt mendaces.

Hinc Laurentius Iuſtin. de ligno vitæ cap.4. probat nos Dæmone pejores, cùm peccamus. Quoniamille nuda præcedente peccati vindictā ſuperbiens peccauit:nos viſa eius pœna cōtemnentes ad peccata properavimus:ille in innocētia conſtitutus,nos reſtituti:ille perſiſtit in malitia Deo reprobante;nos Deo revocante:Ille induratur ad punientem,nos ad blandientem,& ſi contra Deum omnes,ille contra nos æquirentem ſe,nos contra morientem pro nobis.

Miro artificio Tull. in Iudicum benevolentiam illabitur cōmemoratione ſui in illos amoris & gratitudinis, quibus iraſci non poſſit ob vulnus acceptum. Pro Mil. n. 100. *Nec verò ſi mihi eripueris reliqua eſt illa tamen ad conſolandum querela, vt his iraſci poſſim à quibus tantum vulnus accepero. Non enim inimici mei te mihi eripient,ſed amiciſſimi; non malè aliquando de me meriti,ſed ſemper optimè.*

Et illud, *O ſpectaculum illud non modò hominibus, ſed unduipſis,ac littoribus luctuoſum,cedere patria ſervatorem eius,manere in patria proditorem.*

Diſſimilium conflictione Cic. probat Cœlium nunquam Reip. defuturum, & comparatione inter illum &Clodium,qui non ita pridem abſolutus fuerat, inſtituta, Iudices ab eiuſdem damnatione deterret.Pro Cœl.n.78.*Neque enim poteſt,qui hominem Conſularem,quod ab eo Remp. violatam diceret in iudiciū vocarit,ipſe eſſe inRep. civis turbulentus:non poteſt qui ambitu ne abſolutum quidem patitur eſſe abſolutum,ipſe impunè vnquam eſſe largitor. Habet à Cœlio Reſp. duas accuſationes, vel obſides periculi, vel pignora voluntatis. Quare oro obteſtorq; vos, vt quà in civitate paucis his diebus Clodius abſolutus ſit,quem vos per biennium,aut miniſtrum ſeditionis, aut ducem vidiſtis;in ea civitate ne patiamini illum abſolutum muliebri gratia Cœlium libidini muliebri condonatum.*

Ab iiſdem diſſimilibus non eſſe timendos Catilinæ ſocios monet. 2.Act.n. 24. *O bellum magnopere pertimeſcendum, cùm hanc ſit habiturus Catilina ſcortorum cohortem Prætoriam. Inſtruite nunc contra has tàm præclaras Catilinæ copias, veſtra præſidia, veſtroſq; exercitus: & primum gladiatori illi confecto,ac ſaucio,conſules imperatoreſq; veſtros opponite: deinde contra illam naufragorum ejectam,ac debilitatammanum,florem totius Italiæ,ac robur educite. Iam verò vrbes Coloniarum, ac municipiorum reſpondebunt Catilinæ tumulis ſilveſtribus: Neque verò cæteras copias, ornamenta,præſidia veſtra,cum illius latronis inopia, atque egeſtate debeo conferre.*

A contentione rerum pugnantium Milonem in patria retinendum perſuadere conatur Iud.n. 104. *Nolite obſecro vos pati mihi acerbiorem reditum eſſe quàm fuerit ille ipſe diſceſſus. Nā qui poſſū putare me reſtitutum eſſe,ſi diſtrahor ab iis,per quos reſtitutus ſum Hiccine vir patriæ natus, uſquā,niſi in patriā morietur? aut ſi fortè pro patria: huius*

Digitized by Google

rem expleto n.reddat. Tale eſt illud in Piſon.1. *Non enim nos color iſte ſeruilis,non piloſa genæ,non dentes putridi deceperunt. Oculi, ſupercilia,frons, vultus denique totus,qui ſermo quidam tacitus mẽtis eſt,hic in errorem homines impulit:hic eos quibus erat ignotus,decepit,refellit,in fraudem induxit.*

III. Qui hunc potiſſimum ſpectat, vt inſtandi, onerandi,vel exprobrandi criminis cauſa exaggerationem aliquam faciat. Nam vt ait Gellius, lib.13.cap.23.quæ cum orationis dignitate, & cum graui verborum copia dicuntur,quamquam eadem ferè ſint, & ex vna ferme ſententia oriantur, plura tamen eſſe exiſtimantur, quoniam & aures, & animum ſæpius feriunt, vndè & oratio fit acrior, & res ipſa multò grauior, maiorque apparet. Eſt ille locus celebris & notus in Cic. pro Ligario,n.9. *Quid enim Turberno tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens?oculi?manus? ardor animi?quid cupiebas? quid optabas.* Expende quam multa ſint hic idem ſignificantia; *gladius, mucro,arma,ſenſus,mens,animus,cupiebas,optabas.* Tùm quot ſententiæ eodem ſpectantes, *diſtringere in acie gladium,latus petere.*

Nihilò profanis Oratoribus eſt inferior D. Cyprianus de Liuore. *Si receſſerunt de pectore tuo tenebræ,ſi nox indè diſcuſſa eſt,ſi caligo deterſa ſi illuminauit ſenſus tuos ſplendor diei,ſi homo lucis eſſe cœpiſti,quæ ſunt Chriſti ſequere, ſequere quia lux & dies Chriſtus eſt,quid in Zeli tenebras ruis? quid te nubilo liuoris innoluis?quid inuidiæ cæcitate omne pacis,& charitatis lumen extinguis?*

Porrò ſpretis, vel etiam exhauſtis vocibus propriis. Metaphoricis, vel Allegoricis vti licet,idem D.Cyprian.de habitu Virginis. *Si tu te ſumptuoſius, & comas, per publicum notabiliter incedas,oculos iuuentutis in te illicias,ſuſpiria adoleſcentum poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nutrias,peccandi fomenta ſuccedas,vt, etſi ipſa non pereas,alios tamen perdas,& velut te gladium, ac venenum videntibus præbeas,excuſari non potes quaſi mente caſta ſis ac pudica,*

Sic probabis allegoricè his qui volunt olim auditores in foro audiri Poëtas, , & Oratores eſſe ſtudioſè legendos. Quare ſi forum cogitas, ſi te genius & indoles ad illam ducit victricem animorum ciuitatumque dominatricem Eloquentiam, ſub his tibi ſudandum magiſtris, iis ducibus facienda prima ſtipendia, in his caſtris ponenda forenſis illius pugnæ rudimenta; his diſces ſumma vi torquere haſtam, gladium ſtringere,confodere aduerſarium, clypeum opponere, declinare ictus, hoſtium munimenta conuellere,ſuſque deque vertere omnia, verbo dicam in iudiciis vincere,in concionibus dominari,vbique triumphare.

Cauendum tamen ne temerè hac ſignra vtamur, multiſque verbis quamlibet ſententiam pueriliter oneremus. Neque enim in re leui tot fruſtrà perdenda verba, & in graui etiam, quàm vrgeri conuenit, id videndum vt poſteriores ſententiæ vel aliquid lucis prioribus afferant,vel plus acrimoniæ contineant,incendantque vehementius orationem; qua re neceſſe eſt vt ſit in illis vis aliqua maior, ne frigeſcat oratio.

Pvnctvm II.

De Coaceruatione rerum.

MVltis congeries ſimpliciter dicitur, cùm ad inſtandum, augendumque variæ actiones, reſque enumerantur, & in vnum quaſi aceruum congeruntur, ſublatis aliquando coniunctionibus, vt acrius inſtet; ſed illic plurium rerum eſt congeries, hic vnius vocis multiplicatio, 3. in Catil. numero 16. *Ille erat vnus timendus ex omnibus, ſed tandiu dum mœnibus vrbis continebatur. Omnia norat, omnium aditus tenebat; appellare: tentare, ſollicitare poterat, audebat, erat ei conſilium ad facinus aptum, conſilio autem, neque lingua,neque manus deerat.*

Tùm adhibetur cùm incaleſcit oratio, ad amplificandum quæ benè, vel malè geſta ſunt, Admirati onem enim conciliant multæ ſimul ſub oculos poſitæ virtutes pariterque graue odium conflant vnum in locum collata multa vitia: vt ſi quem dixeris pudicitiæ ſuæ proditorem, inſidiatorem alienæ, cupidum, intempe-

Digitized by Google

rantem, petulantem ſuperbum, impium in parentes, ingratum in amicos, infeſtum in cognatos, in ſuperiores contumacem, in æquos, & pares faſtidioſum, in inferiores crudelem, denique in omnes intolerabilem.

PVNCTVM III.

Congeries definitionis.

DEfinitionem appellant Rhetores quamlibet rei explicationem, quæ aut naturam ipſius, aut partes, vel cauſas, & effecta, vel officia & adiuncta continet, eaque vel propriis vocibus, vel tranſlatis explicat: quod vt illuſtrius, ita frequentius eſt, vt pluribus in locis diſſerimus.

Congeries huiuſmodi definitionum vim habet ad Amplificandum maximam, ſeu vituperando inſectari, ſeu ornare laudando velis: in vtramque partem ſæpius à Cicerone adhibetur Quæ Definitio, ſeu deſcriptio conglobata per omnes locos commodè fieri poteſt. Per cauſas, Hæreſis eſt peſtis orbis: in hunc modum hanc propoſitionem amplificare licet Ego hæreſim monſtrum non appellem, non hominum peſtem, non perniciem, quam ex omnium errorum, ac ſordium colluuione conflatam excitauit ambitio, concepit impietas, rebellio genuit, educauit bellorum confuſio, auxit libertas ſcelerum, confirmauit impunitatis ſpes, crudelitas pauit, ac perfidia, dominandi libido florere fecit in legum contemptum, religionum violationem, Regum caput, pacis omnium, ac ſalutis extinctionem. Quod igitur monſtrum, ſi hoc non eſt?

II. Per partes rem deſcribimus; ſic definit Imperatorem Pompeium, Cic. pro lege Man. ſic Auaritiam, & Ambitionem Rulli damnat, 2. Agr. num. 97. Accepti beneficij magnitudinem ad Quirites, num. 5. Sic per Metaphoram, hæreſis exercitum, per partes deſcribere poteris. Sed quid hæc queror? quid aliud ab hac ſcelerum coniuratione debuit expectari? cuius Imperator excucullatus Germaniæ venter, Rex Stigmaticus, Galliæ Apoſtata, Duces, Tribuni, Centuriones transfugæ Monachi, profani Sacerdotes, pudet dicere Sardones, Lanij, Sartores, Piſtores & huiuſmodi fæcis plebeiæ ſordes, præcones impuri, ſcurræ popinarij, tabernarij, mancipia, tenebriones, reliquum agmen collectum ex iuuenibus diſſolutis, ſenibus deſperatis, ex agreſti luxuria, ex ruſticis mendiculis, ex decoctoribus, ex libertinis voluptatum, & perduellibus, ex Atheis & hos audis? hos ſequeris, hos in amicitiam vitæque ſocietatem admittis?

III. Per effecta, probat Aquilium eſſe virum probum Cic. à prudentia, humanitate, fide, Iuſtitia, Orat. pro Cæcin. num. 78. *Hoc loco percommodè accidit, quòd non adeſtis, qui paulò ante affuit, & adeſſe nobis frequenter in hac cauſa ſolet, eis ornatiſſimus Aquilius; nam ipſo præſente de virtute eius & prudentia timidius dicerem, quod & ipſe pudore quodam afficeretur ex ſua laude, & ſimilis ratio pudoris, à præſentis laude tardaret. Cuius auctoritati dictum eſt ab illa cauſa concedi nimium non oportere. Vereor de tali viro plus dicam, quam vos aut ſentiatis, aut apud vos commemorari velitis.*

Iam vti pudore & modeſtiâ præparauit auditorum animos, liberius in viri boni laudes excurrit. *Qua propter hoc dicam, nanquam eius auctoritatem nimium valere, cuius prudentiam populus Ro. in cauendo, non in decipiendo perſpexerit: qui iuris ciuilis rationem nunquam ab aquitate ſeiunxerit: qui tot annos ingenium, laborem, fidem ſuam Populo Rom. promptam expoſitamque prabuerit: qui ita bonus & iuſtus vir eſt, vt natura non diſciplina conſultus eſſe videatur: ita peritus, ac prudens, vt ex iure ciuili, non ſcientia ſolum quædam, verum etiam bonitas nata videatur: cuius tantum eſt ingenium, ita prompta fides, vt quidquid indè haurias, purum liquidumque te haurire ſentias.*

Similiter in hæreſim. Etenim vt arborum, & ſtirpium ſemen: ſic noſtrarum omnium calamitatum cauſa, & origo fuit. Cæſi Sacerdotes, proſtitutæ Virgines Deo conſecratæ, diruta Templa, prophanata ſacra, vicies centena millia Gallorum occiſa? denique quidquid mali vidimus [quid autem non vidimus?]

Digitized by Google

ſi rectè ratiocinabimur vni acceptum hæreſi referemus. Et hanc Galliæ calamitatem non appelles.

IV. Per accidentia, & qualitates paulò fuſior: nam excurrit per omnia attributa. Huc refer Hiſtoricas Poëticaſque deſcriptiones locorum, temporum, &c. 2. Agrar. Cic. num. 8 ait ſe Remp. afflictiſſimam recepiſſe quam deſcribens per omnes calamitatis circunſtantias definit. *Ego qualem Kalendis Ianuariis acceperim Remp. Quir. intelligo, plenam ſollicitudinis, plenam timoris: in qua nihil erat mali, nihil aduerſi quod non boni metuerent, improbi expectarent: omnia turbulenta conſilia contra hunc Reip. ſtatum, & contra veſtrum otium partim iniri, partim nobis Conſulibus deſignatis inita eſſe dicebantur: ſublata erat de foro fides, non ictu aliquo noua calamitatis, ſed ſuſpicione ac perturbatione iudiciorum, infirmatione rerum iudicatarum noua dominationes, extraordinaria non imperia, ſed regna quæri putabantur. Quæ cum ego non ſolùm ſuſpicarer, ſed planè cernerem, dixi in Senatu, in hoc magiſtratu me popularem Conſulem futurum. Quid enim eſt tàm populare, quàm pax? qua non modò ij, quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta atque agri mihi lætari videntur: Quid tam populare quàm libertas? quam non ſolum ab hominibus, verum etiam à beſtiis peti, atque omnibus rebus anteponi videtis? quid tam populare, quàm otium, quod ita iucundum eſt, vt & vos, & maiores veſtri & fortiſſimus quiſque vir, maximos labores ſuſcipiendos putet, vt aliquando in otio poſſit eſſe?*

Ita ſub Allegoria belluæ depinges hæreſim. O deteſtabilis hominum factio! ô portentum inauditum! ô leonina rabies! depingere me vis animo monſtrum hoc? concipere nec poſſum, nec velim, ita terret. Cedo tamen colores; quos autem? de Cerberi ſpuma ſi quid habes, ſi quid de Meduſæ tabo, ſi quid de prophano ſacrilegi Promethei ſanguine, ſi quid de Lamiæ voracis ferino lacte. Miſce pubem, tibi multiplex erit furia errorum colubris crinita, fero hians rictu, vibrante lingua, & ante minas etiam virus ad corporum, animorumque præſens exitium ſpargente: oculis ignem ſpirantibus, ad mortalium ruinam, & orbis incendium. Caue vultum intuearis, multiplex eſt, ridet, minatur, blanditur, excandeſcit, expalleſcit, vnus tamen omnibus color eſt inferorum fuſcus.

V. Per ſimilia. Valet ad rem melius exprimendam, cùm rem dictam ſimpliciter, per metaphoram illuſtramus. Sic à Cic. Curia deſcribitur & Senatus incendium deplorat, pro Mil. num 91. *An ille Prætor, ille verò Conſul, ſi modo hæc templa, atque ipſa mœnia ſtare eo viuo tamdiu, & Conſulatum eius expectare potuiſſet, ille denique viuus nihil mali feciſſet, qui mortuus vno ex ſuis ſatellitibus Clodio duce, curiam incenderit? quod quid miſerius, qui acerbius? quid luctuoſius vidimus? Templum ſanctitatis, amplitudinis, mẽtis, conſilij publici, caput vrbis aram ſociorum, portũ omnium gentium, ſedem ab vniuerſo populo Romano conceſſam vni ordini, inflammari, exſcindi, funeſtari?*

Hæreſis verò. Nam quæ Sylla, quæ Charybdis, quæ vorago, qualis hydra, ſi illa non eſt? Quod imperij totius commune naufragium, quæ poſtremas etiam naufragij noſtri tabulas abſorpſit, vt iterum in caput noſtrum eructaret: Quam ſi ferro petis, inualeſcit, ſi ſecas repullulat; quæ non de Meduſa, ſed arbitror de Megæra nata eſt, non in Lernæo, ſed in Lemano lacu educata, faces ad Gallorum; imò ad orbis interitum accendit. Et hanc amabis?

V. Per negationem. Ad amplificandum apta definitio maximè in rebus ſublimibus, vel remouendo contraria, vel dicendo quod non eſt. Tull. in Piſonem poſtquam naufagium, exilium, mortem, cæteraque fortunæ tela non eſſe ſupplicij loco ducenda demonſtrauit; ad Piſonis & Gabinij ſcelera delapſus propriè definit ſupplicium, illorumque furorem, & audaciam vera eſſe ſupplicia concludit quæ Deus ab illis exigat, n. 43. *Quæ igitur pœna? quod ſupplicium? id mea ſententia, quod accidere nemini poteſt, niſi nocenti, ſuſcepta fraus, impedita, & oppreſſa mens conſcientia, bonorum omnium odium, nota iuſti Senatus; amiſſio dignitatis. Nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginienſes, reſectis palpebris, illigatum in machina, vigilando necauerunt ſupplicio videtur affectus: Nec C. Marius, quem Italia ſeruata ab illo, demerſum in Minturnenſium paludibus, Africa deuicta, ab eodem expulſum, & naufragum vidit. Fortunæ enim iſta tela ſunt, non culpæ: ſupplicium autem eſt pœna peccati.*

Sic

Digitized by Google

Sic Hæreſim. Quamquam quid ego mõſtrum appellem, quod non vnum eſt, ſed multiplex, nõ Hydra, ſed Hydratum Lerna, non furia, ſed effectus ipſe furiarum coetus. At homines ſumus, inquiunt, Chriſtiani ſumus. Tu in hominis figura, quam & iam lapidibus facimus communem? Tu in nomine Chriſtiani, tu in Baptiſmatis luſtratione, quæ omnia Porphyriis conceſſimus, quæ Lucianis Atheis, quæ Iulianis Apoſtatis, nomen hominis, nomen Chriſtiani eſſe putas? tu in Biblicis codicibus ventilandis: quos corrumpitis; in ſacris voluminibus lectitandis; quæ in Arianis olim, Gnoſticorum luſtris, in Manichæorum proſtibulis, in hæreticorum manibus, vidit & indignata eſt antiquitas. Mente hominem, animo Chriſtianum, Religione maiorum fidelem, ſanctitate morum commendabilem, obſequio Regibus promptum eſſe conuenit. Ego Chriſtianũ appellem eũ, qui Chriſtum nomine ſalutat, fide prodit; qui Chriſti ſponſam ore laudat re proſtituit: qui fidem opinioni ſuæ maiorum prudentiam iuuentutis ſuæ temeritati; qui doctiſſimorum hominum ſcientiam, qui ſanctitatem angularibus prophanæ ſcholæ canibus, & Anglici moloſſi latratibus impiis, vel decantatæ Galliarum ſimiæ gannitui, vel Germaniæ ſuis grunnitui poſthabeas? cui Religio ſumma, carere Religione. Quinam ergo ſacrilegi, ſi vos religioſi? quinam impij, ſi vos pij eſtis? qui Chriſti hoſtes, ſi vos Chriſtiani?

Pvnctvm IV.

Congeries partium.

Dives quoddam inſtrumentum amplificandi, cùm pro toto partes conglobatæ afferuntur. Sic enim quæ in vna aliqua re confuſa, & conuoluta quodammodo latebant, exponuntur oculis vno aſpectu intuenda; vndè rei meritum, & amplitudo, vel infamia, atque attrocitas creſcit. Tull. in Piſonem, magna ſermonis vbertate, & copioſo velut æſtu verborum criminibus in vnum conglobatis, oſtendit Piſonem omnium mortalium ſententiis eſſe damnatum, n. 96. *An ego exſpectem, dùm de te quinque, & ſeptuaginta tabellæ diribeantur, de quo iampridem omnes mortales omnium generum, ætatum, ordinum iudicauerunt? quis enim te aditu, quis vllo honore, quis deniq; cõmuni ſalutatione dignũ putet? Omnes memoriam Conſulatus tui facta, mores faciem denique, ac nomen à Rep. deteſtantur. Legati qui vnà fuere, alienati: Tribuni militum, inimici: Centuriones, & ſi qui ex tanto exercitu reliqui milites exiſtunt, non dimiſſi abs te, ſed diſſipati, te oderunt, tibi peſtẽ exoptans, te exſecrantur. Achaia exhauſta; Theſſalia vexata, laceratæ Athenæ: Appollonia exinanita; Ambracia direpta; Bullienſes illuſi; Epirus exciſa? Locri exuſti; Athamanũm gens vendita; Macedonia condonata barbaris; Ætolia miſſa; Dolopes finitimq; motani oppidiis, atq; agris exterminati: Ciues Rom. qui in iis locis negotiantur, te vnum ſolum ſuũ depeculatorẽ, vexatorem, prædonem, hoſtem veniſſe ſenſerũt.*

Quæ dilatandi ratio frequentiſſima eſt, cùm totum in partes diducimus, ſatis erat Tullio dicere, vrbem hodie conſeruatam videtis, ſed vt animos vehementius permoueat ſic vrget Catilinam orat. 3. *Remp. Quirites, vitamq; omniũ veſtrum, bona, fortunas, coniuges, liberoſq; veſtros, atq; hoc domicilium clariſſimi imperij fortunatiſſimam, pulcherrimamq; vrbem, hodierno die, Deorum Immortal. ſummo erga vos amore, laboribus conſiliis periculiſq; meis, ex flãma atque ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam, & vobis conſeruatam, ac reſtitutam videtis.*

D. Greg Naz. ſtupendam Machabæorum conſtantiam amplificat, quæ propoſitis omnibus tormentorum generibus de gradu virtutis, & conſtantiæ deiici non potuit. Martis robur animique conſtantiam nihil flectere, & emollire, aut debilitare potuit: non inſtrumenta luxandis artubus accommodata, non rotę propoſitæ, non exquiſitiſſima quæque tormentorum genera, non ferrearum vngularum acies, non furentes beſtiæ, non enſes acuti, non feruentes ollæ, non ignis erumpens, non vrgentes ſatellites, non filiorum aſpectus, non membra quæ diſcerpebantur, non carnes quæ lacerabantur, non defluentes ſanguinis riui, non flos ætatis qui abſumebatur, non præſentia mala, non impendentes acerbitates.

Digitized by Google

Sapienter D. Ambroſ. de Fuga ſæc c. 7. hominis fragilitatem, facilitatemq; ad peccandum deplorat. *Quis inter tot paſſiones huius corporis, inter lentas illecebras huius ſæculi, tutum atque intemeratum ſeruare poteſt veſtigium? reſpicit oculus, & ſenſum mentis euertit: audiuit auris, & intentionẽ inflexit; inhalauit odor, & cogitationem impediuit; os libauit, & crimen reddidit, tactu contigit, & ignem adoleuit.*

Rem amplificat, metumque concitat ab enumeratione rerum quæ ſunt in vita clariſſimæ in quarum vexatione non mediocrem hauſit animo dolorem, Tull. pro Sextio, n. 145.

Hęc diſtributio ſæpe maiorem orationis partem implet atq; amplificat. Sic beneficij magnitudinem commendat Cic. poſt redit, ad Quir. 5.

Si qui hîc fontem aperiat & Angelorum in nos officia, beneficiaque gratus commemoret ac Ciceronis ingenium.

Si tantopere nos parentibus natura conciliat; morum atque artium diſciplina præceptoribus; vitæ conſuetudo, & ſocietatis amicis: cæteris hominibus vaga volubiliſque fortunæ ratio; quæ tandem nobis cum Angelo cuſtode religionis neceſſitas intercedit, cuius in nos moderatio tutelaque omnes omnium charitates, & neceſſitudines illa complexa eſt? Magnum dico, nec meo tamen iudicio quidquam ad illius prędicationem illuſtrius, quàm ad opinionem veſtram fidemque procliuius. Quare idipſum repetam, & quod paucis antea verbis indicaui, nunc pluribus, vt omnes intelligãt, confirmabo.

Nego vllum tàm illuſtrę, tamque innuſitatum beneficij genus, quod vel communione ſanguinis & vſurâ lucis à parentibus, vel confirmatione & elegantiâ doctrinæ à magiſtris; vel ſuauitate conuictus, fide & officiorum multitudine ab amicis, vel denique vlla fortunatum, aut cuiuſque modi rerum facultate à cæteris hominibus, quibus nos ciuile ius, & quædam vitæ cõmunitas adſtrinxit, nullum inquam beneficij genus, quod proficiſcatur ab iis, qui Angelorum cura, ſtudio, vel procuratione quodammodo contineatur.

Prima Pars diſtributionis à Parentibus.

Age verò vt omittamus ſingula numerando beneficia recordari, quæ partim noſtris Parentibus, partim iis Angelis, qui nos in ſuam adſcripſere clientelam, accepta referre poſſumus. Enimverò, ſi vim & rationem paternæ dignitatis, ac neceſſitudinis, apud nos obtinent illi propter quos vitalem hunc ſpiritum, lucemque hauſimus, quis eamdem vis cuſtodibus Angelis non concedat? qui ſimul ac maternis viſceribus inſedimus, ſic inuigilare, ſic operam noſtrę ſaluti dare cœperunt, ne priùs illis incluſi tenebris extingueremur, quàm lucem hanc aſpicere poſſemus. Qui deinde nos exſolutos vtero, ſordidiſque partus integumentis reuolutos, & in vitæ ſtationem recep tos ſic aluerunt, vt ſi rectè ratiocinari volumus, non tàm nutricum vberibus, quàm tacitis illorum blandiciis, innutriti fuiſſe, nec tàm è matrum gremio, quàm ex eorum tutela pependiſſe, nec tàm in cunis, quam in eorum cuſtodia vagiiſſe infantes, lallaſſe, ac ſenſim adoleuiſſe videamur.

Quoties mille periculis, niſi cuſtodes Angeli ſtatim occurrerent, potuere tenelli fœtus in præcordiis matureſcentes diſcuti? quoties matrum ægritudine, vel repentino pauore, aut medicamentis abigi? quoties nutricum lapſu elidi? quoties in ipſis incunabulis præfocari? at iis omnibus malis tacitè obuiam iuiſſe cuſtodes nemo non vidit. Quare nos aut naturæ communis fragilitatem ignoramus quod turpe eſt, aut parum grato animo Geniorum cuſtodiam interpretamur, quod eſt impium, ſi minus eorum opem, quàm parentum operam neceſſariam nobis eſſe credimus, vt oriamur, & in lucem editi ſuſceptique, hoc cœleſti ſpiritu augeamur. Sin hoc cenſemus quantam religionem apud noſtros animos eorum neceſſitas poſſidere debet, qui vel æqualia, vel maiora, certè multò plura in nos quàm parentes ipſi beneficia, contulerunt.

Altera

Altera Pars diſtributionis à Præceptoribus.

Quod vti melius etiam atque etiam videatis, ad ea Præceptorum officia, quæ cœleſtes illi gubernatores hominum iure præcipuo quodam ac ſingulari ſua vendicant, tranſeamus. Sint ſanè tanti Præceptores, ſint eâ dignitate, quâ illos & Philoſophorum ex communi antiquitate repetita ratio, & clariſſimorum Principum magnifica laus eſſe voluit; an verò eorum munus eſt, aut ex omni retrò memoria celebratur aliquis tâm alicuius diſciplinæ, vel facultatis auctor nobilis, tàm inſtituendæ iuuentutis ſtudioſus, tàm ſuorum vtilitati conſecratus, ac deditus, qui ſe vel cum minimo Angelo docendi facultate, ſtudio, vel induſtria conferre audeat. Cœleſtes intelligendi præceptores teneras adoleſcentium mentes ad pietatem, & liberaliſſimas artes, non vno certo definitoque lucis tempore, ſed aſſiduè dies, noctéſque informant; nos quidem illorum iuris & dignitatis vicarij loquendo præceptiones artis, ac virtutis in diſcipulorum aures infundimus; illi agendo in eorum ſenſibus, animiſque inſcribunt. Nos digitum in arcem Eloquentiæ, vel humanæ, diuinæque Philoſophiæ fontes intendimus; illi abruptum iter multis interceptum diuortiis, multis circumſeptum difficultatibus aperiunt, ac ſternunt. Nos puerorum animos ad ingenuas artes capeſſendas impellimus; illi mentis diſſipata caligine eoſdem imbuunt, ac fingunt, hôc felicius, quò propius ab ipſa facultate reſident animi. Nos verbis, vt poſſumus; illi cogitationibus optimis; nos ſententiarum aculeis, illi diuinis occultiſque facibus ſolidæ laudis, & immortalis gloriæ ſtudio inflammatas voluntates abripiunt. Illas à Deo, cuius & ad communicandum larga, & benefica natura, petunt & impetrant cogitationes mirificas, quæ non fuſis precibus, non votis conceptis, non noſtris vllis prometitis eblanditæ, aut expreſſæ, ſed nobis nec opinanantibus, ſæpè etiam reluctantibus iniectæ, ſimul atque exoriuntur, animoque fulgurant ſplendore ſuo, & violento quodam lenocinio, nos ad ſpem immortalitatis conuertunt. Non illos ingrati Clientis impietas, non diſcipuli contumacis aſperitas, non illos deſpicatiſſimi, abiectiſſimique tarditas ab illius vtilitatis proſequutione auertit, vel amore deterret. Quis ergo non illos parentum loco ac præceptorum numero pius habeat? quis non vltima veneratione genios proſequatur, à quorum procuratione diuina in nos ab immortali numine beneficia promanarunt? quis non talium magiſtrorum memoriam incredibili beneuolentia complectatur?

Tertia Pars ab Amicis.

Iam vero ſi quid amicos diligimus, quibus ad vtilitatem, vitæque ſuauitatem, ac honeſtatem vimur, quis illorum impenſiſſimam erga nos voluntatem, & inductionem animi, in noſtris precibus fidem, in rebus aduerſis mœſtitiam ſuauiſſimo pietatis, & amoris ſenſu recordari queat? Si noſtra vſque adeò natura ex ſeſe tenuis & abiecta, parentum autem ſic deformata ſordibus, debilitata vitiis, & exhauſta luxu, vt morbi ſæpè adſint, mors ſemper impendeat, multoque plures huius vitæ ærumnas conqueri, quàm eius opportunitates gloriari videantur, quo tandem animo, quâ pietate nos in beatiſſimos illos ſpiritus eſſe oportet, cùm rerum noſtrarum curam vt amici fideles recipere, cùm ſalutis noſtræ defenſionem amplecti, & ad omnia nobis vitæ procuranda præſidia, commodaque deſcendere non grauentur.

Si tanta eſt egeſtas animi, tanta mentis noſtræ cœcitas, vt non modò nihil in poſterum præſentire, ſed ne pericula quidem, quæ nos circunſtant proſpicere poſſimus: ſi tàm eſt inexplebile Dæmonis in nos odium, vt cùm iam tot mortalium ruinis, & funeribus ſe pauerit, tamen ad reliquorum peſtem, exitium ſe nouis quotidie maleficiis excitat; obſecro vos quis ab Angeli tutela, præſidioque diſcedat? quis ab illius amicitia prudens ſecedat? dubitabitis vos iam pridem funditus inte

Digitized by Google

interiturosfuiſſe,niſi fideliſſimus ille cuſtos animi veſtri teterrimi hoſtis immanitatem ſupplicijs illaqueatam premeret,ac ſingulis momentis eius impetus à pernicie veſtra refrænaret. Prouocate illum prouocate, & ſi quid audetis remoto defenſore laceſſite,vos ſcilcet illius ſoluti, ac liberi ludetis aſtutias, frangetis audaciam, cuius vix numeratis victorias,aut retardatis furias implicati? Ille quotidie nouos ſceleris adminiſtros, & funeſtiſſimos ſatellites comparat,quorum fraude nefaria vos intercipere,telis configere, crudelitate mactare, & accerbiſſimis ad perpetuum dolorem vulneribus cruentare conatur. At eius conatibus ſeſe cœleſtis ille propugnator objicit, & amicus fidelis in intimos vniuſcuiuſque noſtrum affectus penetrare nititur, ſi quæ ſunt infixà viſceribus tela reuellere, mentem à concepti, & erumpentis propè ſceleris cogitatione, ad ſpeciem honeſtatis reflectere, omni denique artificio deliniendæ,vel expugnandæ voluntatis alumnum à maleficio ſemouere,quem ſe nihilo ſecius,ſuauiſſimis conſilijs propter vim furentis cupiditatis præfractius obniti, vel aduerſari ſentiat, vel extremo periculo conſtitutum, propter fœdam anteactæ vitæ, mortiſque impendentis faciem luctari, deſperatione agi, & à ſalutis præſidiis abhorrere videat,quo ſtudio,quâ diligentia,quâ fide,& conſtantiâ exiſtimatis, cum ad beatorum preces confugere, ſociorum opem expoſcere, auxilium implorare, omnes ordines obire, precari,obteſtari? non prius ab illa imploratione deſiſtit, quàm vel omni ſpe ſalutis damnatâ coactus ſit mœrens à miſero cliente diuelli, vel cum tandem omni periculo ſolutum ad beatam vitam perduxerit. Quod conſequutus, proh. Deus immortalis! incredibile eſt quibus cum lætitiis, quâ gratulatione, quibus oſculis, & amplexibus illum tanquam alumnum ſuis conſiliis ab interitu vindicatum ſinu excipiat. Sunt ne igitur hæc certiſſima Cuſtodis, & amici fideliſſimi argumenta? Sunt ne hæc beneficia, quibus nec maiora, nec illuſtriora cogitari poſſunt.

* * *

Motus grauior.

Quàm grauis, & potens erit Amplificatio ſi motus adhibeantur in hunc ferè modum?

Agedum tu quiſquis es, cum omni conſilio præceps, ac deuius ad omnem quotidie libidinem, & nequitiam proiectus viuis, tu ibi præſentem, & affixum præceptorem illum cæleſtem prædicas? ita tibi aſſiduum obſeruatorem appoſitum, vt ne puncto quidem temporis abſcedat, ſed vtero matris acceptum ad extremum vitæ diem comitetur. Tu illius dignitatem nec obliuiſci potes ſine turpitudine, nec immortalia diuinaque eiuſdem in te beneficia ſine impietate, nec moderationem ſine ſcelere. Tu ab illius conſpectu non magis obliteſcere potes,quàm ille vult à tuo capite ſeparari.

Tu igitur baccari coram, tu laſciuire,tu furere,tu ſuperos homineſque periuriis & maledictis inceſſere? tu iſto rectore,& ductore comitatus in gurguſtia, in luſtra, in ganeas, in lupanaria intrare non erubeſcis? tu illum trahere in domicilium, & officinam tuarum libidinum non verecundaris? tu illum fœdiſſimarum voluptatum, ac ſcelerum ſpectatorem facere non perhorreſcis? O cœnum! ô luem! Inſpectante graui homine ne concipere quidem flagitium, nec admittere in te ſcelus, aut crimen ſuſtines? tu parentis oculos revereris; tu non aſpectum modò,ſed etiam ſuſpicionem magiſtri exhorreſcis, magiſtri dico? Tu pueri, tu mancipij,tu ancillulæ vocem, veſtigia, vmbramque refugis,nec tanti Parentis, tàm diuini Præceptoris, nec Angeli maieſtatem metuis, non expaueſcis? non te pœnarum formidines, quas opponit cupiditati, commouent? non promiſſorum blandiciæ, quibus aſſiduè te prolectar, reuocant? non vides bellua, non ſentis illum effrænatæ tuæ libidini reclamare, ingemiſcere, illacrimari? & hîc etiam mihi tu gloriabere nunquam illum abeſſe à tuo latere? hoc eſt eum habere præſentem, hoc eſt illius ſpirantem imaginem geſtare? Tu cum iſto ore procaci & contaminato ſpiritu, cum toto corpore ad libidinem omnem & nequitiam pellumdato, & proſtrato, cunctos mortales, niſi

Digitized by Google

niſi quos eadem inuaſit laſciuiendi temeritas,à tua conſuetudine repellas,non exiſtmas deterreri abs re Angelum,atque refugere,qui ne leuiſſimas viſus eſt vnquam ſine pudore gemituq;maculas intueri ? O miſerum quod eum peccandi libidine abeſſe cogas!quod abeſſe ſentias !

Nam fac eum adeſſe:tu igitur hunc dolorem inuris tātæ maieſtati,cuius oculi,& curæ omnes in te vno defixæ habitant? tu Patenti à quo ſemel communem ſpiritum,ſæpè autem precariam incolumitatem,& ſalutem acceperis? tu Præceptori , à quo nihil deſiderare poſſis præter peccandi licentiam?tu Amico,qui te oculis,auribus, perpetuoque complexu tenere cupiat, qui ne in periculo quidem cum cæteris Angelis colluctandi,in grauiſſimis diſcordiis,deſerere defenſionem velit.

Sed perge ſcelerate,ſi neminem alium ſaltem oblectas hoſtem infenſiſſimum humani generis quo cum iſte tuæ ſalutis , & libertatis aſſerendæ cauſa dies,noctesque dimicat.Tu eius aſpectum, & mentem recreas,qui nihil vnquam hilarioribus oculis aſpexit,quam conſcientiæ tuæ labes, ac vulnera:tu illius furores ſuſtentas,qui in omnem occaſionem intentus,atque imminens,hoc vnum molitur,hoc pūgnat,vt te repente fracta, vel obtorta gula,non modò ſtatione vitæ,ſed etiam in perpetuum ſpe ſalutis exturbet;eius crudelitatem exſaturas,qui lucrum ex tuis damnis, ex tuis ſuppliciis immortales ſibi quæſtus conflari putat.

Sed me reuoco, qui ſermonem hunc cogitatione tantùm attigi.Quid?nos cuſtodis Angeli pattocinium,opemque negligere?nos illius charitatis obliuiſci?cultum eius ſine ſcelere,ſine impietate poterimus aſpernari?qui nō vana,& falſa,ſed expreſſa;non ficta,& hominis ingenio adumbrata,ſed ſingularis Dei artificio commēdata,naturæ vi , atque dignitate omnes mortales anteit , qui cùm ad perpetuam domeſticamque tutelam nobis tanquā puer honorarius cœleſti, diuinoque munere ſit delegatus, nihil aliud laboret , nihil contendat,nihil expetat , quam vt ſuæ moderationi nos credere velimus , in ſuis conſiliis acquieſcere,adminiculis,& ſubſidiis ad beatæ vitæ ſpem eniti.

O ſtolidi & inſani hanc ſi opem repudiamus ingrati ſi aliquo die,vel tempore memoriam huius tanti honoris,atque beneficij definiamus!impij ſi nobiliſſimum, & amantiſſimum cuſtodem contemnamus ! contemnamus autem imò niſi eum flectere , & deuincire votis omnibus, ſummaque pietatis contentione ſtudeamus.

PVNCTVM V.

Congeries Cauſarum.

CAuſarum denſatarum conglobatio ſingularis eſt ad amplificandum.Cic.pro Mil.Clodium inſidiatum eſſe Miloni probat, quia ſceleſtus , quia oderat eum,quia honores ambiebat, qui ſperabat impunitatem. Pro lege Man. bellum eſſe difficile, ac periculoſum,quia coniungunt illud Reges potentiſſimi,renouant agitatæ nationes , ſuſcipiunt integræ gentes , nouus eſt Imperator,qui reſiſtit.

Idem pro Sext. per allegoriam mixtam,& propriis verbis temperatam , cauſas proponit, cur non mortem pugnans oppetierit,vt nec inultus moreretur,& ſe tùm ab inimicotum vexatione, tum ab exilij dedecore,moleſtiaque liberaret,n. 46. *Cum in hanc Reip.nauem,ereptis ſenatui gubernaculis fluitantem in alto tempeſtatibus ſeditionum ac diſcordiarum , armatæ tot claſſes, niſi ego vnus deditus eſſem,incurſura viderentur:cum proſcriptio cædes,direptio denunciarentur:cum alij me ſuſpicione periculi ſui non defenderent,alij vetere odio bonorum incitarentur, alij inuiderent , alij obſtare ſibi me arbitrarentur,alij vlciſci dolorem ſuum aliquem vellent,alij remipſam publicam,atque hunc bonorum ſtatum,otiumque odiſſent,& ob haſce cauſas,tot tamque varias me vnum depoſcerent, depugnarem potius cum ſummo non dicam exitio,ſed periculo certè veſtro,quàm non id quod omnibus impendebas vnus pro omnibus ſuſciperem, ac ſubirem.*

Vt Clodium vocet in odium,& inuidiam Cic. cauſas affert,cur etiamſi inſidiator non fuiſſe dicatur,tamen iure cæſus videri poſſit ; qui tanta impunitate per omnia facinora faciendis cædibus,diripiendis ciuium bonis,&omni iniuſtitiæ genere graſſatus eſt,tanta impudentia,ſe in omnium

Digitized by Google

nium libidinum cœno volutauit, vt nihil eſſe, nefas, nihil illicitum eſſe videretur. Sic autem illum vrget, n.74. *Eum cuius ſupplicio ſenatus ſolemnes religiones expiandas ſæpe cenſuit, cum qui ciuem quem ſenatus, quem populus, quem omnes gentes, vrbis ac vitæ ciuium conſeruatorem iudicabant, ſeruorum armis exterminauit: eum qui regna dedit, ademit orbem terrarum quibuſcum voluit, partitus eſt; eum, qui pluribus cædibus in foro factis, ſingulari virtute, & gloria ciuem domum vi, & armis compulit: eum, cui nihil vnquam nefas fuit, nec in facinore, nec in libidine: eum, qui ædem Nympharum incendit, vt memoriam publicæ recenſionis, tabulis publice impreſſam extingueret.*

Ingenij florem, ac eruditionis in Senatu reperiri ex hoc loco cuius probare facile eſt. Ego Sanatum illum appello, ego ſubſidium afflictæ, laborantiſque patriæ, ego propugnaculum fori, arcem æquitatis publicæ portum charitatis. Imperialem Curiam, delectum illum ſapientiſſimorum hominum, quos ex tota Imperij amplitudine in Academiarum lucem, propter ingenium; ex Academiis in fori theatrum, propter eruditionem: ex foro in Iudiciorum tribunalia, propter integritatem: ex Iudiciis in conſiliorum Templum, propter Sapientiam: denique propter admirabilem diuinarum huiuſmodi partium cóplexionem imperij, & gloriæ domicilium, Vt quemadmodum huic rei vniuerſitati Præſides ſuos, ac Tutelares genios præpoſuit Deus Immort, qui tanquã vigiles excubarent; ſic illi tanquam in ſpecula conſtituti Remp. tuerentur vniuerſam, partes imperij omnes ſalubri temperamento componerent. Populorum patroni fideles, ſanctioris conſilij principes, legum ac iudiciorum interpretes, improborum vltores, iniuriarum repreſſores; denique quos ad ordinis ſplendorem purpura, quos aureis fibulis ad gradus prærogatiuam, quos Aquiligeris puluinaribus, auguſtis titulis, tóto illo Imperiali apparatu, ad ſupremæ maieſtatis ſanctitatem, Imperatores ipſi condecorarunt.

PVNCTVM VI.

Congeries effectorum.

VT cauſæ ad amplificandum, ſic effecta rei alicuius congeruntur, quorum multitudo in laude admirationem parit, in vituperio ciet indignationem. Effectuum cumulus eſt apud Cic. dùm vitæ perniciem, ac interitum animæ voluptatem deſcribit Dialogo de Senect. vt maturæ illius ætatis fructus amplificet, quæ peſſimos æſtuantis ætatis, ac, libidinibus perditæ motus cohibet n.39. Verris libidines Act. 3. n. 78. *Tantæne tuæ libidines erunt, vt eos capere ac ſuſtinere non Prouinciæ pop. Rom. non exteræ nationes poſſint? Túne quod videris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, niſi id ad nutum tuum præſtò fuerit, niſi libidini tuæ, cupiditatiq; paruerit, immittentur homines? expugnabuntur domus, ciuitates non modò pacatæ, verùm etiam ſociorum, atque amicorum ad vim, atque ad arma confugient, vt ab ſe, atque à liberis ſuis legati populi Rom. ſcelus atque libidinem propulſare poſſint?*

Diuitiarum cupiditatem inſanam, malorum originem omniũ ex effectis colligere licet. Quis Sapiens dubitet cupiditatem eſſe fontem malorum omnium radicem ſcelerum, culparum fomitem, delictorum materiam; propter quam nec terra, nec maria, nec vllus omninò locus, aut ſecurè inhabitatur, aut ſine pauore tranſitur? huius igitur concupiſcentiæ cauſa prædones in fluctibus, in itineribus latrones, in vicis & vrbibus fures, & in omni regione raptores. Propter hanc circumuentiones, rapinæ, mendacia, periuria, falſa teſtimonia, fraudes, impietates, crudelitates & quæcunque eſſe nefandorum facinorum genera poſſunt. Huius cauſa quotidie innocentium cauſa polluitur, ſpoliatur pauper, miſer opprimitur, nec viduis, aut orphanis parcitur. Propter hãc omnibus penè momentis res diuina contẽnitur, & aſſiduis præuaricationum generibus decrétum cœleſte violatur. Huius cauſa nonnunquam expugnatur pudor, caſtitas vincitur, & per illicitas voluptates impudẽs libido vagatur. Per hãc ſæpè parricidia, partim votis, partim operibus

bus perpetrantur. Dùm enim quis ad diuitiarum poſſeſſionem nimiâ, & impatienti auiditate feſtinat mortem parentibus, aut optat, aut irrogat.

Sic veterum ſolertiam, & ingenium ornabis commemoratis omnibus quæ ingenioſè ab illis, vel excogitata, vel perfecta ſunt. Nam quid eorum inuenta perſequar? quid ſapientiæ aut induſtriæ prodigia? cum mutis cantum, vitam, motumque inſpirarunt inanimis cùm matalla mugitum; Dædali ſuſtulere volatum, cùm ſibilarunt angues in aëre, volucres ſimulatè fritinnierunt, orgãna peregrinis flatibus inſonuerunt: quid hic in luce, atque oculis ponã Protegenis Hyaliſon, quo nouus Iupiter incluſus cucurriſſe nimbos, pluuiſſe, grandinaſſe, tonuiſſe, fulguraſſe, fertur? quid Archimedis fulmina? quid Semiramidis penſiles hortos? quid Ægypti Pyramides? quid fræna maris; quid Templa Salomonis orbis miracula? ſcilicet rudes populos expoliuit antiquitas, hæc rerum omnium ignaros pulchris imbuit diſciplinis: hæc ore, & manu ſenſa promere, hæc homines eſſe, & humana agere docuit, hæc iura legeſque ciuitatibus deſcripſit, hæc mundum adhuc penè i forme ornauit; hæc denique quidquid artium eſt ſolerter inuenit, ac poſteris ſuis tradidit, cùm miſeri cruda glande veſcerentur, cùm nudi inueſteſque diſcurrerent, cum bruta ſtoliditas homines, feras, agros, ſyluas, omnia miſceret, cum nulla commercia; nullus eſſet voluptatum, ac deliciarum vſus; ſed horrida barbaries ignauum otium, atque ex otio æterna inopia, & vaſta magno orbe ſolitudo.

Sic Solem ab effectis conglobatis commendabis. Nolim religioſo nimis cultu Solem venerari mirari tamen licet, aſtrum iſtud aureum, ác intueri Iouis oculum, lucis parentem, quippe quo nihil eſt in hoc ſpectabili mundo, vel ad ſpeciem pulchrius, vel ad rerum gignendarum commoditatem fœcundius, vel ad incredibilem rerum omnium varietatem in humanos vſus inuehendam efficacius. Sol is eſt qui vitalem vim; ac ſalutarem corporibus atque animátibus communicat; qui hoc eſt in æthere, quod in animali cor, truncus in arboribus, animus in homine: qui vices temporum, annorumque nouo ſemper flore redeuntes ex vſu naturæ temperat, eiuſque partes ita diuidit, vt inter ſe non ſecus ac in choro, nectantur: cuius vis ac poteſtas motus reliquorum ſyderum conſtituta dimenſione moderatur, & ipſos Stellarum ignes colluſtrat; cuius influxus in abditiſſimos vſque receſſus penetrat, terræque viſcera peruadit, vbi gemmas, & aurum progenerat Is eſt qui Meſſes inaurat, fœcũdat arbores, colorat prata, vites purpuriſſat, viteta pingit, hortorum areas florum pigmentis illuminat, quem denique Deus quaſi pulcherrimum ſui ſimulachrum in communi conſtituit.

Interdum venuſtè per ſubiectionem conglobantur effecta, quod Cic. pro lege Man. num. 61. *Quid tàm nouum, quàm adoleſcentem priuatum difficili Reip. tempore. exercitum confeciſſe? confecit; huic præeſſe? præfuit. Rem optimè ductu ſuo gereret? geſſit: quid verò tàm inauditum quàm Equitem Rom. triumphare? at eam quoque rem populus Rom. non modo vidit, ſed id omni ſtudio viſendam putauit. Quid tàm inuſitatum?* &c.

Crudele bellum Antonij, peſtem, vaſtitatem, cruciatum, tormenta omnibus denuntiantis per effecta ſubiicit. Cicer. 14. Phil. n. 8. *Refugit animus eaque formidat dicere, quæ L. Antonius in Parmenſium liberis, & coniugibus effecerit. &c.*

Libidinis & intemperantiæ varios effectus conglobat, vt damnet Diu. Ambroſ. lib. de Cain. c. 5. *Sanus criminum ſtimulus eſt libido, quæ nunquam manere quietum patitur affectum: nocte feruet, die anhelat, de ſomno excitat, à negotio abducit, à ratione reuocat, aufert conſilium amentes inquietat, lapſos inclinat, caſtis inſidiatur, potiendo inflammat: vſuque accenditur.*

P V N C T V M. VII.

Congeries concomitantium & conſequentium.

EST hic fons cum præcedenti coniunctus; mirè autem efficax, aut ad ſuadendum, aut diſſuadendum, ad virtutes, aut vitia exaggeranda, cum ea videlicet, ſeu bona, ſeu mala, commoda

Digitized by Google

moda ſiue incommoda, quæ virtutem, aut vitium, aut rem omnino aliam vt plurimum comitantur conſequunturque, enumeramus. Pro Mur. n.85. *Sed quid tandem fiet, ſi hæc elapſa de manibus noſtris, in eum annum qui conſequitur, redundarint. Illa peſtis immanis importuna Catilina prorũpet, qua poterit, & iam populo Rom. minatur, in agros ſuburbanos repentè aduolabit, verſabitur in caſtris furor, in curia timor, in foro coniuratio, in campo exercitus, in agris vaſtitas, omni autẽ in ſede, loco, ferrum, flamamque metuemus.*

Pulchrè nonnumquam per hypotipoſim congeruntur hæc conſequentia. 4. in Catil n. 11. *Videor mihi hanc vrbem videre, lucem orbis terrarum atque arcem omnium Gentium ſubito vno incendio concidentem: cerno ſepultam patriam, miſeros, atque inſepultos aceruos ciuium; verſatur mihi ante oculos adſpectus Cethegi, & furor in veſtra cæde bacchantis.*

Paulò longior eſt hæc idea quæ illuſtri ſimilitudine extenditur. Si Sol luminum reliquorum moderator deficeret, aut extingueretur, rerum ſimul omnium moderatio interiret, è medio aureus ordo tolleretur, vna confuſio regnaret, in luctu, in tenebris iacerent omnia, vinetorum pulchritudo, & dignitas defloreſceret, herbarum florumque ridens pictura ſordeſceret, frugum vbertas exareſceret, Regiarum ædium decor obſoleſceret, auri gemmarumque ſplendor contenebreſceret, hominis ipſius vita inter ancipites librata periculorum aleas ærumnoſiſſimè luctaretur; Quid enim? Pelago te committeres? te fluctus irati maris abſorberent. Terram pedibus peragrares? at præceps rueres in foueam, in interitum. Domi placeret ad ſecuritatem conſiſtere? at in parietes & abicos offenderes. Iam verò Rex veluti ſol eſt longè lateq; omnibus regni ſui partibus collucens: fac Regiæ dominationis maieſtatem ruere, fac oppreſſa per inauditam licentiam Monarchia, Democraticam imperitare petulantiam. Deus Immortalis! Ex hac præpoſtera, prodigioſaque conuerſione, quanta in omnes ordines calamitatum diluuia redundabunt? Videbis turbulentiſſimas illicò tempeſtates excitari: regnabunt ſcelera; nulla improbis ſupplicia ſtatuentur: nulla benemeritis præmia decernentur, quia etiam ab ſceleratiſſimis hominibus, & prementur innocentes, & opprimentur; ius humanum, ciuile, diuinum impunitate leges proculcante violabitur: omnia denique peruellentur, funditùſque perfringentur regnorum temperamenta: verbo dicam, æquitate, pace, concordia, virtutibus omnibus eliminatis improbitas, iniuſtitia, perfidia graſſabuntur, regnumque ipſum è concordiæ domicilio in furioſorum hominum perditorumque receptaculum conuertetur.

Pvnctvm VIII.

Congeries contrariorum.

Vniuerſa claſſis cõtrariorum maximè per antitheſim ampificationem reddit illuſtrem. Pro Mur. n. 88. *Habet magnum dolorem, vnde cum honore deceſſeris, eodem cum ignominia reuerti.*

Horret ac refugit animus ea commemorare damna, quæ per hæreſim, ac rebellionem in benè temperatas prouincias, regnaq; florentiſſima importata ſunt. Vidimus proh dolor! omnia iuris humani diuiniq; repagula perfringi, leges violari; vidimus impietate iuſtitiam, pietatem perfidia, continentiam libidine, ignauia, ſuperbia fortitudinem, fidem fraudatione, omnes denique virtutes, vitiorum omnium colluuione ſuperari.

Ex his colligitur quàm grauis & potens ſit hæc Amplificatio, quæ ex contrariarum rerum comparatione fit. Talis eſt Oratio qua præcones impietatis ac falſitatis hæretici, cum Doctoribus pietatis veritatiſque componuntur. Me quidem errantium miſeret, qui ad Syllam hæreſeos ac libidinis ſcopulos, fidei ſalutiſque naufragium fecerunt Sed qua ſimilitudinè pudoris vacui, rationiſque impatientes noſtris hominibus cohærere poſſunt, aut potius quàm longo deceptores à paſtoribus noſtris diſſident intervallo? Illi pulmonibus ſanie fluentibus aërem veritatis dulcem illum ac vitalem nec hauriunt, nec alios reſpirare patiuntur: Noſtri ſalutis auram vbique ſpirãt, ac Erebo deuotos ad veri Numinis cultum ad Religionem conuertunt: Illis malus Dæmon, vt furoris adminiſtris luem atque perniciem eructat ad extinguendum omne decus pietatis: Noſtros Chriſtus

Chriſtus ad propagandum vbique Dei venerationem adhibet:Illi nefandas opiniones,vt peſtilens Medea virus, ſpargunt id ignaros & imbecilles capiendos:Noſtri Hercules Apotropæi ſublatis vitiorum monſtris medicamenta parāt, ad peſtilentem ſerpentis veneni vim retundendam:illi non minus modeſtiæ & caſtitatis,quàm Religionis inimici ſuos libidinibus furētes reddunt; noſtri caſtos & amantes puritatis ſuos efficiunt:illi ſuos in aliena miſeria ferreos& crudeles volunt: Noſtri ſuos ad miſerorum ſubleuandum inopiam inſtruunt: Illi præcones falſitatis ſacris codicibus ad ſuam nequitiam, & aliorum perniciem abutuntur:Noſtri Doctores veritatis conſilii ſui luce montiſque plurimos erudiunt ad ſalutē:Vigilant illi vt innocētesChriſti cauſas diſſipent: Noſtri Paſtores, vt lupos arceant: Illi in deſerta ſolitudine,aut ramoſis mapalibus ſuas ineptias,ac malæ mentis ſomnia garriunt: Noſtri in auguſtiſſimis delubris diuinæ legis myſteria ſuos edocent:Illi denique faces ad incēdia præferunt,ferrum ad cedem& carnificinam acuunt: Noſtri faces amoris ad illuſtrandam Religionem accendunt, arma pietatis, vt pacis inſtrumenta, præparant ad omnium felicitatem. Et erit tam mentis inops aliquis tamque ſalutis oblitus qui talium conſuetudine teneatur? qui ſceleratorum dicta,velut ſapientum decreta,vel etiam miſſa diuinitus Oracula auribus excipiat? quiSacerdotibus noſtris diuinæ gloriæ præconibus & adminiſtris componat vel etiam anteponat flagitioſos apoſtatas, nugarum buccinatores verbo dicam nefarios communis hoſtis imitatores,hoc eſt mendaces.

Hinc Laurentius Iuſtin. de ligno vitæ cap.4. probat nos Dæmone pejores, cùm peccamus. Quoniamille nuda præcedente peccati vindictâ ſuperbiens peccauit:nos viſa eius pœna cōtemnentes ad peccata properavimus:ille in innocētia conſtitutus,nos reſtituti:ille perſiſtit in malitia Deo reprobante;nos Deo revocante:Ille induratur ad punientem,nos ad blandientem,& ſi contra Deum omnes,ille contra nos requirentem ſe,nos contra morientem pro nobis.

Miro artificio Tull. in Iudicum benevolentiam illabitur cōmemoratione ſui in illos amoris & gratitudinis, quibus iraſci non poſſit ob vulnus acceptum. Pro Mil. n. 100. *Nec verò ſi mihi eripueris reliqua eſt illa tamen ad conſolandum querela, vt his iraſci poſſim à quibus tantum vulnus accepero. Non enim inimici mei te mihi eripient, ſed amiciſſimi; non malè aliquando de me meriti, ſed ſemper optimè.*

Et illud, *O ſpectaculum illud non modò hominibus, ſed undiuipſis, ac littoribus luctuoſum, cedere patria ſervatorem eius, manere in patria proditorem.*

Diſſimilium conflictione Cic. probat Cœlium nunquam Reip. defuturum, & comparatione inter illum &Clodium,qui non ita pridem abſolutus fuerat, inſtituta, Iudices ab eiuſdem damnatione deterret.Pro Cœl.n.78.*Neque enim poteſt, qui hominem Conſularem, quod ab eo Remp. violatam diceret in iudiciū vocarit, ipſe eſſe in Rep. civis turbulentus: non poteſt qui ambitu ne abſolutum quidem patitur eſſe abſolutum, ipſe impunè vnquam eſſe largitor. Habet à Cœlio Reſp. duas accuſationes, vel obſides periculi, vel pignora voluntatis. Quare oro obteſtorq; vos, vt quā in civitate paucis his diebus Clodius abſolutus ſit, quem vos per biennium, aut miniſtrum ſeditionis, aut ducem vidiſtis; in ea civitate ne patiamini illum abſolutum muliebri gratia Cælium libidini muliebri condonatum.*

Ab iiſdem diſſimilibus non eſſe timendos Catilinæ ſocios monet. 2. Act. n. 24. *O bellum magnopere pertimeſcendum, cùm hanc ſit habiturus Catilina ſcortorum cohortem Prætoriam. Inſtruite nunc contra has tàm præclaras Catilinæ copias, veſtra præſidia, veſtroſq; exercitus: & primum gladiatori illi confecto, ac ſaucio, conſules imperatoreſq; veſtros opponite: deinde contra illam naufragorum ejectam, ac debilitatam manum, florem totius Italiæ, ac robur educite. Iam verò vrbes Coloniarum, ac municipiorum reſpondebunt Catilinæ tumulis ſilveſtribus: Neque verò cæteras copias, ornamenta, præſidia veſtra, cum illius latronis inopia, atque egeſtate debeo conferre.*

A contentione rerum pugnantium Milonem in patria retinendum perſuadere conatur Iud.n. 104. *Nolite obſecro vos pati mihi acerbiorem reditum eſſe quàm fuerit ille ipſe diſceſſus. Nā qui poſſū putare me reſtitutum eſſe, ſi diſtrahor ab iis, per quos reſtitutus ſum Hiccine vir patriæ natus, vſquā, niſi in patria morietur? aut ſi fortè pro patria: huius vos ani*

vos animi monumenta retinebitis? corporis in Italia nullum ſepulchrum eſſe patiemini? hunc ſua quiſquã ſententia ex hac urbe expellet, quem omnes urbes expulſum à vobis, ad ſe vocabunt?

Ab hoc loco Saturium liberè conuincit & illum pugnantia loqui contra Comœdum aſſerit num. 18. *Quid tu Saturi, qui contra hunc venis, exiſtimat aliter: nonne quotieſcunque in cauſa, in nomen huius incidiſti, toties hunc & virum bonum eſſe dixiſti, & honoris cauſâ appellaſti? quod nemo niſi aut honeſtiſſimo, aut amiciſſimo facere conſueuit. Qua in re mihi ridiculè es viſus eſſe inconſtans, qui eundem & læderes, & laudares: & virũ optimum, & improbiſſimum eſſe diceres, eundem tu & honoris cauſa appellabas, & virum primarum eſſe dicebas, & ſocium fraudaſſe arguebas: ſed, vt opinor, laudem virtuti tribuebas, crimen gratiæ concedebas; de hoc, vt exiſtimabas, prædicabas.*

Præcipit Tull. vt hoc genere contrariorum frequẽter Orationem noſtram illuſtremus, quod & ad fidem valet plurimum, & ad ornatam Orationem numeroſamq; efficiendam confert. Illa ſingularis eſt ex adverſis contentio. Pro Mil. nu. 42. *Quem igitur cum omnium gratia noluit; hunc voluit cum aliorum querela? quem jure, quem loco, quem tempore, quem impunè nõ eſt auſus, hunc injuriâ, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis, non dubitauit occidere.*

A repugnantibus conglobatis euincit Cœlium non fuiſſe fractum deliciis, ac voluptatibus deditum, qui forenſem Eloquentiam profeſſus ſit nu. 47. *An hic, ſi ſeſe iſti vitæ dediſſet, Conſularem hominem adoleſcens in judicium vocauiſſet: hic ſi laborẽ fugeret, ſi obſtrictus voluptatibus teneretur, in hac acie quotidie verſaretur? appeteret inimicitiam? in judiciũ vocaret? ſubiret periculum capitis? ipſo inſpectãte populo Rom. tot menſes aut de ſalute, aut de gloria dimicaret?*

PVNCTVM II.

Congeries adiunctorum.

CRberrima juxtâ, & pleniſſima eſt Amplificatio quæ ab omnibus ſeu rerum, ſeu perſonarum adjunctis, ac circunſtantiis ducitur: quales multæ paſſim occurrunt apud Ciceronem: hæc adiunctorum momenta quantum Amplificationi conferant ſatis oſtendit D. Hieronymus dicendi facultate, non magis, quàm vitæ ſanctimoniâ clarus, dùm cuiuſdam Monachi crimen virginem ad ſtuprum fugamque ſollicitantis ſingulari artificio exaggerat. lib 2. epiſt. 3. Infeliciſſime mortalium tu ſpeluncam illam in qua Dei Filius natus eſt, & terra noſtra dedit fructum ſuum, de ſtupro condicturus ingrederis? non times, ne de Præſepi Infans vagiat? ne puerpera Virgo te videat? ne Mater Domini contempletur? Angeli clamant, Paſtores currunt, Stella deſuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Hieroſolyma conturbatur: & in cubiculum Virginis decepturus Virginem, irrepis? Paueo miſer, & tàm mente, quam corpore perhorreſco, ponere tibi volens ante oculos tuos opus tuum.

Tota Eccleſia nocturnis Vigiliis Chriſtum Dominum perſonabat, & in diuerſarum Gentium linguis vnus in laudibus Dei Spiritus concinebat: Tu inter oſtia quondam Præſepis Domini, nunc Altaris, amatorias Epiſtolas fulciebas, quas poſtea illa miſerabilis, quaſi flexo adoratura genu, inueniret, & legeret. Et ſtabas deinceps in Choro pſallentium, & impudicis nutibus loquebaris. Prohnefas! non poſſum vltra progredi. Prorumpunt lacrimæ ante, quàm verba, & indignatione pariter ac dolore in ipſo meatu faucium ſpiritus coarctatur. Vbi mare illud eloquentiæ Tullianæ? vbi torrens fluuius Demoſthenis? nunc profectò muti eſſetis ambo, & veſtra lingua torpeſceret. Immenſa res eſt, quàm nulla Eloquentia explicare queat. Repertum eſt facinus, quod nec Mimus fingere, nec Scurra ludere, nec Attellanus poſſit effari. Nihil dico amplius venerabilis Præſepis, & campi me non ſinunt plus credere, quàm te voluntate tantùm, & animo corruiſſe.

Miſer! nonne quando in ſpelunca cum Virgine ſtare cœpiſti caligauerunt oculi tui, lingua torpuit, conciderunt brachia, pectus intremuit, nutauit inceſſus; A veſperè vſque manè, fæneſtræ illius aſſides, & quia propter altitudinem, hærere vobis cominùs non licebat, per funiculum vel accipis aliquid, vel remittis. Vide quanta diligentia Domini fuerit, vt nunquam domi Virginem,

Digitized by Google

nemniſi in Eccleſia videris, cùm talem vterque veſtrum habuerit voluntatem, niſi per feneſtram nocte facucultas vobis non fuerit colloquendi. Oriebatur tibi Sol invito, exanguis, marcidus, pallidus, vt ſuſpicioni omni careres, Euangelium Chriſti, quaſi Diaconus lectitabas. Nos pallorem ieiunii putabamus, exangue os contra inſtitutum, ac morem tuum quaſi confectum vigiliis mirabamur.

Iam tibi & ſcalæ per quas deponeres miſeram, parabatur: jam iter diſpoſitum, decreta nauigia, condicta dies, fuga animo pertractata: Et ecce Angelus ille cubiculi Mariæ janitor, cunarum Domini cuſtos, & infantis Chriſti gerulus coram quo tanta faciebas, ipſe te prodidit. O funeſtos oculos meos! ô diem illum omni maledictione digniſſimum, in quo Epiſtolas illas tuas, quas hucuſque retinemus, conſternata mente legi! Quæ tibi turpitudines? quæ blandiciæ? quanta de conducto ſtupro exultatio? hæccine Diaconum, non dicam loqui, ſed ſcire potuiſſe? vbi miſer iſta didiciſti, qui in Eccleſia te nutritum eſſe jactabas? niſi quod in eiſdem Epiſtolis juras te nunquam pudicum, nunquam fuiſſe Diaconum. Si negare volueris manus tua te redarguet, ipſi apices proclamabunt.

Habeto igitur interim lucrum ſceleris, non poſſum tibi ingerere quod ſcripſiſti. Non doleo de maledictis, hoc plango quod te ipſe non plãgis, quod te non ſentis mortuum, quod, quaſi gladiator paratus libitinæ in proprium funus ornaris. Amiciris linteïs, digitos annulis oneras, dentes puluere teris, raros in rubēti Caluaria digeris capillos: taurina cervix, toris adipeis intumeſcens, nec, quia propter libidinem fracta eſt inclinatur: Super hæc vnguenta fragras; mutas balneas; & contra renaſcentes pilos pugnas: per forum ac plateas, nitidus ac politus amator incedis. Convertere miſer ad Dominum, vt ad te Dominus convertatur.

Ex his deſcribes Rupellam, & ad rebellionem olim opportuniſſimam dices. Non armata ſatis videbatur hæreſis, ſatiſque tuta ad perfidiam, ſi non illa rupibus cōſediſſet aſperrimis, ſi non rebellantibus magis fluctibus, & ipſa furentis Oceani perfidia fuiſſet inſtructa, ſi nō facta colluvione transfugarum & æſtu perditorum habuiſſet cōtumaces Apoſtatas ſi maritimæ fœcis nautica barbariæ plena magiſtratus nō haberet ſcelerum artifices. Neque verò tàm latè fuit diffuſa, vt longius in terram diſcedens pateret periculo ſed ita in orbem collecta, vt paruo militum numero ingentes rideret exercitus.

Circumdabant infeſta perduellium clauſtra, non turres, ſed arces, nec porrò erat Auernalis illa hæreticæ furiæ cauerna ſuis incluſa rupibus, fluctibus cincta, obſeſſa mari, foſſis ad ſtygem propè depreſſa, alia, ferè parte, quàm Cœlo, qua patebat, & qua ſceleſta debuit expugnari. Nacta verò & ſalum eſt, & Cœlum, cui cum nihil deeſſet ad felicitatem, nec ad partinaciam, ſecuritatemque defutura videbatur naturæ totius velut conſpirans conjuratio, ſed pietate facta melior naturapublico ſatellitio militauit in rebelles ſub invictoRege, qui vim numinis tùm obtinuit, cujus cauſam tuebatur: Qui frænum mari, habenas vētis flammas fulminibus, naturæ leges impoſuit, non minus ad opportunitatem certaminis, quàm ad gloriam, laudemque victoriæ, nec minus ad hoſtium infamiam, quam ad Dei ſemper triumphantis honorem & cultum.

Variis circumſtantiis Vatinii ſcelus amplificat, & ſordes auaritiæ damnat n. 22. deinde per adjuncta perſonarum eiuſdem criminis attrocitatem exaggerat. n. 25.

LECTIO X.

De Incremento.

Sequitur alter amplificandi modus quem Fabius primo loco poſuit vt efficaciſſimum. Fit autem amplificatio per Incrementum, cùm per gradus creſcit Oratio, & ad ſummum peruenit, in hoc differtà Congerie, quòd hæc ſatis habeat multas aut voces, aut ſententias ad propoſitum idem coacervare: In Incremento autem Oratio creſcat, neceſſe eſt. Id autem fit duobus modis potiſſimum.

Primò minus apertè cùm citra diſtinctionem graduum in ipſo contextu, & curſu Orationis ſemper

ſi rectè ratiocinabimur vni acceptum hæreſi referemus. Et hanc Galliæ calamitatem non appelles.

IV. Per accidentia, & qualitates paulò fuſior: nam excurrit per omnia attributa. Huc refer Hiſtoricas Poëticaſque deſcriptiones locorum, temporum, &c. 2. Agrar. Cic. num. 8 ait ſe Remp. afflictiſſimam recepiſſe quam deſcribens per omnes calamitatis circunſtantias definit. *Ego qualem Kalendis Ianuariis acceperim Remp. Quir. intelligo, plenam ſollicitudinis, plenam timoris: in qua nihil erat mali, nihil aduerſi quod non boni metuerent, improbi expectarent: omnia turbulenta conſilia contra hunc Reip. ſtatum, & contra veſtrum otium partim iniri, partim nobis Conſulibus deſignatis inita eſſe dicebantur: ſublata erat de foro fides, non ictu aliquo nouæ calamitatis, ſed ſuſpicione ac perturbatione iudiciorum, infirmatione rerum iudicatarum nouæ dominationes, extraordinaria non imperia, ſed regna quæri putabantur. Quæ cum ego non ſolùm ſuſpicarer, ſed planè cernerem, dixi in Senatu, in hoc magiſtratu me popularem Conſulem futurum. Quid enim eſt tàm populare, quàm pax? qua non modò ij, quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta atque agri mihi lætari videntur: Quid tàm populare quàm libertas? quam non ſolum ab hominibus, verum etiam à beſtiis peti, atque omnibus rebus anteponi videtis? quid tam populare, quàm otium, quod ita iucundum eſt, vt & vos, & maiores veſtri & fortiſſimus quiſque vir, maximos labores ſuſcipiendos putet, vt aliquando in otio poſſit eſſe?*

Ita ſub Allegoria belluæ depinges hæreſim. O deteſtabilis hominum factio! ô portentum inauditum! ô leonina rabies! depingere me vis animo monſtrum hoc? concipere nec poſſum, nec velim, ita terret. Cedo tamen colores; quos autem? de Cerberi ſpuma ſi quid habes, ſi quid de Meduſæ tabo, ſi quid de prophano ſacrilegi Promethei ſanguine, ſi quid de Lamiæ voracis ferino lacte. Miſce pubem, tibi multiplex erit furia errorum colubris crinita, fero hians rictu, vibrante lingua, & ante minas etiam virus ad corporum, animorumque præſens exitium ſpargente: oculis ignem ſpirantibus, ad mortalium ruinam, & orbis incendium. Caue vultum intuearis, multiplex eſt, ridet, minatur, blanditur, excandeſcit, expalleſcit, vnus tamen omnibus color eſt inferorum fuſcus.

V. Per ſimilia. Valet ad rem melius exprimendam, cùm rem dictam ſimpliciter, per metaphoram illuſtramus. Sic à Cic. Curia deſcribitur & Senatus incendium deplorat, pro Mil. num 91. *An ille Prætor, ille verò Conſul, ſi modo hæc templa, atque ipſa mœnia ſtare eo viuo tamdiu, & Conſulatum eius expectare potuiſſet, ille denique viuus nihil mali feciſſet, qui mortuus vno ex ſuis ſatellitibus Clodio duce, curiam incenderit? quod quid miſerius, qui acerbius? quid luctuoſius vidimus? Templum ſanctitatis, amplitudinis, mētis, conſilij publici, caput vrbis aram ſociorum, portū omnium gentium, ſedem ab vniuerſo populo Romano conceſſam vni ordini, inflammari, exſcindi, funeſtari?*

Hæreſis verò. Nam quæ Sylla, quæ Charybdis, quæ vorago, qualis hydra, ſi illa non eſt? Quod imperij totius commune naufragium, quæ poſtremas etiam naufragij noſtri tabulas abſorpſit, vt iterum in caput noſtrum eructaret: Quam ſi ferro petis, inualeſcit, ſi ſecas repullulat; quæ non de Meduſa, ſed arbitror de Megæra nata eſt, non in Lernæo, ſed in Lemano lacu educata, faces ad Gallorum; imò ad orbis interitum accendit. Et hanc amabis?

V. Per negationem. Ad amplificandum apta definitio maximè in rebus ſublimibus, vel remouendo contraria, vel dicendo quod non eſt. Tull. in Piſonem poſtquam naufagium, exilium, mortem, cæteraque fortunæ tela non eſſe ſupplicij loco ducenda demonſtrauit; ad Piſonis & Gabinij ſcelera delapſus propriè definit ſupplicium, illorumque furorem, & audaciam vera eſſe ſupplicia concludit quæ Deus ab illis exigat, n. 43. *Quæ igitur pœna? quod ſupplicium? id mea ſententia, quod accidere nemini poteſt, niſi nocenti, ſuſcepta fraus, impedita, & oppreſſa mens conſcientia, bonorum omnium odium, nota iuſti Senatus; amiſſio dignitatis. Nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginienſes, reſectis palpebris, illigatum in machina, vigilando necauerunt ſupplicio videtur affectus: Nec C. Marius, quem Italia ſeruata ab illo, demerſum in Minturnenſium paludibus, Africa deuicta, ab eodem expulſum, & naufragum vidit. Fortunæ enim iſta tela ſunt, non culpæ: ſupplicium autem eſt pœna peccati.*

Sic

Digitized by Google

Sic Hæreſim. Quamquam quid ego mõſtrum appellem, quod non vnum eſt, ſed multiplex, nõ Hydra, ſed Hydrarum Lerna, non furia, ſed effectus ipſe furiarum coetus. At homines ſumus, inquiunt, Chriſtiani ſumus. Tu in hominis figura, quam & iam lapidibus facimus communem? Tu in nomine Chriſtiani, tu in Baptiſmatis luſtratione, quæ omnia Porphyriis conceſſimus, quæ Lucianis Atheis, quæ Iulianis Apoſtatis, nomen hominis, nomen Chriſtiani eſſe putas? tu in Biblicis codicibus ventilandis: quos corrumpitis; in ſacris voluminibus lectitandis; quæ in Arianis olim, Gnoſticorum luſtris, in Manichæorum proſtibulis, in hæreticorum manibus, vidit & indignata eſt antiquitas. Mente hominem, animo Chriſtianum, Religione maiorum fidelem, ſanctitate morum commendabilem, obſequio Regibus promptum eſſe conuenit. Ego Chriſtianũ appellem eũ, qui Chriſtum nomine ſalutat, fide prodit; qui Chriſti ſponſam ore laudat te proſtituit: qui fidem opinioni ſuæ maiorum prudentiam iuuentutis ſuæ temeritati; qui doctoſſimorum hominum ſcientiam, qui ſanctitatem angulatibus prophanæ ſcholæ canibus, & Anglici moloſſi latratibus impiis, vel decantatæ Galliarum ſimiæ gannitui, vel Germaniæ ſuis grunnitui poſthabeas? cui Religio ſumma, carere Religione. Quinam ergo ſacrilegi, ſi vos religioſi? quinam impij, ſi vos pij eſtis? qui Chriſti hoſtes, ſi vos Chriſtiani?

PVNCTVM IV.

Congeries partium.

DIues quoddam inſtrumentum amplificandi, cùm pro toto partes conglobatæ afferuntur. Sic enim quæ in vna aliqua re confuſa, & conuoluta quodammodo latebant, exponuntur oculis vno aſpectu intuenda; vndè rei meritum, & amplitudo, vel infamia, atque attrocitas creſcit. Tull. in Piſonem, magna ſermonis vbertate, & copioſo velut æſtu verborum criminibus in vnum conglobatis, oſtendit Piſonem omnium mortalium ſententiis eſſe damnatum, n. 96. *An ego exſpectem, dùm de te quinque, & ſeptuaginta tabellæ diribeantur, de quo iampridem omnes mortales omnium generum, ætatum, ordinum iudicauerunt? quis enim te aditu, quis vllo honore, quis deniq; cõmuni ſalutatione dignũ putet? Omnes memoriam Conſulatus tui facta, mores faciem denique, ac nomen à Rep. deteſtantur. Legati qui vnâ fuere, alienati: Tribuni militum, inimici: Centuriones, & ſi qui ex tanto exercitu reliqui milites exiſtunt, non dimiſſi abs te, ſed diſſipati, te oderunt, tibi peſtẽ exoptans, te exſecrantur. Achaia exhauſta; Theſſalia vexata, laceratæ Athenæ: Appollonia exinanita; Ambracia direpta; Bullienſes illuſi; Epirus exciſa? Locri exuſti; Athamanûm gens vendita; Macedonia condonata barbaris; Ætolia miſſa; Dolopes finitimiq; mõtani oppidiis, atq; agris exterminati: Ciues Rom. qui in iis locis negotiantur, te vnum ſolum ſuũ depeculatorẽ, vexatorem, prædonem, hoſtem veniſſe ſenſerũt.*

Quæ dilatandi ratio frequentiſſima eſt, cùm totum in partes diducimus, ſatis erat Tullio dicere, vrbem hodie conſeruatam videtis, ſed vt animos vehementius permoueat ſic vrget Catilinam orat. 3. *Remp. Quirites, vitamq; omniũ veſtrum, bona, fortunas, coniuges, liberoſq; veſtros, atq; hoc domicilium clariſſimi imperij fortunatiſſimam, pulcherrimamq; vrbem, hodierno die, Deorum Immortal. ſummo erga vos amore, laboribus conſiliis periculiſq; meis, ex flãma atque ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam, & vobis conſeruatam, ac reſtitutam videtis.*

D. Greg Naz. ſtupendam Machabęorum conſtantiam amplificat, quæ propoſitis omnibus tormentorum generibus de gradu virtutis, & conſtantiæ deiici non potuit. Martis robur animique conſtantiam nihil flectere, & emollire, aut debilitare potuit: non inſtrumenta luxandis artubus accommodata, non rotę propoſitæ, non exquiſitiſſima quæque tormentorum genera, non ferrearum vngularum acies, non furentes beſtiæ, non enſes acuti, non feruentes ollæ, non ignis erumpens, non vrgentes ſatellites, non filiorum aſpectus, non membra quæ diſcerpebantur, non carnes quæ lacerabantur, non defluentes ſanguinis riui, non flos ætatis qui abſumebatur, non præſentia mala, non impendentes acerbitates.

Digitized by Google

Sapienter D. Ambroſ. de Fuga ſæc c.7. hominis fragilitatem,facilitatemq;ad peccandum deplorat. *Quis inter tot paſſiones huius corporis,inter lenas illecebras huius ſæculi, tutum atque intemeratum ſeruare poteſt veſtigium? reſpicit oculus,& ſenſum mentis euertit: audiuit auris, & intentionē inflexit; inhalauit odor,& cogitationem impediuit; os libauit, & crimen reddidit, tactus contigit, & ignem adoleuit.*

Rem amplificat,motumque concitat ab enumeratione rerum quæ ſunt in vita clariſſimæ in quarum vexatione non mediocrem hauſit animo dolorem,Tull.pro Sextio,n.145.

Hęc diſtributio ſæpe maiorem orationis partem implet atq; amplificat.Sic beneficij magnitudinem commendat Cic.poſt redit,ad Quir.5.

Si qui hûc fontem aperiat & Angelorum in nos officia, beneficiaque gratus commemoret ac Ciceronis ingenium,

Si tantopere nos parentibus natura conciliat;morum atque artium diſciplina præceptoribus;vitæ conſuetudo,& ſocietatis amicis:cæteris hominibus vaga volubiliſque fortunæ ratio;quæ tandem nobis cum Angelo cuſtode religionis neceſſitas intercedit, cuius in nos moderatio tutelaque omnes omnium charitates,& neceſſitudines illa complexa eſt?Magnum dico, nec meo tamen iudicio quidquam ad illius prędicationem illuſtrius, quàm ad opinionem veſtram fidemque procliuius. Quare idipſum repetam, & quod paucis antea verbis indicaui, nunc pluribus,vt omnes intelligāt,confirmabo.

Nego vllum tàm illuſtrę;tamque innuſitatum beneficij genus,quod vel communione ſanguinis & vſurâ lucis à parentibus,vel confirmatione & elegantiâ doctrinæ à magiſtis; vel ſuauitate conuictus, fide & officiorum multitudine ab amicis,vel denique vlla fortunarum,aut cuiuſque modi rerum facultate à cæteris hominibus,quibus nos ciuile ius, & quædam vitæ cōmuniras adſtrinxit, nullum inquam beneficij genus, quod proficiſcatur ab iis, qui Angelorum cura,ſtudio, vel procuratione quodammodo contineatur.

Prima Pars diſtributionis à Parentibus.

Age verò vt omittamus ſingula numerando beneficia recordari, quæ partim noſtris Parentibus, partim iis Angelis, qui nos in ſuam adſcripſere clientelam, accepta referre poſſumus. Enimverò,ſi vim & rationem paternæ dignitatis,ac neceſſitudinis,apud nos obtinent illi propter quos vitalem hunc ſpiritum,lucemque hauſimus,quis eamdem vis cuſtodibus Angelis non concedat?qui ſimul ac maternis viſceribus inſedimus,ſic inuigilare,ſic operam noſtrę ſaluti dare cœperunt,ne priùs illis incluſi tenebris extingueremur,quàm lucem hanc aſpicere poſſemus.Qui deinde nos exſolutos vtero, ſordidiſque partus integumentis reuolutos,& in vitæ ſtationem receptos ſic aluerunt, vt ſi rectè ratiocinari volumus,non tàm nutricum vberibus, quàm tacitis illorum blandiciis,innutriti fuiſſe, nec tàm è matrum gremio,quàm ex eorum tutela pependiſſe,nec tàm in cunis,quam in eorum cuſtodia vagiiſſe infantes,lallaſſe,ac ſenſim adoleuiſſe videamur.

Quoties mille periculis,niſi cuſtodes Angeli ſtatim occurrerent, potuere tenelli fœtus in præcordiis matureſcentes diſcuti? quoties matrum ægritudine, vel repentino pauore, aut medicamentis abigi? quoties nutricum lapſu elidi? quoties in ipſis incunabulis præfocari? at iis omnibus malis tacitè obuiam iuiſſe cuſtodes nemo non vidit. Quare nos aut naturæ communis fragilitatem ignoramus quod turpe eſt, aut parum grato animo Geniorum cuſtodiam interpretamur, quod eſt impium, ſi minus eorum opem, quàm parentum operam neceſſariam nobis eſſe credimus, vt oriamur,& in lucem editi ſuſceptique, hoc cœleſti ſpiritu augeamur. Sin hoc cenſemus quantam religionem apud noſtros animos eorum neceſſitas poſſidere debet, qui vel æqualia, vel maiora, certè multò plura in nos quàm parentes ipſi beneficia, contulerunt.

Altera

Digitized by Google

Altera Pars diſtributionis à Præceptoribus.

Quod vti melius etiam atque etiam videaris, ad ea Præceptorum officia, quæ cœleſtes illi gubernatores hominum iure præcipuo quodam ac ſingulari ſua vendicant, tranſeamus. Sint ſanè tanti Præceptores, ſint eâ dignitate, quâ illos & Philoſophorum ex communi antiquitate repetita ratio, & clariſſimorum Principum magnifica laus eſſe voluit; an verò eorum munus eſt, aut ex omni retrò memoria celebratur aliquis tàm alicuius diſciplinæ, vel facultatis auctor nobilis, tàm inſtituendæ iuuentutis ſtudioſus, tàm ſuorum vtilitati conſecratus, ac deditus, qui ſe vel cum minimo Angelo docendi facultate, ſtudio, vel induſtria conferre audeat. Cœleſtes intelligendi præceptores teneras adoleſcentium mentes ad pietatem, & liberaliſſimas artes, non vno certo definitoque lucis tempore, ſed aſſiduè dies, noctesque informant; nos quidem illorum iuris & dignitatis vicarij loquendo præceptiones artis, ac virtutis in diſcipulorum aures infundimus; illi agendo in eorum ſenſibus, animiſque inſcribunt. Nos digitum in arcem Eloquentiæ, vel humanæ, diuinæque Philoſophiæ fontes intendimus; illi abruptum iter multis interceptum diuortiis, multis circumſeptum difficultatibus aperiunt, ac ſternunt. Nos puerorum animos ad ingenuas artes capeſſendas impellimus; illi mentis diſſipata caligine eoſdem imbuunt, ac fingunt, hôc felicius, quò propius ab ipſa facultate reſident animi. Nos verbis, vt poſſumus; illi cogitationibus optimis; nos ſententiarum aculeis, illi diuinis occultiſque facibus ſolidæ laudis, & immortalis gloriæ ſtudio inflammatas voluntates abripiunt. Illas à Deo, cuius & ad communicandum larga, & benefica natura, petunt & impetrant cogitationes mirificas, quæ non fuſis precibus, non votis conceptis, non noſtris vilis promeritis eblanditæ, aut expreſſæ, ſed nobis nec opinanantibus, ſæpè etiam reluctantibus iniectæ, ſimul atque exoriuntur, animoque fulgurant ſplendore ſuo, & violento quodam lenocinio, nos ad ſpem immortalitatis conuertunt. Non illos ingrati Clientis impietas, non diſcipuli contumacis aſperitas, non illos deſpicatiſſimi, abiectiſſimique tarditas ab illius vtilitatis proſequutione auertit, vel amor, e deterret. Quis ergo non illos parentum loco ac præceptorum numero pius habeat? quis non vltima veneratione genios proſequatur, à quorum procuratione diuina in nos ab immortali numine beneficia promanarunt? quis non talium magiſtrorum memoriam incredibili beneuolentia complectatur?

Tertia Pars ab Amicis.

Iam vero ſi quid amicos diligimus, quibus ad vtilitatem, vitæque ſuauitatem, ac honeſtatem vimur, quis illorum impenſiſſimam erga nos voluntatem, & inductionem animi, in noſtris precibus fidem, in rebus aduerſis mœſtitiam ſuauiſſimo pietatis, & amoris ſenſu recordari queat? Si noſtra vſque adeò natura ex ſeſe tenuis & abiecta, parentum autem ſic deformata ſordibus, debilitata vitiis, & exhauſta luxu, vt morbi ſæpè adſint, mors ſemper impendeat, multoque plures huius vitæ ærumnas conqueri, quàm eius opportunitates gloriari videantur, quo tandem animo, quâ pietate nos in beatiſſimos illos ſpiritus eſſe oportet, cùm rerum noſtrarum curam vt amici fideles recipere, cùm ſalutis noſtræ defenſionem amplecti, & ad omnia nobis vitæ procuranda præſidia, commodaque deſcendere non grauentur.

Si tanta eſt egeſtas animi, tanta mentis noſtræ cæcitas, vt non modò nihil in poſterum præſentire, ſed ne pericula quidem, quæ nos circunſtant proſpicere poſſimus: ſi tàm eſt inexplebile Dæmonis in nos odium, vt cùm iam tot mortalium ruinis, & funeribus ſe pauerit, tamen ad reliquorum peſtem, exitium ſe nouis quotidie maleficiis excitat; obſecro vos quis ab Angeli tutela, præſidioque diſcedat? quis ab illius amicitia prudens ſecedat? dubitabitis vos iam pridem funditus inte

niſi quos eadem innaſit laſciuiendi temeritas, à tua conſuetudine repellas, non exiſtmas deterreri abs te Angelum, atque refugere, qui ne leuiſſimas viſus eſt vnquam ſine pudore gemituq; maculas intueri? O miſerum quod eum peccandi libidine abeſſe cogas! quod abeſſe ſentias!

Nam fac eum adeſſe: tu igitur hunc dolorem inuris tãtæ maieſtati, cuius oculi, & curæ omnes in te vno defixæ habitant? tu Parenti à quo ſemel communem ſpiritum, ſæpè autem precariam incolumitatem, & ſalutem acceperis? tu Præceptori, à quo nihil deſiderare poſſis præter peccandi licentiam? tu Amico, qui te oculis, auribus, perpetuoque complexu tenere cupiat, qui ne in periculo quidem cum cæteris Angelis colluctandi, in grauiſſimis diſcordiis, deſerere defenſionem velit.

Sed perge ſcelerate, ſi neminem alium ſaltem oblectas hoſtem infenſiſſimum humani generis quo cum iſte tuæ ſalutis, & libertatis aſſerendæ cauſa dies, noctesque dimicat. Tu eius aſpectum, & mentem recreas, qui nihil vnquam hilarioribus oculis aſpexit, quam conſcientiæ tuæ labes, ac vulnera: tu illius furores ſuſtentas, qui in omnem occaſionem intentus, atque imminens, hoc vnum molitur, hoc pugnat, vt te repente fracta, vel obtorta gula, non modò ſtatione vitæ, ſed etiam in perpetuum ſpe ſalutis exturbet; eius crudelitatem exſaturas, qui lucrum ex tuis damnis, ex tuis ſuppliciis immortales ſibi quæſtus conflari putat.

Sed me reuoco, qui ſermonem hunc cogitatione tantùm attigi. Quid? nos cuſtodis Angeli patrocinium, opemque negligere? nos illius charitatis obliuiſci? cultum eius ſine ſcelere, ſine impietate poterimus aſpernari? qui nõ vana, & falſa, ſed expreſſa; non ficta, & hominis ingenio adumbrata, ſed ſingularis Dei artificio commẽdata, naturæ vi, atque dignitate omnes mortales anteit, qui cùm ad perpetuam domeſticamque tutelam nobis tanquã puer honorarius cœleſti, diuinoque munere ſit delegatus, nihil aliud laboret, nihil contendat, nihil expetat, quam vt ſuæ moderationi nos credere velimus, in ſuis conſiliis acquieſcere, adminiculis, & ſubſidiis ad beatæ vitæ ſpem eniti.

O ſtolidi & inſani hanc ſi opem repudiamus ingrati ſi aliquo die, vel tempore memoriam huius tanti honoris, atque beneficij definiamus! impij ſi nobiliſſimum, & amantiſſimum cuſtodem contemnamus! contemnamus autem imò niſi eum flectere, & deuincire votis omnibus, ſummaque pietatis contentione ſtudeamus.

PVNCTVM V.

Congeries Cauſarum.

CAuſarum denſatarum conglobatio ſingularis eſt ad amplificandum. Cic. pro Mil. Clodium inſidiatum eſſe Miloni probat, quia ſceleſtus, quia oderat eum, quia honores ambiebat, qui ſperabat impunitatem. Pro lege Man. bellum eſſe difficile, ac periculoſum, quia coniungunt illud Reges potentiſſimi, renouant agitatæ nationes, ſuſcipiunt integræ gentes, nouus eſt Imperator, qui reſiſtit.

Idem pro Sext. per allegoriam mixtam, & propriis verbis temperatam, cauſas proponit, cur non mortem pugnans oppetierit, vt nec inultus moreretur, & ſe tùm ab inimicorum vexatione, tum ab exilij dedecore, moleſtiaque liberaret, n. 46. *Cùm in hanc Reip. nauem, ereptis ſenatui gubernaculis fluitantem in alto tempeſtatibus ſeditionum ac diſcordiarum, armatæ tot claſſes, niſi ego vnus deditus eſſem, incurſuræ viderentur: cùm proſcriptio cædes, direptio denunciarentur: cùm alij me ſuſpicione periculi ſui non defenderent, alij vetere odio bonorum incitarentur, alij inuiderent, alij obſtare ſibi me arbitrarentur, alij vlciſci dolorem ſuum aliquem vellent, alij remipſam publicam, atque hunc bonorum ſtatum, otiumque odiſſent, & ob haſce cauſas, tot tamque varias me vnum depoſcerent, depugnarem potius cum ſummo non dicam exitio, ſed periculo certè veſtro, quàm non id quod omnibus impendebat vnus pro omnibus ſuſciperem, ac ſubirem.*

Vt Clodium vocet in odium, & inuidiam Cic. cauſas affert, cur etiamſi inſidiator non fuiſſe dicatur, tamen iure cæſus videri poſſit; qui tanta impunitate per omnia facinora faciendis cædibus, diripiendis ciuium bonis, & omni iniuſtitiæ genere graſſatus eſt, tanta impudentia, ſe in om-

nium libidinum cœno volutauit, vt nihil eſſe, nefas, nihil illicitum eſſe videretur. Sic autem illum vrger, n. 74. *Eum cuius ſupplicio ſenatus ſolemnes religiones expiandas ſæpè cenſuit, cum qui ciuem quem ſenatus, quem populus, quem omnes gentes, vrbis ac vitæ ciuium conſeruatorem indicabant, ſeruorum armis exterminauit: eum qui regna dedit, ademit orbem terrarum quibuſcum voluit, partitus eſt; eum, qui pluribus cædibus in foro factis, ſingulari virtute, & gloria ciuem domum vi, & armis compulit: eum, cui nihil vnquam nefas fuit, nec in facinore, nec in libidine: eum, qui ædem Nympharum incendit, vt memoriam publicæ recenſionis, tabulis publice impreſſam extingueret.*

Ingenij florem, ac eruditionis in Senatu reperiri ex hoc loco cuius probare facile eſt. Ego Sanatum illum appello, ego ſubſidium afflictæ, laborantiſque patriæ, ego propugnaculum fori, arcem æquitatis publicæ portum charitatis. Imperialem Curiam, delectum illum ſapientiſſimorum hominum, quos ex tota Imperij amplitudine in Academiarum lucem, propter ingenium; ex Academiis in fori theatrum, propter eruditionem: ex foro in Iudiciorum tribunalia, propter integritatem: ex Iudiciis in conſiliorum Templum, propter Sapientiam: denique propter admirabilem diuinarum huiuſmodi partium cõplexionem imperij, & gloriæ domicilium, Vt quemadmodum huic rei vniuerſitati Præſides ſuos, ac Tutelares genios præpoſuit Deus Immort, qui tanquã vigiles excubarent; ſic illi tanquam in ſpecula conſtituti Remp. tuerentur vniuerſam, partes imperij omnes ſalubri temperamento componerent. Populorum patroni fideles, ſanctioris conſilij principes, legum ac iudiciorum interpretes, improborum vltores, iniuriarum repreſſores; denique quos ad ordinis ſplendorem purpura, quos aureis fibulis ad gradus prærogatiuam, quos Aquiligeris puluinaribus, auguſtis titulis, tôto illo Imperiali apparatu, ad ſupremæ maieſtatis ſanctitatem, Imperatores ipſi condecorarunt.

P V N C T V M VI.

Congeries effectorum.

VT cauſæ ad amplificandum, ſic effecta rei alicuius congeruntur. quorum multitudo in laude admirationem parit, in vituperio ciet indignationem. Effectuum cumulus eſt apud Cic. dùm vitæ perniciem, ac interitum animæ voluptatem deſcribit Dialogo de Senect. vt maturæ illius ætatis fructus amplificet, quæ peſſimos æſtuantis ætatis, ac, libidinibus perditæ motus cohibet n. 39. Verris libidines Act. 3. r. 78. *Tantane tuæ libidines erunt, vt eos capere. ac ſuſtinere non Prouinciæ pop. Rom. non exteræ nationes poſſint? Tûne quod videris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, niſi id ad nutum tuum præſtò fuerit, niſi libidini tuæ, cupiditatiq; paruerit, immittentur homines? expugnabuntur domus, ciuitates non modò pacatæ, verum etiam ſociorum, atque amicorum ad vim, atque ad arma confugient, vt ab ſe, atque à liberis ſuis legati populi Rom. ſcelus atque libidinem propulſare poſſint?*

Diuitiarum cupiditatem inſanam, malorum originem omniũ ex effectis colligere licet. Quis Sapiens dubitet cupiditatem eſſe fontem malorum omnium radicem ſcelerum, culparum fomitem, delictorum materiam; propter quam nec terra, nec maria, nec vllus omninò locus, aut ſecurè inhabitatur, aut ſine pauore tranſitur? huius igitur concupiſcentiæ cauſa prædones in fluctibus, in itineribus latrones, in vicis & vrbibus fures, & in omni regione raptores. Propter hanc circumuentiones, rapinæ, mendacia, periuria, falſa teſtimonia, fraudes, impietates, crudelitates & quæcunque eſſe nefandorum facinorum genera poſſunt. Huius cauſa quotidie innocentium cauſa polluitur, ſpoliatur pauper, miſer opprimitur, nec viduis, aut orphanis parcitur. Propter hãc omnibus penè momentis res diuina contẽnitur, & aſſiduis præuaricationum generibus decretum cœleſte violatur. Huius cauſa nonnunquam expugnatur pudor, caſtitas vincitur, & per illicitas voluptates impudẽs libido vagatur. Per hãc ſæpè parricidia, partim votis, partim operibus

Digitized by Google

bus perpetrantur. Dùm enim quis ad diuitiarum poſſeſſionem nimiâ, & impatienti auiditate feſtinat mortem parentibus, aut optat, aut irrogat.

Sic veterum ſolertiam, & ingenium ornabis commemoratis omnibus quæ ingenioſè ab illis, vel excogitata, vel perfecta ſunt. Nam quid eorum inuenta perſequar? quid ſapientiæ aut induſtriæ prodigia? cum mutis cantum, vitam, motumque inſpirarunt inanimis cùm matalla mugitum; Dædali ſuſtulere volatum, cùm ſibilarunt angues in aëre, volucres ſimulatè fritinnierunt, organa peregrinis flatibus inſonuerunt: quid hic in luce, atque oculis ponā Protegenis Hyalifon, quo nouus Iupiter incluſus cucurriſſe nimbos, pluiſſe, grandinaſſe, tonuiſſe, fulguraſſe, fertur? quid Archimedis fulmina? quid Semiramidis penſiles hortos? quid Ægypti Pyramides? quid fræna maris; quid Templa Salomonis orbis miracula? ſcilicet rudes populos expoliuit antiquitas, hæc rerum omnium ignaros pulchris imbuit diſciplinis: hæc ore, & manu ſenſa promere, hæc homines eſſe, & humana agere docuit, hæc iura legeſque ciuitatibus deſcripſit, hæc mundum adhuc penè i forme ornauit; hæc denique quidquid artium eſt ſolerter inuenit, ac poſteris ſuis tradidit, cùm miſeri cruda glande veſcerentur, cùm nudi inueſteſque diſcurrerent, cum bruta ſtoliditas homines, feras, agros, ſyluas, omnia miſceret, cum nulla commercia; nullus eſſet voluptatum, ac deliciarum vſus; ſed horrida barbaries ignauum otium, atque ex otio æterna inopia, & vaſta magno orbe ſolitudo.

Sic Solem ab effectis conglobatis commendabis. Nolim religioſo nimis cultu Solem venerari mirari tamen licet aſtrum iſtud aureum, ac intueri Iouis oculum, lucis parentem, quippe quo nihil eſt in hoc ſpectabili mundo, vel ad ſpeciem pulchrius, vel ad rerum gignendarum commoditatem fœcundius, vel ad incredibilem rerum omnium varietatem in humanos vſus inuehendam efficacius. Sol is eſt qui vitalem vim; ac ſalutarem corporibus atque animātibus communicat; qui hoc eſt in æthere, quod in animali cor, truncus in arboribus; animus in homine: qui vices temporum, annorumque nouo ſemper flore redeuntes ex vſu naturæ temperat, eiuſque partes ita diuidit, vt inter ſe non ſecus ac in choro, nectantur: cuius vis ac poteſtas motus reliquorum ſyderum conſtituta dimenſione moderatur, & ipſos Stellarum ignes colluſtrat; cuius influxus in abditiſſimos vſque receſſus penetrat, terræque viſcera peruadit, vbi gemmas, & aurum progenerat. Is eſt qui Meſſes inaurat, fœcūdat arbores, colorat prata, vites purpurillat, vireta pingit, hortorum areas florum pigmentis illuminat, quem denique Deus quaſi pulcherrimum ſui ſimulachrum in communi conſtituit.

Interdum venuſtè per ſubiectionem conglobantur effecta, quod Cic. pro lege Man. num. 61. *Quid tàm nouum, quàm adoleſcentem priuatum difficili Reip. tempore. exercitum confeciſſe? confecit; huic præeſſe? præfuit. Rem optimè ductu ſuo gereret? geſſit: quid verò tàm inauditum quàm Equitem Rom. triumphare? at eam quoque rem populus Rom. non modo vidit, ſed id omni ſtudio viſendam putauit. Quid tàm inuſitatum?* &c.

Crudele bellum Antonij, peſtem, vaſtitatem, cruciatum, tormenta omnibus denuntiantis per effecta ſubiicit. Cicer. 14. Phil. n. 8. *Refugit animus eaque formidat dicere, quæ L. Antonius in Parmenſium liberis, & coniugibus effecerit. &c.*

Libidinis & intemperantiæ varios effectus conglobat, vt damnet Diu. Ambroſ. lib. de Cain. c. 5. *Sæuus criminum ſtimulus eſt libido, quæ nunquam manere quietum patitur affectum: nocte feruet, die anhelat, de ſomno excitat, à negotio abducit, à ratione reuocat, aufert conſilium amentes inquietat, lapſos inclinat, caſtis inſidiatur, potiendo inflammat: vſque accenditur.*

PUNCTUM. VII.

Congeries concomitantium & conſequentium.

EST hic fons cum præcedenti coniunctus; mirè autem efficax, aut ad ſuadendum, aut diſſuadendum, ad virtutes, aut vitia exaggeranda, cum ea videlicet, ſeu bona, ſeu mala, com-

Digitized by Google

moda ſiue incommoda, quæ virtutem, aut vitium, aut rem omninò aliam vt plurimum comitantur conſequunturque, enumeramus. Pro Mur. n.85. *Sed quid tandem fiet, ſi hæc elapſa de manibus noſtris, in eum annum qui conſequitur, redundarint. Illa peſtis immanis importuna Catilina prorūpet, qua poterit, & iam populo Rom. minatur, in agros ſuburbanos repentè aduolabit, verſabitur in caſtris furor, in curia timor, in foro coniuratio, in campo exercitus, in agris vaſtitas, omni autē in ſede, loco, ferrum, flamamque metuemus.*

Pulchrè nonnumquam per hypotipoſim congeruntur hæc conſequentia. 4. in Catil n 11. *Videor mihi hanc vrbem videre, lucem orbis terrarum atque arcem omnium Gentium ſubito vno incendio concidentem: cerno ſepultam patriam, miſeros, atque inſepultos aceruos ciuium; verſatur mihi ante oculos adſpectus Cethegi, & furor in veſtra cæde bacchantis.*

Paulò longior eſt hæc idea quæ illuſtri ſimilitudine extenditur. Si Sol luminum reliquorum moderator deficeret, aut extingueretur, rerum ſimul omnium moderatio interiret, è medio aureus ordo tolleretur, vna confuſio regnaret, in luctu, in tenebris iacerent omnia, vinetorum pulchritudo, & dignitas deflorеſceret, herbarum florumque ridens pictura ſordeſceret, frugum vbertas exareſceret, Regiarum ædium decor obſoleſceret, auri gemmarumque ſplendor contenebreſceret, hominis ipſius vita inter ancipites librata periculorum aleas ærumnoſiſſimè luctareтur; Quid enim? Pelago te committeres? te fluctus irati maris abſorberent. Terram pedibus peragrares? at præceps rueres in foueam, in interitum. Domi placeret ad ſecuritatem conſiſtere? at in parietes & abacos offenderes. Iam verò Rex veluti ſol eſt longè lateq; omnibus regni ſui partibus collucens: fac Regiæ dominationis maieſtatem ruere, fac oppreſſa per inauditam licentiam Monarchia, Democraticam imperitare petulantiam. Deus Immortalis! Ex hac præpoſtera, prodigioſaque conuerſione, quanta in omnes ordines calamitatum diluuia redundabunt? Videbis turbulentiſſimas illicò tempeſtates excitari: regnabunt ſcelera; nulla improbis ſupplicia ſtatuentur: nulla benemeritis præmia decernentur, quia etiam ab ſceleratiſſimis hominibus, & prementur innocentes, & opprimentur; ius humanum, ciuile, diuinum impunitate leges proculcante violabitur: omnia denique peruellentur, fundituſque perfringentur regnorum temperamenta: verbo dicam, æquitate, pace, concordia, virtutibus omnibus eliminatis improbitas, iniuſtitia, perfidia graſſabuntur, regnumque ipſum è concordiæ domicilio in furioſorum hominum perditorumque receptaculum conuertetur.

PVNCTVM VIII.

Congeries contrariorum.

VNiuerſa claſſis cōtrariorum maximè per antitheſim amplificationem reddit illuſtrem. Pro Mur. n. 88. *Habet magnum dolorem, vnde cum honore deceſſeris, eodem cum ignominia reuerti.*

Horret ac refugit animus ea commemorare damna, quæ per hæreſim, ac rebellionem in benè temperatas prouincias, regnaq; florentiſſima importata ſunt. Vidimus proh dolor! omnia iuris humani diuiniq; repagula perfringi, leges violari; vidimus impietate iuſtitiam, pietatem perfidia, continentiam libidine, ignauia, ſuperbia fortitudinem, fidem fraudatione, omnes denique virtutes, vitiorum omnium colluuione ſuperari.

Ex his colligitur quàm grauis & potens ſit hæc Amplificatio, quæ ex contrariarum rerum comparatione fit. Talis eſt Oratio qua præcones impietatis ac falſitatis hæretici, cum Doctoribus pietatis veritatiſque componuntur. Me quidem errantium miſeret, qui ad Syllam hæreſeos ac libidinis ſcopulos, fidei ſalutiſque naufragium fecerunt. Sed qua ſimilitudine pudoris vacui, rationiſque impatientes noſtris hominibus cohærere poſſunt, aut potius quàm longo deceptores à paſtoribus noſtris diſſident interuallo? Illi pulmonibus ſanie fluentibus aërem veritatis dulcem illum ac vitalem nec hauriunt, nec alios reſpirare patiuntur: Noſtri ſalutis auram vbique ſpirāt, ac Erebo deuotos ad veri Numinis cultum ad Religionem conuertunt. Illis malus Dæmon, vt furoris adminiſtris luem atque perniciem eructat ad extinguendum omne decus pietatis: Noſtros Chriſtus

Chriſtus ad propagandum vbique Dei venerationem adhibet:Illi nefandas opiniones,vt peſtilens Medea virus, ſpargunt id ignaros & imbecilles capiendos:Noſtri Hercules Apotropæi ſublatis vitiorum monſtris medicamenta parāt, ad peſtilentem ſerpentis veneni vim retundendam:illi non minus modeſtiæ & caſtitatis,quàm Religionis inimici ſuos libidinibus furētes reddunt; noſtri caſtos & amantes puritatis ſuos efficiunt:illi ſuos in aliena miſeria ferreos & crudeles volunt: Noſtri ſuos ad miſerorum ſubleuandum inopiam inſtruunt: Illi præcones falſitatis ſacris codicibus ad ſuam nequitiam, & aliorum perniciem abutuntur:Noſtri Doctores veritatis conſilii ſui luce montiſque plurimos erudiunt ad ſalutē:Vigilant illi vt innocētes Chriſti cauſas diſſipent: Noſtri Paſtores, vt lupos arceant: Illi in deſerta ſolitudine,aut ramoſis mapalibus ſuas ineptias,ac malæ mentis ſomnia garriunt: Noſtri in auguſtiſſimis delubris diuinæ legis myſteria ſuos edocent:Illi denique faces ad incēdia præferunt,ferrum ad cedem & carnificinam acuunt: Noſtri faces amoris ad illuſtrandam Religionem accendunt, arma pietatis, vt pacis inſtrumenta, præparant ad omnium felicitatem. Et erit tam mentis inops aliquis tamque ſalutis oblitus qui talium conſuetudine teneatur? qui ſceleratorum dicta,velut ſapientum decreta,vel etiam miſſa diuinitus Oracula auribus excipiat? qui Sacerdotibus noſtris diuinæ gloriæ præconibus & adminiſtris componat vel etiam anteponat flagitioſos apoſtatas, nugatum buccinatores verbo dicam nefarios communis hoſtis imitatores,hoc eſt mendaces.

Hinc Laurentius Iuſtin. de ligno vitæ cap.4. probat nos Dæmone pejores, cùm peccamus. Quoniam ille nuda præcedente peccati vindictâ ſuperbiens peccauit:nos viſa eius pœna cōtemnentes ad peccata propetavimus:ille in innocētia conſtitutus,nos reſtituti:ille perſiſtit in malitia Deo reprobante;nos Deo revocante:Ille induratur ad punientem,nos ad blandientem,& ſi contra Deum omnes,ille contra nos requirentem ſe,nos contra morientem pro nobis.

Miro artificio Tull. in Iudicum benevolentiam illabitur cōmemoratione ſui in illos amoris & gratitudinis, quibus iraſci non poſſit ob vulnus acceptum. Pro Mil. n. 100. *Nec verò ſi mihi eripueris reliqua eſt illa tamen ad conſolandum querela, vt his iraſci poſſim à quibus tantum vulnus accepero. Non enim inimici mei te mihi eripient, ſed amiciſſimi; non malè aliquando de me meriti, ſed ſemper optimè.*

Et illud, *O ſpectaculum illud non modò hominibus, ſed undis ipſis, ac littoribus luctuoſum, cedere patria ſervatorem eius, manere in patria proditorem.*

Diſſimilium conflictione Cic. probat Cœlium nunquam Reip. defuturum, & comparatione inter illum & Clodium,qui non ita pridem abſolutus fuerat, inſtituta, Iudices ab eiuſdem damnatione deterret. Pro Cœl.n.78. *Neque enim poteſt, qui hominem Conſularem, quod ab eo Remp. violatam diceret in iudiciū vocarit, ipſe eſſe in Rep. civis turbulentus: non poteſt qui ambitu ne abſolutum quidem patitur eſſe abſolutum, ipſe impunè vnquam eſſe largitor. Habet à Cœlio Reſp. duas accuſationes, vel obſides periculi, vel pignora voluntatis. Quare oro obteſtorq; vos, vt qua in civitate paucis his diebus Clodius abſolutus ſit, quem vos per biennium, aut miniſtrum ſeditionis, aut ducem vidiſtis; in ea civitate ne patiamini illum abſolutum muliebri gratia Cælium libidini muliebri condonatum.*

Ab iiſdem diſſimilibus non eſſe timendos Catilinæ ſocios monet. 2. Act. n. 24. *O bellum magnopere pertimeſcendum, cùm hanc ſit habiturus Catilina ſcortorum cohortem Prætoriam. Inſtruite nunc contra has tàm præclaras Catilinæ copias, veſtra præſidia, veſtroſq; exercitus: & primum gladiatori illi confecto, ac ſaucio, conſules imperatoreſq; veſtros opponite: deinde contra illam naufragorum ejectam, ac debilitatam manum, florem totius Italiæ, ac robur educite: Iam verò vrbes Coloniarum, ac municipiorum reſpondebunt Catilinæ tumulis ſilveſtribus: Neque verò cæteras copias, ornamenta, præſidia veſtra, cum illius latronis inopia, atque egeſtate debeo conferre.*

A contentione rerum pugnantium Milonem in patria retinendum perſuadere conatur Iud.n. 104. *Nolite obſecro vos pati mihi acerbiorem reditum eſſe quàm fuerit ille ipſe diſceſſus. Nā qui poſſū putare me reſtitutum eſſe, ſi diſtrahor ab iis, per quos reſtitutus ſum Hiccine vir patriæ natus, vſquā, niſi in patriâ morietur? aut ſi fortè pro patria: huius*

Digitized by Google

vos animi monumenta retinebitis? corporis in Italia nullum ſepulchrum eſſe patiemini? hunc ſua quiſquã ſententia ex hac urbe expellet, quem omnes urbes expulſum à vobis, ad ſe vocabunt?

Ab hoc loco Saturium liberè conuincit & illum pugnantia loqui contra Comœdum aſſerit num. 18. *Quid tu Saturi, qui contra hunc venis, exiſtimas aliter: nonne quotieſcunque in cauſa, in nomen huius incidiſti, toties hunc & virum bonum eſſe dixiſti, & honoris causâ appellaſti? quod nemo niſi aut honeſtiſſimo, aut amiciſſimo facere conſueuit. Qua inre mihi ridiculè es viſus eſſe inconſtans, qui eundem & lederes, & laudares: & virũ optimum, & improbiſſimum eſſe diceres, eundem tu & honoris cauſa appellabas, & virum primarum eſſe dicebas, & ſocium fraudaſſe arguebas: ſed, vt opinor, laudem virtuti tribuebas, crimen gratia concedebas; de hoc, vt exiſtimabas, pradicabas.*

Præcipit Tull. vt hoc genere contrariorum frequẽter Orationem noſtram illuſtremus, quod & ad fidem valet plurimum, & ad ornatam Orationem numeroſamq; efficiendam confert. Illa ſingularis eſt ex adverſis contentio. Pro Mil. nu. 42. *Quem igitur cum omnium gratia noluit; hunc voluit cum aliorum querela: quem jure, quem loco, quem tempore, quem impunè nõ eſt auſus, hunc injuriâ, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis, non dubitauit occidere.*

A repugnantibus conglobatis euincit Cœlium non fuiſſe fractum deliciis, ac voluptatibus deditum, qui forenſem Eloquentiam profeſſus ſit nu. 47. *An hic, ſi ſeſe iſti vita dediſſet, Conſularem hominem adoleſcens in judicium vocauiſſet: hic ſi laborẽ fugeret, ſi obſtrictus voluptatibus teneretur, in hac acie quotidie verſaretur? appeteret inimicitiam: in judiciũ vocaret? ſubiret periculum capitis? ipſo inſpectãre populo Rom. tot menſes aut de ſalute, aut de gloria dimicaret?*

P a n c t v m II.

Congeries adiunctorum.

Creberrima juxtà, & pleniſſima eſt Amplificatio quæ ab omnibus ſeu rerum, ſeu perſonarum adjunctis, ac circunſtantiis ducitur: quales multæ paſſim occurrunt apud Ciceronem: hæc adiunctorum momenta quantum Amplificationi conferant ſatis oſtendit D. Hieronymus dicendi facultate, non magis, quàm vitæ ſanctimoniâ clarus, dùm cuiuſdam Monachi crimen virginem ad ſtuprum fugamque ſollicitantis ſingulari artificio exaggerat. lib 2. epiſt. 3. Infeliciſſime mortalium tu ſpeluncam illam in qua Dei Filius natus eſt, & terra noſtra dedit fructum ſuum, de ſtupro condicturus ingrederis? non times, ne de Præſepi Infans vagiat? ne puerpera Virgo te videat? ne Mater Domini contempletur? Angeli clamant, Paſtores currunt, Stella deſuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Hieroſolyma conturbatur: & in cubiculum Virginis decepturus Virginem, irrepis? Paueo miſer, & tàm mente, quam corpore perhorreſco, ponere tibi volens ante oculos tuos opus tuum.

Tota Eccleſia nocturnis Vigiliis Chriſtum Dominum perſonabat, & in diuerſarum Gentium linguis vnus in laudibus Dei Spiritus concinebat: Tu inter oſtia quondam Præſepis Domini, nunc Altaris, amatorias Epiſtolas ſulciebas, quas poſtea illa miſerabilis, quaſi flexo adoratura genu, inueniret, & legeret. Et ſtabas deinceps in Choro pſallentium, & impudicis nutibus loquebaris. Prohnefas! non poſſum vltra progredi. Prorumpunt lacrimæ ante, quàm verba, & indignatione pariter ac dolore in ipſo meatu faucium ſpiritus coarctatur. Vbi mare illud eloquentiæ Tullianæ? vbi torrens fluuius Demoſthenis? nunc profectò muti eſſetis ambo, & veſtra linguâ torpeſceret. Immenſa res eſt, quàm nulla Eloquentia explicare queat. Repertum eſt facinus, quod nec Mimus fingere, nec Scurra ludere, nec Attellanus poſſit effari. Nihil dico amplius venerabilis Præſepis, & campi me non ſinunt plus credere, quàm te voluntate tantùm, & animo corruiſſe.

Miſer! nonne quando in ſpelunca cum Virgine ſtare cœpiſti caligauerunt oculi tui, lingua torpuit, conciderunt brachia, pectus intremuit, nutauit inceſſus; A veſperè vſque manè, fæneſtræ illius aſſides, & quia propter altitudinem, hærere vobis cominùs non licebat, per funiculum vel accipis aliquid, vel remittis. Vide quanta diligentia Domini fuerit, vt nunquam domi Virginem,

Digitized by Google

nemniſi in Eccleſia videris, cùm talem vterque veſtrum habuerit voluntatem, niſi per feneſtram nocte facucultas vobis non fuerit colloquendi. Oriebatur tibi Sol invito, exanguis, marcidus, pallidus, vt ſuſpicioni omni careres, Euangelium Chriſti, quaſi Diaconus lectitabas. Nos pallorem ieiunii putabamus, exangues os contra inſtitutum, ac morem tuum quaſi confectum vigiliis mirabamur.

Iam tibi & ſcalæ per quas deponeres miſeram, parabatur: jam iter diſpoſitum, decreta nauigia, condicta dies, fuga animo pertractata: Et ecce Angelus ille cubiculi Mariæ janitor, cunarum Domini cuſtos, & infantis Chriſti gerulus coram quo tanta faciebas, ipſe te prodidit. O funeſtos oculos meos! ô diem illum omni maledictione digniſſimum, in quo Epiſtolas illas tuas, quas hucuſque retinemus, conſternata mente legi! Quæ tibi turpitudines? quæ blandiciæ? quanta de conducto ſtupro exultatio? hæccine Diaconum, non dicam loqui, ſed ſcire potuiſſe? vbi miſer iſta didiciſti, qui in Eccleſia te nutritum eſſe jactabas? niſi quod in eiſdem Epiſtolis juras te nunquam pudicum, nunquam fuiſſe Diaconum. Si negare volueris manus tua te redarguet, ipſi apices proclamabunt.

Habeto igitur interim lucrum ſceleris, non poſſum tibi ingerere quod ſcripſiſti. Non doleo de maledictis, hoc plango quod te ipſe non plāgis, quod te non ſentis mortuum, quod, quaſi gladiator paratus libitinæ in proprium funus ornaris. Amiciris linteis, digitos annulis oneras, dentes puluere teris, raros in rubēti Caluaria digeris capillos: taurina cervix, toris adipeis intumeſcens, nec, quia propter libidinem fracta eſt inclinatur: Super hæc vnguenta fragras; mutas balneas; & contra renaſcentes pilos pugnas: per forum ac plateas, nitidus ac politus amator incedis. Convertere miſer ad Dominum, vt ad te Dominus convertatur.

Ex his deſcribes Rupellam, & ad rebellionem olim opportuniſſimam dices. Non armata ſatis videbatur hæreſis, ſatiſque tuta ad perfidiam, ſi non illa rupibus cōſediſſet aſperrimis, ſi non rebellantibus magis fluctibus, & ipſa furentis Oceani perfidia fuiſſet inſtructa, ſi nō facta colluvione transfugarum & æſtu perditorum habuiſſet cōtumaces Apoſtatas ſi maritimæ fœcis nautica barbariæ plena magiſtratus nō haberet ſcelerum artifices. Neque verò tàm latè fuit diffuſa, vt longius in terram diſcedens pateret periculo ſed ita in orbem collecta, vt paruo militum numero ingentes rideret exercitus.

Circumdabant infeſta perduellium clauſtra, non turres, ſed arces, nec portetat Auernalis illa hæreticæ furiæ cauerna ſuis incluſa rupibus, fluctibus cincta, obſeſſa mari, foſſis ad ſtygem propè depreſſa, alia, ferè parte, quàm Cœlo, qua patebat, & qua ſceleſta debuit expugnari. Nacta verò & ſalum eſt, & Cœlum, cui cum nihil deeſſet ad felicitatem, nec ad pertinaciam, ſecuritatemque defutura videbatur naturæ totius velut conſpirans conjuratio, ſed pietate facta melior naturapublico ſatellitio militauit in rebelles ſub invictoRege, qui vim numinis tùm obtinuit, cujus cauſam tuebatur: Qui frænum mari, habenas vētis flammas fulminibus, naturæ leges impoſuit, non minus ad opportunitatem certaminis, quàm ad gloriam, laudemque victoriæ, nec minus ad hoſtium infamiam, quam ad Dei ſemper triumphantis honorem & cultum.

Variis circumſtantiis Vatinii ſcelus amplificat, & ſordes auaritiæ damnat n. 22. deinde per adjuncta perſonarum eiuſdem criminis attrocitatem exaggerat. n. 25.

LECTIO X.

De Incremento.

Sequitur alter amplificandi modus quem Fabius primo loco poſuit vt efficaciſſimum. Fit autem amplificatio per Incrementum, cùm per gradus creſcit Oratio, & ad ſummum peruenit, in hoc differtā Congerie, quòd hæc ſatis habeat multas aut voces, aut ſententias ad propoſitum idem coacervare: In Incremento autem Oratio creſcat, neceſſe eſt. Id autem fit duobus modis potiſſimum.

Primò minus apertè cùm citra diſtinctionem graduum in ipſo contextu, & curſu Orationis ſemper

Digitized by Google

ſemper aliquid priore majus inſequitur. Obſtupuerunt,conturbati ſunt , toto corpore, atque artubus cohorruerunt.

Tu Chriſtiano , tu Dei ſervo, tu bonis operibus dedito exiſtimas aliquid defuturum?

Contemni ſe putant,deſpici,illudi.

Magna eſt virtus ſi non lædas,à quo læſus es: magna fortitudo,ſi læſus remittas magna gloria ſi cui potuiſti nocere parcas. Iſid. lib. 2. Soliloq.

Magna vitæ pars elabitur malè agentibus,maxima nihil agentibus,tota aliud agẽtibus.Senec

Tull. pro Roſc. Amer. Iudices ad vindictam de ſceleratis petendam hortatur.Num. 12. Petimus abs te Fanni,à vobiſque,Iud.vt quàm acerrimè maleficia vindicetis,vtquàm fortiſſimè hominibus audaciſſimis reſiſtatis:vt hoc cogitetis, niſi in hac cauſa,qui veſter animus ſit oſtẽdetis, eo prorumpere hominum cupiditatem , & ſcelus,& audaciam,vt non modò clàm, verũm etiã hic in foro, ante Tribunal tuum M. Fanni, ante pedes.veſtros Iud. inter ipſa ſubſellia cædes futuræ ſint.

Primus infimuſque gradus eſt *clam*;alter. *in foro*;tertius,*ante Tribunal*;quartus,*ante pedes*;quintus & ſummus, *inter ſubſellia*.

Pulchrè Tull.in Antonii vinolentiam invehitur per incrementem,vbi ſemper aliud alio majus intervenit.2.Phil.n.63.*Tu iſtis faucibus , iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauſeras , vt tibi neceſſe eſſet in populi Rom. conſpectu vomere poſtridie. O rem non modò viſu fœdam ,ſed etiam auditu. Si inter cœnam, in tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret ? in cœtu verò populi Rom. negotium publicum gerens , magiſter equitum , cui ructare turpe eſſet , is vomens, fruſtis eſculentis,vinum redolentibus gremium ſuum, & totum Tribunal implevit.* Habent ſingula incrementum;per ſe enim turpe erat , vel non in concione vomere , in cœtu etiam non populi, pop.etiam non Romani;vel ſi nullum negotium ageret,vel ſi non publicum, vel ſi non magiſter Equitum.

Ex hoc illuſtris eſt Amplificandi modus per dubitationem cum ſuſtentatione.in Verr.Act.6. n 88.*Verum hoc crimen videtur eſſe,& à me pro vno ponitur de Mercurio Tyndaritano.Plura ſunt,ſed ea quo pacto diſtinguere,ac ſeparare poſſim,neſcio. Eſt pecuniarum captarum, quòd ſignum à ſociis pecunia magna ſuſtulit. Eſt peculatus , quod publicè populi Rom. ſignum,de præda hoſtium captum,poſitum Imperatoris noſtri nomine,non dubitavit auferre. Eſt Majeſtatis,quòd imperij noſtri gloria,rerumq; geſtarum monumenta evertere,atque aſportare auſus eſt. Eſt ſceleris,quod religiones maximas violavit: Eſt crudelitatis, quòd in hominem innocentem,in ſocium atque amicum,novum ac ſingulare ſupplicij genus excogitavit.*

Secundò fit multò apertius, & efficacius cùm ſingulos gradus dividimus , & in ſingulis commoramur;& tunc ea quæ minora ſunt,& in gradu inferiore,magna facimus,vt quod vltimo loco ponitur,maximum eſſe videatur. Vt ſi heroïcum aliquod facinus,ſeu Martyris fortitudinem efferre velis,per varios fortitudinis gradus ad ſummum aſſurgas. Magnum fuit quod opes Lucia Virgo contempſerit ; maius quod parentum amorem exuerit,maximum quod vitam conſtantiſſimè pro Chriſti amore tormentis,& acerbiſſimæ morti volens obiecerit.

Semper ſeipſo major Tull. aſſurgit , cum de crudelitate Verris in Ciues Rom.agit eò rẽ per incrementum deducit , vt verba crimini explicando,non ſuppetant. *Quid dicam in crucem tollere? Nihil addi jam videtur ad hanc amentiam,improbitatem,crudelitatemque poſſe, & rectè videtur. Nam ſi cum aliorum improbitate certet , longè omnes multumq; ſuperabit ,ſed ſecum ipſe certat;id agit vt ſemper ſuperius ſuum facinus,novo ſcelere vincat.* 9.Verr.n.114.Vbi deinceps facinus aliis omnibus multò gravius ſubijcit.

Rerum incrementum, & verborum adhibet, vt impudentiam Antonii,& contumelias quibus patruum ſuum affecit,ſingulis circumſtantiis nomen ſuum attribuens.2.Phil.n.99.

Ad hoc etiam Amplificandi genus pertinet quod dicitur Extenuatio , quæ ſuperio opponitur,cum præcedentia quæ verè maxima ſunt , & videntur omnibus , elevemus vt quod ſequitur minus appareat.Sic Ariſtides in vrbis encomio Romanorum res,cum rebus antiquis , paruis licet ac tenuibus , comparat. Quæ porrò illa tenuis ? Perſarum Imperium ,Alexandri victoriæ, Græcorum potentiæ. Maxima inquit , quæque ſeligam,

ſeligam,quæ vos Romani fortaſſe ridebitis,nam maxima omnia deinceps minima reddidiſtis.Artificioſa planè Amplificatio;quantū enim,quàm potens,quàm amplum neceſſe videri Imperium, cuius comparatione, vel potentiſſima quæque, ampliſſimaque nullius nominis aut exiſtimationis fuiſſe videantur.

Pulchrè Tull.tes atrociſſimas, quaſque ſummam in inuidiam extulit, conſultò eleuat,quò grauiora videantur, quæ ſequutura ſunt. Verr.7. num.116. *Leuia ſunt hac in hoc reo crimina:metū virgarum Nauarchus nobiliſſima ciuitatis pretio redemit,humanum. Alius,ne condemnaretur, pecuniam dedit:vſitatum eſt. Non vult populus Rom. obſoletis criminibus accuſari Verrem:noua poſtulat, inaudita deſiderat. Non de Pratore Sicilia, ſed de crudeliſſimo fieri iudicium arbitratur, includuntur in carcerem condemnati, ſupplicium conſtituitur in illos.* Indè ſubintelligitur quantū futurum ſit facinus, per quod cæteræ immanitates, humanæ videantur.

Eſt & locus facilis pro Quinctio,cuius bona cum infamia,& dedecore vænierant.Nam Tull. bonorum iacturam,& infamiam ſigillatim extenuat,vt vtrumque coniunctam grauiſſimum appareat.N.48. *Ad hac extrema & inimiciſſima iura tàm cupidè decurrebas,vt tibi nihil in poſterū quod grauius,atque crudelius facere poſſes,reſeruares? Nā quid homini poteſt turpius,quid viro miſerius,aut acerbius vſu venire: quod tantum venire dedecus,quæ tāta calamitas inueniri poteſt? Pecuniā ſi cuipiā fortuna ademit, aut ſi alicuius eripuit iniuria;tamen,dū exiſtimatio eſt integra,facile cōſolatur honeſtas egeſtatē. At non nemo aut ignominia affectus,aut iudicio turpi conuictus:bonis quidē ſuis vtitur:alterius opes, id quod miſerrimum eſt, non exſpectat,hoc tamen in miſeriis adiumento,& ſolatio ſubleuatur. Cuius verò bona venierant:cuius nō modò illa ampliſſima fortuna,ſed etiā victus,veſtituſq; neceſſarius ſub pracone cum dedecore ſubiectus eſt:nō modò ex numero viuorum;ſed,ſi fieri poteſt,infra etiā mortuos amandatur. Etenim mors honeſta ſæpè vitam quoque turpē exornat:vita turpis ne morti quidem honeſta locum relinquit.*

Audacter ac piè contra Chriſti iuratum hoſtem Demetrianum ſtylum acuit D. Cyprian & aſſurgit incremento in eius perditos mores. *Parum eſt,*inquit,*quod furentiū varietate vitiorū, quod iniquitate feralium criminum, quod cruentarū compendio rapinarū vita veſtra maculatur: quod ſuperſtitionibus falſis Religio vera ſubuertitur:adhuc inſuper Dei ſeruos,& maieſtati, ac nominis eius dicatos iniuſtis percuſſionib. flagellatis: ſatis nō eſt,quod tu ipſe Dominū non colis adhuc inſuper eos,qui eum colunt,ſacrilegia inſectatione perſequeris.*

Aliàs cū ex iis quæ dicimus ratiocinādo collligit auditor,quātū ſit id quod amplificare volumus.Quod fit vel antecedētibus, vt cùm Homerus Achillē armat in præliū ex hoc enim apparatu colligimus,quàm atrox futura ſit pugna.

Tale eſt illud Maronis de Ventis ab Æolo emiſſis. —— *ac venti velut agmine facto,*

Quà data porta ruunt,ac terras turbine perflāt.

Etenim ex tam violenta atque præcipiti ventorum eruptione facilè quivis colligit,quæ ſit futura tempeſtas

Vel cùm ex coniunctis res amplificatur,quale fuit illud Virg.

Trunca manum Pinus regit,iacuitq; per antrum
Immenſum.

Indè namque colligitur, quàm portentoſæ magnitudinis fuerit,cui Pinus pro Scipione,& antrum pro cubili:

PVNCTVM XI.

De Ratiocinatione.

FIT cùm vt aliud creſcat, aliud augetur,vndè ad id quod extolli volumus ratio deducitur. Cùm Annibalis virtus amplificatur,vt maior ſit Scipionis,qui eū debellauit,gloria: Virg. Turnū magnopere laudat, vt maior Æneæ victoris virtus appareat:& fortitudinem Gallorū, Germanorumque miramur,quo ſit maior Cæſaris gloria:Neronis immanitatem deſcribimus, vt eluceat Martyris fortitudo, qui patientia ſua crudelitatem eius ſuperavit. Cic. Phil. 2.n.63.

PVNCTVM XII.

De Comparatione.

QVartum genus eſt amplificandi, quod à Quintiliano proponitur Comparatio,quæ

Digitized by Google

diuerſa inter ſe,& maiora cum minoribus comparat,non eò tantùm,vt rem probet, quomodo interdum argumentando maiora ex minoribus colliguntur,ſed vt exaggeret, & maiorem vim faciat. In quo pictorum artem atque ſolertiam imitatur Orator qui vbi colorem inſignem eminere inter cæteros volunt,triſtiorem alium ſubſternunt, qui illum magis conſpicuum reddat. In hunc ergo modum qui dicit, exempla ſimiliaque requirit,quorum comparatione res quam attollere cupit maxima videatur. Vt ſi quis obedientiam Chriſti, cum illa Abrahami, illius ſacrificium,cum iſtius ſacrificio conferat, & fidẽ cũ charitate, vt huius præſtãtiâ magis emineat. Eodem artificio ſi amplificanda ſit calamitas in quam quis inciderit,ea comparari debet cũ priſtina eius felicitate,vel cum aliis calamitatibus, vt oſtẽdatur hæc eſſe longè gravior,& acerbior.

Porrò in his Cõparationibus notandũ diligẽter ex Quintil. vtriuſque partis circumſtantias, quæ rem augere poſſint,eſſe excutiendas,neque ſolum virum cum viro,factũ & rem cum alia re, ſed partes etiam ſingulas cum aliis partibus eſſe cõponendas, 1. in Catil. n. 3. *An vero,vir ampliſſimus,P.Scipio Pontifex max.T.Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reip.priuatus interfecit;Catilinam orbem terræ cæde,atque incendiis vaſtare cupientẽ,nos Conſules perferemus?* Hic & Catilina Graccho,& ſtatus Reip. orbi terrarum,& mediocris labefactatio cædi,incendiis & vaſtationibus, & priuatus conſulibus comparatur.

Hinc argumentum à minori urget D.Cypria. Si herus delinquentem ſervum punit,cur Deus de peccante homine ſupplicium non ſumat;collatis circumſtantiis amplificat. *Ipſe de ſeruo tuo exigis ſupplicium, & hominem homo obedire compellis, & cùm ſit vobis eadem ſors naſcendi, conditio vna moriendi, corporum materia conſimilis, animarum ratio communis æquali iure & pari lege,vel veniatur in hunc mundum,vel de hoc mundo poſtmodum recedatur : tamen niſi arbitrio tuo tibi ſeruiatur, niſi voluntatis imperium pareatur, imperioſus & nimius ſeruitutis exactor flagellis verberas: fame, ſiti, nuditate, frequenter ferro, & carcere affligis, & crucias, & non agnoſcis Dominum Deum tuum, cùm ſic exerceas ipſe dominatum,*

Hac eàdem amplificandi ratione,& virtutes virtutum, & vitia vitiorum Comparatione ex circumſtantiis amplificare ſolemus. Cic. pro domo, Caſſium Cenſorem, qui ſignum concordiæ in curiam non ſine Pontificum venia olim trãſtuliſſet, cum Clodio comparat,qui ſubuerſam Ciceronis domum inconſultis Pontificibus libertati conſecrarat,n.130. *Quæſo,Pontifices,& hominem cum homine,& tempus cum tempore,& rem cum re cõparate. Ille erat ſumma modeſtiâ,& grauitate Cenſor,hic Tribunus ple. ſcelere,& audacia ſingulari, Tempus illud erat tranquillum,& in libertate populi, & gubernatione poſitum Senatus: tuum verò tempus,libertate Populi Rom. oppreſſâ, Senatus auctoritate deleta; res illa plena iuſtitiæ, ſapientiæ,dignitatis; Cenſor enim penes quem maiores noſtri (id quod tu ſuſtuliſti) iudicium Senatus de dignitate eſſe voluerunt. Concordiæ ſignũ volebat in Curia, arãque ei Deæ dedicare. Præclara voluntas,atque omni laude digna. Præſcribere enim ſe arbitrabatur, vt ſine ſtudiis diſſenſionis,ſententiæ dicerentur,ſi ſedem ipſam, ac templum publici conſilij religione concordiæ deuinxiſſet. Tu cum ferro,cũ metu,cũ edictis,cũ priuilegiis, cum præſentibus copiis perditorũ, abſentes exercitus terrore,& minis,conſulũ ſocietate,& nefario fœdere,ſeruitute oppreſſam ciuitatem teneres: libertatis ſignum poſuiſti,magis ad ludibrium impudentiæ,quam ad ſimulationem religionis. Ille in curia, quæ poterat, ſine cuiuſquã incõmodo dedicabat: tu in ciuis optimè de Repul. meriti cruore,ac penè oſſibus ſimulacrum nõ libertatis publicæ,ſed licentiæ collocaſti. Atque ille tamen ad collegium retulit; tu ad quem retuliſti?*

Iam quod diximus exemplo diſſimili,aut etiã ſimili,ſed minori rem pulchrè augeri,dici quoque poteſt de illuſtri quadã ſimilitudine,quã res interdum vilis multò fit auguſtior, ac magnificentior: quomodo Virg. in deſcribenda apum pugna, 4. Georg. miram illi dignitatem ac maieſtatem addit ſimilitudine Romanæ militiæ.

Sin autem ad pugnã exierint (nam ſæpè duobus
Regibus inceſſit magno diſcordia motu)
Continuoque animos vulgi,& trepidantia bello
Corda licet longè præſciſcere; namque morantes
Martius ille æris rauci canor increpat,& vox
Auditur fractos ſonitus imitata tubarum.

Sic Angelorum agitationem animi ex hoc declarabis,

tabis, quâ ſe vno ex loco in alium tractis, citiſſimque concitatis, ac repetitis motibus vſque & vſque velocius conferre poſſunt. Miramur Aquilam, quæ vbi ſurſum nitendo altiſſimam cœli plagam adepta eſt, & ambiguo pendens volatu, ſeſe pauliſper librauit in aëre, mox in prædam ardens, atque intenta, præcepti lapſu delabitur, ictu oculi ſurſum reſilit, & rapit aëra. At ea eſt, ſi cum beatarum mentium velocitate comparetur, exiſtimanda tarditas. Si lubet igitur, cogitate fulmen, cùm jactatis obſtantibus, effractiſque repagulis erumpit è voragine, tùm vago, violentoque excuſſum turbine deorſum ruit. At ne hæc quidē celeritas mihi ſufficit. Sydera ipſa cernite quæ longiſſimis ſpatiis vertigine confectis, momenta temporum ſuſtentant, ac definiūt, tantaque celeritate quotidie ſuos orbes explicant, quantam, ſi Mathematicos audimus, ne cogitatione quidem aſſequi valeamus: at tantam eorum celeritatem agitatione ſua præuertunt Angeli, longoque interuallo præteruolant. Nimirum tanta alacritate alium ex alio locum, reſpirantibus illis, atque interruptis curſibus poſſe capeſſere, vt variis in regionibus maximè diſſitis eodem momento temporis conſiſtere videantur.

Similis fulmini concionatoris eloquentis oratio. Iacitur è nubibus fulmen: à capite labitur concio: ſtrepitum illud habet; hæc vocis ſonum: illud fulgorem ignis: hæc ſplendorem loquutionis: illud ſpiritum inflammatum; hæc ardentem affectum: fertur illud plerumque tranſuerſum, & obliquè, ſæpè hæc per circuitionem in animos ſceleratorum, qui rectæ repræhenſionis ſunt impatientes, ſeſe inſinuat.

Ita Cic. Syllam cum Ioue comparat, pro Amer. n° 131 *Etenim ſi Iupiter Opt. Max, cuius nutu & arbitrio cœlū, terra, mariaq; reguntur, ſæpè vētis vehemētioribus, aut immoderatis tēpeſtatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit, urbes delevit, fruges perdidit, quorum nihil perniciei cauſa, divino cōſilio, ſed ui ipſa, & magnitudine rerum factum putamus: at contrà commoda quibus utimur, lucemq; quā fruimur: ſpiritumque quē ducimus, ab eo nobis dari atque impertiri videmus. quid miramur L. Syllam, cùm ſolus Remp. regeret, orbemque terrarum gubernaret, imperiique majeſtatem, quam armis receperat, legibus conſervaret, aliqua animadvertere non potuiſſe? niſi hoc mirum eſt Quod vis diuina, aſſequi nō poſſit, ſi id mens humana adepta non ſit.*

Licet autem ſimlitudo multum conferat amplificationi, tùm quod eruditionem ſapit, nec tamen interturbat affectum; tùm quod facilè acervum, & cumulum, quem hic quærimus, patitur; tum etiam quod ornamentis omnibus verborum ſententiarumque illuminat; videndum tamen quatenus progredi liceat in iſtis. Nam riſum mouebit Orator, ſi rem propoſitam ita ſuperat ſimilitudo, vt conuenire cum ea pulchrè non poſſit, quaſi vili panno aurea, vel ſerica veſtis aſſueretur.

Pvnctvm XIII.

Congeries Exemplorum

AB Exemplis, quæ plurimum mouere ſolent bona pars Orationis pro Archia vim ſuam obtinet, ſed n. 19. ſic habet. *Saxa & ſolitudines voce reſpondent, beſtiæ ſæpè immanes cantu flectuntur atque conſiſtunt: nos inſtituti rebus optimis non Poëtarū voce moueamur? Homerum Colophonij ciuem eſſe Chij ſuum; vendi cant, Salamini repetunt, Smyrnæi verò ſuum eſſe confirmant. Itaque etiā delubrum eius in oppido dedicauerunt: permulti alij præterea pugnant interſe, atque cōtendunt. Ergo illi alienum, qui Poëta fuit, poſt mortem etiā expetunt, nos hunc viuum, & qui voluntate, & legibus noſter eſt, repudiabimus?*

Ab exemplo D. Ludouici Perduelles Hæreticos exturbari poſſe ſic evinces. Rebellarūt olim in vna Galliæ parte numeroſo exercitu Valdenſium, ac Turlupinorum infames quidem, ſed pernicioſæ copiæ, ducibus fortiſſimis, & potentiſſimis Principibus Tholoſano Comite, ac Pictauienſi, non tulit importunam Hæreticæ factionis impudentiam magnus ſanctitate Ludouicus, propter religionem Hæreſis impietatem deteſtans, & propter animi magnitudinem, perduellium rebellionem nō ferens, armatos vtrimque ſic oppreſſit, vt nihil, quod ad documentum vindictæ noſtratibus ſupereſſet, reliquerit. Vos qui neque fortitudine minores, & ſanctitate vitæ

Digitized by Google

patrem habetis Imperatorem Ludouicum alterum, non illorum exitum perhorreſcitis, quorum imitamini perfidiam?

PVNCTVM XIV.

Aſſumptorum Locus.

TEſtimonia magnum pondus habent in Amplificatione, humana quædam ſapienter dicta, ſed obiter, & majeſtatis plena: diuina præcipuè, quæ in vnum colligenda ſunt ex ſacris vatibus, vt ſaltem denſitate ſua fidem obtineant, 2. in Catil. probat Ionem addeſſe à ſignis externis, Cic. n. 29. *Si vis manifeſta audaciæ, ſi impendens patriæ periculum me neceſſario de animi lenitate deduxerint: illud profectò perficiam, quod in tanto, & tàm inſidioſo bello vix optandū videtur, vt ne quis bonus intereat, paucorūque pœna vos omnes iā ſalui eſſe poſſitis. Quæ quidem ego neque mea prudentiâ, neque humanis cōſiliis fretus polliceor vobis Quirites, ſed multis, & non dubiis Deorum Immort. ſignificationibus: quibus ego ducibus in hanc ſpem, ſententiamque ſum ingreſſus: qui iam non procul, vt quondam ſolebant ab extero hoſte, atque longinquo, ſed hic præſentes ſuo numine, atque auxilio, ſua templa, atque vrbis tecta defendunt: quos vos precari, venerari, atque implorare debetis, vt quam vrbem pulcherrimam floretiſſimam, potentiſſimamque eſſe voluerunt, hanc omnibus copiis, terra marique ſuperatis, à prudentiſſimorum ciuium nefario ſcelere defendant.*

Ita Regem magnum futurum à teſtimoniis externis multi collegerunt: quia Cometæ, Stellæ, Terræ motus, naſcentem exceperunt. Qualem enim & quantum futurum eſſe oportebat, cuius fortunam non jam mortales, ſed ſuperi; non hominum voces, ſed elementorum; non populorum conſenſus, ſed totius trepidantis telluris motus declarabant? Teſtis ille Cometes qui natum Regem in perduellium excidium Galliæ prædixit: teſtis noua Stella quæ naſcentem vidit in Cygni, vel Apollinis nouo ſplendore mirabilis; cecinit eum naſci Regem qui & Muſas fouerat aliquando, & ne conticeſcerent vſquam, præſtaret. Nimirum quot in illo gloriæ domicilio Stellæ micant, tot faces accendit Deus, ne in obſcuro Ludouici nomen eſſe patiatur. Quod inerrant ſydera, tot teſtes, ac præcones appoſuit qui rerum ab illo geſtarum gloriam toto orbe circumferant, auxerunt numerum oculorum, vt illū naſcentem cernerent, vt eſſet inquam ortus illuſtrior, noua cum illo nata ſunt aſtra, qui vtinam nūquam niſi cum aſtris moriatur!

LECTIO VII.

De Figuris Amplificationis.

PRæter illos quatuor Amplificandi modos ex Quint. depromptos, viſum eſt ad vberiorem huius partis explicationem figuras aliquot illuſtriores adnectere, quæ amplificando maximè ſeruiunt, ad quam variandam nihil ornamentis huiuſmodi puto præſtantius; nam conglobata temperant, vnam eandemque rationem premūt, vrgent, inculcant; Itaque modò peritus Orator exclamat, indè Proſopopœiam, Addubitationem, Licentiam, Prætentionem tractat, verſat, infigit, vt eandem tamen, licet diſſimillimam, efficiat.

PVNCTVM I.

De Deſcriptione, ſiu Hypotipoſi.

IN illis principem ſibi locum vendicat Deſcriptio, quæ licet alios quoque vſus habeat, ſæpè enim delectationis causâ adhibetur, tamen ad res exaggerandas plurimum valet, cum earum dignitatem, & magnitudinem ante oculos ponat. Eſt igitur Deſcriptio, prout hîc intelligimus, cùm perſonam aliquam, vel rem præſentem, vel præteritam, non breuiter, aut tenuiter exponimus, ſed omnibus adumbratam coloribus ita repræſentamus oculis, vt auditorem iam extra ſe poſitum, velut in theatrū avocet. Græci ab effingenda rerū imagine Hypotipoſim vocāt Cornificius demonſtrationem, quod rem penè digito demonſtret. Hoc autem genus conſtat circunſtan-

cumſtantiarum explicatione, earum præſertim, quæ rem oculis præſentem ſtatuunt, ac moratam reddunt narrationem, hoc eſt quæ ſingularum perſonarum affectus, mores, geſtus, & ingenium oſtendunt. Non mediocriter tamen adiuuatur Similibus, Diſſimilibus, Metaphoris, Imaginibus, Epithetis, & ſi quæ præterea figuræ ſunt, quæ rem illuſtrent. Verum vt iſta perfectè deſcribas non modò confert ars & ingenium, ſed & oculis ſpectaſſe quæ velis effingere, aut ipſis interfuiſſe, aut etiam, ſi res ferat, expertum in ſe fuiſſe. Neque enim quis melius vnquam tempeſtatem naufragiumque deſcripſerit, quàm qui tempeſtate iactatus naufragium ipſemet in Oceano fecerit.

Eſt autem duplex huiuſmodi Deſcriptio, altera perſonarum, Rerum altera. Prior eſt quoties Amantis, Auari, Voracis, Temulenti, Somniculoſi, Garruli, Superbi, Oſtentatoris, Inuidi, Sycophantæ perſonam depingimus: Cic. pro Comœdo Fanij mores ſic venuſtè depingit, num. 20. *Oro atque obſecro vos qui noſtis, vitam inter ſe vtriuſque conferte: qui non noſtis, faciem vtriuſque conſiderate. Nonne ipſum caput & ſupercilia illa penitus abraſa, olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? nonne ab imis vnguibus vſque ad verticem ſummum ſi quam coniecturam affert, ho minibus tacita corporis figura, ex fraude, fallaciis, mendaciis conſtare totus videtur? qui idcirco capite & ſuperciliis ſemper eſt raſis, ne vllum pilum viri boni habere videatur.*

Hypotipoſis fortiſſimi Ducis.

QVantus es Henrice, cùm velut alterum Martem ex pacatæ vitæ vmbraculis in aciē, apertumque campum generoſa inuictaque fortitudo rapuit. Quantus es, quamque formidabilis; præſtò adſunt Ira, Vis, Indignatio miniſtræ, atque adiutrices furoris tui. Ira vultum fingit, vis manum roborat, furorem indignatio ſuſcitat; ardent oculi, frons caperatur, toto ex ore iuſti furoris ignes proſiliunt? Hæc eſt oris Imperatorij ſpecies. Qualis ingreſſus? quacumque ingrederis pauor, & terror præeunt, comitatur horror, ſtrages inſequitur. Quis impetus? ſtricto gladio hoſtem perſequeris, hoſtem oculis petis, voce poſcis, ſupercilio terres, fronte deiicis, manu prehendis, gladio conficis, Equo proteris. Quis irruentem reprimat? cuneos rumpis, ordines diſſipas, caſtra penetras, omnia ferro demetis. Cæduntur hi, ſternuntur illi, mactantur alij, alij fugiunt, non pauci vociferantur. Ignoſce Imperator, tibi fortunas, tibi vitam, tibi nos, noſtraque omnia addicimus, tuam miſericordiam ſupplices, ac proſtrati imploramus. Mira res, cuius multorum odia ægrè furorem commouerant, paucorum miſeratio tranquillauit.

Funambuli deſcriptio talis eſſe ſolet. Eſt profectò ſpectaculum illud admirabile, & tremendum, vbi vel procerâ, vel iuſta magnitudine vir, per extenſum funem non graditur modò, ſed vibrato ſurſum corpore pedibuſque micantibus, cytharœdo perſonante ſalit ad numerum: vbi adiunctis ad plantas orbiculis, & muricibus, tabuliſque ſuppoſitis ingreditur tamen, ac cytharæ præeunti molliuſcula ſaltatione reſpondet. Vbi muſtelarum, aut augurum modo pectore prono, proiectoque perreptat ad neruum, vbi reſilit, vbi ſuſpenditur, vbi ex ſimulata prolapſione ſeſe refert in gradum.

Iuſtinus terrorem Athenienſium deſcribit, cùm Liſander pararet obſidionem. Quæ cuncta cùm Athenis nuntiata eſſent, omnes relictis domibus per vrbem diſcurrere pauidi, alius alium ſciſcitari, authore nuntij requirere. Non pueros, imprudentia, non ſenes debilitas, non mulieres ſexus imbecillitas domi tenet: adeò ad omnem ætatem tanti mali ſenſus penetrauerat. In foro deinde coeunt, atque ibi perpeti nocte fortunam publicam quæſtibus iterant: alij fratres, aut filios, aut parentes deflent, cognatos alij, alij amicos cognatis chariores, & cum priuatis caſibus publicam querelam miſcent: Iam ſeipſos, iam ipſam patriam perituram, miſerioremque incolumium quàm amiſſorum fortunam iudicantes. Sibi quiſque ante oculos obſidionem, famem & ſuperbum victoremque hoſtem proponentes; Iam ruinam vrbis, & incendia, iam omnium captiuitatem, & miſerrimam ſeruitutem recordantes; feliciores prorſus priores vrbis ruinas ducentes, quæ incolumibus filiis parentibuſque tectorum tantum ruina laxatæ ſint. Nunc autem non claſſem, in quam ſicuti pridem confugiant ſupereſſe, non exercitum, cuius virtute

qua nos ad excutiendum torporem adhortetur. *Aſpicio formicarum greges calle feruere, ferre onera maiora, quàm corpora, aliæ herbarum quædam ſemina forcipe oris trahebant? aliæ egerebant humum de foueis, & aquarum meatus aggeribus excludebãt, Illæ veturæ hyemis memores, ne madefacta humus in herbam horrea verteret, illata ſemina præcidebant: hæ luctu celebri corpora defuncta deportabant quodque magis mirum eſt, in tanto agmine egrediens non obſtabat intrãti: quia potius ſi quam vidiſſent ſub faſce, & onere concidiſſe, ſuppoſitis humeris adiuuabant. Quid multa? pulchrum mihi ſpectaculum dies illa tribuit, vnde recordatus Salomonis ad formicarum ſolertiam nos mittentis, & pigras mentes tali exemplo ſuſcitantis.*

Deſcriptio rerum eſt, cum id quod fit, aut factum eſt, ita verbis exprimitur, vt non tam dici, quàm geri, & ante oculos poni videatur. Prælium aliquod amplificas per Deſcriptionem? propones imprimis duos exercitus ex militibus tum peditibus tum Equitibus compoſitos: deinde per ipſas camporum planicies montiumque, quos hinc & hinc equitum turmæ peditumque phalanges tegunt. Dices armorum ſplendorem, ſolariumque radiorum repercuſſione fulgurantes galeas, clypeos coruſcantes, horrendum fragorem armorum, militareſque hinnitus equorum in Cœlum ferri, terribiles tubarum ſonitus, pulſuſque tympanorum, quibus homines, & equi ad pugnam acrirer inflammentur, Vbique ſub militibus, ſub haſtis latere ſolum, ex vtraque parte armari cohortes, componi acies, principes caſtrorum, tribunoſque micantibus oculis, incenſa facie, generoſis & ſpumantibus equis, inter diſpoſitos ſuorum ordines volitare, omnes luſtrare, turmis omnibus animos addere, omnia ad conflictum comparare.

Iam verò ita diſpoſitis binis ad pugnam caſtris animos Auditorum per hoſtiles illos exercitus Oratione tua circumduces, oſtendeſque manipulos ſingulatim, eorumque Duces, Centuriones, Signiferos, Sagittarios, Sclopetarios, Cataphractos Equites, leuioris armaturæ milites, omnes in ordine ſtantes, ad claſſicum, & ſignum Imparatoris intentos: Oſtendes oppoſitas vtrimque acies incredibili quodam æſtu commitendi conflictus ardere, formidoloſos in illis aſpectus, & armorum apparatum diuerſum.

Tandem dato ſigno hoſtilibus animis proniſque frontibus in ſeſe mutuo concurrere, prima turbari acies, Equites peditibus ſuccedere quaſi per aërem volitantibus equis in medias vſque penetrare acies. Commemorabis hic iaculorum, & omnis generis miſſilium vtrimque grandinis inſtar ingruentium impetum, multam illam caliginem & tenebras, horribilem telorum, & ſagittarum imbrem, puluerem velut obſcura nocte ſolis radios, & cœli conſpectum oculis eripientem, homines & equos excæcantem, ſanguinis torrentes, cadentium gemitus, pugnantium clamores, iacentium aceruos, equos præ cadauerum multitudine vna cum ſuis ſeſſoribus in caput præcipites, ſanguinem, ſagittas, ſclopeta, equorum vngulas, haſtarum fragmenta, capita hominum paſſim mixta iacere? huic brachium, illi collum, iſti tibiam, alij pectus ferro iaculòue transfixum, aliorum excuſſum cerebrum, iaculi cuſpidem effractam, cui hominis oculus tanquam infibulatus hæreat. Hæc vbi colore Rhetorico depinxeris, nullus erit adeò ferreus animus, quem tua non emolliat Oratio, & ad eum quem volueris, trahat affectum.

Bonus vates Equum depingit Verſibus ſuis, ad ſeſſorem peritum rebuſque bellicis inſignem,

Vtque tuis primum ſenipes calcaribus arſit
Igneſcunt patulæ nares, non ſentit arenas
Vngula, diſcuſſaque iubæ ſparguntur in armos
Turbantur pharetræ, ſpumoſis morſibus aurum
Fumat, anhelantes exundant ſanguine gemmæ
Ipſe labor, puluisque decet, confuſaque motu
Cæſaries, veſtis radiato murice Solem
Combibit, ingeſto criſpatur purpura vento.

In ijs multus eſt Cic. paſſim in Verrinis. Latumias Syracuſanas deſcribit. 7. num. 67. *Quæ ſunt iſtæ cuſtodiæ? apud quos homines, quem admodum eſt aſſeruatus? omnes audiſtis, plerique noſtis. Opus eſt ingens, magnificum, regum, ac tyrannorum: totum eſt ex ſaxo in mirandam altitudinem depreſſo, & multorum operis penitus exciſo. Nihil tàm clauſum ad exitus, nihil tàm ſeptum vndique, nihil tàm tutum ad cuſtodias, nec fieri nec cogitari poeſt.*

Dianæ Segeſtanæ ſimulacrum deſcribit idem 6, Act. num. 74. *Erat admodum amplum, & excelſum*

ſignum cum ſtola : veruntamen inerat in illa magnitudine ætas , atque habitus virginalis: ſagitta pendebant ab humero : ſiniſtra manu retinebat arcum : dextra ardentem facem præferebat.

Si per oppoſita fiant hæ deſcriptiones,& maiorem vim habent , & ſuauem aliquam faciunt animo delectationem. Age vero, ſi tibi liberum eſſet ac integrũ è fundamentis exædificare, quã ad multos annos habitares ; quale porrò,quantum,quàm excellens domicilium præſcriberes? an illas Scytharum mapalia mediis in montibus ſita, turpi luto paleaque,& frondibus dumtaxat, temerè congeſtis compacta,ſpiniſque horrentibus,ac dumetis inacceſſa deligeres ? Hec paſtorum ſint diſſipatorumque hominum ſine legẽ, ſine more viuentium,tuguria. An cauernas ſaxis aſperas,muſco tantùm,& arborum corticibus opacatas luſtra ferarum ſint , & animantium potius quàm virorum receptacula. An infimæ ſortis hominum,fortunæque tenuioris ædiculas,in quibus ob feneſtrarum , tectique deſcendentis anguſtias, etiam mediode die nox lucem furetur Apage mihi ſis hæc anguſta formicarum,apumque foramina. Non iſtiuſmodi paſſerum nidulis Aquila retinetur;his anguſtiora cõtemplatur ac ſpectat animus. Vellẽ ego baſilicam magnificis operibus conſtructam;parietes maculis & coloribus , illuminato marmore decoratos,commiſſuras ad oculorum delectationẽ filis aureis obductas. Veſtibulum autem ſimulacris,aut Polycletis,aut Phydiæ,vel Praxitelis, quæ tantopere commendanit antiquitas,inſignitum. Imaginibus Xeuxidis arte, Apellis ingenio,Thymantis induſtria elaboratis,variatũ. Hinc ad inuidiam magnificus ad ampliſſima conclauia pateret aditus,quibus nihil ad ſplendorem deeſſet,nihil ad commendationem. Pauimentum è multiplici marmore,teſſellis minutis encauſto pictis Aſaroti modo effigiatum, miro fulgore ſolis radios laceſſet.Summa laquearia,citro,vel ebore curioſè cauata eſſent,argenteis,puniceis,cœruleiſque laminis intercurrentibus,& in auro radiantibus Stellis cœlum imitarentur , & fulgore proprio, non mutuato ſplendeſcerent.

Perge modo,ſi fortè delatus in regionem peramœnam, ad arbitrium & voluntatem locum poſſes eligere cõſerendis hortis idoneum,credo caulas allia,cæpas,rubos, ſpinas iuſereres , non lilia , non violas ibi , roſaſque curares educari: num præſcriberes locum eo deliciarum genere circunfluentem,ea florum herbarũmque omnigena vbertate nobilem,vt Alcinoi copiam,heſperidumque pometum longè anteiret , ea ſoli præſtantiſque naturæ fœcunditate , vti nunqam arbores florum grata viriditate nudarentur ? Annon imperares areolas vbique luculentas, & reſupinis puluillorum toris diſtincta,nitida ſemita , vernanteque ſinu ? Num margines variis hominum,animantiumque figuris, è plectilibus ramis,tonſili buxo,baccis,& aboribus odoratis veſtitas,quibus ad ambulationem viæ definirentur,conſtitui iuberes ? Num hic velles aream labyrinthi meandris,& diuerticulis propè infinitis inſtructam ? hic aliam ex oppoſito,in qua tanta florum varietas,herbarumque vbertas naſceretur, quantam in Alcydæ roſetis,& adonidis hortis olim fuiſſe poëtæ veteres fabulantur? In medio fontem argenteis vndis copioſè largiterque fluentem,denique tam elegantem,& artificioſam ridentis horti deſcriptionem,vt cùm magna eſſet rerum & opificij varietas,quam tecumq;in partem dares,noua quædam inauditæ ſeges delectationis occurreret,ſenſuſque omnes liquidiſſima voluptate,ad eius aſpectum,perfunderentur.

PVNCTVM II.

De Proſopopæia.

PErſonæ fictionem Fabius , conformationem Cornificius appellat. Ea fit. cùm aliquaquæ non adeſt perſona , loqui fingitur,quaſi præſens adſit;aut cùm res muta vel informis fit eloquens & formata,eique attribuiturOratio ad dignitatem accommodata,aut actio quædam. Hoc ferè modo.

Quod ſi nunc ille Brutus reuiuiſcat,& hic ante pedes veſtros adſit,non hac vteturOratione.Ego Reges eieci,vos introducitis:ego libertatẽ quæ non erat,peperi:vos partam ſeruare non vultis. Ego capitis mei periculo patriã meam liberaui; vos

vos liberi eſſe ſine periculo non curatis. Nonne hoc pacto loquatur? Ego illa plurimis trophæis ornata, triumphis ditata certiſſimis, clariſſimis locupletata victoriis, nunc veſtris ſeditionibus, ô ciues, vexor, quam dolis malitioſa Carthago, viribus probata Numantia, diſciplinis erudita Corinthus, labefactari non potuit, eam nunc patiemini ab homunculis proteri atque proculcari?

Diu. Cyprianus aduerſus matronas quæ faciem fuco adulterant Deum ipſum ſic loquentẽ facit. *Non metuis oro quæ talis es, ne cùm reſurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoſcat & ad ſua præmia promiſſaque remoueat, & excludat? & increpans vigore cenſoris & iudicis dicat opus hoc meum non eſt, neque imago hæc noſtra eſt. Cutem falſo medicamine polluiſti, crinem adulterino colore mutaſti, expugnata eſt mendacio facies, figura corrupta eſt, vultus alienus eſt, Deum videre non poteris, cùm oculi tibi non ſint, quos Deus fecit, ſed quos diabolus infecit. Illum tu ſectata es rutilos atque depictos ſerpentis oculos imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter arſura.*

Neque tãtùm eſt perſonæ fictio, ſed de re muta fit, & inanima, quaſi ſenſu, ratione, atque Oratione prædita eſſet. Pulchrè Diu. Ambroſ. Herodem alloquitur, cùm ad eum Ioan. Baptiſtæ caput allatũ eſt. *Intuere Rex acerbiſſime tuo ſpectacula digna conuiuio: Porrige dexteram ne quid ſæuitiæ tuæ deſit, vt inter digitos tuos riui defluant ſacri cruoris. Cerne oculos in ipſa morte ſceleris ſui teſtes auerſantes conſpectum deliciarum, clauduntur lumina, non tàm mortis neceſſitate, quàm horrore luxuriæ, os aureum illud exangue, cuius ſententiam ferre non poteras, conticeſcit, & adhuc timetur.* Lib. 3. de Virgin.

Secundò item Beatam Teclam leonibus ad deuorandum obiectam deſcribit. *Cernere erat lingentem pedes beſtiam, cubitare humi, muto teſtificari ſono, quod Virginis corpus violare non poſſet. Ergo adorabas prædam ſuam beſtia, & propriæ oblita naturæ naturã induerat, quam homines amiſerant. Videres quadã naturæ transfuſione homines feritate indutos ſæuitiam imperare beſtiæ: beſtiam exoſculatã pedes Virginis facere quod homines facere deberent; tantum habet virginitas admirationis, vt etiam leones mirentur. Non impaſtos cibus flexit, non citatos impetus rapuit, non ſtimulatos à exaſperauit, non vſu decepit aſſuetos, non feros natura poſſedit, docuerunt religionem, dùm adorant Martyrẽ, docuerunt caſtitatem, dùm Virgini nihil aliud niſi plantas exoſculantur demiſſis in terram oculis, tanquam verecundantibus, ne mas aliquis, vel beſtia Virginem nudam videret.*

PVNCTVM III.

De Exclamatione & Apoſtrophe.

VBi rem aliquam inſignem amplificauimus, eiuſque adiuncta, & partes, aut effecta coniecimus, deſcripſimus, comparauimus, auditoris animus, qui iam rei magnitudinem percipit, ardentibus quibuſdam figuris fortius eſt impellendus, inter quas communis eſt Exclamatio, cùm iam affectus erumpere incipit, ſiue adhibeatur, O interiectio, ſiue non: Saſſiæ matris præpoſteram libidinem vbi multis deſcripſit, ac damnauit ex contrariis, & adiunctis Cic. tàm artificioſam narrationem ad motum excipere debuit exclamationis fulmen. Pro Cluent. n. 15. *O mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc vnam, in omni vita inauditam! ô libidinem effrenatam & indomitam! ô audaciam ſingularem non timuiſſe ſi minus vim Deorum, hominumque famam, illam ipſam noctem, faceſque illas nuptiales? non limen cubiculi? non cubile filiæ? non parietes denique ipſos, ſuperiorum teſtes nuptiarum? O ſcelus! ô labes ô peſtis! ô fruſtra tot ſuſceptos labores! ô ingratam patriam,* 2 Phil. n. 96. *O impudentiam ſingularem! Quid videras? quid ſenſeras? quid audieras?*

Vel interiectione non appoſita, *Miſerunt me? Superi! Proh Deum Immortalem!*

PVNCTVM. IV.

Apoſtrophe.

MVltò redit acriorem exclamationem Apoſtrophe cum ſcilicet ad aliam perſonam, quàm inſtituta requirat Oratio, puta aduerſarium, vel ad aliquem abſentem, aut mortuum, ad res etiam mutas ſermonem conuertit Orator rei magnitudine commotus. Pro Mil. num. 102.

Digitized by Google

Quid vos Iud. quo tandem animo eritis? memoriam Milonis retinebitis? ipſum eijcietis? & erit locus in terris vllus, qui hanc virtutem excipiat, quam hic qui procreauit? vos, vos appello fortiſſimi viri, qui multum pro Rep. ſanguinem effundistis, vos in viri, & in ciuis inuicti appello periculo, Centuriones voſque milites: vobis non modò inſpectantibus ſed etiam armatis, & huic iudicio præſidentibus, hac tanta virtus ex hac vrbe expelletur? exterminabitur? eijcietur? Et 7. Verr. num. 183. ſuper Thiſbem mortuam lacrymans mox leones compellat, Ouidius Metamorph.

——— Ego te miſeranda peremi
In loca plena metus qui iuſſi nocte venires,
Nec prior huc veni: noſtrum diuellite corpus,
Et ſcelerata fero conſumite viſcera morſu.
O quicumque ſub hac habitatis rupe leones,
Sed timidi eſt optare necem.

PVNCTVM V.

De Interrogatione & aliis luminibus.

INterrogatio ſpiſſa, & ſæpè repetita vim habet, & acrimoniam. Vbique. Cic. quid ego illorum dierum epulas? quid lætitiam, & gratulationem tuam? quid cum tuis ſordidiſſimis gregibus intemperantiſſimas perpotationes prædicem? quis te illis diebus ſobrium? quis agentem aliquid, quod eſſet libero dignum? quis denique in publico vidit; Dimittendi exercitus quam potes afferre cauſam? quam poteſtatem habuiſti? quam legem? quod Senatuſconſultum? quod ius? quod exemplum? quid eſt aliud? Sic vrget Piſonem.

Sequitur Obſecratio, qua aliquid enixè poſtulamus ab Auditoribus, poſt rem probatam & amplificatam, cùm iam commoti ſunt animi Tull. in perorationibus ſuis ideas huius reliquit Obteſtari poſſumus per quidquid magnum eſt, per ſalutem, per amorem patriæ per geniū Principis per chariſſima ſanctiſſimaque omnia.

Optatio. Vbi illa patrum noſtrorum virtus? vbi pietas? vbi fides? Vtinam nunc Brute viueres, & hunc rerum ſtatum, hanc ſuperbam dominationem, hoc Cæſaris regnum videres. O ſi noſſent mortales conſuetudinis diuinæ ſolida gaudia, ſi noſtræ ſolitudinis delicias guſtaſſent?

Imprecatio aliis. Terent. Phormi. Act. 4. Sc. 4.

Vt te quidem omnes Dij, Deæque, Superi, Inferi
Malis exemplis perdant

Vel ſibi ad fidem.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat,
Vel Pater ōnipotēs adigat me fulmine ad vmbras
Ante pudor quàm te violē, aut tua iura reſoluam.

His affines, ac ſimiles aliæ, cum promittimus, comminamur, admiramur, iuramus Deum, atque homines conteſtamur, tribunal Dei appellamus, qui omnia videt, cui patent ſenſus noſtri expoſtulamus, increpamus, indignamur. Saluianus lib. 7. de Prouid. *Pudeat vos Romani vbique populi, Pudeat vos vita veſtra. Nulla penè vrbes luſtris, nullæ impuritatibus vacant, niſi illa tantùm in quibus Barbari eſſe cœperunt, & miramur miſeri, qui tàm impuri ſumus? miramur ſi ab obſte viribus vincimur, qui honeſtate ſuperamur: miramur ſi bona noſtra poſſident, qui mala noſtra execrantur.*

EXER

EXERCITATIO V.

THEATRVM ELOQVENTIÆ,

Siue

DE DISPOSITIONE, ET PARtibus Orationis.

PROOEMIVM.

THEATRA variis olim Exercitationum generibus patuerunt, in ipſis enim vt ait Apuleius 4. Florid. *Aliàs Mimus hallucinatur, Comœdus ſermocinatur, Tragœdus vociferatur, funerepus periclitatur, præſtigiator furatur, hiſtrio geſticulatur.* Attamen præ cæteris dominatam eſſe in Theatris cùm priuatis tum publicis Eloquentiam monumentis Annalium refertur. Teſtis Themiſtius Orat. Gaudet inquit plurimum Eloquentia, αἰ ἀγάλλεται θεάτροις ἑλληνικοῖς, & exultare ſolet in Græcis Theatris. Eadem vero Latini Authores ſplendidum. Orationum ſpectaculum factum ad pompam, & ad captandam popularem auram accommodatum eſſe dixerunt. Athenæum autem præſertim ſpecioſis Rhetorum Orationibus deuotum fuit, ad quas audiendas frequentes aderant viri Principes: de Alexandro Lampridius, *Ad Athenæum audiendorum & Græcorum & Latinorum Rhetorum vel Poëtarum cauſa frequenter proceſſit.* Cùm igitur in Theatro ſiue Auditorio & in Curia ſiue Baſilica declamationes haberentur, exercitationem in qua partes Orationis contemplandas proponimus, non malè Theatrum & Athenæum nominamus.

LECTIO PRIMA.

De Diſpoſitione.

ELEGANTER Atheſnæus vir præſtanti Iudicio lib. 14. καλὸν δ' εὐσχημοσύνη, αἰσχρὸν ἡ ἀταξία. Pulchrum eſt quidam ornatus, & compoſitus rerum habitus, fœdum autem confuſio perturbatióque. Et certè non minus in Oratione, quàm in arte militari ordo ſeruandus eſt, ſine quo, vt hebeſcit telorum acies, & bellantium ardor infringitur: ita vis Orationis, & pulchritudo defloreſcit. Quis non malit modicum Cyri pugnantis exercitum ordine benecompoſitum, quàm ingentes vecordis Xerxis copias? ille exigua, ſed ordinata militum manu

manu ingentem hoſtium multitudinem fugat, vincitque;hic numeroſo exercitu,ſed perturbato pedeſtribus copiis;infinita prepè nauium multitudine à paucis fugatur,vinciturque. Quid humani corporis conſtitutione venuſtius, quæ tot hominum ſagacitatem in ſtuporem hactenus conuertit?Erige pedes in ſublime,& ſolo caput affige; auerſabuntur oculi tale ſpectaculum,qui prius ordinatum mirabatur. Nec mihi videntur errare,qui naturam ipſam rerum ſtare ordine putant; quo confuſo, vel ſoluto peritura ſunt omnia,

Signat tempora propriis
Aptans officia Deus:
Nec quas ipſe coërcuit
Miſceri patitur vices.
Sic quod præcipiti via
Certum deſerit ordinem
Lætos non habet exitus.

Canit Boëtius 1. de Conſol. Metro 6.Itaque diuinum opus eſt Diſpoſitio. Pergit idem,

Aſpice ſummi culmina Cæli,
Illic iuſto fœdere rerum,
Veterem ſeruant ſydera pacem.
Nec Sol rutilo concitus axe,
Gelidum Phœbes impedit axem.

Quid Oratio ſine diſpoſitione, niſi quod reprehendit Horat. de Arte Poët.

—— Velut agris ſomnia,vanæ
Fingentur ſpecies,vt nec pes,nec caput vni
Reddantur formæ.

Tum ſine rectore fluitat,inquit Fab.7. nec cohæret ſibi,muta reperit,tranſit multa, velut de nocte in ignotis locis deerrans, nec initio, nec fine propoſito,caſum potius,quàm conſiliumſequitur,nec propoſitum aſſequitur,quòd eſt perſuadere dictione.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid Diſpoſitio & Quotuplex.

SI rectè pronunciauit Paulus Æmilis nobilius Hiſtoricus,eiuſdē eſſe artis,& ingenij,aciem & conuiuium propè ordinare;longe verius exiſtimo, eiuſdem fore artis exercitium. & orationem ordinare. Perfecit vtrumque peritè Xenophon, deque diſpoſitione multa diſputauit in Oecon. Quare qui nauigant,inquit,licet difficilimis curis diſtrahātur,ſibi tamen non ſunt moleſti,niſi quòd ordine conſident, ex ordine ſignū dant,ex ordine remis incumbunt, ex ordine ingrediuntur,egrediunturque; ollæ quoque,quibus nihil inuenuſtius,ſi aptæ collocentur,elegās quiddam,atque numeroſum per ſe ferunt.

Vt igitur diſpoſitionem attingamus: efinitur à Tull. 1. de In.num.5. *Rerum inuentarum in ordinem diſtributio.* Cornificius verò lib. 1. *Ordo, ac diſtributio rerum,quæ demonſtrat,quid quibusq; locis ſit collocandum.*

Sic explicata diſpoſitio fit à variis multiplex,à Cicer.duplex naturalis & artificioſa;illa ſine arte,Inſtinctu quodam naturæ fit:cum ita ſint omnes à natura comparati, vt ſi quis quid dicturus apud aliquem,exordij vice primo præmittat aliquid quo beneuolum ſibi facit & attentum, aut cauſam dicendo explicet;tum rem exponat, explicatam confirmet,rationibus denique preces, ac motus adhibent ad flectendum accommodatis;quæ ſine præceptis omnia conficit.

Hæc artificioſa quæ docet vſum harum partium,quo ſcilicet loco ſint adhibendæ,quo nonnunquam ſint omittendæ; neque enim ſemper cuilibet,cauſæ pars eadem ac diſpoſitio conuenit.

PVNCTVM II.

Quid Oratio.

INgenioſiſſimum opus humanæ mentis eſt Oratio in quo abſoluendo omnes nonEloquentiæ modò,ſed etiam ingenij partes cōſumuntur. PrimaOratio eloquentiſſimæ perſonæ Deus eſt, clarius dicam præſtantiſſimus Dei fœtusOratio; Cætera opera quæ diuina mens efficax illa ſcilicet,& actuoſa,extra ſinum ſuum effundit,acparturit,ſcintillæ ſunt,ſi cum illo fōte conferantur. Addo aliquid,quo nihil ſcio iucūdius eſſe cogitanti,in eo vno primigenio Dei partu non coloris pigmento,ſed viua,& immortali luce expreſſa cernuntur vniuerſa. Diuinus in eo non inanem

nem illam ac miſeram vitam, quæ nos ancipites habet in hoc orbe, hebetes, inopes, vacuos felicitatis immortaliſque voluptatis, ſed in eius theſauris, paternoque complexu Idea noſtri atque imago conſquieſcit. Sic amabiles ſumus, ſi amore digni ſumus, ſic colendi, ſi quibus honores cogitamus, ab eo fonte ſpes omnes, & commoda mortalium ſcaturiunt, atque exundant. Quorſum iſta? nimirum ſic intelligo (ſi tamen humanã fas eſt cum diuinis committere, vt in ea luce aliquid claritatis accipiant) Primigenium partum vt diuinæ, ſic humanæ mentis Orationem eſſe, ic quam ſi diligenter intendamus oculos quæcumque molitur humanum ingenium præſtantiſſima opera præſtantiori quodammodo opere incluſa cernentur.

Iam ſi definiatur, à Tull. dicetur Oratio rerum ſermo atque contentio; & ſermonem quidem domeſticum, familiaremque Orationem vocabit, Contentionem verò grauiorem quandam Orationem, & verſum politumque de ſchola dicendi genus, quod in forum, & contentionem veniat,

Pvnctvm III.

Quod eius Partes.

EX nullo tàm facilis ac certus illarum numerus iniri poteſt, quàm ex fine totius Orationis. Cùm enim ad perſuaſionem referantur omnia; duabus autem potiſſimum rebus perſuadeat Orator, Fide ſcilicet, Argumentis, atque Motu: ex his duobus colligendæ ſunt Orationis partes: Illæ ſiquidem vel ad motum pertinent, vel ad fidem, vel ad vtrumque, quia verò motus eſt duplex, alter levior ad conciliandam gratiam, gravior alter ad cocitandos audientium animos, ex primo naſcitur exordium, cuius eſt auditorem conciliare; ex altero Peroratio, quæ flectit, ac mouet.

Eadem ratione Fides duobus modis conciliatur, rel rem ipſam exponendo, quod eſt Narratio: is; vel probando, quod eſt Confirmationis: atq; ita quatuor legitimæ partes Orationis conſtituuntur. Nam quæ motus & fidem facit Amplificatio, non tàm eſt Orationis noua pars, quàm reliquarum partium inſtrumentum; ideoque, vt ſanguis per totum corpus, ſic illa per totam Orationem diffunditur.

Qui numerus vel in ipſa natura deprehenditur. Vt enim agris antequam ſementem facias, Aratione, atque occatione terra prius ſubigenda eſt: ſic auditoris animus ad reliquam dictionem proœmio comparandus: ſemen autem eſt ipſa narratio, vel potius ſeminarium quoddam totius Orations. Vt ergo iacto ſemine calamus primùm geniculatus, herbaque vireſcens exoritur: ſic Narratio truncus eſt Orationis, è qua grana incluſa in confirmatione armantur ariſtis contra aduerſariorum incurſus: ad extremum Agricola maturam meſſem colligit, & ſparſas per agrum ſpicas in manipulos contrahit; ſic Orator in concluſione per recenſionem præcipua ſparſim Orationis capita comprehendit, vt meſſem victoriæ faciat, ac triumphorum.

Pvnctvm IV.

Quis ſit ordo ſeruandus in Oratione.

ARgumentorum, & locorum quãdam compoſitionem hic intelligo, in quibus id obſervandum eſt, vt cùm inutilia, vel vitioſa detraxeris ab Oratione, in finem firmiſſima, in mediam turbam leuia conijci is, licet prout res, & tempus poſtulat, in hunc, modò diuerſum ordinem diſponi poſſint. Et quemadmodum Imperator alas exercitus, & cornua validiſſimis firmat, deteriores in agmen ita cogit, vt tamen eoſdem aliquando milites in ſerram ordinet, aliàs in fornicem diuidat, jam in cuneum acuat, modò in globum agglomeret, mox in phalangem, nunc in turrim diſtribuat; Ita pro varietate cauſarum ordinem mutat Orator.

Licet in duobus propriè motus adhibeantur in Exordio leues, in Peroratione graues, vbi maximè dominantur; ſepè tamen grauior quidam narrationem excipit, argumentis noſtris confirmatis, aut cõtrariis refutatis, vel expoſita re, qua de agitur, aut ſerie criminis enarrata. Familiare fuit hoc Ciceroni túm aliis orationibus, tùm frequenter in Verrinis, quæ propter varietatem,

Digitized by Google

grauitatemque criminum,maximam habent invehendi, deplorandi, acrius vrgendi copiam. Pro Roſc. Amer.ſtatim initio conciliat animos iudicum, & aduerſarios vocat in inuidiam, ac graues iam delibat affectus: poſt narrationem verò illico digreditur ad motus,n.29.*Quid primum querar? aut vndè potiſſimum exordiar,Iudices?aut quod,aut à quibus auxilium petam? Deorúmne immortalium?Populine Romani?Veſtramne qui ſummam poteſtatem habetis,hoc tempore,ſidem implorem?*

Poſt refutationem iterum ad augendum ſupplicium parricidarum egreditur,n. 71. *O ſingularem ſapientiam Iud.!nónne videntur hunc hominem ex rerum natura ſuſtuliſſe,& eripuiſſe,cui repentè cœlum,ſolem,aquam terramq; ademerunt, vt quicum necaſſet,vndè ipſe natus eſſet,careret iis omnibus,ex quibus omnia nata eſſe dicuntur.*

Rurſus vbi probabiliorem in aduerſariis eædem eſſe demonſtravit,invehitur in Chryſogonum.n.141.

Hinc etiam ſeſe putat aliquid poſſe Chryſogonus? hic etiam potens eſſe?ô rem miſeram atque acerbam! neque hoc indignè fero quod verear ne quid poſſit: verùm quod auſus eſt quod ſperauit,ſeſe apud tales viros aliquid ad perniciem poſſe innocentis,idipſum queror. Idcircóne experrecta nobilitas,armis atque Remp recuperavit vt ad libidinem ſuam liberti, ſervuliq; nobilium,bona,fortunas veſtras,noſtraſq; vexare poſſent.

Tandem in Peroratione ſic animos commovet,vt etiam lacrymas penè eliciat.*Deus Immort. quæ iſta tanta crudelitas eſt?quæ tàm fera, immaniſq; natura?quis vnquam prædo fuit tàm nefarius; quis pirata tàm barbarus,vt cùm integrã prædã ſine sãguine habere poſſit,cruẽta ſpolia detrahere mallet.*

Quid primum,quid poſtremum eſſe debeat in Oratione quid adhibendum ſit in ſingulis cauſis nõ facile definitur;vnum quoad fieri poteſt naſcatur ex alio,ſitque mutua quædã inter orationis membra connexio, quod fiet ſi ſervetur ordo qui propoſitus eſt, aut in diuiſione promiſſus; quæ partitio, & diſpoſitionem iuvat,& auditorẽ ad intelligendum præparat. Id à Cic. ſæpius obſervatum eſt pro lege Man.n. 6.*Primum mihi vid.r de genere belli:deindè de magnitudne,tùm de imperatore deligendo eſſe dicendũ.Genus eſt enim eiuſmodi,quid maximè veſtros animos excitare,atq; inflammare debet. Sic primum caput aggreditur.*

Hic aduertendum commodas eſſe tranſitiones quas vocamus, quibus ab vno vel argumento, vel orationis capite devoluimur ad aliud, quod ibidem ſervat,Nã vbi de prima parte diſputauit,ſic ad ſecundam progreditur,n.20.*Quoniã de genere belli dixi,nunc de magnitudine pauca dicam,*Rurſus poſt hanc,n. 27.*Satis mihi multa verba feciſſe videor,quare hoc bellum eſſe genere ipſo neceſſarium,magnitudine periculoſum,reſtat vt de Imperatore ad id bellum deligendo,ac tantis rebus præficiendo dicendum eſſe videatur.Vtinam.*

Iuverit etiam ſequi eum ordinem quem adverſarius tenuit,vt Cic.pro Mur. ſequitur accuſationis ordinem, atque partes,quas initio proponit, n. 11.*Intelligo Iud.tres accuſationis partes fuiſſe, & earum vnam in reprehenſione vitæ, alteram in contenoione dignitatis; tertiam in criminibus ambitus eſſe verſatam.*

Dein continuò primam ſic aggreditur.*Atque harum trium partium prima illa, quæ graviſſima eſſe debebat,ita fuit infirma,& levis,vt.*

Parat aditus ad ſecundam,nu. 14.*Benè habet: jacta ſunt fundamenta defenſionis. Nondum enim noſtris laudibus,quibus vtar poſtea,ſed propè inimicorum confeſſione,virum bonum, atque integrum hominem defendimus,quo conſtituto facilior eſt mihi aditus ad contentionem dignitatis: quæ pars altera fuit accuſationis. Summam video eſſe in te Sulpicii dignitatem generis.*

Ad tertiam gradum facit,n.*Nunc mihi tertius ille locus eſt Orationis de ambitus criminibus purgatus ab ijs,qui ante ne dixerunt, à me quoniam ita Murena voluit retractandus.* Vbi rurſus proponit, ac diuidit. Quæ Partitiones frequentiùs adhibẽdæ,quia facilius atque iucundius audiuntur,animiſque auditorum,& memoriæ tenaciùs adhæreſcunt. Minutiora tamen minus diſtingui neceſſe eſt,imò quodammodo confundi,nec diſtinctè ſeparari vtile eſt. Pro Quinto.

LECTIO II.

De Exordio.

SI tantùm in Athenienſium Areopago dicendum eſſet,inutilis videri poſſet hæc omnis,de

Exor

Exordiendi ratione,præceptio,vbi valuere dumtaxat tuæ partes ab Ariſt.aſſignatæ, Fides ac Propoſitio. Verùm quoniam non ad ſeueritatem illam Aleopagiticam, non ad tenebras, ſed ad lucem, & concionem publicam, Oratorem inſtituimus,de Exordio diſputandum eſt, cùm præſertim nos id natura doceat. *Nihil eſt enim in natura rerum omnium*, inquit Cic.de Orat. num. 317. *Quod ſe vniuerſum prefundat,& quod totum repentè auolet ;ſic omnia quæ fiunt,quæque aguntur acerrimè;leuioribus principiis natura ipſa prætexuit; leuioribus principiio natura ipſa prætexuit.* Nihil in illa continuò ad refectum ſtatum aſcendit, ſed gadatim perficitur:parturit arbor flores primùm, deindè oppanditur in folia, ac fructus demum producit.Si ergo pergit Tull.in illo ipſo gladiatorio vitæ certamine,quo ferro decernitur, tamen' ante congreſſum multa fiunt, quæ non ad vulnus,ſed ad ſpeciem valere videantur;quantò hoc magis in oratione expectandum eſt, in qua non vis potius,ſed delectatio poſtulatur?

Et quoniam in hunc gladiatorium ſermonem incidimus,'advertendum eſt hanc procluſionem Oratoriam à gladiatoria velitatione diſtingui, quòd jacerent ante ſeriam pugnam eas haſtas Samnites, quibus in vero certamine, non eſſent vſuri, non ita Orator;nam hæc arma,quæ in exordio tractantur,eadem eſſe conuenit, cum decretoris illis in confirmatione verſandis: hoc tantùm differre quòd mollius ſpargantur.

Suum quoque προοίμιον norunt Cytharedi, vndè ad Oratores tranſiiſſe puto. Nam vt illi pauca,quæ ante legitimum certamen inchoant, & emerendi fauoris gratiâ canunt Procemium dixerunt ; ita quæ priuſquam cauſam agrediatur orator, proloquitur ad hominum beneuolentiam conciliandam eadem appellatione ſignificarunt,tametſi non ſit eadem omnino ratio, vt clarum eſt ex Cic.2.de orat.num.225.Vbi vult exhordium eſſe connexum cum reliqua oratione, non autem quid nugatorium,cuiuſmodi eſt Cytharœdorum præludium.

* * *

PVNCTVM III.

Quid ſit Exordium & quotuplex.

NEceſſitatem in ea re quandam agnovit ſummo vir ingenio Polybius ,dum ſapienter, ait fieri non poſſe, vt finem conſequatur, qui principium non rectè fuerit auſpicatus. Itaque placet imprimis Viri doctrinâ & pietate celebri monitum,dicentis nullam eſſe partem orationis, quæ majoris ſit momenti,quàm exordium;Siquidem omnia,quæ initio dicuntur ac fiunt,hærent penitus,atque inſident in auditorum animis: & ſi modò grata ſunt & jucunda, vix dici poteſt, quantam vim habeant ad amorem conciliandum.Proindè quod in humano corpore formoſum caput, in ſuperba ædium fructura veſtibulum in circo carceres,in Vaſto Occeano portus, vnde ſoluitur ; idem in oratione præſtat Exordium, vndè ſpecimen totius operis, ait Orator, accipimus.

Eſt enim Exordium aditus quidam in orationem,quo animus auditoris comparatur ad audiendum. Quare vt rectè obſeruat Ariſtot. non tàm rem,vel cauſam, qua de agitur, quàm auditorem ſpectat', vti veſtibulum,non tàm ad commodum hoſpitis, quàm ad ſpeciem, & voluptatem ſpectantium conferr. Ac ne, vt dicitur,longum iter ſit januam ingredientibus, notandum in quibuſdam Orationibus non adhiberi exordium,in aliis verò adhiberi;vtrumque ex æquo difficile,&orationem ritè inchoare ſine exordio, & conſentaneum exordium orationi prætexere; itaque, quoad fieri poterit difficultatem ac moleſtiam leuemus, de vtroque initii genere præcepra ponenda ſunt.

PVNCTVM II.

Exordium ex abrupto.

DVo maximè requirit, Prudentiam, & Dignitatem;ſine dignitate jacet,ſine prudentia non abruptum eſt,ſed abſurdum Exordium.Dignitas oritur ex figuris,& motibus,nam&iis locus eſt in exordio.Totum negotium non alia re magis,

Digitized by Google

magis, quàm delectis auctorum exemplis conſtare poteſt, quæ quia formam excellentem, & facilem ad imitandum continent, ex multis aliqua ſunt eligenda.

Pvnctvm III.

Prima Idea ἐν τῆς Παρρησίας

MVtius Scæuola nobilis adoleſcens indignum ratus ab Hetrucis obſideri populum Rom. veniâ ab Senatu impetratâ, furtim in hoſtium caſtra penetrat, eo conſilio, vt Porſenam interficeret, jamque ad regium tribunal conſiſtens, cùm inter domos vter Porſena eſſet diſtinguere non poſſet, Scribam pro Rege vulnerat comprehenſus per ſatellites, deſtitutus quoque inter tantas fortunæ minas, metuendus magis, quàm metuens, ſic ad Regem orationem inchoat.

Romanus ſum ciuis. Cai, Mutium vocant, hoſtis hoſtem occidere volui, nec ad mortem minus animi eſt, quàm fuit ad cædem: & facere, & pati fortia Romanum eſt. Liui. l. 2.

Quid hoc dicendi genere fortius? quid hoc audaci facinore majus? aut dignitas hæc? nimirum ex inſigni illa libertate, quam præ ſe fert, cùm ſe Romanum hoſtem interfectorem profitetur, vno verbo Scævolam, qui & pati & agere fortia didicerit Non vtitur exordio, quia Regis animum, ad quem dicit, non conciliare ſtudet, ſed terrere; motum adhibet, confidentiam, quam & rebus, & verbis exprimit, & metum Regi terroremque facit: Figuram porrò Παρρησίας dicendi libertatem, dùm addit, *Nec vnus in te ego hos animos geſſi: longus poſt me ordo eſt idem petentium decus: Hoc tibi juuentus Romana indicimus bellum, nullam aciem, nullum prælium timueris; vni tibi, & cum ſingulis res erit.*

Vſus talis Exordij valet in defenſionibus, præſertim vbi non tàm vitæ, quàm dignitatis tuendæ ratio habetur.

Pvnctvm III.

Idea ſecunda, Deprecatio.

IOcaſta mater Ætolis, & Polinicis media inter arma jam propè congredientium fratrum excurrens, alterum è filiis oratione delinire ſtudet, & à pugna reuocare. Sic igitur orationem aggreditur actu 4. Senec. Theb.

Ad te preces nunc Nate, maternas feram,
Sed ante lacrymas, teneo longo tempore.
Petita votis ora, te profugum ſolo
Patrio, Penates regis externi tegunt.

Exordium non adhibet, tametſi videatur neceſſarium, præſertim cùm ad exulceratas aures, animumque habeatur; nimirum præceps feſtinatio, præſenſque periculum filiorum, non ferebat longam Exordii moram. Motus doloris vehementior exprimitur, quem & gemitu, & lacrymis, & precibus præ ſe fert. Figuræ locum hic habet deprecatio, quæ plurimum excellit inter figuras ſententiarum. Vim porrò ſummam addunt deprecationi matris & nati nomen ſuauiſſimum, preces maternæ, & quod maximè ferit propter inexpectatam correctionem *ſed ante lacrymas.* Vſus in Deprecationibus.

Pvnctvm V.

Idea tertia.

Epiplexis, ſeu Increpatio.

MArii ducis copiæ cum Hannibale congreſſæ fuſæ fugatæque fuerant, cæſis militibus milibus 2. & 7. ex ex ea fuga qui reſtiterant in caſtro receptos Marcellus alloquens hac increpatione acerbâ ſanè vtitur ipſo initio apud Liui. lib. 27. c. 15. *Diis Immortalibus ac in tali re laudes, grateſque ago, quòd victor hoſtis cum tãto pore incidentibus vobis in vallum portaſque non ipſa caſtra eſt aggreſſus. Deſeruiſſetis profectò eodem terrore caſtra, quo omiſiſtis pugnam. Qui pauor hic? qui terror? qua repentè, qui, & cum quibus pugnaretis obliuio animos inuaſit? nempe iidem ſunt ij hoſtes, quos*

vincendo,

Digitized by Google

vincẽdo, & victos ſequendo priorem æſtatem abſumpſiſtis? quibus dies, noctesque fugientibus per hos dies inſtitiſtis: quos leuibus prælijs fugaſtis, quos heſterno die nec iter facere, nec caſtra ponere paſſi eſtis. Omitto ea quibus gloriari poteſtis: cuius & ipſius pudore, ac pœnitere vos oportet, nempè æquis manibus heſterna die diremiſtis pugnã. Quid hac nox, quid hac dies abſtulit? Non equidẽ mihi cum exercitu meo loqui videor, nec cum Romanis militibus: corpora tantùm atque arma eadem ſunt. An ſi eoſdem animos habuiſſetis, terga veſtra vidiſſet hoſtis?

Frequens eſt Epiplexis in abruptis Exordiis, quia frequens in iræ ardore abruptum Exordium Quòd iracundia, vt eſt turbulentus eius impetus, ſubitò & improuisò feriat, atque in graues increpationes erumpat, vt pote, quæ non delinire ſtudet, ſed pungere, ſed vulnerare quos alloquitur.

Motus autem pudoris hic eſt efficax, *Deſeruiſſetis profectò eodem terrore caſtra.* Quem ad motum egregiè delabitur à gratulatione Deorum Immort. quibus omnia concedit, vt omnia militi eripiat, vndè ſentire de ſua virtute ſuperbè poſſet.

Pvnctvm VI.

Idea quarta.

Expoſtulatio, ſeu Conqueſtio.

De ſexto Conſulatu Honorij Claudianus Romam inducit Imperatorem ſuum ad reditum hortantem; Itaque inchoat Orationem.

—— Vultuſque palam confeſſa coruſcos,
Diſſimulata diu triſtes in amore querelas
Veſtra parens, Auguſte, queror. Quonam vſque tenebit.
Prælatus mea vota Ligur, vetitumque propinque Luce frui.

Exordio non fuit opus, quia tota petitio ad gratiam, & voluptatem eſt comparata, nam dùm reditum Imperatoris efflagitat, eius animum ſibi conciliare ſtudet.

Conqueſtionis figura hoc loco adhibita eſt eiuſmodi, vt nihil habeat acerbitatis, nec animum abalienet ſed alliciat, quia ſatis apparet ex amore naſci.

Exprimitur porrò motus doloris, idque eo conſilio, vt audientis animum flectat atque exoret. Verba autem omnia pondus ſuum habent & momentum ad dolorem exprimendum, patriæ querelæ, quæ ſe parentem nominat, patria alteri regioni poſthabita, cùm primas in amore tenere debeat, deindè diuturna repulſa, tùm diſſimulata, denique retardata æquitas Imperatoris videndi.

Vſus vt patet ad petitiones pertinet, in quibus Conqueſtio adhibetur, lenis eſſe debet ad amorem, non vehemens ad iram, & dolorem ciendum.

Pvnctvm. VII.

Idea quinta. Emphaſis

Sæpè Darius aduerſam in prælis fortunam expertus, iam tertium redintegratâ cum Alexandro pugnâ, Orationem ad milites hoc modo inchoat apud Curtium. lib. 4. *Terrarum quas Oceanus hinc alluit, illinc claudit Helleſpontus paulò ante Domini iam non de gloria ſed de ſalute, & quod ſaluti præponitur de libertate pugnandum eſt. Hic dies imperium quo nullum amplius vidit ætas, aut conſtituet, aut finiet. Ventum eſt eò vnde pulſis ne quidem locus eſt.*

Huius exordij dignitas poſita eſt in quadam vi verborum, quæ belli momentum, & neceſſitatem graphicè exprimit. Quantum enim pondus in hac voce, *Hic dies imperium, aut conſtituet, aut finiet.* Quantæ porrò neceſſitates de ſalute, & libertate pugnare, quanta denique, & quàm ſubita dominatio, quæ terrarum ante Dominos in eas adducit anguſtias?

LECTIO VIII.

Idea ſexta.

Commiſeratio ex dolore.

Philippus Iudex prò Tribunali ſedens inter duos filios Perſeum accuſatorem, & Demetrium parricidij reum, ſic Orationem ordi-

Digitized by Google

tur. Liuius lib. 40. c. *Sedeo miſerrimus Pater Iudex inter duos filios, accuſatorem parricidij, & reum; aut conſicti, aut admiſſi criminis labe apud meos inuenturus iampridem quidem hanc procellam imminentem timebã, quum vultus inter vos minimè fraternos cernerem, quum voces quaſdam exaudirem. Sed interdum ſpes animum ſubibat deflagrare iras veſtras, purgari ſuſpiciones poſſe.*

Vim doloris exprimit, & commiſerationis pugna illa Iudicis & Patris, in Rege accuſatoris, & rei in filiis in cauſa ipſa parricidij, cum naturæ charitate.

Pvnctvm IX.

Idea ſeptima. Motus lætitiæ repentinus cum Exclamatione.

Valerianum ſummo Senatus conſenſu creatum Cenſorem Decius Conſul, cùm ex SC. renunciaret, Orationem ſic inchoauit apud Trebell. in Valeriano *Felicem te Valeriane Senatus ſententiâ, imò animis atque pectoribus totius orbis, ſuſcipe Cenſuram, quam tibi detuli Roma, quam ſolus mereris iudicaturus de moribus noſtris.*

Habet ſubitos motus lætitia, non ſecus atque iracundia, quare non mirum ſi in Oratione abrumpat Exordium, Exclamatio ipſa cum Apoſtrophe, *Felicem te.* Familiaris eſt in omni lætitiæ motu.

Porrò ad motum lætitiæ efficax eſt iudicium honorificum Senatus, amor pluribus, fauor populi Rom. cenſura totius orbis, & merita dignitati reſpondentia, quæ omnia pauciſſimis verbis includit.

Pvnctvm. X.

De altero genere Exordij iuſto ac legitimo

IN Exordiis iuſtis, ac legitimis nonnulla diligenter obſeruanda ſunt, quibus è locis materia ducatur Exordij: quibus figuris ornari poſſit; qui motus in eo dominentur; quæ munera, quæ virtutes eius ſint, & vitia. Atque vt communibus locis primùm dicamus obſeruandum ex illis, tùm internis, tùm externis Exordiorum materiam ſumi poſſe: eos duntaxat attingemus, & quaſi digitum in fontes intendemus, vndè illuſtriora ab authoribus ducta eſſe videmus Exordia.

Primus locus eſt ab opinione, & ſenſu auditorum ab eo credimus Oratorem auſpicari, cùm prægustatis Auditorum ſenſibus, ad eorum ſeſe flectit fingitque propenſionem. Diſſuadet quis pacem Romanis, & ad bellum eoſdem hortatur. Quid potius, quàm eius populi virtutem bellicam roburque inuictæ mentis attollat? quid prius oſtendat, quàm quantum armis, vel ab ipſis ſurgentis Romæ cunabulis ſint conſequuti? ſanè non poterit ille ſic inſtitutus, non gratus accedere, & omnium animos ſibi demereri.

Qui Spartanos à parcimonia victus, patientiaque ſingulari; Athenienſes à diſciplinarum cultura commendabit, non poterunt non tacita beneuolentiâ dicentem complecti. Apud mitem Iudicem qui orabit, comitatem clementiamque dilaudabit, & euincet: apud Seuerum æqui, ſinceri que fidem & conſtantiam deprædicabit, & audietur.

Cùm ageretur Carthagine de pace à Romanis tributo graui tedimenda, lacrymas reprehendit Annibal Carthaginenſium, imò & irriſit: quare cùm cerneret offenſionem ſe ſuorum ciuium occurriſſe, riſum ſuum excuſaturus ſic Orationem aggreditur apud Liuium lib. 30. num. 44. *Si quemadmodum oris habitus cernitur oculis, ſic & animus intus cerni poſſet, facilè vobis appareret non læti, ſed propè amentis malis cordis hunc, quem increpatis, riſum eſſe, qui tamen nequaquam adeò eſt intempeſtiuus, quàm veſtra iſtæ abſurdæ, atque abhorrentes lacrymæ ſunt. Tunc fleſſe decuit, quum adempta nobis arma, incenſæ naues, interdictum externis bellis, illo enim vulnere concidimus. Nec eſſe in vos odio veſtro conſultum ab Romanis credatis. Nulla mag:s ciuitas diu quieſcere poteſt: ſi foris hoſtem non habet, domi inuenit: vt prævalida corpora, ab externis cauſis tuta videntur, ſed ſuis ipſa viribus onerantur.*

Exordium eſt πολύ-ϑετον, ſeu ex opinionibus, Oratores illud eſſe pronuntiant, quo quis Auditorum ſuorum opinionem, ac iudiciura

di i

Digitized by Google

diligenter perſequutus indè dicendi capit initiũ, ſic planè, vt ſi cauſæ noceat Auditoris opinio, eam ſtudeat euellere, ſin faueat eadem vtatur ad conciliandam beneuolentiam, vel odium in aduerſarios concitandum.

Cæterum latiſſimè patet hic locus, ex quo infinita propemodum Exordia capi poſſunt, vt docet Hermogenes 1. de Inuent. 10. Vndè plures regulas excerpere cuilibet integrum eſt, vtiliſſimas quidem ad vſum & praxim, atque adeò ad formandam Oratoris prudentiam.

Prima lex eſto: Si res, aut cauſa ſuſcepta aliquid honeſtatis habeat, verſimile eſt lætitiam ad Iudices pertinere, quare hinc ſumi poteſt Exordium. Exules opem tulerunt patriæ bello oppetitæ, victi ſunt hoſtes, decernit aliquis exules in patriã idcirco reuocandos? Incipiet à gratulatione Deorum Immort. qui Ciuibus victoriam de hoſtili exercitu conceſſerunt. Cic. 2. in Catil.

Secunda lex. Si res in cauſa ponatur improba, vel turpis omninò dolor, & indignatio ad Iudices pertinebit, ergo ex illo ſenſu, & affectione Iudicum capietur Exordium. Accuſatur pater qui filium ſuum necauit ante matrem ex lege de indemnatis, cuius doloris acerbitate mortua eſt mater. Sic inchoari poteſt accuſatio ab indignatione Iudicum. Non abs re Iud. indignati, ac dolere vos video tàm atrox facinus eſſe commiſſum, filiumque & matrem tàm indigna perpeſſos.

III. Lex ſi accuſator propterea quòd in iudicium adducit, ſentiat ſe in inuidiam auaritiæ vocari, hanc ſuſpicionem delere initio debet. Abdicatus adoleſcens à patre alimoniam petijt, is gladium dedit, reuerſus eſt ab armis diues & opulentus, pater egens alimentis, filium adit, is petenti eundem gladium tradit, pater ſe ferro interimit. Sic accuſatio adoleſcentis inſtitui poteſt. Non inſtitui hanc accuſationem apud vos Iudices, quod diuitis adoleſcentis opibus, aut inhiarem, aut inuiderem, ſed motus legibus & miſeratione.

IV. Lex eadem eſt ratio Exordij, ſi virum illuſtrem, & virtute, aut nobilitate ſpectatum accuſes, venire enim poteſt in opinionem Iudicũ te ad accuſandum deſcendere quòd eius exiſtimationis, & gloriæ inuideas. Statua Periclis fulmine icta eſt, hac occaſione vſus aduerſarius ſuadet ne Pericles amplius nominetur, vt ſolebat, Olympius, ſic igitur incipiat. Non odio in Periclem Athenienſes id ſuadeo, ſed beneuolentia potius adductus, veritus ne malum aliquod diuinitus patiatur, quoniam homo eſt.

V. Regula oritur quoties magiſtratus, aut viros nobiles accuſamus, aut in deliberationibus contrariam ijs ſententiam dicimus, neceſſe eſt initio priuatas inimicitias, vel contemptus opinionem deprecari. Etenim videtur hic, qui claris hominibus aduerſatur, vel odio duci, vel inſolentia, vtraque autem opinio, quia nocere plurimum poteſt, diſcutienda eſt, & cauſa Orationis conferenda in leges vel vtilitatem patriæ, vel neceſſitatem.

VI. Regula. In defenſionibus ſi lucri ſit aliqua ſuſpicio, vt ſtudio vtilitatis potius Orator, quàm æquitatis dicere videatur, deprecandum eſt, monendumque lucri cauſa nequaquam litem inſtitui: niſi fortè quis ingenioſè profiteatur ſe lucri cauſa id facere, ſed lucrum ampliſſimum ſalutem Reip. fore. Tempore triginta tyrannorum Athenienſes familias ſuas emiſerant è ciuitate, eas Megarenſes amicè exceptas aluerunt: ſublata deindè tyrannide profecti ſunt Athenas illas vt familias reſtituerent in eorum gratiam legem fert Orator, ſuadetque vt tabula contra Megarenſes fixa tollatur, ſic inchoabit Orationem. Mercedem Athenienſes magnam me accepiſſe profiteor, vt ad hanc Orationem deſcenderem, ſalutem nimirum amiciſſimorum hominum, id quod, vos quoque deberis profiteri. Hæc ex Hermogene laudato, viro ſanè de eloquentia benè-merito, quæ mirum in modum huius loci vſum illuſtrant.

PVNCTVM XI.

Exordium à Diuiſione.

Diuiſionem appellant præſertim in genere demonſtratiuo, cùm ex innumeris, aut commendatione dignis, aut vituperatione, quæ ſingillatim augere poſſent Orationem,

vnum aliquod eligitur è num. De Roma dicturus eſt aliquis cum Ariſtide, quæ orbis compendium ſit, & miraculum, vt quidam voluerunt, vt alij Reginam, vt multi gentium Deam, vt omnes armorum Parentem imperij virtutumque Larem & Scholam.

Quid primũ mediúmue cannat, quo fine quieſcat? Commendat diuinam vrbis originem; at maior eſt incrementis, quàm intriis. Senatus maieſtatem dilaudet; ſtructuram ædificiorum ad oſtentationem aſtrorumque inuidiam celebret; à pacis, aut belli artibus vrbium principem dicat, fortitudinem attollat, ac prudentiam; Vbique Roma eſt, & ab vna ſe vinci poteſt, virtutem tamen bellicam præ cæteris admirabilem videri dicet.

PVNCTVM XII.
Exordium ex Abundanti.

NOn licet abundantiam à diuiſione ſecernere: niſi quod in iudiciis maximè vrget, cùm affirmat Orator tàm copioſam eſſe ſibi ad dicendum materiem, vt neceſſe habeat multa concidere, atque præterire, quòd liberius poſſit aliquibus inhærere. Quam legem diligenter obſeruat vbique Cic præſertim in Verr. 2. à n. 10. *Etenim quod eſt ingenium tantum, quæ tanta facultas dicendi & copia, quæ iſtius vitam tot vitijs, flagitiíſq́, coniunctam, iampridèm omnium voluntate, iudicioq́, damnatam, aliqua ex parte poſſit defendere cuius vt adoleſcentiæ maculas, ignominiaſq; prætercam.* Phil. item 2. n. 43.

Sed quoniam huius exordij ratio communior eſt, & tyronibus ſatis familiaris, videndum ne ab illo Tull. ſæpius ordiaris. Facilius eſt mihi principium, quàm finem reperire. Vt enim id, ſi ſemel fiat, non improbandum, ita toties ingeſtum non poteſt non eſſe auribus, & animis iniucundum.

LECTIO XIII.
Exordium ab Adiunctis.

VIX Ciceronis Orationem vnam reperias, in qua non, aut ex perſona ſua dicendi ſumat, initium, aut in Iudicum, auditorumq; commendationem excurrat, aut æmulis inuidiam moueat, vel temporis occaſionem aliquam ſequatur, aut è loco cæteriſque rerum adiunctis materiam deſumat: pro Dejotaro loci anguſtias pro Cœlio temporis inſolentiam? pro Milone nouam rationem iudiciorum.

Tullius ergo lectica delatus in forum pro Milone dicturus, vbi repentè vidit diſpoſitos toto foro milites, commotus eſſe dicitur vehementer: ab hac igitur occaſione, & noua iudiciorum forma Milonianæ ſumit Exordium. *Etſi vereor, Iud. ne turpe ſit pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere, minimeq; deceat, cum T. An. Milo. ipſe magis de Reip. ſalute, quàm de ſua perturbetur, me ad hanc huius cauſam, parem animi magnitudinem afferre non poſſet: tamen hac noui iudicij noua forma, terret oculos: qui quocumq; inciderint, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem iudiciorum minimè vident. Non enim corona conſeſſus veſter cinctus eſt, vt ſolebat; non vſitata frequentia ſtipati ſumus. Nam illa præſidia quæ pro templis omnibus cernitis, etſi contra vim collocata ſunt, non afferunt tamen Oratori aliquid, vt in foro, & in iudicio, quamquam præſidijs ſalutaribus, & neceſſarijs ſepti ſumus, tamen ne non timere quidem ſine aliquo timore poſſimus.*

Pulcherrimum hoc genus exordii primò quidem, quia vim & præſtantiam Oratoris indicat, qui non modo allatum, ſed è re natum captet Exordium, & tanquam gladiator in arena conſilium capiat.

II. Quò minus affectatum videtur Exordium, eò magis eſt ad cauſam affectum.

III. Quia auditoris expectationem ſuperat, cum aliqua voluptate, imò & admiratione ingenij: Neque enim niſi ab ingenioſo Oratore vſurpari commodè poteſt genus illud Exordij.

Exemplum affert Hermogenes acutus ſanè; & ſubtilis dicendi magiſter 1. de Iuuent. ca. 4. Vrbem quidam euerterant, & agrum eius atque pomeria coluerant, ſed infelix ſeges extiterat. Accuſator ſic orditur. Deorum iudicio etiam ante ipſam accuſationem reos eſſe damnatos, quod agrum illum infelicem eſſe voluerint, neque vllum fructum viris execrandis afferre.

Cæterum hoc genus Exordij arripi poteſt cùm ex Oratione aduerſarij, tùm à loci facultate ac tempore, tum ab euentu quolibet. Valet autem potiſſimum in iudicijs ac deliberationibus.

PVNCTVM XIV.

Exordium à Quæſtione inſigni.

CIc. 1. de Inuent. orditur ab hac quæſtione: Sæpè & multum hoc mecum cogitaui, bonine an mali plus attulerit hominibus, & ciuitatibus copia dicendi, ac ſummum eloquentiæ ſtudium. Nam cum & noſtræ Reip. detrimenta conſidero maximarum ciuitatum veteres animo calamitates colligo, non minimam video per diſertiſſimos homines, inuectam eſſe partem incommodorum. Cum autem res ab noſtra memoria, propter vetuſtatem, remotas ex litterarum monumentis repetere inſtituo; multas vrbes conſtitutas, plurima bella reſtincta, firmiſſimas ſocietates, ſanctiſſimas amicitias intelligo, cùm animi ratione, tùm etiam facilius eloquentiâ comparatas. Ac me quidem diu cogitantem ratio ipſa in hanc potiſſimum ſententiam ducit, vt exiſtimem, ſapientiam ſine eloquentia parum prodeſſe ciuitatibus, eloquentiam verò ſine ſapientia nimium obeſſe plerumque prodeſſe nunquam.

PVNCTVM VI.

à Contrario.

HAud ſcio an vllum ſit ingenioſius, ac præſtantius Exordium, quàm quod à Contrario ducitur, hortaturus Alexander milites ſuos, vt reditum in patriam obliuiſcantur, pergantque adeò ſecum in extremas Indiæ partes, hanc habet Orationem apud Curt. lib. 6. n. 3. *Magnitudinem rerum quas geſſimus, milites, intuentibus vobis, minimè mirum eſt, & deſiderium quietis, & ſatietatem gloriæ occurere. Vt omittam Illyricos, Triballos, Bœotiam, Traciam Spartam, Achæos, Peloponeſum: quorum alia ductu meo, alia imperio, auſpicioque perdomui. Plures prouincias complexus ſum, quam alij vrbes ceperunt, & neſcio an enumeranti mihi quædam ipſarum rerum multitudo ſubduxerit. Itaque ſi crederem ſatis etiam eſſe poſſeſſionem terrarum, quam tanta velocitate domuimus, ego verò, milites, ad Penates meos, ad parentem ſororeſque, & cæteros ciues, vel renitentibus vobis erumperem, vt ibi potiſſimum parta vobiſcum laude, & gloria fruerer. vbi nos vberrima victoriæ præmia exſpectant, liberorum, coniugum, parentumque, lætitia, pax, quies: rerum per virtutem partarum ſecura poſſeſſio. Sed, in nouo, & (ſi verum fateri volumus) precario, imperio adhuc iugũ eius rigida ceruice ſubeuntibus barbaris, tempore, milites opus eſt, dum mitioribus ingeniis imbuuntur, & efferatos mollior cõſuetudo permulcet. Fruges quoque maturitatem ſtatuto tempore exſpectant; adeò etiam illa ſenſus expertia, tamẽ ſua lege miteſcunt. Quid creditis, tot gentes alterius imperio, ac nomini aſſuetas, non ſacris, non moribus, non commercio linguæ nobiſcum cohærentes, eodem prælio domitas eſſe, quo victæ ſunt? veſtris armis continentur non ſuis moribus, & qui præſentes metuunt, in abſentia hoſtes erunt. Cùm feris beſtiis res eſt, quas captas, & incluſas, quia ipſarum natura non poteſt, longior dies mitigat. Et adhuc ſic ago, tanquam omnia ſubactâ ſint armis, quæ fuerunt in ditione Darij omnes hi ſimul ſi terga noſtra viderint, ſequentur. Illi enim eiuſdem nationis ſunt, nos alienigenæ, & externi. Suis autem quique parent placidius, etiam cùm is præeſt, qui magis timeri poteſt. Proindè aut quæ cepimus amittenda ſunt, aut quæ non habemus occupanda. Sicut in corporibus ægris, milites, nihil quod nociturum eſt me dicire relinquunt, Sic nos quidquid obſtat imperio, recidamus. Parua ſæpè ſcintilla contempta, magnum excitauit incendium. Nil tuto in hoſte deſpicitur: quem ſpreueris valentiorem negligentiâ facies.*

Ex hoc ſatis quiuis intelligit quid ſit Exordium à contrario; quod fit cùm Orator ipſo initio dicendi probandam ſuſcipit ſententiam contrariam, quæ materiam & argumentum totius Orationis continet.

Vſus porrò pertinet ad eas Orationes quæ plurimum habent pompæ ac dignitatis. Secundò, vbi moderanda, ac refrænanda eſt cupiditas immodica, quemadmodum hic prudenter facit Orator, ſi primo ipſo aditu, non opponat ſeſe cupiditati, quam oppugnar, ac vehementi deſiderio, ſed principio quidem ei obſequio videatur, vt minus moleſtiam deinceps repulſam, effi-

Digitized by Google

efficiat: hoc enim pacto nimium impetum cupiditatis infringit. Ita hoc loco videtur Alexander primùm probare ſtudia militum, qui reditum in patriam cogitabant, mox in contrariam ſe vertit ſententiam.

Hæc Exordia libris inchoandis apta ſunt, & concionibus Eccleſiaſticis, & Orationibus his, quæ extra Forum, & Senatum vel ad laudem, vel ad ſpecimen ſapientiæ, & eloquentiæ inſtituuntur. At in iudiciali genere locum vix habent; quia in conciliandis animis occupari, & conſumi debet huiuſmodi Exordium.

Quid quod & à Poëtis vſurpata eſt illa Exordiendi ratio, cuius exemplum habes apud Claud. 1. in Ruf.

Sæpè mihi dubiam traxit ſententia mentem
Curarent Superi terras an nullus ineſſet.
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.
Nam cùm diſpoſiti quæſiſſem fœdera mundi,
Præſcriptoſque maris fines annique meatus
Et lucis noctiſque vices: tunc omnia rebar
Conſilio firmata Dei, qui lege moueri
Sydera, qui fruges diuerſo tempore naſci
Qui variam Phœben alieno iuſſerit igne
Compleri ſolemque ſuo: porrexerit vndis
Littora: tellurem medio librauerit axe.
Sed cùm res hominum tanta caligine volui
Aſpicerem lætoſque diu florere nocentes,
Vexarique pios: rurſus labefacta cadebat
Religio, cauſæque viam non ſponte ſequebar
Alterius vacuo quæ currere ſemina motu
Affirmat, magnumque nouas per inane figuras
Fortunâ, non arte regi. Quæ numina ſenſu
Ambiguo, vel nulla putat, vel neſcia noſtri
Abſtulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Abſoluitque Deum, iam non ad culmina rerum
Iniuſtos creuiſſe queror; tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant.

Chriſtiano Poëta dignum Exordium.

Priſcam hanc Exordiendi methodum temporum Leuitas, & imperita dicendi ratio penè aboleuit. Nam licet non ſim neſcius paulò liberiorem eſſe aditum in demonſtratiuo genere per extrinſeca, neſcio qua tamen è mundi plaga deficati nuper Oratores, nihil eorum probant, quæ ſagax, & ingenioſè prudens venerata eſt antiquitas; ſed venuſtum duntaxat apophtegma ſeu volens, ſiue inuitum in rem pertractum adorant. Si Cæſaris aliquod, aut Alexandri factum præmiſerunt, ſi Pindari florem, collegerint, ſi Parœmiam obtruſerint, aut ſimile quidpiam, ſibi plauſum faciunt, aliis admirationem, vt putant. Hinc eſt vt ſi quis bonus Orator per ianuam domum ſubierit, ſannis illum petant, ſi verò per tegulas tyro nouus, penè fractus, ſe præcipitem dederit, plauſu & acclamatione bonum Oratorem excipiant. Quid eſt Papiliones alatos cum pueris inſequi, ſi hoc non eſt?

Scio pronunciatum aliquod poſſe non iniucundum Orationi facere initium, vel ſimilitudinem plenam voluptatis, aut eximiam quandam diſſimilitudinem, vel Hiſtoriam non ignobilem, conſuetudinem non ingratam, prouerbium non inſulſum, auctoritatem viri ſapientis, inopinatum euentum, vel ænigma reconditum, quæ tamen minus ad fidem poſſe nemo prudés negabit, quia quæ magis dubia ſunt, videntur domo allata. Totum hoc negotium videri poteſt in exemplis. De Lupercis itaque ſi quis agat Orator hæc adducere poterit Exordia ex locis nominatis deprompta.

PVNCTVM III.

A Similitudine.

PHalangium eſſe viri docti memoriæ prodiderunt ex araneatum genere, cuius venenum tàm potens & actuoſum eſſe confirment, vt qui ſemel illo ſunt infecti, ſaltare, cautillareque non deſignant, cui morbo nulla poteſt aliæ fieri medicina, quàm ſi eximiè peritus artis ſuæ cytharœdus aduocetur, qui ſuaui Lyræ molliter ſonantis concentu, vim veneni per venas errantis, conſopiat.

Neſcio num occulta quædam tela phalangiorum in mortalium mentibus hodie figantur: video tamen parem eſſe in vtriuſque dementiam, quippe qui ſaltem ad numerum non ſobrij, terramque non pede tantùm, ſed & toto corpore feriant, vociferentur, occurrant vndique

que

Digitized by Google

que, vbique, vſque. At quæ morbo medicina? Lyrarum audiũtur dulces ad voluptatem ſoni, ſuaueſque Muſicæ concentus aures blandiſſimè permulcent; ſed quibus eorum morbus ingraueſcat potius, quam releuetur: aulædorum vocibus tecta circumſonant; ſed quæ ſtultorum inſaniam augeant non comprimant.

Quis igitur medicam manum adferat tàm periculoſo, ſęperque graſſanti morbo, niſi Phœbus alter, qui ferocientes, & bacchantium more per vrbem volitantes mulceat ſapientiæque ſuæ præceptis imbutos ad ſaniorem mentem reuocet? Is ego ſum Iud. non eximius quidem ille cytharœdus; ſed tamen qui nihil non ad illorum bonam mentem reuocandam conferre paratus ſim, ſi modo bene monentem audire non recuſarint.

PVNCTVM XVII.

A Diſſimilitudine.

NIciam ferunt, cùm Marcellus Siciliam ſub iugũ mitteret multæque ciuitates in Rom. fœderatos concitatæ vehementius eos ad necẽ quærerent, furioſum & amentem eſſe mentitum, vt ſapienti ſtultitia vitam à præſenti periculo liberaret.

Paucis deſcribe, vt adnentantibus armatis militibus ea fecerit omnia quę ſolent furioſæ mentis homines, deindè rem ſic aggredere.

Vellem eam Niciæ prudentiam imitarentur, qui ſectantur ſtultitiam. Sed proh dolor! tàm multos nunc videmus dementes agere, qui ſua illa præpoſtera dementiâ non ſalutem quærant miſeri, ſed exitium ſibi aliiſque moliantur, quos ſapientiæ pœniteat, quia ſalutis piget, quẽ errorem vt aliquando videant, & damnent, libet de morbis illorum, ac perdita viuendi libibidine plura dicere; quâ quidem Oratione, quid vel huic rumpori opportunius, vel hominum publicæ ſalutis amantium cœtui iucundius afferri poteſt?

PVNCTVM XVIII.

A Conſuetudine.

COotum lex erat conſuetudoque valdè ſingularis, quâ ſeniores qui eſſent in ciuitate ſolemnes epulas apparent, quarum poſtremus calix ſimul ac ſemel conuiuium ſeniorumque vitam concluderet. Poculum illi nempe obbibebant alacres, qua voluntaria morte ſuis honori eſſent, qui niſi morerentur oneri ſe ciuitati ſuæ foro ſcirent. Tragica planè cœna, plenaque mæroris voluptas illa! conuiuium infelix ac turpe! ibi præſentem mortem reperire ſenes, vndè viuendi cauſâm alij capiunt.

Sed cur miſeram morientium ſenum conditionem queror, & non potius adoleſcentum male-viuentium vices doleo vehementer. Quid enim? an non conuiuia parantur, vbi peccatum venenum animæ præſentiſſimum in aureo meretricis poculo, vel ad fæcem hauritur? an non ibi ſaltariones exibentur, & ea quæ ſileo, ne caſtiratis auribus iniuriam feciſſe videar.

Quid ergo quorum vitam & facinus imitantur, non illorum exitum pertimeſcant? tolerabilis illa ſit ſenum agendi ratio; quis iuuenes in Schola virtutis enutritos hæc impia molientes ferat, ſenes illi poculũ obbibebant vt vrbem ſuã periclitantem ab exitio liberarent, id agunt infelices iſti tenebriones, vt vrbem ſuis ſordibus inquinatam eâdem ruina ſecum inuoluant: Illis honeſta ſaltem in ſpeciem cauſa fuit, his vel ad oculum turpis, & inhoneſta; illis nulla lux veritatis, nullus virtutis ſplendor affulſerat; his quæ fax non oborta veritatis? quæ virtutum pulchritudo ſopitis licet oculis apparuit? quos vt ad interitum ſuum aperiant ardentibus votis precor, & verò vt faciant, illos iuuare paratus ſum ſi modò benignitatis veſtræ fontes aperiatis, quos adhuc ante me nemini denegaſtis.

Pvnctvm XIX.

Ab Hiſtoria.

DOmitianum Imperatorem legiſſe vos arbitror Cœcilium Rufum Senatorem, vbi ſemel ſaltaſſe comperiſſet, illo terrarum orbis concilio grauiſſimo indignum ſtatim iudicaſſe. Quid ſi nunc Domitianus alter viueret, quot è prima nobilitate iuuenes, quot ab ordine ſuo Senatores remoueret, qui non modò verſatorium illum orbem conficiunt, ſed ſtultorum in morem bacchantes volitant vrbe tota, nec illâ intemperantis animi ſui teſtem habere reformidant. In aliis ſanè iudex iniquus fuerit Imperator, in eo certè æquiſſimum, illum fuiſſe profiteor, qui vix ſobrium ſaltatorem tanta dignitate priuauerit ſuæ celſitudinis oblitum.

At vos quorum causâ longè Cœcilij Rufi deterior, date iuſto dolori meo, ſalutiſque veſtræ ſtudio, ſi quid grauius dixero, num quem crimine ſuperatis, eâdem vos pœnâ multandos eſſe iudicatis? imò verò ſapite tandem aliquando, atque vt iiſdem pœnis vos prohibeatis, ſic eodem errore liberate quod vt ſpero facietis, ſi me de illo breuiter dicentem audiatis.

Pvnctvm XX.

Ab Apophtegmate.

DEmades vir magnus, & in Philoſophia nobilis, Philippo ſaltanti liberius ob victoriam, prudenter mihi videtur dixiſſe. Non pudet, ô Rex Therſitem agere, cùm Agamemnonis impoſitam tibi perſonam eſſe non ignores? Magnifica planè vox & poſteritatis memoriâ dignum omninò monitum! ſed quàm aptius iiſdem verbis ſaltatores noſtros perſtringemus? non pudet, ô viri, ſi tamen hoc nomen inſolens vita mereri poteſt, qui mulierculas mollitudine luxus, ac morum leuitate ſuperatis; non pudet inquam Ethnicorum perſonam agere, cùm Chriſtianorum, hoc eſt cœleſtium ciuium ſuſtineatis. Non erubeſcitis ad ſcurram ſordes deſcendere, qui ſplendore generis, ac dignitate cæteros anteſtatis? quid laruę nouam faciem fingitis, videri vultis quod non eſtis, eſſe verò quod dici nolitis. Me quidem veſtri miſeret ſed aliquando cogitationem temperantis hominis ſuſcipite, & quantam honori veſtro plagam infertatis mecum ipſi cognoſcite.

Pvnctvm XXI.

Ab inaudito ſupplicio.

TRaiecti, quæ ciuitas eſt haud ignobilis in Germania, cùm in ponte ſaltarent bene multi, nec vllum honorem haberent ſanctiſſimo Chriſti corpori, quod pius Sacerdos ægro decumbenti ferebat, ſuæ illius vel dementiæ, vel impietati iuſtas debitaſque pœnas perſoluerunt. Nam ruina decidentis pontis ad trecentos aquis obruti, triſtes lætitiæ ſuæ fructus in aquis collegerunt. Hunc infelicem exitum volo vos ſaltatores, ſi qui adhuc eſtis, contemplari diligenter, & in vndis illorum impietatis agnoſcere veſtigia, vt cauſam flagitij fugiatis, ſi tam atrocem caſum formidatis, quod ſpero vobis non fore difficile, ſi rem apud vos attentè conſideretis, meque ſuper ea re, qua facilitate ſoletis, audiatis.

Pvnctvm XXII.

Ab Ænigmate.

CEdrenus præſtantis ingenij vir, magnique nominis Imperator, mulierem aliquando leuiter ſaltantem curioſiùs aſpexit, & riſum, animique lætiam vix cohibere potuit; Tum amicos pauliſper ad huius aſpectum ſubſiſtere voluit, quos ſic alloquutus eſſe dicitur. Expectate dum, mox enim ſyllaba fundet oraculum. Mirabantur ilii quid vellet ſolitò magis in lætitiæ ſenſum effuſus Imperator; ad quos, nec dum videtis inſanam hanc inſtar ſybillæ vaticinantis? Quid niſi vaticinium expectatis? acutè quidem mulierculæ leuitatem humanæque mentis imbecillitatem, illuſit. Sed potiori iure nos de lupercis hæc cogitare debemus, ſaltabat illa, inſaniunt iſti: intempeſtiuè lætabatur illa, bacchan-

bantur iſti, ſtulta fuit habita ab imperatore prudenti, quis iſtos ſapientes, & ſanos exiſtimet? quis? non huiuſmodi flagitioſis hominibus infelicem exitum vereatur, niſi reſipiſcant; vtinam non vates verus! vt hoc omen auertat Deus, date vos aures oraculo ſemel, qui toties manus dedeſque furori commodaſtis.

PVNCTVM XXIII.

A Iudicio.

EPhorus Lacedæmonius virum fucatis cincinnis, cirriſque tumentibus ſententiam pronunciantem audiit, & ei aſſentiendum eſſe negauit, qui capillis falleret. Quis enim non videat, ait in vita ſeuerior, retinenſque dignitatis cenſor, eum etiam & verbis fucum eſſe facturum. Eiiciatur ergo procul ab hoc veritatis conſilio, qui vel in capite veritatis domicilio, mendacium gerit. Digna certè tàm præſtanti viro ſententia, quâ licet Corybantes noſtros perſtringere, qui non capillis modò, ſed vultu, ſed toto corpore fallunt, atque mentiuntur, proindè non à conſilio tantùm amouendi ſed ad vrbe, nec abiſta, ſed ex agris, nec ex illis, ſed è terra, ſed è naturæ finibus exterminandi. Egò ne ſic in iſtos ſeuerus & aſper? pœnitet me ſeueritatis Iud. nec quid illorum ſcelera poſtulent, ſed quid veſtra requirat humanitas attendam; non ab vrbe, nec ex agris, ſed ab errore ſuo depellendos cenſeo iudicoque, quod fiet ſi paucis me dicentem patienter audire velint.

PVNCTVM XXIV.

Ab Exemplo & Fabula.

HÆc permiſcentur, omnia, quia idem habent ferè artificium; res per ſe facilis, & aperta, in exemplis, quæ non tranſcribo. Ciceronis eſt illud ſingulare 3. de Orat. vbi Craſſi mortem deſcribit cum inſigni motu miſerationis.

Nolim præterire recentis poëtæ diuinum planè poëma panegyricum, cuius Exordium à fabula ductum. eſt ingenioſè.

Progeniem Diûum Heroas, vel numina cœlo
Lapſa laborantes, certis inuiſere terras.
Temporibus, fictaque hominum ſub imagine ferri
Græcia iactauit quondam ſeu monſtra ſub auras
Irata ediderat tellus: ſeu viribus acti,
Sub iuga mortales premerent impune tyranni.
Hæc ſi fama fidem poterat meruiſſe; nec vlla
Iuſtius, aduentumque Dei, Lodoice, manumque
Soſpitis optaret, quàm qua modo voluitur ætas,
Nec qui Francigenis poſſet Deus ille videri
Æternumque cœli fuerat te dignior alter.

PVNCTVM XXV.

Ab Effato inſigni.

SAluſtius Catilinam ſuos ad bellum hortantem ſic inducit. *Compertum habeo milites verba virtutem non addere, neque ex ignauo ſtrenuum, neque fortem ex timido exercitum Imperatoris oratione fieri, quanta cuiuſque animo audacia naturâ, aut moribus ineſt, tanta in bello patere ſolet, quem neque gloria, neque pericula excitant nequicquā horreret, timor animi auribus officit, ſed ego vos quò pauca monerem aduocaui, ſimul vti cauſam conſilij mei aperirē ſcitis.*

Minutius magiſter equitum ſeruatus à Fabio, atque ingenti periculo, in quod exercitum ſuum coniecerat, vnâ cum ſuis liberatus, caſtra cum Fabio ſtatuit iungere, idque ſuis ſuadere militibus, itaque ſic apud Liuium loquitur l. 22. n. 29. *Sæpè ego audiui milites, eum primum eſſe virum, qui ipſe cōſulat quid in rem ſit: ſecundū eum, qui benè monenti obediat: qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit, eum extremi ingenij eſſe. Nobis quoniā prima animi ingeniique negata ſors eſt, ſecundam ac mediam teneamus: & dum imperare diſcimus, parere prudenti in animum inducimus.* Cæſar apud Saluſtium in Senatu pro Catilina dùm loquitur, ſic orditur orationem. *Omnes homines P. C. qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amentia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet.*

Hoc Exordij genus à ſententia excellit in deliberationibus, propterea quòd opinionem affert prudentiæ, quæ in eo genere maximè quæritur; valet etiam in concionibus Eccleſiaſticis, imò & in genere iudiciali.

Digitized by Google

PVNCTVM XXVI.

A Fictione.

LOcus hic habet per ſe plurimum voluptatis, cùm ſcilicet Orator fingit aliquid ingenioſè quod ſibi vel aliis acciderit, atque inde ſumit Exordium. Sic Ariſtides Orator bonus in laudatione Romæ vtitur hac fictione, ipſo in Exordio fingit ſe in ipſo itinere, cùm Romam veniret deprehenſum eſſe grauiſſima tempeſtate, atque in eo periculo votum concepiſſe, ſi diſcrimen naufragij fugeret Romanæ ciuitatis laudationem publicam ſe eſſe aggreſſurum; quò genere Exordij ſatis apparet viſum eſſe Triſtidem eo conſilio, vt ciuium Rom. apud quos dicebat ipſo in ingreſſu mentes, animoſque in ſui amorem conuerteret. ΕΘΟΣ τοῖς πλέουσι καὶ διαπορεῦσιν, οὐχὶ; ποιεῖσθαι καθ' ὧν ἂν ἕκαστος ἐπινοῇ ποιήσεις εὐχὰς ἂν ἤδη τις εἶπε σκάφας, εὔξασθαι χρυσοκερω λιβανωτοῦ ἡμεῖς τε ὦ ἄνδρες, παρὰ τὴν ὁδὸν τὴν ἐνταῦθα, καὶ τὸν πλοῦν, εὐχὴν ταύτην ἐποιησάμεθα, οὐκ ἄμουσον, οὐδ' ἐκμελῆ ἐστ' ἀπὸ τῆς τέχνης εἰ σωθεῖμεν, προσερεῖν ἐν τῷ μέσῳ τὴν πόλιν. Solent plerique, qui terra vel mari iter faciunt, quòd cuique viſum fuerit, vouere: adeout poëta quidam per iocum thus auricomæ vouiſſe ſe dixerit. Nos autem, viri nec inelegans aut abſurdum, nec ab arte noſtra remotum in hoc itinere votum concepimus, palam laudandæ vrbis, ſi incolumes euaſiſſemus.

PVNCTVM XII.

A notatione.

HIc omitto locos communes Oratoris, quos omnes perſequi infiniti laboris eſſet; tamen moneo nullum eſſe locum, vndè non poſſit materia duci Exordij, ſed præſertim ex loco à definitione, adiunctis & cauſis, præter eos quos iam attigimus, imò quòd maximè mirere, cum Notatio nominis poſtremum in locis Oratoriis gradum obtineat, reperi tamen hinc poſſent ingenioſa Exordia. Tale eſt illuſtris authoris, & docti in eo libro, quo Regem Angliæ ad bellum hortatur contra Hiſpanos: ſic enim principium dicendi ab eius capiat nomine. Nomen imperij, & omen habes, primum imperium in Franciam Carolus induxit idem ad Hiſpanos alter traduxit Carolus, cur tibi eandem gloriam fortuna inuideat?

LECTIO TERTIA.

De Figuris Exordij.

HActenus de locis ex quibus duci poſſunt Exordia dictum eſt; nunc quaſdam Eloquutionis figuras, quæ ad hoc ipſum præcipuè conducunt, his adiungere viſum eſt. Ex locis communibus materia petitur Exordij, ex figuris verò forma. Neque enim tantum intereſt ſcire quid dici debeat, ſed etiam quomodo; alterum loci communes, alterum figuræ præſtant, à quibus omnia Orationis ornamenta petuntur.

PVNCTVM. I.

Dubitatio.

FRequens eſt Dubitatio in ipſis Exordiis, valerque tùm in defenſione, tùm in Increpatione; in illa quidem, quia miſericordiam gignit; in hac verò, quia ſuſpendit auditoris animum? Adde quod ex æquo & miſeri, & irati eſt hominis fluctuantem afferre orationem, & quaſi accipit æſtu ſuſpenſam.

Pub. Scipio Orationem habiturus ad milites, qui audita eius morte ſeditionem mouerant initium dicendi petit ab inſigni Aporia apud Liuium l. 28. n. 27. *Nunquam mihi defuturam Orationem, quâ exercitum meum alloquerer, credidi: non quò verba vnquam potius, quàm res exercuerim, ſed quia propè à pueritia in caſtris habitus aſſueram militaribus ingeniis: apud vos quemadmodum loquar, nec conſilium, nec Oratio ſuppeditat: quos nec quo nomine quidē appellare debeam, ſcio: Ciues? qui à patria veſtra deciuiſtis. An milites? qui imperiū auſpiciumque abnuiſtis: Sacramenti religionum rupiſtis. Hoſtes?* corpo

Digitized by Google

corpora, ora, veſtitum, habitum ciuium agnoſco: facta, dicta, conſilia, animos hoſtium video.

Philotas coniurationis ſuſpicionem deprecãs ſic defenſionem inchoat apud Curtium l. 6. n. 10. *Verba innocenti reperire facile eſt, modum verbo u miſero tenere difficile. Itaque inter optimam conſcientiam, & iniquiſſimam fortunam deſtitutus, ignoro quo modo, & amico meo, & tempori pareãm. Abeſt quidem optimus cauſæ meæ iudex, qui cur me ipſe audire noluerit, non mehercule excogito, cùm illi vtiq́; cognita cauſa, tàm damnare me liceat, quàm abſoluere. Non cognita verò liberari ab abſente non poſſum, qui à preſente damnatus ſum. Sed quamquam vincti hominis non ſuperuacua ſolùm, ſed etiam inuiſa defenſio eſt, quæ iudicem non docere videtur, ſed arguere; tamẽ vtcumq; licet dicere, memet ipſe non deſeram, nec committam, vt damnatus etiam mea ſententiâ videar.*

Otho Imperator dùm milites ſtudet ſibi conciliare contra Galbam, cui populus fauebat pro vallo caſtrorum ſic incipit apud Tacit. lib. 1. ab obitu Neronis. *Quis ad vos proceſſerim Commilitones dicere non poſſum, quia nec priuatum me vocari ſuſtineo, Princeps à vobis nominatus; nec Principem alio imperante. Veſtrum quoque nomen in incerto erit, donec dubitabitur Imperatorem populi Rom in caſtris, an hoſtem habeatis. Audiſtiſne vt pœna mea, & ſupplicium veſtrum ſimul poſtulentur? adeò manifeſtum eſt, neque perire, neque ſaluos eſſe, niſi vnâ poſſe.*

PVNCTVM II.

Hypotheſis.

HOc genus Exordij per omnia cauſarũ genera peruagatur, & habet plurimum dignitatis, maximè ſi cũ fictione iungitur, gignit enim tùm opinionem ingenij. Cic. Vatinium in inuidiã vocaturus Iudices eidem fingit infenſos, vt à cõmuni ſenſu, atque iudicio non diſſidere videatur. *Si tua tantummodo, Vatini, quid indignitas poſtularet, ſpectare voluiſſem, feciſſem id, quod his vehementer placebat, vt te cuius teſtimonium, propter turpitudinem vitæ, ſordeſq́; domeſticas, nullius momenti putaretur, tacitus dimitterem. Nemo enim horum, aut ita te refutandum, vt grauẽ aduerſarium, aut ita rogãdum, vt religioſum teſtem, arbitrabatur. Sed fui paulò in te intemperantior fortaſſe, quam debui. Odio enim tui, in quo, etſi omnes propter tuum in me ſcelus, ſuperare debeo: tamẽ ab omnibus penè vincor, ſic ſum incitatus, vt cum te non minùs contemnerem, quàm odiſſem, tamen vexatum potius, quàm deſpectum vellem dimittere.*

Pro Cornelio Balbo, ſic orditur Orationem. *Si auctoritates patronorum in iudiciis valerent ab ampliſſimis viris L. Cornelij cauſa defenſa eſt: ſi vſus à peritiſſimis: ſi ſtudia ab amiciſſimis, & cùm beneficiis, cum L. Cornelio, tum maxima familiaritate coniunctis. Quæ ſunt igitur meæ partes? auctoritatis tantæ, quantam vos in me eſſe voluiſtis.*

Curtius l. n. 8. Scytharum legatos inducit Alexandrum à bello Scythis inferendo reuocantes, & ambitionem illius carpentes, hoc initium Orationi prætexit, ſicque loquutus apud Regem dicitur. *Si Dij habitum corporis tui, auiditati animi parem eſſe voluiſſent, orbis te non caperet. Alterâ manu Orientem, alterâ Occidentem contingeres. Et hoc aſſequutus, ſcire velles, vbi tanti numinis fulgor conderetur. Sic quoque concupiſcis quæ non capis. Ab Europa petis Aſiam: ex Aſia tranſiis in Europam. Deindè, ſi humanum genus omne ſuperaueris, cum Syluis, & niuibus & fluminibus, feriſque beſtiis geſturus es bellum. Quid tu ignoras arbores diu creſcere, vna hora extirpari? ſtultus, eſt qui fructus earum ſpectat, altitudinem nõ metitur. Vide ne dum ad cacumen peruenire contendis, cũ ipſis ramis quos comprehenderis decidas. Leo quoque aliquando minimarũ auiũ pabulũ fuit, & ferrũ rubigo conſumit. Nihil iam firmũ eſt, cui periculum non ſit etiam ab inualido,* Acutè ſapienterque dicta.

PVNCTVM III.

Occupatio.

GEnus hoc initij in cauſis iudicialibus frequentiſſimum, aptiſſimumque per ſe ad euellendas ex animis Iudicum ſuſpiciones, quæ reo nocere poſſent: quare coniungi poteſt, imò ferè coniungitur cum Exordiis, quæ ſumuntur ex opinione Iudicum.

Cœnus miles totius exercitus nomine reditum

tum in patriam ab Alexandro perit, apud Curtium l.9. n.3. cunctantibus cæteris proprius tribunal Regis accedit, & Orationem hoc modo aggrediturI *Dij prohibeant à nobis impias mentes, & profectò probibent. Idem animus eſt tuis, qui ſemper, ire quo iuſſeris, pugnare, periclitari, ſanguine noſtro commendare poſteritati tuum nomen. Proindè ſi perſeueras, inermes quoque, & nudi, & exſangues, vtrumque tibi cordi eſt, ſequimur, vel accedimus. Sed ſi audire vis non fictas tuorum militum voces, verum, neceſſitate vltima expreſſas; præbe, quæſo, propitias aures, imperium atque auſpicium tuum conſtantiſſimè ſequutis, & quocumque pergis ſequuturis Viciſti, Rex, magnitudine rerum non hoſtes modò, ſed etiam milites. Quidquid mortalitas capere poterat, impleuimus. Indiam quæris, Indis quoque ignotam: digna prorſus cogitatio animo tuo, ſed altior noſtro. Virtus enim tua ſemper in incremento erit, noſtra vis in fine iam eſt.*

PVNCTVM IV.

Licentia.

CHaridemus Athenienſis belli peritus, apud Darium Regem exul, de exercitu Perſarum contra Alexandrum rogatus, ſatiſne ei videretur inſtructus ad obterendum hoſtem, ſuæ ſortis, & regiæ ſuperbiæ oblitus, liberius profitetur quid ſentiat hoc pacto l.3. n. 2. *Verum & tu forſitan audire nolis, & ego niſi nunc dixero, aliàs nequaquam confitebor. Hic tanti apparatus exercitus, hæc tot gentium, & totius Orientis excita ſedibus ſuis moles, finitimis poteſt eſſe terribilis.*

Cremutius Cordus apud Tacit. l. 4. poſtulatus maieſtatis, quòd in Annalibus ſuis Brutum, & Caſſium laudaſſet, cognoſcente Tiberio cauſâ propè deſperata, relinquendæ vitæ certus in hunc modum exorſus eſt. *Verba mea P. C. arguuntur: adeò factorum innocens ſum. Sed neque hoc in Principem, aut Principis parentem, quos lex maieſtatis amplectitur. Brutum & Caſſium laudaniſſe dicor, quorum res geſtas cùm plurimi compoſuerint, nemo ſine honore memorauit.*

PVNCTVM V.

Diſtributio.

MIrum quantum ornamenti, & dignitatis afferat genus hoc figuræ ipſis Exordiis, non modò propter amplitudinem Orationis, & copiam, ſed etiam propter claritatem, & perſpicuitatem. Cic. pro Quintio. *Quæ res in ciuitate duæ plurimum poſſunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, & eloquentia: quarum alteram C. Aquilli, vereor, alteram metuo. Eloquentia Q. Hortenſij ne me dicendo impediat, non nihil, commoueor: gratia Sex. Næuij, ne P. Quintio noceat, id verò non mediocriter pertimeſco.* Idem pro Sextio n. 3. Gœlio

PVNCTVM VI.

Antiteſis.

HOc genus Exordij plus habet pompæ, quàm roboris & virium, proindè in Panegyricis præcipuè valet. Cic. in Oratore ad Brutum. *Vtrum difficilius, aut maius eſſet tibi ſæpius: roganti, an efficere id, quod rogares, diu multumque Brute, dubitaui. Nam & negare ei, quem vnicè diligerem, cuique me chariſſimum eſſe ſentirem præſertim & iuſta parenti, & præclara cupienti, durum admodum mihi videbatur, & ſuſciperet tantam rē, quantam non modò facultate conſequi difficile eſſet, ſed etiam cogitatione complecti, vix arbitrabar eſſe eius, qui vereretur reprehenſionem doctorum, atque prudentum,*

PVNCTVM VII.

Suſpenſio.

HAud ſcio an aliquid illuſtrius in ipſo Exordio poni poſſit, quàm Suſpenſio, quæ mirificè præparat animum Auditoris expectatione rei alicuius magnæ, acuitur enim illa ſuſpenſione, vehementi quadam ſciendi cupiditate, quid ſit illud quod polliceatur Orator. Verrina 1. Cic. *Quod erat optandum maximè, Iud. & quod vnum ad inuidiam veſtri ordinis, infamiamq; iudicio*

diciorum ſedandam maximè pertinebat:id non humano conſilio,ſed propè diuinitus datum,atque oblatum vobis ſummo Reip. tempore videtur. Inueterauit enim iam opinio pernicioſa Reip. nobiſq; periculoſa: quæ non modò Romæ,ſed & apud exteras nationes, omnium ſermone percrebuit his iudicijs, quæ nunc ſint,pernicioſum hominem,quamuis ſit nocens, neminem poſſe damnari.

PVNCTVM VII.

Apoſtrophe.

NAm ſenſus fit acrior, atque vehementior, ad perſonam alterius directus Cic. pro Ligar. *Nouum crimen C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum,propinquus meus ad te Q. Tubero detulit Q. Ligarium in Africa fuiſſe,idq; C. Panſa,præſtanti vir ingenio,fretus fortaſſe ea familiaritate qua eſt ei tecum,auſus eſt cõfiteri.Itaque quo me vertã neſcio.* Item pro Rabirio Poſthumo,& Cluentio.

LECTIO VI.

De Motibus Exordii.

TAmetſi propriè motus ad perorationem pertineant,eoque loco de perturbationibus animi multa dicturi ſimus;quia tamen in Exordiis ſuum etiam locum obtinent,non videtur ſilentio prætermittendum illud, duo ſcilicet in Exordiis neceſſaria eſſe, quantum ad hanc rem pertinet.

I. Vt ſit morata Oratio,hoc eſt bonos mores dicentis exprimat,quod cùm in omni oratione, tùm maximè ipſis initiis,quæritur.

II. Vt ſit Pathetica, hoc eſt, vt quodammodo afficit Auditorem,& in eius animo, vel odium,vel beneuolentiam, vel fiduciam, aut dolorem, vel voluptatem excitet, prout argumentum poſtulabit. Aggrederis expoſtulationem? ipſum Exordium continere debet Doloris ſemen. Defenſionem ſuſcipis? Fac dicendi initio vt ament reum Iudices, ſentiantq; ſe inflammari ſenſim ad beneuolentiam. Similis eſt aliarum ratio.

PVNCTVM I.

Lætitiæ Motus.

QVoniam aliter in principiis, aliter in peroratione motus afferuntur, hic quoque more noſtro cenſemus motuum aliquot exempla tradenda, vndè illud artificium fieri poſſit illuſtrius. Lu. Papirius apud Liui.lib.P.n.35. agit ad populum de abſolutione Qu. Fabij. contra edictum Dictatoris cum Samnitibus ſigna contulerat,itaque abſoluto Fabio contra Dictatoris ſententiam ſic orditur. *Benè habet, Quirites, vicit diſciplina militaris:vicit Imperij:quæ in diſcrimine fuerunt,an vlla poſt hanc diem eſſent. Non noxa eximitur Fabius, cui contra edictum Imperatoris pugnauit;ſed noxæ damnatus,donatur populo Rom. donatur Tribunitiæ poteſtati,precarium non iuſtum auxilium ferenti.*

PANCTVM II.

Motus Doloris.

INſignis eſt ille doloris motus apud Tacit.lib. 2.vbi Germanicus moriens de veneno à Piſone Syriæ præſide parato queritur,hoc ferè modo. *Si fato concederem,iuſtus mihi dolor etiam aduerſus Deos eſſet,quòd me parentibus,liberis,patriæ intra iuuentam præmaturo exitu raperent. Nunc ſcelere Piſonis,& Placinæ interceptus vltimas preces pectoribus veſtris relinquo; referatis patri ac fratri quibus inſidijs circumuentus miſerrimam vitam peſſima morte finierim. Si quos ſpes meæ,ſi quos propinquus ſanguis,etiam quos inuidia erga viuentem mouebat illachrymabunt, quondam florentem & tot bellorum ſuperſtitem muliebri fraude cecidiſſe. Erit vobis locus querendi apud Senatum,inuocandi leges. Non hoc præcipuum amicorum munus eſt,proſequi defunctum ignauo queſtu: ſed quæ voluerit meminiſſe, quæ mandauerit exequi. Flebunt Germanicum etiam ignoti, vindicabitis vos, ſi me potius, quàm fortunam meam fouebatis. Oſtendite populo Rom. Diui Auguſti neptẽ,eandemq; coniugẽ meam: Numerate ſex liberos, Miſericordia cum accuſantibus erit, fingentibusq; ſceleſta mandata, aut non credent homines, aut non ignoſcent.*

Digitized by Google

PVNCTVM III.

Motus Spei.

APud eundem in vita Agricolæ Galgacus Britannos hortatur contra Iulium Agricolam, atque ipſo dicendi initio ſpem victoriæ præ ſe ferr. *Quoties cauſas belli, & neceſſitatem noſtrã intueor, magnus mihi animus eſt, hodiernum diem, conſenſumq; veſtrum initium libertatis totius Britanniæ fore. Nam & vniuerſi ſeruitutis expertes: & nulla vltra terra, ac ne mare quidem ſecurum imminente nobis claſſe Romana, ita prælium, atque arma, quæ fortibus honeſta eadem etiam ignauis tutiſſima ſunt. Priores pugnæ quibus aduerſus Romanos varia fortuna certatum eſt, ſpem ac ſubſidium in noſtris manibus habebant. Nos terrarum, ac libertatis extremos receſſus ipſe, ac ſinus famæ in hunc diem defendit, nunc terminus Britanniæ patet, atque omne ignotum, pro magnifico eſt.*

PVNCTVM IV.

Motus Indignationis.

HIC notandum primo in Exordijs leniores eſſe debere motus, propterea quòd nondum exarſit Orator, ſenſim enim progreditur, & vires acquirit motus, ſed tamen in Exordio ſemina motuum omnium latere neceſſe eſt, qui deinde in perorationе, quaſi ſubiectis facibus, inflammantur.

Secundò vbi exprimitur motus indignationis in principiis dicendi leniri oportere omnem acerbitatem illius motus, vel laudatione aliqua, vel excuſatione niſi fortè ſit ea, quæ dicit, perſona, eiuſmodi quæ plurimum habeat auctoritatis, vel à natura, vel ab imperio, vel à virtute, atque prudentia: quamquam ne tùm quidem debet eſſe acrior indignatio vel liberior,

Veturia mater in iram ex precibus verſa, ſic loquitur ad Coriolanum filium, cùm ipſe mœnibus patriis infeſtus immineret, matrique obniæ ferret complexum. Apud Liui. lib 2. *Sine priuſquam complexum accipio, ſciam, ad hoſtem, an ad filium venerim, captiua materne in caſtris tuis ſim. In hoc me longa vita & infelix ſenecta traxit, vt exulem te deinde hoſtem viderem? potuiſti populari hanc terram, quæ te genuit, atque aluit? non tibi quamuis infeſto animo, & minaci peruneneras, ingredienti fines ira cecidit? non, cum in conſpectu Roma fuit, ſuccurrit, intra illa mœnia domus, ac Penates mei ſunt? Mater, coniux, liberiq; ergo ego niſi peperiſſem, Roma non oppugnaretur? niſi filium haberem, libera in libera patria mortua eſſem? ſed ego nihil iam pati, nec tibi turpius, quàm mihi miſerius poſſum, nec vt ſim miſerrima diu futura ſum, de his videris: quos ſi pergis, aut immatura mors, aut longa ſeruitus manat.*

LECTIO V.

De Moratis Exordijs.

MOratam Orationem Ariſt 1. Rhet. velut quoddam genus probationis enumerat. Eſt autem morata Oratio quæ veluti mores Oratoris effingit: Cùm videlicet, vt ait Cic. 2. de Orat. 184. tantum efficitur ſenſu quodam, ac ratione dicendi, vt quaſi mores Oratoris effingat Oratio: Genere enim quodam ſententiarum & genere verborum, adhibita etiam actione leno facilitateque ſignificandi, efficitur, vt probi, vt bene morati, vt boni viri eſſe videantur. Et hoc vel in principiis, vel in re narranda, vel in peroranda, tantam habet vim, ſi eſt ſuauiter, & cum ſenſu tractatum, vt ſæpè plus, quàm cauſa valeat Cuius rei, quoniam illa quidem magni ponderis eſt, valerque multum in Exordiis, exempla quædam proponenda cenſeamus.

PVNCTVM I.

Pietatis Studium.

QVia virtutis eſt hominum ſibi demereri animos, & ad vſus ſuos adiungere, in hanc curã diligenter incũbere debet Orator, vt non ſolùm bonus ſit, ſed etiam probus habeatur, ac bene-moratus, iiſque præditus virtutibus, quæ gratioſum, & amabilẽ reddere hominem ſolent.

In

In Commendatione ſunt Pietatis ſtudium 2. in Catil.n.29. *Quæ quidem ego neque meâ prudentiâ neque humanis conſiliis fretus polliceor vobis, Quir. ſed multis, & non dubiis Deorū Immor. ſignificationibus, quos vos precari, venerari, atque implorare debetis, vt quā vrbem pulcherrimam florentiſſimā, potentiſſimamque eſſe voluerūt, hanc, omnibus hoſtium copiis, terra marique ſuperatis, à perditiſſimorum ciuium nefario ſcelere defendant.* Item pro Haruſp. num. 18.

PVNCTVM II.

Amor in Patriam.

CHaritatis in patriam ſignificatione. 4. Catil. Exordium inſigne eſt eloquentiæ ſpecimen; eſt autem eiuſmodi. *Video PC. in me omnium veſtrum ora, atque oculos eſſe conuerſos, video vos non ſolum de veſtro, ac Reip. verum etiam ſi id depulſum ſit, de meo periculo eſſe ſollicitos. Eſt mihi iucunda in malis, & grata in dolore veſtra erga me voluntas, ſed eam per Deos immort. quæſo deponite, atque obliti ſalutis meæ, de vobis, ac de liberis veſtris cogitate. Mihi quidem ſi hæc conditio cōſulatus data eſt, vt omnes acerbitates, omnes dolores, cruciatusque perferrem; feram non ſolum fortiter, verum etiam libenter, dummodo meis laboribus, vobis populoque Rom. dignitas ſalusque pariatur.*

Quam fortis Oratio? quid illa quæ ſequitur? *Ego ſum ille Conſul cui non forum, in quo omnis æquitas continetur: non campus Conſularibus auſpiciis conſecratus: non curia ſummum auxilium omnium gentium: non domus commune perfugium: non lectus ad quietem datus: non denique hæc ſedes honoris, ſella Curulis, vnquam vacua mortis periculo, atque inſidiis fuit. Ego multa tacui, multa conceſſi, multa meo quodam dolore, in veſtro timore ſanaui.*

Lege quæ ſequuntur, atque illud imprimis pondera expreſſum eleganter ad motum. *Neque tamen ego ſum ille ferreus, qui fratris clariſſimi, atque amantiſſimi præſentis mœrore non mouear, b morumque omnium lacrymis, à quibus me circumſeſſum videtis. Neque meam mentem non domum ſæpe reuocat exanimata vxor, abiecta metu filia, & paruulus filius, qui mihi videtur amplecti Remp. tanquam obſidem Conſulatus mei.*

PVNCTVM III.

Iuſtitia & Æquitas.

IVſtitiæ & Æquitatis commendatione pro Roſ. Amer. n. 10. *Sin à vobis (quod non ſpero) deſerar, tamen animo non deficiam, & id quod ſuſcepi, quoad potero, perferam, quòd ſi perferre non potero, opprimi me onere officij malo, quam id quod mihi cū fide ſemel impoſitū eſt, aut propter perfidiā abijcere, aut propter infirmitatem animi deponere.*

PVNCTVM IV.

Gratitudo.

GRatitudinis ſignificatione 2. Agraria n. 5. *Verſantur in animo meo multæ, & graues cogitationes quæ mihi nullam partē, neque diurnæ, neque nocturnæ quietis impertiunt, primum tuendi Conſulatus: quæ cum omnibus eſt difficilis, & magna ratio; tum vero mihi præter cæteros.* Pro Archia. n. 1. ad Quirit. poſt red. in Senatu 1. pro Sext. 2.

PVNCTVM V.

Studium Pacis & Concordiæ.

STudij Pacis & Concordiæ teſtificatione. Phil. 13. n. 1. *In principio huius belli PC. quod cum impiis ciuibus ſceleratiſque ſuſcepimus, timui ne conditio inſidioſa pacis, libertatis recuperandæ ſtudia reſtingueret. Dulce enim eſt nomen pacis: res vero ipſa, cùm iucunda, tùm ſalutaris. Nam nec priuatos focos nec publicas leges, nec libertatis iura chara habere poteſt, quem diſcordiæ quem cædes ciuium, quem bellum ciuile delectat: eumque ex numero hominum eiiciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto.*

PVNCTVM VI.

Liberalitas.

LIberalitatis & beneficentiæ teſtimonio. Pro Flacco 1. *Cùm in maximis periculis huius vrbis, atque imperij, grauiſſimo, atque acerbiſſimo*

Digitized by Google

ſimo Reip. caſu, ſocio atque adiutore conſiliorum, periculorumque meorum Flacco, cædemà vobis, cõiugibus, liberis veſtris, vaſtitatem à templis, delubris, vrbe, Italia, depellebam, ſperabam Iud. honoris potius L. Flacci me adiutorem futurum, quàm miſeriarum deprecatorem.

Non minus eleganter, & ad motum melius pro Planc. 1. *Cùm propter egregiam, & ſingularem Plancij Iud. in mea ſalute cuſtodienda fidem, tàm multos, & bonos viros eius honori viderem eſſe fautores, capiebã animo non mediocrem voluptatem, quod cuius officium mihi ſaluti fuiſſet, & meorum tempoꝛũ memoriam ſuffragari videbam.*

Pvnctvm VII.

Solicitudo.

CVræ, ſolicitudinis, ac metus ſignificatio one. 5. in Verr. num. 4. *Atque ego plus oneris habeo, quàm qui cæteros accuſarant (ſi onus id eſt apellandum, quod cum lætitia feras, ac voluptate) veruntamen hoc ego amplius ſuſcepi, quàm cæteri; quod ita poſtulatur ab omnibus, vt ab iis ſe abſtineant maximè vitiis, in quibus alterum reprehenderunt. Furem aliquem, aut rapacem accuſaris? Vitanda tibi erit omnis auaritiæ ſuſpicio, & cætera quæ ſunt de accuſandi periculo, ac difficultate. Ego in vno homine omnia vitia, quæ poſſunt in homine perdito nefarioque eſſe reprehendo nu'ũ eſſei ndiciumlibidinis, ſceleris, audaciæ, quod no nin vniusiſtius vita perſpicere poſſitis. Ego iniſto reo legẽ.* Pro Quintio. 1. Mil. 1. Deiot. 1.

Pvnctvm VIII.

Humanitas expreſſa & Amor in doctos homines.

PRo Archia. *Si quid eſt in me ingenij quod ſentio quàm ſit exiguum, aut ſi qua exercitatio dicendi, inqua me non infictor mediocriter eſſe verſatum, aut ſi huiuſce rei ratio aliqua, ab optimarum artium ſtudijs & diſciplina profecta, à qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe, earum rerum omnium vel, in primis hic A. Licinius fructumà me repetere propè ſuo iure debet.*

Pvnctvm IX.

Officij Expreſſio.

DIuinat. in Verr. fingit ſe ſtudioſiſſimum in colendo Officio num. 5. *Adductus ſum Iud. Officio, fide, miſericordiâ, multorum bonorum exemplo, veteri conſuetudine, inſtitutoque maiorũ, vt onus hoc laboris, atque Officij, non ex meo, ſed ex meorum neceſſarium tempore mihi ſuſcipiendum putarem.*

Pvnctvm X.

Expreſſa fortitudo atque nobilitas.

APud Vir. inſignis eſt Sinonis Oratio, quâ ſe virum, & probum, & nobilem fingit Palamedis affinem, vt facilius quod vult populo Troïano perſuadeat, quo in genere neſcio an aliquid fingi poſſit illuſtrius. 2. Æn.

Illi me comitem & conſanguinitate propinquum
Pauper in arma pater primus huc, miſit ab annis.
Dum ſtabat regno incolumis regnumque vigebat.
Conſilijs: & nos aliquod nomenque decusque
Geſſimus, &c.

Pvnctvm XI.

Modeſtia

IAm verò ad mores Oratoris amabilis, & amorem conciliandum non parum confer, ſi dũ de ſe dicere conſtituit, illud cautè modeſteque faciat, & citra arrogantiã, quod præſtabit ſi modeſtiam polliceatur hoc edoctus à Cic. qui 2. Agra. num 2. *De me autem ipſo vereor ne arrogãtis ſit apud vos dicere: ingrati tacere. Nam & quibus ſtudiis hanc dignitatem conſequutus ſim, memetipſum commemorare perquàm graue eſt; & ſilere de tantis veſtris beneficiis nullo modo poſſum. Quare adhibebitur à me certa ratio moderatioque dicẽdi, vt quod à vobis acceperim, commemorẽ; quare dignus veſtro ſũmo honore, ſingularíq; iudicio ſim ipſe modice dicam*

Digitized by Google

eam; ſi neceſſe erit, vos eoſdem exiſtimaturos putem qui iudicauiſtis.

Pro Amer. n. 5. *Ego huic cauſæ patronus exititi, non electus vnus, qui maximo ingenio, ſed relictus ex omnibus qui minimo periculo poſſe dicere: Neq; vti ſatis firmo præſidio defenſus Roſcius, verùm vti ne omnino deſertus eſſet.* Item pro Quin. 1. pro lege Man. 1.

Sic per dubitationē ſua beneficia referat. 12. Phil. *Is enim ſum, niſi me fallo, qui vigiliis, curis, ſententiis, periculis etiam, quæ plurima adij propter acerbiſſimum omnium in me odium impiorum, perfecerim, vt non n obſtarent Reip. ne quid arrogantius videar dicere.* Pro Mur. item 78.

III. Si periphraſim adhibeat, de Haruſp. reſponſis non ſeipſum nominat, ſed περιφραστικῶς deſcribit n. 58. *Quid de patria loquar qui primū præſidiis depulit, quem vos patriæ conſeruatorem eſſe ſæpiſſimè iudicaueritis.*

IV. Si conatum ac ſtudium tantum profiteatur. Diuinat in Verrem, non ſibi eloquentiam, ſed eloquentiæ ſtudium adſcribit. *Fortaſſe dices, quid? ergo hæc in te ſunt omnia? vtinam quidem eſſent! verumtamen vt eſſe poſſent, magno ſtudio mihi à pueritia eſt elaboratum.*

V. Si reiectione vtatur, ac præteritione, ibidē modeſtè arrogantiæ ſuſpicionem declinat. *Intelligo quàm ſcopuloſo, difficiliq; in loco verſer: Nam cùm omnis arrogantia odioſa eſt, tùm illa ingenij atque eloquentiæ, multò moleſtiſſima. Quamobrem nihil dico de meo ingenio, neque eſt quod poſſim dicere, neque fortaſſe dicerem. Aut enim id mihi ſatis eſt de me opinionis, aut, ſi id parum eſt, ego, maius in commemorando facere non poſſum.*

VI. Si neceſſitatem ſimulet pro Domo ſua. *Et quoniam hoc reprehendis, quod ſolere dicas me de me ipſo glorioſus prædicare: quis vnquam audiuit, cùm ego de me, niſi coactus ac neceſſario dicerem: nā ſi cùm mihi furta, libidines, largitiones obiiciuntur, ego reſpondere ſoleo, meis conſiliis, periculis laboribus Patriam eſſe conſeruatam: non tam ſum æſtimandus de geſtis rebus gloriari, quàm de obiectis non confiteri,* Phil. 14. *Tu igitur ipſe de te dixerit quiſſ iam. Et quidem inuitus, ſed iniuriæ dolor fecit me præter conſuetudinem glorioſum.*

VII. Si perſonæ commutationem proponat. in Piſo. 6 *Me Q. Catulus princeps huius ordinis, & auctor publici conſilij, frequentiſſimo Senatu parētem Patriæ nominauit. Mihi hic vir clariſſimus, qui propter te ſedet L. Gellius, his audientibus ciuium coronam deberi à Rep. dixit.*

VIII. Si cum cæteris communicet Cic. Catil. 2. eiectionem proditoris Catilinæ, non ſibi, ſed toti n. 1. *Tandem aliquando Quirites, Catilinam furentem audaciâ, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem, vobis atque huic vrbi ferrū flāmaque minitantem, ex vrbe vel eiecimus, vel emiſimus, vel ipſum egredientē vrbe proſequuti ſumus.*

LECTIO VI.

De Moderatione Oratori in aliorum reprehenſionibus adhibenda.

AMicitiæ motiuum laudem, inimicitiarum vituperationem, atque reprehenſionem eſſe, nemo neſcit. Hinc inter multos varioſque lapſus Cic. de Oratore libris, aduerſam vitandā eſſe acclamationem monet, quæ Orationis aliquo peccato excitatur: ſi arroganter, ſi quoquo vitio dictum aliquid eſſe videatur. Eam ob rem, acerbitas vitanda, moduſque in aduerſariorum reprehenſione adhibendus, ne pro beneuolentia, maleuolentiam concilies, & lapſum non erigas, ſed caſum præcipitanti grauiorem inferas; id autem vitabitur ſi ex imitatione Cic. hæc præcepta obſeruata fuerint.

PVNCTVM I.

Tranſlatio culpæ.

REprehendere ſimul, & audiri beneuolè ab eo quem reprehendas, difficile, iuſta igitur commotio grauiorque in leges; & inſtituta Reip. vel in aduerſarium transferenda. De Haruſp. reſponſ. vehementiam ſuam in Clodium excuſat, culpā in eius impudentiam, ac iniurias, ingenioſè tranſlata num. 1. *Heſterno die, cùm me, & veſtra dignitas, & frequentia Equitū Rom. quibus Senatus daretur, magnopere cōmouiſſet: putaui mihi reprimendam eſſe P. Clodij impudicam*

Digitized by Google

impudentiam, cùm is publicanorum cauſam ſtultiſſimis interrogationibus impediret.

1. in Verr. 18. *Etenim ea dicam quæ ille ſi commemorari noluiſſet, non tāto in conuentu, tàm apertè palamque dixiſſet: quæ tamen pedetentim à me cauteque dicentur: vt & amicitiæ noſtræ, & dignitatis illius habita ratio eſſe intelligatur.*

Pvnctvm II.

Iuſta commotio.

SI iuſtam iracundiam eſſe demonſtret. Pro Sext. paulò acrius & vehementius commotum dolore, atque ira iuſtiore quâ propter iniuriarum magnitudinem exarſerat ſeſe excuſat, n. 4. *Itaque ſi aut acrius egero, aut liberius, quàm qui ante dixerunt: peto à vobis, vt tantùm Orationi meæ concedatis, quantùm & pio dolori, & iuſtæ iracundiæ concedendum putetis.*

Id etiam præſtat Orator, doloris, ac metus ſignificatione. Pro Quinctio n. 57. *Quid ergo eſt vereor mehercule, ne aut grauioribus vtar verbis, quàm natura fert; aut leuioribus, quàm cauſa poſtulat.*

Iracundiæ ac vehementiæ ſeparatione Phil. 8. Qu. Fuſio Caleno reſpondet, & aliud iracundè, aliud eſſe vehementer agere oſtendit. Num. 16. *Nam me tecum iracundè agere dixiſti ſolere: non eſt ita, vehementer agere me fateor, iracundè nego: omninò iraſci amicis non timerè ſoleo, ne ſi merentur quidem.*

Pvnctvm III.

Præmunitio.

NE petulantius quàm par erat in Conſulem populi Rom. inuectus eſſe videatur ſe præmunit, redditque rationem cur in ſectando Antonio nullam Conſularis dignitatis rationem ſit habitutus Phil. 2. hanc enim affert officij, & perſonæ diſtinctionem. num. 10. *Non tractabo vt Conſulem, ne ille quidem me vt Conſularem. Etſi ille nullo modo Conſul: ego ſine vlla controuerſia Conſularis.*

Per votum & optationem 2. Agrar. ad populum contra Decemuiros quædam dicturus οὐχῆ illa mitigat, n. 61. *Non conſueui homines appellare aſperius Quir. niſi laceſſitus: Vellem fieri poſſet, vt à me ſine contumelia nominarentur ij, qui ſe Decemuiros ſperant eſſe futuros: iam videretis quibus hominibus omnium rerū & vendendarum, & emendarum poteſtatem permitteretis.*

Communicatione ac ingenua confeſſione eorumdem delictorum. Pro Ligario, cùm grauiter inuectus eſſet in Tuberonem, vt Ligarij crimen eleuaret, Communicatione vituperationem mitigat, num. 9. *Nimis vrgeo, commoueri videtur adoleſcens: ad me reuertar, iiſdem in armis fui. Quid autem aliud egimus Tubero, niſi, vt quod hic poteſt, non poſſemus?*

Pollicitatione moderationis, & breuitatis. Pro Flacco n. 67. *Submiſſa voce agam, tantum vt Iudices audiant. Neque optimum quemque incuēt; quos ego, quò id facilius faciant, non adiuuabo.*

Elegantius pro Sextio animi moderationem in vlciſcendis inimicis præ ſe fert. n. 14. *Sed vt agam moderatè, & huic potius tempori ſeruiā, quàm dolori meo, ſi qui occultè à ſalute noſtra diſſentiunt, lateant: Si qui fecerunt aliquid aliquando, atque iidem nunc tacent, & quieſcunt, nos quoque obliti ſimus. Si qui ſe offerent inſolenter, & inſectabuntur, quoad ferri poterunt perferemus; neque quemquam offendet Oratio mea, niſi qui ſe ita obtulerit, vt in eum non inuaſiſſe, ſed incurriſſe videatur.*

Excuſatione & veniâ. Pro Cœlio. Atratinum Cœlij accuſatorem excuſat, & ignoſcendum ei confirmat propter pietatem, vel ætatem, n. 2. *Sed ego Atratino humaniſſimo, atque optimo adoleſcenti meo neceſſario ignoſco; qui habet excuſationem, vel pietatis, vel neceſſitatis, vel ætatis. Si voluit accuſare, pietati tribuo, ſi iuſſus eſt, neceſſitati ſi ſperauit aliquid pueritiæ.*

Pvnctvm IV.

Comemndatio.

IRacundiæ & odio non videberis indulgere, ſi laudationem præmittas. Pro lege Man. Catuli

tuli & Hortenſij reprehenſionem, atque refutationem aggreſſus, eorumdem commendationem honorificam præmittit, n. 51.] *Atenim vir clariſſimus Reip. & veſtris beneficijs ampliſſimis affectus Qu. Catulus, itemq; ſummis ornamentis honoris, fortunæ, virtutis ingenij præditus Qu. Hortenſius, ab hac ratione diſſentiunt; quorum auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuiſſe, & valere oportere confiteor. Etenim talis Catulus, vt nulla res tanta ſit tàm difficilis, quam ille non, & conſilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere poſſit.*

Pro Plancio laudat aduerſarium, eiuſdemque non ingratos ſibi aculeos extitiſſe fatetur, n. 58. *Et quoniam tua fuit perelegans, ac perſubtilis Oratio, digna Equitis Rom. vel ſtudio, vel pudore: quoniãq; ſic ab his auditus, vt magnus honor, & ingenio, & humanitati tuæ tribueretur, reſpondebo.*

Phil. 13. Lepidi Pontificis ſententiam reprehenſurus laudem inſignem tanto viro tribuit, n. 7. *Nullius apud me P. C. auctoritas maior eſt, quàm Lepidi, vel propter ipſius virtutem, vel propter familiæ dignitatem.*

LECTIO V.

Amor & beneuolentia.

AMorem, ſtudium, ac beneuolentiam profitetur Cic. pro Flacco, priuſquam Græcis teſtimonij fidem adimat, & ne eos offendat ſeſe primùm amicum huic nationi confirmat, cuius rei cauſas adfert, inque laudes illorum pluribus excurrit à n. 9. *At quos teſtes primùm dicam id quod eſt commune, Græcos: non quo nationi huic ego vnus maximè fidem derogem. Nam ſi quis vnquam de noſtris hominibus à genere iſto, ſtudio ac voluntate non abhorrens fuit; me & eſſe arbitror, & magis etiam tùm cùm plus erat otij. Tribuo illis litteras, do multarum artium diſciplinam, non adimo ſermonis leporem, ingeniorum acumen dicendi copiam, denique ſi quæ ſibi alia ſumunt.*

Phil. 1. querelam habiturus de Antonij iniurijs, ſe huius amicum profitetur. n. 11. Et Tuberonem reprehenſurus fauoris ac beneuolentiæ ſignificationem permittit. n. 8. *Cuius ego induſtriæ gloriæque faueo.*

Permiſſione amica ex aliorum reprehenſione, nullam te voluptatem capere probabis quod facit. Pro Sylla Tull. vbi leniter Torquatum aduerſarium tractat, eidemque non pauca concedit n. 46. *Fero ego te Torquate, iamdudum fero, & nonnunquam animum incitatum ad vlciſcendam Orationem tuam reuoco ipſe, & reſtricto. Permitto aliquid iracundiæ tuæ, do adoleſcentiæ, cedo amicitiæ, tribuo parenti. Sed niſi tibi aliquem modum vitæ cõſtitueris, coges oblitum me noſtræ amicitiæ, habere rationem noſtræ dignitatis.*

PVNCTVM VI.

Perſonæ Commutatio ac Præteritio.

TVll. diuinatione in Verr. non Qu. Cæcilium virum bonum eſſe negat, ſed Siculoſuſpicari dicit; Quos aliqua ex parte excuſat, dùm acutos & ſuſpicioſos facit, n. 28.] *Hic ego de te plura non dicam: vnum illud credo omnes animaduertere, te adhuc à nullis, niſi à Siculis potuiſſe cognoſci. Siculos hoc dicere, cùm eidem ſint irati, cui tu te inimicum eſſe dicis, ſeſe tamen te actore ad iudicium non adfuturos. Quare negent, ex me non audies; hos patere id ſuſpicari, quod neceſſe eſt.*

Præteritionis eſt illud eximiũ Cic. 2. actione in Verr. n. 32. *Omnia præteribo quæ mihi turpia dictu videbuntur: neque ſolùm quod audire, verum etiam quid me deceat dicere, conſiderabo. Vos quæſo, date hoc, & concedite pudori meo vt aliquam partem de iſtius impudentia reticere poſſim. Omne illud tempus quod fuit, antequam iſte ad magiſtratus Remque pub. acceſſit, habeat per me ſolutum ac liberum; ſileatur de nocturnis eius bacchationibus, ac vigilijs: lenonum, aleatorum, productorum nulla mentio fiat: damna, decora, quæ res patris eius, ætas ipſius pertulit, prætereantur; lucretur indicia veteris infamiæ: patiatur eius reliqua vita me hanc tantam iacturam criminum facere.*

Amicè magis, ac leniter pro Roſ. Amer. παραλείψει, nec nuda cauſis additis vtitur, n. 54. *Permulta ſunt, quæ dici poſſũt, quare intelligatur, ſũmã tibi facultatẽ fuiſſe maleficij ſuſcipiẽdi, quæ nõ modò idirco prætereo, quod teipsũ nõ libenter accuſo; verũ eò magis etiã, quod ſi de illis cædibus velim cõme-*

Digitized by Google

morare, quæ tum facta ſunt, iſta eadem ratione, qua Sex. Roſcius occiſus eſt, vereor ne ad plures Oratio mea pertinere videatur.

Paulò vehementius de Prouiñ. Coſſ. Piſonis flagitia tractat, eiuſque fingit ſe vrbanam audaciam, ſuperbiam, crudelitaté, & occultas libidines præterire vt eum magis in odium adducat, n. 8. *Itaque omnia illa quæ & ſæpè audiſtis, & tenetis animis, etiamſi non audiatis prætermitto. Nihil de hac eius vrbana, quam ille præſens in oculis veſtris, mentibuſq; defixit, audacia loquor, nihil de ſuperbia, nihil de contumacia, nihil de crudelitate diſputo, lateat libidines eius illæ tenebritoſæ, quas frõte, & ſupercilio, nõ pudore, & tẽperantia cõtegebat.*

Pvnctvm VII.

Nominis Omiſſio.

INnocentiam, & temperantiam cæteraſque virtutes eius comites, & adminiſtras Pompeij laudaturus Cic. aliorum Imperatorum auaritiam aliaque vitia notat, ſed ſuppreſſo nomine, Pro lege Man. n. 37. *Quem enim poſſumus Imperatorum aliquo in numero putare, cuius in exercitu veneant Centuriatus? quid hunc hominem magnum, aut amplum de R. p. cogitare, qui pecuniam ex ærario depromptam ad bellum adminiſtrandum, aut propter cupiditatem prouinciæ magiſtratibus diuiſerit, aut propter auaritiã Romæ in quæſtu reliquerit: Veſtra admurmuratio facit, Quir. vt agnoſcere videamini, qui hæc fecerint: ego autem neminem nomino Quare iraſci mihi nemo poterit, niſi qui ante de ſe voluerit confiteri.*

Pvnctvm VIII.

Reiectio Culpæ.

DE aduerſariorum ſceleribus agens Cic. pro Roſcio præſcindit culpam, ac reiicit n. 123. *Dixi initio Iud. nolle me plura de iſtorum ſcelere dicere, quàm cauſa poſtularet, ac neceſſitas ipſa cogeret. Nam & multa res afferri poſſunt, & vnaquaq; earum multis cum argumentis dici poteſt. Verum ego, quod inuitus facio; neque diligenter facere poſſum.*

His omnibus vti poteſt Orator non in Exordio ſolùm, ſed etiam antequam refutet, aduerſarium; ne quid excidat audax, & inſolens, quòd inimico ab auditoribus, & infeſto animo capiatur. Nam vt animi benè morati & inſtituti nobilitas, humanitaſque vehementer audientium dici, cogitatique poteſt, ad beneuolentiam omnem aliorum extinguendam, quàm inſolentis ſupercilij elatio, quæ grauem & imperioſum, & tumida quadam ſuperbia ſeſe efferentem ſignificat, quem nemo non odit & auerſatur.

Lectio VII.

De Inſinuatione.

CVm varia ſint genera cauſarum à Tull. 1. de Inu. recenſita. Honeſtum, Admirabile, Humile, Anceps, Obſcurum, videndum eſt quæ ſit in his, Exordij contexendi ratio, & quæ ex illis poſtulent inſinuationem; quam appello veteratoriam quandam verborum ambagem, ſeu circumloqutionem, & quaſi ſinum, quo in animum auditoris nihil minus cogitantis irrepimus, aut cuniculis ſuffodimus ſubſtructionem illius, murumque denſenſionis, quaſi muſculis quibuſdam ſubimus.

Pvnctvm I.

Honeſtum.

CVi ſtatim fauet auditoris animus, propter eam, quam præ ſe fert cauſa, honeſtatem: hoc eſt, cùm id defendimus, aut popugnamus, quod omnibus defendendum, vel oppugnandum videtur. Cui nihil eſt opus Inſinuations. Non conmorabor diutius in concilianda mihi veſtra beneuolentia Iud. quam rei dignitas atque præſtantia, ſatis per ſe iam adiunxit, Demonſtrandum enim eſt mih i nihil illuſtrius ad memoriam nominis veſtri ſempiternam, quàm ſi &c.

Digitized by Google

PVNCTVM II.

Admirabile, Incredibile, Abſurdum.

AB his alienus eſt auditoris animus, quòd præter ipſius opinionem aliquid profiteatur Orator: in quo genere cauſæ, ſi non omninò ſit infenſus auditor, primò beneuolentia camparari debet; ſin vehementer alienatus fuerit, confugiendum eſt ad Inſinuationem. Paupertatem quis, exilium, aut mortem, aut aliqua vitæ grauioris, incommoda laudat, polliceri debet, ſe probaturum plus in illis eſſe commodi, quàm detrimenti, honoris quàm dedecoris delectationis, quàm laboris. Magnus in hoc artificio fuit Cic. nam cùm paradoxo Cæſarem ipſam victoriam viciſſe dixiſſet, vtitur præmunitione ne auditores offendat, acumen Orationis, & ſubtilitas: quia videlicet periculum erat ne frigida videretur Oratio, dùm inuictum eſſe demonſtrat, ex eo quòd ſua clementia, & æquitate animi ipſius victoriæ naturam conditionemque ſuperarit pro Marcello num. 12. *Vereor vt hoc quod dicam, non perinde intelligi auditu poſſit, atque ego ipſe cogitans ſentio, ipſam victoriam viciſſe videris, cum ea ipſa quæ illa erat adepta, victis remiſiſti. Nam cùm ipſius victoriæ conditione iure omnes victi occidiſſemus, clementiæ tuæ iudicio conſeruati ſumus. Rectè igitur vnus inuictus es, à quo etiam ipſius victoriæ conditio, vſque deuicta eſt.*

Aliud eſt paradoxum in Piſonem quo Cic. ab adiunctis, quæ ſuum ipſius diſceſſum fuerunt conſequuta, Piſonis impudentiam oſtendit, qui id maledicti loco poſuerit, quod Ciceroni vel maximè fuit glorioſum, illud autem admirabile hoc modo mitigat. n. 32. *Tum vero forſitan hoc, quod dicturus ſum, mirabile auditu eſſe videatur, ſed certè id dicam quod ſentio. Cùm tantis à vobis P.C. beneficiis affectus ſim, tantis honoribus; non modò illam calamitatem eſſe non duco; ſed ſi quid mihi à Repub. poteſt eſſe ſeiunctum, quod vix poteſt, priuatim ad nomen meum augendum, optandum mihi duco fuiſſe illam, expetendamq; fortunam.*

Cùm dixiſſet Tull. Imperatoris virtutes tantas in vno Pompeio eſſe, quantæ in reliquis Imperatoribus non fuerint, quod ἀπερβολικὸν, & incredibile videbatur, teſtimoniis confirmat Man. n. 30. *Teſtis eſt Italia, quam ille ipſe victor, L. Sylla, huius virtute, & ſubſidio confeſſus eſt, liberatam. Teſtis eſt Sicilia, quam multis vndique cinctam periculis, non terrore breui, ſed celeritate conſilij, explicauit. Teſtis eſt Africa, quæ magnis oppreſſa hoſtium copiis, eorum ipſorum ſanguine redundauit.*

PVNCTVM III.

Humile.

QVod negligitur ab auditore, nec niſi difficulter attentionem obtinet, eam ob rem paranda eſt aliqua pollicitatione rerum nouarum; quod ſi clarum ſit rem eſſe vilem, & abiectam, proderit rem fateri, non mira polliceri. Hoc vſus eſt artificio Tull. Phil. 7. n. 1. *Paruis de rebus, ſed fortaſsè neceſſariis conſulimur P.C. de appia via, & de moneta, Conſul; de Lupercis Tub. Pl, refert. Quarum rerum etſi facilis explicatio videtur, tamen aberrat animus à ſententia, ſuſpenſus curis maioribus, adducta enim res in maximum periculum, & extremum pene diſcrimen.*

Hoc artificium ſequutus eſt pauper apud Quintil. Orat. 13. accuſauitque diuitem, quod veneno per flores ſparſo, apes ſuas intoremiſſet. Sic enim ad Iud. in re tantilla. *Vnum oro, ne cui minor dignitate veſtra videatur cauſa litis meæ. omnia enim non debetis expectare, vti pauper magna perdiderim, ſed, quantulum ſit, quod abſtulerit mihi diues, minus eſt quod reliquit.*

Itaque tribus in re humili paratur attentio, pro miſſione ſcilicet, conſtitutione, precatione. Virgil. Scripturus de Apibus hæc pollicetur 4. geor.

Protinus Aërij mellis cœleſtia dona
Exequar.
Et ſtatim ſubdit.
Admiranda tibi leuium ſpectacula rerum,
Magnanimosq; duces totiusq; ordine gentis
Mores & ſtudia, & populos, & prælia dicam:
In tenui labor; at tenuis non gloria.

Teredo laudanda proponatur. A magnis, quæ in re tàm exigua videri poſſent, ab Hypotheſi ad theſim reuocatum duci poteſt Exordium. Crocodilum ingentem Regulo aui minimæ magni nominis auctores referunt ſummopere delectari. Quantò mirabilius authorem naturæ Deum minimis maximè recreari, & in rebus exiguis ſummæ ſapientiæ non obſcura relinquere documenta. Mirandus in vaſtiſſima cœlorum mole compingenda diuinus opifex; quid in exiguis corporis humani partibus tàm ſapiente. efformandis? Mirandus in Elephanto belluarum maxima: Quid in apiculæ volantis, mellaque condientis induſtria? probare ſe magnum in magnis quid eſt? in minimis magnum eſſe, tùm demum eſt perfectæ, ſummæque poteſtatis.

Amplificatio peti poteſt ab admiratione, & difficultate, quæ reperitur in eo, qui velit in paruis magnus haberi, tùm fiet præmunitio. Volite mirari ſi meam Orationem ad minimæ rei laudem, non ſine voluptate conferam: Miramini mecum potius ſummi illius opificis Dei, in re tàm exigua Teredine, de qua dicturus ſum, ſingulatem diuinamque virtutem & ſapientiam.

Pollicitatio ſequitur. Neque volo vos arbitrari hauſturos eſſe nos de fæce quidpiam veſtris oculis indignum, & ingratum auribus; neque patienria veſtra nos in rei nullius momenti contemplationem, abuſuros eſſe. Non vile quoddam animal ex putri materia concretum, non formicam, aut apiculas proponam vobis, præſtantius eſt quod molior, de ſummi nempe moderatoris ſapientia quæſtio proponitur, ad ſublimia mentes veſtras erigite, vt ex illorum iucunda cogitatione fructū aliquem, & animo delectationem percipere poſſitis.

Augeri poteſt à conſequentibus, ſcilicet à voluptate, quum vnuſquiſq; poteſt experiri, dùm in tam paruo ſpeculo diuinæ maieſtatis imaginem, & ſapientiam contemplatur. Vt enim gratum erat oculis ſpectaculum videre Gygantem à Thimante pictum in exigua tabella, qui tamen ingentis molis eſſe videbatur, dùm eius pollicem longa pertica paſtores metirentur. Ita.

Pvnctvm IV.

Anceps. Seu Dubium.

IN quo vel Iudicatio Dubia eſt, vel cauſa, Indicationis: ideam habet Gellius l. 12. c. 7. De Syrnæa quæ veneno maritum filiumque cùm ſuſtuliſſet, idque ingenuè fateretur, quòd iſti prioris Mariti filium mactaſſent, è Dolabella dimiſſa eſt ad Areopagitas, qui eam ſic condemnarunt, vt abſoluerent, ſic abſoluerunt, vt condemnarent, ſi quidem in centum annos eam dimiſerunt.

In cauſa melius eſt omninò cælare turpitudinem, ne fortè dedecus, & labem fœditatemque commoueat; vt in Oreſtis cauſa matris interfectoris, quid enim cauſæ proferat Orator; hoc feciſſe Oreſtem, vt patris mortem vlciſceretur?

Pvnctvm V.

Obſcurum.

IN quo vel tardiores ſunt Auditores, vel difficilioribus ad cognoſcendum negotiis cauſa impedita eſt. Tùm erit occurrendum tædio, ac ſatietati, quod fiet, ſi iucunditatem inferas; vrbanitatem adiungas, fabulam aut narrationem lepidam immiſceas. quod læta facilius indoles conſequetur tria videntur eſſe tempora potiſſimum, quibus auditoris animus nobis infenſus eſſe poſſit, ſi cauſa turpis ſit, ſi res animum auditoris alienum facit, ſi perſuaſus ab aliis, vel Oratione longiori fatigatus.

Si cauſæ turpitudo contrahat offenſionem, pro homine in quo offenditur, alium qui diligitur, interponere debebit Orator, aut pro re, rem, vt ab eo quod odit, ad id quod diligit auditoris animus traducatur. Vel ab iis quæ obſunt, ad ea quæ proſunt confugiendum; vt ſi cauſa ſit improba, de perſona loquaris cuius merita recenſebis cum Cicerone pro Deiotaro

taro

taro. Si perſona noceat ad cauſam confugiendum, cum eodem pro Rabirio.

Deindè quærendum aliquid quod lateat aduerſarium, cum Tullio pro Ligario crimen in Tuberonem conijciente, 4. n. 2. *Habes igitur quod eſt accuſatori maximè optandum, confitentem reū; ſed tamen ita confitentem, ſe in ea parte fuiſſet, qua te Tubero, qua virum omni laude dignum patrem tuum. Itaque prius de veſtro delicto confiteamini neceſſe eſt, quàm Ligarij vllam culpam reprehendatis.* Si denique trahamus id à Iudicum, vel auditorum perſona, quod inuidiam omnem, quæ ex cauſa perſonaque noſtra naſci poſſet, extinguat, quod acutè facit Cæſar apud Saluſtium in bello Catilinario, dicturus enim pro coniuratis, nec ab illis, nec ab ipſa coniuratione ducit Exordiū, quod vtrumque turpitudinis, & inuidiæ pleniſſimum eſſet, ſed Inſinuationem adhibet à dignitate, atque decoro P. C. qui conuenerant, exulceratoſque eorum emollir animos.

Omnes homines qui de rebus dubiis conſultant ab odio, amcitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet. Haud facilè animus virum prouidet, vbi illa officiunt; neque quiſquam omnium libidini ſimul, & vſui paruit. Vbi intenderis ingenium, valet. Si libido poſſidet, ea dominatur, animus nihil valet. Magna mihi eſt copia memorandi P. C. qui reges, aut qui populi, ira, aut miſericordia impulſi, malè conſuluerint: Sed ea malo dicere, quæ maiores noſtri contra libidinem animi ſui, rectè atque ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum rege Perſe geſſimus, Rhodiorum ciuitas, magna atque magnifica, quæ populi Rom. opibus creuerat, infida atque aduerſa nobis fuit: ſed poſtquam bello confecto, de Rhodiis conſultum eſt, maiores noſtri, nequis diuitiarum magis, quàm iniuriæ cauſa, bellum inceptum diceret, impunitos eos dimiſere. Hoc item vobis prouidendum eſt P. C. ne plus valeat apud vos P. Lentuli, & cæterorum ſcelus, quàm veſtra dignitas. neue magis iræ veſtræ quàm famæ, conſulatis, &c.

Pvnctvm VI.

Inſinuationis Præcepta.

MVlta paſſim reperiuntur in Orat. Cic. pro Cluent. ſeſe excuſat, quòd de Saſſiæ matris Cluentij turpibus, & inhoneſtis amoribus dicat, facti ſui à pluribus exponit, ac verecundiæ, pietatiſque ſeſe rationem habiturum pollicetur n. 17. *Illud me non præterit cuiuſmodicumque mater ſit, tamen in iudicio filij de turpitudine parentis dici vix oportere. Non eſſem ad vllam cauſam idoneus, ſi hoc quod in communibus hominum ſenſibus, atque in ipſa natura poſitum, atque infixum eſt, id ego, cùm ad amici pericula depellenda adhiberer, non viderem. Facile intelligo non modò reticere homines parentum iniurias, ſed etiam animo æquo ferre oportere. Sed ego ea quæ fieri poſſunt ferenda, quæ taceri tacenda arbitror.*

2. Phil. in Anton. in re fœda, & turpi præciſione offenſionem declinat. *Sed hæc ipſe fatetur eſſe in ſordibus; veniamus ad ſplendida.* Sic de haruſp. reſp periphraſi notat inceſtum Clodij. *Cùm vxorem ſororemq; non diſcernis: cùm quod ineas cubile, non ſentis.*

Pvnctvm VII.

Ab Auditorum meritis.

SI iam perſuaſerit alius, vel Auditor conſtitutum habeat apud ſe contra quod diſputatum eſt, Inſinuatio fieri debebit, à meritis Auditorum in nos, cùm eorundem amplificatione, vel ab iis, quæ iam egimus ipſi. Inſignis eſt huius generis idea 2. in Rull. n. 1. ad impetrandam populi hac diſſuaſione, iam offenſi, gratiā & aſſenſum, *Eſt hoc poſitū in more, inſtitutoque maiorum, vt ij, qui beneficio veſtro imagines familiæ ſuæ conſequuti ſunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficij veſtri, cum ſuorum laude coniungant, qua in Oratione nonnulli aliquando digni maiorum loco reperiuntur: plerique autem hoc perficiunt: vt tantum maioribus eorum debitum eſſe videatur, vndè etiam quod poſteris ſolueretur, redundat. De me vereor ne arrogantis ſit apud vos dicere: ingrati tacere, nam, & quibus ſtudiis hanc dignitatem conſequutus ſim, memetipſum commemorare, perquàm graue eſt; & ſilere de tantis veſtris beneficijs nullo modo poſſum. Quare adhibebitur à me certa ratio, moderatioque dicendi, vt quid à vobis acceperim, commemorem:* quare

Digitized by Google

quare dignus veſtro ſummo honore, ſingularique iudicioſim ipſe modicè dicam.

Pvnctvm VIII.

A re aliena & tempore.

POſtulant etiam inſinuationem illa quæ ſunt ab ipſo propoſito aliena. Pro Sextio; cauſam reddit cur de Milonis Tribunatu diſputet in cauſa Sextij, ne temerè alio, quàm cauſæ neceſſitas exigebat diuagatus fuiſſe videatur n. 87 *Adiit ad Remp. Trib. pl. Milo, de cuius laude plura dicam, non quò aut ipſe hæc dici, quam exiſtimari malo, aut ego hunc laudis fructum præſenti libenter impertiam, præſertim cum verbis conſequi non poſſim ſed quod exiſtimo, ſi Milonis cauſam accuſatoris voce collaudatam probaro, vos in hoc crimine parem Sextij cauſam exiſtimaturos.*

Pro Plancio quòd extra cauſam plura dicturus ſit excuſationem adfert, cùm culpam refundit in aduerſarios; deinde moderationem, ordinemque pollicetur .3. *Equidem ad reliquos labores, quos in hac cauſa maiores ſuſcipio, quã in cæteris, etiã hãc moleſtiam aſſumo, quòd mihi non ſolùm pro Plancio dicendum eſt, cuius ego ſalutem non ſecùs ac meam, tueri debeo; ſed etiam pro meipſo, dequo accuſatores plura penè, quàm de re, reóque dixerunt.* Aliena loci temporisque reſpectu Inſinuationem requirunt, hoc prudens Orator animaduertit pro Archia, proferens aliquid inuſitatum, & à fori iudiciorumque conſuetudine alienum, illud ipſum mitigat ἀξιώσει, petitione, ac notatione perſonarum n. 3 *Sed ne cui veſtrum mirum eſſe videatur, me in iudicio publico hoc vti genere dicendi, quod non modò à conſuetudine iudiciorum, verùm etiam à forenſi ſermone abhorreat: quæſo à vobis, vt in hac cauſa mihi detis hanc veniã accõmodatam huic reo, vobis, quemadmodum ſpero, non moleſtam, vt me pro ſummo Poëta, atque eruditiſſimo homine dicentem, hoc concurſu hominum literatiſſimorum, hac veſtra humanitate, hoc denique Prætore exercente iudicium, patiamini de ſtudiis humanitatis, ac literarum paulò liberiùs loqui.*

* *
*

Pvnctvm IX.

Etiã extra Exordiũ Prolixitas Orationis minùs grata.

TRactata paulò fuſius excuſationem petunt: pro domo ſua partim indicatione cauſæ, partim futuræ breuitatis pollicitatione lenit ac mitigat, extra cauſam allata prolixiùs n. 32. *Intelligo Pontifices, me plura extra cauſam dixiſſe, quàm aut opinio tulerit, aut voluntas mea; ſed cùm me purgatum vobis eſſe cuperem, tùm etiam veſtra in me attentè audiẽdo benignitas prouexit Orationem meam. Sed hoc compenſabo breuitate eius Orationis quæ pertinet ad ipſam cognitionem veſtram.*

De Haruſp. reſp. Orationem parum gratam officio excuſat, num. 61. *Atque ego hanc Orationem tàm triſtem, tàm grauem nõ ſuſcepiſſem, non inquam, niſi hanc perſonam, & has partes, honoribus populi Rom. veſtris plurimis ornamentis mihi tributis, deberem & poſſem ſuſtinere: ſed tamen facilè tacentibus cæteris, reticuiſſe. Sed hæc Oratio omnis fuit non auctoritatis meæ, ſed publicæ Religionis, mea fuerunt verba fortaſſe plura.*

Quod erat minus gratum Romanorum prælium, & exercitus calamitatem commemorare, prætentione ſubtilis Orator hæc inuoluit omnia. Pro lege Man. num. 25. *Sinite hoc loco Quir. ſicut Poetæ ſolẽt, qui res Romanas ſcribunt, præterire me noſtram calamitatem; quæ tanta fuit, vt eam ad aures L. Lucilli, non ex prælio nuntius, ſed ex ſermone rumor afferret.*

Pacem diſſuaſurus Cic. Phil. 7. metus indicatione, deprecatione, acerbum auditu mitigat, num. 8. *Ego itaque pacis, vt ita dicam, alumnus, qui quantuluſcũque ſũ (nihil enim mihi arrogo) ſine pace modum P.C. accepturi ſitis, horreo: ſed pro mea perpetua cupiditate veſtræ dignitatis retinendæ, & augẽdæ quæſo, oroque vos, vt primo, ſi erit vel acerbũ auditu, vel incredibile à M. Cicerone eſſe dictũ, accipiatis ſine offenſione, quod dixero: néue id prius, quã quale ſit explicaero, repudietis.*

LECTIO.

Digitized by Google

LECTIO VIII.

Exordij Virtutes & vitia.

NVlla pars eſt Orationis,quæ ferè maioris ſit momenti quàm Exordium;nam ipſo in aditu, velut in veſtibulo coniectura fieri debet totius Orationis. Proindè diligenter prouidendum eſt, ne dum auram ſoluit, antequam in altum prouehatur Orator, naufragium faciat. Quod non patietur, ſi virtutes eius, ſeruauerit,ac vitia veluti ſcopulos euitarit.

PVNCTVM I.

Prima virtus Splendor.

I. QVoniam prœmia plerumq; ſunt ad delectationem conpoſita, vel ad hominum beneuolentiam emerendam exquiſito artificio elaborata,ſplendorem actionis in Exordiis quærendum eſſe nemo neſcit. Cic.2.de Orat.n.313. Acutum, Accuratum, Inſtructum ſententiis, Aptum verbis & Illuminatū eſſe cupit initium, abſque tamē vlla iuuenilis audaciæ ſuſpicione.

II. Altera virtus eſt, vt ex iis de quibus agitur,petatur Exordium,ne inſtar Samnitum ſimus qui dum præludunt,vibrant haſtas,ante pugnam, quibus inter præliandum nihil vtantur. Atque hinc eſt quod ait Tull. non eſſe cogitandum prius de proœmio, quàm rebus omnibus conſideratis, quæ vel ad narrationem, & confirmationem pertinent, quid maximè proprium ſit, videamus. Ne vel exile, & minutum, vel nugatorium, & vulgare ſit principium.

III. Vt ſit connexum, hoc eſt vt cohæreat cum ſequentibus, habeatque quaſi ſemina quædam argumentorum, quæ ſumus in reliquo ſermone allaturi; ſic tamen, vt non ſit obſcurus ad confirmationem tranſitus. Quod quò facilius argumentis perſpicere poſſitis, rem geſtam vobis, dum breuiter expono, quæſo diligenter attendite? ait Cic.

IV. Aptum erit Exordium,ſi neque breue nimis,neque longum, ſed cum tota Oratione conſentiens. Nam vt benè Orator,in ædibus & templis veſtibula,& aditus:ſic cauſis principia proportione rerum reſpondeant; vt enim dedecet ingens quoddam, & gyganteum caput puſillo corpori impoſitum; ita robuſtum hominem parum ornat tàm exiguum, vt impoſitus Coloſſo globulus eſſe videatur.

V. Clarum ſit & apertum principium; neque enim fieri poteſt, vt attēdat Auditor neſcius eorum quæ à nobis tractanda ſunt. Tale fuit pro Ligario. *Nouum crimen, & ante hunc diem inauditum propinquus meus ad te Q. Tubero detulit Q. Ligarium in Africa fuiſſe.*

PVNCTVM II.

Qualis eſſe debeat Orator in Exordio.

TOtus ad honeſtatem,& moderationē compoſitus eſſe debet, vt quo in loco ſit, apud quos agat,quæ futura ſit ſapientum hominum,& literatorum de ſe exiſtimatio,iam præcipere animo, & ſentire videatur. Atque haud ſcio an aliquid ad id accommodatius eſſe poſſit, verecundia grato rubore vultus ſignificata,quem multis commendant eloquentiæ Doctores, vt honeſtæ mentis ornamentum, & honorem eximiæ frontis. Hinc verè & ſcienter dictū à Cic.de Craſſo, *Fuit enim mirificus quidam in Craſſo pudor, qui tamen modo non obeſſet eius Orationi, ſed etiam probitatis commendatione prodeſſet.*

Hunc igitur ingenuum colorem nobilis animi indicium verecundiam præſe ferat Orator, non tantū verbis, ſed ipſo vultu & geſtu:nihil quippe facilius Auditorem allicit quàm modeſtia dicentis,quæ in hoc poſita eſt,vt quod ad res attinet,parcè & verecūdè loquatur de ſuis, aliorum verò factis indulgeat potius,quàm detractet,nihil nimis arduum polliceatur:in nullum feratur vehementius. Quod verò ad verba ſpectat, ne luxurient,aut affectata ſint,neque lenociniis tanquam meretricio cultu diffluant, ſed n odeſtè

Nn florida

florida quærantur : denique ſic ſplendorem in omnibus adhibeat,vt nihil in voce, atque geſtu, nihil in fronte, nihil in curſu Orationis,humile vel abiectum, frigidum aut odioſum deprehendatur,

---

PVNCTVM III.

Exordij vitia. Vulgare.

I. VVlgare quod in plures cauſæ partes accommodari poteſt ; quod vt euitetur ex opinione peti debebit Exordium , videlicet ex rei , loci, cauſæ, temporis , perſonæ aliarumque circunſtantiarum obſeruatione;apud gloriæ ſtudioſos,vt Lacedomonios, ordieris hoc ferè modo. Cùm nobiliſſimum ſemper Oratori non adumbrata quidem,ſed vera, ſolidaque gloria præbet argumentum , tùm apud vos dicendi longè illuſtrius.Quid enim loquuntur aliud difficultates quas ſorbetis intrepidi,bella quæ geritis fortes , plauſus & triumphi , quos ducitis niſi vos veræ gloriæ ſtimulis incitatos velle cæteris nationibus prælucere,conſentientemque bonorum laudem conſequi?

II. Commune quod nihilominus in hanc quàm in alteram partem cauſæ conuenire poteſt, nempe tàm reo , quàm accuſatori , Laudat quis præſtanti virtute virum , orditurque ab aliqua dote corporis,aut animi,& in hæc verba claudit Exordium. Qua tandem in laude non verſabitur Oratio mea,quæ talem virum nacta ſit in quo ſibi domicilium Virtus omnis,ſedemque poſuiſſe videatur. Commune fecerit Exordium, quod ſic poterit leuiter immutare, qui virum eundem vituperare voluerit. Quemadmodum igitur non erit is omni vituperatione dignus, qui virtutem tantum bonum , tàm ſingulare , tàm diuinum ſemper coluerit.

Subdiuiſione tunc erit vtendum, quod Exordij genus tàm eſt acutum , quàm elegans ; cùm plura ex re ſimplici diuerſaque argumenta,ſe nobis obiiciunt. Metellum commendas , quòd ex funeſtis ignibus Palladem piè fortiterq; extraxerit , vnum factum eſt ex quo plura naſcuntur, nam occurrit pietas in Deum, ingens fortitudinis ſpecimen , totius ciuitatis vtilitas & commodum , cuius incolumitati ſalute neglecta ſeruierit. Tunc non erit laudanda virtus , ſed hoc pacto inchoandum.

Quod iis qui triplicem in viam incidunt,contigit,vt animo diſtracto ſint & ancipiti, cui tandem ex tribus inſiſtant,id mihi hodierna die,de Metello dicere meditanti accidit. Etenim dùm eius pietatis commendationem aggredior , tot, tàm ſingulares ſe mihi virtutes offerunt,vt inſtitutum cogant Orationis curſum abrumpere. Quid enim in tanto viro primum , quid poſtremum prædicem?

III. Commutabile.Quod ab aduerſario leuiter immutatum ex parte contraria dici poteſt,& hoc eſt totius Orationis vitium.Calumniæ vindex & actor ſic ordiatur.Non eſt ferendum Iud. improbū ea eſſe dicendi libertate,vt non ſceleratos tantùm,ſed etiam bonos Reip.ciues opprimens, veſtris ſententiis;& auctoritate ad proborum hominum perniciem abutatur;nec videtis idem exitium vobis impium machinari?

Defenſor illud idem leuiter immutatum conuertet in accuſatorem. Miror ego Iud. moneri vos ab accuſatore,id ne perferatis, quod ipſe tamen nulla veſtræ dignitatis habita ratione , admittere non veretur.Etenim,vt ille non inſcienter,ſi calumniis quemquam opprimere non licet nec per vos tantum ſcelus impunitum eſſe debet,nolite permittere me innocentem improborum calumniis obrui , ab eo præſertim , qui, cùm ab omnibus calumnias verbo deprecetur, re vera tamen fictis ſermonibus , æquitate veſtra, ad perniciem aliorum abuti ſe poſſe confidit.

IV. Longum quod pluribus verbis , aut ſententiis, quàm opus ſit, producitur.

V. Tranſlatum , quod aliud conficit , quàm cauſæ genus poſtulet,vt ſi docilem reddas Auditorem,cùm paranda eſt beneuolentia,vel ſi principium adhibeas, cùm opus eſt inſinuatione.

VI. Contra præcepta quod nihil eorum efficit, quorum cauſa præcepta ſunt.

VII. Separatum quod non ex ipſa cauſa ductum eſt , nec tantum membrum cum Oratione connexum.

PVN

PVNCTVM IV.

Exordium ex abundanti & tempore.

HIs omnibus prudens Orator mederi poteſt ex abundanti, & ex tempore petitis Exordiis, quæ maximè locum habent in accuſatione & defenſione, licèt ad cætera quoque pertinere non negemus. Ex abundanti dicitur, cùm non tantùm hæremus iis, quæ in quæſtione verſantur ſed etiam extra cauſam aſſumimus ea, quæ ad perſonam attinent, qua de agitur.

Auctor victoriæ quis, cæſis manibus, nutrimento carens, ad ducem exercitus accedit refert inutiles à ciuitate non eſſe dimittendos, qui niſi fortiter bellum geſſiſſent, non ſtaret ciuitas; dux miſero negat annonam; ille deſperatione adductus, ex præalto loco dat ſe præcipitem, dux interim capitis accerſitur, quòd huius mortis cauſa fuerit, accuſator ſic ordietur, vt dicat ſe non ad accuſandum parricidam modò deſcendiſſe, ſed etiam Reip. charitate compulſum, reum agere velle majeſtatis iniquum belli ducē, ac impium, qui liberatorem ſuum ciuitati nefarius eripuerit, libertatis aſſertorem ſceleratus perdiderit, populi patriæque parentem crudelis interfecerit. Quod crimen, &c.

Si defendas ex abundanti, trahes in laudem illud ipſum, quod in vitio ponitur ei, qui accuſatur. Nauium præfectus, hoſtium naues capit incendit, ei dies dicitur. Sic erit inchoandum. Ob res præclarè geſtas ſperabam equidem Iud. rei nauticæ peritum ducem, meriti debitam mercedem à vobis accepturum eſſe, non judicium victorem veſtrum ſubiturum. Quid? hic eſt igitur laborum portus? hi ſunt victoriæ triumphorumque fructus vberes? hæc poſt tot ſuſceptas dimicationes vitæ tranquillitas, & ſolantium beatæ ſenectutis? &c.

Tale eſt illud pro Facco. *Cùm in maximis periculis huius vrbis atque imperij, grauiſſimo, atque acerbiſſimo Reip. caſu, ſcio. atque adjutore conſiliorum, periculorumque meorum, L. Flacco, cædem à vobis, conjugibus liberis veſtris, vaſtitatem à templis delubris, vrbes Italia depellebam; ſperabam Iud. honoris potius L. Flacci me adiutorem futurum, quàm miſeriarum deprecatorem.*

Extemporale proœmium, quod ex circumſtantiis, & è re nata ducitur, longeque cæteris antecelit. Sed eſt elegans cùm id quod in quæſtione verſatur ex aliqua circunſtantia jam probatum oſtenditur. Fugerunt quidam acerbioris ſupplicij metu, & in patriæ montibus, alteram ciuitatem quam incolerent, exædificarunt. Exarſit bellum in patriam, egreſſi ſunt illi è ſuis tuguriis, opemque laboranti patriæ veteri attulerunt, cõfecto bello de reducendis illis in patriam deliberatur. Laudo ciues eos qui memores beneficij populares cenſent noſtros in patriam, & quaſi in communem matris ſinum eſſe reuocandos. Quid enim aut ad ciuitatis ſecuritatem potentius, aut ad ciuium ſalutem melius, vel ad eorumdem humanitatem præſtantius eſſe poteſt ita beneficiorum recordari? ſed ſi rectè judicamus, in eo nihil deliberandum; quærimus enim an admittendi ſint, quos vltrò admiſimus, ſine quibus ciuitas noſtra non ſtaret? nunquid jam ingreſſi, quos libertatis noſtræ aſſertores amplectimur? qui ciuium partes obiectunt, cùm in apertum vitæ diſcrimen venerunt, vt patriam periclitantem ab hoſtium manibus ferrum flammamque minitantibus liberarent.

LECTIO IX.

Munera Exordij.

BEnè Cic. 2. de Orat. num. 82. tria munera non Exordio ſolùm, ſed continenti aſſignat Orationi, quæ præcepta principiorum ait & narrationum eſſe voluerint, ea in totis Orationibus ſunt conſeruanda. Nam ego mihi beneuolum Iudicem facilius facere poſſum in curſu Orationis, quàm cum omnia ſunt inaudita; docilem autem non cùm polliceor me demonſtraturum, ſed tùm, cùm doceo, & explano: attentum verò, crebrò tota actione excitandis mentibus Iudicum, non prima denunciatione reddere poſſumus.

Digitized by Google

PVNCTVM I.

Attentio.

DVplicem aperit Attentionis conciliandæ rationem Cic. Alteram, ſi directè petat;alteram ſi rerum de quibus dicturus eſt, magnitudinem oſtendat,doceatque,ea quæ dicuntur non aliena eſſe, ſed ad ipſos Auditores pertinere, vtramque vſurpat 2.in Ant.47.Verr.3.num.44. pro Dom.num.1.pro Cluent. 7.

Conciliatur ergo propoſitæ rei magnitudine, maximéque cum ipſorum rationibus coniunctæ. Diuinat.in Verr.num 7. *Quid eſt prob Deum hominumque fidem, in quo ego Reip. plus hoc tempore prodeſſe poſſim? quid eſt quod aut populo Rom. gratius eſſe debet, aut ſociis,exteriſque nationibus optatius eſſe poſſit, aut ſaluti fortuniſque omnium magis accomodatum ſit?*

II. Si profiteatur Orator ſe nolle attentionem poſtulare,ſatis effecturum rebus ipſis, vt attentè audiatur. Quod præceptum obſeruat Cic. 2. in Ant. num.10. *Sed cùm mihi P C. & pro me aliquid, & in M. Antonium multa dicenda ſint; alterum peto à vobis,vt pro me dicentem benignè; alterum ipſe efficiam,vt contra illum,cùm dicam,attentè audiatis.*

III. Intendat pericula, quæ ex hac neglecta oriri poſſunt. Vt 2. in Verr. num.1.3.in Catil.nu. 4. *Atque ego vt vidi,quos maximo furore,& ſcelere eſſe inflammatos ſciebam,eos eſſe nobiſcum, & Romæ remanſiſſe in eo omnes dies nocteſque conſumpſit, vt quid agerent,quid mollirentur,ſentirem,ac viderem: vt quoniam auribus veſtris propter incredibilē magnitudinem ſceleris minorem fidem faceret Oratio mea,rem ita comprehenderem,vt tum demum animis, ſalutique veſtræ prouideretis,cùm oculis maleficium ipſum videretis.*

IV. Enumeratione rerum,& conſequentium conciliatur attentio. 2. Verr. 10. 11. tertia in eundem num.3.

V. Diuiſione & diſtributione, amplaque dicendorum promiſſione.4.in Verr. num.17.

VI. Inſigni commendatione rei, qua de agitur 4.in Verr.2. & Phil.2, num.10.

VII. Collatione rerum dicendarum cum jam dictis has illis poſtponendo.5.Verr.10.

VIII. Dubitatione & veluti ſimulatione ignorantiæ noſtræ quaſi verò neſciamus quomodo res appellanda ſit, ideoque eam Auditoribus dijudicandam permittamus.6.Verr. num. 1. *Venio nunc ad iſtius,quemadmodum ipſe appellat,ſtudium: vt amici eius morbum, & inſaniam:vt Siculi latrocinium, ego quo nomine appellem, neſcio, rem vobis proponam vos eam ſuo nominis pondere penditote.*

IX. Claraprobationis pollicitatione, pœnam aliquam ſibi imponens,niſi liquidò rem demonſtret,contra ſi id aſſequatur muneris aliquid loco poſtulet. Pro Planc. num. 3. *Niſi eius integerrimam vitam, modeſtiſſimos mores,ſummam fidem, continentiam,pietatem, innocentiam oſtendero,nihil de pœna recuſabo; ſin omnia præſtitero, quæ ſunt à bonis viris expetenda,petam Iud. à vobis, vt, cuius miſericordia ſalus mea cuſtodita eſt,ei vos veſtram miſericordiam, me deprecante,tribuatis.*

X.Deprecatione vt attendant Pro Roſ. Amer. 10. *Qua propter vos oro,atque obſecro Iud.vt attentè bonaque cum venia,verba mea auditatis.* Cluēt.6.

Meminerit aliquoties in ipſo Orationis curſu fatigatum Auditorem recreandum, idque vel aperte poſtulata attentione, vel aliqua re jucundiore inſerta, quæ ſua ſponte extorqueat attentionem: quod facit Cic.quoties ad aliquod grauioris momenti argumentum deſcendit, pro Quinctio num.22. *Obſecro Aquili,voſque qui adeſtis in concilio, vt ſingulare genus fraudis, & nouam rationem inſidiarum cognoſcere poſſitis.*

Pro Cluent, nu.66. *Vos quæſo,vt adhuc me attentè audiſtis, item quæ reliqua ſunt audiatis. Profectò nihil à me dicetur,quod non dignum hoc conuentu,& ſilentio,dignum veſtris ſtudiis, atque auribus eſſe videatur.* Pro Amerino num.129.

Denique principio Orationis optet Orator, roget, ſollicitus agat,ſi res noua videatur, ſi atrox,ſi magna,ſi pertinens ad exemplum;præcipuè tamen ſi Iudex,aut ſua vice, aut Reip. commoueatur, cujus animus quà ſpe, quà metu,quà precibus,& monitionibus vrgendus eſt.

PVNCTVM II.

Docilitas.

HAud ſcio an nulla re facilius docilem faciamus Auditorem, quàm breuitate promiſſa ſerua-

Digitized by Google

ſeruataque. Reperias aliquos adeò, aut ſui ipſorum amantes, aut in dicendo abſurdos, vt nunquam niſi obtuſam audiendo coronam dimittant. Inſulſum ſanè genus hominum quos rectè illa Horat. clauſula, quaſi Scorpij cauda ferias.

——— Certè furit; ac velut vrſus.
Obiectos caueæ valuit ſi frangere Clathros.
Indoctum, doctumque fugat recitator acerbus.
Quam verò arripuit tenet occiditque legendo,
Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo.

II. Identidem ſe de breuitate iactabit, quod multa contrahat, & concidat, quæ explicanda videbantur fuſius, quod pleraque omittat, ne prætermittat Officium Cic. pro Cluent. 160. *Quibus de rebus mihi pro Cluentij voluntate nimium, pro Reip. dignitate parum, pro veſtra prudentia ſatis dixiſſe videor. Atque vt exiſtimetis, neceſſariò me de his rebus, de quibus iam dixerim, pluribus egiſſe verbis, attendite reliqua, profectò intelligetis, & quæ paucis demonſtrari potuerunt, breuiſſime eſſe defenſa.* Pro Dom. 32. Sextio. 12.

III. Si paulò diutius in argumento quopiam verſatus fuerit Orator, pœnitentiâ compenſabit 2. in Cat. 17. pro Flac. 105. Domo. 321. Phil.

IV. Curabit vt non modò quàm ordinatiſſime totam digerat Orationis œconomiam, ſed & rem, vt memoriam adiuuet, commodè partiatur. Quod fit vel per Expoſitionem, cùm rem de qua dicturi ſumus, exponimus: vel per Enumerationem, cùm explicamus propoſitam quæſtionem, quæ trium partium numero debet includi, ne impediatur memoria tam Oratoris, quàm auditoris multitudine rerum Pro Cluent. 1. *Animaduerti Iud. omnem accuſatoris Orationem, in duas diuiſam eſſe partes quarum altera mihi niti, & magnopere confidere videbatur, inuidia iam inueterata iudicij; altera tantum modo conſuetudinis cauſa timide, & diffidenter attingere rationem veneficij criminũ; qua de re lege eſt hæc quæſtio conſtituta. Itaque mihi certum eſt hanc eandem diſtributionem inuidiæ, & criminum ſic in defenſione ſeruare vt omnes intelligant nihil me nec ſubterfugere voluiſſe reticendo, nec obſcurare dicendo.*

V. Quod ſi res grauior eſt, vtendum erit enumeratione, eaque per breui, clarâ, ſimplici ſine verborum inuolucris: ſic enim Iudicem docet, pluſque negotij faceſſit aduerſario, qui rebus clarè propoſitis, clarè cogitur reſpondere. Cic. 3. in Vert. à 6. ad 9.

VI. Defenſor contra, ſi non propoſitionem, ſaltem enumerationem faciet, vt cauſæ ſuæ non diffidere videatur, qui ſingula aduerſatia crimina diluenda ſuſcipit. Cluent.

Paucis totum hoc negotium abſoluit. Cic. par. num. 29 *Intelligenter autem vt audiamur, & attentè, à rebus ipſis ordiendum eſt, Sed facillime Auditor diſcit, & quid agatur intelligit, ſi complectare à principio genus, naturamque cauſa, ſi definias, ſi diuidas, ſi neque prudentiam eius impedias confuſione partium, nec memoriam multitudine.*

PVNCTVM III.

Beneuolentia.

PRimum huuc locum eſſe in perſonis noſtris, diſceptatorum, aduerſariorum docet Cic. par. 28. *E quibus initia beneuolentiæ concilianda parantur aut meritis noſtris, aut dignitate, vel aliquo genere virtutis, & maximè libertatis, officij, iuſtitiæ, Fidei contrariis rebus in aduerſarios conferendis, & cum iis, qui diſceptant, aliqua coniunctionis aut cauſâ, aut ſpe ſignificanda.*

Quoniam autem vix auditur Orator niſi beneuolentia eorum apud quos agit, ſibi prius conciliauerit: inſtituti ſui rationes, & cauſas breuiter exponit, vt illam conſequatur, & ſimul à ſe temeritatis, & impudentiæ, dicendi cupiditatis, & rixandi, calumniandiue ſuſpiciones quantum poteſt remouet: Imò illud quod dicendum aggreditur ſe facere profitetur.

I. Vel amore patriæ. Pro Sylla num. 1. *Quamquam ex huius incommodis magnam animo moleſtiam capio, tamen in cæteris malis facile patior oblatum mihi tempus, in quo boni leuitatem meam, miſericordiamque notam omnibus quondam, nunc quaſi intermiſſam agnoſcerent; improbi, ac perditi ciues edomiti atque victi, præcipitante Rep. vehementem me fuiſſe, atque fortem: conſeruata mitem, ac miſericordem faterentur.* Ibid num. 87.

II. Vel amicorum petitione. Pro Ametino. n. 4. *Accedit illa quoque cauſa, quòd à cæteris ita for-*

diosſus erit Verrina 5. largitiones in cauſa fuiſſe dicit Orator, cur Verres apud Hortenſiū patrocinium inueniat, n. 9. *Quid? hoc cuiquam ferendū putas eſſe, nos ita viuere in pecunia tenui, vt prorſus nihil arquirere velimus, vt dignitatem noſtram populiq; Rom. beneficia, nō copiis, ſed virtute tueamur; iſtum rebus omnibus vndiq; ereptis impunè eludentem circumfluere atque abundare? huius argento domos veſtras, huius ſignis, & tabulis forum comitiumque ornari? præſertim cùm vos veſtro Marte his rebus omnibus abundetis: Verrem eſſe, qui veſtras villas ſuis manubiis ornet, Verrē eſſe, qui cū Mummio certet: vt plures hîc ſociorum vrbes, quàm ille hoſtium ſpoliaſſe videatur: plures ſolus villas ornamentis fanorum, quàm ille fana ſpoliis hoſtium ornaſſe? & is erit ob eam rem vobis carior, vt cæteri libentius ſuo periculo veſtris cupiditatibus ſeruiant.*

VI. Ingrati animi vitium exprobrandum. Pro Deiot. Caſtorem crudeliter ingratum, & impiū patrem damnat, quod in eum ſuam crudelitatem expromant, qui ſecundarium ſibi generum adſciſcens, hac affinitate familiam eius humilem, & abiectā in lucem vocauit, n. 30. *Sint ſanè inimicitiæ quæ eſſe non debebant: Rex enim Deiotarus veſtram familiam abiectam & obſcuram à tenebris in lucem vocauit. Quis tuum patrem antea qui eſſet, quàm cuius gener eſſet, audiuit.*

VII. Gratiam & auctoritatem nimiam oppone, cum Cic. pro Quinctio, qui potentiam aduerſarij in foro ciuitateque dominantis monet, n. 7. *Deinde habet aduerſarium P. Quinctius, verbo Sex. Næuiū: reuera huiuſce ætatis homines diſertiſſimos, fortiſſimos, ornatiſſimos noſtræ ciuitatis, qui communi ſtudio ſummis opibus Sex. Næuium defēdunt, ſi id eſt defendere, cupiditati alterius obtemperare; quo is facilius, quem velit iniquo iudicio opprimat.*

Vehementius etiam pro Sextio improborum non ferendam potentiam perſequitur, n. 1. *Nam vt omittam de vniuſquiſq; caſu cogitādo recordari, vno aſpectu intueri poteſtis eos, qui omnia diuina & humana violarint, vexarint, perturbarint, euerterint, non ſolùm alacres lætoſq; volitare, ſed etiam voluntarios fortiſſimis atque optimis ciuibus periculum moliri, de ſe nihil timere.*

PVNCTVM V.

A perſona Iudicum & Auditorum.

AD beneuolentiam non parum conferre ſolet laus, & commendatio Iudicum, & Auditorum, commemoratis illorum in nos meritis, qualibet etiam laude, quâ veluti magnete oprimi quique capiuntur. Itaque inſtituenda commendatio virtutis, Sapientiæ, Iuſtitiæ Fidei Integritatis clementiæ, Fortitudinis illorum.

I. In his Orator fuit valdè religioſus, integritatem atque Iuſtitiam laudat. Pro Quinct. n. 5. *Certè apud te eos qui tibi adſunt, veritas valebit, aut ex hoc loco repulſa vi, & gratia locum vbi conſiſtat, reperire non poterit. Non eo dico C. Aquili, quòd mihi veniat in dubium tua fides, & conſtantia, aut quod non inde, quos tibi aduocaſti, viri lectiſſimis, ciuitatis ſpem ſummam habere Quinctius debeat.*

I. Actione in Verrem n. 22. *Non poteſt ſperare populus Rom. eſſe alios in Senatu, qui rectè iudicare poſſint, vos ſi non potueritis. Neceſſe eſt cum de toto ordine deſperarit, aliud genus hominum atque alıām rationem Iudiciorum requirat.*

Pro Mil. n. 2. *Sed me recreat & reficit Cn. Pompeij ſapientiſſimi, & iuſtiſſimi viri conſilium: qui profectò nec Iuſtitiæ ſuæ putaret eſſe, quem reum ſētentiis iudicum tradidiſſet, eumdem telis militum dedere: nec ſapientia temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publica armare.*

II. Ab eorumdem ſapientia pro Roſc. quantam in fide ſapientiaque Iudicum ſpem habeat propoſitam oſtendit, n. 10. *Fide ſapientiaque veſtra fretus plus oneris ſuſtuli, quā ferre me poſſe intelligo. Hoc onus ſi vos aliqua ex parte alleuabitis, feram vt potero, ſtudio & induſtria.*

Pro Rabirio perduel. Solitam à Quiritibus C. Rabitij in cauſa ſapiētiam deſiderat, n. 5. *Deinde vos Quirit. quorum poteſtas proximè ad Deorū Immortal. numen accedit, oro atq; obſecro quoniam vno tempore vita C. Rabirij hominis miſerrimi, atque innocētiſſimi ſalus Reipub. veſtris manibus, ſuffragiiſq; permittitur adhibeatis in hominis fortunis miſericor*

ricordiam, in Reip. ſalute ſapientiam, quam ſoletis. Pro Domo ſua, num. 1.

III. Ab humanitate & Clementia Pro Marcello, Cæſarem ob ſingularem clementiã & manſuetudinem commendat n. 1. *Tantam enim manſuetudinem tàm inuſitatam, inauditamque clementiam, tantum in ſumma poteſtate rerum omnium modum, tàm denique incredibilem ſapientiam, ac penè diuinam, tacitus nullo modo præterire poſſum.* Pro ligario n. 7.

IV. A frequentia, quam dilaudat Phil. 4. n. 1. *Frequentia veſtra incredibilis, concióque tanta, quantam meminiſſe non videor, & alacritatem mihi ſummam affert Reip. defendendæ, & ſpem recuperandæ libertatis.*

Phil. 10. Panſam. Coſ. ob maturè conuocatum Senatum laudatumque Brutum celebrat, eidemque gratias agit num. 1. *Maximas tibi Panſa gratias omnes, & habere, & agere debemus: qui cum heſterno die Senatum te non habiturum arbitraremur; vt M. Bruti præſtantiſſimi ciuis, litteras accepiſti, ne minimam quidem moram interpoſuiſti, quin quamprimum maximo gaudio, & gratulatione frueremur.*

V. Denique commemoratis illorum cæteris virtutibus, & meritis in Remp. ſi dicas quanti apud te ſint, vt in Orat. ad Quirit. poſt reditum. Si eorum dignitatem aliàs non metuiſſe profiteamur pro lege Manilia: Si deſiderium noſtrum apud eos dicendi, ob illorum præſtantiam, vel aliam declaramus ob cauſam.

VI. Proderit noſſe mores Iudicum, vt ſi ſeuerioris naturæ fuerint ſeueritatem induas; ſi iucundos ac remiſſos cognoſcas benignitatem commendes; ſi pro honeſtis agamus, dignitas iudicis erit augenda: ſi pro humilibus Iuſtitia: ſi pro infelicibus miſericordia: pro læſis, ſeueritas.

VII. A rebus verò beneuolentia conciliatur, ſi earum grauitatem demonſtres Pro domo n. 1.

Si cauſam tuam laudes, eleues alienam, Diuinat n. 5.

Si à circumſtantiis ordiaris, vt à præſidiis in foro diſpoſitis pro Mil.

Si res crudelis ſit pro Rabir. perd.

Si præter opinionem Verris defenſio.

Si accidit immeritò, vt vis illata Cæcinnæ.

Si miſera, vt P. Syllæ calamitas,

Si ingrata, vt negotium factum à Laterenſe Plancio, cuius amicum contra improbos tutatus erat.

Si Indigna, vt Chriſogoni iniuria aduerſus Roſcium.

Si noua, vt contra iudiciorum morem dicere poſtulat pro Archia.

Si quæ reſtitui, ſanarique non poſſit, vt inuſta nomini Cluentij macula. Et huiuſmodi plurima.

LECTIO X.

De Narratione.

Satis longam in contemplando Orationis veſtibulo moram fecimus, ſuccedere intrò, & ingreſſum moliri iuuat ingredientibus. Porrò prima ſeſe offert Narratio, quam ſi animo meo obſequi velim, facilè dicam eſſe quid Atrio ſimile, in quo veteres maiorum ſuorum ſtatuas ad maieſtatem, & venerationem exponere ſoliti erant, & ad recordationem præteriti temporis, ſplendoremque familiæ retinendum: addo publicas epulationes, accubationes, & pretioſiſſima quæque inſtrumenta eò loci ſeruata diligenter; haud abſimilis eſt Narrationis ratio; eſt enim primus in cauſam aditus ab Exordio, eſt præteritarum rerum iam vſque à maioribus repetita prolatio, eſt denique iucundiſſimum, vt ita loquar, conuiuium, quo mirificè paſcitur auditor, & incredibili quadam voluptate recreatur.

PVNCTVM I.

Definitio.

Definitur à Cic. part. n. 31. *Explicatio rei, & quaſi quædã ſedes, ac fundamentum conſtituẽdæ fidei*, & eſt Oratoria. Melius in genere, *Rerum geſtarum,* (hiſtoriã intellige) aut *quaſi geſtarum,* (fabulas) *expoſitio.* Cæterum hæc pars Orationis in docendo occupatur, vt Confirmatio; vt Epilogus, & Exordium in permouendis affectibus An verò ſubiici debeat Exordio, vel præponenda ſit aliqua refutatio iudiciũ ſit Oratoris; cùm defenditur alicuius vita flagitiis, & ſceleribus infamis, prius amolienda ſunt ea, quæ obſtãt, quàm alia narranda. Cic. pro Cœlio, vt plurimum tamen Narratio proximè ſequitur Exordium.

Digitized by Google

Pvnctvm II.

Diuiſio.

QVintiliano duplex eſt, altera dicitur cauſæ Narratio, hoc eſt expoſitio rei, quâ ſtatus continetur, quæſtionis; altera rerum quæ pertinent ad cauſam, & eſt expoſitio cuiuſcumque tãdem rei. Prima ſecundã Orationis partem obtinet, ſecunda ſæpè probationis vim habet, vtraque duobus modis tractari ſolet. Id ſimplici filo, ſine vlla arte, vel amplificatione. Incidi in aduerſarium. diſtrinxit in me gladium, primum ictum parua quadam corporis declinatione effugi, vim vi repuli, interfeci. II. Ornatè, & copioſè tractatur, & Oratoris induſtriam requirit. Eandem Narrationem illuſtrabis hoc fere modo. Negotiorum causâ proficiſcebar in vrbem vicinam, cùm ecce furore præcipiti fumantem, & incitatum vehementius aduerſarium, longa ſicariorum manu comitatũ offendo ſtricto gladio inermen aggreditur à tergo, à fronte à latetibus, expeditus in equo, ſatellitibus ſtipatus non iã inſidias molitur, ſed diu meditatam mortem intentat; nullis ego ſeptus præſidiis ſaluti meæ fugâ conſulebam, hic oculis ardentibus, fulgente gladio fugientem inſequitur; quid cõſilij caperem? vt in arena gladiator, me à deſperatione ad ſpẽ reuoco, & mortis contemptor egregius inimicũ interficio. Æquumue cẽſetis Iud. vt quam viuus eripere mihi vitam nequiuit, mortuus auferat?

Pvnctvm III.

Narrationis Initium.

NOnnunquam præmitti ſolet quidam veluti locus in Narratione, diciturque ab Hermogene lib. de Inuent. c. 1. præparatio Narrationis, & ad illam quaſi ianua. Pro Amer. n. 5. *Forſitã queratis, qui iſte terror ſit, & qua tanta formido, qua tot ac tales viros impediat, quominus pro capite, & fortunis alterius; quemadmodum conſueuerunt, cauſam velint dicere.* Ab antecedentibus pro Archia.

Triſtis Ouidius diſceſſum ſuum narraturus, ſic præparat expoſitionem exilij 1. Triſt. El. 3.

Cùm ſubit illius triſtiſſima noctis imago.
Quæ mihi ſupremum tempus in vrbe fuit.
Cùm repeto noctem, quâ tot mihi chara reliqui;
Labitur ex oculis tunc quoque gutta meis.

Aliquando omittitur προκατάστασις illa ſiue præparatio atque præludium narrationis, tùm vero initium fieri ſolet, vel à deſcriptione loci, vel temporis, vel à perſona, laudatus Ouidius poſt præparationem ſic diſceſſum ſuum narrat ibidem.

Iam propè lux aderat, quâ me diſcedere Cæſar
Finibus extremæ iuſſerat Auſoniæ,
Nec ſpatium, nec mens fuerat ſatis apta parãdi:
Torpueram longâ pectora noſtra morâ.
Non mihi ſeruorum comites, non cura legendi,
Non aptæ profugò veſtis, opiſuè fuit.
Non aliter ſtupui, quàm qui Iouis ignibus ictus
Viuit, & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ.
Vt tamen hanc animi nubem dolor ipſe remouit,
Et tandem ſenſus conualuére mei.
Alloquor extremum mæſtos abiturus amicos,
Qui modo de multis vnus, & alter erat,
Vxor amans flentem flens acrius ipſa tenebat,
Imbre per indignas vſque cadente genas.

In re graui fit aliquando Prænarratio à cõſequentibus, ſit hæc Idea in Oratorem qui vinum coram adoleſcente multis laudarit. Atque vt intelligere poſſitis, quam peſtem Adoleſcentibus ſit eius oratio allatura ſi fides ei ſit, lubet iuuenis luctuoſam planè ſortem caſumque velut impuritatis imaginem ponere vobis ob oculos, quaſi fœtum eius orationis, & infelicem partum fractæ mentis ac vino conſepultæ.

Tùm fit partitio, quæ vel extenuatur, hoc eſt nitidè, propriè ſine faſtu, ſine fuco proponitur, vt in Milo. n. 28. *Milo cùm in Senatu fuiſſet eo die, quoad Senatus dimiſſus eſt, domum venit, calceos & veſtimenta mutauit; pauliſper dùm ſe vxor comparat, commoratus eſt.*

Si verò cum aliquo motu & figurat narrationem diſtinguimus, vel fit procurſus, hoc eſt grauior quædam explicatio rei geſtæ cum affectu, qualis eſt illa Philodami Verrem. numero 63.

Partitio circumſtãtiarum prima eſt perſonæ. Nobilis fuit adoleſcẽs apud Vindelicos cui nomen Ludolphus, elegãs formâ, ſubtilis ingenio, auro diues, veſte nitidus, nec incultus moribus, ſed quo fœdauit omnia, curandæ cuti ſtudioſus, ac mollis. A parentibus, vt fit, ſtudiorum causâ mittitur ad vrbem nobiliſſimam Aug. vbi cùm audiſſet aliquem Epicuri diſcipulum de vini ſuauitate, deque ſolẽnibus epulis diſputantem, qui probis antea, caſtiſque moribus oculos, animoſque multorum retinebat, repẽtè mutatus in aliũ, non iam ſibi potioniſq; parcus vt antea, ſe ridentis blandientiſque vini colore captus temperantiam contemnere liberius, indulgere vino, genioque largius, maioribus poculis pergræcari, amniſti de certare potentius inſanire.

Modus conſequens adiungitur. Neque iis ſe tantùm in ſordibus velut in cœno, volutare, ſed alios ad tàm impuri criminis ſocietatẽ impellere. In inſidiis ergo ſe collocabat mollis animorũ prædo, trahebat incautos ad ſe temperantiæ ſtudioſos fracta voce, precibuſque fictis adoriebatur, reluctantes & inuitos minis vrgebat, dixiſſes felicitatem in poculis nouũ Epicurum poſuiſſe. Hi nimirum fructus, hæc ſeges eius Orationis, quæ vinum & epulas commendauit?

Additur cum exitu Tempus. Sed non diu miſet Adoleſcẽs genio vitiiſque indulgere potuit; ſe tandem in vitiorum ſordes, & in Orationis aculeos fatales, ac funeſtos induit. Quid moror? dum quadam nocte ex nimiis perpotationibus, atque illo gulæ fœtore, ſe domum fallente veſtigio articuliſque ſubſidentibus labentem retuliſſet, cubileque funeſtũ peteret: ecce tibi in incendium, Deo ita permittente, imò vindice, incidere, induſium comburere, in illo perire. O flammas adoleſcenti fatales! ſed fallor, ô ſermonem de vini commendatione quibuſlibet flammis, & incendio ſæuiorem! In hoc te periculum coniecit Oratio liberior, has tibi faces accendit, hac pœna ſupplicióque mulctauit. Ite nunc Iuuenes, cum audite qui mollis & vdæ linguæ flabello tantã in animis corporibuſque iuuenum incendij calamitatem inflammat.

* * *

PVNCTVM IV.

Narrationis Ornamenta.

SVæ ſunt Narrationibus veneres, ac ſales atq; elaboratæ nonnumquam elegantiæ, quibus ſi careant nimium pueriles, & inſulſæ videantur: hæc autem ex præcipuæ notæ Authoribus colligi poſſunt.

I. Plures ſæpè infinitiui conglobãtur ſuppreſſo verbo, vndè regi poſſunt. Verris auaritiam deſcribit Orator 6. in illum Actione à n. 63. *Iſte vnũ quodque vas in manus ſumere, laudare, mirari, Rex gaudere Prætori populi Rom. ſatis iucundũ & gratum illud eſſe conuiuium. Poſteaquam indè diſceſſũ eſt cogitare iſte nihil aliud, niſi quẽadmodum Regẽ ex prouincia ſpoliatum, expilatũque dimitteret.*

Candelabrum vero è gemmis clariſſimis opere mirabili perfectum ab eodem per vim & fraudem vſurpatum n. 65. *Etenim erat eo ſplendore, qui ex clariſſimis, & plurimis gemmis eſſe debebat; ea varietate operum, vt ars certare videretur cum copia: ea magnitudine, vt intelligi poſſet, non ad hominum apparatum, ſed ad ampliſſimi templi ornamentum eſſe factum. Quod cùm iam ſatis perſpexiſſe videretur tollere incipiunt, vt referrent. Iſte ait ſe velle illud etiam, atque etiam conſiderare: nequaquam ſe eſſe ſatiatum: iubet illos diſcedere, & candelabrum relinquere. Sic illi tùm inanes ad Antiochum reuertuntur. Rex primo nihil metuere, nihil ſuſpicari. Dies vnus; alter, plures, non referri tùm mittit Rex ad iſtum, ſi ſibi videatur, vt reddat. Iubet iſte poſterius ad ſe reuerti: mirum illi videri, mittit iterum. Non redditur. Ipſe hominẽ appellat; rogat, vt reddat. Os hominis inſignemque inpudentiam cognoſcite.*

II. Phraſis eſt hiſtorica cùm pro præterito, præſens vſurpatur Cic. de off n. 59. Feſtiuã Narrationem habet quâ docet auaros, ac deliciis fractos homines nonnumquam cupitis fraudari. Sic enim de aſtu quo Græculus Cannio impoſuit. *Cùm percrebuiſſet Canniũ hortulos velle emere, quò inuitare amicos, & vbi ſe oblectare ſine interpellatorib. poſſet, Pythius quidã ei dixit ſe habere, ſimulq; ad cænã hominẽ in hortos inuitauit in poſterum*

Digitized by Google

rum diem. Cùm ille promiſiſſet, tum Pythus, qui eſſet, vt argentarius, apud omnes ordines gratioſus, piſcatores ad ſe conuocauit, & ab his petiuit, vt ante ſuos hortulos poſtera die piſcarentur: dixitque quid eos facere vellet. Ad cœnam tempore venit Cannius: opiparè à Pythio apparatum conuiuium. Cymbarum ante hortulos multitudo. Pro ſe quiſque quod ceperat afferebat, ante pedes Pythij piſces abijciebantur. Tùm Cannius, quæſo, inquit, quid eſt hoc Pythi? tantumnè cymbarũ? & ille quid mirum? inquit: hoc loco eſt, Syracuſis quicquid eſt Piſcum: hic aquatio: hac villa iſti carere non poſſunt. Incenſus Cannius cupiditate, contendit à Pythio, vt venderet, Grauatè ille primò. Quid multa? imperat, Emit homo cupidus, & locuples tanti, quãti Pythius voluit: & emit inſtructos. Nomina facit negotium conficit: Inuitat Cannius poſtridiè familiares ſuos. Venit ipſe maturè. Scalmum nullum videt, Quærit ex proximo vicino. num feriæ quadam piſcatorum eſſent, quod eos nullos videret, nullæ, quod ſciam, inquit ille: ſed hic piſcari nulli ſolent itaque heri mirabar quid accidiſſet: hic verò ſtomachari, quærere quid rei eſſet, agere ſe in omnem partẽ ſuſpendi animo, videre ne quis &c. Supponitur verbũ cœpit.

Obſeruandum etiam poſt hæc verba repetita benè ſequi nominatiuum adiunctum, vt emit homo cupidus; quod poteſt etiam eleganter verti, emit homo nimirum cupidus, quem & locupletem, & rerum earum inpaucis cupidum & amantem eſſe conſtaret.

III. Eleganter participia conglobantur vt apud Cic. pro Amerin. num. 30. *Quid primum querar? aut vndè potiſſimum ordiar? aut quod, aut à quibus auxilium petam? Deorumne immortalium? populine Ro. veſtrùmne qui ſummam poteſtatem habetis, hoc tempore fidem implorem? Pater occiſus nefariè; domus obſeſſa, ab inimicis bona adempta, poſſeſſa, direpta, filij vita infeſta, ſæpè ferro atque inſidiis appetita.*

IV. Vſurpatur aliquando particula Relatiua. Qui. Cic. po Mil. num. 28. *Cùm hic inſidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparaſſet.* Et ibidem de Clod. num. 24. *Cùm ſtatuiſſet omni ſcelere in Prætura vexare Remp. qui non honoris gradum ſpectaret, vt cæteri, ſed & Paulum Collegam effugere vellet ſingulari virtute ciuem, & annum integrum ad dilacerandam Remp. quæreret.*

V. Elegans eſt repetitio eorumdem temporum, quæcumque illa ſint. Quale tritum eſt illud Cic. de Clodio pro Mil. Vbi conciliorum Clodij ſeriem euoluit, narratque quomodò ſenſim ad intentandam Miloni necem, quaſi quibuſdam gradibus peruenerit n. 25. *Conuocabat tribus; ſe interponebat: coloniam nouam, delictum perditiſſimorum ſcribebat ciuium. Quantò ille plura miſcebat, tantò magis in dies conualeſcebat.*

VI. Interſeruntur eleganter voces, *ait inſit, inquit. Tum Cic. cætera inquit aſſentior Craſſo,* vel; *Tùm ille non ſum, inquit, neſcius.* Notandum verò ante has voces prætermitti participia: Darius apud Curt. l. 4. n. 14. *Cæterùm, ſicut curru eminebat, dextera læuaque ad circumſtantiam agmina oculos manuſque circumferens. Terrarum, inquit, quas Oceanus hinc alluit, illinc claudit* Helleſpontus, *paulò ante Domini, iam non de gloria, ſed de ſalute, & quod ſaluti præponitis, de libertate pugnandum eſt.*

Ergo primos ordines, vt pulchrè ſedebat in equo obequitans Alexander ſimulque ad confertos cuneos protendens manus, certandum inquit Commilitones.

Alexander ad Demophoontem vatem ab obſidione Oxydracarum reuocare conantem ſic loquentem inducit Curt. l. 9. num. 4. *Si quis inquit te arti tuæ intentum, & extra ſpectantem ſic interpellet, non dubitem quin incommodus, ac moleſtus videri tibi poſſit. Et cùm illicita prorſus futurum reſpondiſſet: Cenſes ne inquit, tantas res, non pecudum fibras, ante oculos habenti vllum eſſe maius impedimentum, quam vatem ſuperſtitione captum?*

VII. Denique ſæpè ad breuitatem verba quædam, & aliæ nonnullæ voces Narrando omittuntur, vt, *vnus dies*, *alter plures*, hoc elabuntur, quod ſi vocabulum vſurpaſſet, Oratio caruiſſet gratia breuitatis.

PVNCTVM IV.

Figuræ Narrationis, Hypotipoſis.

I. Dici non poteſt quàm elegantes ſint in Narrationibus Hypotipoſes. Illuſtris eſt illa Verr. ſeptimæ n. 161. *Cædebatur virgis in medio foro Meſſano ciuis Ro. cùm interea nullus gemitus, nulla vox alia iſtius miſeri, inter dolorẽ, crepitumque plagarum*

gatum audiebatur, niſi hæc, ciuis Romanus ſum, hac ſe commemoratione ciuitatis omnia verbera depulſurum, cruciatumque à corpore deiecturum arbitrabatur. Is non modò hoc non perfecit, vt non virgarum vim deprecaretur: ſed cum imploraret ſæpiùs vſurparetque nomen ciuitatis: crux, crux, inquam infelici, ærumnoſo, qui nunquam iſtam poteſtatem viderat, comparabatur.

Tale eſt illud eiuſdem Orat. n. 160. *Ipſe inflammatus ſcelere, & furore in forum venit; ardebant oculi; toto ex ore crudelitas eminebat.*

Suſpenſio.

II. Vſurpantur & Suſpenſiones animorum, plurimumque afferunt non dignitatis tantùm ſed etiam voluptatis 7. in Verr. num. 10. *Quid deinde? quid cenſetis? furtum fortaſſe, aut prædam expectatis aliquam. Nolite vſquequaque eadem quærere. In metu belli furandi qui locus poteſt eſſe? expectate facinus, quàm vultis improbum: vincam tamen expectatione in omnium.*

Obliquæ Orationes.

II. Eleganter attexuntur obliquæ Orationes; qualis eſt illa Liuij 2. Dec. 1. *Hic verò populus Rom. tollere in cœlum Fabiam gentem; irent fauſtis auibus in hoſtes imperij, opponerent ſe aleæ & periculo omni, gererent bella Reip. Si plures tales familia exiſterent, nullos breui Romanis hoſtes fore.*

Exclamatio & Admiratio.

IV. Intercidunt ſæpè Narrationes Exclamationibus ad motum vehementiſſimis. Illuſtris eſt illa pro Cluentio. De Saſſia matre, vbi poſt aliquam narrationem hæc interſerit ad motum, num. 15. *O mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc vnam, in omni vita in auditum ô libidinem effrenatam, & indomitam! ô audaciam ſingularem! non timuiſſe, ſi minus vim Deorũ, hominumque famam, at ipſam noctem, faceſque illas captiales, non limen cubiculi? non cubile filiæ? non parietes denique ipſos ſuperiorum teſtes nuptiarum? perfregit, ac proſtrauit omnia cupiditate, ac furore, vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.*

Hinc reliquam pertexit Narrationem, nu. 16. *Tullit hoc commune dedecus iam familia, cognationis nominis, grauiter filius, augebatur autem eius moleſtia quotidianis querimoniis, & aſſiduo fletu ſororis.*

7. In Verr. Vbi Gauij ſupplicium narrauit ad fletum, erumpit in has voces doloris indices, num. 161. *O nomen dulce libertatis! ô ius eximium noſtræ ciuitatis! ô lex Porcia, legeſque Semproniæ! ô grauiter deſiderata; & aliquando redddita plebi Rom. tribunitia poteſtas!*

Epiplexis.

IV. Increpatio vehemens quæ adhiberi ſolet ab Oratore quotieſcumque graue aliquod facinus exponitur: eſt autem eiuſmodi. Verr. 7. num. 162. *Si te illius acerba imploratio, & vox miſerabilis non inhibebat: ne ciuium quidem Rom. qui tùm aderãt fletu & gemitu maximo cõmouebare? In crucẽ tu agere auſus es quẽquã qui ſe ciuẽ Rom. eſſe diceret? Nolui iam vehemẽter agere hoc prima actione Iudices nolui.*

In Catil. 2. *Patere tua conſilia non ſentis, conſtrictam iam omnium horum conſcientia teneri coniurationem tuam non vides? quid proximâ, quid ſuperiore nocte egeris, vbi fueris, quos conuocaueris, quid conſilij ceperis, quem noſtrum ignorare arbitraris?*

Communicatio.

V. Valet etiam plurimum in amplificandis Narrationibus communicatio, quâ conſilium, vel auditoris, vel perſonæ alterius expoſcimus, 7. Ver. num. 15. *Si tu apud Perſas, aut in extrema India deprehẽſus Verres; ad ſupplicium ducerere: quid aliud clamitares, niſi te ciuem eſſe Romanum? & ſi tibi ignoto, apud ignotos, barbaros, apud homines in extremis, atque vltimis gentibus poſitos, nobile & illuſtre apud omnes nomen tuæ ciuitatis profuiſſet: ille quiſquis erat, quem tu in crucẽ rapiebas, qui tibi eſſet ignotus, cum ciuem ſe Rom. eſſe diceret, apud te Prætorem ſi non effugium, ne moram quidem mortis mentione, atque vſurpatione ciuitatis, aſſequi potuit?*

Eſt illa ſubtilis pro Quinctio, num. 53. *Si de prædiis tuis ageretur Sex. Næui, ſi in paruula re captionis aliquid verere, nõ ſtatim a IC Aquilium, aut ad eorum aliquem, qui conſulantur cucurriſſes? cùm ius amicitiæ, ſocietatis, affinitatis ageretur; cùm officij rationem, atque exiſtimationis duci conueniret. Ego pro te nunc hoc Conſulo poſt tempus in aliena re, quod tu in tua re, cùm tempus erat, conſulere oblitus es. Quæro abs te Aquili, Luculle, Marcelle. Vadimonium non*

obiit

obiit mihi quidam ſocius, & affinis meus qui cum neceſſitudo vetus controuerſia de re pecuaria recēs intercedit, poſtulóne à Pretore, vt eius bona mihi poſſidere liceat? an cùm Romæ domus eius vxor, liberi ſint, domum potius denūtiem? quid eſt quod hac de re tandem vobis poſſit videri? profectò ſi veſtrā bonitatem, atque prudentiam cognoui, non multum me fallit, ſi conſulamini, quid ſitis reſponſuri: primùm exſpectare; deinde ſi latitare, ac diutius ludificare videatur: amicos cōuenire, quærere quis procùrator ſit; domum denuntiare.

PVNCTVM VI.

Motus.

MOuet Ariſtot. lib. 3. Rhet. interdum Oratorem debere in narratione ponere, quæ audientium animos cōmouere poſſint, vt ſi conſequentia referat. Quod diligenter obſeruat Tull. 3. in Verr. Vbi flebiliter admodum narrat Philodami eiuſque filij casū ob defensā Virginis pudicitiā à Verre expugnatā, n. 76. *Conſtituitur in foro Laodiceæ ſpectaculum acerbum & miſerum, & graue toti Aſiæ Prouinciæ, grandis natu parens adductus ad ſuppliciū, ex altera parte filius; ille, quòd pudicitiam liberorum; quod vitam patris, famamq́; ſororis defenderet. Flebat vterque non de ſupplicio, ſed pater, de filij morte, de patris filius, Quid lacrymarum ipſum Neronem putatis profudiſſe? quem luctum & gemitum Lampſacenorum.* Hæc enim conſequentia maximè mouent.

Et quæ nota ſunt auditoribus mouent animos. Pro. Mil vbi nonnullos motus, lenes illos quidem, ſed tamen accōmodatos interſerit, n. 31. *Quod ſi ita putaſſet, certè optabilius Miloni fuit dare iugulum P. Clodio, non ſemel ab illo, neque tùm primum petitum, quàm iugulari à nobis, quia ſe illi non iugulandum tradidiſſet.*

Mouent etiam tàm quæ ſibi, quàm quæ aduerſario propria ſunt Cic. pro Roſc. Amer. cum animi perturbatione narrat, quæ ſibi hoc eſt reo, quem defendit, & quæ priuatim adverſariis venerunt, n. 24. *Hunc miſerum luctu perditum, qui nondum etiam paterno funeri iuſta perſoluiſſet, nudū eiicit domo atque focis patriis, Diiſq; Penatibus præcipitem, Iud. exturbat, ipſe ampliſſimæ pecuniæ fit Dominus, qui in ſua re fuiſſet egentiſſimus, erat, vt fit inſolens in aliena. Multa palàm domum ſuā auferebat; plura clàm de medio remouebat; non pauca ſuis adiutoribus largè, effusè que donabat; reliqua, conſtituta auctoritate, vendebat.*

LECTIO XI.

Virtutes Narrationis.

PRæter vſum figurarum multa ſunt, quæ non modò probabilem, ſed etiam ſuavem, perſpicuam, & breuem efficiunt Orationem, de quibus breviter agendum, propterea quòd videtur ſuis omnibus partibus abſoluta. Narratio, cui nec perſpicuitas deeſt, neque, breuitas, nèque ſuauitas, neque probabilitas, quæ ſunt eius virtutes quatuòr.

PVNCTVM I.

Quo artificio probabilis fieri poſſit Narratio.

VT à probabilitate principe Narrationis virtute incipiamus, aſſequemur id Oratione noſtra vt probabilis ſit, ſi nihil contra decorum dixerimus, ſed perſonas conuenientes iis quæ perſuadere volumus, conſtituerimus. Si furti reum accuſaturi prius oſtenderimus cupidum fuiſſe, luxurioſum, egentem; hæc enim vitia in furem cadunt, vt benè monet Horat in Arte:

Qui dicit patriæ quid debeat, & quid amicis:
Quo ſit amore parens, quo frater amandus, & hoſpes,
Quod ſit conſcripti, quod Iudicis officium: quæ
Partes in bellum miſſi ducis: Ille profectò
Reddere perſonæ ſcit conuenientia cuique.

Quid vero perſonæ merè fictitiæ ſint?

Ficta voluptatis cauſa ſint proxima veris.
Nec quodcumque volet, poſcat ſibi fabula credi.

Nimirum id vult Horat. omninò curandum eſſe, vt quod fabulâ fingitur fieri potuerit, adeoque etiam in fictis narrationibus decori ratio habeatur.

II. Prudens quædam ſimplicitatis imitatio narrationem probabilem efficiet maximè, quo in genere laudatur ab omnibus, vt inſigne quoddam, ac propemodũ ſingulare Ciceronis exemplum in Milon. quod ingenii miraculũ partumque diuinæ mentis appellare non veretur Fabius. Sic autem aggreditur, num. 28. *Milo autem cùm in Senatu fuiſſet eo die, quoad Senatus dimiſſus eſt, domum venit, &c.* Vbi inſidiarum ſuſpicionem à Milone in Clodium retorquet.

III. A circunſtanciis probabilitas petitur, ſi diligenter in perſonis cõſideres, quemadmodum Cic. præcipit in partic. Nomen, Naturam, Victum, Fortunam, Habitum, Affectionem, Studia, Conſilia, Facta, Caſus, Orationes.

Ac primo quidem in natura conſideratur, timidùſne ſit quiſpiam, an audax, robuſtus, an affecta valetudine, diues, liberalis, an auarus, aut prodigus. De Clodio Cic. in Mil. num. 25 Epithetis vtriuſque & cauſæ, & loco aptiſſimis. *Vbi vidit homo ad omne facinus paratiſſimus, fortiſſimum virũ, inimiciſſimũ ſuum, certiſſimum Conſulem, idque intellexit, non ſolum ſermonibus, ſed etiam ſuffragiis populi Rom. ſæpè eſſe declaratũ; palàm agere cepit, & apertè dicere, occidendum Milonem.*

Et numer. 56. *Cur igitur victus eſt? quia non ſẽper viator à latrone, nonnunquam etiam latro à viatore occiditur: quia quamquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros.*

Pro Quinctio. Narrationem orditur ab ejus & aduerſarii perſona n. 11. C. *Quinctius fuit P. Quinctii huius Frater: ſanè cæterarũ rerũ Pater familias & prudens, & attentus, vna in re paulo minus conſideratus, qui ſocietatẽ cũ Nauio fecerit viro bono, verum tamẽ non ita inſtituto, vt jura ſocietatis, & officia certi Patrisfamilias noſſe poſſet: nõ quod ei deeſſet ingenium* Pro Roſc. Amer. ad num. 51. Et pro Cœlio paſſim.

In fortuna conſideratur nobilitas, diuitiæ, & iis contraria. Amer, 15 Sex. Roſc. Pater, &c.

IV. Quod ſpectat ad affectionem, & habitum ea maximè re diſcrepant, quòd affectio facilè mutatur, vt Lætitia, Spes, Mœror, Timor: habitus verò diuturnior. Ita Ligarium in Africam belli gerendi ſtudio profectum, nihil ſuſcepiſſe contra Cæſaris dignitatem oſtendit, num. 3. *Bellum ſubitò exarſit; quod qui erant in Africa, ante audierunt geri, quàm parari. Quo audito partim cupiditate inconſiderata, partim cæco quodam timore, primo ſalutis cauſa, poſt etiã ſtudii quærebant aliquem ducem.*

Habitus autem animi, vel corporis conſtans in aliqua re perfectio, ſtudio, & induſtria temperata, quâ benè, vel prauè afficimur ad quamlibet actionem. Sententioſè Tull. pro Quint. num. 12. *Tollitur ab atriis Liciniis, atque à præconum conſeſſu in Galliam Nauius, & trans Alpes vſque transfertur. Fit magna mutatio loci, non ingenii: poſteaquam neſcio quid impendit, & in commune contulit: mediocri quæſtu contentus eſſe non poterat.*

Tale illud eſt ad negandum in Milo. quem cæde facta, nullo metu perterritum, nulla conſcientiâ exanimatũ dicit, proindè nec ſceleris admiſſi conſcium, num. 62. *Magna vis eſt conſcientiæ, & magna in vtramque partem vt neque timeant, qui nihil commiſerint, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarint.*

V. Per ſtudii circunſtantiam intelligunt dicendi magiſtri quãdam animi vehementem contentionem, in aliqua re agenda. Pro Mil. à num. 25. & deinceps diligentiam Clodii in ſe comparando aſſumit, quam vrget ad probãdas inſidias: è contrario docet, tàm negligenter, ac ſupinè ſe Milonem inſtruxiſſe, vt ad feſtum & epulas magis, quàm ad pugnam proficiſci velle videretur.

Hanc eandem intentam mentis occupationem laudauit Orator. Pro Archia, num. 4. *Nam vt primum è pueris exceſſit Archias, atque ab iis artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, ſe ad ſcribendi ſtudium contulit Antiochiæ vbi celeriter antecellere omnibus ingenij gloria contigit.*

VI. Conſilia ſolent in Narrationibus explicari, quod facit Cicer. pro Mil. vbi Clodii conſilia pluribus exponit de inſidiis Miloni faciẽdis à num. 24 Pro Roſc. Amer. num. 28 *Reliquit annum ſuum, ſeque in annum proximum tranſtulit. Nam poſtquam iſti intellexerunt, ſumma diligentiâ vitam Sextii cuſtodiri, neque ſibi vllam cædis faciundæ poteſtatem dari, conſilium ceperunt plenum ſceleris, & audaciæ, vt nomen huius de parricidio deferrent.*

VII. Mirum eſt quam probabilem efficiant narrationẽ. Orationes ſiue illæ obliquæ ſint, ſiue directæ, à Clodij minis & verbis Miloni paratas inſi

Digitized by Google

inſidias concludit, 45. *Sed quid ego argumentor? quid plura diſputo? te Q. Petili, appello, optimum & fortiſſimum ciuẽ. Te M. Cato teſtor: quos mihi diuina quadã ſors dedit Vos ex M. Fauonio audiſtis, Claudium ſibi dixiſſe, & audiſtis, viuo Clodio, periturũ Milonẽ triduo. Poſt diẽ tertiũ geſta res eſt, quã dixerat. Cũ ille nõ dubitaret aperire, quid cogitaret, vos poteſtis dubitare, quid fecerit?* Quod & obſeruat, Ibid num. 26.

VIII. Caſus dicitur qui præter ſpem, & opinionem contigit. Pro Mil. 47. dum probat caſu Milonem in Clodium incidiſſe. *Primum quæro qui ſcire potuerit in via fore Clodiũ ne ſuſpicari quidẽ potuit?* Et pro Ligario, num 3. *Bellum ſubitò exarſit, quod ante audierunt geri, quàm parari.*

IX. Probabilis fit, ſi cum hominum opinione congruat, ſcilicet vitam ruſticam minimè cupiditatibus obnoxiam, num. 39. *Patrem occidit Roſcius. Qui homo: Adoleſcentibus corruptus, & ab hominibus nequã inductus; Vetus ſcilicet ſicarius, homo audax, & ſæpe in cæde verſatus; At hoc ab accuſatore dici quidẽ audiſtis. Luxuries igitur hominẽ nimirum, & æris alieni magnitudo, & indomitæ animi cupiditates ad hoc ſcelus impulerunt; de luxuria purgauit Erucus. Cupiditates porrò quæ poſſunt eſſe in eo, qui ruri ſẽper habitarit, & in agro colẽdo vixerit: quæ vita maximè disjũcta à cupiditate & cũ officio conjuncta.*

X. Probabilis à loco redditur Pro Mil. num. 54. *Videamus nunc id quod caput eſt, locus ad inſidias ille ipſe, vbi congreſſi ſunt, vtri tandẽ fuerit aptior. Id verò etiam dubitandum, & diutius cogitãdũ eſt? Ante fũdũ Clodii, quo in fũdo, propter inſanas illas ſubſtructiones, facilè mille hominũ verſabantur valentiũ: atque excelſo loco ſuperiorem ſeſe fore putabat.*

XI. Probabilis erit ſi memoria dicentis ſignificabitur; nam quæ promptè, & memoriter narrantur veritatis opinionem afferunt. Pro Flacco, num. 21. *Vbi eſt igitur illa exſpectatio, quæ verſari in judiciis ſolet? Nam antea, cùm dixerat accuſator acriter, & vehementer, cumque defenſor ſuppliciter demiſſeque reſponderat: tertius ille erat exſpectatus locus teſtium, qui aut ſine vllo ſtudio dicebant, aut cum diſſimulatione aliqua cupiditati.*

Quare ſæpè Oratores dùm aduerſarii fidem eripere conantur, eos fingunt titubantes, & hæſitantes 2 in Catil. num. 14. *Nunc ſi Catilina conſiliis, laboribus, periculis meis circumcluſus, ac debilitatus ſubitò pertimuerit, ſententiam mutauerit, deſeruerit ſuos, cõſiliũ belli faciũdi abiecerit, ex hoc curſu ſceleris, & belli iter ad fugã, atque in exiliũ cõuerterit, nõ ille à me ſpoliatus armis audacia, nõ obſtupefactus, ac perterritus mea diligentia, nõ de ſpe conatuque depulſus, ſed indẽmatus, innocẽs in exiliũ ejectus à Conſule vi, & minis eſſe dicetur.*

XII. Si veritas Orationi ſubjecta ſit, hoc eſt, ſi qui narrat, vera dicere ſoleat tùm enim probabile eſt ſequi morem ſuum, neque ad mendacium deſcendere: contra verò mendaci nunquam fides habetur, etiam ſi vera dicat. Ex hoc fonte ſæpius Orator contra teſtes dicendi materiam ſumit. Pro Flacco, num. 9. 14. *At quos teſtes? Primum dicam. Græcos.*

XIII. Vitæ fides, & probitas Oratoris probabilem efficit Orationem. Ex hoc concludit narrationem ſuam Cic. de Mil. ſeque vnico veri ſtudio ductũ profitetur, num. 30. *Hæc ſicut expoſui, ita geſta ſunt Iud. inſidiator ſuperatus, vi victa vis, vel potius oppreſſa virtute audacia eſt. Nihil dico. Quid Reſp. conſequuta ſit, quid boni omnes.*

XIV. Illud diligenter videndum ei, qui narrando fidem facere velit, vt rem verbis propriis exponat, non illis ſordidis quidem, ſed neque exquiſitis, & à communi vſu ſejunctis.

XV. Studioſè diſtinguenda narratio inſtituta rebus, locis, temporibus, cauſis; quæ omnia poni debent initio, cum ex iis tota res naſcatur.

Denique narrationis contextus nitido, ſimplicique dicendi colore conſtare debet, quæ quidem virtus temerè negligitur à plurimis, qui ad clamorem omnia dicũt, neque diſerti ſibi videntur, aut eloquentes niſi omnia vociferatione compleuerint.

PVNCTVM II.

Breuitas, altera Virtus narrationis.

QVod ad breuitatem attinet libenter reſponderem, quod Ariſtoteles olim ingenioſè dixit; Quemadmodum, ait, ſi quæratur qualem placentam eſſe oporteat, nec duram, nec mollem reſponderem, ſed bonam: ita narrationem, nec longam, nec breuem, ſed bonam defi-

Digitized by Google

PVNCTVM III.

Quibus rebus ſuauitas Narrationi accedat.

SVauitatem, quæ non minimam partem tenet, in narratione, aſſequi poteſt Orator I. ſi non pleno ſemper orbe decurrat Oratio, ſed identidem concidatur, quod fit frequenter apud Oratorem per exclamationem. Verr. 7. n. 99. *O ſpectaculum miſerum, & acerbum, ludibrio eſſe vrbis gloriam pop. Rom. nomen!*

II. Si infinitis nonnunquam vocibus, pro finitis compendij causâ vtamur. Conclamatum eſt ad arma, illicò omnes ad præſidia confugere, tutari mœnia, ſtationes obire, aggerem, vineas exſtruere, excitare.

III. Si figuris illuſtretur Oratio colloquiis, ſuſpenſionibus, ſermocinationibus, 3. in Verr. num. 67.

IV. Admiratio ſuauem efficit narrationem, quæ tum excitatur, cum magna, noua, inaudita dicimus. Ab hoc loco Cæſaris factum multis celebrat Cic. Phil. 4. n. 3. *Cæſar adoleſcens pene potius puer incredibili, ac diuina quadã mente, atque virtute, tùm cùm furor arderet Antonij, cũque eius à Brunduſio crudelis & peſtifer reditus, nec opinantibus quidẽ nobis, quia fieri non poſſe videbatur, firmiſſimum exercitum inuicto genere veteranorum militum comparauit, patrimoniumque ſuum effudit, quanquam non ſum vſus eo verbo, quo decuit, non enim effudit, ſed in Reip. ſalute collocauit.*

V. Inopinati rerum euentus, ſi felices aperiantur, non mediocrem afferunt iucunditatem. Ferdinando primo Imperatori magnus erat Horologiorum numerus, & artificioſa varietas, quibus mirè delectabatur, fuit vt animi gratia loquaci hoc auro menſam oppleret, & veluti mercem venditurus, ordine collocaret, gratum aulico comitatui ſpectaculum. Vbi ſatis datum oculis, ad colloquium factus eſt ſeceſſus. Vnus interea non ſpectator tantum, ſed emptor, furandi libidine, an occaſione impulſus. Vnum ex Horologiis, vt putabat, nemine conſcio, raptim in caligas abdidit ſagaci manu. Obliquo id oculo deprehendens Cæſar hominem ad ſe vocatum, vario ſermone, ad id horæ detinuit, dum ſonorũ illud aurum intra caligas loqueretur, & horam nuntiaret. Erubuit miſer vel inuitus, & totam faciem minio perfuſus, ſine voce furtum confeſſus eſt. Cæſar rubore contentus, liberalitate ſuperior, reum furti abſoluit.

Inopinati rerum exitus, fortunæ commutationes variæ, inſperata commoda, vel incommoda feliciter expreſſa, plena ſunt ſuauitatis, ſi dicentis vrbanitas, & pronunciatio, quæ plurimum hac in re poteſt, Orationem adiuuerit.

VI. Suauis erit, ſi metus, ſuſpiciones, deſideria dolores, lætitia, diſſimulationes, verbo vno, mores hominum, & affectiones exprimantur, quæ ſingula facilè deprehendentur in Cic. Verrina 3. à n. 66. orditur à lætitia. *Inuitantur; maturè veniunt: diſcumbitur, fit ſermo inter eos, & inuitatio, vt Græco more liberetur. Hortatur Hoſpes; poſcunt maioribus poculis: celebratur omnium ſermone, lætitiaque conuiuium. Poſteaquam ſatis calere res Rubrio viſa eſt: Quæſo inquit, Philodame, cur ad nos filiam tuam non intrò vocari iubes? homo qui & ſumma grauitate, & iam id ætatis, & parens eſſet obſtupuit hominis improbi dicto, tum vt aliquid reſponderet, negauit moris eſſe Græcorum, vt in conuiuio virorum accumberent mulieres. Hic tum alius ex alia parte. Enim vero ferendum hoc quidem non eſt: vocetur mulier, & ſimul ſeruis ſuis Rubrius, vt ianuã clauderent, & ipſi ad fores aſſiderẽt, imperat.*

Sollicitus tùm pater, & iratus inducitur. *Quod vbi ille intellexit, id agi atque id parari, vi filia ſua vis afferretur: ſeruos ad ſe vocat: his imperat, vt ſeipſum negligant; filiam defendant: excurrat aliquis, qui hoc tantum domeſtici mali filio ſuo nuntiet. Clamor, interea fit tota domo inter ſeruos Rubrij, atque hoſpitis, iactatur domi ſuæ vir optimus, & honeſtiſſimus, pro ſe quiſque manus affert: aqua denique feruenti à Rubrio ipſo Philodamus perfunditur.*

Succedit metus grauior in filio. *Hæc vbi filio nũciata ſunt: ſtatim exanimatus ad ædes cõtendit, & vt vitæ patris, & pudicitiæ ſororis ſuccurreret. Omnes eodem animo Lãpſaceni, ſimul vt hoc audierunt quod eos, tum Philodami dignitas, tum filiæ iniuriæ magnitudo mouebat, ad ædes noctu conuenerunt.*

Hic lictor iſtius Cornelius, qui cùm ejus ſeruis erat à Rubriô, quaſi in præſidio, ad auferendam mulierem collocatus, occiditur, ſerui nonnulli vulnerantur; Ipſe Rubrius in turba ſauciatur. Iſte qui ſua cupiditate tantos tumultus concitatos videret, cupere aliqua euoluere, ſi poſſet.

VII. Breues Apologi delectant. Hoc docebis fucum humanis oculis facere rem eſſe facillimè negotij, Dei verò fallere oculos nullam artem vnquam potuiſſe. Ceruus inſequentes proximè venatores fugiens, metu delatus eſt in ſtabulum, hic mulum rogauit, tantillum ſibi ſpatii non inuideret, quo fugam liceret diſſimulare, dum trāſvecti eſſent venatores. Cui mulus; hic, inquit, parum eris ſecurus, breui aderunt & herus, & famulus. Ceruus opinioni ſuæ tenax, & ſpei metuſque plenus videbo, ait, quas fugæ meæ tenebras captem, tantum non me prodas. Virturum ſe recepit, & famulus irrumpit, Ceruum tamen profundiore fœno vt cumque jam ſepultum non obſeruat, ſicque abit. Ceruus jure ſibi gratulatus quòd oculos famuli fefelliſſet, jam penè victor omnem periculi metum ponebat. Cui mulus, mi frater, hanc talpam decepiſſe, non artis fuit, ſed fortunæ. Væ tibi ſi venerit herus lynceos is habet oculos; hic ſi fefelleris triumphum caue. Breui & ipſe Herus adeſt, dumque omnia ſagaci luſtrat oculo, cornu ceruinum è fœno prominens deprehendit, & ſimul fugitiuum hoſpitem Mox comploſis manibus, ſeruos inclamat. Ita miſer carcerem eſſe ſenſit, quod Aſylum putabat. MENS FABVLÆ. Serui ſunt quotquot mortales viuunt, Dominus omnium ſolus Deus, illorum oculos decipere, ac fugere facilè, Dminū, qui metus eſt oculus, nemo fefellit vnquam, Dominus videt vbique, vndique, quacumque quocùmque perrexeris memento te deprehenſum. *Deus videt omnia.*

VIII. Feſtiua ſemper arridet Narratio, ſi modò grauitate condita ſit. En gratam & ſimplicem Campiani Martyris ad amicum ſuum. *Poſtridiè quam huc conceſſi, accingor ad ſtudia, irrupit in cubiculum de improuiſo anus quædam paupercula, neſcio quid concinnatura. Vbi me videt ad læuam, prorſus ignara cuias eſſem, ſpectrum credidit, capillus miſellæ obriguit, deſtituit color, ore ſtupet, ſoluuntur fauces. Quæro quid veniſſet; ibi tùm exanimata metu paululum abſuit, quin collaberetur. Nullum verbum proloqui. Proripere ſe foras quantū poteſt, non prius quieſcere, quàm heram monuiſſet, eſſe qui ſcriberet in conclaui tetricū, vmbram ſibi videri. Hæc narrantur in cœna, mulierculam accerſunt, faſſa timorem eſt, omnes caſu emori, ego in viuis compertus ſum.*

IX. Suauitatem & hæc facit Hiſtoria ab erudito viro tranſumpta. Ad Idus Iulias Carolus languidus vt fit inter libros de feneſtra cœlum obſeruat, & cum ſudum eſſe comperiſſet, hem inquit Carole, quid te iſtis curis conficis? inuitat Cœlum, feriandum à ſcholis, deambulandum. Derepentè igitur domo egreditur, mox etiam vrbe, in proximam hoſpitis villam conſcendit: quid multa? totum illum diem, aut ludendo conſumit, aut ruſticando: domum reuerſus, cum cibo & potu curaſſet genium, in lectô recumbit, cum, quia de via fractus erat, arctior ſomnus complectitur. Octaua tantum, aut etiam infra octauam expergefactus, heu, inquit, quota eſt hoſpes? is iam naturam Adoleſcentis benè nouerat, dormi, inquit, Carole, laſſitudini morem gere, ſcholæ ſolicitudinem mihi permitte; ſanè. Interea domum à Præceptore mittitur; hoſpes, quis tuꝰ à Præceptore nuntius: opinor de Carolo rogas? omninò: ægrum eſſe renuntia. Ita ne verò inquit Petrus (interpres is erat) heri valentiſſimum vidi; & videbis hodie ſi vis, ægerrimū: Sanè videamus; dùm interloquuntur, Calorus Petri vocem inaudiit, expalluit, ab ingenio tamen vulpîno non receſſit, cubiculū ingredientem iſte prior increpat, quis hîc moleſtus interuenit? Salue mi Carole, inquit Petrus. Si ſalus ægro eſſe poteſt. Heri cùm à te redirem, offendi lapidem, & conquaſſato crure vix domum redij, ac etiā dolor intercludit vocem, abi hinc, & me quietum ſine: Ille minimè malus diſceſſit; poſtridiè quia ſibi viſus eſt Carolus ſatis ſommo & genio dediſſe, de ſchola cogitat. Aſtum adoleſcētis cognoſcite: diſcipulo heri illudimus, hodie magiſtro illudendum eſt: vultum deformat, rugas ducit. crus ſtupâ obligat, claudum ſimulat, obuiam fit Præceptori ludum ingredienti. Li-

ceat

ceat, inquit, impunè abſuiſſe. Hic Præceptor etiámne ſecundo, imò & quartum diem abſuiſſem, ſi medico, & dolori paruiſſem. Crus gero atroci vulnere affectum, vix ingredior. In hominem Præceptor intuitus, nihil fraudis ſuſpicatus, dolet mihi vulnus illud tuum, abi & bene vale.

X. Partim poëticam, partim Oratoriam ſuavitate nihilò inferiorem ab eodem auctore deſcriptam, vt perfectam Narrationis ideam tranſcribere nihil prohibet. Rupella vrbs cart cætera illuſtris, hôc infamis, quòd eam infamia, hoc eſt hæreſis corruperat. Opus fuit doctore Catholico, qui hanc ſtrumam raderet ex parte. Sed enim, quis iret, è multis inquam, imò quis inter paucos, aut etiam qui ire promptum mitteret? nemo id aggredi potuit ab eo, qui in Gallia nihil non potuit Henricus IV. Doctorem Catholicum legan t eò, litteras Rupellanis conſulibus dedit ne is repulſam pateretur. Leguntur illæ publicè, & ad auctoritatem regiam ij mutire, alii fremere quidam obſtrepere. Inter tygrides, vulpes fuit, ore tenus venerabilis, qui vt aliorum feritatem cicuraret, acquieſcendum ſodales, inquit, Rex jubet: reclamare nefas eſt. Sed enim vero doctorem Papiſticum excipiamus pro merito, à nobis citiùs abierit, quàm ad nos ierit. Ego quid cenſeam audietis poſtea: Agite vos quemadmodum à nobis ille tractetur. Continuò vnus ex illo conciliabulo; venenum, inquit, propinetur: Quid enim magis addecet, quàm vt qui peſtiferæ doctrinæ venenum propinat, veneno perimatur? Hoc vero eſt durius, ait grauis ille Ariſtarchus, & in dedecus vrbis, ordinumque, ſi benè auguror, relaberetur facinus.

Tu quid cenſes Francatripa? omninò id nominis quadrabat in hominem. Cùm è ſuggeſtu Pontificiam turbam hortabitur, tympanis, crepitaculis, aliiſque turbis obruamus concionantis rumuſculos: arriſere cæteri, quibus tamen cumulatè non eſt niſi à Bambalione, ſatisfactum. Princeps is erat conſultantium: ergo poſteaquam barbam ſatis demulſit, iſta proloquutus eſt: gregi puerorum demus hanc prouinciam, vt tanti homini gratuletur, aſinum exclamabunt; luto onerabunt, omni convitii genere deformabunt. O diuinum inuentum exclamant reliqui! eamus, pueros convocemus: inſtat hora, ad quartam ingreſſuram doctorem rumor eſt. Ille ſive caſu, ſive conſilio, eo die vrbem non appulit, appulit hæreticorum Miniſtellus, qui fortè in vicinum pagum ruſticatum ierat ante aliquot dies, pueri qui in pomæriis erant velut in ſpecula, vt doctorem obſeruarent, in Miniſtro doctorem eſſe rati, hortari ſe invicem, commovere equum; doctor Papiſticus, adeſte, properat, omninò pullatus eſt, & oblonga clamide palliatus, ipſe eſt, adornemus guttura. Vbi ſcæreri; eamus obuiam. Miniſter alia omnia cogitans vrbem ingreditur, ſalutatur à vigiliis, vbi interiores valuas prætervectus eſt, illicò puerorum clamoribus exceptus eſt, *à l'aſne, à l'aſne.* Miratur noſter homo: quid iſtuc eſt, inquit, egóne ſum aſino inſideus? Imò hic mulus eſt, non aſinus. Vocem pueri hominis excipiunt, *à l'aſne, ſur mulet.* Convicium ſibi ipſi fieri cùm audiit Miniſtellus excanduit. Proh! me meipſum aſinum proclamitant, Quos ego. Iterum Celeuma, *à l'aſne.* Etiam pergitis Mirmidones? & vero pergunt inclamare. Quid iis faciat clamoribus noſter Miniſtriolus? audite hominem: necdum has premitis formiculas: ſane non premūr, ſed vrgent, gliſcit in ſtomacho miniſtrunculi atrox bilis. mulum pungit; fodit calcaribus. Eja mi mule procurrito, obuios quoſque protrito, mactato: calcarium mulus impotens ſeſſorem excutit, mulionem euertit: pueri verò, rùm cachinnati effrænatius, *à l'aſne mort.* O diem calamitoſiſſimum air mulo proſtratus, atque in Mulum conuerſus, vbi eum quoque proſtratum vidit, ô calamitatem calamitate cumulatam! Mulum ſodi atrocius, interemi, quid mihi reſtat, niſi vt ego quoque moriar? ad hanc vocem quaſi morientis, aſinus ex angiportu rudere horribiliter, pueri etiam veteres interpolare ſonos, Miniſter verò; heu quo me vertam? hinc aſini rudunt; hinc pueri obſtrepunt, quaqua verſum mors eſt, abdamus nos in proximam ædem. Novum infortunium, obſeratum eſt Limen. Heus introducite me hoſpites; adiuvant pueri, introduc aſinum molitor; Inquilinus clamore excitatus, Quis hic obſtrepit? ego verò ni-

Digitized by Google

hil obſtrepo,ait, ſed vt me domum introducas obſecto : pueri verò introduc aſinum molitor; hoſpes agaſonem ratus eſſe,qui Miniſter erat,tu diuerſorium habes molendini loco;Apage Agaſo,aſinos aliò collocatum eas, ſimul hæc dixit, hærentem adhuc pro foribus Miniſtrum diluvii tempeſtate obruit,

Accipite cataſtrophem ; nempe in furioſum Oreſtem,atque in alterum Athamantem vertitur Miniſter,fumat , ſpumat , Anatemathizat, proh ſuperi ! inferi ! hæc patimur ? ô tempora! ô iura!hic quoque pueri iura clamitant. Aſinus habebit æquum pulpamentum,vt iuſculum condicat.Ergo certatim aggerunt in caput,in ora,in humeros , in barbam hominis lutum , farinam, omnes ſterquiliorum fæces. Quò ſe miſer proripiat ? ad priſtinos ejulatus. Proh!Rupellani cives accurrite.Excitauit hoc tonitru Tabernarios Opifices erũpunt igitur armati verubus tumultuariè:quid rerum Iſacar (erat hoc Miniſtro nomen quid rerum , inquam , Iſacar?iſte verò vbi ſe paulum à priſtina tempeſtate collegit , bilem in eos euomit. Vt ego fiam probrum ciuitatis? ego Miniſter ſacti verbi ? à pueris luce palam vobis audientibus,videntibus,annuentibus Ite, aliundè Miniſtrum conquirite:ego aliò proficiſcor:vrbe egreditur muſſitans lutulento caballo redditus,interminans cœlum terraſque increpitans,ſequuntur opifices vt placent hominem, vt mitigent,nihil obtinent.

XI. Quæ fit igitur in perſonis Narratio ſimul aperit animos & ſermones, requiritque multam feſtiuitatem,rerum varietatem, grauitatem , lætitiam,ſpem,metum, ſuſpiciones,deſiderium,errorem,miſericordiam,fortunæ denique commutationem,&rerum exitus felices,& aduerſos Perſonæ autem vel notæ ſunt & veræ, vel fictæ,rerum inanimatarum, vel ratione carentium. Sublimis & ſubtilis eſt illa Tull.13 Phil.n.3. *Hoc verò quideſt ? cum Antoniis pax poteſt eſſe , cum Cenſorino,Ventidio,Trebellio,Beſtia,Nucula? Munatio,Lentone,Saxo?exempli cauſa,paucos nominavi,genus infinitum, immanitatemq; ipſi cernitis reliquorum. Addite illa naufragia Cæſaris amicorum Barbas,Caſſios,Barbatios, Polliones: Addite Antonii colluſores,& ſodales,Eutrapelum,Melam,Cælium , Pontium,Craſſicium , Tironem. Muſtellam, Petiſſium;comitatum relinquo;duces nomino. Huc accedunt Alauda,cæterique veterani, Seminarium iudicum tertiæ decuriæ,qui , ſuis rebus exauſtis,beneficiis Cæſaris devoratis , fortunas noſtras concupierunt O fidam dexteram Antonii, qua illa plurimos ciues trucidauit! ô ratum religioſumq; fœdus, quod cum his fecerimus.Hoc ſi M.Antonius violare conabitur Lucii eum ſanctitas à ſcelere revocabit.Illis locus ſi in hac urbe fuerit,vrbi ipſi locus nõ erit.Ora vobis eorum ponite P C. ante oculos, & maximè Antoniorum,inceſſum,aſpectũ, vultum,ſpiritum,Latera tegentes alios,ſequentes alios , alios progredientes amicos. Quam vim anhelitus ? quas contumelias fore cenſetis,minaſq;verborum:niſi forte eos pax ipſa leniet,maximeq; cùm in hunc ordinem venerint:ſalutabunt benignè , comiter appellabunt vnumquemq; noſtrum.*

PVNCTVN IV.

Perſpicuitas poſtrema virtus Narrationis.

DE Perſpicuitate nihil eſt inſigne quod dicam,niſi talem fieri verbis vſitatis propriis diſpoſitis. Cauendum autem ne ſequamur eos Oratores qui rem indignam putant aliquid eſſe in Oratione quotidiani,familiariſque ſermonis ſimillimum

Nihil etiam quod de vitiis Narrationis moneam, quæ quidem contraria ſunt ſuperioribus virtutibus , obſeruanduum tamen Narrationes ferè concludi ſolere epiphonematis : Tandem abſolutæ Narrationis exemplum repetẽdum ex 7 Verrina ad nu. 168. Vbi penè omnia quæ hactenus attulimus præcepta in vſum educuntur. *Rem in medio ponam,quæ tantum habet ipſa grauitatis,vt neque mea , quæ nulla eſt,neque cuiuſquam , ad inflammandos veſtros animos eloquentia requiratur , &c.*

PVNC

PVNCTVM V.

De Egreſſione.

LIcet natura ſua Confirmatio Narrationem conſequatur; quidam tamen apud Fabium c. 3.l.4. Egreſſionem Narrationi ſubiiciunt, rati locum illum maximè aptum, ex quo fiat Orationis quaſi leuis armaturæ militum, in quodcunque prodeſſe nobis poteſt, excurſio. Verùm vt optimum factu ſit re Narrata, non eo tamen loco ſolùm, ſed vbicumque videmus induſtriæ noſtræ patere căpum, in quo poſſit excurrere adlectum quidpiam, & maximè acco mmodatum. Neque enim eſt certa Egreſſionis regio, ſiquidem Nomadum more vagari poteſt per totam Orationem, quaſi per campos liberos, modò, à iudicio, tanquam ab Imperatore mittatur. Ergo & in Proœmio fiet ad Ciceronis imitationẽ 4 Act. in Verrem, vbi ſtatim ſub initium digreditur in Siciliæ clades. Et in confirmatione 3. in eundem.

Eſt igitur Egreſſio virtus potius, quàm pars Orationis, quæ ſic definitur, alienæ rei, ſed ad vtilitatem cauſæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio; hanc Poëtæ ἐπεισόδιον vocant, quale ſub finem Æne 8. de Clypeo; Græci παρέκβασιν, eximium ſanè lumen, & Orationis, & carminis.

Memineris verò maximam curam, iudiciumque adhibẽdum eſſe, ne, intempeſtiuè fiat excurſio, vel extra modum; cùm ſcilicet à propoſito digredientes longius, & in languorem Auditores, & nos in riſum damus, vt ille Poſthumus apud Mart. lib. 6. Epigr.

Non de vi, neq; cæde, nec veneno,
Sed lis eſt mihi de tribus Capellis,
Vicini queror has abeſſe furto,
Hoc Iudex ſibi poſtulat probari
Tu Cannas, Mytridaticumq; bellum,
Et Scyllas Mariique, Mutiique,
Et periuria Punici furoris,
Magna voce ſonas, manúque tota.
Iam dic Poſthume de tribus Capellis.

Frequentes ſunt huius Egreſſionis ſpecies in Cic pro Quintio poſt Narrationem, Balbo in Pompeij Laudem. n. 13. & alibi ſæpè.

LECTIO XIII.

De Confirmatione.

OPeroſa meritò videri ſolet Confirmationis tractatio, quippe qua nunquam carere poſſit, ac debeat Oratio: πίστιν nominat Ariſtot. Quæ neruos omnes Eloquentiæ contineat, & quaſi viſcera, vitamque Orationis. Tota ſpes vincendi ratióque perſuadendi poſita eſt in Confirmatione, & Confutatione, inquit Author ad Heren. l. 1. n. 18. Nam cùm adiumenta noſtra expoſuerimus, contrariáque diſſoluerimus, abſolutè nimirum munus Oratorum confecerimus.

Hanc definit Tull. 1. de Inu. n. 34. Per quẽ argumentando, noſtræ cauſæ fidem, & auctoritatem, & firmamentum adiungit Oratio, hoc eſt in qua probamus cauſam noſtram, quod fit argumentis, de quibus copiosè ſatis ſuperius actum eſt.

PVNCTVM PRIMVM.

De Ordinandis Argumentis in Confirmatione.

ILle communis, & optimus eſt, ſi priore loco firmiora collocemus, quòd tum maximè attendat auditor, & in fine, quia quæ poſtremo dicũtur, altius inhærent. Imbecilliora verò in medio collocanda ſunt, vbi facilius latebit eorum infirmitas. Quod ſi cauſa duobus tantùm nitatur quorum alterum firmius ſit, imbecillius quidem validiori ſubiiciendum erit, ſed mox ad validius recurrendum, ex præceptis Tullij ſic in Oratore n. 50. monentis. *Cùm animos prima aggreſſione occupauerit, infirmabit, excludetq; contraria de firmiſſimis, alia prima ponet, alia poſteriora, inculcabitq;, leuiora*, inſtar aciei ad pugnam cõparatæ. Cuiuſmodi dicitur illa Neſtoris apud Homerũ Ili. δ. Vbi in fronte firmiſſimos equites diſponit ἱππῆας μὲν πρῶτα, pedites in tergo, vallũ exercitui, futuros; imbecilliores porrò, & eos, quibus audita primũ buccina diſſoluuntur genũa, fugamq; meditantur in medium agmen cogit. κακοὺς δ᾽ ἐς μέσσον ἔλασσεν. Ne leuem ergo cauſam ſuſpicari auditor

 incipiat

Digitized by Google

incipiat, optima locabis argumenta, poſtrema quæ mentibus inhærent; Coniecturæ infirmiores, cæteráque id genus argumenta, non tamen inutilia ſtipanda, vt appendi potius, quam numerari videantur, & ſi non pondere, multitudine ſaltem ingruant.

PVNCTVM II.

Alter Ordinandi modus.

PEr gradus aſcēdit Tull. ac primò quidem firmat rem, quæ in quæſtionem venit: deinde volens de ſuo iure libensque remittit aliquid, vt hoſti poſtmodum inſultet audacius 7, Verr. n. 4. *Non agam ſummo iure tecum, non dicam id quod debeam forſitan obtinere: cùm iudicium ſit certa lege conſtitutum, non quid in re militari, fortiter feceris, ſed quemadmodum manus ab alienis pecuniis abſtinueris, abs te doceri oportere: non inquam, ſic agam, ſed ita quæram, quemadmodum te velle intelligo, quæ tua opera, & quanta fuerit in bello.*

Aliàs validiore quodam argumento victoriam occinit. In Mil. propugnatione primùm ſanxit inſtructas à Clodio inſidias: ſecundùm, vt ſit liberum Milonem a Moriti. & trucidare perduellem potuiſſe: tertiùm non modò non dignum pœna, ſed compēſatione poſſe illud facinus, non humano tantùm conſilio, ſed etiam Deorum Immort cura perfectum. Huic amplificationes, & motus animorum deſeruient.

LECTIO XIII.

De Confutatione.

VVm maximè vtilis eſt Refutatio, ita maximè difficilis, & eò maiori artificiò indiget, quò facilius obiicitur, quàm obiecta refellantur. Cōfirmatio namque vulnus infert; confutatio medelam adhibet. Adde quod vno penè modo accuſatur, vario diſſoluitur, Accuſatori ſatis eſt, ſi verum eſſe oſtendat, quod obiicit, defenſori non eſt ſatis negare, niſi etiam tranſferat, excuſet, deprecetur, molliat, minuat, auertat, deſpiciat diſſimulet, deflectat; defenſio mille flexus, & artificia deſiderat; accuſator præmeditata plerumque domo adfert, patronus etiam inopinatus occurrit. Ideoque vix bonus vnquam defenſor aliquis fuit, niſi qui eloquentiſſimus.

PVNCTVM I.

Definitio.

IN his Orator naturæ ſimul, & cauſæ debet obſequi: quidam enim potenter euertunt alij facilè probant. Hic quiſque ea maximè parte pugnet, qua maximè poteſt: ſi facilius confutet obiecta, in eo rei ſummam conſtituat: Si laboret in confutando, ſua confirmet, argumētiſque opponat argumenta; id enim & nonnunquam cauſæ exigunt, quod ipſe Tull. & monuit, & præſtitit. Monui. 2. de Orat. n 293. *Summa denique huius generis eſt, vt, ſi in refellendo aduerſario firmior Oratio, quàm in confirmandis noſtris rebus poteſt, omnia in illum conferam tela: Sin noſtra facilius probari, quàm illa redargui poſſunt, abducere animos à contraria defenſione, & ad noſtram contraducere.*

Præſtitit autem in Orat. pro Amer. Cum enim Parricidam illum probare vix poſſent, omiſſis confirmationis telis, ſcutum oppoſuit Confutationis; & ſingulis aduerſariorum argumentis reſpondit, vbi perfectam Cōfutationis Ideam proponit, quàm ſic orditur à n. 37. *Occidiſſe patrem Sex. Roſcius arguitur. Sceleſtum ac nefarium facinus atque huiuſmodi, quo vno maleficio omnia complexa eſſe videantur.*

Contra in Milōnis cauſa, quia vix labefactari poterant aduerſariorum firmamenta: eis penè poſthabitis, ſuas probationes intendit: docet, quippe paratas à Clodio inſidias, ſuā potius aſſerendo, quam aliena conuellendo.

Eſt autem Refutatio contrariorum locorum diſſolutio: vel Oratio, qua aduerſariorum Confirmatio argumentis diluitur, aut infirmatur, & eleuatur. Aut certè pars Orationis quæ in aduerſariorum argumentis ſingulis eluendis, infringendiſque occupatur.

PVN

Digitized by Google

PVNCTVM II.

De Modis & Induſtriis Confutationis

HÆc tradit præcepta Tull. in partic. num 44. *Aut totũ eſt negandum quod in argumentatione aduerſarius ſumpſerit ſi fictum, aut falſum eſſe poſſis dicere, aut redarguẽda ea, quæ pro veriſimilibus ſũpta ſunt: primùm dubia ſumpta eſſe pro certis: deinde etiã in perſpicuè falſis eadem poſſe dici: Tùm ex iis quæ ſũpſerint, non effici quæ velint. Accedere autem oportet ad ſingula, ſic vniuerſa frangentur. Commemoranda ſunt etiã exempla, quibus ſimili in diſputatione creditũ non ſit; conquerenda conditio cõmunis periculi; ſi ingeniis hominum criminoſorum ſit expoſita vita innocentium.* Quæ ſingula ſunt nobis propius inſpicienda,

PVNCTVM III.

Primus modus à Repugnantibus.

INfirmatur crimen, ſi oſtendamus reum aut nõ his eſſe moribus, aut non ea vitã, aut in illo nullos animi motus, aut non tam impotentes fuiſſe. Sic illum à facinoribus impoſitis alienum probauimus. Nam vt opinio eſt de cuiuſque moribus: ita quid ab eo factum, & non factum ſit exiſtimari poteſt Nemo melius vno Cic. Roſciũ abſoluit à num. 39. *Patrem occidit Sex. Roſcius, qui homo? adoleſcentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta. Vetus videlicet Sicarius, homo audax, & ſæpè in cæde verſatus. At hoc ab accuſatore ne dici quidem audiſtis. Luxuries igitur hominem nimium, & æris alieni, magnitudo, & indomita animi cupiditates, ad hoc ſcelus impulerunt. De luxuria purgauit Erucius, cùm dixit, hunc ne in conuiuio quidem vllo ferè interfuiſſe. Nihil autem vnquam debuit. Cupiditates porrò quæ poſſunt eſſe in eo, qui, vt ipſe accuſator obiicit, ruri ſemper habitarit & in agro colendo vixerit? quæ vita maximè diſiuncta à cupiditate, & cum officio coniuncta. Quæ res igitur tantum iſtum furorem Sex. Roſcio obiecit! patri non placebat: quam ob cauſam? neceſſe eſt enim eam quoque iuſtam & magnam, & perſpicuam fuiſſe. Nam vt illud incredibile eſt, mortem oblatam eſſe patri à filio ſine plurimis, & maximis cauſis: ſic hoc veriſimile non eſt, odio fuiſſe parenti filium ſine cauſis multis & magnis, & neceſſariis. Rurſus igitur eodem reuertamur, & quæramus quæ tanta vitia fuerint in vnico filio, quare is patri diſpliceret. At perſpicuum eſt nullum fuiſſe, pater igitur amens, qui odiſſet eum ſine cauſa quem procrearat. At is quidem fuit omniũ conſtantiſſimus.. Ergo illud iam perſpicuum profectò eſt, ſi neque amens pater, neque perditus filius fuerit, neque odij cauſam patri, neque ſceleris fuiſſe filio.* Deiotarum non fuiſſe à rationibus Cæſaris alienum docet, ab eo tempore quod pecuniam ſubminiſtrarit, & exercitum aluerit n. 14.

A Cœlij moribus criminis obiecti falſitatem poſſe pluribus capitibus conuincere, qui ſemper fuerunt ab huiuſmodi facinoribus alieni n. 55. *Quid ergo nunc argumentis huic crimini: quæ ſunt innumerabilia, reſiſtam? poſſum dicere, mores Cœlij longiſſimè à tanti ſceleris atrocitate eſſe diſiunctos: minime eſſe credendum, homini tàm ingenioſo, tamque prudenti non veniſſe in mentem, rem tanti ſceleris, ignotis, alieniſque ſeruis non eſſe credendam.*

PVNCTVM IV.

Ab Adiunctis perſonarum.

ADiuncta etiam refutantur præclarè, vt & ſigna à cauſis diuerſis. Occidiſti hominem, nam cur totis artubus contremiſcis? vnde pallor hic, & incertus oculorum intuitus? cur manibus es cruentus? quorſum iſte gladius? quid mucro? quid vagina liber enſis? tremo, quia dudum æſtuante febri laboraui; tremo, quia perfrigida eſt hyemis tempeſtas: manus cruentatas ſanguine vides: irruentem in me canem occidi. At cur intempeſta noctis hora volitabas per vrbem? agebat animam filius, ipſe per me adij Medicum, qui citius morituro præſens adeſſet.

Vel à perſona noſtra, quam probabimus planè alienã ab eo quòd nobis imponitur Pro Marcello deprecatur à Ciuibus Rom. inſidiarum in Cæſarem ſuſpicionem; quòd nimirum non poſſent ij, qui vitam ab eo accepiſſent, de vita eidem adimen

menda cogitare: quod ab Enumeratione partium concludit, n. 22.

Ab Adiunctis maximè perſonæ aduerſariorum, quod oſtendemus, vel odio, vel ſcelere inſignes facilè id finxiſſe pro Deiotaro, Medicũ docet ab adoleſcente corruptum, n. 17. *En crimen, en cauſa, cùm Regem fugitiuus, Dominum ſeruus accuſet. Ego mehercule Cæſar, initio cùm ad me delata iſta cauſa, Philippum Medicũ, ſeruum Regium, qui cum legatis miſſus eſſet ab ipſo adoleſcente exiſtimauit eſſe corruptum. Hac ſuſpicione ſum perculſus, Medicum, iudicem ſubornauit, finget videlicet aliquod crimen veneni, & ſi à veritate longè, tamen à conſuetudine criminandi res non multum abhorrebit.* Item pro Roſc. Amer. num. 20.

PVNCTVM V.

A Circunſtantiis.

HVius Confutationis Ideam ſuggerit abſolutiſſimam Cic. pro Cœlio. Vbi à cauſarum efficientis ac finalis remotione probat nullam Cœlio fuiſſe perficiendi ſceleris facultatem, nullos ſocios, & adiutores, quibus tantum facinus mente conceptum ſine temeritate committeret à n. 55. *Hac eſt innocentiæ defenſio, hac ipſius cauſæ Oratio: hæc vna vox veritatis. In crimine ipſo nulla ſuſpicio eſt, & in re nihil eſt argumenti, in negotio, quod actum eſſe dicitur, nullum veſtigium ſermonis, loci, temporis: nemo teſtis, nemo conſcius nominatur; totũ crimen profertur ex inimica, ex infami ex crudeli, ex facinoroſa, ex libidinoſa domo: domus autẽ illa, quæ tentata ſcelere iſto nefario dicitur, plena eſt integritatis, officij, religionis: ex qua domo recitatur vobis iureiurando deuincta auctoritas: vt res minimè dubia, tamen in contentione ponatur, vtrum temeraria, procax, irata mulier finxiſſe crimen, an grauis, ſapiens, moderatuſque vir religioſè teſtimonium dixiſſe videatur.*

Iam veneficij crimen à Cœlio reiicit per inficiationem cauſæ, negatque vllam ab aduerſariis excogitari poſſe, quæ Cœlium ad tàm execrandum facinus impelleret, n. 56. *Reliquum eſt igitur crimen de veneno: cuius ego neque principium inuenire, neque euoluere exitum poſſum. Quæ fuit enim cauſa, quamobrem iſti mulieri venenum vellet dare Cœlius? ne aurum redderet? ne crimen haberet? num quis obiicet? num quis deniq; feciſſet mentionẽ, ſi hic nemini nomen detuliſſet: credibile eſt igitur tantum facinus nullam ob cauſam eſſe cõmiſſum? & vos non videtis fingi ſceleris maximi crimen vt alterius cauſa ſceleris ſuſcipiendi fuiſſe videatur? Cui denique cõmiſit? quo adiutore vſus eſt? quo ſocio? quo conſcio? cui tantũ facinus, cui ſe, cui ſalutẽ ſuam credidit? ſeruis ne mulieris? Sic enim obiectum eſt. Et erat tàm demens hic, cui vos ingeniũ certè tribuitis, etiãſi cætera, inimica Oratione detrahitis, vt omnes ſuas fortunas alienis ſeruis cõmitteret? at quibus ſeruis? refert enim magnoperè idip; hſũiſne quos intelligebat nõ cõmuni cõditione ſeruitutis vti ſed libẽtius liberius, familiarius cum domina viuere: quis enim hoc nõ videt, aut quis hoc ignorat? in eiuſmodi domo, in qua mater familias meretricio more viuat: in qua nihil geratur, quod foras proferendum ſit, in qua luſtra, libidines, luxuries, omnia denique inaudita vitia atque flagitia verſentur: hic ſeruos, non eſſe ſeruos? quibus omnia cõmittantur? per quos gerantur? qui verſentur in iiſdem voluptatibus? quibus occulta credantur? ad quos aliquantum etiam ex quotidianis ſumptibus, ac luxuria redundet?*

Sæpè dilemmatis ad refutandum vtitur, vt hic n. 58. *Id igitur Cœlius non videbat: ſi enim tàm familiaris erat mulieris, quàm vos vultis: iſtos quoque ſeruos familiares eſſe domina ſciebat; ſin ei tanta conſuetudo: quanta à vobis inducitur, non erat: quæ cum ſeruis potuit familiaritas eſſe tanta? ipſius autem veneni quæ ratio fingitur? vbi quæſitũ eſt: quemadmodum paratũ? quo pacto? cui, quo in loco traditum? habuiſſe aiunt domi, vimque eius eſſe expertũ in ſeruo quodam ad rem ipſam parato: cuius perceleri interitu, eſſe ab hoc comprobatum venenum? Proh Dij Immortales! cur interdum in hominũ ſceleribus maximis, aut conniuetis, aut præſentis fraudis pœnas in diem reſeruatis? Vidi enim vidi, & illum hauſi dolorem vel acerbiſſimum in vita.*

A re tempore, loco modo, probat Oppianicum veneno nequaquã extinctũ fuiſſe pro Cluentio, n. 173. *Iam verò illud quàm nõ probabile, quàm inuſitatũ Iud. quàm nouum in pane datũ venenum? faciliúſne potuit, quàm in poculo? latentius potuit abditũ aliqua in parte panis, quàm ſi totũ colloqui factum in potione eſſet? celerius potuit comeſum, quàm epotum in venas, atque in omnes partes corporis permanare? facilius fallere in pane, ſi eſſet animaduerſum, quàm*

quàm in poculo, cùm ita confuſum eſſet, vt ſecerni nullo modo poſſet? at repentina morte periit. Quod ſi eſſet ita factum, tamen, ea res propter multorũ eiuſmodi mortem, ſatis firmam veneni ſuſpicionem non haberet ſi eſſet ſuſpicioſum: tamen ad alios potius, quàm ad habitum pertineret.

Criminis circumſtantiis examinat, & ex iis fictũ crimen eſſe demonſtrat, pro Deiot. n. 19. *At quàm feſtinè crimen contexitur? Tua te inquit, eadem quæ ſemper fortuna ſeruauit. Negauiſti tum te inſpicere velle. Quid poſtea? an Deiotarus re, illo tẽpore, non perfecta continuò dimiſit exercitum? nullus erat alius inſidiandi locus? at eodẽ te cùm cœnauiſſes, rediturum dixeras: itaque feciſti, horam vnã, aut duas eodẽ loco armatos, vt collocati fuerãt retinere magnum fuit, cùm in conuiuio comiter & iucundè fuiſſes, tùm illuc iuiſti, vt dixeras. Obſecro Cæſar repetere temporis illius memoriã: pone illum ante oculos diem: vultus hominum te intuentium, atq; admirantium recordare num quæ trepidatio? num qui tumultus? num quid niſi moderatè, niſi quietè, niſi ex hominis grauiſſimi, & ſanctiſſimi diſciplina?*

Pvnctvm VI.

A Conſequentibus.

HIc multum valet locus conſequentium, Cicero crimẽ inſidiarum à Deiotaro remouet quod ea prudentiâ vir in tanta pericula ſe cõiicere noluerit, quæ vitare non potuiſſet, n. 5. *Vt enim omittam, cuius tanti ſceleris fuerit, in conſpectu Deorum Penatiũ necare hoſpitem, cuius tantæ importunitatis omniũ gentium, atq; omnis memoriæ clariſſimum lumen extinguere; cuius tantæ ferocitatis, victorem orbis terrarum non extimeſcere: cuius tàm inhumani, & ingrati animi, à quo Rex appellatus eſſet, in eum ſceleratum inueniri: vt hoc omittam cuius tanti furoris fuit, omnes Prouincias, omnia deniq; ciuium arma contra ſe vnum excitare? quonam ille modo, cùm regno, cùm domo, cùm coniuge, cùm chariſſimo filio diſtractus eſſet, tanto ſcelere non modò perfecto, ſed etiam cogitato.*

Vbi manifeſtè docet Orator Deiotarum hoc crimen admittere non potuiſſe, quod maximè ſibi noxium futurum, ſapientia ſua præuidebat: Quod & arguit ab eius moribus n. 16. *At credo hæc homo conſultus, & te ærarius non videbat. Quis cõſideratior illo? quis rectior? quis prudentior? quanquam in hoc loco Deiotarum non tàm ingenio, & prudentiã, quàm fide & religione vitæ defendendum puto.*

Sic opinionem errantis vulgi refutabis res aduerſas putantis malas eſſe. Id ſi ita eſt, vt infelices habeantur, qui grauioribus aſperioribuſq; malis, ac rebus conflictantur, infelices eſtis inuictiſſimi Chriſti Apoſtoli, infelices Athletæ fideique defenſores acerrimi Dei Martyres? imo Dicamne? infelix ipſe eſt Deus, & parens felicitatis noſtræ. Quibus enim procellis & tempeſtatibus non eſt iactatus? quid eſt aut ludibrij ad contemptum, aut ignominiæ ad dedecus aut tormenti ad dolorem, ad quod te non Chriſte, Optime, Maxime, mouerit pietas, voluntas crexerit, amor impulerit?

Pvnctvm VI.

A Negatione.

INuadendum vbi primùm licebit Negationis firmamentum, hoc eſt nihil antiquius habendum, quàm vt crimen, ſi tutò fieri poſſit, penitus negetur, quod in pleriſq; difficultate vacat. Dùm enim crimina gratis ab accuſatore obiiciuntur, gratis etiã negari debent. Multis in locis Cicero diuinat. in Verr.; Vbi primò diſſimulanter videtur fateri, quod apertè poſtea negat, ſublata videlicet causà n. 55. *At eã tibi Verres fecit iniuriam, quæ cæterorum quoque animos poſſet alieno incõmodo cõmouere. Minimè. Nam id quoq; ad rẽ pertinere arbitror qualis iniuria dicatur, quæ cauſa inimicitiarũ proferatur. Cognoſcite ex me, nã iſte eam profectò, niſi planè nihil ſapit nuſquã proferet.*

Apertè pro Quinctio, n. 36. *Negamus te bona Qu. Sexte Næuî poſſediſſe ex Edicto Prætoris. In eo ſponſio facta eſt. Oſtendam primum cauſam nõ fuiſſe cur à Prætore poſtulares, vt bona Quinctij poſſideres, deinde ex dicto id poſſidere non potuiſſe. Poſtremò non poſſediſſe. Hæc tria cùm docuero, perorabo. Non fuit cauſa cur poſtulares. Qui hoc intelligi poteſt? Quia Næuio neque ex ſocietatis ratione, neque priuatim quidquam debuit Quinctius. Quis huic rei teſtis eſt? Idem qui acerrimus aduerſarius.*

Digitized by Google

PVNCTVM VII.

A Contemptu.

LIcet aliquando contemnere crimina leuiter ab aduerſario obiecta. Maiorem accuſationis partem Cœlij Tull. dicit magis iras, & iurgia diſſidentium in amore videri, & leues amantiū querelas quàm crimina, n. 61. autem 26. quod nihil vituperatione dignum contineret obiectū crimen contemnit. *Neque verò illud me cōmmouet quod ſibi in Lupercis ſodalem eſſe Cœlium dixit fera quædam ſodalitas, & planè paſtoritia atq; agreſtis, Germanorum Lupercorum, quorum coitio illa ſi veſtris ante eſt inſtituta, quàm humanitas atq; leges: ſiquidem non modò nomina deferunt inter ſe ſodales, ſed etiā cōmemorant ſodalitatē in accuſādo, vt nequis, ſi id fortè neſciat, timere videatur.*

Summum tamen artificium requirit hic contemptus & ſales in aduerſarium expeditos, cùm non poteſt, aut non vult conferre pedem, qui defendit Actij accuſatoris argumentum petitum ab ipſiuſmet Cic. auctoritate, vt apparet ex prooemio ironico à n. 48. ad 143. *Eſt etiam aliqua permagna auctoritas, quam ego penè turpiter præterij. Mea enim eſſe dicitur.*

PVNCTVM VIII.

A loco communi.

CVm præuidet infirmitatem ſuām Orator excurrere poteſt in locum communem priuſquam ad refutandum deſcendat: in quo conqueratur de conditione miſera temporum, deploretq; commūne bonorum omnium periculum, ſi calumniis hominum expoſita ſit innocētium vita, cuius Cic. meminit pro Quinctio, vbi de conditione cauſæ accuſatoris, & Hortenſij ingenio, atque præſenti periculo Quinctio, ab impotente viro conqueritur, n. 10. quæ Præmunitio potius dici debet, quam Confutatio *Cum adhuc ei propter vim aduerſariorum non ius par, nō agendi poteſtas eadem, non magiſtratus æquus, reperiri potuerit; cum ei ſummam per iniuriam omnia inimica, atq; infeſta fuerint. Te Aquili voſq; qui in conſilio adeſtis oras, atq; obſecrat, vt multis iniuriis iactatam, atq; agitatam æquitatem, in hoc tandem loco conſiſtere & confirmari patiamini.*

Quid ſi crimen negetur eſſe probatum? aliis opus eſt induſtriis; communis tunc refutandi modus eſt ſequelæ Reprehenſio. Cœlius arguitur impuritatis, quia adoleſcens, reſpondet Tull. n. 6. & 24. vel ex eo manifeſtè falſum eſſe, quòd idem in cæteris adoleſcentibus valere deberet, aut demonſtrandum ex eo quod dicitur, non tamen illud effici quod aduerſarius intendebat. Oderant aduerſarij Clodium, Milo igitur struxerit inſidias, negat odij cauſam Miloni fuiſſe, quod etſi datetur non vult inde ſequi inſidias paratas.

Ludunt eloquentes in huiuſmodi conſequētiis abſurdis, & ſimiles longè minus veras deducunt, vt tota res ſoluatur in riſum, hinc multa contemnenda, vel ad rem nihil pertinentia. Verum hæc ſimulatio eò procedit, vt quæ dicendo conculcemus, quod acutè præſtandum eſt, ne effugiū appareat Ingenioſè Cicer. pro Cœlio concedit quidem adoleſcentem adhuc fuiſſe Catilinæ familiarem, non tamen vitiis eius addictum, multò minus cōiurationis ſocium, n. 10. *Nam quod Catilinæ familiaritas obiecta Cœlio eſt, longè ab iſta ſuſpicione abhorrere debet. Hoc enim adoleſcente ſcitis Conſulatum mecum petiiſſe Catil. ad quem ſi acceſſit, aut ſi à me diceſſit vnquam (quamquam multi boni adoleſcentes, illi homini nequam atque improbo ſtuduerunt) tùm exiſtimetur Cœlius Catilinæ nimium familiaris fuiſſe. Atenim poſtea ſcimus, & vidimus eſſe hunc in illius amicis. Quis negat? Sed ego illud tempus ætatis, quod ipſum ſua ſponte infirmum, aliorum libidine infeſtum eſt, id hoc loco defendo fuit aſſiduus mecum, Prætor me, non nouerat Catilinam, &c.*

PVN

Pvnctvm IX.

Quo artificio confutanda ſint quæ negari non poſſunt.

NVnquam eludit prudens Orator, quod in omnium oculis factum eſt, ſed criminis inuidiam in alios detorquet, quod inficiari nō poteſt. Seditionis flammas Cic. in Clodianos emittit quas Sextium excitaſſe negare non poterat, n. 84. *Homines*, inquit, *emiſti, coegiſti, paraſti. Quid vti faceret? Senatum obſideret? Ædeis incenderet? tecta diſturbaret? Templa Deorum Immortal. inflāmaret? Tribunos pleb. ferro è roſtris expelleret? Prouincias, quas vellet, quibus vellet, vēderet? Reges appellaret? rerū Capitalium condēnatos, in liberas Ciuitates per legatos noſtros reduceret? Principē Ciuitatis ferro obſeſſum teneret? hæc vt efficere poſſet, quæ fieri, niſi armis, oppreſſa Rep. nullo modo poterāt, idcirco, credo manū ſibi P. Sextius, & copias cōparauit.*

Prudentis eſt Oratoris tela ſuis intentata ceruicibus tanquam Braſidæ manu, in aduerſariorum iugulum conuertere. Multis in locis Tull. præceptum iſtud vſus. Nam pro Sextio, rationes quibus alij inſectati fuiſſent eius ignauiā probauiſſentque eum fuiſſe puſilli animi, mortemque metuentis, eas inquam rationes vltrò profert quibus oſtendat ſe mortem nequaquam timuiſſe, per egregiam expoſitionem, n. 47. *An mihi ipſi vt quidam putant, fuit mors æquo animo oppetenda? quid? tùm mortemne fugiebam? an erat res vlla, quam mihi magis optandam putarem? aut ego illas res tantas, in tanta improborum multitudine cùm gerebam, non mihi mors, non exilium ob oculos verſabatur? non hæc denique à me tùm, tanquam fata in ipſa re gerenda continebantur? an erat mihi in tanto luctu, meorum tanta diſiunctione, tanta acerbitate, tanta ſpoliatione omnium rerum, quas mihi aut natura, aut fortuna dederat vita retinenda? tàm eram rudis, tàm ignarus rerum, tàm expers conſilij, aut ingenij? nihil audieram? nihil videram? neſciebam vitæ breuem eſſe curſum, gloriæ ſempiternum, cùm eſſet omnibus definita mors optandum eſſe vt vita, quæ neceſſitati debetur, patriæ potius donata, quàm reſeruata naturæ videretur? neſciebam inter ſapientiſſimos hanc contentionem fuiſſe, vt alij dicerent animos hominum ſenſusque morte reſtingui, alij autem tùm maximè mentes ſapientum, ac fortium virorum, cùm è corpore exceſſiſſent, ſentire ac vigere, quorum fugiendum non eſſe carere ſenſu: alterum etiam optandum, meliore eſſe ſenſu.*

Crimen depellit, & idem in aduerſarium retorquet probabilioribus argumentis, quam quæ obiecerat. 2. in Anton. n. 23.

Triumphum occinere videbitur, qui præoccupatione poterit vti, qui occupauerit obiicienda, vel aduerſarium reprehenderit quod leuiter nimis vrgeat, quod in cauſa ſua præuaricari videatur, ipſumque in torquendis validiore lacerto argumentis occupabit. Seneca de vita beata I. Vbi cùm pluribus ſibi obieciſſet multa, ſic inſtat, cap. 17. *Quare pecuniam neceſſarium tibi inſtrumentum exiſtimas & damno moueris, & lacrymas audita coniugis, aut amiciti morte, dimitis, & reſpicis famam, & malignis ſermonibus tangeris? quare cultius rus tibi eſt, quàm naturalis vſus deſiderat? cur arbores, præter vmbram nihil datur datura, ſeruntur? quare vxor tua locupletis domus cenſum auribus gerit? quare Pædagogium pretioſa veſte ſuccingitur! adijce ſi vis, cur trans mare poſſides? cur plura quàm noſti poſſides? turpiter aut tàm negligentes, vt non moueris pauculos ſeruos aut tàm luxurioſus, vt plures habeas quorum notitiæ memoria ſufficiat. Adiuuabo poſtmodum conuicia, & plura mihi quàm putas, obiiciam: vno hoc reſpondebo tibi. Non ſum Sapiens, & vt maleuolentiam tuam paſcam, nec ero. Exigo itaque à me, non vt optimis parſim, ſed vt malis melior Hoc mihi ſatis eſt, quotidie aliquid ex meis vitiis demere, & errores meos obiurgare.*

II. Cùm negari non poteſt obiectum crimen vti compenſatione debet Orator, opponendo virtutes alias obiectis criminibus auarum dicit? Proba iuſtum, clementem, pium, denique virtutem, qua vitium obiectum facilè obruatur. Dicit aliquis ſenem loricam non induere, non ſtruere vallum, non muros tueri, his oppones hæc. At eſt ſanæ mentis vir, ac prudentis conſilij, quod in bello plus poteſt, quam ferrum, quam vires, quam arma.

Sic Hortenſium inducit Cic. pro Verre agentē

7. Act. num. 4. *Hac eadem nunc ab illis defenſionis ratio, viaque tētatur: idem queritur, ſi fur, ſi ſi ſacrilegus, ſi flegitiorum omnium vitiorumque princeps; at eſt bonus Imperator, at felix, & ad dubia Reip. tempora reſeruandus.*

Ita nonnunquam riſu, aut interpretatione aduerſariorum tela feliciter hebetantur, quæ rationum multitudo nunquam eiiciſſet: Accuſatur aliquis auaritiæ Quid acutius hac confutandi ratione. O virum probum! non vides in eo maximam frugalitatem, & tu tanta virtutem virij turpiſſimi nomine dehoneſtas? ſic timidum, prudentem; prodigum, liberalem dices.

III. Aliàs factum aliquod non eſſe vitio dandum oſtendimus, quando qui grauiora egerunt, laudem ex iis conſequuti ſunt. Pro Rabir. nu. 23. *Equidē hoc affirmo, quod dū nunc de patruo tuo prædicas neminem vnquam adhuc de ſe eſſe confeſſum. Nemo eſt vnquam inuentus tàm profligatus, tàm perditus, tàm ab omni non modò honeſtate, ſed etiam ſimulatione honeſtatis relictus, qui ſe in Capitolio fuiſſe cum Saturnino fateretur. At fuit veſter patruus. Fuerit, & fuerit nulla diſperatione rerum ſuarum, nullis domeſticis vulneribus coactus: induxerit eum Luc. Saturnini familiaritas, vt amicitiam patris præponeret. Idcirc ne oportuit C. Papirium deſciſcere à Rep. non comparere in illa armata multitudine bonorum: Conſulum voci, atque Imperio non obedire? Atqui videmus hæc in rerum natura tria fuiſſe. Vt aut cum Saturnino eſſet, aut cum bonis lateret. Latere mortis erat inſtar turpiſſimæ: cum Saturnino eſſe furoris & ſceleris: virtus & honeſtas, & pudor cum Conſulibus eſſe cogebat. Hoc tu igitur in crimē vocas, quod cùm iis fuerit. C. Rabirius quos amētiſſimus fuiſſet, ſi opugnaſſet: turpiſſimus ſi reliquiſſet.*

Vel etiam docendum non vitium eſſe, ſed virtutem. Audacter Tull. pro Milone, probat illum Reip. ſummum beneficium contuliſſe, cum Clodium interfecit, quod peſtem, atque excidium à Rom. ceruicibus, tectiſque prohibuiſſet, neque tàm conſiliis Milonis, quam prouidentiæ diuinæ tribuendum audax illud facinus, n. 84. *Quamobrem vteretur eadem confeſſione T. Annius, quā Naſica quā Marius, quā noſmetipſi, & ſi grata Reſp. eſſet lætaretur, ſi ingrata, tamen in graui fortuna conſcientia ſua niteretur. Eſt & profectò illa vis quæ ſæpe incredibiles huic vrbi felicitates, atque opes attulit; quę illā perniciem extinxit, ac ſuſtulit: cui primùm mentem iniecit, vt vi irritare ferróque laceſſere fortiſſimum virum auderet, vinceretúrque ab eo, quem ſi viciſſet, habiturus eſſet impunitatem, & licentiā ſempiternam.*

IV. Cùm refellere non poteſt, diſſimulare debet, & alia confutatione obruere, quod facit acutè Cic. pro Deiotaro, dum verſum immanem aduerſis de Cæſare rumoribus ad ſe perlatis maleuolentiæ in illum ſuæ indicem, cum lætitiæ ſenſu quodam protuliſſe Deiotarum arguit ab eius moribus, n. 25. *At eo, inquit tempore ipſo Nicæam, Epheſumque mittebat, qui rumores Africanos exciperent, & celeriter ad ſe referrent. Itaque cùm eſſet ei nuntiatum Domitium naufragio periiſſe, te in caſtello circumſideri: de Domitio dixit verſum. Græcum eadem ſententia, quā etiam nos habemus Latinum. Pereant amici, dum vnà inimici intercidant. Quod ille, ſi eſſet tibi inimiciſſimus, nunquam tamen dixiſſet ipſe enim manſuetus, verſus immanis. Qui autem Domitio poterat eſſe amicus, qui tibi eſſet inimicus? tibi porrò inimicus cur eſſet, à quo cum vel interfici belli lege potuiſſet, Regem & ſe, & filium ſuum conſtitutos eſſe meminiſſet. Quid deinde furcifer?*

V. Si crimen non poſſit negari, aliam ab ea, quam aduerſarius affert, cauſam producet: inficias ire non potuit Orator exercitum à Deiotaro fuiſſe conſcriptum, ſed negat ideò comparatum fuiſſe, vt Cæſari bellum inferret, cauſamque aliò deriuat quaſi eo tātum fine milites collegiſſet, vt vel ipſi Cæſari auxiliū mitteret, n. 22. *De exercitu dicam breuiter vt cætera. Nunquā eas copias Rex Deiotarius habuit, quibus inferre bellum populo Rom. poſſet ſed quibus fines ſuos ab excurſionibus hoſtium, & latrociniis tueretur, & imperatoribus noſtris auxilia mitteret.*

VI. Conceditur aliquando factum, quod donandum tamen aſſerat precibus amicorum, vel officiis, ac meritis. Ita Cic. fatetur Ligarium alienum habuiſſe animū à Cæſare, certóque conſilio, & animi inductione profectum fuiſſe in Africam vt ei bellum inferret, ei tamen parcendum recordatione Quæſturæ, quàm olim totam Ligarius contulerat ad Cæſaris dignitatem, pro Lig. n. 36. *Sed ierit ad bellum, diſſenſerit non à te ſolùm verùm etiā à fratribus hi te orāt tui. Equidem cum tuis omnibus negotiis interfuiſſem memoria teneo, qualis tùm Ligu-*

Digitized by Google

Ligarius Quæſtor Vrbanus fuerit, erga te, & dignitatem tuam. Sed parum eſt me hoc meminiſſe, ſpero etiam te (qui nihil obliuiſci ſoles, niſi iniurias, quoniam hoc eſt animi, quoniam etiam ingenij tui) te aliquid de huius Quæſtoris officio cogitantem, etiam de aliis quibuſdam reminiſcentem recordari. Hic igitur Ligarius qui tùm nihil erit, niſi vt tui eum ſtudioſum, & bonum virum judicares: nunc à te ſupplex fratris ſalutem petit.

Nunquam tamen deprecatione nudâ eſt vtendum niſi in re deſperata, & capitis diſcrimine, nec niſi apud Principem, cui, verum velit, liceat, cùm ſcilicet nihil ſe poſſe conſequi rationibus Orator animaduerrit, tunc preces adhibendæ ſunt, vt tantum hominem tot præditum virtutibus, tamque benè de Rep. meritum propter vnum hoc crimen in diſcrimen adductum ad patriæ ſalutem, & plurimorum incolumitatem conſeruent, quo genere ſæpius vſus eſt Cic. in cauſis deſperatis Milonis, Murænæ.

VII. Innocenti fallacia quandoque licet vti, quod fit cum Auditorem à rebus nobis contrariis deducimus, vel cum pollicemur de iis, quæ objecta ſunt, nos poſt pauca dicturos eſſe, & ita ſenſim elabimur, animoſque Iudicum ab iis, quæ nos vrgebat, ad aliarum rerum conſiderationem traducimus, de quo ſæpè Tull. gloriatur.

VII. Potens eſt Confutationis genus, quo prima ſtatim aggreſſione ſilentium imponimus aduerſario, cum facti, quod obiicit, exemplum ab auctoritate grauis cuiuſdam perſonæ proferimus. Cic. pro Mil. 7. *Negant intueri lucem eſſe fas ei, qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur. In qua tandem vrbe hoc homines ſtultiſſimi diſputãt? nempe in ea quæ primum judicium de capite vidit M. Horatij fortiſſimi viri: qui nondum libera ciuitate populi Rom. comitiis liberatus eſt, cum ſuam manu ſororẽ interfectam eſſe fateretur.* Phil. II. item 2. num. 12.

PVNCTVM VIII.

De Figuris & Confutationis.

VT plus caloris & ſpiritus habeat Confutatio tractatur per figuras, quibus vis, & ardor Oratoris magis incaleſcit.

Ad pompam eſt illa Confutatio Cic. in Piſonem à num. 56. Vbi elegantes interſerit hypotyposes, inducit ſermocinationes, modò ridet acutè, modò pungit ſeriò, modo vellicat acerbè, ſemper ad orandum ſibi ſimilis. Piſonem ridet qui ſe triumphi gloriam recuſaſſe profitebatur. *At audiſtis P. C. Philoſophi vocem, negauit ſe triumphi cupidum vnquam fuiſſe. O ſcelus! ô peſtis! ô labes! tu cum extinguebas Senatum, vendebas auctoritatem hujus ordinis, addicebas Tribuno pleb. Conſulatum tuum, Remp. euertebas, prodebas caput, & ſalutem meam vna mercede Prouinciæ: ſi triumphum non cupiebas, cuius tandem rei cupiditate arſiſſe defendes?*

II. Frequens & optimus Confutandi modus per ſubiectionem. Pro Quinct. num 41. *Dubitabitur vtrum ſit probabilius. Næuium ſtatim, ſi quid deberetur, petiturum fuiſſe, an, ne appellaturum quidem biennio? appellandi tempus non erat? at tecum anno plus vixit. In Gallia agi non potuit? at & in Prouincia ius dicebatur. & Romæ judicia fiebant. Reſtat vt ſumma negligentia tibi obſtiterit, aut vnica liberalitas: ſi negligentiam dices, mirabimur; ſi bonitatem, ridebimus.* Eſt & elegãs ſubjectio pro Roſc. Amer. num. 39.

III. Interrogatio miram habet vim, vrget Næuium acerrimis rationibus Cic. pro Quinct. num. 38. *Moritur C. Quinctius, qui tibi, vt ais certis nominibus grandem pecuniam debuit hæres eius P. Quinctius in Galliam ad te ipſum venit in agrum cõmunẽ; eo denique vbi nõ modò res erat, ſed ratio quoque omnis, & omnes litteræ. Quis tam diſſolutus in re familiari fuiſſet, quis tàm negligens, quis tàm diſſimilis qui cùm res ab eo, qui contraxiſſet, receſſiſſet, & ad hæredem perueniſſet, non hæredem quam primùm vidiſſet, certiorem faceret: appellaret, rationem afferret? Si quid in controuerſiam veniret, aut intra parietes, aut ſummo jure experiretur? itane? quod viri optimi faciunt, ſi qui ſuos propinquos ac neceſſario, charos, & honeſtos eſſe atque haberi volunt. Id Næuius non faceret, qui vſque eò feruet, ferturque auaritiâ vt de ſuis commodis nolit aliquam partem admittere, ne quam partem huic propinquo ſuo vllius ornamenti relinquat? Et is pecuniam, ſi qua deberetur, non peteret, qui, quia quod debitum nunquam eſt, id datum eſt, non pecuniam modò, verùm etiam homini ſ propinqui ſanguinem, vitamque eripere conatur? huic tu moleſtus eſſe videlicet noluiſti, quem nunc reſpirare li-*

berè non finis quē nunc interficere nefariè cupiſtieum tu prudenter appellare nolebas? Ita credo hominem propinquum, tui obſeruantem, virum bonum prudentem, maiorē natu nolebat, aut non audebat appellare?

IV. Indignationem ſæpius adhibet Orator, vt aduerſarum in odium vocet maximè cùm crimen impoſitum alienum eſt ab ipſo Iudicum ſenſu, quod Cic. cùm increpatione graui reijcit, in Tuberonem pro Deiot. Vbi Regem oſtendit nihil de inſidiis Cæſaris faciendis cogitaſſe, quòd nullum tumultus, ac perturbationis in cuiuſquam vultu veſtigium extiterit. n.21 *Dij te perdant fugitiue: ita non modò nequam, & improbus, ſed fatuus & amens es. Quid? ſigna Ænea in inſidiis poterat, quæ de balneo in cubiculum transferri non poſſent.*

LECTIO XIV.

De Peroratione.

VT prudentis eſt oratoris in exordio non omnes Eloquentiæ delicias, & ornamenta ſibi præcipere; ita ſtrenui, ac diligentis eſt nihil in vltima parte negligere, ſed omnes animorum motus adhibere, & illam eò ſtudioſius excolere, quod quæ tunc dicuntur mentibus Auditorum adhæreſcant, & res plerumque ab exitu, & fine probentur. Nouerat hoc Tul. cuius vt in cæteris partibus ſic in Epilogo ea fuit facilitas, vt hanc illi partem omnes tanquam Eloquentiæ principi ad dicendum relinquat. Quod ipſe de ſe teſtatur in Oratore. *Quid ego de miſerationibus loquar; quibus eò ſum vſus pluribus, quò etiam ſi plures dicebamus, Perorationem mihi tamen omnes relinquebant, in quo, vt viderer excellere non ingenio, ſed dolore aſſequamur.*

PVNCTVM. I.

Definitio.

ARtificioſus eſt Orationis terminus Cornificio, l:1.n.4. Ciceroni verò 1 de Inuen. 98. Exitus & determinatio totius Orationis, aliis concluſio, ac Peroratio motuum ſedes. Nam cùm ex Cicer. 2. de Orat. n. 128. Triplex ſi tractio dicendi facultatis: vna conciliandorum hominum, & hæc lenitatem Orationis deſideret, ſcilicet Exordium; altera decendorum, & acumen adhibere debeat Narratio & Confirmatio; tertia concitandorum, & vim requirat Peroratio, de qua ibid. num. 332. Omnia autem concludēda plerumque rebus augendis, vel inflāmando iudice, vel mitigando: omniaque cum ſuperioribus Orationis locis, tùm maximè extremo ad mentes iudicum, quàm maximè permouendas; & ad vtilitatem noſtram vocandas, conferenda ſunt.

Ex quibus colligitur quanta ſit huius partis amplitudo, quæ concitat, flectat, vincat, cogat, jubeat flere, vel ridere cùm lubet, ad iram inflammet, vehementer incitatos temperet, reuocet ab inferis, in cœlum erigat; proindè omnibus armis Eloquentiæ pugnandum eſt in Epilogo, ibi potiſſimum laxandæ ſunt affectibus habenæ, ſpiritu magno agendum ſi tamen cauſæ genus id requirat, & rei dignitas.

PVNCTVM II.

Munera Perorationis.

DVplex aſſignatur, alterum Enumeratio dicitur, præclarum ſanè Opus Oratoris, vbi per totam Orationem variè ſparſa, vno velut aſpectu ponit ob oculos, inſtar pictoris in arte ſua præſtantis, diffuſam Hiſtoriam exigua tabella proponentis. Tull. pro Quin. omnia repetit ſigillatim, & ordine ſuo, quæ probauerat ſubijcit cum ratione. n. 86. *Oſtendi quàm multa ante fieri conuenit, quàm homini propinqui bona poſſideri poſtularentur: præſertim cùm Romæ domus eius, vxor, liberi eſſent omninò vadimonium nullum fuiſſe, id teſtibus me pollicitus ſum planum facturum, qui & ſcire deberent, & cauſam cur mentirentur non haberent.*

Cæterùm multis modis fit Repetitio: vel ex ad verſariorum conteurione, cùm argumenta è regione collata reperiuntur, quæ ſunt ab vtroque de eadem re, pronunciata, 3. de lege à graria; ſic rationes ſuas cum aduerſarii rationibus confert. n. 15. *Et quoniam quæ de cauſa, & quorum cauſa ille hoc pro-*

hoc promulgauit, oſtendit; docet ipſe, nunc ego quem poſſeſſorem defendam, cum agraria legi reſiſto. Syluā Scantiā vendit, Reſpub. poſſidet defendo Campanum agrum diuidis, vos eſtis in poſſeſſione: non cedo. Deindè Italiæ. Siciliæ cæterarumque Prouinniarum poſſeſſiones, venales ac proſcriptas hâc lege video; veſtra ſunt præſidia, veſtræ poſſeſſiones reſiſtam, atque repugnabo.

Aliàs non ex aduerſo repetuntur, ſed ea tantum, quæ vel ab Oratore, vel aduerſario dicta ſunt. Pro Amer. Scelerata aduerſariorum facta repetit contentionem. n. 145. *Prædia mea tu poſſides: ego aliena miſericordia viuo: concedo, & quod animus æquus eſt, & quia neceſſe eſt. Mea domus tibi patet, mihi clauſa eſt: fero. Familiâ mea maxima vteris, ego ſeruum habeo nullum patior, & ferendum puto Quid vis amplius? quid inſequeris? quod oppugnes?* Sic amorem Iudicum & miſericordiam mouet dum aduerſarios in odiam & maleuolentiam adducit.

Per Ironiam interdum fieri ſolet Enumeratio, quæ figurata gratiam habet ac venuſtatem, faciliuſque Iudicum excitat animos. Talis eſt illa 1. Agra n. 24. *Hoc motu atque hac perturbatione animorum, atque rerum, cùm populo Ro. vox, & auctoritas Conſulis repentè in tantis tenebris illuxerit: cùm oſtenderit nihil eſſe metuendum, nullum exercitum, nullam manum, nullas colonias, nullam venditionem vectigalium, nullum imperium nouum, nullum regnum decemvirale, nullam alteram Romam, neque aliam Sedem Imperii, nobis conſulibus futuram, ſummamque tranquillitatem pacis, atque odii. Verendum credo nobis erit; ne veſtra iſta præclara lex Agraria magis popularis eſſe videatur. Cùm verò ſcelera conſiliorum veſtrorum, fraudemque legis, & inſidias; quæ ipſi populo Ro. à popularibus Tribunis pl. fiant; oſtendero; pertimeſcam credo, ne mihi non liceat contra vos in concione conſiſtere?*

Fit etiam per interrogationem, vt, quid eſt quod à me non demonſtratum ſit, cum iſtud planum fecerim? quid autem iſte confirmauit, cum illa falſa eſſe docuerim; pro Amer. n. 152. *An verò, Iud. vos non intelligitis, nihil aliud agi, niſi vt proſcriptorum liberi, quâuis ratione tollantur, & eius rei initium, in veſtro jurejurando, atque in Sex Roſcii periculo quæri? Dubium eſt ad quem maleficium pertineat, cùm videatis ex altera parte egentem, probatum ſuis filium, in quo non modo culpa nulla, ſed ne ſuſpicio quidem potuit conſiſtere: nunquid hic aliud videtis obſtare Roſcio, niſi quod patris bona venierunt? quod ſi id vos ſuſcipitis.*

Non ſemper fit contentionem, aut collationem, ſed aliquando ſimpliciter naturali quodam ordine ſeruato, cum ea repetuntur, quæ ſparſim in Oratione dicta ſunt. Et illa ſimplex Enumeratio pro lege Man. n. 49. *Quare cùm & bellum ita neceſſarium ſit vt negligi non poſſit; ita magnum, vt accuratiſſimè ſit adminiſtrandum, & cùm ei Imperatorem præficere poſſitis, in quo ſit eximia belli ſcientia ſingularis virtus, clariſſima auctoritas, egregia fortuna, dubitabitis Quir. quin hoc tantùm boni quod à Diis immort. oblatum, & datum eſt in Remp. conſeruandam, atque amplificandam, conferatis!*

In Peroratione porrò debent illa dumtaxat repeti, in quibus maximè cauſa conſiſtit, quæque in Auditorum animos, & memoriam altius deſcendere volumus. Ne ſi ſcrupuloſè nimis agamus, & ſubtiliter omnia reguſtemus, noua ſimul & faſtidioſa conſurgat Oratio.

Alterum eſt vt quæ dicuntur pondere verborum & ſententiarum efferantur, varientruque figuris dubitatione præſertim, vel anxius apud ſe perpedens Orator, num quid omiſerit, vel quid hic, aut ille judicaret, ſi fortè qui audiret.

Tertium, vtendum frequenti, ſed leui prætcritione, ne omnia referre velle videamur, pro Cluent. n. 188. *Mitto illam primam libidinis injuriam: mitto nefarias generi nuptias mitto cupiditate matris expulſam ex matrimonio filiam: quæ nondum ad huiuſce vitæ periculum, ſed ad commune familiâ dedecus pertinebat: nihil de alteris Oppianici nuptiis queror: quarum illa cùm obſides filios ab eo mortuos accepiſſet, tùm denique in familia luctum, atque in priuignorum funus nupſit, Prætereo quòd Aurium Melicium, cujus illa quondam ſocrus, paulò ante vxor fuiſſet, cùm Oppianici eſſe operâ proſcriptum, occiſumque cognoſceret, eam ſibi domum, ſedemque coniugii delegi tin qua quotidie ſuperioris viri mortis indicia, & ſpolia fortunarum videret.*

Quartum genus maximè ſolutum adhibendum eſt, quod fiet, ſi nullis conjunctionibus, adhibitis, membratim, vel cæſim loquamur pro

Cluent.

Digitized by Google

Cluent. n. 200. *Quare ſi ſcelus auditis:prohibete aditum matris à filij anguine:date parenti hunc incredibilem dolore ex ſalute, ex victoria liberum:patiamini matrem, ne orbata filio lætetur, victam potius veſtra æquitate, diſcedere. Sin autem id quod veſtra natura poſtulat, pudorem, bonitatem virtutemque diligitis: leuate hunc aliquando ſupplicem veſtrum, Iud. tot annos in falſa inuidia, periculiſque verſatum: qui nunc primum poſt illam flammam, aliorum facto & cupiditate excitatam: ſpe veſtra æquitatis erigere animum &c.*

Sed multo preſſius 202 *Conſeruate Cluentium, reſtituite incolumem municipio: amicis, vicinis hoſpitibus, quorum ſtudia videtis, reddite: vobis in perpetium liberiſque veſtris obſtringite, veſtrum eſt hoc Iud. veſtræ dignitatis, veſtræ clementiæ.*

PVNCTVM XXVI.

Commotio.

ALtera pars Epilogi commotionem affectuum grauiorem continet. Quos verò potiſſimùm affectus excitare debeat Orator, non eſt operoſum colligere. Etenim ſi laudamus cum gratulatione, admiratione, amore, æmulatione, lætitia perorandum eſt. Si vituperamus Odium, Inuidia, Contemptus, & Pudor cieri debent.

In conciliis de rebus capiendis, ſpem excitabis, ſiue explendæ cupiditatis; ſiue vlciſcendæ iniuriæ: Interdum etiam timorem ex periculi metu inijci proderit.

In iudiciis omnia concurrunt. Amor, Odium, Inuidia, indignatio, Miſericordia: illam Accuſator, hanc Reus aucupatur. Cauendum tamen ne in rebus minutis tragica moueantur, ſic enim infrigidos, ac pueriles affectus diſſolueretur Oratio.

Denique talis debet eſſe Peroratio, vt apes imitetur, quæ cùm in roſtellis mel exſugunt, à tergo ſpiculum gerunt, quod quaſi per inſidias ejaculantur, & vel cum vitæ periculo infigunt. Probus Orator in principiis multum mellis habebit quod deliniat auditorem, in exitu ſtimulos & aliquid fellis aſperget dictioni, potiſſimùm in accuſando.

Quoniam autem vehemens & imperioſus commotionum dominatus hic potiſſimum regnare debet. vt voluntates Auditorum impellat quò voluerit, & deducat vnde libuerit, de illis affectibus, quorum in eloquentia ſublimi frequens eſt vſus jam dicendum nobis erit, vbi partium Orationis breuem Idem ſubjecerimus, quam amicitiæ Chriſtianæ Paradoxo vir dicendi facultate pariter ac pietate eximius, expreſſit, quo fugiendas amicitias eſſe proponit & explicat Exordio: Narratione illuſtrat: probat Confirmatione: Peroratione amplificat. Sic enim rem totam egregie perficit.

ARdua res & aleæ periculique pleniſſimum opus, ex hominum vita tollere velle familiaritatem & amicitiam, cuius legem cum ſpiritu hauſimus ex parentum amicitia nati, quam contraximus pueri, formauimus adoleſcentes, qua juuentutem oblectamus & ſenium. Quis barbarorum autem id voluit vnquam, aut ſi conatus eſt, effecit, vt in animis hominum beneuolentiæ ſenſum extingueret? Abſtulerunt ea multi, quæ furor eripere potuit, quia in fortunæ bonis numerantur, familiam, copias, libertatem, ſocietatem alij & congreſſum, nonnulli vocem & lacrymas ademére, nullus amicitiæ vim intulit: fuit ea libera ſemper, nec ante opprimi poterit, quàm hominis natura funditus euertatur.

Itaque nec qui amantiſſimus fuiſſe traditur Siculorum hoſtis verius quàm Rex Dionyſius, cùm cætera naturæ jura corrupiſſet, tamen amicitiæ numen violare non auſus eſt, cuius in illo pari fidelitate eximiam ſuſpexit, ratus hoc eſſe labefactare virtutis opus, & illam odiſſe, tamque illum defectione videri ſceleratum, qui hanc vitæ jucunditatem ademerit, quàm conjunctione fuerat honeſtus. Quid de charitate dicam quæ eſt inter fratres & agnatos, inter natos & parentes, quæ diſiungi niſi deteſtabili ſcelere non poteſt? Hæc eſt ſi non omnium, certè plurimorum Oratio, cui diutnior quædam objicitur diſciplina, quàm quia repudiare nefas eſt, cogimur amicitiam expugnare quadamtenus, & humanas de illa opiniones extinguere. Quæ quidem in diſputatione, moleſtiſſimum illud occur-

Digitized by Google

occurrit,quod nec hujus quidem Orationis difficultatem fas ſit humanitate veſtra ſubleuare,quã ſit aut amicè petimus ipſi,aut vos exhibetis officioſè,vtrimque ſuſpicionem odij faciemus, cum ex noſtro ſenſu præterquam inimico bene-velle nemini liceat.

Verum ſuſtinete tantiſper offenſionem iſtam, nec benevolentiam nobis ante recuſate, quam eam oratione labefacta velimus, dignique veſtro judicio ſimus,quibus vel oblata detrahatur: Sic enim ſpero nos eam commodè impugnaturos,vt quantò id melius erimus conſequuti tantò à vobis amicius diligamur. At enim illa me recreat imprimis in dolis veſtræ generoſitas:quæ ſic amicitiam amplexa eſt, vt ei nulla re magis quàm virtute adhæreſcat. Colitis enim amicitiam, quia honeſta eſt, execramini odium, quia turpe, & cum dedecore conjunctum: Certè id quidem, virtutem enim ibi locaſtis vbi eſſe debet,cum eam ante ponitis amicitiæ, quam ſine virtute ne tolerabilem quidem judicatis:ſed nimirum excæcamur amoris magnitudine plerumque, ſemperque honeſtè & cautè nos amare credimus;Itaque ſodalium innocentiâ,charitate in propinquos,in parentes pietate nobis ipſis imponimus,peccamuſque amando,non maliciâ,ſed errore,quem ſi nobis eripi pateremur, non oppreſſæ ſed curatæ amicitiæ noſtræ viderentur.

Primum igitur illud ſtatuamus non omnem eſſe bonam amicitiam;quia multæ virtute carent, quas aut vitiorum genuit ſimilitudo, aut ab honeſtate profectas, ſcelerum deindè communicatio propagauit: Nam & ſocietates prædonum etiam dicuntur, quos vnius maleficii voluntas quadam vitæ & amoris neceſſitudo conjunxit, quæ tametſi diuturnæ & ſtabiles ferè ſint nunquam;ita tamen coëunt aliquando adſtringuntque, vt ne mortis quidem ac cruciatuum metu diſſociari poſſint:Amicitiæ verò quàm ſæpè laruam aſſumit Adulatio, obrepit enim callidus aſſentator, inficit que animum vanitate,quem vbi aſſueuerit omnem in eo virtutis ſpeciem dehoneſtat? Sed has quamquam nemo niſi admodum excors admiſerit, jactantur tamen amicitiæ nomine, ſuadentque in illius ſinu grauiſſimè poſſe peccari.

Quare jam honeſtas illas,& quas innoxias appellaſtis,videamus. Sodalium oppinor æqualitates,charitatem in propinquos, & omnem virtutum amabilitatem adducitis,videte quid in iſtis, quamtumque à vobis diſſentiam. Vos ingenuam familiaritatem ſine injuria dirimi nunquam putatis, eam ego magno periculo corroborari dico ; Vos ſi ab amico nunquam,aut propinquo diſceſſeritis, vos ſceleratos eſſe creditis; ego niſi diſceſſeritis aliquando multò ſceleratiores prædico. Eſt enim quatenus amor in amicitia progredi debeat,vim in ea laudo ac fidelitatem, teneritudinem atque molliciem reprehendo. Quid enim ſi rem turpem aut abjectam illi rogauerint, non negabitis;ſi vos ab honeſta aut generoſa deduxerint, obſequimini?non facient. Sed ſi tamen, quia velle poſſunt,velint aliquando, ſi Oratione, ſi lacrymis,ſi cætero amoris lenocinio pugnauerint? repugnabimus. Scilicet tum cum beneficio conſtricti, deuincti conſuetudine,obligati amore tenebimini, explicabitis es iis vos laqueis, cum ad eos extricandos non animus vobis,non judicium,non libera erit Oratio, quantò conſultius nunquam adeò immergi, vt ſemper emergere ſitis parati,ſic omninò amare vt relicturi ſitis aliquando,vel oſuri.

Altum profectò, & diuinæ ſapientiæ dignum dominatum,obligari nemini,vt numini toti adhæreſcatis,nullum complecti mortalem,vt quoquo vos nutu Deus euocauerit illum liberi expeditique ſequi poſſitis. Neſcitis quantam vobis amplitudinem laudis inuident, aut incidunt felicitatem,qui vos ſic obſtriſtos amicitiâ tenent, vt nullum aut breue curriculum virtuti veſtræ conceſſerint;cui vos totos ita vindicatunt ſibi, vt per exiguam ipſis, nullam veſtri partem Deo amplectandam reliquerint. Sed multò hæc factis, quàm verbis illuſtrius oſtendi conſueuerunt. Quamobrem proponere placet veſtræ mentis oculis præclarum amabilis inimicitiæ facinus, ex quo cum huic diſputationi lux quædam,

incipiat, optima locabis argumenta, poſtrema quæ mentibus inhærent; Coniecturæ infirmiores, cætcráque id genus argumenta, non tamen inutilia ſtipanda, vt appendi potius, quam numerari videantur, & ſi non pondere, multitudine ſaltem ingruant.

Pvnctvm II.

Alter Ordinandi modus.

PEr gradus aſcēdit Tull. ac primò quidem firmat rem, quæ in quæſtionem venit: deinde volens de ſuo iure libensque remittit aliquid, vt hoſti poſtmodum inſultet audacius 7, Verr.n.4. *Non agam ſummo iure tecum, non dicam id quod debeam forſitan obtinere: cùm iudicium ſit certa lege conſtitutum, non quid in re militari fortiter feceris, ſed quemadmodum manus ab alienis pecuniis abſtinneris, abs te doceri oportere: non inquam, ſic agam, ſed ita quæram, quemadmodum te velle intelligo, quæ tua opera, & quanta fuerit in bello.*

Aliàs validiore quodam argumento victoriam occinit. In Mil. propugnatione primùm ſanxit inſtructas à Clodio inſidias: ſecundùm, vt ſit liberum Milonem a [?]oriti. & trucidare perduellem potuiſſe: tertiùm non modò non dignum pœna, ſed compēſatione poſſe illud facinus, non humano tantùm conſilio, ſed etiam Deorum Immort cura perfectum. Huic amplificationes, & motus animorum deſeruient.

L E C T I O XIII.

De Confutatione.

VT maximè vtilis eſt Refutatio, ita maximè difficilis, & eò maiori artificiò indiget, quò facilius obiicitur, quàm obiecta refellantur. Cōfirmatio namque vulnus infert; confutatio medelam adhibet. Adde quod vno penè modo accuſatur, vario diſſoluitur, Accuſatori ſatis eſt, ſi verum eſſe oſtendat, quod obiicit, defenſori non eſt ſatis negare, niſi etiam transferat, excuſet, deprecetur, molliat, minuat, aueitat, deſpiciat diſſimulet, de[?]ectat; defenſio mille flexus, & artificia deſiderat; accuſator præmeditata plerumque domo adfert, patronus etiam inopinatus occurrit. Ideoque vix bonus vnquam defenſor aliquis fuit, niſi qui eloquentiſſimus.

Pvnctvm I.

Definitio.

IN his Orator naturæ ſimul, & cauſæ debet obſequi: quidam enim potenter euertunt alij facilè probant. Hic quiſque ea maximè parte pugnet, qua maximè poteſt: ſi facilius confutet obiecta, in eo rei ſummam conſtituat: Si laboret in confutando, ſua confirmet, argumētiſque opponat argumenta; id enim & nonnunquam cauſæ exigunt, quod ipſe Tull. & monuit, & præſtitit. Monui. 2. de Orat. n 293. *Summa denique huius generis eſt, vt, ſi in refellendo aduerſario firmior Oratio, quàm in confirmandis noſtris rebus poteſt, omnia in illum conferam tela: Sin noſtra facilius probari, quàm illa redargui poſſunt, abducere animos à contraria defenſione, & ad noſtram contraducere.*

Præſtitit autem in Orat. pro Amer. Cum enim Parricidam illum probare vix poſſent, omiſſis confirmationis telis, ſcutum oppoſuit Confutationis; & ſingulis aduerſariorum argumentis reſpondit, vbi perfectam Cōfutationis Ideam proponit, quàm ſic orditur à n.37. *Occidiſſe patrem Sex. Roſcius arguitur. Sceleſtum ac nefarium facinus atque huiuſmodi, quo vno maleficio omnia complexa eſſe videantur.*

Contra in Milonis cauſa, quia vix labefactari poterant aduerſariorum firmamenta: eis penè poſthabitis, ſuas probationes intendit: docet quippe paratas à Clodio inſidias, ſuâ potius aſſerendo, quam aliena conuellendo.

Eſt autem Refutatio contrariorum locorum diſſolutio: vel Oratio, qua aduerſariorum Confirmatio argumentis diluitur, aut infirmatur, & eleuatur. Aut certè pars Orationis quæ in aduerſariorum argumentis ſingulis eluendis, infringendiſque occupatur.

Pvn

Digitized by Google

PVNCTVM II.

De Modis & Induſtriis Confutationis

HÆc tradit præcepta Tull. in partic. num 44. *Aut totũ eſt negandum quod in argumentatione aduerſarius ſumpſerit ſi fictum, aut falſum eſſe poſſis dicere, aut redarguẽda ea, quæ pro veriſimilibus ſũpta ſunt: primùm dubia ſumpta eſſe pro certis: deinde etiã in perſpicuè falſis eadem poſſe dici: Tùm ex iis quæ ſũpſerint, non effici quæ velint. Accedere autem oportet ad ſingula, ſic vniuerſa frangentur. Commemoranda ſunt etiã exempla, quibus ſimili in diſputatione creditũ non ſit; conquerenda conditio cõmunis periculi; ſi ingeniis hominum criminoſorum ſit expoſita vita innocentium.* Quæ ſingula ſunt nobis propius inſpicienda;

PVNCTVM III.

Primus modus à Repugnantibus.

INfirmatur crimen, ſi oſtendamus reum aut nõ his eſſe moribus, aut non ea vità, aut in illo nullos animi motus, aut non tam impotentes fuiſſe. Sic illum à facinoribus impoſitis alienum probauimus. Nam vt opinio eſt de cuiuſque moribus: ita quid ab eo factum, & non factum ſit exiſtimari poteſt Nemo melius vno Cic. Roſciũ abſoluit à num. 39 *Patrem occidit Sex. Roſcius, qui homo? adoleſcentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta. Vetus videlicet Sicarius, homo audax, & ſæpè in cæde verſatus. At hoc ab accuſatore ne dici quidem audiſtis. Luxuries igitur hominem nimium, & æris alieni, magnitudo, & indomita animi cupiditates, ad hoc ſcelus impulerunt. De luxuria purgauit Erucius, cùm dixit, hunc ne in conuiuio quidem vllo ferè interfuiſſe. Nihil autem vnquam debuit. Cupiditates porrò quæ poſſunt eſſe in eo, qui, vt ipſe accuſator obiicit, ruri ſemper habitarit & in agro colendo vixerit? quæ vita maximè diſiuncta à cupiditate, & cum officio coniuncta. Quæ res igitur tantum iſtum furorem Sex. Roſcio obiecit? patri non placebat: quam ob cauſam? neceſſe eſt enim eam quoque iuſtam & magnam, & perſpicuam fuiſſe. Nam vt illud incredibile eſt, mortem oblatam eſſe patri à filio ſine plurimis, & maximis cauſis: ſic hoc veriſimile non eſt, odio fuiſſe parenti filium ſine cauſis multis & magnis, & neceſſariis. Rurſus igitur eodem reuertamur, & quæramus quæ tanta vitia fuerint in vnico filio, quare is patri diſpliceret. At perſpicuum eſt nullum fuiſſe, pater igitur amens, qui odiſſet eum ſine cauſa quem procrearat. At is quidem fuit omniũ conſtantiſſimus.. Ergo illud iam perſpicuum profectò eſt, ſi neque amens pater, neque perditus filius fuerit, neque odij cauſam patri, neque ſceleris fuiſſe filio.* Deiotarum non fuiſſe à rationibus Cæſaris alienum docet, ab eo tempore quod pecuniam ſubminiſtrarit, & exercitum aluerit n. 14.

A Cœlij moribus criminis obiecti falſitatem poſſe pluribus capitibus conuincere, qui ſemper fuerunt ab huiuſmodi facinoribus alieni n. 53. *Quid ergo nunc argumentis huic crimini: quæ ſunt innumerabilia, reſiſtam? poſſum dicere, mores Cœlij longiſſimè à tanti ſceleris atrocitate eſſe diſiunctos: minime eſſe credendum, homini tàm ingenioſo, tamque prudenti non veniſſe in mentem, rem tanti ſceleris, ignotis, alieniſque ſeruis non eſſe credendam.*

PVNCTVM IV.

Ab Adiunctis perſonarum.

ADiuncta etiam refutantur præclarè, vt & ſigna à cauſis diuerſis. Occidiſti hominem, nam cur totis artubus contremiſcis? vnde pallor hic, & incertus oculorum intuitus? cur manibus es cruentus? quorſum iſte gladius? quid mucro? quid vagina liber enſis? tremo, quia dudum æſtuante febri laboraui; tremo, quia perfrigida eſt hyemis tempeſtas: manus cruentatas ſanguine vides: irruentem in me canem occidi. At cur intempeſta noctis hora volitabas per vrbem? agebat animam filius, ipſe per me adij Medicum, qui citius morituro præſens adeſſet.

Vel à perſona noſtra, quam probabimus planè alienã abeo quòd nobis imponitur Pro Marcello deprecatur à Ciuibus Rom. inſidiarum in Cæſarem ſuſpicionem; quòd nimirum non poſſent ij qui vitam ab eo accepiſſent, de vita eidem adimen

menda cogitare: quod ab Enumeratione partium concludit,n. 22.

Ab Adiunctis maximè perſonæ aduerſariorum,quod oſtendemus,vel odio,vel ſcelere inſignes facilè id finxiſſe pro Deiotaro,Medicũ docet ab adoleſcente corruptum, n.17. *En crimen, en cauſa,cùm Regem fugitiuus,Dominum ſeruus accuſet.Ego mehercule Cæſar, initio cùm ad me delata iſta cauſa,Philippum Medicũ,ſeruum Regium,qui cum legatis miſſus eſſet ab ipſo adoleſcente exiſtimauit eſſe corruptum. Hac ſuſpicione ſum perculſus,Medicum,iudicem ſubornauit, finget videlicet aliquod crimen veneni,& ſi à veritate longè,tamen à conſuetudine criminandi res non multum abhorrebit.* Item pro Roſc. Amer. num. 20.

Pvnctvm V.

A Circunſtantiis.

HVius Confutationis Ideam ſuggerit abſolutiſſimam Cic.pro Cœlio. Vbi à cauſarum efficientis ac finalis remotione probat nullam Cœlio fuiſſe perficiendi ſceleris facultatem,nullos ſocios, & adiutores, quibus tantum facinus mente conceptum ſine temeritate committeret à n. 55. *Hac eſt innocentiæ defenſio, hac ipſius cauſa Oratio:hac vna vox veritatis. In crimine ipſo nulla ſuſpicio eſt,& in re nihil eſt argumenti,in negotio,quod actum eſſe dicitur,nullum veſtigium ſermonis,loci,temporis:nemo teſtis,nemo conſcius nominatur;totũ crimen profertur ex inimica, ex infami ex crudeli,ex facinoroſa, ex libidinoſa domo:omnis autẽ illa,quæ tentata ſcelere iſto nefario dicitur,plena eſt integritatis, officij, religionis: ex qua domo recitatur vobis iureiurando deuincta auctoritas: vt res minimè dubia, tamen in contentione ponatur, vtrum temeraria,procax,irata mulier finxiſſe crimen,an grauis, ſapiens, moderatuſque vir religioſè teſtimonium dixiſſe videatur.*

Iam veneficij crimen à Cœlio reiicit per inficiationem cauſæ, negatque vllam ab aduerſariis excogitari poſſe, quæ Cœlium ad tàm execrandum facinus impelleret,n. 56. *Reliquum eſt igitur crimen de veneno: cuius ego neque principium inuenire, neque euoluere exitum poſſum. Quæ fuit enim cauſa, quamobrem iſti mulieri venenum vellet dare Cœlius?ne aurum redderet? ne crimen haereret?num quis obiicet?num quis deniq; feciſſet mentionẽ,ſi hic nemini nomen detuliſſet?credibile eſt igitur tantum facinus nullam ob cauſam eſſe cõmiſſum? & vos non videtis fingi ſceleris maximi crimen vt alterius cauſa ſceleris ſuſcipiendi fuiſſe videatur? Cui denique cõmiſit?quo adiutore vſus eſt?quo ſocio? quo conſcio?cui tantũ facinus,cui ſe,cui ſalutẽ ſuam credidit?ſeruis ne mulieris?Sic enim obiectum eſt.Et erat tàm demens hic,cui vos ingeniũ certè tribuitis, etiàſi cætera,inimica Oratione detrahitis,vt omnes ſuas fortunas alienis ſeruis cõmitteret?at quibus ſeruis? refert enim magnoperè id ipſum;his ne quos intelligebat nõ cõmuni cõditione ſeruitutis vti ſed libètius liberius,familiarius cum domina viuere: quis enim hoc nõ videt,aut quis hoc ignorat?in eiuſmodi domo, in qua mater familias meretricio more viuat:in qua nihil geratur,quod foras proferendum ſit, in qua luſtra,libidines, luxuries, omnia denique inaudita vitia atque flagitia verſentur: hic ſeruos, non eſſe ſeruos?quibus omnia cõmitantur?per quos gerantur? qui verſentur in iiſdem voluptatibus?quibus occulta credantur? ad quos aliquantum etiam ex quotidianis ſumptibus, ac luxuria redundet?*

Sæpè dilemmatis ad refutandum vtitur,vt hic n. 58. *Id igitur Cœlius non videbat?ſi enim tàm familiaris erat mulieris,quàm vos vultis:iſtos quoque ſeruos familiares eſſe dominæ ſciebat; ſin ei tanta conſuetudo:quanta à vobis inducitur,non erat: quæ cum ſeruis potuit familiaritas eſſe tanta?ipſius autem veneni quæ ratio fingitur?vbi quæſitũ eſt:quemadmodum paratũ? quo pacto?cui,quo in loco traditum?habuiſſe aiunt domi,vimque eius eſſe expertũ in ſeruo quodam ad rem ipſam parato:cuius perceleri interitu,eſſe ab hoc comprobatum venenum? Proh Dij Immortales!cur interdum in hominũ ſceleribus maximis, aut conniuetis, aut præſentis fraudis pœnas in diem reſeruatis? Vidi enim vidi, & illum hauſi dolorem vel acerbiſſimum in vita.*

A re tempore,loco modo, probat Oppianicum veneno nequaquã extinctũ fuiſſe pro Cluentio, n.173. *Iam verò illud quàm nõ probabile,quàm inuſitatũ Iud.quàm nouum in pane datũ venenum?faciliùsne potuit, quàm in poculo?latentius potuit abditũ aliqua in parte panis,quàm ſi totũ colliqui factum in potione eſſet? celerius potuit comeſum,quàm epotum in venas,atque in omnes partes corporis permanare?facilius fallere in pane,ſi eſſet animaduerſum,*

quàm

quàm in poculo,cùm ita conſuſum eſſet , vt ſecerni nullo modo poſſet? at repentina morte periit. Quod ſi eſſet ita factum,tamen,ea res propter multorũ eiuſmodi mortem , ſatis firmam veneni ſuſpicionem non haberet ſi eſſet ſuſpicioſum : tamen ad alios potius, quàm ad habitum pertineret.

Criminis circumſtantiis examinat,& ex iis fictũ crimen eſſe demonſtrat,pro Deiot. n. 19. *At quàm feſtiuè crimen contexitur ? Tua te inquit,eadem quæ ſemper fortuna ſeruauit. Negauiſti tum te inſpicere velle. Quid poſtea? an Deiotarus re,illo tẽpore,non perfecta continuò dimiſit exercitum? nullus erat alius inſidiandi locus? at eodẽ te cùm cœnauiſſes,rediturum dixeras: itaque feciſti,horam vnã, tui duas eodẽ loco armatos,vt collocati fuerãt retinere magnum fuit , cùm in conuiuio comiter & iucundè fuiſſes,tùm illuc iuiſti,vt dixeras. Obſecro Cæſar repetere temporis illius memoriã: pone illum ante oculos diem: vultus hominum te intuentium,atq; admirantium recordare num quæ trepidatio? num qui tumultus? num quid niſi moderatè,niſi quietè,niſi ex hominis grauiſſimi & ſanctiſſimi diſciplina?*

PVNCTVM VI.

A Conſequentibus.

HIc multum valet locus conſequentium,Cicero crimẽ inſidiarum à Deiotaro remouet quod ea prudentiâ vir in tanta pericula ſe cõiicere noluerit, quæ vitare non potuiſſet,n. 5. *Vt enim omittam,cuius tanti ſceleris fueris, in conſpectu Deorum Penatiũ necare hoſpitem,cuius tantæ importunitatis omniũ gentium , atq; omnis memoriæ clariſſimum lumen extinguere ; cuius tantæ ferocitatis,victorem orbis terrarum non extimeſcere: cuius tàm inhumani,& ingrati animi,à quo Rex appellatus eſſet , in eum ſceleratum inueniri : vt hoc omittam cuius tanti furoris fuit, omnes Prouincias, omnia deniq; ciuium arma contra ſe vnum excitare? quonam ille modo, cùm regno , cùm domo , cùm coniuge, cùm chariſſimo filio diſtractus eſſet , tanto ſcelere non modò perfecto,ſed etiam cogitato.*

Vbi manifeſtè docet Orator Deiotarum hoc crimen admittere non potuiſſe, quod maximè ſibi noxium futurum , ſapientia ſua præuidebat: Quod & arguit ab eius moribus n. 16. *At credo hæc homo conſultus , & te ærarius non videbat. Quis cõſideratior illo? quis rectior? quis prudentior? quamquam in hoc loco Deiotarum non tàm ingenio, & prudentiã , quàm fide & religione vitæ defendendum puto.*

Sic opinionem errantis vulgi refutabis res aduerſas putantis malas eſſe. Id ſi ita eſt,vt infelices habeantur , qui grauioribus aſperioribuſq; malis,ac rebus conflictantur , infelices eſtis inuictiſſimi Chriſti Apoſtoli,infelices Athletæ fideique defenſores acerrimi Dei Martyres? imo Dicamne? infelix ipſe eſt Deus,& parens felicitatis noſtræ. Quibus enim procellis & tempeſtatibus non eſt iactatus? quid eſt aut ludibrij ad contemptum , aut ignominiæ ad dedecus aut tormenti ad dolorem , ad quod te non Chriſte, Optime,Maxime,mouerit pietas , voluntas erexerit,amor impulerit?

PVNCTVM VI.

A Negatione.

INuadendum vbi primùm licebit Negationis firmamentum,hoc eſt nihil antiquius habendum,quàm vt crimen,ſi tutò fieri poſſit,penitus negetur,quod in pleriſq; difficultate vacat. Dùm enim crimina gratis ab accuſatore obiiciuntur, gratis etiã negari debent. Multis in locis Cicero diuinat. in Verr. Vbi primò diſſimulanter videtur fateri,quod apertè poſtea negat , ſublata videlicet causâ n. 55. *At eã tibi Verres fecit iniuriam , quæ cæterorum quoque animos poſſet alieno incõmodo cõmonere Minimè. Nam id quoq; ad rẽ pertinere arbitror qualis iniuria dicatur,quæ cauſa inimicitiarũ proferatur. Cognoſcite ex me,nã iſte eam profectò,niſi planè nihil ſapit nuſquã proferet.*

Apertè pro Quinctio,n. 36. *Negamus te bona Qu. Sexte Næui poſſediſſe ex Edicto Prætoris. In eo ſponſio facta eſt. Oſtendam primum cauſam nõ fuiſſe cur à Prætore poſtulares, vt bona Quinctij poſſideres , deinde ex edicto id poſſidere non potuiſſe. Poſtremò non poſſediſſe. Hæc tria cùm docuero , perorabo. Non fuit cauſa cur poſtulares. Qui hoc intelligi poteſt? Quia Nænio neque ex ſocietatis ratione, neque priuatim quidquam debuit Quinctius. Quis huic rei teſtis eſt? Idem qui acerrimus aduerſarius.*

Digitized by Google

PVNCTVM IX.

Quo artificio confutanda ſint quæ negari non poſſunt.

NVnquam eludit prudens Orator, quod in omnium oculis factum eſt,ſed criminis inuidiam in alios derorquet, quod inficiari nõ poteſt.Seditionis flammas Cic.in Clodianos emitrit quas Sextium exciraſſe negare non poterat, n.84.*Homines*,inquit,*emiſti,coegiſti,paraſti.Quid vti faceret?Senatum obſideret? Ædeis incenderet? tecta diſturbaret?Templa Deorum Immortal.inflãmaret?Tribunos pleb.ferro è roſtris expelleret?Prouincias,quas vellet,quibus vellet,vẽderet?Reges appellaret?rerũ Capitalium condẽnatos,in liberas Ciuitates per legatos noſtros reduceret?Principẽ Ciuitatis ferro obſeſſum teneret?hæc vt efficere poſſet,quæ fieri,niſi armis,oppreſſa Rep.nullo modo poterãt,idcirco,credo manũ ſibi P.Sextius,& copias cõparauit.*

Prudentis eſt Oratoris tela ſuis intentata ceruicibus tanquam Braſidæ manu, in aduerſariorum iugulum conuertere. Multis in locis Tull. præceptum iſtud vſur. Nam pro Sextio, rationes quibus alij inſectati fuiſſent eius ignauiã probauiſſentque eum fuiſſe puſilli animi, mortemque metuentis, eas inquam rationes vltrò profert quibus oſtendat ſe mortem nequaquam timuiſſe, per egregiam expoſitionem, n.47. *An mihi ipſi vt quidam putant, fuit mors æquo animo oppetenda? quid? tùm mortemne fugiebam?an erat res vlla,quam mihi magis optandam putarem? aut ego illas res tantas,in tanta improborum multitudine cùm gerebam,non mihi mors,non exilium ob oculos verſabatur?non hæc denique à me tùm, tanquam fata in ipſa re gerenda continebantur?an erat mihi in tanto luctu, meorum tanta diſiunctione, tanta acerbitate, tanta ſpoliatione omnium rerum, quas mihi aut natura,aut fortuna dederat vita retinenda?tàm eram rudis,tàm ignarus rerum,tàm expers conſilij,aut ingenij?nihil audieram?nihil videram? neſciebam vitæ breuem eſſe curſum,gloriæ ſempiternum,cùm eſſet omnibus definita mors optandum eſſe vt vita,quæ neceſſitati debetur,patriæ potius donata,quàm reſeruata naturæ videretur?neſciebam inter ſapientiſſimos hanc contentionem fuiſſe, vt alij dicerent animos hominum ſenſusque morte reſtingui, alij autem tùm maximè mentes ſapientum, ac fortium virorum, cùm è corpore exceſſiſſent, ſentire ac vigere, quorum fugiendum non eſſe carere ſenſu: alterum etiam optandum, meliore eſſe ſenſu.*

Crimen depellit, & idem in aduerſarium retorquet probabilioribus argumentis, quam quæ obiecerat.2.in Anton.n.23.

Triumphum occinere videbitur, qui præoccupatione poterit vti,qui occupauerit obiicienda, vel aduerſarium reprehenderit quod leuiter nimis vrgeat, quod in cauſa ſua præuaricari videatur, ipſumque in torquendis validiore lacerto argumentis occupabit. Seneca de vita beata I.Vbi cùm pluribus ſibi obiecisſet multa, ſic inſtat,cap. 17. *Quare pecuniam neceſſarium tibi inſtrumentum exiſtimas & damno moueris, & lacrymas audita coniugis, aut amici tui morte, dimitis, & reſpicis famam, & malignis ſermonibus tangeris? quare cultius rus tibi eſt, quàm naturalis vſus deſiderat? cur arbores, præter vmbram nihil datur daturæ, ſeruntur? quare vxor tua locupletis domus cenſum auribus gerit? quare Pædagogium pretioſa veſte ſuccingitur? adijce ſi vis, cur trans mare poſſides? cur plura quàm noſti poſſides? turpiter aut tàm negligentes,vt non moueris pauculos ſeruos aut tàm luxurioſus,vt plures habeas quorum notitiæ memoria ſufficiat. Adiuuabo poſtmodum conuicia, & plura mihi quàm putas, obiiciam: vno hoc reſpondebo tibi. Non ſum Sapiens, & vt maleuolentiam tuam paſcam,nec ero. Exigo itaque à me, non vt optimis parſim,ſed vt malis melior Hoc mihi ſatis eſt,quotidie aliquid ex meis vitiis demere,& errores meos obiurgare.*

II. Cùm negari non poteſt obiectum crimen vti compenſatione debet Orator, opponendo virtutes alias obiectis criminibus auarum dicit? Proba iuſtum,clementem.pium, denique virtutem,qua virium obiectum facilè obruatur Dicit aliquis ſenem loricam non induere,non ſtruere vallum,non muros tueri,his oppones hæc.At eſt ſanæ mentis vir, ac prudentis conſilij, quod in bello plus poteſt, quam ferrum, quam vires, quam arma.

Sic Hortenſium inducit Cic. pro Verre agentẽ

Digitized by Google

7. Act. num. 4. *Hac eadem nunc ab illis defenſionis ratio, viaque tētatur: idem quæritur, ſi fur, ſi ſi ſacrilegus, ſi flegitiorum omnium vitiorumque princeps; at eſt bonus Imperator, at felix, & ad dubia Reip. tempora reſeruandus.*

Ita nonnunquam riſu, aut interpretatione aduerſariorum tela feliciter hebetantur, quæ rationum multitudo nunquam euiciſſet: Accuſatur aliquis auaritiæ Quid acutius hac confutandi ratione. O virum probum! non vides in eo maximam frugalitatem, & tu tanta virtutem vitij turpiſſimi nomine dehoneſtas? ſic timidum, prudentem; prodigum, liberalem dices.

III. Aliàs factum aliquod non eſſe vitio dandum oſtendimus, quando qui grauiora egerunt, laudem ex iis conſequuti ſunt. Pro Rabir. nu. 23. *Equidē hoc affirmo, quod tu nunc de patruo tuo prædicas neminem vnquam adhuc de ſe eſſe confeſſum. Nemo eſt vnquam inuentus tàm profligatus, tam perditus, tàm ab omni non modò honeſtate, ſed etiam ſimulatione honeſtatis relictus, qui ſe in Capitolio fuiſſe cum Saturnino fateretur. At fuit veſter patruus. Fuerit, & fuerit nulla diſperatione rerum ſuarum, nullis domeſticis vuulneribus coactus: induxerit eum Luc. Saturnini familiaritas, vt amicitiam patriæ præponeret. Idcircòne oportuit C. Papirium deſciſcere à Rep. non comparere in illa armata multitudine bonorum: Conſulum voci, atque Imperio non obedire? Atqui videmus hac in rerum natura tria fuiſſe. Vt aut cum Saturnino eſſet, aut cum bonis lateret. Latere mortis erat inſtar turpiſſimæ: cum Saturnino eſſe furoris & ſceleris: virtus & honeſtas, & pudor cum Conſulibus eſſe cogebat. Hoc tu igitur in crimē vocas, quod cùm iis fuerit. C. Rabirius quos amētiſſimus fuiſſet, ſi opugnaſſet: turpiſſimus ſi reliquiſſet.*

Vel etiam docendum non vitium eſſe, ſed virtutem, Audacter Tull. pro Milone, probat illum Reip. ſummum beneficium contuliſſe, cum Clodium interfecit, quod peſtem, atque excidium à Rom. ceruicibus, tectiſque prohibuiſſet, neque tàm conſiliis Milonis, quam prouidentiæ diuinæ tribuendum audax illud facinus, n. 84. *Quamobrem vteretur eadem confeſſione T. Annius, quā Naſica quā Marius, quā noſmetipſi, & ſi grata Reſp. eſſet lætaretur, ſi ingrata, tamen in graui fortuna conſcientia ſua niteretur. Eſt & profectò illa vis quæ ſæpè incredibiles huic vrbi felicitates, atque opes attulit; quæ illā perniciem extinxit, ac ſuſtulit: cui primùm mentem iniecit, vt vi irritare ferróque laceſſere fortiſſimum virum auderet, vinceretúrque ab eo, quem ſi viciſſet, habiturus eſſet impunitatem, & licentiā ſempiternam.*

IV. Cùm refellere non poteſt, diſſimulare debet, & alia confutatione obruere, quod facit acutè Cic. pro Deiotaro, dum verſum immanem aduerſis de Cæſare rumoribus ad ſe perlatis maleuolentiæ in illum ſuæ indicem, cum lætitiæ ſenſu quodam protuliſſe Deiotarum arguit ab eius moribus, n. 25. *At eo, inquit tempore ipſo Nicæam, Epheſumque mittebat, qui rumores Africanos exciperent, & celeriter ad ſe referrent. Itaque cùm eſſet ei nuntiatum Dominum naufragio periiſſe, te in caſtello circumſideri: de Domitio dixit verſum. Græcum eadem ſententia, quā etiam nos habemus Latinum. Pereant amici, dum vna inimici intercidant. Quod ille, ſi eſſet tibi inimiciſſimus, nunquam tamen dixiſſet ipſe enim manſuetus, verſus immanis. Qui autem Domitio poterat eſſe amicus, qui tibi eſſet inimicus? tibi porrò inimicus cur eſſet, à quo cum vel interfici belli lege potuiſſet, Regem & ſe, & filium ſuum conſtitutos eſſe meminiſſet. Quid deinde furcifer?*

V. Si crimen non poſſit negari, aliam ab ea, quam aduerſarius affert, cauſam producet: inficias ire non potuit Orator exercitum à Deiotaro fuiſſe conſcriptum, ſed negat ideò comparatum fuiſſe, vt Cæſari bellum inferret, cauſamque aliò deriuat quaſi eo tātum fine milites collegiſſet, vt vel ipſi Cæſari auxiliū mitteret, n. 22. *De exercitu dicam breuiter vt cætera. Nunquā eas copias Rex Deiotarius habuit, quibus inferre bellum populo Rom. poſſit ſed quibus fines ſuos ab excurſionibus hoſtium, & latrociniis tueretur, & imperatoribus noſtris auxilia mitteret.*

VI. Conceditur aliquando factum, quod donandum tamen aſſerat precibus amicorum, vel officiis, ac meritis. Ita Cic. fatetur Ligarium alienum habuiſſe animū à Cæſare, certoque conſilio, & animi inductione profectum fuiſſe in Africam vt ei bellum inferret, ei tamen parcendum recordatione Quæſturæ, quàm olim totam Ligarius contulerat ad Cæſaris dignitatem, pro Lig. n. 36. *Sed ierit ad bellum, diſſenſerit non à te ſolùm verum etiā à fratribus hi te orāt tui. Equidem cum tuis omnibus negotiis interfuiſſē memoria teneo, qualis tùm*

Liga-

Digitized by Google

Ligarius Quæſtor Vrbanus fueris, erga te, & dignitatem tuam. Sed parum eſt me hoc meminiſſe, ſpero etiam te (qui nihil obliuiſci ſoles, niſi iniurias, quoniam hoc eſt animi, quoniam etiam ingenij tui) te aliquid de huius Quæſtoris officio cogitantem, etiam de aliis quibuſdam reminiſcentem recordari. Hic igitur Ligarius qui tùm nihil erit, niſi vt tui eum ſtudioſum, & bonum virum judicares: nunc à te ſupplex fratris ſalutem petit.

Nunquam tamen deprecatione nudâ eſt vtendum niſi in re deſperata, & capitis diſcrimine, nec niſi apud Principem, cui, vtrum velit, liceat, cùm ſcilicet nihil ſe poſſe conſequi rationibus Orator animaduertit, tunc preces adhibendæ ſunt, vt tantum hominem tot præditum virtutibus, tamque benè de Rep. meritum propter vnum hoc crimen in diſcrimen adductum ad patriæ ſalutem, & plurimorum incolumitatem conſeruent, quò genere ſæpius vſus eſt Cic. in cauſis deſperatis Milonis, Muræną.

VII. Innocenti fallacia quandoque licet vti, quod fit cum Auditorem à rebus nobis contrariis deducimus, vel cum pollicemur de iis, quæ objecta ſunt, nos poſt pauca dicturos eſſe, & ita ſenſim elabimur, animoſque Iudicum ab iis, quæ nos vrgebat, ad aliarum rerum conſiderationem traducimus, de quo ſæpè Tull. gloriatur.

VII. Potens eſt Confutationis genus, quo prima ſtatim aggreſſione ſilentium imponimus aduerſario, cum facti, quod obiicit, exemplum ab auctoritate grauis cuiuſdam perſonæ proferimus. Cic. pro Mil. 7. *Negant intueri lucem eſſe fas ei, qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur. In qua tandem vrbe hoc homines ſtultiſſimi diſputãt? nempe in ea quæ primum judicium de capite vidit M. Horatij fortiſſimi viri: qui nondum libera ciuitate populi Rom. comitiis liberatus eſt, cum ſuam manu ſororē interfectam eſſe fateretur.* Phil. II. item 2. num. 12.

PVNCTVM VIII.

De Figuris & Confutationis.

VT plus caloris & ſpiritus habeat Confutatio tractatur per figuras, quibus vis, & ardor Oratoris magis incaleſcit.

Ad pompam eſt illa Confutatio Cic. in Piſonem à num. 56. Vbi elegantes interſerit hypotypoſes, inducit ſermocinationes, modò ridet acutè, modò pungit ſeriò, modo vellicat acerbè, ſemper ad orandum ſibi ſimilis. Piſonem ridet qui ſe triumphi gloriam recuſaſſe profitebatur. *At audiſtis P.C. Philoſophi vocem, negauit ſe triumphi cupidum vnquam fuiſſe. O ſcelus! ô peſtis! ô labes! cùm extinguebas Senatum, vendebas auctoritatem hujus ordinis, addicebas Tribuno pleb. Conſulatum tuum, Remp. euertebas, prodebas caput, & ſalutem meam vna mercede Prouinciæ: ſi triumphum non cupiebas, cuius tandem rei cupiditate arſiſſe defendes?*

II. Frequens & optimus Confutandi modus per ſubiectionem. Pro Quinct. num 41. *Dubitabitur vtrum ſit probabilius. Næuium ſtatim, ſi quid deberetur, petiturum fuiſſe, an, ne appellaturum quidem biennio? appellandi tempus non erat? at tecum anno plus vixit. In Gallia agi non potuit? at & in Prouincia ius dicebatur. & Romæ judicia fiebant. Reſtat vt ſumma negligentia tibi obſtiterit, aut vnica liberalitas: ſi negligentiam dicas, mirabimur; ſi bonitatem, ridebimus.* Eſt & elegãs ſubjectio pro Roſc. Amer. num. 39.

III. Interrogatio miram habet vim, vrget Næuium acerrimis rationibus Cic. pro Quinct. num, 38. *Moritur C. Quinctius, qui tibi, vt ais certis nominibus grandem pecuniam debuit hæres eius P. Quinctius in Galliam ad te ipſum venit in agrum cõmunẽ, eo denique vbi nõ modò res erat, ſed ratio quoque omnis, & omnes litteræ. Quis tam diſſolutus in re familiari fuiſſet, quis tàm negligens, quis tàm diſſimilis qui cùm res ab eo, qui contraxiſſet, receſſiſſet, & ad hæredem perueniſſet, non hæredem quam primùm vidiſſet, certiorem faceret: appellaret, rationem afferret? Si quid in controuerſiam veniret, aut intra parietes, aut ſummo jure experiretur? itane? quod viri optimi faciunt, ſi qui ſuos propinquos ac neceſſario, charos, & honeſtos eſſe atque haberi volunt. Id Næuius non faceret, qui vſque eò feruet, ferturque auaritiâ vt de ſuis commodis nolit aliquam partem admittere, ne quam partem huic propinquo ſuo vllius ornamenti relinquat? Et is pecuniam, ſi qua deberetur, non peteret, qui, quia quod debitum nunquam eſt, id datum eſt, non pecuniam modò, verùm etiam hominis propinqui ſanguinem, vitamque eripere conatur? huic tu moleſtus eſſe videlicet noluiſti, quem nunc reſpirare li-*

berè non finis quē nunc interſicere nefariè cupiſti?eum tu prudenter appellare nolebas? Ita credo hominem propinquum,tui obſeruantem,virum bonum prudentem,maiorē natu nolebat,aut non audebas appellare?

I V. Indignationem ſæpius adhibet Orator, vt aduerſarum in odium vocet maximè cùm crimen impoſitum alienum eſt ab ipſo Iudicum ſenſu,quod Cic. cùm increpatione graui reijcit, in Tuberonem pro Dejot. Vbi Regem oſtendit nihil de inſidiis Cæſaris faciendis cogitaſſe,quòd nullum tumultus, ac perturbationis in cuiuſquam vultu veſtigium extiterit. n.21 *Dij te perdant fugitiue: ita non modò nequam,& improbus, ſed fatuus & amens es. Quid?ſigna Ænea in inſidiis potuerat,quæ de balneo in cubiculum transferri non poſſent.*

LECTIO XIV.

De Peroratione.

VT prudentis eſt oratoris in exordio non omnes Eloquentiæ delicias,& ornamenta ſibi præcipere;ita ſtrenui,ac diligentis eſt nihil in vltima parte negligere,ſed omnes animorum motus adhibere,& illam eò ſtudioſius excolere, quod quæ tunc dicuntur mentibus Auditorum adhæreſcant,& res plerumque ab exitu, & fine probentur. Nouerat hoc Tul. cuius vt in cæteris partibus ſic in Epilogo ea fuit facilitas, vt hanc illi partem omnes tanquam Eloquentiæ principi ad dicendum relinquat. Quod ipſe de ſe teſtatur in Oratore. *Quid ego de miſerationibus loquar:quibus eò ſum vſus pluribus,quò etiam ſi plures dicebamus, Perorationem mihi tamen omnes relinquebant,in quo, vt viderer excellere non ingenio, ſed dolore aſſequamur.*

PVNCTVM. I.

Definitio.

ARtificioſus eſt Orationis terminus Cornificio,l:1.n.4. Ciceroni verò 1.de Inuen. 98. Exitus & determinatio totius Orationis, aliis concluſio, ac Peroratio motuum ſedes. Nam cùm ex Cicer. 2. de Orat. n. 128.Triplex ſi tràtio dicendi facultatis: vna conciliandorum hominum, & hæc lenitatem Orationis deſideret, ſcilicet Exordium; altera decendorum, & acumen adhibere debeat Narratio & Confirmatio; tertia concitandorum,& vim requirat Peroratio, de qua ibid.num.332.Omnia autem concludēda plerumque rebus augendis,vel inflāmando iudice,vel mitigando: omniaque cum ſuperioribus Orationis locis, tùm maximè extremo ad mentes judicum, quàm maximè permouendas;& ad vtilitatem noſtram vocandas, conferenda ſunt.

Ex quibus colligitur quanta ſit huius partis amplitudo, quæ concitat, flectat, vincat, cogat, jubeat flere,vel ridere cùm lubet,ad iram inflammet,vehementer incitatos temperet, reuocet ab inferis,in cœlum erigat;proindè omnibus armis Eloquentiæ pugnandum eſt in Epilogo, ibi potiſſimum laxandæ ſunt affectibus habenæ, ſpiritu magno agendum ſi tamen cauſæ genus id requirat,& rei dignitas.

PVNCTVM II.

Munera Perorationis.

DVplex aſſignatur, alterum Enumeratio dicitur, præclarum ſanè Opus Oratoris, vbi per totam Orationem variè ſparſa,vno velut aſpectu ponit ob oculos,inſtar pictoris in arte ſua præſtantis, diffuſam Hiſtoriam exigua tabella proponentis. Tull. pro Quin. omnia repetit ſigillatim,& ordine ſuo, quæ probauerat ſubijcit cum ratione. n. 86. *Oſtendi quàm multa ante fieri conuenit,quàm hominis propinqui bona poſſideri poſtularentur:præſertim cùm Romæ domus eius,uxor,liberi eſſent omninò vadimonium nullum fuiſſe, id teſtibus me pollicitus ſum planum facturum,qui & ſcire deberent, & cauſam cur mentirentur non haberent.*

Cæterùm multis modis fit Repetitio: vel ex ad verſariorum contentione, cùm argumenta è regione collata repetuntur,quæ ſunt ab vtroque de eadem re,pronunciata, 3.de lege à graria;ſic rationes ſuas cum aduerſarii rationibus confert. n.15. *Et quoniam qua de cauſa,& quorum cauſa ille hoc pro-*

Digitized by Google

hoc promulgauit, oſtendit; docet ipſe, nunc ego quem poſſeſſorem defendam, cum agraria legi reſiſto. Syluã Scantiã vendit, Reſpub. poſſidet defendo Campanum agrum diuidis, vos eſtis in poſſeſſione: non cedo. Deindè Italiæ, Siciliæ cæterarumque Prouinciarum poſſeſſiones, venales ac praſcriptas hâc lege video; veſtræ ſunt præſidia, veſtræ poſſeſſiones reſiſtam, atque repugnabo.

Aliàs non ex aduerſo repetuntur, ſed ea tantum quæ vel ab Oratore, vel aduerſario dicta ſunt. Pro Amer. Scelerata aduerſariorum facta repetit contentionem, n. 145. *Prædia mea tu poſſides: ego aliena miſericordia viuo: concedo, & quod animus æquus eſt, & quia neceſſe eſt. Mea domus tibi patet, mihi clauſa eſt: fero. Familiã mea maxima vteris, ego ſeruum habeo nullum patior, & ferendum puto. Quid vis amplius? quid inſequeris? quod oppugnes?* Sic amorem Iudicum & miſericordiam mouet dum aduerſarios in odium & maleuolentiam adducit.

Per Ironiam interdum fieri ſolet Enumeratio, quæ figurata gratiam habet ac venuſtatem, faciliuſque Iudicum excitat animos. Talis eſt illa 1. Agra n. 24. H*oc motu atque hac perturbatione animorum, atque rerum, cùm populo Ro. vox, & auctoritas Conſulis repentè in tantis tenebris illuxerit: cùm oſtenderit nihil eſſe metuendum, nullum exercitum, nullam manum, nullas colonias, nullam venditionem vectigalium, nullum imperium nouum, nullum regnum decemvirale, nullam alteram Romam, neque aliam Sedem Imperii, nobis conſulibus futuram, ſummamque tranquillitatem pacis, atque otii. Verendum credo nobis erit, ne veſtra iſta præclara lex Agraria magis popularis eſſe videatur. Cùm verò ſcelera conſiliorum veſtrorum, fraudemque legis, & inſidias; quæ ipſi populo Ro. a popularibus Tribunis pl. fiant; oſtendero; pertimeſcam credo, ne mihi non liceat contra vos in concione conſiſtere?*

Fit etiam per interrogationem, vt, quid eſt quod à me non demonſtratum ſit, cum iſtud planum fecerim? quid autem iſte confirmauit, cum illa falſa eſſe docuerim; pro Amer. n. 152. *An verò, Iud. vos non intelligitis, nihil aliud agi, niſi vt proſcriptorum liberi, quauis ratione tollantur, & eius rei initium, in veſtro jurejurando, atque in Sex Roſcii periculo quæri? Dubium eſt ad quem maleficium pertineat, cùm videatis ex altera parte egentem, probatum ſuis filium, in quo non modo culpa nulla, ſed ne ſuſpicio quidem potuit conſiſtere: nunquid hic aliud videtis obſtare Roſcio, niſi quod patris bona venierunt? quod ſi id vos ſuſcipitis.*

Non ſemper fit contentionem, aut collationem, ſed aliquando ſimpliciter naturali quodam ordine ſeruato, cum ea repetuntur, quæ ſparſim in Oratione dicta ſunt. Et illa ſimplex Enumeratio pro lege Man. n. 49. *Quare cùm & bellum ita neceſſarium ſit vt negligi non poſſit; ita magnum, vt accuratiſſimè ſit adminiſtrandum, & cùm ei Imperatorem præficere poſſitis, in quo ſit eximia belli ſcientia ſingularis virtus, clariſſima auctoritas, egregia fortuna, dubitabitis Quir. quin hoc tantum boni, quod à Diis immort. oblatum, & datum eſt in Remp. conſeruandam, atque amplificandam, conferatis!*

In Peroratione portò debent illa dumtaxat repeti, in quibus maximè cauſa conſiſtit, quæque in Auditorum animos, & memoriam altius deſcendere volumus. Ne ſi ſcrupuloſè nimis agamus, & ſubtiliter omnia reguſtemus, noua ſimul & faſtidioſa conſurgat Oratio.

Alterum eſt vt quæ dicuntur pondere verborum & ſententiarum efferantur, varientruque figuris dubitatione præſertim, vel anxius apud ſe perpedens Orator, num quid omiſerit, vel quid hic, aut ille judicaret, ſi fortè qui audiret.

Tertium, vtendum frequenti, ſed leui prætеritione, ne omnia referre velle videamur, pro Cluent. n. 188. *Mitto illam primam libidinis injuriam: mitto nefarias generi nuptias mitto cupiditate matris expulſam ex matrimonio filiam: quæ nondum ad huiuſce vitæ periculum, ſed ad commune familiæ dedecus pertinebat: nihil de alteris Oppianici nuptiis queror: quarum illa cùm obſides filios ab eo mortuos accepiſſet, tùm denique in familia luctum, atque in priuignorum funus nupſit, Præterea quòd Aurium Melicium, cujus illa quondam ſocrus, paulò ante vxor fuiſſet, cùm Oppianici eſſe operâ proſcriptum, occiſumque cognoſceret, eam ſibi domum, ſedemque coniugii delegi tin qua quotidie ſuperioris viri mortis indicia, & ſpolia fortunarum videret.*

Quartum genus maximè ſolutum adhibendum eſt, quod fiet, ſi nullis conjunctionibus, adhibitis, membratim, vel cæſim loquamur pro Cluent.

Digitized by Google

Cluent n. 200. *Quare ſi ſcelus auditis:prohibete a litum matris à filij anguine:date parenti hunc incredibilem dolore ex ſalute, ex victoria liberum:patiamini matrem, ne orbata filio lætetur, victam potius veſtra æquitate, diſcedere. Sin autem id quod veſtra natura poſtulat, pudorem, bonitatem virtutemque diligitis: leuate hunc aliquando ſupplicem veſtrum, Iud. tot annos in falſa inuidia, periculiſque verſatum: qui nunc primum poſt illam flammam, aliorum facto & cupiditate excitatam: ſpe veſtræ æquitatis erigere animum &c.*

Sed multo preſſius 202 *Conſeruate Cluentium, reſtituite incolumem municipio: amicis, vicinis hoſpitibus, quorum ſtudia videtis, reddite: vobis in perpetium liberiſque veſtris obſtringite, veſtrum eſt hoc Iud. veſtræ dignitatis, veſtræ clementiæ.*

PVNCTVM XXVI.

Commotio.

ALtera pars Epilogi commotionem affectuum grauiorem continet. Quos verò potiſſimùm affectus excitare debeat Orator, non eſt operoſum colligere. Etenim ſi laudamus cum gratulatione, admiratione, amore, æmulatione, lætitia perorandum eſt. Si vituperamus Odium, Inuidia, Contemptus, & Pudor cieri debent.

In conciliis de rebus capiendis, ſpem excitabis, ſiue explendæ cupiditatis; ſiue vlciſcendæ iniuriæ: Interdum etiam timorem ex periculi metu iniici proderit.

In judiciis omnia concurrunt, Amor, Odium, Inuidia, indignatio, Miſericordia: illum Accuſator, hanc Reus aucupatur. Cauendum tamen ne in rebus minutis tragica moueantur, ſic enim infrigidos, ac pueriles affectus diſſolueretur Oratio.

Denique talis debet eſſe Peroratio, vt apes imitetur, quæ cùm in roſtellis mel exſugunt, à tergo ſpiculum gerunt, quod quaſi per inſidias ejaculantur, & vel cum vitæ periculo infigunt. Probus Orator in principiis multum mellis habebit quod deliniat auditorem, in exitu ſtimulos & aliquid fellis aſperget dictioni, potiſſimùm in accuſando.

Quoniam autem vehemens & imperioſus commotionum dominatus hic potiſſimum regnare debet, vt voluntates Auditorum impellat quò voluerit, & deducat vnde libuerit, de illis affectibus, quorum in eloquentia ſublimi frequens eſt vſus jam dicendum nobis erit, vbi partium Orationis breuem Idem ſubjecerimus, quam amicitiæ Chriſtianæ Paradoxo vir dicendi facultate pariter ac pietate eximius, expreſſit, quo fugiendas amicitias eſſe proponit & explicat Exordio: Narratione illuſtrat: probat Confirmatione: Peroratione amplificat. Sic enim rem totam egregie perficit.

ARdua res & aleæ periculique pleniſſimum opus, ex hominum vita tollere velle familiaritatem & amicitiam, cuius legem cum ſpiritu hauſimus ex parentum amicitia nati, quam contraximus pueri, formauimus adoleſcentes, qua juuentutem oblectamus & ſenium. Quis barbarorum autem id voluit vnquam, aut ſi conatus eſt, effecit, vt in animis hominum benevolentiæ ſenſum extingueret? Abſtulerunt ea multi, quæ furor eripere potuit, quia in fortunæ bonis numerantur, familiam, copias, libertatem, ſocietatem alij & congreſſum, nonnulli vocem & lacrymas ademere, nullus amicitiæ vim intulit: fuit ea libera ſemper, nec ante opprimi poterit, quàm hominis natura funditus euertatur.

Itaque nec qui amantiſſimus fuiſſe traditur Siculorum hoſtis verius quàm Rex Dionyſius, cùm cætera naturæ jura corrupiſſet, tamen amicitiæ numen violare non auſus eſt, cuius in illo pari fidelitatẽ eximiam ſuſpexit, tatus hoc eſſe labefactare virtutis opus, & illam odiſſe, tamque illum defectione videri ſceleratum, qui hanc vitæ jucunditatem ademerit, quàm conjunctione fuerat honeſtus. Quid de charitate dicam quæ eſt inter fratres & agnatos, inter natos & parentes, quæ diſiungi niſi deteſtabili ſcelere non poteſt? Hæc eſt ſi non omnium, certè plurimorum Oratio, cui diutnior quædam objicitur diſciplina, quàm quia repudiare nefas eſt, cogimur amicitiam expugnare quadamtenus, & humanas de illa opiniones extinguere. Qua quidem in diſputatione, moleſtiſſimum illud occur-

Digitized by Google

occurrit, quod nec hujus quidem Orationis difficultatem fas ſit humanitate veſtra ſubleuare, quã ſit aut amicè petimus ipſi, aut vos exhibetis officioſè, vtrimque ſuſpicionem odij faciemus, cum ex noſtro ſenſu præterquam inimico bene-velle nemini liceat.

Verum ſuſtinete tantiſper offenſionem iſtam, nec benevolentiam nobis ante recuſate, quam eam oratione labefacta velimus, dignique veſtro judicio ſimus, quibus vel oblata detrahatur: Sic enim ſpero nos eam commodè impugnaturos, vt quantò id melius erimus conſequuti tantò à vobis amicius diligamur. At enim illa me recreat imprimis in dolis veſtræ generoſitas: quæ ſic amicitiam amplexa eſt, vt ei nulla re magis quàm virtute adhæreſcat. Colitis enim amicitiam, quia honeſta eſt, execramini odium, quia turpe, & cum dedecore conjunctum: Certè id quidem, virtutem enim ibi locaſtis vbi eſſe debet, cum eam ante ponitis amicitiæ, quam ſine virtute ne tolerabilem quidem judicatis: ſed nimirum excæcamur amoris magnitudine plerumque, ſemperque honeſtè & cautè nos amare credimus; Itaque ſodalium innocentiâ, charitate in propinquos, in parentes pietate nobis ipſis imponimus, peccamuſque amando, non malitiâ, ſed errore, quem ſi nobis eripi pateremur, non oppreſſæ ſed curatæ amicitiæ noſtræ viderentur.

Primum igitur illud ſtatuamus non omnem eſſe bonam amicitiam; quia multæ virtute carent, quas aut vitiorum genuit ſimilitudo, aut ab honeſtate profectas, ſcelerum deindè communicatio propagauit: Nam & ſocietates prædonum etiam dicuntur, quos vnius maleficii voluntas quadam vitæ & amoris neceſſitude conjunxit, quæ tametſi diuturnæ & ſtabiles ferè ſint nunquam; ita tamen coëunt aliquando adſtringuntque, vt ne mortis quidem ac cruciatuum metu diſſociari poſſint: Amicitiæ verò quàm ſæpè larnam aſſumit Adulatio, obrepit enim callidus aſſentator, inficit que animum vanitate, quem vbi aſſueuit omnem in eo virtutis ſpeciem dehoneſtat? Sed has quamquam nemo niſi admodum excors admiſerit, jactantur tamen amicitiæ nomine, ſuadentque in illius ſinu grauiſſimè poſſe peccari.

Quare jam honeſtas illas, & quas innoxias appellaſtis, videamus. Sodalium oppinor æqualitates, charitatem in propinquos, & omnem virtutum amabilitatem adducitis, videte quid in iſtis, quantumque à vobis diſſentiam. Vos ingenuam familiaritatem ſine injuria dirimi nunquam putatis, eam ego magno periculo corroborari dico; Vos ſi ab amico nunquam, aut propinquo diſceſſeritis, vos ſceleratos eſſe creditis; ego niſi diſceſſeritis aliquando multò ſceleratiores prædico. Eſt enim quatenus amor in amicitia progredi debeat, vim in ea laudo ac fidelitatem, teneritudinem atque molliciem reprehendo. Quid enim ſi rem turpem aut abjectam illi rogauerint, non negabitis; ſi vos ab honeſta aut generoſa deduxerint, obſequimini? non facient. Sed ſi tamen, quia velle poſſunt, velint aliquando, ſi Oratione, ſi lacrymis, ſi cætero amoris lenocinio pugnauerint? repugnabimus. Scilicet tum cum beneficio conſtricti, deuincti conſuetudine, obligati amore tenebimini, explicabitis eſ iis vos laqueis, cum ad eos extricandos non animus vobis, non judicium, non libera erit Oratio, quantò conſultius nunquam adeò immergi, vt ſemper emergere ſitis parati, ſic omninò amare vt relictori ſitis aliquando, vel oſuri.

Altum profectò, & diuinæ ſapientiæ dignum dominatum, obligari nemini, vt numini toti adhæreſcatis, nullum complecti mortalem, vt quoquo vos nutu Deus euocauerit illum liberi expeditique ſequi poſſitis. Neſcitis quantam vobis amplitudinem laudis inuident, aut incidunt felicitatem, qui vos ſic obſtriſtos amicitiâ tenent, vt nullum aut breue curriculum virtuti veſtræ conceſſerint; qui vos totos ita vindicarunt ſibi, vt per exiguam ipſis, nullam veſtri partem Deo amplectandam reliquerint. Sed multò hæc factis, quàm verbis illuſtrius oſtendi conſueuerunt. Quamobrem proponere placet veſtræ mentis oculis præclarum amabilis inimicitiæ facinus, ex quo cum huic diſputationi lux quæ-

dam, tùm etiam fides, atque auctoritas oriatur.

Narratio.

Atque vt virtutis & innocentiæ miraculum propius contemplemur. Cui non cognitus noſtrorum à puero? imò verò cui non magnopere ſemper amatus Alexius? quem inquam adoleſcentium illius latebræ latent? à quo non eius fuga, exilium, reditus celebrantur? quæriris itaque non vt ea faſtidiosè narremus quæ prætereunt neminem, ſed quæ omnibus nota ſunt, ad hanc cauſam opinionemque adhibeamus. Agite verò, & ſuauiſſima mecum virtutis exempla reguſtate. Cuiuſmodi enim iſtud eſt Deus Immortalis; quòd in ampla familia, in dote, in Coniugio Iuvenis collocatus, ea ætate quæ voluptates quærit, iis opibus quæ ſubminiſtrent, eo pudore, qui oblatis uti moderatè poſſit, ea nocte, qua præſertim fortunatum illum exiſtimant univerſi, dùm amico ſodales nuptialem pompam exornant, parentes filio thalamum ſternunt genialem, marito nupta inducitur pari fortunæ genere, virtute florens ac beata, clam domo proripit ſeſe repentè miſerrimus ex beato, ex locuplete mendiciſſimus, nullis authoribus, comitibus nullis, incredibili omnium ejulatu. O inſolentem Iuvenis inimicitiam, & omnibus antea ſæculis inauditam! ô incredibilem animi fortitudinem dixerim, an duritiē! non cogitaſſe ſi minus hominum de ſe famam & exiſtimationem, at illam ipſam noctem faceſque nuptiales, non familiæ vulnus, non orbitatem patri, non uxoris viduitatem, non calamitatem denique ipſam, quam ſibi graviſſimam ac diuturnam acceſſeret: neglexit ōnia profugus adoleſcens, Penates deſeruit, parentem aſpernatus eſt, illuſit uxori, abiit, exceſſit, evaſit erupit.

Atenim abundabat Alexius æqualiū familiaritatibus, & conſuetudine propinquorm, habebat etiam Romano more non paucos adoleſcentes amore ſibi conjunctos, parens autem quâ filium charitate complectebatur, Iuvenem Senex, dives hæredem, frugi moderatum? quâ teneritudine mater in amplexum, quâ in thalamū vxor amoris ſuauitate veniebant? Quid enim agis ô Alexi, abrumpis hanc chariſſimorum ſodalitatem florentem; ingenuam, honeſtam? Patrē verò eo vulnere contrucidas, matri funus, conjugi ſolitudinem & ſqualorem infligis ſempiternū. Siſte inverecunde fili, conjux inſuauis, noli hanc acerbiſſimam offenſionem tanto amori reponere. Enim vero reſipuit ille tandem poſt mendiciſſimi exilii ſordes & inopiam reddit ad mentem ac patriam, aliquando in domum atque familiam ſe recepit, reddidit ſe matri & vxori, quid verò me attinet dicere, quemadmodum certè jam noſtris: Ita enim utrique ſe reddidit, vt amiſſum neutra receperit. O inſolens luctuoſumque ſpectaculum! deliteſcit inter Penates ſic quaſi precarius aduena nobilis adoleſcens; Intereſt filius grandæui patris querulæ ſenectuti, complorationibus matris, coniugis formæ & dolori, quasque ipſe prolicit lacrymas, conſciis ac fortibus oculis intuetur: Configitur deindè vernarum aculeis familiæ filius, lixarum calcibus herus ſeruiliter vapulat, non tam aliena contumaciâ, quam diſſimulatione ſua, familiæ pariter ac ſui domeſticus, iamque propemodum parricida.

Nihil addam amplius, obſtupeſcit Oratio admirabilitate rei, nec laudandi principium inuenit, quia finem facere non poteſt admirandi. Nam vos ipſi, quæſo cogitate num quod amicitias odiſſet is qui tantum amicis dolorem, parentibus tam prolixam lugendi neceſſitatem induceret. Eum amabant, cuius in vultu acquieſcebant & moribus, in ſinu verò depoſitum in ſenectutem ſuam arbitrabantur. Itaque multum illi quidem, ſed nihilo tamen liberaliter minus, & honeſtè diligebant: Certè, nam & filij iuuentutem omni virtutum cultu ornauerant, eandemque ne in Syllæo libidinis freto adhæreſceret, ad caſti coniugij portum applicabant: non ſuaſiſſent illi flagirium, qui tam ſtudioſè remouebant, nulla re ſuum proſequebantur amantius quam virtute: hæc illi vitæ ornamenta parauerant, priuſquam fortunæ.

Quid

Quid Alexius?quàm i gratus ipſe ſuorum oderat charitatem, beneuolentiam aſpernabatur: Oderat enimvero, cùm ab iis amantibus & lacrymaturis fugiebat: oderat: cùm acerbiſſimo mœrore patris canitiem obtuebat, cùm infligebat aculeum deploratæ matri, cùm triſtiorem omni morte ſolitudinem nuptæ relinquebat. O ferreum Iuvenem!ô immanem!non commovebatur domeſtica lamentatione præſens, non molliebatur ad aſpectum contabeſcentis familliæ, non contabeſcebat ipſe ad vxoris luctum & ſqualorem, non ſuis porrò miſeriis, atque angoribus tangebatur, quæ cùm omnia poſſet vna voce, ſuique declaratione abſtergere, tacebat tamen, eóque ſilentio, tantas voces ejulationeſque prouocabat.

Sed hanc tamen illius immanitatem nullus non miratur & prædicat, fugam illius quam deprehendere nemo potuit, reprehendere auſus eſt nemo. Celebramus omnes illius exilii tolerantiam? latebras verè & ſordes ipſamque egenis mendicitatem veneramur. Nec iniuſti ſumus, quaſi faueamus inimicitiæ, aut vitiorum exempla conſecremus ſcelerati. Nimirum fuit in hoc eius facto magna æquitas, generoſum conſilium & cum incredibili animi robore ſolers & certa iuſtitia. Oderat familiam Iuvenis certè, ſed inimicam ſibi & contrariam, propinquos parenteſque fugiebat, ſed infeſtos & felicitati ſuæ inuidentes. Dubitatis ad hanc vocem, & fugere me omnino, ac ludificare arbitramini? Quemadmodum enim inimicus pater, qui vnum genuerat, in quem omnes amoris vires effunderet, qui eo præſente lætabatur vno & viuebat, qui abſentis deſiderio tantū non extinguebatur: aut quianam invidebat vxor, quæ iam ipſa viuere nolebat, quia quem maritum vehementer amabat, amiſerat; atqui vel hoc ipſum cuique mediocriter ſapienti non arduum fuerit demonſtrare. Quamobrem inuidioſum amicitiæ nomen removeamus ab hac cauſa, nec amicos deinceps odio proſequendos, ſed inimicos eſſe dicamus, tum verò hunc maximè labefactemus errorem, qui in amicorum appellationem irrepſit, dùm eos ſenſu noſtraque libidine potius, quàm virtutis vſu atque dignitate nominamus.

Confirmatio.

Fuit igitur filio inimicus Alexii pater, hoſtis erat vxor, heri contraria ſtudiis atque inuidioſa familia; Certè verò fuit, nullaque re magis eum oderant ſui, quàm amore; oderant iis rebus quibus diligere videamur, deſiderio, gratia, charitate, quæ cùm mediocria offerrent & caduca, immortalia quædam atque ſempiterna auferebant. Agite verò revocate animo ſi poteſtis omnem fugientis Alexii gloriam, & quid ille fecerit fortiter, quidvé moderatè pertulerit cogitate: celſitudinem animi, conſilii generoſitatem, claritatem fugæ, latendi conſtantiam, tolerantiam denique patiendi: ſunt enim præclara hæc & alta, & virtutibus exaggerata. Itaque illius facti memoriam populorum nulla, nulla ſæculorum delebit obliuio viuit viuetque in omnem poſterorum famam glorioſiſſimæ rei recordatio hæret ante oculos tanta fortitudo æternitati cōſecrata, honoribus colitur, ſtatuis durat, loquitur in monumentis, hominum recordatione ac plauſu, qui fructus laborum eſt honeſtiſſimus, celebratur.

Quid de ſempiterna dicam immortalis præmii dignitate, quæ breues vitæ moleſtias, æternis gaudiis conſequuta, tantó reddita eſt bonis cumulatior omnibus, quantò vita fluxit voluntariis caſibus ærumnoſior? Num igitur invidus, num infenſus: & omni hoſte inimicior, qui hæc virtutis præmia detrahere velit Alexio, aut aditum ei tantarum laudum obſtruere? Dubitet verò quiſquam, quin id agant parentis illecebræ, matris eiulatio, lacrymæ coniugis, comploratæ familiæ voces, ſunt enim hæc profectó arma, quæ iſti in Iuvenis virtutem atque conſtantiam exexerunt. His enim eum euertere machinis, euerſum ſpoliare, fama geſtorum ſpoliatum obtuere ſempiterni ſilentii tenebris voluerunt. O inſidioſas amicitias, quæ naturam acuunt in virtutem! ô lacrymas præſtigiatrices, quibus non alitur fortitudo, ſed areſcit!

Teneatur, enim, ſi ſic placet, Alexius domi, ſuorū blanditiis irretitus; deſideat nuptæ in gremio

Rr 2

mio vxorius Iuvenis,& illius ætati ac formæ captivus ancilletur;gaudeat etiam ſeruorum famulatu,& inter ſodalium greges beatulam ætatem ac voluptuariam abſumat. Num videtis quanilli intercidat gloria ? qui curſus retatdetur ampliſſimus virtutis?quam illuſtris porrò ac diuturna fama præciditur ? Alexium enim poſterorum agnouerit , nedum coluerit nemo , maxima ſui parte, longiſſimaque caruerit nominis diuturnitate; hæc illi inuidebant vniuerſe , qui amare videbantur: Iraque perniciofæ tùm ipſi propinquorum conſuetudines etant, familiæ ſplendor exitiabilis,ſodalium& vxoris venenata charitas. Nos verò exultamus adhuc,& domeſticis hoſtibus circumſepti de amicorum nobis frequentia gratulamur,quorum eò quemque vereri cautius deberemus,quò erga nos eſſe ſentimus intemperata benevolétia molliorem. Atenim vt ex omni bellorum genere nullum eſt tetrius quàm quod à ciuibus profectum,in ciues exarſerit,ſic in noſtram ſæpè perniciem propinquorum artes , ac præſtigiæ,quàm maleuolorum aperta vis periculoſius incumbunt , vt diuinè fuerit pronunciatum,*Inimicos hominis domeſticos eſſe* , quorum inimicitia parum iuſta nobiliſſimæ interdum , altiſſimæque virtutes evertantur.

Sed iam ſinite me omnem huius domeſticæ cladis atrocitatem obijcere ſenſibus, & ſic quaſi in campum aciemque deſcendere. Primum enim quam improba illa eſt quâque hoſtilis machinatio,quòd non iſti palam irrumpunt in adoleſcentiam,ſed in eius ſinum inſidioſè irrepunt, qui ſi aperto marte ſæuirent,repellerētur interdum mihi credite,ac ſuis ſæpè conatibus intercepti conciderent. Sed enim ſicâ illam inter làtera vibrant,inſidiatores,iiſque vulneribus conſigunt,quæ à multis potius ambienda , quàm ab vllo declinanda eſſe videantur. Hic vero quàm multa ſe off..unt virtutis ab amicitia perculſæ monumenta?quamquam nolite turpiſſimas illas ab amore conſcelerato illatas in hominum vitâ faces cogitare:piget enim ex tàm funeſtis incendiis lucem huic Orationi aliquam&ſplendorem accerſere : amabiles illas & honeſtas dico , non ſcelere ſed natura conciliatas.

Me verò quid attinet ſingulararia commotare,cùm in vno collectam totius generis noſtri calamitatem habeamus. Num enim id dubium cuiquam eſt , aut ignotum eſſe poteſt, vnius ab ſcelere,quam modo patimur malorum vim , & atrocitatem , profluxiſſe?Non iam quæro quàm illud nefarium fuerit , quod florentem hominis naturam formamque corruperit,quàm exitiabile,quod tàm graues in vitâ clades inuexerit;hoc dico quantum illud fuerit quàm infeſtum inimicæ mulieris amicitiæ perſuaſum,primo ac perpetratum fuiſſe eam vxorio ſenſu , iam obligatus homo conditori repugnate , quàm coniugi maluit , nec tàm illius iras ac fulmina,quàm huius mulieris querimonias formidauit. Veſtram fidem A. Eam enim obteſtor , quam ſine flagitio denegare non poteſtis,tantum in recentis integritate naturæ vnius lubentiam fœminæ, aſſentationemque potuiſſe , vt in hominis pectore vim pudoris,maleficii horrorem, Dei jubentis auctoritatem extunderet, ſic lenocinatam illam eſſe , ſic egiſſe , vt quod poſt ferum ipſe noſſet, quod horreret , affectaret ipſe tamen, & in omnium mortem & calamitatem ſempiternam deguſtaret.O vocem præſtigiatricis amicitiæ inimici ſerpentis ſibilo terrorem! quæ quod Draco ſperare timuerat,id effecit , vt virili pectore ſuperato eo denique lues fontem humanæ gentis inficeret,quæ conſequentibus ſeculis ab vniuerſa ſtirpe infeliciter obbiberetur.

Quo quidem ex ſcelere cùm malorum infinita vis quædam , tùm illud inprimis intolerabile profluxit , vt quia muliebri blandimento princeps ille homo ſeruiliter fuerat obſequutus , grauiſſime deinde in amando ſeruitutes, eæque contumelioſæ exiſterent , quibus cum malis diligendi ſuauitas , tùm ingenuitas etiam tolleretur:nimirum incredibile prope eſt, quàm ex eo imperioriſa ſit,quam dura & vehemens amicitia , tum cum alicuius in animo dominatum ſibi defixerit. Habet enim ſuorum adminiſtras libidinum cupiditates omnes , quarum intemperantiis famulantem opprimit animum, & profligat funditus libertatem, An enim ille mihi liber videatur vnquam , cui alius imperat;

Digitized by Google

rat;cui leges impoſuit;præſcribit ; verat quod videtur;qui nihil imperanti negare poteſt;nihil recuſare audet poſtulanti;poſcit ; dandum eſt:vocat;veniendum:detinet,remanendum: minatur: extimeſcendum. Ego verò iſtum non modò ſeruum, ſed miſerrimum ſeruùm etiamſi in ampla familia ſit natus appellandum puto : qui ſuam ipſe ſeruitutem amet, nec ſi poſſit erumpere vinculis, velit, quæ quoniam aurea ſibi fingit, exoſculatur.

Quid illi angores & minæ!Non vni ſed pluribus intentum eſſe, non ſibi viuere, ſed amico, multorum,vti moleſtiis, laborare incommodis, ſimultates exercere,quæ ſeruitus eſt,ſi hæc libertas exiſtimari poteſt?Quid cum amicitiæ dominatus ille inualuit, aliæ ex aliis perturbationes oriuntur,timere ne ad alios tranſeat,circumſpectare omnia,inuidere,ſuſpicari,num hæc eſt iniquiſſima ſeruitus?Iam ne ſuis quidem commodis prouidere, non tangi periculis,non honeſtiora velle,ne amicus deſerat,an non eſt omnis ignaua ſeruitus?Origeni puero palma de manibus erepta eſt : vocatus in nobilis pugnæ conſortium, quam Athletæ Chriſti inumerabiles exercebant non exhorruit ad hoſtem accedere, ſed ab propinquis diſcedere formidauit , retardatus inimiciſſimis eorum amoribus, in quantas , quam incredibiles ærumnas ſupereſſe coactus eſt? Vbi ergo liberiorem eum putas in vinculis tyrãni,& carcere,ex quo aditus illi patet ad immortalitatem,an propinquorum in ſinu , vnde curſus illi tam beatus intercluditur:quam miſerum illi fuit in prolixas calamitates, flagitioſam ſenectutem reſeruari : quis porrò eum infeſtius oderat Tyrannus,qui in beatam lucem emittere , an amicus,qui in miſera retinere cupiebat ? à quo tùm vulnerabatur atrocius lictoris ferro,quo vinceret , propinquorum charitate qua periret ? Eum ego liberum putem , qui ſic tenebatur irretitus, aut amicos illos, à quibus in perniciem iuuenis inſidioſa vis parabatur?non appellabitur ille inimicus,qui corpus vinculis ſubiecerit?præſtãtiorem illi tollebant libertatem:qui opimam hæreditatem auerterit?Inuidebant illi immortalem: qui tormentis membra cruciarit ? iſtorũ crudelitas carnificum ſuperauit immanitatem.

Audete hîc vos dicere, naturam hominis euertis, cùm è vita tollis amicitiam, cum qua vna vitam interficis , vos ne id obiicere auſi eſtis,qui tàm inimici eſtis omnium, vt quos præ cæteris amare vos ſimulatis calamitoſiſſimo odio proſequamini?videte quàm humanius hominis naturam inſtitutã,ego inſidioſam crudelitatem omni aperta vi nequiorem eſſe pronuntio,ſi quod certamen huiuſmodi contra virtutem occurrerit, acriter dimicandum:Si vel ipſe pudor,ſi natura, ſi blanditiæ ſeſe obtulerint, ſtrenuè repellendas puto,acerbitatem in animo nullam,conſtantiam verò & fortitudinem requiro.Iuſtum eſt odium quod neceſſitas imperat,ſanctum quod præſcribit virtus,diuinum quod è cœlo delapſum iſthic admirabiliter exarſit,quo hominum vitam violari expoſtulatis.Sed per vos ſit illecebris obducta,ſit amoribus obcæcata,ſit exaggerata virtubus : ſcilicet amicitiæ præſidio teget illa ſeſe:in congreſſu generoſa ſtabit , & robuſta:ab teterrima ſeruitute , maximiſque periculis ſua ſe conſtantia vindicabit.

Peroratio.

Id ſi ita eſt, quod quidem magnificè ſatis demonſtratum eſt,vt quos in amicis falsò numeramus , eos inimicos verè patiamur,per quos cùm optimis rebus præſtantiſſimiſque , tùm animo maximè atque libertate ſpoliemur, quamobrem hortamur vnumquemque noſtrum, vt ſe contra hoſtes in tãtæ periculo rei defendere velit,quiſquamne eſt adeò vecors , qui impreſſum animo ſenſum libertatis oppreſſerit,ſeſeque offerre iniuriis voluntarius velit,quàm ab eis iuſta offenſione ſubducere. Quapropter ſi quid hîc aggrediat,ſuſcipiam partes doloris potius quàm ingenij , querelæ quàm neceſſitatis, quodque vnum ſemper in vita faciendum obiicitur,humanæ cõditionis infelicitatem deplorabo.Sic enim reperio quoquo mentẽ & oculos intentus adaperio circumſeſſam hominum vitam, atrociſſimis hoſtibus , itaque illorum fraudibus oppetitam , vt quaqua parte ſe dederit,per eos quieſcere aliquãdo,& ſecura eſſe non poſſit. Cõflata eſt enim in exitum noſtrum capitalis quædam conſpiratio,

Digitized by Google

cruentat atrociter, ſed medetur, vincit glorioſè, dùm fodicat, quàm validè hoſtem interficit, tam admirabiliter triumphat. Quid tu mihi horribilem Manlij ſecurim oſtentas? quid exitiabilem Marij ſicam, aut conuerſum in extremum vulnus Catonis inſani pugionem? quid imbutos partim domeſtico, partim peregrino ſanguine Cæſarem gladios? Proh furioſam carnificinam ſeſe iugulantium Laniſtarum, quàm fortiores illi, qui cœleſtem in ſe feliciter gladium conuertere laborant! faſti in recenſendis illorum triumphis vix celebrandis anni ſufficiunt, in iis omnis ætas, ſexuſque gloriatur.

Sed nihil eſt tamen fœminis admirabilius, quæ viris ſæpè fidentiores in hunc gladium alacres irruerunt: qualis illa, cui cum ſeptem liberi necarentur, præfuit ſingulorum Carnificinæ, & gratulata eſt felicitati Felicitas. Num ipſa ante hoc debuit naturam gladio debellaſſe, quàm ſuorum membra filiorum lictoris ferro ſubiiceret. Quid innumerabiles, cùm ab iis rebus animum abducebant, diſiungebantque à corpore, nonne id agebant, vt quoniam quidem non cogerentur ab aliis, certè à ſeipſis conſueſcerent mori; quippe animum vincere, moderari naturæ, libidinem repudiare, illecebras amicorum contemnere, ſenſuum alacritatem extundere, voluptates aſpernari, ſunt hæc diuinæ militiæ præclara certamina, triumphaleſque victoriæ. O vindicem humanæ gladium libertatis! ô pacis reſtitutorem ſempiternæ! Ille ille corroboratæ conſuetudinis laqueos inextricabiles explicat, nexus diſſoluit, inueteratæ neceſſitudinis abrumpit officia ſeruitutum, tùm vbi amorum in nobis innumerabilem depaſtus eſt aciem, pacem animo reddit, omni iucunditate vitæ dulciorem. O beatam & diuinæ menti proximam mentem! eam quæ ab rerum omnium deſideriis abducta, non iam alienis obligatur amoribus, non ſui ipſius cupiditatibus tangitur, angi certè illa non poteſt, quæ nullo frui deſiderat, dolere quæ non extimeſcit, ſpoliari, quæ ſoli contingere poteſt Chriſtiano. Iactet ſe ingenuam Stoïcorum Porticus ambitioſa, liberam Academia nobilis conteſtetur. Tenentur ambæ ipſa opinione & inſolentiâ ſui, honoribus ſeruiunt mancipatæ, ancillantur famæ & nomini. Vnis nobis ad integerrimam licet libertatis gloriam aſpirare. Opacē omni bellorũ atrocitate quærendam! ô diuinam amicitiam omnium odio rerum & abalienatione conciliandam!

QVI SIC ODIT, BENE AMAT.

EXER

Digitized by Google

EXERCITATIO VI.

TRIVMPHVS ELOQVENTIÆ,

Siue

ARS TRACTANDORVM ANIMI affectuum.

PROOEMIVM.

QVANTVS ſit in permouendis affectibus Eloquentiæ dominantis Triumphus,vel ex eo colligitur,quòd illam Reginam flexanimam vocet Cic. Miratus eſt enim vates ad lyram egregius humano generi tantam fuiſſe confidentiam, vt alius alium audendi quaſi præſtantiâ ſuperaret. Hercules terrarum infimos receſſus atque inferorum penetrauit: Typhis acceruo lignorum tenui vitam commiſit ac ſalutem: Dædalus negata mortalibus via volucrum iter habuit: ſed hæc fabularum pleniſſima, quid hodie meritò habent admirationis? Epheſiæ Dianæ templum, Mauſoli Regis monumentum, Iouis Olympici ſimulacrum, cætera orbis miracula tàm à nobis eliciunt admirationem,quam extorquent; quæ tamen ſingula rectè volumus interpretari vehementer Eloquentiæ laudibus, ac virtuti concedunt. Nam cùm in iſtis res creatæ cogantur, hominumque induſtriæ pereant, animum ipſum Orator liberum atque diuinitatis ad ſimilitudinem quandam expreſſum cogit arbitratu ſuo, atque verſat, qui cæteroqui aduerſus cruciatus omnes ferrum ac facem inuictus ſtare potuiſſet. Sit igitur hac inſtructus facultate diuinitatis cuiuſdam inſtar Orator,qui tempeſtates in hominum animis excitare poſſit ad arbitrium, ac ſedare. hâc opem tulére ſupplicibus eloquentes, excitauere iacentes dedere ſalutem, liberauere periculis, retinuere vagos in ciuitatibus, triumphauere in iudiciis, plauſum tulere in foro, tranſuerſos egére vi ſua iudices, in circulis, in corona congreſſibus, fremitus, lacrymas excitauere; hâc regnarunt, hâc triumpharunt, hâc cœlum non tantùm tetigerunt: hanc pertimeſcebat Macedo multis metuendus, hâc Tullius Catilinæ furentis vocem & animos, Curioni felicem memoriam, Hortenſio reſpondendi facultatem, eripuit, huius, quod caput eſt, vi quadam diuina excitati, ad criminum odium mortales, prius ad facinora quæque proiecti, vitam ſanctiorem adamarunt.

Quare

Digitized by Google

Quare cum in eo conſiſtat Eloquentiæ Triumphus, & vim aliquam animus adferat, ſiccus Orator nunquam cœtus hominum tenebit, nec mentes alliciet, aut voluntates, quò voluerit impellet, qui non affectuum, quaſi ventorum habenas dare nouerit, aut reſtringere. Igitur, ex mente D. Auguſtini de Doct. c. 13. *Probet Orator, vt inſtruat: delectet, vt teneat: moueat, vt vincat.*

LECTIO I.

Motuum neceſſitas.

ETsi votis omnibus expetendum eſſet, ſic inſtitutos homines à natura & comparatos eſſe, vt ſtatim atque virtutem intelligunt, ad eam pronis voluntatibus, animiſque ferrentur: quia tamen pars eorum non minima cum tragici Medæa, meliora quidem videt, probatque, deteriora plerumque ſequitur, fit, vt poſt illuſtratam veritatis, & æquitatis facibus intelligentiam, talium animis ardorem & ſtimulos ſubdamus, vt illa vi grauiore reluctantes licet, ac inuitos, ad eam pertrahamus.

Non alicubi melius quàm 1. de Orat. Cic n. 17. partis huius neceſſitatem oſtendit, dùm ait. *Omnes animorũ motus, quos hominum generi natura tribuit penitus pernoſcendi, quod omnis vis, ratioque dicendi, in eorum qui audiunt mentibus, aut ſedandis, aut excitandis, exprimenda eſt.*

Neque Stoïci perturbationes damnarunt in homine, ſed eas quæ de mentis tranquillo ſtatu cum aliquo ſcelere, ac vitio deijciunt hominem, exceduntque rationis terminos; Virgilio corporeas peſtes, Stoïcis νοσήματα. Atque vt videmus in ægrotis obtenebrari mentem, & animi lumen imminui, ob vitioſos, & corruptos humores: ita è corporis contagione mentem volebant ſplendoremque rationis inobſcuri Tunc ait ſapienter Diu. Ambroſ. cap. 1. de Iacob. Motibus eius impoſuit regale mentis imperium Deus, vt omnes ſenſus motuſque hominis eius vigore ac poteſtate regerentur.

Adde quòd vir diuinæ mentis Aug. 9 de Ciuit. cap. 5. *In diſciplina noſtra, non tam quæritur, vtrum pius animus iraſcatur, ſed quare iraſcatur, nec vtrùm ſit triſtis, ſed vndè ſit triſtis: nec vtrùm timeat, ſed quid timeat. Iraſci enim peccanti, vt corrigatur: Contriſtari pro afflicto, vt liberetur: timere periclitanti, ne pereat, neſcio vtrùm quiſquam ſana conſideratione reprehendat.*

Non alia mens Quintil. fuit, & ſenſus, licet verſaretur in ea Rep. quæ vt ex vnius Imperatoris voluntate arbitrioque pendebat; ita maximam Oratoribus motuum ciendorum facultatem adimebat. *Hoc eſt*, inquit ille lib. 6. Inſt. 2. *quod dominatur in iudiciis, hoc eloquentiæ regnum, hoc non docet litigator, hoc libellus non continetur*, Hùc igitur incumbat Oarator, hoc opus eius ſit, in id omnem induſtriam, ingeniique vires conferat, ſine quo cætera nuda, ieiuna, infirma, & ingrata ſunt; adeò velut ſpiritus operis huius, & anima eſt in affectibus.

PVNCTVM I.

Definitio.

LIcet numquam Orator magnus & grauis, cùm iratum aduerſario Iudicem facere vellet hæſitauerit, ob eam cauſam, quod neſciret quid eſſet Iracundia, feruórue mentis, aut cupiditas puniendi doloris, ait Tull. 1. de Orat. n. 220. tamen laboris & operæ pretium puto paucis aperire quomodo definiant atque partiantur hos animorum motus Philoſophi.

Multi diuerſa de concitationibus animorum ſcribunt; placet inter cœteros Chriſtianus Orator, qui lib. 6. de vero cultu cap. 17. Iuncto currui ſimilis facit, in quo moderando ſummum rectoris officium eſt, vt viam nouerit, quam ſi tenebit, licet quàm concitatè ierit, non offendet: ſin autem errauerit, licet placidè, ac leniter eat, aut per confragoſa vexabitur, aut per præcipitia labetur, aut certè, quò non opus eſt, defe-

Digitized by Google

retur. Sic curſus ille viæ, qui affectibus velut equis pernicibus ducitur, ſi rectam viam teneat fungitur officio. Metus igitur & cupiditas, ſi proiiciantur in terram vitia fient: virtutes autem, ſi ad diuina referantur.

Quam mentem, & doctrinam à Platone mutuatus videtur, qui rotas eſſe dixit quatuor, quibus animus noſter, quaſi currus, ab appetitu, velut equo pertractus, impellitur; cui ratio tanquam auriga doctus inſidet, ac nonnunquam inhibet, aliàs tranſuerſa, in deuia, ac ſpinas mordentes agitur.

Quod idem 6. de Rep. diuerſo licet genio repetit, cùm affectibus variorum animalium partes hominibus inditas aſſerit. Tenet enim fama Prometheum, cùm hominem fingeret, portiones captas ex ſingulis elementis, ſed & animalium motus, & mores eidem impreſſiſſe, videlicet timorem Lepôris, Vulpis calliditatem, Pauonis ambitionem, Tygridum feritatem, Leonum iracundiam. Quibus ſubſcribit Claudianus de 4. Conſulatu Honorij:

——*cùm conderet artus*
Noſtros, æthereis miſcens terrena Prometheus,
Diſtribuit partes animæ, ſedesque remouit.
Iram ſanguinei Regio ſub pectore cordis.
Protegit imbutam flammis, auidamq́ nocendi,
Præcipitemque ſui; rabie ſuccenſa tumeſcit:
Contrahitur tepefacta metu: cũque omnia ſecum
Duceret, & requiem membris veſana negaret,
Inuenit pulmonis opem, madidumque fluenti
Præbuit, vt tumidæ ruerent in mollia fibra.
At ſibi cuncta petens, nil collatura cupido,
In iecur & tractus imo compulſa receſſit.
Quæ velut immanes reſerat dùm bellua rictus,
Expleri paſcique nequit: nunc verbere curas
Torquet auaritiæ: ſtimulis nunc flagrat amorum:
Nunc gaudet; nũc mœſta manet; ſatiataq́ rurſus
Exoritur, cæſaque redit pollentius Hydra.

Zoroaſtres altæ mentis Philoſophus, illas alis comparauit. Omninò quaſi pennis aues, ita affectibus homines ad deſtinatos curſus rapiuntur: Et hos quidem alij velut egregios virtutum adminiſtros faciunt: alij abiecto rationis gubernaculo, eoſdem dominos impotentes, & crudeles experiuntur.

Verum ſublatis Peripateticorum ludicris, propriam motuum definitionem ex Ariſtotele repetamus, qui vel ipſorum hominum intimos ſenſus videtur penetraſſe, ſic igitur vniuerſim illos finit 2. Rhetor cap 1. ἔστι δὲ τά παθη, δι' ὅσα μεταβάλλοντες, διαφέρουσι πρὸς τὰς κρίσεις, οἷς ἕπεται λύπη καὶ ἡδονή Affectus illi ſunt, quorum vi ſic auditorum, animi voluntateſque mutantur, vt aliud quàm ante de rebus propoſitis, iudicium ferant: ex quibus ferè dolor & voluptas conſequuntur. Tullius agens pro Ligario ſic Cæſaris animum commouit, vt quam attulerat in Senatum ſententiam de morte contra Ligarium ſcriptam in ſcheda, commutauerit.

Alij clariorem hanc definitionem tradunt, vt magis Oratori conuenientem. Affectus eſt animi quidam impetus, quo ad appetendum, auerſandumque aliquid vehementius, quàm pro quieto mẽtis ſtatu, impellimur. *Probationes enim*, ait Fabius lib. 6. Inſtit. cap. 3 *efficiunt ſanè, vt cauſam noſtram meliorẽ eſſe iudices putent: affectus præſtant, vt etiam velint, ſed id quia volunt credunt quoque.* Nam cùm iraſci, fauere, odiſſe, miſeri cœperunt, agi iam rem ſuam exiſtimant. Et ſicut amantes de forma iudicare non poſſunt, quia ſenſum oculorum premit amor: ita omnem inquirendæ veritatis rationem iudex amittit occupatus affectibus, æſtu fertur, & velut rapido flumini obſequitur: Ita teſtes & argumenta quid egerint pronunciatio oſtendit: commotus autem ab Oratore Iudex quid ſentiat, ſedens adhuc, atque audiens confitetur. Quam ob rem homines aduerſus amicos noſtros, aut hoſtes in iudicio reiicimus, ne impulſi odio ſentiant contra nos. Atque vt eſt apud Plut. in rebus geſtis Philippi damnatus neſcio qui ſententia Philippi, qui dum cauſa ageretur, dormitabat, ab ipſo dormiente Philippo, ad excubantem prouocauit: ſic ab irato Iudice, ad eumdem pacatum, & ab inſano ad ſanum, qui ne tunc quidem in ſua cauſa Iudex eſt idoneus.

Secundùm alios, Affectus eſt animi ſentientis ex alicuius rei bonæ, vel malæ opinione nata commotio, vndè conſtat eius obiectum eſſe vel bonum, quod ſequimur, vel malum, quod fugimus.

IVN

Digitized by Google

PVNCTVM II.

Numerus Affectuum.

MEmini Platonem in Theæteo commemorare eas Affectiones, quæ nomen habent, multas eſſe, quæ nomine carent, infinitas. In Thimæo ſex referre, voluptatem, & dolorem tanquam principia, quibus accedunt metus & audacia, ſpes & ira: I. de legibus quemlibet noſtrum vnum eſſe, ſed duos habere conſiliarios, contrarios illos quidem, & amentes voluptatem & dolorem. Quarum cauſa faciamus omnia, vel ſequuti voluptatem, vel dolorem veriti.

Cenſent aliqui vnum eſſe dumtaxat affectum eumq; amorem, quod effici videtur poſſe ex illo Diui Auguſt. *Amor meus pondus meum* quaſi ſolo amoris nutu, ac pondere raperemur.

Qui meliori methodo diſtribuerunt, quatuor veluti fontes aperiunt Affectuum: circa bonum, ſpem & gaudium: circa malum, triſtitiam & metum. Quod ex mente Triſmegiſti Chriſtiani dictum eſt, qui I. de conſol. Phil. Metr. 7. ſic mentem ſuam aperit.

Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemq; fugato,
Nec dolor adſit.

Et: quemadmodum venti quatuor præcipui, Eurus ab ortu, Notus ab occaſu, Auſter à Meridie, Boreas à Septentrione perflant, Ita quatuor perturbationes eſſe voluerunt, Voluptatem, Dolorem, Spem, Timorem, quarum concitatione omnes in animo procellæ, tempeſtateſque oriantur.

Qui numerum Affectuum ex Philoſophiæ fontibus repetunt, duodecim illorum ſpecies aſſignant. Cùm enim duas potiſſimum facultates atque potentias, alteram θυμωδῆ, ἐπιθυμητικὴν alteram: & illam quidem Iræ, hanc Cupiditatis ſedem, ac domicilium, conſtituamus. Et iſta rurſus id quod ſimpliciter bonum eſt, tanquam proprium ac naturale obiectum aſpiciat: illa verò obiectum quod arduum eſt, atque difficile: malum autem graue, atrox, & acerbum contempletur, ex illis duabus potentiis ac veluti fontibus duodecim omninò perturbationes, ſex à cupiditate, ſex item ab ira proficiſcuntur, & emanant. Nam Cupiditas, vel naturali quodam motu inclinatur in bonum, vndè Amor: vel in illud vehementius fertur, ſi abſens, ex quo Deſiderium enaſcitur, vel in eo iam præſenti, iamque parto acquieſcit, vndè Gaudium oritur; quibus alij tres affectus opponuntur: vel enim eadem cupiditas auertitur à malo, & ſtatim Odium amori contrarium animum ſubintrat: quod malum ſi abſit grauius, deteſtatur, ac refugit, vndè Fuga: ſi præſens malum ſit dolore contrahitur vndè Triſtitia, vel Dolor erumpit.

Iraſcibilis appetitus bonum malúmue arduum, & difficile, intuetur: ſi contrà malum præſens malo conſurgit, impetu, cietur Ira ad illud depellendum, vel incitatiorem hunc impetum frenat, atque moderatur, ex quo Lenitas vel Manſuetudo: vel malum futurum aggreditur, ſi vinci putetur poſſe ex quo Audacia; ſin minus idem vehementius refugit, ex quo Timor. vel ad bonum futurum aſpirat, ac tendit, ſi conſequi ſe poſſe ſperat, vndè Spes: vel ab eodem excidit, ex quo Deſperatio.

Præter has animi perturbationes primarias numerantur & aliæ, ſed quæ ad ſuperiores facilè reuocari poſſunt. Nam Zelotypia, & Gratia Ad morem referuntur; AEmulatio ad Deſiderium: Miſericordia & Inuidia, ad Dolorem: Admiratio ad Lætitiam, Verecundia, ad Dolorem: Admiratio ad Lætitiam: Verecundia, & Reuerentia ad Timorem: Indignatio denique ad Iracundiam. Sunt igitur perturbationes XII. de quibus hic nobis eſt agendum.

PVNCTVM III.

Diuiſio.

QVam magis Oratorum propriam iudicamus motuum partitionem, ſequimur, cum eloquentiæ magiſtris, qui diuidunt illos in πάθη quos rectè dicimus Affectus, & ἤθη mores magè placidiores: & hi quidem lenes ſuauiter influunt: illi verò vehementes citato quo-

Digitized by Google

dam impetu vibrantur; hi dolorem moderatum imprimunt, mites atque compoſiti; illi velut iracundiæ ſatellites, & adminiſtri concitatius exiliunt, qui licet in timorem plerumque degenerent, & lenes ſecurius tractentur, tamen amplificationibus ſunt adhibendi; quia πάθος vehemens vt procella, incenſum vt fulmen, incitatum, vt torrens, cauſas eripit è manibus, & cùm rapidè fertur nullo modo ſuſtineri poteſt imperat.

ἦθος verò come, iucundum ad naturam, ad mores, & ad omnem vitæ conſuetudinem accommodatum: quare bonitate commendatur, vt potè ſonans quiddam mite, placidum, blandum, amabile & iucundum. Illud truculentũ & atrox, proindè minus diuturnum, vt magis violentum, & circa Odium, Iram, Metum, Inuidiam, Miſerationem totum penè verſatur: iſtud in Amore, Lætitia, placidioribusque affectibus occupatur: illud denique Tragœdiæ ſimilius claudit confirmationem iſtud Comœdiæ vicinius tota videtur Oratione ſpargendum vincit.

Non omittimus tamen admonere per hanc vocem ἤθη apud Rhetores & Poëtas præcipuè ſignificari morum imitationem, vndè & Etho pœiæ nomen acceperunt. Duobus enim modis affectus tractari poſſunt, & incendi Auditorum animi: vel cùm ea capita quærimus, quæ motum animo poſſunt imprimere, atque id veluti præ nobis ferimus: aliàs dùm id minus facere videmur, ſed tamen velut per cuniculos agimus, dùm Orationem irati, metuentis, amantis, cupientis imitamur: verba, cogitationes, preces, vota, querelas, deſideria, contentiones, pro natura cuiuſque affectus, perſonæ, vel rei, vel quempiam euſmodi motu concitatum deſcribimus, & quæ fecerit, dixeritue, ſic exponimus, vt affectus ab audiente induatur. Sentio enim mihi lacrymas exprimi, non ſolùm cùm argumenta dolendi proponit aliquis, & attollit Orationem, ſed etiam cùm alium tali affectu permotum repræſentat.

Sic lugeo cum Didonis miſerabile fatum
lego, dùm Vlyſſis labores, & id
genus alia, audio.

* * *

PVNCTVM IV.

Qua ratione Orator premouere poſſit.

SIt hæc prima, neceſſariam eſſe morum probitatem, aut innocentis vitæ exiſtimationem ad bonos motus in pectoribus hominum, excitandos. Quis enim ſe permittat iis, quos ſceleribus inquinatos videt? quid commodè cum aliis gerat, qui ſeipſum regere non poteſt? quis ait Ambroſius è cœno fontem? quis ab aqua turbida potum petat? quis vtilem alienæ cauſæ iudicet, quem videt inutilem vitæ ſuæ? ſine hac virtutis commendatione, hiſtrionem aget, non Oratorem. 2. Offic. cap. 2.

II. Conditionem, & Orationem dicentis eſſe tàm potens animorum incitamentum, vt & illi plurimùm faueat ætatis cana maturitas, cui honor, & imperium ipſius naturæ calculo videtur attributum.

III. Eadem pertubatione incitatum eſſe debere eum, quam parat in altero mouere. Quòd omnis commotio vi quadam incitet animum; quòd à ſimili procreetur ſimile; ſic vehemens in Oratore motus numquam frigus in animis Auditorum pariet; frigus item dicentis, Auditorem nunquam inflammabit. Non ſolùm igitur ſublimem & incitatam oportet eſſe Orationem, ſed etiam enitendum, vt eos in ſe motus Orator ſentiat, quos aliis imprimere volet. *Neque fieri poteſt*, affirmat Tull. 2. de Orat. n. 189. *vt doleat is qui audit, vt oderit, vt inuideat, vt pertimeſcat aliquid, vt ad fletum miſericordiamq; deducatur, niſi omnes ij motus, quos, Orator adhiberi volet iudicio, in ipſo Oratore impreſſi eſſe, atque inuſti videbuntur.* Vt enim nulla materies eſt tàm facilis ad exardeſcendum, quæ niſi admoto igni, ignem concipere poſſit: ſic nulla mens eſt, tàm ad comprehendendam vim Oratoris parata, quæ poſſit incendi, niſi inflammatus ipſe ad eam, & ardens acceſſerit. Totum hoc negotium verbo concludit Senec. epiſt. 98. *A faciente diſcendum, quid faciendum ſit.*

Quod

Digitized by Google

Quod vt Orator euincat, non agere debet quaſi rem alienam,ſed aſſumere parumper illum dolorem hiſtrionis inſtar,aut Roſcij,qui cùm ex aliquo grauiore actu perſonam depoſuit, flens adhuc egreditur. Animus igitur velut à ſenſibus erit auocandus, rerumque abſentium imagines ita repræſentandæ,vt eas cernere oculis, ac præſentes habere videamur.Hominem queror occiſum, tùm omnia quæ in te accidiſſe veriſimile erit,in oculis habenda ſunt:percuſſor ille, atque ſicarius ardens, & totus ignis erumpet ſubitò, expaueſcet circumuentus:expalleſcet deprehenſus,exclamabit anxius, rogabit ſupplex, fugiet concidet,expirabit.

Hac in parte memoria dignum quod Agellius lib.7.cap.7.Polum hiſtrionem Athenis aliquando feciſſe,memorat,qui Electrã Sophoclis acturus in theatro,parentis afflictæ lugubrem habitum induit, è ſepulchro filij nuper extincti tulit oſſa,vrnam ac cineres amplexatus, omnia veris, non coactis, & fictitiis, ſed ſpirantibus lacrymis, ſic impleuit,vt ex fabula, verus dolor eruperit.

PVNCTVM V.

De perſonis quæ mouendæ ſunt.

MAximi facit Orator naturam, & dignitatem eorum perſpectam habere, quibus motum aliquem perturbationis imprimere voluerit:intereſt enim multum noſſe quos ad motus facilem difficilemque naturam quiſque habeat. Vix idea & cogitatione comprehendas, quanta ſit animorum diſſimilitudo. Aliorum ſic natura languet, vt ad commiſerationem molliſſimi ſint, ad iracundiam frigidiſſimi. Hic quid æſtus faciat?

Alios iracundia ſic efferat,vt è caute lacrimas facilius,quàm ex eorum oculis elicias.Quid proderit fletus lugubris Oratoris?

Quibuſdam ex educatione miſera tanti ſtupor acceſſit, vt ad omnem animi ſenſum videantur obduruiſſe. Quid hic adferat motus?

Quoſdam arctior contemplatio naturæ, aut voluntario iudicio ſuſcepta vitæ ſeueritas, auſteriorque diſciplina ſic obfirmat, vt teneriores animi motus,vel leuiſſimo ſenſu pudeat experiri Ad Areopagum remittendi.

Itaque quàm difficile ſigillatim omnia perſequi,quæ in eam rem dici poſſunt, tàm neceſſarium arbitramur hanc infinitam varietatem ad aliquot fontes, & ſumma veluti genera reuocare. Ac primùm ille regionum ſpiritus animalis, magnam pro ſua verietate morum,& ſtudiorum in animis diſſimilitudinem ingenerat. Vt enim in plantis,ac metallis : ſic in moribus humanis euenit,vt multiplices habitus, patrijque ſoli cupiditates ſequantur. Sunt populorum, ſexuũm, ætatum, conditionumque varij motus, & affectiones : Ambitioſos ſplendida magis afficient: capientur graues eruditis,ac ſeriis rebus : pueri, & adoleſcentes lætis,atque hilaribus : mulieres exemplis,& hiſtoriolis.

Francorum Indoles.

Gallorum natura candida,& aperta, niſi vitiis,& virtutibus perſonam imponere diſcat.

Amor natalis ſoli excelſiſſimus, cuius abſentiam ferre diutius non poſſunt, niſi quos anguſta fortuna ſæuaque neceſſitas, ſuſtentandæ vitæ curis ſic implicat,vt aliorum ſtudiorum obliuiſcantur.

Humanitas in externos tàm propenſa, vt neminem,quem virtus commendauit,peregrinum, aut hoſpitem putet.

Libertatis tenax, inimica faſtus,quæ ſi dominatum ames,ſeruitutem erubeſcat.

Comitas, ſuauitaſque morum in familiari conſuetudine temperiem aëris, & ſerenitatem imitamur : mihi cultius vſquam,nihil ad amœniores, vrbanitatis lautitias exquiſitum magis, in geſtu, cultuque corporis, in habitu oris intrepidi, in facetiis, & hilari iocandi facultate: niſi quandoque iuuenes improuido quodam impetu, atque incauto, nouaque libertate iocandi notos, ignotoſque laceſſerent. Ad hæc inconſulti riſus, oſtentatio inepta, libidinum affectata ſecuritas,vis denique inter ſe irrequietaper varios, & multiplicis tumultus erumpens,

Digitized by Google

Nullum amant ſtudium ardentius, quàm honoris, & gloriæ. teſtis illa felicitas ingeniorum, quæcumque ſtudia capeſſere velint, & generoſus impetus animorum, quorum vim in armorum conflictu, non ſecus ac fulmen aliquod nationes exteræ pertimeſcant.

Nihil luctuoſius quàm quod inter patriæ viſcera tantus nobilium in tuenda fama, vel fundédo ſanguine bacchatur furor, vt leuiſſimis iurgijs, ioco nonunquam innocenti, ſæpè etiam vaniſſima captandæ famæ cupiditate, vſque ad funeſtas familiarum clades, & orbitates accendantur.

Hiſpanorum Indoles.

Natura varietatis amans Gallis oppoſitam eſſe voluit Hiſpanorum Indolem. Illis læta quædam hilaritas melioris impetus ſanguinis diffunditur, non magis ad candorem morum, quàm ad vitæ iucunditatem, & ſuauiſſimi congreſſus delicias. Iſtis aduſtus ſanguis ad ſubtilitatis acuit ingenium, erudit ad tegenda conſilia, ad patientiam indurat, ad grauitatem tollit, & ad auſteritatem componit. Hinc illa pompa verborũ, magnifica eorum facinorum prædicatio, quã ne paupertas quidem, aut generis obſcuritas deprimat. Profunda ſunt illorum ingenia, nata ad contemplationem rerum diuinarum, & humanarum: ſed tamen apud eos humaniorum pretia litterarum; non aliam opinior ob cauſam, quàm quia carent eá ingenij amœnitate, qua politioris litteraturæ cultus effloreſcit. In illis eſt incredibilis patientia militaris diſciplinæ, vigiliarum, inediæ, famis: mirabilis eorumdem in ſuſceptis conſiliis conſtantia, armorum peritia, ſeruitutis odium, imperandi cupiditas.

Germanorum Indoles.

Candida Germanorum indoles, facilis ad imperantium nutum & obſequium, in litteris capeſſẽdis laborioſiſſima, ſiquidem improbo labori reſponderet ingenij felicitas. Auida peregrinandi gens, & morum externorum, dùm ſe recipit ſimulatrix, ac retinens. Ignota ferè apud eos perfidia: ignota plerumque libido, ignota ſcelerum immanitas, magna fides, candor & verecundia, etiam in viris; pacem & arma colere ex æquo norunt; vix ad tumultus concitantur, ſed commotos ſemel longa tempeſtas exercet. Illic ingenioſiſſima manus artificum metalla per ſubtiliſſimum artificium ducentium, argumento eſt TYPOGRAPHIA, quam, vt & nitrati pulueris inuentum Germaniæ debent vniuerſi.

Italorum Indoles.

Italorum altæ, & ad gubernationem validæ mentes, ad omnem fortunam idoneæ, rerum omnium capaces, mirifica induſtria, laboris patiens, facileque ſe, vti ſpes occurrit lucri, ad humillima demittens artificio potius, quàm natura, aſtu, quàm imperio viuunt, ſeu vitia, ſeu virtutes ſequantur. Suſpicioſi ſunt vt qui maximè: atque vt ipſi nihil temerè, ſine conſilio nihil moliuntur, ita ex ſuo more alios æſtimare ſolent, obſeruant nutus oculorum, verborum apices examinant, geſtuſque corporis & ſtudiorum indè opinionem diligentiſſimè colligunt. Faciles ſunt ad offenſionem, difficiles ad iniuriarum obliuionem, tecti ad vindictam, quam vt perſequantur plerique ſub ſpecie amicitiæ perpetuum odium exercent:

Regionum ſtatus, & Rerumpub. mores.

Non minoris eſt momenti animaduertere ſedulò, quis in quibuſque Regionibus ſtatus, & ratio gubernationis obtineat, vt ad Rerumpubl. mores ſuam Orationem vir eloquens accommodet. Quatuor ſunt præcipua genera publicæ rei gubernandæ. Monarchia dùm ad vnum pertinet ſumma Imperij. Democratia, ſeu ſtatus popularis, in quo ſorte Magiſtratus diuiduntur. Oligarchia, vbi paucorum eſt ex cenſu dominatus. Denique Ariſtocratia ſiue Optimatum ditio, in qua Magiſtratus non ex cenſu, aut ſorte, ſed ex dignitate datur. Conſtat ſingulis varios fines eſſe propoſitos quorum diſcrimen, non ab ſimilem morum varietatem inducit. Finis enim Democratiæ Libertas: Oligarchiæ, paucorum diuitiæ: Ariſtocratia autem ea ſpectat, quæ ad diſciplinam, & honeſta inſtituta pertinent:

Digitized by Google

pertinent: Finis denique regni, Regis ipſius eſt Maieſtas, atque cuſtodia, ob publicum ciuium amorem, & vtilitatem.

In eodem Reip. ſtatu ſpectandæ ſunt temporis, & rerum inclinationes, quæ quantum affectus mutent, probat vſus & experientia ſæculorum exemplis confirmata. Nam aliter inter bellicos tumultus affecti ſunt homines, ac dum in ipſo ſinu & gremio pacis conquieſcunt. Alios motus, & animorum ſpecies concipiunt, dùm duriori premuntur imperio: alios cúm imperantium indulgentia parendi in ſubditis mitigatur obſequium.

Ætatis cuiuſque mores. Iuuentutis.

Iam ſi ad varias hominum ætates deſcendas, quantam in illis diſſimilitudinem morum reperies? magna vis cupiditatis in Iuuentute, magnus æſtus, præcipuè circa voluptates corporis mutabiles, ac faſtidioſas: ægrotantium hæc fames ac ſitis, quæ quàm celeriter accenditur, tàm facilè ſatietate, faſtidioque adhæreſcit.

In hac ætate dominatur Iracundia, quòd honoris ſtudio elati Iuuenes iniuriam ferre nullam queant, quò fit vt facilè, dùm læduntur, excandeſcant, impetuque ſanguinis ebullientis ad vltionem rapiantur.

Victoriam, quia blanditur animis, opinione excellentiæ mirificè diligunt, pecuniam verò contemnunt, quia egeſtatem, & inopiam, vndè illius pretium ducitur, nondum experti ſunt.

Creduli quia nondum decepti, omnia in melius interpretantur, quia mala vitiaque plerumque ignorant.

Spe atque expectatione rerum magnarum ſe ſuſtentant, adeoque idoneos ſe præbent, qui decipiantur, vt illecti magnificentia ſuæ ſpei in fraudes adducantur.

Iuuenes honeſtate potiùs, quàm vtilitate ducuntur; hinc eſt quod amicitias ſanctius colant, & iucundius, quòd liberaliores, quòd verecundiores eſſe ſoleant.

Iuuenes fortem gerunt, ac virilem animum, adeoque generoſi ſunt, & magnanimi; tùm quia ſpe plurimum pollent, tùm quia vehementes habent ad iram impetus: Quorum alterum timorem adimit; alterum confidentiam auget: facit iracundia ne quid timeant, ſpes vt ſibi præfidant, maximiſque ſe rebus, quod eſt magnanimitatis, dignos arbitrentur.

Iuuenes quia cæteros innocentia ſua metiuntur alienæ calamitatis ſenſu facilè flectuntur ad miſericordiam, rati: quorum miſerentur, innocentiam meliori fortuna dignam eſſe.

Iuuenes facili ſunt, proni ad iocos, & ſales, in quibus eſt erudita contumelia: iniurias porrò cùm inferunt, non tàm aſtu malitiæ, quàm contumeliæ ſtudio rapiuntur.

Senectutis mores.

Huic ætati ſeſe debilis Senectus opponit, cuius proindè mores facilè ex iis, quæ de Iuuentute dicta ſunt, interpretari licet. Itaque in ſenibus refrigeſcente ſanguine cupiditates quidem deferueſcunt calore iuuentutis accenſæ, ſed in emortuis veluti cineribus voluptatum mirum quanta lucri auiditas recaleſcat.

Neque verò penitus illi quidem oppreſſas habent iracundiæ flammas, vt non efferant ſeſe facillimè, ſed ita debilitatas, vt imbecilliter ardeant. Vires enim ſenſim cum vita expirant, cuius quidem idcirco retinentiſſimi ſunt, nec facilè quemquam, ſi naturam conſulas, cupidiorem vitæ reperias, quam ſenem: adeò vt inſatiabilis amor vitæ, quem ipſe fugientis lapſus acuit, egeſtate vehementer, vti ſolet, cupiditatem inflammante.

Inclinante iam ætate ſuſpicioſi fiunt homines, quia increduli: increduli, quia periti: timidi item quia frigidi, & ideò malæ ſpei, quia timidi: puſillanimi verò, quia debiles; idcirco queruli, & riſus, ac iocorum inimici: prudentes quidem, ſed minus fortes: prouidi, ſed illiberales; temperantes, ſed remiſſi: loquaces, quia præteritarum rerum, quarum memoria viuunt, recordatio, plurimum habet voluptatis.

Virilis ætatis mores.

Media duas inter iſtas ætates virilis ætas intercedit, ac proindè ex vtriſque temperata; habet

Digitized by Google

bet enim moderatas cupiditates, nec incitatas nimium, nec languentes: quorum vitium alterum eſt Iuuentutis, Senectutis alterum: Non terretur immodico metu, non effertur vehementius æſtu præfidentis audaciæ, lucri ſtudium, honoris cupiditate temperat. Denique ſi iuuenilis pariter, ac ſenilis ætatis vitia remoueas, laudes, virtuteſque coniungas, conſummatam virorum ætatem conflaueris.

Circumſtantiarum Contemplatio.

Atque hos quidem motus variæ ætates hominum progenerant, ſi natura nullis aduentijs, vel externis viribus corrupta, vel emendata, ſeſe totam exerat. Verùm non leuiter aberraret ſi quis iuuentum, aut virorum mores, ſenumque, cùm metiri vellet, aliud ab ætate ſpectaret nihil Etenim præter eos fontes variorum affectuum, quos aperuimus, adhibenda eſt diligens contemplatio fortunæ, educationis, vſus, imò & temporis ipſius, atque adeò valetudinis. Quis enim neſcit pauperum mores, ac diuitum, tamen ſi ætas eadem ſit, longiſſimè inter ſe diſcrepare? Imò vt eadem ſit, non modò ætas, ſed & fortuna, quantum mutationis in ſtudiis, & amoribus facit, vel cœli temperies, vel honeſtæ, aut prauæ diſciplina educationis, vel affecta valetudo aliter, atque aliter? Imò quod mirabile eſt, ipſa conſtitutio aëris, ac tempeſtatum natura.

Ex quo intelligis quanta ſagacitate pollere debeat Orator, quàm non leuiter eſſe Philoſophiæ moralis, ac naturalis, aliarumque artium fontibus aſperſus, vt tantum rerum varietatem quas vel ſigilatim internoſcere difficilimum eſt, coniungat, implicit, interſeque connectat, vt earum rerum omnium intelligentia, velut face quadam prælucente deſcendat in intimos Auditoris affectus, atque eius mentem penitus introſpiciat. Hæc fuit mens, hoc ſtudium, & induſtria, Ciceronis, qui 2. de Orat. num. 186. ſic de ſe loquitur. *Equidem cùm agredior ancipitem cauſam & grauem ad animos iudicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione, curaque verſor, vt odorer quàm ſagaciſſimè poſſim, quid ſentiant, qui exiſtiment, quid velint, quò deduci facillimè poſſe videantur.*

PVNCTVM VI.

Fontes communes diuerſorum affectuum.

PRimum petitur ex habitu, & oris forma, valetque ad omnes penè affectus, qualis eſt ille motos commiſerationis apud Virgil. 10 Æneid. Vbi triumphat magni ducis Æneæ pietas Lauſum morientem deflentis

At verò vt vultum vidit morientis, & ora
Ora modis Anchiſiades pallentia miris
Ingemuit miſerans grauiter, dextrâque tetēdit?
Et mentem patriæ ſubijt pietatis imago.

Cuius loci vſus in eo poſitus eſt vt diligenter inueſtiges, quis ſit habitus oris, & corporis. Motum affert irati hominis: Erit armata ferro manus, micantes oculi, ſupercilium minans. Miſericordiam conciliat? pallidum os, vultus pendens ac demiſſus, facies confecta macie. Scilicet omnes perturbationes ex effectis cognoſcuntur, quæ relinquuntur in corpore, & naſcuntur è cauſis, quæ quidem maximè, in hominis vultu eminent.

II. Locus ducitur ex moribus, & ſtudiis, quorum varietas, varios motus creat, ſic à ſtudio virtutis miſerationem mouet. Poëta 2. Æn. Apoſtrophe plena conqueſtionis, quâ excitatur Miſericordia in Troianos, Odium in Græcos. Indignatio in Deos,

Ilicet obruimur numero: primuſque Chorebus
Penelei dextrâ Diuæ armipotentis ad aram,
Procumbit: cadit & Riphens iuſtiſſimus vnus
Qui fuit in Teucris, & ſeruantiſſimus æqui.

Contra verò moueri ſolemus Inuidiâ, & indignatione ſi quid improbis fœliciter cedat.

III. A fortuna, qui locus aptiſſimus eſt ad iracundiam. Eſt illa Didonis in Æneam plena contumeliarum Oratio, plena querelarum, furoris, indignationis, & amentiæ 4.

Terque quaterque manu pectus percuſſa decorum,
Flauenteſque abciſſa comas, prô Iupiter, ibit
Hic ait, & noſtris illuſerit aduena regnis?
Non arma expediēt, totaque ex vrbe ſequētur

Diri-

Digitized by Google

Diripienſque rates alii naualibu ? Ite
Ferte citi ferrum, date vela, impellite remos.

Et 7. Æn. Indignationis.

Exulibuſne datur ducenda Lauinia coniux?

Valet ad obtrectationem. Tam glorioſam Italis, quam Troianis contumelioſam habet Orationem Numanus apud Virg. 9. Æn. quâ notat iſtorum ignauiam, dùm illorum virtutem prædicat:

Non pudet obſidione iterum valloque teneri,
Bis capti Phryges, & morti prætendere muros?
En qui noſtra ſibi bello connubia poſcunt?
Quis Deus Italiam, quæ vos dementia adegit?

IV. Ab ætate, hinc acerbæ commiſerationis & luctus doloris indices ſuper Marcellum prius extinctum quàm poſſet virtutum flores, ac fructus ſperatos edere. 6. Æn.

Heu miſerande puer, ſi qua fata aſpera rumpas,
Tu Marcellus eris, manibus date lilia plenis
Purpureos ſpargam flores, animamque nepotis
His ſaltem accumulem donis, & fungar inani
Munere.

Senilis etiam ætas per ſe miſerationem mouet, indignationem, iram & contemptum; quis enim non indignetur, ſi videat ſenem iuueniliter exultantem?

V. A patria, facibus iracundiæ æſtuans Æneas Helenam interficere meditatur, quæ Palladis ad aras, vt ad Aſylum confugerat. 2. Æn.

Exarſere ignes animo, ſubit ira cadentem
Vlciſci patriam, & ſceleratas ſumere pœnas.

VI. Ab imbecillitate ſexus, hinc pudor ſæpius, & verecundia enaſcitur. totus ad pudorem iniiciendum compoſitus eſt Tarchontis ſermo, res Æneæ perditas refice cogitantis, & Tyrrhenos ſuos ad bellum contra Camillam acuentis. 11. Æn.

Fœmina palantes agit, atque hæc agmina vertit?
Quò ferrũ, quidue hæc gerimus tela irrita dextris?
At non in Venerem ſegnes, nocturnaque bella,
Aut, vbi curua choros induxit tibia Bacchi,
Expectare dapes, & plena pocula menſæ.

VII. A communione ſanguinis, & affinitate Parentum, Coniugum, liberorum, Amicorum; nam timoris iſtud eſt. 2. Æn. Qui vir fortis & intrepidus fuerat Æneas inter denſos armorum globos, & conſertas acies, fumanteſque faces, & ferrum, iam vir pius horret, tremitque dùm ſubit recordatio calamitatis, quæ vt Priamo, ſic Anchiſæ patri contingere potuit:

—Et me quem dudùm non vlla iniecta mouebant
Tela, neque aduerſo glomerati ex agmine Graij.
Nunc omnes terrent auræ, ſonus excitat omnis
Suſpenſũ, & pariter comitique onerique timentem.

Illud verò ſtuporis, ibidem, de morte Priami:

Obſtupui: ſubiit cari genitoris imago,
Vt Regem æquæuum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem.

VIII. A loco excitatur Commiſeratio. Sic pius Æneas amicum deflet nudum, in arena ſepultum & indefletum in ignota terra iacere. 5 Æneid.

O nimium Cœlo, & Pelago confiſe ſereno,
Nudus in ignota Palinure iacebis arena!

Tùm Indignatio ſequitur ad viſa Hectoris ſpolia ad viſos currus, quibus miſerandum in modum raptatus eſt, ad viſum Priamum ſupplices manus tendentem coram Achille. 1. Æneid.

Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tùm verò ingentem gemitum dat pectore ab imo
Vt ſpolia, vt currus, vt que ipſum corpus amici
Tendentẽque manus Priamum conſpexit inermes.

Subit Æmulatio, & inuidia:

Fortunate ſenex hæc inter flumina nota.

Quid religio loci, ſi ſacer eſt, quàm multos parit affectus?

IX. A tempore cuius diuturnitas ſpectari debet, aut breuitas, aut commoditas, vel quæ abeſt, vel quæ contemnitur; Item religio cui tempus aliquod deſtinatur.

X. A cauſis cur aliquid factum ſit, aut toleratum: parit enim amorem pro patria fortiter oppetita mors; indignationem communis clades occidentis imperij ob vnius hominis auaritiam. Et quidem validiſſimus eſt motus, qui ex cauſis eiuſmodi concitatur

XI. A modo quo res aliqua fit aut geritur, vt putà cùm deſcribitur genus mortis, aut inſtrumenta ſuppliciorum, ad aggerandum crudelitatis odium, quare eſt illud non minus Oratoris quàm Poëtæ. Virgil. Mezentij ſæuitiam

ſubijcit in odium miſeros diros complexu non ad tolantium, ſed ad longum dolorem cruciantis. 8. Æn.

Quid memorem infandas cædes, quid facta tyranni
Efferа? Di capiti ipſius,generique reſeruent.
Mortua quin etiam iungebat corpora viuis
Cōponens manibusque manus,atque oribus ora,
Tormenti genus & ſanie, taboque fluentes
Complexu in miſero : longâ ſic morte necabat.

XII. Ab imagine, cùm quis ſibi fingit amici vultum abſentis, aut demortui filij, quod plurimum valet ad dolorem, vel aliqua eiuſmodi ſpectra, & monſtra deſcribit, quæ per ſe terrorem ingenerant. Martial. in Zoilum lib. 12. 38.

Crine ruber,niger ore, breuis pede,lumine læſus;
Rem magnam præſtas Zoile ſi bonus es.

Sic Vatinium Velleius lib. 1. cap. 7. depingit, in quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenij, adeóut animus eius digniſſimo domicilio incluſus videretur.

XIII. A ſimilitudinibus rerum naturalium, quæ plurimum valent ad effectus Commiſerationis qualis eſt illa Virgilij de morte adoleſcentis Euryali 9 Æn. à flore ſucciſo.

Voluitur Euryalus Letho,pulchroſque per artus
It cruor,inque humeros ceruix collapſa recumbit:
Purpureus veluti cùm flos ſucciſus aratro
Langueſcit moriens,laſſóue papauera collo
Demiſere caput, pluuiâ cùm forte grauantur.

PVNCTVM VI.

Commutandorum motuum methodus.

MIrum quantum intereſt vt probè temperentur affectus. Nam quemadmodum nolim eſſe, vt plurimùm nimios motus, acres & vehementes, niſi ſi poſcere cauſa neceſſariò videbitur: Ita neque diſcedi ſtatim à motu nolim, ſed verſari in omnes partes affectum in aduerſarium. Neque eſt vlla temperatior illa, in qua Orationis aſperitas humanitate conditur, remiſſior grauitate, & contentione firmatur: cuius rei cauſa, cùm partim copulata eſt, tùm etiam in eo, quod non eadem indoles omnium eſt, ſed vt in conuiuio alios acres cibi iuuant, alij ſuauibus delectantur: ita quiſque ad affectum quemque pronior. Alius ab ira facilius aufertur, quoniam naturâ iracundus, alius aduerſus miſericordiam infirmior; quoſdam Inuidia torquet, alios facilius metu concuſſeris, quia Formidoloſi; temperandis & ſuauibus acres, acribus moderatos, & Iræ miſerationem, miſericordiæ Amorem, aliùmue affectum ſubiicies. Quarum omnium clara ſunt & obuia Cicer. exempla. 1. in Verr. dùm nefarij facinus Siculum hominem in crucem agentis, amplificat. Et quia res videbatur eiuſmodi, quæ benè continuum ardorem depoſceret, affectus tamen identidem mutatos obſeruare licet.

Commiſerationem mouet, num. 161. *Cædebatur virgis in medio foro Meſſalæ ciuis Rom. Iud. cùm interea nullus gemitus,nulla vox alia iſtius miſeri, inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur,niſi hæc :* CIVIS ROMANVS SVM.

Indignationem ſubijcit illa graui exclamatione. *O nomen dulce Libertatis! ô ius eximium noſtræ Ciuitatis! ô lex Porcia! legeſque Semproniæ! ô grauiter deſiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ Tribunitia poteſtas! Huccine tandem omnia reciderunt?*

Tùm eidem concitat Inuidiam num. 66. *Homines tenues,obſcuro loco nati nauigant, adeunt ad ea loca,quæ nunquam antea viderant.*

Iram accendit num. 168. *Sed quid ego plura de Gauio,quaſi tu Gauio tùm fueris infeſtus, ac non nomini, generi iuri ciuium hoſtis?*

In Flacci defenſione concitat Inuidiam, num. 94. *Quid ego de Epiſtolis Falſidij, aut Deciani ſenſu tam diu diſputo? de ſalute omnium noſtrum, de fortunis Ciuitatis, de ſumma Reip.*

Metum, num. 99. *Cùm tabella vobis dabitur Iud. non de Flacco dabitur, dabitur de Iudicibus, au-ctoribuſque conſeruandæ Ciuitatis, dabitur de omnibus bonis Ciuibus, dabitur de vobiſmetipſis, dabitur de liberis veſtris, de vita de patria, de ſalute communi. Non iudicatis hac in cauſa de exteris nationibus, non de ſociis, de vobis ac veſtra Rep. iudicatis.*

Commiſerationem, num. 202. *O nox illa, quæ penè æternas huic vrbi tenebras attuliſti, cùm Galli ad bellum, Catilina ob vrbem coniurati adferrum, & flam-*

flammam vocabantur. Cùm ego te Flacce cœlum, noctemq; conteſtans flens flentem obteſtabar, cùm tuæ fidei optimæ & ſpectatiſſimæ ſalutem vrbis, & ciuium commendabam. Tu, tu Flacce per tot communis exitij nũtios cepiſti. tu incluſam in litteris Reip. peſtem deprehendiſti, tu periculorum indicia, tu ſalutis auxilia ad me, & ad Senatum attuliſti. Quis tibi quemquam bonum putaret vnquam non ſalutem, verum honorem denegaturum.

Inuidiam & Miſerationem ſimul, 104, *Flaccum quidem Iud. ſi, quod omen Dij auertant, grauis iniuria afflixerit, nunquam tamen proſpexiſſe veſtræ ſaluti, conſuluiſſe vobis, liberis, coniugibus, fortu is veſtris pœnitebit ſemper ita ſentiet, talem ſe animum & nominis dignitatem, & dignitati ſuæ, & patriæ debuiſſe.*

Eandem motuum varietatem obſeruat in Muren. & Milon, Iram, n.90. Miſericordiam, 93. Indignationem, Iram, & Miſerationem permixtas, n.104.

Hac in re triumphat vbique Viirgil. 4. ſubirata Dido exorditur à grauiſſima exprobratione,

Nec tibi Diua parẽs generis nec Dardanus auctor
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hircanaq; admorunt vbera Tygres;
Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?
Num lacrymas victus dedit, aut miſeratus amantem eſt?

Excipit eiuſmodi motum Deſperatio:

His medium dictis ſermonem abrumpit, & auras
Ægra fugit, ſeq; ex oculis auertit, & anfert.
Linquens multa metu cunctantem, & multa parantem,
Dicere, ſuſcipiunt famulæ, collapſaq; membra.
Marmoreo referunt thalamo, ſtratiſq; reponunt.

Poſtmodum conciliatur amor in Reginæ, ad Annam Oratione.

Anna vides toto properari littore circum,
Vndiq; conuenêre, vocat iam carbaſus auras
Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas
I ſoror, atque hoſtem ſupplex affare ſuperbum.

Poſt aliqua miſericordiam mouet:

En quid ago? rurſuſne procos irriſa priores
Experiar? Nomadumq; petã connubia ſupplex?

Deinde flammas Iracundiæ concipit:

Terq; quaterq; manu pectus percuſſa ſuperbum,
Flauenteſq; abciſſa comas proh Iupiter ibit
Hic ait, & noſtris illuſerit aduena regnis?

Succedit Imprecatio grauior:

At bello andacis populi vexatus, & armis
Finibus extorris, complexu auulſus Iuli
Auxilium imploret videatq; indigna ſuorum,
Funera, nec cùm ſe ſub leges pacis iniquæ
Tradiderit regno, aut optata luce fruatur,
Sed cadat ante diem, mediaq; inhumatus arena.

Tantùm valet ad permouendos audientium animos variorum affectuum iterata ſæpè mutatio.

Digitized by Google

DE SINGVLIS AFFECTIBVS.

PROOEMIVM.

QVONIAM, vti diximus, duo ſunt primarij fontes è quibus omnes animi perturbationes manant, pro eo ac boni, vel mali imago aliter atque aliter offertur ad appetitum, tractanda ſunt ea primò quæ ad concupiſcibilem ſpectant, cui bonum & malum obijcitur, vel quatenus præſens eſt, aut abſens. Sex autem numeramus Amorem, Odium, Deſiderium, Fugam, Gaudium, poſtremò Lætitiam.

LECTIO I.

De Amore.

VT primus inter affectus eſt Amor, & motuum princeps, ita de illo primùm agendum eſt, diuino ſuauiter impellente ſpiritu, qui plectra Poëtarum aptè temperat, & docte parat Oratores ad Eloquentiam: in quo ſicut in reliquis animi commotionibus tria tractanda nobis erunt: vnum quibus modis excitetur Affectus alterum quibus reprimatur: tertium quibus notis deſcribatur quod eſt proprium Poëtarum.

LECTIO I.

Diuiſio Definitio.

AMorem eſſe multiplicem notum eſt. Naturalis eſt rerum ſenſu carentium ad abſolutam ſui perfectionem decurſus atque propenſio, lapidis eſt ferri deorſum, ignis ſurſum: ferrum magnes amat, electram palea, ſic deinceps in rebus, in quibus ſympathiam videas. Claudianus:

Et lapides ſuus ardor agit, ferrumq; tenetur
Illecebris, rigido regnant in marmore flammæ.

Animantium Amor ſatis patet:

—— Genus in terris hominumq; ferarumq;
Et genus æquoreum pecudes pictaq; volucres
In furias ignemque ruunt.

Ad hanc rem pulchrè Philoſophus, Natura Amore conſiſtit. Elementa licet æmulis ferantur incurſibus, ſe diligunt. Ne noceant ſibi recedunt in remota, vt occaſionem rixæ diuitent, malunt loco cedere, fugere, quàm vincere, ne repugnent. Ignis omnium acerrimus vltrò ne pugnet, exulat, fugit ferè noſtrum orbem ne vicina vi lædat, ſed remota foueat. Terra humillimo libenter gaudet loco, vt imperturbatum æthera relinquat. Aqua gratiſſime decedit & ſidet, vt terram conſpicuam cœlo liberet ignem ſecurum. Ipſa natura dulci omnia copulauit amplexu: nectit imprimis elementa amica qualitate,

Digitized by Google

litate, ſtellarum cohærens in cœlo, volucrum examine in æthere, armenta boum in pratis, greges pecudum in montibus, cateruas ceruorum in nemoribus, turmas ferarum in ſyluis amatorius quidam ſpiritus cogit.

Amor rationis, humanæ mentis ſeu voluntatis eſt in rem bonam, quatenus bonam, propenſio; vt cùm quis amore virtutis ducitur, aut ſcientiarum.

Amor amicitiæ qui vocatur, mutuus eſt, neque tàm perturbatio dici debet, quàm virtus, quæ vt habet eximia commoda, eaque plurima, ſic rara eſt admodum, inuentuque difficilis: quòd ad ſtabiliendam veram amicitiam requirantur homines numeris omnibus abſolutiſſimi, ſcilicet conſtantes, candidi, ſimplices, immunes ab ſuſpicionibus, prudentes, expertes iracundiæ, & reliquarum animi peſtium; quare permirum eſt Thebanos, vt refert Athenæus integram amantium cohortem reperire potuiſſe, quam ſacram appellabant: Amoris huius vtilitatem viderunt Spartani, qui ante pugnam Amori, quòd in eo plurimum repoſitum eſſet auxilij, ſacra faciebant: Cretenſes quoque per deuinctos amicitia viros operabatur ſacris, quòd amore ſuperos plurimum putarent delectari.

Porrò inuenta, & exculta amicitia eſt ad ſubſidium malè affectæ naturæ, vt quod vni amicorum deeſt, aut in videndi ſagacitate, aut in habendi copia, in omni vitæ munere, ſeu facultate, id ab amico ſuppeditetur contra ab amico rependatur; Quod amicitiæ præſidium de cœco, & claudo expreſſit Epigramma:

Inſiſtens cœco graditur pede claudus vtroq;
Quo caret alteruter, ſumit ab alterutro.
Cœcus namq; pedes claudo greſſumq; miniſtrat
Et claudus cœco lumine pro pedibus.

Eſt igitur Amor ex Ariſtot. 2, Rhet, cap. 4. Affectus quo volumus alteri quæ bona ſunt, idque eius qui diligitur, non noſtri cauſa, & in illis rebus comparandis pro virili elaboramus.

* * *

PVNCTVM II.

Incentiua Amoris.

CAuſas Amoris ſatis apertè declarat ipſa definitio, cuius duæ partes aſſignantur, quibus tota vis eius, & natura continetur. Altera eſt, vt eius vnius gratia, quē amore proſequimur bona velimus, vel vera, vel ſaltem quæ bona eſſe credimus, non propter vtilitatem propriam. Nam vt monet Cic. 1. de na. Deor. n. 122. *Carum ipſum verbum eſt Amoris, ex quo amicitiæ nomen eſt ductum: quam ſi ad fructum noſtrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus, non erit iſta amicitia, ſed mercatura quædam vtilitatum ſuarum. Prata, & arua & pecudum greges diliguntur, iſto modo, quod fructus ex eis capiantur. Hominum caritas, & amicitia gratuita eſt.*

Amicitiæ veræ faciem, & ſimul illius ab inſana cupiditate diſcrimen proponit D. Ambr. 3. Offic. vlt. *Nihil ipſe commodi tui cauſa inhoneſtum putas, non enim vectigalis eſt amicitia, ſed plena decoris & gratiæ. Virtus eſt enim amicitia; non quæſtus, quia non pecunia quæritur. Sed gratia, nec licitatione pretiorum, ſed concertatione beneuolentiæ.*

Ad quam ſpeciem addit Caſſiod. l. de Amicitia *Quid ſit vera amicitia nondum nouit, qui vult aliam eſſe mercedem, quam ipſam. Vita enim corporis pro amico ponenda eſt, & nihil eorum negandum quæ licent.*

Altera vt nequaquam voluntate clauſum illum Amoris ſenſum teneamus, ſed pro viribus vbicumque ſeſe facultas, & occaſio dederit eundem reipſa probare conemur. Nam vt benè Plautus in Trinum Act. 2. Scen. 4.

Nequam illud verbum eſt, bene vult, niſi qui benè facit.

Siquidem vt non vulgaris notæ vir pronunciauit, ſola voluntas cadauer eſt qualem animum & mentem in amicis ornandis affert Seneca, ſi factis & non inanibus verbis rem demonſtraret ep. 9. *In quid amicum paro? vt habeam pro quo mori poſſim; vt habeam quem in exilium ſequar; cuius me morti opponam, & impendam.*

Digitized by Google

Vt verò multa quæ in hanc rem dici poſſent omittamus, tria reperimus principia, quibus accendatur amor, Honeſta, Iucunda, Vtilia, ex quibus enaſcitur.

PVNCTVM III.

Honeſta. Virtus & Probitas I.

NOn eſt adeo deſperans aliquis, qui vel in rebus deſperatiſſimis boni ratione non ducatur; etiam dùm Phædra ſuſpendit, Saguntini dùm ſe igne abſumunt, dùm Caſſius & Brutus in enſem incumbunt, bonum illi omnes aliquod, ſcilicet ab moleſtiis liberationem, ſequuntur. Cùm igitur nihil ſit honeſtum, niſi quod cum virtute coniunctum eſt, quem optimis vitæ inſtitutis, atque adeò omni virtute præditum dixeris, amabilem reddes. Hinc fit vt nemo bonus, fortitudine magnum, temperantia celebrem iuſtitia ſummum, fide nobilem, liberalitate Regem, prudentia ſenem, non amet.

Quid Alexandri virtus, quantos vel in Dario ſui amores excitauit? *Dij patrij primum mihi ſtabilite regnum: deindè ſi de me iam tranſactum eſt, precor ne quis Aſiæ Rex ſit, quàm iſte, tàm iuſtus hoſtis, quàm miſericors victor.* Curt. l. 4.

Vt verum ſit quod piè docet Greg Naz. Orat. 2. nihil ad amorem fruendum ſtudio virtutis eſſe opportunius. Corporum amores, quia rerum fluxarum ſunt, fluunt quoque ipſi, non ſecus ac veris flores. Nam nec flamma conſumpta materia remanet; ſed vna cum re extinguitur, nec cupiditas marceſſente fomite ſubſiſtit. At pudici & grati Deo amores, cùm rei ſtabilis, & firmæ ſint, diuturniores etiam ſunt, quantaque maior pulchritudinis ſpecies ipſis obiicitur, tantò etiam arctius, & ſecum & inter ſe rerum earundem amatores deuinciunt; hæc quippe ſuperni amoris lex eſt.

Præclarè Tull. dùm Fonteïo conciliat amorem à probitate vitæ, in eius defenſione n. 30. *Frugi igitur hominem, frugi inquam, & in omnibus vitæ partibus moderatum, ac temperantem, plenum pudoris, plenum officij, plenum religionis, videtis poſitum in veſtra fide, ac poteſtate: atque ita, vt commiſſus ſit fidei, permiſſus poteſtati. Videte igitur vtrum ſit æquius hominem honeſtiſſimum, virum fortiſſimum, ciuem optimum, dedi inimiciſſimis atque immaniſſimis nationibus, an reddi amicis; præſertim cùm tot res ſint, quæ veſtris animis pro huius innocentis ſalute poſtulent.*

Pro Cæcina verò facit vt reus ob virtutem non modò non condemnetur, ſed commendetur potius, n. 102. *Quod ſi adimi ciuitas A. Cæcinæ lege potuiſſet, magis illam tamen rationem omnes boni quereremus, quemadmodum ſpectatiſſimum: prudentiſſimumq; hominem ſummo conſilio, ſumma virtute, ſumma auctoritate domeſtica præditum, leuatum iniuria ciuem retinere poſſemus, quàm vti nunc cùm de iure ciuitatis nihil potuerit deperdere quiſquam exiſtat, niſi tu, Sexte, ſim. lis & ſtultitia & impudentia, qui huic ciuitatem ademptam eſſe dicat.*

Cur Tull. non id de ſe meritò fateatur, qui poſtquam Q. Cælium, nullas boni Oratoris, nec accuſatoris innocentis partes ſuſtinere potuiſſe multis peobarit, ſe ob ſpectatam iamdudum virtutem, dignum fore profitetur, & eum cui hæc prouincia committi debeat. Sic autem ſibi Iudicum animus demeretur. Diuinat. n. 72. *A nobis multos obſides habet populus Ro. quos incolumes conſeruare, tueri, confirmare, ac recuperare poſſimus, omni ratione erit dimicandum. Habet honorem, quem petimus: habet ſpem, quam propoſitam nobis habemus: habet exiſtimationem, multo ſudore labore, vigiliiſque collectã: vt ſi in hac cauſa noſtrum officium, ac diligentiam probauerimus, hæc quæ dixit retinere per populum Ro. incolumia, ac ſalua poſſimus: ſi tantulum offenſum, titubatumq; ſit? vt ea, quæ ſingulatim, ac diu collecta ſunt, vno tempore vniuerſa perdamus. Quapropter veſtrum eſt delegere quem exiſtimetis facillimè poſſe magnitudinem cauſæ ac iudicij ſuſtinere, fide, diligentia, conſilio, auctoritate.*

II. Æquitas.

Quin etiam iuris & Æquitatis retinentes amantur ab omnibus. Hinc Ilioneus ille Troianorum Orator apud Virg. Regem ſuum Didoni gratum, & amicum reddere conatur, iuſtitia

Digitized by Google

ſtitiâ eiuſdem pietate ac fortitudine pluribus dilaudatâ.

Rex erat Æneas nobis, quo iuſtior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior & armis.

Multis argumentis Roſcium innocentem probare conatur Cic. ſed eo præcipuè, quòd ruſticæ vitæ daret operam, quam parſimoniæ, diligētiæ, iuſtitiæque magiſtrā nominat. n. 75. *Qua in re prætereo illud quod mihi maximo argumento ad huius innocentiam poterat eſſe in ruſticis moribus, in victu arido, in hac horrida incultaq; vita, iſtiuſmodi maleficia gigni non ſolere: vt non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire poſſis; ſic nec omne facinus, in omni vita naſcitur. In vrbe luxuries creatur, ex luxuria exiſtat auaritia neceſſe eſt: ex auaritia erumpat audacia; indè omnia ſcelera, ac maleficia gignuntur: vita autem hac ruſtica, quam tu agreſtem vocas, parſimoniæ, diligentiæ, iuſtitiæ magiſtra eſt.*

Quem igitur amari vis ab aliis, iuſtum eſſe, & innocentem, probandū eſt eundem nemini nocere velle, non ex aliorum incōmodis viuere; ſed honeſtis artibus ſuſtinere, tùm vitæ rationem, tùm dignitatis; eſt enim iuſtitia eiuſmodi, & innocentia ad amorem efficax.

Ac ne de perſonis tantùm id dici putemus, amantur quæcumque virtutis atque honeſtatis ſpeciem aliquam præ ſe ferunt. Sic ab admirabilitate ipſius Eloquentiæ amorem nobilibus adoleſcentibus Craſſus inſinuat apud Tull. 1. de Orat. n. 30 Sic Miles ſtrenuus Imperatoris amicitiam expetit; Sic Eloquentiæ ſtudioſus libenter cum eo conſuetudinem habet, quem in Eloquētia plurimùm excellere iudicat. Sic Tull. in epiſt. Appij beneuolentiam ſibi charam eſſe oſtendit, quòd eſſet homo nobiliſſimus; cuius opes & ingenium, affines & propinqui, ſibi magno, vel ornamento, vel præſidio eſſe poſſent.

III. *Modeſta Pulchritudo.*

Qui formæ pulchritudine conſpicui ſunt, vultuque redolent humanitatem, non ſolùm amore verùm etiam veneratione, atque cultu digni iudicantur. Venuſtè Poëta bonus Stiliconem celebrans cum canit à puero formoſi vultus gratiâ ſanæ mentis indicia præbere ſolitum.

Iam tunc conſpicuus, iam tunc venerabilis ibas,
Spondebatque ducem celſi nitor igneus oris,
Mēbrorumq; modus qualē, nec carmina fingunt
Semidei Claudianus.

Quod animi compoſiti decus, & ornamentum prædicatur in iis omnibus, qui ad laudem nati videntur; Traiani dignitatem auguſtam Plinius Orator ſic commendat, vt oris ſuauitate triumphatas veluti ciuium ſuorum mentes, captaſque ſignificet. Hoc enim eſt diſerti hominis elogiū. *Cuius lætiſſima facies, & amabilis vultus; in omnium ciuium oculis & animo ſedet.*

IV. *Animi Nobilitas.*

Eſt etiam aliud quiddam quod vehementer animos conciliat, nimirum certa quædam animi Nobilitas, & vigor ſeſe in ſtatu motuque prodenti; quæ dulci quodam amoris laqueo captam Didonem irretiuit ſingularis humanitatis heroïnam, vbi illam primum in Troiano duce animaduertit. Nam plurimis eius ornamentis obſtupefacta, quis ait, ad Annam ſororem, & quantus ille vir eſt, quem ereptum ex vndis Pelagi ad nos appellere miramur.

Quē ſeſe ore ferens? quàm forti pectore, & armis? Quanta eſt in ore vultuque nobilitas? quanta lucet animi generoſi grauitas? quàm expreſſa mentis celſitudo? quis ingenij laudati vigor ac indoles? ſic amorem conciliat quidquid habet aliquid admirabilitatis.

Quæ licet omnia vera ſint, & ille magnum præſidium habeat ad omnium beneuolentiam promerendam, in cuius vultu decus pingitur, & virtutis ſplendor elucet, vt fusè non magis, quàm eleganter Cic. dialogo de amicit. n. 18. & in Piſon. 81. *Habet hoc virtus, quam ne de facie quidem noſti, vt viros fortes ſpecies eius, & pulchritudo etiā in hoſte poſita delectet:* Videndum tamen eſt Oratori ne nimia virtutis commendatio, pro amore faciat inuidiā. Quotuſquiſque enim Athenis eximiâ virtute vir, & optimè de Rep. meritus non eſt ciuium ſuorum calculis, & Oſtrachiſmo damnatus?

* * * * * * * * * *

V. Comi

Digitized by Google

V. Comitas & Manſuetudo.

Inter alias virtutes haud ſcio an vlla plus momenti habeat ad tenendos hominum animos, penituſque capiendos, quàm ipſa comitas, atque facilitas morum; Ita iudicij Princeps Anton. 2. de Orat. *Ad conciliandā beneuolentiam in Oratore, lenitas vocis, pudoris ſignificatio, verborum comitas.* Iucundum & comem in omni conſuetudine vitæ, facilemque dicit amabilem & gratum Ouid. 2. de arte.

Dextera præcipuè cupit indulgentia mentes,
Aſperitas odium ſæuáque bella monet.
Odimus Accipitrē, quia viuit ſēper in armis,
Et pauidum ſolitos in pecus ire lupos.
At caret inſidiis hominum, quia mitis hyrūdo
Quaſq; volat turres Chaonis ales habet.

VI. Innocens & ſimplex Vrbanitas

Obſeruantur in paucis qui in familiati conuictu non ſunt vitiorum ſeueri cenſores, & moleſti non indagatores curioſi, non malè pertinaces & iracundi, qui vel in ſe nonnihil liberius dici patiuntur, quin ſe quoque iocari conſueuerunt, qui vrbanitate quadam, ſalis aliquid aſpergere norunt, ſine cuiuſquā offenſione. Quæ omnia quantam vim habeant ad infringendam sūmorum hominum auctoritatem & ad petitiones aduerſariorum eludendas ſi cum artificio fiant docet Tull: qui ſæpius ea ratione cauſas è Iudicum manibus extorſit. Habes illins facetias contra Erucium pro Amerino, Fabricium pro Cluētio; Sext. Næuium pro Quinctio: Sulpitium & Catonem pro Muræna, Clodium paſſim, quibus mirè beneuolentiam auditorum captauit.

Candor animi fuci expers amari plurimùm ſolet: quare diligimus eos qui nobiſcum agunt, nudè, & ſimpliciter quique ſua etiam, ſi quæ ſunt vitia, aperiunt, ſatis enim ſignificant, ſe & confidere, & inſidiari nolle. Tull. hæc obſeruat ad Attic. *Nihil mihi nunc ſcito tàm deeſſe, quàm hominem eum; quicum omnia, quæ me cura aliqua afficiunt, vnà communicem, qui me amet, qui ſapiat, qui cum loquar, nihil fingam, nihil diſſimulem, nihil obtegam.*

Contrà diſſimulatores, minuſque apertos metuimus, primùm velut inſidioſos, vt torpentem lacum, cuius neſciamus altitudinem: deindè odimus, quia dignos non eſſe nos arbitrantur, quibus ſua conſilia audeant committere, itaque, de nobis non videntur optimè ſentire.

VII. Conſtantia.

Etiam ſuas habet amoris illecebras Conſtantia; diligimus enim qui amicos rebus aduerſis non deſerunt, neque iis ſimiles ſunt qui:

——Diffugiunt cadis
Cùm face ſiccatis amici
Ferre iugum pariter doloſi.

Ob eandem conſtantiam diligimus eos, qui abſentes amant neque ex eorum numero ſunt, quorum amor eſt in oculis modò, de quibus Propertius.

Quantum oculis, animo tàm procul ibit amor.

VIII. Fidelitas.

Conciliat amorem ipſa Fidelitas, ſplendidè Caſſiodorus l. 2. ep. 50. *Cunctis laudibus pretioſior fides, quàm diuina diligunt, mortalia venerantur. Nā inter mundi fluctuantes procellas, vndè ſe humana fragilitas contineret, ſi noſtris actibus mentis firmitas non adeſſet? Hæc inter ſocios amicitiā ſeruat hæc nominis pura integritate famulatur, hæc ſupernæ maieſtati reuerentium pia credulitatis impendit: Et ſi beneficiū tantæ rei latius quæras immutabilis fides eſt omne quod benè viuitur.* Quā Seneca ep. 88. Sanctiſſimum humani pectoris bonū nominat, quæ nulla neceſſitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio.

P V N C T V M IV.

De Iucundis Amorem conciliantibus.

INgens amicitiæ fructus ipſa Iucunditas, quam his verbis exprimit Seneca de Tranquill. c. 7. *Nihil æquè oblectauerit animum, quàm amicitia fidelis: quantum bonum eſt, vbi ſunt præparata pectora, in quæ tutò ſecretum omne deſcendat, quorum*

con

Digitized by Google

conſcientiam minus, quàm tuam timeas, quorum ſermo ſolicitudinem leniat, ſententia conſiliũ expediat; hilaritas triſtitiam diſſipet, conſpectus ipſe delectet.

I. Amor.

Portò inter iucunda ſtatuo imprimis Amorem ipſum vt pote magnetem Amoris. Quid enim tàm inſitũ, quàm vt diligentem diligas? quid tam inolitum naturæ, atque impreſſum humanis affectibus, quam vt eum amare in animũ inducas, à quo velis amari? Peritè Tull. epiſt. ad Brutum I. *Clodius Tribunus pl. diſignatus, valde me diligit. vel vt ἐμφατικώτερον dicã, valde me amat; quod cum mihi perſuaſum ſit, non dubito quin illum quoque iudices à me amari. Nihil enim nihi minus hominis videtur: quam non reſpondere in amore iis, à quibus prouocere.* Plin. ad Traianum. *Habes amicos, quia amicus ipſe es:* Neque enim vt alia ſubiectis, itâ amor imperatur: neque eſt vllus affectus tam erectus, ac liber, nulloſque ſubiici iugo patiens, & dominationis impatiẽs, nec qui magis vices exigat; poteſt fortaſſe Princeps iniquè poteſt tamen odio eſſe nonnullis, etiam ſi ipſe non oderit: amari niſi ipſe amet, nõn poteſt.

Quare falluntur qui ad demerendos hominum animos ad philtra, & veneficas artes recurrunt. Eleganter Ouidius ſi mentem meliorem habuiſſet.

Fallitur Hæmonias ſi quis decurrit ad artes,
Datque quod à teneri fronte reuellit equi.
Non facient, vt viuat amor Medeides herbæ:
Miſtaque cum magicis merſa venena ſonis.
Sit procul omne nefas, vt ameris, amabilis eſto.

Cùm igitur amor nec velit, neque valeat alio emi, vendiue pretio, quam ſeipſo, explicandum erit quo ſis animo, quam prono, quam beneuolo in eos, quos ad amorem concitare voles quid ipſorum cauſâ pati, quid agere deſideres. Ad mentem Cic. pro Balbo, cui Iudicum amorem conciliat, dum Cæſari charum, acceptumque eum eſſe probat n. 61. *Sed, ſi cæterorum hominum mentes nulla ratione placere volumus, veſtros quidem animos confidimus, non Oratione noſtra, ſed humanitate veſtra eſſe placatos. Quid enim eſt, cur non potius ad ſummam laudem huic, quàm minimam fraudem Cæſaris familiaritas valere debeat? cognouit adoleſcens: placuit homini prudentiſſimo in ſumma ſemper amicorũ, copia cum familiariſſimis eius eſt adæquatus, in Conſulatu Præfectũ fabrũ detulit. Conſiliũ hominis probauit, fidẽ eſt cõplexus, officio, obſeruantiaque dilexit, fuit hic multorũ ſocius aliquando: eſt fortaſſe nunc nonnullorum particeps commodorum, quæ quidem ſi huic obfuerint: apud vos non intelligo, quod bonum cuiquam ſit apud tales viros profuturum.*

II. Bonorum & Malorum communitas.

Si quis ad amorem ſui concitare velit aliquos efficere debet vt exiſtiment multa ſecum iis habere communia; de iiſdem lætari, in iiſdem periclitari, in eadem eſſe præmiorum & laboris ſocietate, eoſdem amicos habere, eoſdem inimicos: nam bonorum communio, aut malorum celeriter amicitiam contrahit. Cicero Milonem amabat, quod inimici ſui Clodij, eſſet inimicus. Hac ſe ratione commẽdat Æneas Euandro, eiusque ſibi beneuolentiam demeretur, quod Dauni hoſtem ſe profiteatur, quibus Euandrum ſciebat inimicum & Æn.

Gens eadem que te crudeli Daunia bello
Inſequitur, nos ſi pellant, nihil affo e credunt,
Cur omnem Heſperiã penitus ſua ſub iuga mittãt

Contrà inuiſi ſunt amicorum inimici: Dido vehementius in Troianos commota, ſuos ad vindictam de illis repetendam quantocyus verborum facibus impellit. 4. Æn.

Tum vos ô Cyrij ſtirpem, genus omne ferarum
Exercete odiis, cinerique hæc mittite noſtro
Munera, nullus amor populis, nec fœdera ſunto,
Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus vltor,
Qui face Dardanios, ferroque ſequare colonos
Nunc olim quocumque dabunt ſe tempore vires.
Littora littoribus contraria, fluctibus vndas.
Imprecor, arma armis pugnent, ipſique nepotes.

III. Morum Similitudo.

Chari ſolent eſſe quos morum nobis ſimilitudo commendat. Etenim melancholico gaudet ſubtriſtis, hilaris, hilari familiarius vti ſolet. Quod Ouid. de ſe teſtatur.

Digitized by Google

Temporis illius colui fouique Poëtas
Quotque aderant Vates, tot rebar eſſe Deos.

Idem quoque de aliis ſtudiis atque artibus dici conuenit.

Scilicet ingenij aliqua eſt concordia iunctis,
Et ſeruat ſtudij fœdera quiſque ſui,
Ruſticus Agricolam, Miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiæ nauita puppis amat.

IV. Studiorum Similitudo.

Multò firmior erit illa ſemel excitata beneuolentia, ſi eorundem ſtudiorum ſint imitatores. Nam vt vulgò fertur, amoris quaſi quædam mater nuncupatur Similitudo, & neſcio quo beneuolentiæ ſenſu nos, cum iis natura coniungit, quos vel fortuna, vel ſtudiorum voluntas nobiſcum imitatione coniunxerit, quàm ἰσότητα Græci nominant, hoc eſt æqualitatem vitæ, ſeu ſimilitudinem ſtudiorum: hoc animaduertit Poëta ſolers, ac venuſtus Silius *Pal. l.* 7.

Lucis idē auſpiciū, ac patris, & commune duobus
Paupertas, ſacro iuuenes Præneſte creati
Miſcuerunt ſtudia, & cuncta tellure ſerebant,
Velle ac nolle ambobus idem, ſociatáque toto
Mens æuo, ac paruis diues concordia rebus:
Occubuere ſimul.

Plinius Iun. l. 7. ep. 20. Sic ad Corn. Tacitum ſcribit- multa de ſtudiis vtriuſque præfatus. Quæ omnia huc ſpectant, vt inuicem ardentius diligamus, cum tot vinculis animos, ſtudia, mores fama ſuprema denique nos hominum iudicia præſtringūt. Et Sidonius Apoll. l. 7. ep. 9. ad Aquilinū. *In ſimilē familiaritatem præter hæreditariā prærogatiuā multifaria opportunitate compellimur: ætas: vtriuſq; nō minus vincta, quàm patria, vnus nos ludus exercuit, magiſter inſtituit, diſciplina formauit.*

Amor igitur ſimultitudinem ſtudiorū, ſimilitudo ſtudiorum amorem parit, & alter ab altero mutuis acceſſionibus accreſcit. Quod ita tamen intelligendum, cùm illa munerum ſimilitudine damni nihil, aut incommodi fit; tùm enim homines ea ſimilitudine coaleſcū. & quaſi in velabro olearij, Plautus ait, conſentiunt: at ſi hæc ſimilitudo commodis officiat, amori inuidentia ſuccedit. Vel cùm eſt aliqua fortunæ paritas inter amicos; Nam vix ſatis firma, aut vera pauperi cum opulento amicitia, licet magna ſit morum, & ſtudiorum ſimilitudo. Quod apud Plautum ingenioſè exprimit bonus Senex Euclio, qui Megadoro locupleti, pauperis ipſius affinitatem depoſcenti, in hæc verba reſpondet, in Aulularia, faceto ſatis Apologo.

Venit hoc mihi in mentem, Megadore, te eſſe hominem diuitem.
Factioſum, me item eſſe hominem pauperem pauperrimum;
Nunc ſi filiā locaſſim meā tibi, in mentem venit.
Te bouem eſſe, & me Aſellum, vbi tecum coniunctus ſiem.
Vbi onus nequeam portare pariter, iaceam ego aſinus in luto.
Tu me bos haud magis reſpicias, gnatus quaſi nunquam ſiem,
Et te vtar iniquiore, & meus me ordo irrideat.
Neutribi habeam ſtabile ſtabulum ſi quid diuortij fuat,
Aſini me mordicibus ſcindant, boues incurſent cornibus:
Hoc magnum eſt periculum, me ab aſinis ad boues tranſcendere.

Pari iudicio 3. Triſtium Ouid. Elegia 4. quempiam amicum monet, vti magnatorum conſuetudinem, & amicitiam fugiat, veluti non innoxiam.

Viue tibi, quantumq; poteſt prælustria vita,
Viue tibi, & longè nomina magna fuge.
Nam quamquam ſoli poſſunt prodeſſe potentes,
Non proſunt potius plurimum obeſſe ſolent.
Viue ſine inuidia, molleſque inglorius annos
Exige, amicitias & tibi iunge pares.

V. Fiducia.

Amamus eos qui nobis ſua ſecreta communicant; Fiducia enim amorem vehementer conciliat. Seneca epiſt. 3. Tam audacter cum amico loquere quàm tecum. Tu quidem ita viue, vt nihil committas, niſi quod committere etiam inimico poſſis: ſed quia interueniunt quædam, quæ conſuetudo facit arcana, cum amico curas, omnes cogitationes tuas miſce. Fidelem ſi putaueris, facies.

Digitized by Google

cies. Nam multi fallere docuerunt, dum timent falli: & aliis ius peccandi ſuſpicando fecerunt. Quid eſt ergo coram amico retraham? quid eſt quare me coram illo non putem ſolum?

VI. Periculorum Similitudo.

Valet ad amorem Periculorum Similitudo, quæ aut iam obita fuerint, aut obeunda ſunt: de obeundis quidem Plut. refert amore patriæ, & periculorum ſimilitudine Epaminondam, & Pelopidam inter ſe contra Lacedæmonienſes conueniſſe, de obitis verò ſimul periculis ex eo liquet, quod qui naufragium ſimul fecerunt, qui eaſdem in cuſtodias dari, qui eandem ſeruitutem ſeruierunt, ſe plurimum amant. Clarum eſt de Deucalione deque Pyrrha. Fab. 7.

Deucalion lacrymis ita Pirram affatur obortis.
O ſoror! ô coniux, ô fœmina ſola ſuperſtes,
Quam commune mihi genus, & patruelis origo,
Deinde torus iunxit, nunc ipſa pericula iungunt.

VII. Familiaritas & Domeſtica conſuetudo.

Iucunda ſunt ſodalitas conuictus, maximeque à teneris Domeſtica Conſuetudo, affinitas, gratia, & alia id genus. Ab hoc capite ſpem & amorem excitat Æneas Euandro.

Tum mihi prima genas veſtibat flore iuuenta,
Mirabarque duces Teucros, mirabar & ipſum
Laomedontiadem. Sed cunctis altior ibat
Anchiſes, mihi mens iuuenili ardebat amore.
Compellare virum, & dextram coniūgere dextra.

Familiaritatē vt amoris conciliatriculam commendat Plin. Iun. Quid Cornuto melius? quid ſanctius? quid in omni genere laudis, ad exemplar antiquitatis expreſſius? quod mihi cognitum eſt non famâ, quâ alioquin optima & meritiſſima fruitur, ſed longis, magniſqu experimentis vnâ diligimus, vnà dileximus omnes ferè quos ætas noſtra in vtroque ſexu æmulandos tulit: quæ ſocietas amicitiarum arctiſſima nos familiaritate coniunxit acceſſit vinculum neceſſitudinis publicæ.

Incendit fouetque coniunctionem amicorum conuictus, qui ſi abſit, eius ſupplementum ſunt literæ Seneca ep. 40. Quod frequenter mihi ſcribis, gratias ago, nam quo vno potes, te mihi oſtēdis. Numquam epiſtolam tuam accipio, vt non protinus vnà ſimus. Si imagines nobis amicorū abſentium iucundæ ſunt, quæ memoriam renouant, & deſiderium abſentiæ falſo, atque inani ſolatio leuant: quantò iucundiores ſunt litteræ, quæ vera amici abſentis veſtigia, veras notas afferunt? Nam quod in conſpectu dulciſſimum eſt, id amici manus epiſtolæ impreſſa præſtat agnoſcere.

Amamus eum qui cum ſumma familiaritate viuere poſſimus, & ad æqualitatem: Nam qui benè amat, amicum ſibi ęquat ex mente Diu. Auguſt. de amicitia, c. 24. *Quem diligis parem tibi facere non negligas: non enim amicitia rectè colitur, à quibus æqualitas non ſeruatur.* Prudentèr mihi videtur egiſſe mater Catonis, quæ ſimul cum filio, alium infantulum, quem non pepererat, lactauit, quem poſtea filio ſuo in ſocium commodaret, vt eodem vterque nutritus lacte ſimiliores, & innocentiores adoleſcerent: nec proinde filius ex alterius conſortio, tanquam hauſto improbitatis veneno læderetur: adeo putabat iam inde ab incunabulis optimum filio ſocium cooptandum. Plut in eius vita.

VIII. Alienæ virtutis commendatio.

Nemo non amat eos, quos aliorum ſtudioſiſſimos, & amantiſſimos nouit, qui facilè virtutes alienas laudant, & mirantur; omnes enim amari volunt, & eſſe admirationi. Talem erga ſe Steniū Siculum fuiſſe meminit. Tull. Act. 4. in Verr. n. 117. *Hic ego, ſi hanc cauſam non omnium Siculorum rogatu recepiſſem; ſi hoc à me muneris non vniuerſa Prouincia popoſciſſet: ſi me animus atque amor in Remp. exiſtimatioque offenſa noſtri ordinis, ac iudiciorum non hoc facere coëgiſſet, atq; hæc vna cauſa fuiſſet, quòd amicum, atque hoſpitem meum Stenium, quem ego in Quæſtura mea ſingulariter dilexiſſem, de quo optimè exiſtimaſſem, quem in Prouincia exiſtimationis meæ ſtudioſiſſimum, cupidiſſimūque cognoſſem tàm crudeliter, ſcelerate, nefarieque tractaſſes: tamen digna cauſa eſſet, cur inimicitias hominis improbiſſimi ſuſciperem, vt hoſpitis ſalutem fortunaſque defenderem.*

Digitized by Google

Inter iucunda laudem, citra tamen ſordidam adulationem, referre poſſumus. Nam vt odimus eos,qui occultè detrahunt famæ,aut aſpernantur nos,aut oderunt,ita & amamus eos,qui de nobis magnificè loquuntur ac ſentiunt,qui prædicant ea,quæ in nobis maximè laudari,&prædicari volumus.Sic Poëtam in verſibus,Oratorem in eloquentia, Philoſophum in ſapientia, Iudicem in æquitate ac Iuſtitia,facetum hominem in ſuauitate conuictus,&iucunditate ſermonis eximium admiramur,& laudamus. Quod vbique diligenter obſeruare ſolet Cic.vtCæſarem ſibi beneuolum reddat&Marcello facilem,eum Regem miratur,bonum prædicat,iucundum & exorabilem dicit,n.1.Tantam enim manſuetudinem tam inuſitatam inauditamque clementiam, tantum in ſumma poteſtate, rerum omnium modum, tam denique incredibilem ſapienriam,ac penè diuinam tacitus nullo modo præterire poſſum.

IX. *Studiorum imitatio.*

Amamus quos ſtudiorum noſtrorum volumus imitatores, atque laudum æmulos exoptamus, non obtrectatores, ſed admiratores.Euander apud Virg.8.vt filium ſuum Æneæ gratiorem faceret,ait ſe illum velle imitatorem, & æmulum tantæ virtutis.

Hunc tibi præterea ſpes, & ſolatia noſtri
Pallanta adiungam;ſub te tolerare magiſtro
Militiam,&graue martis opus,tu a cernere facta
Aſſueſcat,primus& te miretur ab annis.

X. *Iniuriarum obliuio.*

Qui non ſunt tenaces iniuriarum, ſed ad reconciliandum faciles,amantur;quod animi magni ſit argumentum,iniutiarum acceptarum obliuiſci.Tull.Muranam iudicibus commendat à pacis & concordiæ ſtudio, & gratioſum reddit, num.80*Quem ego vobis,ſi quid habet,aut momenti commendatio, aut auctoritatis confirmatio mea, Conſul Conſulem Iud.ita commendò, vt cupidiſſimum otij,ſtudioſiſſimum bonorum, acerrimum contra ſeditionem,fortiſſimum in bello, inimiciſſimum huic coniurationi quæ nunc Remp. labefactat futurum eſſe promittam, & ſpondeam.*

Denique ſi oſtenderis eum quem amari vis ab aliis eſſe natura lenem facilem & popularem totum negotium confeceris,nihil enim crudeli, ac ſuperbo odioſius. Adde dignum illum cui ſe credant alij,cui arcana ſua committant, amabitur,nam fiducia vehementer amorem accendit. Dic illum apertis,& candidis eſſe moribus,tales autem videntur qui faciles apud nos fatentur imbecillitatem ſuam,atque ingenij vitia.

PVNCTVM III.

De vtilibus Amorem conciliantibus.

Tertium genus eorum, quæ beneuolentiam pariunt,vtilibus continetur, & Amorem concupiſcentiæ nominamus, quod genus valet præſertim apud populos.Scitè Naſo.

Vulgus amicitias vtilitate probat.

Neſcio tamen quomodo optimus quiſque, hac etiam catena trahi,& hac compede implicari ſe ſinit.Amantur ergo qui facilè beneficia conferunt,ſi præſertim fuerunt vel magna, vel animo prompto collata,vltrò non precibus empta, & petitionibus crebris extorta, cui non occurrit illud Æoli ad Iunonem.1.Æn.

Tu mihi quodcumque hoc regni,tu ſceptra Iouēq;
Concilias,tu das epulis accumbere Diuum,
Nimborumque facis,tempeſtatumque potentem.

I. *Beneficia.*

Aliorum vtilitatibus ſeruire velle facit ad Amorem,hinc Cicer. Roſcio Iudicum beneuolentiam conciliat,commemoratis illius in temp. beneficiis,n.144.*Nimirum Iud.pro hac nobilitate pars maxima ciuitatis in armis fuit: hæc acta res eſt,vt nobiles reſtituerentur in ciuitatem, qui hoc facerent,quod facere Meſſalam videtis:qui caput innocentis defenderent: qui iniuriæ reſiſterent. qui quantum poſſent in ſalute alterius, quàm in exitio mallent oſtendere.*

Quantò magis amabiles, ſi ſuo incommodo, fortuniſque ſuis amicos tuentur,ac recreant. Ita Ciceronem Plancius exulem neglecto Clodij edicto domi ſuæ ſuſcepit, ex quo arctiſſima inter illos amicitia.Hoc modo qui contulerit, & collata non exprobrarit, amicos parat. Et certè nō eū poteſt non amare quem multis beneficiis, affece

affecerit,quod talem pro ſuo habet, cùm hominem beneficia acquirant,& omnes bonis noſtris plurimum delectentur, quæ cauſa eſt, cur nos Deus eò adamet ardentius,quò nos pluribus majoribuſque beneficiis, cumularit. Si beneficia tela ſunt amoris,quid adhuc Deo reſiſtimus ipſi pectus noſtrum ſubeunti? Amor eſt pretium Amoris. Quærimus Pacem, Tranquillitatem Gaudium,Felicitatem animi?ea iſthic eſt.

O felix hominum genus,
Si veſtros animos Amor,
quo Cœlum regitur regat.

II. *Grati animi ſignificatio.*

Mirum quàm facilè faces Amoris accendat animi grati ſignificatio; huius meminit Cic. ad Quirit.poſtr editum,n.24 *Quapropter memoriam veſtri beneficii colam benevolentia ſempiterna, non ſolùm dùm anima ſpirabo mea; ſed etiam cum mortuo monumenta veſtri in me beneficii permanebunt. In referenda autem gratia hoc vobis repromitto ſemperque praſtabo: mihi neque in conſiliis de Rep. capiendis diligentiam; neque in periculis à Reip.propulſandis,animum: neque in ſententia ſimpliciter referenda fidem; neque in hominum voluntatibus pro Rep. lædendis libertatem: nec in perferendo labore induſtriam: nec in veſtris commodis augendis,gratam animi benevolentiam defuturam.*

Non minus eleganter, & appoſitè Quirites ſibi demeretur.6.Phil.n.17. *An ego non provideam meis civibus? non dies noctesque de libertate veſtra, de Reip. ſalute cogitem? quid enim non debeo vobis, quem vos à ſe ortum, hominibus nobiliſſimis omnibus honoribus prætuliſtis? an ingratus ſum? quis minus? qui, partis honoribus eoſdem geſſi in foro labores, quos in petendis. Rudis in Rep.quis exercitatior, qui viginti jam annos bella geram cum improbis civibus. Quaombrem conſilio quantum potero, labore plus penè potero, excubabo, vigilaboq; vobis.*

Actione 5.in Verr.ſibi iudices amabiles reddit dùm nihil ad ſuam ſalutem,ad publicum emolumentum omnia ſeſe referre contendit.

Eandem animi grati ſignificationem declarat poſt reditum in Senatu, n. 35. 3.in Catil.n.24. pro Plancio,num. 21. & tota ferè peroratione. Pro Sextio,n.115.4. Phil. n. 16. pro lege Man. 77.Flac.12.Quibus prætermiſſis Miloniana peroratio inſtar omnium eſſe poteſt, in qua omnes amoris,& benevolentiæ motus diverſos reperias. Fortiſſimum virum à ſingulari quadam, & inconcuſſa virtute commendat, qui in tanto capitis diſcrimine conſtitutus,nec Oratoris,nec amicorum lacrymis fletibuſque moveretur. Qui nullos ſævientis fortunæ caſus extimeſceret,qui nullum à civibus Rom. beneficiorum, meritorumque præmium poſtularet. Sic autem à num. 93. *Noluit ſi in noſtro omnium fletu nullam lacrymam adſpexiſtis Milonis, ſi vultum eundem, ſi vocem, ſi Orationem ſtabilem, ac non mutatam videtis, hoc minus ei parcere, atque haud ſcio, an multo etiam magis adjuvandus ſit.*

Ab illo numero eximiam hominis in cives liberalitatem nihil exprobrantem,omnia verò mineficentiſſimè condonantem,& omni propè beiuriarū ſenſu carentem ita prædicat,94. *Me quidem exanimant, & interimunt hæ voces Milonis, quas audio aſſiduè, & quibus interſum quotidie, Valeant, inquit, cives mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati; ſtet hæc vrbs præclara mihiq; patria chariſſima quomodo merita de me erit.*

Et quoniam quæ ſequuntur exprobrationis aliquid habere videbantur,ſua potius quàm Milonis eſſe dicit; propterea ne quid de ſumma viri fortiſſimi libertate detractum eſſet,ſubiungit,96 *Nec verò hæc vt ego nunc flens, ſed hoc eodem loquitur vultu, quo videtis. Negat enim ſe, negat ingratis civibus feciſſe, quæ fecit: timidis, & omnia circumſpicientibus pericula, non negat, plebem & infimam multitudinem, quæ Clodio duce fortunis veſtris imminebat, eam quo tutior eſſet vita veſtra, ſe feciſſe commemorat, vt non modò virtute flecteret, ſed etiam tribus ſuis patrimoniis deliniret.*

Mox invictum animi conſtantiſſimi robur exponit,additque,hæc quæ vera ſunt, fortes ac ſapientes viros,non tàm præmia ſequi ſolere rectè factorum,quàm ipſa rectè facta,num. 99. Denique in eo potiſſimum elaborat, non tantùm vti Milonis,verùm etiam vt Iudicum erga ſe omnium Amorem excitare poſſit, hoc præſertim nomine, quòd hominis amantiſſimi calamitatem,non minus ad eum quàm ad ſeipſum pertinere prædicaret,quodque nullum à judicibus vehementiorem doloris ſenſum accipere poſſet,

Google

quàm ſi tanta virtute virum,ac innocentiâ præditum,patria carere,& exulare paterentur.

Non tantùm liberalitas & communicatio bonorum,ſed etiam conſiliorum nutrit amicitiam. Sic ad Lucilium ſuum Seneca. ep. 35. Ego quidem percipio iam fructum, cùm mihi fingo vno nos animo futuros, & quidquid ætati meæ vigoris abſceſſit,id ad me ex tua, quamquam non multùm abeſt, rediturum, ſed tamen re quoque ipſa lætus eſſe volo. Venit ad nos ex his quos amamus, etiam abſentibus gaudium: ſed id leue & evanidum. Conſpectus & preſentia, & conuerſatio aliquid habet vivæ voluptatis. Affer itaque te mihi ingens munus: & quò magis inſtes,cogita me ſenem eſſe,te mortalem.

Ad hæc capita facilè adduci poſſunt aliæ Amoris cauſæ,ſed in earum delectu, iudicio & prudentia eſt opus. Eligendæ ſcilicet illæ ſunt, quæ maximè argumento ſuſcepto conveniunt. Si ad Amorem divinum excitare quempiam velit Orator, verſari debet potiſſimum in beneficiis Dei commemorandis, quod in vltimo puncto poſitum eſt: in perfectionibus divinis recenſendis, quod pertinet ad 4. in eius infinito Amore erga nos,& ſumma eius bonitate,facilitate, familiaritate cum hominibus; quod in 5. commendatum eſt. Item petere poteſt argumentum à fiducia,qua poſſumus ad eum accedere, cùm nullum deſerat,nullum repudiet.

LECTIO III.

Deſcribitur Amor.

MAli Amoris larvam removeamus ab oculis & de divino potius Amore loquamur,cuius cogitatio erit iucunda,cognitio vtilis,ſenſus ipſos felices,ac beatos efficiet.Quàm vellem autem facem præferret divinus Amor?Liber enim erumpere in hos pii Vatis cantus, in monodia naſcenti IESV.

Collis,ô Amor aurei.
Cultor,æthereum genus,
Hùc ades bonus,& bonam
O age facem,
O age fidem.
Facem qua tenebras moves
Vltra Cimmerias plagas;
Et Solis profugum iubar,
Si nocte vocas,
Et nocte redit.
Fidem qua ſuperos cies,
Et Cœli volucres fugas
Cantu ſiſtis amabili:
Numenque feris,
Si fortè furit.
Hùc ades bonus Aliger
Fronte,qua nitidum ſolas,
Serenare meridiem,
Sic Deus iubet,
Sic puer iubet.

Et vero melius de divino Amore nemo loquitur quàm qui loquitur expertus:ſed inexpertis ſcilicet aliorum experiētia non erit inutilis.Et quidem Amori diuino mirum quàm varios,ac multiplices tribuant vultus,quàm illius varia&mira effecta narrent; modò lacrymantem inducunt, modò extra ſenſus rapiunt;modò ſævientem in ſeſe; modò pauperem; modò diuitem; modò flammarum inſtar ardentem; modò liquidi fluminis inſtar,gaudio colliqueſcentem;modò velut pictorem,modò velut Oratorem, hæc ſingillatim omnia ſi vis exprimuntur.

PVNCTVM I.

Lacrymæ Amoris divini.

IIſdem oculis quibus amatur, & fletur, inquit ille Orator;eſt enim lacryma ſanguis cordis Amore ſaucii,natat in lacrymis Amor, iiſque mirificè paſcitur. De lacrymis non loquor, quarum ars eſt apud inſanos amantes, qui oculos erudiunt, vt fleant; de iis loquor,quas D. Bernardus vocat delicias Angelorum, imò indè caleſcente pectore ſobria naſcitur ebrietas. Libenter ego dixerim lacrymas,& ſuccum liqueſcentis cordis, linguâ eſſe amantis cui pondus vocis adhibeat Amor, vt Deum emolliat,flectat, blanditiiſque demulceat. Ea ni fallor lingua loquebatur Divus Ignatius cum noctu Cœlum contemplatus, tàm

dulces fundebat lacrymas,quas ex bono Poëta collegimus, verbis tamen,& ſenſu nonnihil immutato.

Nondum nocturnis defeſſa laboribus aſtra,
Non deſiderio languida ſolis erant.
Integer errabat cæleſtis exercitus arvo,
Cinctus inexhauſta cyclade lucis adhuc.
Cælo erat,ut nunquam,facies ſua, nulla vaporum
Invidia æthereas nube tegebat opes.
At LOYOLA *animum ſomno ſopitus amoris,*
Hoc unum excipias, cætera membra vigil.
Emicat & gelidis ſua gaudia ventilat auris,
Quamquam auras æſtu pectoris ipſe fovet,
Gaudet in occurſum puri procedere cœli,
Gaudet inaſpectus nocte ſilente frui.
Et fruitur taciluſque diu tacita aſtra tuetur,
Quaque trahit tellus otia mutus amat.
Ergo flammiferos IGNATIVS *beſit in orbes,*
Suſpexitque vagas,ſed ſine voces,faces.
Donec abundanis liquido de pectore ſenſus,
Et verba ipſius viſcera cordis erant.
O nullo ſuperanda malo tentoria ſolis,
Et formaſa oculis caſtra beata meis!
Cur ego non mereor veſtræ ſtipendia lucis?
Bella tamen geſſi ſæpè,nec uſque moror.
O ſi tela mihi,ſi ſpicula nulla fuiſſent,
Quàm quibus è Cœlo vincis,amica phalanx!
Sed cur adſcribi ſuperis ſtationibus opto?
Non eſt conveniens ſordibus ille locus.
Vellet plura loqui,ſucceſſu ſed caret uſus:
Credebat voces fundere,luctus erat:
At ſoli fletus,quamquam ſine mente queruntur,
Viva tamen tacita munera mentis habent.
Iamque oculis lacrymas laxat,ſuſpiria cordi;
Cedit,dùm regnat mentis in arce dolor.
Iſta tamen non ſunt ſuſpiria muta,nec illa
Sunt lacrymæ,& luces non ſine luce madent,
At poſtquam requies ſingultibus:& ſua voci
Vota redit; ſuus & ſpiritus ora movet.
Orſa redorditur,fixuſque in ſydera clamat:
Dùm Cœlum aſpicio,quà mihi ſordet humus

A lacrymis properandum eſt ad flammas Amoris, tormentum enim amantibus gratiſſimum repentè ab vndis tranſire ad flammas;ſi tamen te lacrymæ delectant,poſſes quidem deſcribere primum luctantes guttas,& leniter ex oculis fluentes,inſtar odorati roris è nube jam irride picta labentis;vel liquoris ad ignem fornaculæ,nè floribus expreſſi,non præcipitantes torrentis more, aut niuium è ſummo montis vertice liquétium, hinc ſingultus & ſuſpiria. Sic converte quæſo te,oculos, vimque aliam Amoris non minus mirabilem contemplare; Vbi enim fluxit in lacrymas,ſubitò in flammas,velut fulmen, erumpit, atque emicat.

PVNCTVM. II.

Amoris flammæ.

LAudatus Poëta primum quidem deſcribit divinum Amorem,cœleſtes delicias, Staniſlao ſeſe offerentem.

Ætherei latices,liquidaque infuſa voluptas
Gurgite, & irriguo flumina læta Deo:
Huc agite,& iuveni veſtros aſpergite rores,
Cui non eſt terra qualibet unda ſatis.
Vritur & validis ardent præcordia flammis,
Nec flammis imbrem, quo medeatur,habet,
Ardor erat vultus,gemina,duo lumina,flammæ,
Flamma ſupercilium,cætera membra rogus.
Ipſa redundabat flammarum aſpergine cyclas.
Denique ſidereo totus in igne Deus.
Hæſit ad hanc ſpeciem juvenili percitus æſtro:
Nam ſeſe calido flumine ſentit agi.
Nec tacet acceptoſque auget, dùm ventilat æſtus?
Et quas corde faces parturit,ore parit.
O mare flammarum,atque ò viva incendia,dixit,
Ad quorum ardores fervidus ignis habet.
Me precor abſumat,modò me tuus impleat ardor;
Ah noceat,modò cor deſinat eſſe nocens.

Tum adoleſcentem ſic divini amoris facibus incaleſcentem repræſentat:

Ille repercuſſu flammarum flammeus hæſit,
Et ſenſim in ſimiles cœpit abire faces.
Non ſecus inivomos media de nocte vapores,
Fervida cùm fornax ore patente vomit:
Quiſquis adeſt procul, aſpectu ſi combibit ignes;
Cogitur aſpectu concolor eſſe rogo.
Sic puer ardores cœli dùm ſuſpicit ardet:
Nec quàm pectus adhuc æſtuet,ora negant.

Scintillan

Digitized by Google

Scintillant oculi,frons fulgurat,ebria flammis.
Tempora ſunt, medio vultus in igne latet,
Non ſolùm in faciem diuina allabitur æſtas,
Sed magis anguſto pectore clauſa furit.
Hic ſtimulat ſeſe,& tanquam indignata teneri.
Tentat inæqualis rumpere clauſtra ſinus.
Iamque adeò iuuenis flamma eluctante laborat.
Quamquam ſi neſcis,eſt amor,ille labor.
Æſtuat ardenti ſimilis, nec diſplicet æſtus:
Deperit atque ignem, quo magis igne, perit.
Vltorem poſſit,quem nollet adeſſe precatur;
Mox piget,atque anceps optat,& odit opem.
Lenitura rogum,& cordi factura ſalutem,
Vicino auxilium quærit ab amne manus.

PVNCTVM III.

Amoris ſupplicia voluntaria.

EA eſt natura Amoris,vt nulla vulnera rei dilectæ gratiâ pertimeſcat ; quàm illuſtre exemplum eſt in Chriſto cernere?quem nonpe rcellit extremi imago ſupplici; cui victimam innocentem voluntarius Amor adduxit?Totus certè perturbor ipſa recordatione;Iam enim redit in mentem ferale illud ſpectaculum,iam mihi videntur:

Hinc atque hinc volitare cruces,clauoque trabali
Surgere funerei pendentia brachia trunici ,
Purpuraque,& teli facies,enſique nefandi
Stare minax,horrere vepres,crepitare flagellis
Verbera,& extremi ſæua inſtrumenta doloris.
Quid tranſpirato ſudantes ſanguine venas?
Quid lâceros artus,& deſignata ſuperbis.
Tempora ſuppliciis?

Placuit non ſemel ingenioſa amoris pictura ; quàm hîc attexam, vt in ea innocentis carnificis ſæuitiam agnoſcas amabilem ,

O Amor,ô viuax hominum,Diuûmque voluptas!
Quis te carnificem meliorem fecit amantum ?
Regia nō illum vndanti chlamys armabit amictu,
Non aurum,nō gemma inotat,non ſubtile cœlum,
Intextuſque aes,& vela thalaſſima condunt.
Sed toga quā liquidus cinis olim pinxerat,at nūc
Ipſe etiam ſeſe cinis hic extinxit,& anceps
Pro fuco rigor, incertuſque ſubal bicat horror.
Quid referā incomptos per liuida tempora crines?
Quid faciem incultam?quid nuda coloribus ora,
Tabenteſque oculos,& lumina neſcia lucis.
Neglectumque ſupercilium?quis credat amorem?
Et tamen eſt amor,& lacera ſub veſte triumphat,
Ille quidem poſuit,quem dudum geſſerat arcum ;
Sed fecit noua tela,nouas ſe vertit in artes.
Texuit artifici primùm diſcrimine telas ,
Horrentes telas, & equinis aſpera ſetis
Cingula Cynipbiiſque attonſa Cilicia villis;
Præterea qui nos modo ſociauit eodem
Funiculos,junctiſque caput dedit omnibus num.
A capite abſoluit nexum,iuſſitque vagari
Pronius,& ſparſim liberrima ſerpere fila.
At fibrarum oras,ſupramaque agmina cauda
Implicuit nodis,& textu duplice ſepſit:
Nobile ſupplicium,tempeſtatemque nocentum
Terga flagellantem,ſcelerumque vltricia tela,&c

PVNCTVM IV.

Amor pauper.

IPſe adeò illuſtres oculos,& nobile frontis
Imperium obnubit;cæcum quis neſcit amorem ?
Non illi ambroſiis coma mollis odoribus halat,
Non rubor in vultu candórue reciprocus errat ;
Non labris ſua forma,neque eſt ſua gratia formæ:
Fit miſer,inque ægrum mutato vertitur ore
Omnia languenti ſimilis,faciémque,coloremque
Atque oculos ſenſim vicina in morte natantes.
Squalida pannoſo malè pectora condit amictu,
Nudus, inops, lacerique cadaueris argumentum,
Et tamen hac ſubter ſpolia,& miſerabile corpus,
Exultat (quis credat?) Amor:Tegit aureus ora
Indepreſſa aliis,ſeque inter nubila condit
Lurida;Sol hominum;ſed & inter nubila lucet ?
Sordibus horreſcit;ſed habent ſua præmia ſordes.
Eſt pallor qui membra notat,ſed pallor amoris.

PVNCTVM V.

Amoris pia deſideria, & vota.

VErus amor nullum votorum finem facit ; ſed illum nouis identidem deſideriis nutrit,

ac fovet: Sic ille Magnæ Matris devotus Vates, ſui in Virginem Amoris faces votis accendit, ne-pij & ſanctè memo.is in eandem Virginem Poëtæ.

Non ego conſpicuos moror ambitioſus honores,
Non ego defoſſas ſcrutor auarus opes.
Si modò præ cunctis Vatibus auctius ornem.
Si modò te cunctis plus ego mater amem.
Tu mihi ſola places, & digna videris amari,
Tu mihi ſola meo carmine digna cani.
Da mihi mille manus Virgo, da guttura mille;
Mille dicabo tibi guttura, mille manus,
Quò-me-cumque fero præſens tua ſēper oberrat;
Incurritque oculis ſemper imago meis.
Sæpe mihi terris (dùm vita ex ordine volvo
Facta tua) ferri ſæpè videris aquis.
Nec tot aqua fluctus, nec humus tot parturit herbas,
Quot mihi votorum ſurgit opima ſeges.
O me felicem ſi vim tua Virgo Carina,
Si famuler plantis herba terenda tuis!
Præcipuè dùm templa peto, ſi floſculus ambit,
Diua tuos crines, floſculus eſſe velim.
Multa tuá coram ſi lucet, imagine cera;
Artifici ceræ gratulor huius api.
Ante tuas lychnus ſi pendulus ardeat aras,
Cor mihi quod tali non flagret igne, queror.
Thuris acerra ſuos tibi ſi ſubmittat odores,
Fumificus totâ regnet, & æde vapor.
Cur meus exclamo ſimili non liquitur igne,
Spiritus ignauo frigore factus iners?
Cur non ſidereas vt fumus odorus in auras,
Corpore conſumpto non rediturus abit?
Votiua paries ſi fulget honore tabella,
Quot mihi delicias vna tabella facit?
Sæpè loqui mecum, quamvis ſit muta, videtur
Et me deſidiæ ſæpè monere meæ.
Diua feri pectuſq; meum tot cinge ſagittis,
Dum pharetra totas hauſerit arcus opes,
Diua novas tot mitte faces, dùm totus ab igne
Igneus, & cineris ſim leuis vmbra mei.

PVNCTVM VI.

Amoris expoſtulatio.

EST illa plena ſtomachi, & querelarum B. V. Mariæ in Clientem ingratum epiſtola, be-

Si fueras noſtro malè reſponſurus amori,
Et mihi neſcio quam præpoſiturus Heram.
Cur tua Parthenio coram promiſſa Senatu,
Et formidando Numine vota dabas?
Ah miſer! etſi te nondum vindicta fatigat,
Sera ſolet claudo pœna venire pede.
Ancipiti ſuſpenſa tenet Deus æthere tela,
Et fracti rigidus fœderis vltor erit,
Tune meus totas ſceleri qui pendis habenas?
Quem vagus abrupto tramite raptat amor?
Numinis alta tuum quondam reuerentia pectus
Vſſit, & in pretio cura pudoris erat.
Pro dolor! vna tuo prædata eſt pectore Numen.
Abſtulit & ſenſus vna libido tuos:
Id ſummo plus nempe dolet quàm rere Tonanti,
Plus mihi quàm poſſum diſſimulare, dolet.
Ergo ſodalitij fruſtrâ deſcriptus in albo es?
Ergo ſacramentum ventus & vnda tulit?
Angele cùm ſacro mandares pacta libello,
Debuerat primà ſiſtere penna notà.
Turpius expungis, quàm non inſcribis amantem,
Qui ſua ſic peſſum vota daturus erat.
Quæ tibi, quà merui culpâ vileſcere? pennas
Cur tuus à nobis veláque vertit amor?
Nil ego peccaui niſi ſi conceſſa Clienti
Scilicet ingrato munera crimen habent.
Incipe prateritos animo reuocare fauores:
Deficies; numero copia maior erit.
Vix benè natus eras, cùm te velut altera mater
Suſcipio vitæ fida magiſtra tuæ.
Corpore quòd ſano, quòd commendaris acuti
Dotibus ingenij; muneris omne mei eſt.
Interea totam exſpueris iam mente MARIAM?
Væ tibi, ſi quæ ſim, quæris & vndè parens!
Sæpè tibi natum procudit fulmina cælum,
Sæpè tibi vltrices aſtra minora faces:
Sæpè tibi molita fuit ſtyx improba mortem,
Dùm coqueres animi crimina mente tui:
Omnia diſieci, & precibus torment aredemi,
Heu vitæ nimium pernicioſa tuæ!
Finge age te ſummi poſitum in diſcrimine mortis,
Et tibi iam dictam funeris eſſe diem.
Quid tibi mentis erit, cùm te periuria lædent,
Horrida cumque ſuo culpa Satellitio?

Quàm tibi grata forẽ, quàm tũc ingrata recurrãs!
Heu violata tuo turpiter ore parens!
Pluribus abſtineo: te mors te flamma perennis,
Te moueat ſummi numinis ira minax.

Pvnctvm VII.

Amor pœnitens.

ACrem morſum doloris exprimit idem vates in Cliente, quem deſertæ V. Mariæ benè pœnitet.

Si quantum me Virgo pudet timeoq́; referret,
Littera, plena metu, plena pudore foret.
Erubui, cum blanda ſuum me charta vocauit:
Extimui cùm me prodidit eſſe reum.
Siue modum ſpectem, quo me pia mater amaſti,
Seu recolam, quo ſit tempore iunctus amor.
Rũpor & agra manus calamo obnitente recuſat.
Prodere perfidiæ facta tegenda meæ
Haccine firma mei vis pectoris? vmbo MARIAM
Quo tegerem, vilis debuit eſſe fuga?
Siccine me primo Cythereia verbere vocis
Egit præcipitem mentis ab arce meæ?
O vti nam blando cùm me ſermone vocaret:
Mors inopina meum præpediiſſet iter!
Tunc potui ſine labe mori: nam quidquid ab illo
Produxi vitæ tempore, culpa fuit.
Gratia Virgo tibi per quam ſecurus ab ictu
Fulminis, & ſtygio tutus ab hoſte fui.
Adiice tot donis ſummum Regina, fauorem,
Elue perfidiæ crimina fœda meæ,
Siue pianda iubes iugi periuria fletu;
Perpetuas oculus ſuggeret vltor aquas,
Siue pianda iubes fusâ periuria vitâ,
Prodiga quaq́; ſui vena cruoris erit.
Gratus erit quocunq́; voles me plectere, carcer:
Si modò me dignum carcere, mater, habes,
Non ego Tænarios ſi me proſcribis ad amnes
Deprecer vſq́; graue es, læſa MARIA, *malũ.*
Nec me pœna grauis, nec me turbauerit Orcus,
Digna niſi æterno mater amore fores.
Mitte quod inualuit prima lanugine crimen,
Non ſatis in cœco pectore mentis erat.
Ante graui funeſta dies me funere mergat,
Arguat orba ſua quàm mea vota fide.
Hanc ſine ſpem me ferre tui, pia diua, meoq́;
Si vis corde metum tollere, tolle ſcelus.

Pvnctvm VIII.

Mors amoris.

VIdimus amori paupertatem, vulnera, morbos, vota, querelas dolorem, & pœnitentiã, vis & mortem? in Virgine viuentium matre, quæ diuino amore moritur.

Hic Princeps notasq́; domos, humilesq́; recludit
Ipſe fores crudelis amor; iàm tela pharetris
Eximit, & totos inpugnam ſuſcitat ignes.
Iam vultus teneraſq́; genas, iam membra decori
Concilias niueam radiantia lumina frontem
Illuſtrant; qualis fuluo lapis emicat auro;
Vultus ſanguineo violatur eburneus oſtro
Flauaq́; ſub tenui coma murmure ventilat aurũ.
Arcum læua manus, geminas armata ſagittas
Dextra vibrat, ſedet ambabus diuerſa poteſtas:
Altera cui duro riget inclementia ferro,
Fortior humanis abrumpit pectora curis:
Aurea cœleſtes penitus defigit amores.
Sic inſtructus amor graditur, paſſimq́; ſuperbos
In pompam mouet, his ſeſe oſtentabat in armis.
Vt primùm apparet Virgo genibusq́; voluta
Occurrit voto dùm ſupplice numen adorat;
Surgit in aduerſæ demiſſaq́; corpora terræ
Lætus abit, gaudenſq; ſuis in vulnera telis
Deſignare locum: nunc inſidiatur ocellis;
Nunc pectus medium; nunc totos appetit artus:
Et per mille vias: per vulnera mille ſuperbum
Victorem ire, iuuat totos inuadere ſenſus.
Seu quantas accenſa faces mens ſaucia voluit,
Cùm iam regnat amor conceptuſque incubat imo
Corde Deus, quantos ciet intra viſcera motus,
Quàm varias artes molitur, & intima miſcet
Exagitans, quid non diuino in pectore verſat?
Namq́; modo armatus flammis, tædaq́; micanti
Mille faces vibrat impatiens, mille ignea figit
Tela manu, transfixæ hærent in corde ſagittæ,
Et penitus medium incendunt, furit æſtus ab imis
Pectoribus cæcóque ardent in vulnere flammæ
Æſtuat vt clauſis rapidus fornacibus ignis

Aut

Aut penitus rupta bacchantur fulmina nube
Non ſecus incluſis erumpunt pectora a flammis.
Armato ſub amore, tot ille incendia miſcet
In pugnam, tantuſq; ſub hoc duce militat ignis
Interdum dulci languentia corda calore.
Per mulcẽs blãdè in lacrymas liquefacta reſolvit,
Et primùm teneris gutta eluctantur ocellis.
Solis vt aduerſi radiis mollita relaxat
Pulchra ſinum nubes, & multicoloribus vndis
Labitur in ſylvas, & gratum effundit odorem.
Mox velut effractis torrens violenis habentus
Præcipitat, totum in largos cor liquitur imbres.
Quis referat quoties vultus mutauit honorem?
Quàm varios ſubitus color accuſavit amores?
Friget, inardeſcit, pallet, rubet, æſtuat, horret;
Nunc tremulo excuſſæ micuerunt ſanguine venæ
Nunc & inæqualis, per mollia pectora motu
Fuſa langueſcunt animæ; nunc impetus omnis
Emoritur, refugitq; animus, ſubitoq; reſurgunt
Concepta vires, languorem concutit ardor,
Nempè ita ludit amor lentum emollita per artes
Viſcera. mille hic illecebras, & gaudia fingit,
Tum demum deſerta ſuos mens ebria ſenſus
Deficit, & magno ſomnus ſuccedit amori.
Hîc vbi diffuſo conſtrinxit membra ſopore
Et ſenſus animæ cuſtodes arte ſeſellit
Virgineam abſovit mentem, tacituſque ſolutam
Prædatus vinclis, & cæco corpore latus
Exilis, & captam deportat in æthera prædam.

Infinitus, ſim & moleſtus, ſi reliquos amoris affectus & ſigna referam, proindè ſumma tantùm cupita deſignabo, materiam aliorum ingeniis, & induſtriæ relicturus.

PVNCTVM IX.

Mali Amoris deſcriptiones.

QVæris naturam amoris impuri? nihil mutabilius, Blandus eſt & ferox: avarus, & prodigus: dives, & inops: timidus, & audax: fortis: & impatiens: obſcurus, & candidus: veri, falſique amans: ſecreti cuſtos, & proditor: nunc humilis, nunc elatus: nunc ſobrius, nunc ebrius: nunc accuſator, nunc reus: Iocatur, ludit, pallet, tabeſcit, ſuſpirat, obſequitur, tentat, decipit, promittit, dat, tollit, peiuſque ſemper blanditur, quàm fuit.

Quæris eius originem? naſcitur ex vulnere dolore paſcitur, errore creſcit, viuit in flammis, & in cineres tandem euaneſcit.

Quæris habitum? Glaber eſt corpore, oculis lubricus, & procax, forma inſidioſus, & pellax, aliſv olucer, manu promptus: arcu, ſagittis, & facibus armatus: ætate nonmagis, quàm iudicio puer.

Quæris eius potentiam nocendique artes? latens ignis eſt, gratum venenum, dulcis morbus, blanda mors, illecebroſum ſupplicium. Hic ille amor eſt, qui rupes tranſilit, fluvios tranat, gladios acuit, laqueos nectit, parentibus inſidiatur: hic cuius furoribus tragœdiæ perſonant, qui tàm ſæpè accuſatur in fabulis, ex lex, iracundus, intempeſtivus, odii pleniſſimus, & lacrimarum. Quid cum improviſus inſtar procellæ labitur in pectus, & oculis irrumpit in animum, velox, acer, acutus, facibus vndique collucens? quam vanè miſerum amantem cruciat, agitat: ſtimulat, diſtrahit, diripit, fugat, agit, appetit, raptat retinet, iactat! Hoc formæ honeſtas deſloreſcit: flos coloris atteritur; color extinguitur venuſtatis, pallet vultus, liquantur in maciem genæ, excavantur oculi, tabeſcunt lumina, mens tota de ſede convulſa percellitur. Proh monſtrum immane! ô miſera mancipia, quæ tàm efferato tyranno ſeſe addicunt!

Amantis deſcriptio ſecunda.

Deſcibitur cum inconſtantia, qua pendentem ſemper hominem retinet: cuius imaginem expreſſit doctus æquè, ac facetus in antiqua Comœdia Plautus, cum adoleſcentis Alceſimarchi confeſſione miſerias amoris exprimit. In Ciſtellaria Sc. 1. Act. 2.

Credo ego amorem primùm apud homines carnificinam commentum.
Hanc ego de meo coniecturam domi facio, ne foris quæram.
Qui omnes homines ſupero, atque antideo cruciabilitatibus animi:

Digitized by Google

Iactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in amoris rota miſer;
Examinor, feror, differor, diſtrahor, diripior; ita nullam mentem
Animi habeo: vbi ſum, ibi non ſum: vbi non ſum, ibi eſt animus.
Ita mihi omnia ingenia ſunt: quod lubet, non lubet jam id continuò.
Ita me amor lapſum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, iactat, largitur; quod dat, non dat, deludit:
Modo quod ſuaſit, diſſuaſit; quod diſſuaſit, id oſtentat.
Maritumis moribus mecum experitur, ita meum frangit amantem animum.

Tertia deſcriptio.

Per imaginem multiplices amoris affectus, & effectus complectitur in ea deſcriptione, quam exhibet Propertius l. 2. Elegia x 1.

Quicumque ille fuit, puerum qui pinxit amorem,
Nonne putas miras hunc habuiſſe manus
Hic primum vidit ſine ſenſu viuere amantes,
Et leuibus curis magna perire bona.
Idem non fruſtra ventoſas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum:
Scilicet alterna quoniam iactamur in vnda,
Noſtráque nonnullis permanet aura locis.
Et meritò hamatis manus eſt armata ſagittis,
Et pharetra ex humero Gnoſia vtroque iacet:
Ante ferit quoniam, tuti quàm cerninus hoſtem,
Nec quiſquam ex illo vulnere ſanus abit.

Male Amantis ſigna.

Ne paginas impleam, multiplices amoris inſani notas quiuis deprehendat in Hyppolito Senecæ Act. 2. Quas hic ſubiiciam, vt in illis naturæ ſemper ad malum vergentis defectus agnoſcatur, & nullus non intelligat amorem vicisse, maximam victoriam & ſolam voluptatem eſſe. Sic autem amoris impij morbum impatientem, atque æſtus deſcribit.

Erumpit oculis ignis, & lapſa genæ
Lucem recuſant, nil idem dubiæ placet,
Artuſque variè iactat incertus dolor.
Nunc vt ſoluto labitur moriens gradu,
Et vix labente ſuſtinet collo caput.
Nunc ſe quieti reddit, & ſomni immemor
Noctem querelis ducit; attolli iubet
Iterumque poni corpus; & ſolui comas,
Rurſuſque fingi; ſemper impatiens ſui
Mutatur habitus; nulla iam Cereris ſubit
Cura, aut ſalutis, vadit incerto pede,
Iam viribus defecta, non idem vigor,
Non ora tingens nitida purpureus rubor,
Populatur artus cura: jam greſſus tremunt,
Tenerque nitidi corporis cecidit decor.
Et qui tenebant ſigna Phœbea facis
Oculi, nihil gentile, nec patrium micant,
Lacrymæ cadunt per ora, & aſſiduo genæ
Rore irrigantur; qualiter Tauri jugis
Tepido madeſcunt imbre perfuſæ niues.

PVNCTVM. X.

Reliqua Amoris effecta.

I. Pictor eſt Amor.

Amantis animus magis ibi eſt, vbi amat quàm vbi animat; ſemper amatæ rei ſibi repræſentat imaginem, habitum, inceſſum, motum verba, geſtus, vultum, & id genus alia, quæ diſettè notauit in Tarquinio corruptore Lucretiæ Ouid. Faſtor. 2. Nam cùm in caſtra rediiſſet ipſe ſecum.

Carpitur attonitos abſentis imagine ſenſus,
Ille, recordanti plura, magiſque placent.
Sic ſedit; ſic culta fuit, ſic ſtamina neuit:
Iniectæ collo ſic jacuere comæ:
Hos habuit vultus: hæc illi verba fuerunt:
Hic color, hæc facies, hic decor oris erat.

Animus non eſt in pectore amantis, ſed in ipſis rebus, quæ amantur, ait lepidè Plauti Pſeudolus Act. 1. ad Caliodorum.

Aduorrito animum Cal. non adeſt. Pſ. at tu cita.
Cal. Immò ego taceboſ, ubi hinc eum ex cera cita.
Nam iſtic meus animus nunc eſt, non in pectore.

Nullus nexus amore arctior, nec tantùm iungit ſed vnit; nec in conſpectu tantùm ponit, ſed in pectore

Digitized by Google

pectore condit amatum,& attificio ſingulari repræſentat.

Quod digiti nequeunt, alligat illud amor.
Longius inde abſens,ibi ſed pertingo, quod opto,
Quo ſede non venio,pectore totus eo.
Nā licet obſtet Arar, Rodanuſque natamus amore
Non vetat ire animum,quò vetat ire gradum.

Pari propè in loco poni debent illa Naſonis aduerſus Atticum 2. de Ponto. Eleg. 4.

Ante meos oculos preſto eſt tua ſemper imago,
Et videor vultus mente videre tuos.
Seria multa tibi tecum collata recordor;
Nec data iucundis tempora pauca iocis.
Sæpè cita longis viſa ſermonibus hora:
Sæpè fuit breuior quàm mea verba, dies.

II. Signum Amoris.

Eſt Simia.

Qui amat imitatur omnia quæ in amico intuetur,quia placent,& idcirco placent. quia amat: vnè idem cum eo ſentit, idem loquitur, idem probat doletque;cum ridente, ridet, negat cum negante,ſimilis illi fonti,cuius naturam præclarè deſcribit Caſſidorus,qui vocem,gemitus, & ſuſpiria, aliosque motus propriòs accedentium refert.Hinc Ouid.

Arguat,arguito,quidquid probat ille,probato:
Quod dicit,dicas quod negat ille,neges.
Riſerit,arride,ſi fleuit, flere memento;
Imponat leges vultibus ire tuis.

III. Signum.

Comes Amor.

Amor perpetuus Comes eſt, & contubernalis aſſiduus; ſocietate enim gaudet,ac præſentiâ amici, cuius abſentiam fert mœſtiſſimè,reditum cum ſumma gratulatione excipit; porrò abſente amico aſpernatur omnia; ſonus, cibus, ludus, lux ipſa ingrata eſt. Sic Euandri patris in filium diſcedentem exprimit vates 8. Æn.

Tùm pater Euandrus dextram complexus euntis,
Hæret inexpletum lacrymans,ac talia fatur,
O mihi præteritos referat ſi Iupiter annos!
Non ego nunc dulci amplexu diuellerer vſquam
Gnate tuo.

Indè fit vt qui amat, incredibili dolore tangatur illo diſcedente,ex cuius conſuetudine plurimum delectationis capiebat, illumque quantum poteſt oculis proſequatur, apud Statium Achilleidos,2.

Turre procul ſumma lacrymis comitata ſororum,
Confeſſumque tenens,& habentem nomina Pyrrhū
Pendebat coniux,oculiſque in Carbaſa fixis
Ibat, & ipſa fretum,& puppem iam ſola videbat.
Ille quoque obliquos dilecta ad mœnia vultus
Declinat,viduamque domum,gemituſque, relictæ
Cogitat,occultus ſub corde renaſcitur ardor
Datque locum virtus.

Hinc etiam ſequitur,vt amici reditus, conſpectuſque ſit amico iucundiſſimus,Claud.de bello Gildonicò.

Quem ſimul vt vidit natus(nam clara nitebat
Cynthia)permixto tremuerunt gaudia fletu,
Complexúque fouens,quos non ſperauerat artus.
O mihi poſt Alpes tunc primùm reddite dixit:
Vnde tuis optatus ades?da tangere dextram
Quâ gentes cecidere feræ. Quis tale remouit,
Præſidium terris, vt te mortalia pridem
Implorant,lugentque pium,fortemque requirunt.

Eam ob rem nihil abſenti gratum, & acceptum eſſe poteſt, quamdiu abeſſe ſentit eum,quem amat. Nemeſianus Egloga 2.

Pallidior buxo,violæque ſimillimus erro.
Omnes ecce cibos,& mæſti pocula Bacchi
Horreo,nec placido memini concedere ſomno.
Te ſine væ miſero mihi,lilia nigra videntur,
Pallenteſque roſæ,nec dulce rubens hyacinthus.
Nullos nec myrtus.nec laurus ſpirat odores.
At tu ſi venias,& candida lilia fient,
Purpureaque roſa,tùm dulce rubens hyacinthus
Tùm mihi cùm myrtho,laurus ſpirabit odores.

IV. Signum.

Prodigus Amor.

Qui amat,nihil habet ſuum, ſed in amicum li-

beraliter effundit omnia: prodigus enim eſt amor, & ex prodigo pauper. Inde opinor à Max. Tyrio deſcribi nudum, lacerum, humicubum. Illuſtris in hanc ſententiam locus apud Lucan. 8. Vbi Mitilenei ſe ſuaque Pompeij coniugio propenſa voluntate offerunt.

—— Maxima gloria nobis
Semper erit tanti pignus ſeruaſſe mariti.
Accipe templorum cultus, aurumq; Deorum
Accipe, ſi terris, ſi puppibus iſta iuuentus
Aptior eſt, tota quantum vales vtere Leſbo.

V. Signum.

Præco Amor.

Eſt amatæ rei Præco nobilis, cuius modò virtutes, modò facta, modò dicta, modò ſpeciem & dignitatem laudat, deprædicat, miratur, extollit. Quod impuris ignibus ardens Phædra facit ad Hyppoliti ſui aſpectum, apud Ouid. ep. 4.

Te tuus iſte rigor, poſitique ſine arte capilli,
Et leuis egregio puluis in ore decet.
Siue ferocis equi luctantia colla recuruas,
Exiguo flexos miror in orbe pedes.
Seu lentum valido torques haſtile lacerto.
Ora ferox in ſe verſa lacertus habet.
Siue tenens lato venabula cornea ferro;
Denique noſtra iuuat lumina, quidquid agat.

VI. Signum.

Amor Ægrotus.

Amore ſaucius, ardet, vritur, turbine mentis agitur, doloribus, curis anxius, inquietus, quiquidem morbus inexpugnabilis eſt donec in re amata conquieſcat. Hanc pinxit effigiem Seneca Trag in perſona Phædræ.

—— Pectus inſanum vapor,
Amorq; torret, intimas ſæuus vorat
Penitus medullas, atque per venas meat
Viſceribus ignis merſus, & venis latens.
Vt agilis altas flamma percurrit trabes.

Tam perditè amantis infelicitas eſt in ipſa amoris inſania, vt nec morbo medicinam admittat. Pergit pictor.

Spes nulla tantum poſſe leniri malum
Finisq; flammis nullus inſanis erit,
Torretur æſtu tacito, & incluſus quoque,
Quamuis tegatur proditur vultu furor,
Erumpit oculis ignis.

Non peritè minus, & magis blandè in Phaone Ouid.

Vror Vt indomitis ignem exercentibus Euris,
Fertilis accenſis ardet ager.
Me calor ethnæo non minor igne coquit.

VII. Signum,

Amor Stultus.

Inſanus & Stultus amor eſt, quoniam multa efficere ſolet, quæ ſtulta, & inepta videntur aliis minimè idem ſentientibus: hùc illùc volitat, excurrit, vagatur, has illaſque ineptias facit, nulla habita ratione dignitatis ſuæ. Sic telo Cupidinis ſaucia Dido: Ceruæ paſtoris ſagitta vulneratæ mobilitas, curſusque, Didonis motibus, concurſionibusque comparatur 4. Æneidos.

Vritur infelix Dido, totaque vagatur
Vrbe furens. Qualis coniecta cerua ſagitta,
Quam procul incautā nemora inter Creſſia fixit
Paſtor agens telis, liquitque volatile ferrum
Neſcius, illa fuga ſyluas ſaltúſque peragrat
Dictæos: hæret lateri lethalis arundo.

Non minorem inſaniam amātis Phædræ repræſentat Ouidius ex morbi confeſſione per ſimilitudines appoſitas.

Fertur vt aonij cornibus icta Dei,
Nunc feror, vt bacchi furiis Pleicides acta.
Quaque ſub Idæo tympana colle mouent.
Aut quas Semideæ Dryades, fauníque bicornes
Numine contactas attonuère ſuo.

VIII. Signum.

Amor Inſomnis.

Vigil eſt & Inſomnis. Græci curam amoris

ἀϋπνία

Digitized by Google

ἀυπνὸν vocant inſomnem, παρ' ἀγρυπνον omninò inſomnem. Vix corpori quietem tradit;& tamen idem ipſe amor ſomnus eſt, & ſomnium. Quàm varia enim contingunt amanti ſomnia? quod quidem accidit ex diurna cogitatione vehementiori,quæ ſopito etiã redire ſolet. Hinc eſt quod in ſomnis ſibi videtur modò per montes, & ſyluas vagari: modò abſentem amicum affari velut præſentem.Inſomnem ſe fatetur,ac luget Medea poſt multas de Iaſone querelas.epiſt. 12.

Non mihi grata dies:noctes vigilantur amaræ:
Nec tener in miſero pectore ſomnus adeſt.
Quæ me non poſſum,potui ſopire draconem
Vtilior cuius, quàm mihi, cura mea ſt.

Ad Æneæ formam regiam tabida per noctes vigilat Dido,de qua Muſa latini Vatis,4. Æn.

Poſt,vbi digreſſi,lumenque obſcura viciſſim
Luna premit, ſuadentque cadentia ſydera ſõnos
Sola domo mœret vacua, ſtratiſque relictis
Incubat:illum abſens abſentem audit que videtq;

Nec alio ſenſu Catullus dixit.

Spinoſas Ericina ferens in pectore curas.

Nam vehementioris amoris ſpinæ omnem procul abigunt quietem.

Sæpè gaudent in ſomnis amantes, varioſque affectus patiuntur.Sappho Phaonem ſuum videt in ſomnis, & illum non ſine magno liqueſcentis animi ſenſu alloquitur.

Tu mihi cura Phaon, te ſomnia noſtra reducunt,
Somnia formoſo candidiora die.
Illic te inuenio, quamquam regionibus abſis:
Sed non longa ſatis gaudia ſomnus habet
Blandior interdum,veriſque ſimillima verba
Eloquor,& vigilant ſenſibus ora meis.

IX. Signum.

Mutus Amor.

Modò loquax & garrulus, modò mutus eſt; verba enim præcludit vis amoris inſolens, ſed vbi remiſit impetus ſe linguâ explicat, & perennis fluminis in morem effluit Ouid.

Terque tum conata loqui,ter inutilis hæſit
Lingua, ter in primo deſtitit ore ſonus.

Ab aſpectu dilecti Hyppoliti Phædræ verba præciduntur, & excidunt,

Sed ora cœptis tranſitum verbis negant,
Vis magna vocem emittit, ac maior valet.

X. Signum.

Timidus eſt Amor.

Qui amat timet,non ſuâ ſed amici causâ;omnia enim amico timet,ſiue bellorum,aut Martis pericula,ſeu quiduis aliud obeat. Deianira Herculi timet ex amore,

Ipſa domo vidua votis operata pudicis
Torqueor, infeſto ne vir ab hoſte cadat
Inter ſerpentes, aproſque auidoſque leones
Iactor,& haſuros cerno per oſſa canes.

Ita per ſpeciem alienæ felicitatis ſibi Phillis conſulit, dum Demophoontem ſuum à nauigatione deterret,& Laodamia Proteſilaum à bello reuocat illa propter certum naufragium quod amans conijcit:hæc ob incertos exitus pugnarum,Martemque communem,

Interdum timui ne dùm vada tendis ad Hebri
Merſa foret causà naufraga puppis aqua,
Sed timeo: quotieſque ſubit miſerabile bellum,
More niuis lacryma ſole madentis eunt.

Quàm verò tuta timeat ſatis oſtendit illa Penelope ſemper ſollicita, ſemper in metu ob profectionem Vlyſſis ſui.

Quando ego non timui grauiora pericula veris?
Res eſt ſolliciti plena timoris amor.
In te fingebam violentos Troas ituros:
Nomine in Hectoreo pallida ſemper eram.
Siue quis Antilochũ narrabat ab Hectore victũ:
Antilochus noſtri cauſa timoris erat.
Siue Menœtiaden falſis cecidiſſe ſub armis:
Flebam ſucceſſu poſſe carere dolos.
Sanguine Tlepolemus Lyciã tepefecerat haſtam:
Tlepolemi letho cura nouata meo eſt.
Denique,quiſquis erat caſtris iugulatus Achiuis,
Frigidius glacie pectus amantis erat.

Benè Mamertinus in gratiarum actione Militum fidem & amorẽ in Imperatorem ſuum commendat,de cuius ſalute facit ſollicitos,& omnia metuentes. *Quod ad te attinet cuncta iam à cuſtodia*

tua

tua arma remoueret, quando hoc potes perſuadere militibus? Anxia eſt fidelium diligẽtia. Maximo amori, maximus timor iunctus eſt.

XI. Signum.

Amor audax.

Si quid fortè ſubeundum, aut faciendum ſit amatæ rei cauſà, nihil arduum aut difficile reputat, pericula ſubit intrepidus. Qualis illa Ceres quæſitura Proſerpinam apud Claud.

Non requies, non ſomnus erit, dum pignus adeptũ
Inueniam, gremio quamuis mergatur Ibera
Tethyos, & rubro iaceat velata profundo:
Non Rheni glacies, non me Riphæa tenebunt
Frigora, non dubio Syrtis cunctabitur æſtu;
Stat fines penetrare Noti; Boreæq; niualem
Veſtigare domum, primo calcabitur Athlas
Occaſu; facibusque meis lucebit Hydaſpes.

Non minores in diligẽdo vires amori caſto dandæ. His apud Propertium habet Aretuſa ficta coniux lib. 4. ad Licotam.

Romanis vtinam patuiſſent caſtra puellis!
Eſſem militiæ ſarcina fida tuæ.
Nec me tardarent Scythiæ iuga, quùm pater altas
Africus in glaciem frigore nectit aquas.

Quid non laboris adire parata ſordida ſatis Phædra? ſic illã inducit tragicus Vates in Hypp Act. 2

Non me per altas ire ſi iubeas niues,
Pigeat gelatis ingredi Pindi iugis:
Non ſi per ignes ire, & infeſta agmina,
Cunctær paratis enſibus pectus dare.

XII. ſignum

Amor ſuſpicax.

Hoc inter diuinum amorem, & humanum intereſt, quòd iſte ſuſpicax ſit, diuinus, ſecurus, & omni ſuſpicione liber, ex hoc humani amoris vitio naſcitur Zelotypia carnifex amãtium, quàm ſuſpicax in Didone, quæ ſe deceptam ab Ænea putat. 4 Æn.

At regina dolos (quis fallere poſſit amantem?)
Præſenſit, motusque excepit prima futuros,
Omnia tuta timens. Eadem impia fama furenti
Detulit armari claſſem curſumque parari.

XIII. Signum.

Amor contemptor ſui.

Sui contemptor eſt amor, vt & mortis, & periculorum; imò & parentum, quod contingit idcircò, quia maximo in pretio rem amatam habet, præ qua omnia negligit, etiam ſeipſum: ex quo fit vt ferè ſuperbus ſit & magnanimus. Ita Niſus clamat ſe auctorẽ cædis, vt à ceruicibus infelicis Euriali amici ſui præſens periculum auertat, vel vitæ ſuæ periculo. 9. Æn.

Me me adſum qui feci, in me conuertite ferrum.
O Rutuli, mea fraus omnis; nihil iſte nec auſus,
Nec potuit (cælum hoc, & conſcia ſydera teſtor)
Tantùm infelicem nimium dilexit amicum!

Sic amans in proprio corpore mortuus eſt, in alieno viuit. Hinc eſt vt qui verè amat, aliorum grauiter ferat incommoda, de ſuis non laboret. Sic Arria moritura dixiſſe fertur, non graue ſibi eſſe vulnus, quod ſibi adacto ferro in viſcera amans intulerat, vt marito ad mortem acto præiret, futurum tamen grauiſſimum, quòd deam ob cauſam ſibi coniux afferet illaturus. Mart. 1. Epigramm. 14.

Caſta ſuo gladium cùm traderet Arria Pæto,
Quem de viſceribus traxerat ipſa ſuis:
Si qua fides vulnus quod fecit, non dolet, inquit,
Sed quod tu facies, hoc mihi Pæte dolet.

Cultum corporis, & vitam ipſam negligit Quàm ſollicita de Proteſilao marito ſyncerè amãs Laodamia? Ouid.

Nec mihi pectendos cura eſt præbere capillos
Nec libet aurata corpora veſte tegi.
Conueniunt matres Phylacides, & mihi clamant,
Indue regales Laodamia ſinus.

Quibus reſpondet verbis luctum, amoremque ſpirantibus:

Scilicet ipſa feram ſaturatas murice veſtes:
Bella ſub Iliacis mœnibus ille geret:

ipſa

Digitized by Google

Ipſa comas pectam, galeâ caput illo premetur;
Ipſa nouas veſtes, dura vir arma feras.
Quo poſſum, ſqualore tuos imitata labores
Dicar; & hac belli tempora triſtis agam.

Sic languet pudicus amor Serenæ, cuius Reginæ laudes cantat altiori verſu Claudianus ad Stiliconem in armis agentem,

Non illo nitidos vnquam bellante capillos
Comere: non ſolitos gemmarum ſumere cultus.
Numinibus, votiſque vacas, & ſupplice crine
Verris humum: tegitur neglecta gratia forma
Cum proprio reditura viro.

Genitorem patriamque relinquere pro re amata magnum amoris argumentum: quod fecit Phyllis amans.

At mea deſpecti fugiunt connubia Traces,
Quod feror externum præpoſuiſſe meis,

Fecit Medea:

Proditus eſt genitor; regnum patriumque reliqui,
Munus in exilio quod licet eſſe, tuli.

Incurrere in ſuorum odium, & externorum per amoris inſaniam, quod fecit Dido 4. Æn. ſic illa decepta queritur.

Te propter Libicæ gentes, Nomadumque Tyranni
Odêre infenſi Tyrij: te propter eundem
Extinctus pudor.

XIV. Signum.

Amor conſtans periculorum ſocius.

Qui amat conſtans eſt, ac firmus in amicitia, & in partem periculi venire deſiderat. Sunt illæ rationes, & quærelæ elegantis formæ iuuenis Euryali quibus euincit ſibi procedendum ad bellum amici cauſâ, bellum inquam, ardorem rerum terribilium, ſeu metum vltimorum diſcriminum, vt vocat Ammianus lib. 2.

Méne igitur ſocium ſummis adiungere rebus.
Niſe fugis? ſolum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor bellis aſſuetus Opheltes
Argolicum terrorem inter, Troiaque labores
Sublatum erudiit: nec tecum talia geſſi.

Ea eſt amoris indoles vt aduerſis roboretur, & in contemptu mortis virtutem amanti occupet,

Haud timet mortem, cupit ire in ipſos
Obuius enſes.

Seneca 1. de benef. cap. 10. Dignum etiam impendi ſanguinis mei tuebor, & in partem diſcriminis veniam: indignum ſi eripere latronibus potero clamore ſublato, ſalutarem vocem homini non pigebit emittere.

Vera lex amoris & amici non ſimulati hæc eſt, vt eadem animi virtus ſeruetur in vtraque fortuna quam æqualitatem agnoſcit in Niſo, & Eurialo. Virg.

Te verò mea quem ſpatiis propioribus ætas
Inſequitur, venerande puer, tam pectore toto,
Accipio, & comitem caſus complector in omnes.
Nulla meis ſine te quæretur gloria rebus,
Seu pacem, ſeu bella geram, tibi maxima rerum
Verborumque fides.

Secùs abſunt ab amicitiæ veræ decore quàm longiſſimè, qui fortunam ſecundam, non perſonam diligunt ſed prædam quærunt rectè Petronius.

Nomen amicitiæ ſi quatenus expedit, hæret,
Calculus in tabula mobile ducit opus.
Cùm fortuna manet vultum ſeruatis amici,
Cùm cecidit, turpi vertiatis ora fugâ
Grex, agit in ſcena mimum, pater ille vocatur,
Filius hic; nomen diuitis ille tenet.
Mox vbi ridendas impleuit pagina partes
Vera redit facies, diſſimulata perit.

Se, non alium amat quiſquis ita amat, iuxta illud Mart. lib. 2. Epigramm.

Hunc quem vina tibi, quem menſa parauit amicũ,
Eſſe putas fidæ pectus amicitiæ?
Vinum amat, & Cyathos, & ſumma, & Oſtrea, non te
Sublato vino; nullus amicus erit.

Ex hoc amicorum infidelitatem Pompeio proponit Cic. vt fidem Milonis & amicitiam oſtendat pluris eſſe faciendam, nec vanis & incertis ſuſpicionibus alienandum amicum, ne ſi eum damnari patiatur, poſtmodum eius fidem, & amicitiam requirat. Pro mil. num. 70. *Vide, quàm ſit varia vita, commutabiliſque ratio. quàm vaga volubiliſque fortuna, quantæ infidelitates in amicis, quàm ad tempus aptæ ſimulationes, quantæ in periculis fugæ proximorum, quantæ timiditates. Erit, erit illud profectò tempus, & illuceſcet aliquando ille dies, cùm tu ſalutaribus, vt ſpero, rebus tuis, ſed fortaſsè motu aliquos communium temporum immutatis, qui quàm crebrò accidat, experti debemus ſcire: & amiciſſimi*

beneuolentiam,& grauiſſimi hominis fidẽ,& vnius poſt homines natos fortiſſimi viri magnitudinem animi deſideres.

XV. Signum.
Amor obliuioſus.

Vbi ſemel mentem inuaſit amor, rerum omnium obliuionem inducit: quare alia ſtudia, exercitationesque dimittit pendente animo, & in vnius amici cogitatione defixo. Sic è Latio princeps Poëta de Didone amori ſuo nimium indulgente. 4. Æn.

Non cœpta aſſurgunt turres, non arma iuuentus
Exercet, portúsue, aut propugnacula bello
Tuta parant; pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque mœnia cœlo.

Ad hoc argumentum reuocari debet quod 1. Carmi, notat Horatius cantu 8. Vbi Sybaris poſtquam amoris peſte infectus eſt, vtiles alias exercitationes dimiſit. Adde Claud. in nuptiis Honorij & Mariæ:

Non illi venator equus, non ſpicula curæ,
Non iaculum torquere lubet; mens omnis oberrat
In vultus, quos fixit amor.

XVI. Signum.
Amor ſui oſtentator.

Superbus Amor eſt ἐςι χρῆμα γαῦρον. καὶ δεινῶς ἐλεύθερον,, ait Tyrius concertatione decima, res eſt quædam ſuperba, & ſui oſtentatrix, oppidò libera. Hinc illud Claudiani Epithal. Palladij & Celerinæ.

— Lætantur amores,
Fratrique trucet auibus per nubila vecti
Oſtentant ſe quiſque Deæ, magnoque tumultu
Confligunt, pronique manus in verbera tendant.
Conſequitur vincitque ſuos auriga iugales,
Atque impunè cadunt lapſu meliore volantes.

XVII. Signum.
Amor Iracundus.

Blandus eſt, & vrbanus erga amicum, idemque iracundus; quamquam in diuinum amorem non cadit. Humanus verò contemptus furit. Inter notas amantis, bacchantis, furentiſque Didonis præſentientis Æneæ dolos, hanc exprimit. Virg. 4.

Sæuit inops animi totamque incenſa per vrbem
Bacchatur: qualis commotis excita ſacris
Thyas vbi audito ſtimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnuſque vocat clamore Cytharon.

Medeam ſui impotentem, ac incenſam nutrix dehortari conatur nec quicquam apud Senecam Act. 3.

Incerta qualis Entheos curſus tulit,
Cùm iam recepto Mœnas inſanit Deo,
Pindi niualis vertice, aut Niſæ iugis:
Talis recurſat hinc & hinc motu effero,
Furoris ore ſigna lymphatis gerens;
Flammata facies ſpiritum ex alto citat.

Ad hunc furorem exprimendum vſitata comparatio, frequenteſque apud Poëtas 2. nequitiæ de fœmina impotenter amante,

In ferrum flammaſque ruit, poſitoque decore
Fertur vt Aonii cornibus icta Dei
In nemus & ſaltus thalamo Regina relicto
Fertur vt Aonio concita baccha Deo.

Lenitas & Ira in amante potentiſſimi motus, qui licet contrarij, mutuò ſe tamen plurimum adiuuant, quàm amara ſunt illa Didonis Verba?

Diſſimilare etiam ſperaſti perfide, tantum
Poſſe nefas taciiuſque meâ decedere terrâ?

Quàm iſta plena lenitatis, & amoris?

Méne fugis? per ergo has lacrymas dextrãq; tuã te
Per connubiâ noſtra, per inceptos hymenæos
Si benè quid de te merui fuit aut tibi quicquam.
Dulce meum.

Quæ fruſtrata ſpe ſua. vicinam iram aduocat, & erumpit in illam verborum acerbitatem.

Nec te Diua parens, generis nec Dardanus auctor
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus Hyrcanaque admorunt vbera tygres.

Non alio affectu Hypſipile,

Cor dolet, atque irâ miſtus abundat amor.

18. *Si-*

Digitized by Google

XVIII. Signum.

Amor exprobans.

Amor in odiũ verſus vehementius exprobrat & iracundius obiicit beneficia. Quod argumenti genus frequens eſt in Poëtis. Didonem grauiter commotam facit in Æneam ingratum. 4.

Nuſquam tuta fides, eiectum littore, egentem.
Excepi, & regni demens te in parte locaui:
Amiſſam claſſem, ſocios à morte reduxi.

Sic Oenone Paridi cum acerbitate ſeruitutem obiicit, quam ſeruiebat, antequam illum in ſuum acciperet. Apud Ouid.

Nondum tantus eras cùm te contenta marito,
Edita de magno flumine Nympha fui.
Qui nunc Priamides (adſit reuerentia verbo)
Seruus eras: ſeruo nubere Nympha tuli.

Nec diſſimulare potuit Iaſonis ſui animum immemorem furens Medea.

Eſt aliqua ingrato meritum exprobare voluptas
Hac fruar, hac de te gaudia ſola feram.

XIX Signum.

Amor lacrymans.

Ad lacrymas valdè faciles ſunt qui amant, qui character familiaris eſt Poëtis. Ouid. quem nequitiæ Schola pepulit in exilium de eruditis amantium oculis multa.

Quò non ars penetrat? diſcunt lacrymare decenter
Quoque volunt plorant tempore; quoque modò

His loquuntur idem in Briſeide:

Sed tamen hæ lacrymæ pondera vocis habent.

His res ſuas gerunt ibidem.

Sis licet immitis, matriſq; ferocior vndis
Vt taceam, lacrymis comminuere meis.

His decipiunt. Med. Iaſoni.

Vidi etiã lacrymas an & eſt pars fraudis in illis

His blandicias faciunt. Dido. 4.

—— Per ego has lacrymas, dextramq; tuam te
Quando aliud mihi iam miſera nihil ipſa reliqui.
Improbe amor quid non mortalia pectora cogis?
Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando
Cogitur, & ſupplex animos ſubmittere amori.

XX. Signum.

Amor deſperans.

Vbi Deum nihil ſentientem videt Amor, neque occurrentem ſibi, neque in precibus, neque in optatis, neque in votis ſpem ponit, & mortem doloris finem eligit. Quos æſtus patitur Dido? quas fundit lacrymas; quos furores excitat? quoties mortem orat?

At trepida, & cœptis immanibus effera Dido,
Sanguineam voluens aciem, maculiſq; trementes
Interfuſa genas, & pallida morte futura
Interiora domus irrumpit limina, & altos
Conſcendit furibunda rogos enſemque recludit
Dardanium, non hos quæſitum munus in vſus.
Incubuitq; toro dixitq; nouiſſima verba.

Non alia mens Phyllidi à Demophoonte quidē relictæ ac deſpectæ, à ſeipſa propè deſperatæ; ſic enim apud Ouid. illa mortem meditatur.

Sæpe venenorum ſitis eſt mihi: ſæpè cruenta
Traiectam gladio morte perire iuuat.
Stat nece matura tenerum penſare pudorem:
In necis electu parua futura mora eſt,

Malè amat qui ſic amat. Et quidem hæc omnia quæ de amore dicta ſunt evenire ſolent inſanis amatoribus, quorum ineptiis pleni ſunt Poëtarum libri. Idem enim animus, eademque vis amãdi eſt, ſiue ſe ad Deum, ſiue ad res humanas conuertat. Vel ex hoc vno poſſit intelligi, quàm grauiter errent, qui ſuum amorem, rem omnium pretioſiſſimam, viliſſimis rebus addicunt; cùm illum in Deum conferre tàm facilè poſſint. Quare tandem ſapiamus amãdo quod eſt dulciſſimum, CHRISTO vni cor noſtrum ſedem Amoris conſecremus, in quo nihil ad felicitatem deſideres, ait pius Vates:

En tibi quærendi quod ames labor omnis adeptus
CHRISTVS amandus, & hunc præter amare nefas.
Formoſum quæris? nihil eſt formoſius illo:
Moribus inſignem? ſolus at ille bonus:
Immenſumne opibus? nihil eſt opulentius illo:
Munificum? dotes prodigit ille ſuas:
Ductorem? Dux eſt: Regem? Rex: quæris amicum,
Qui redamet? redamat, quin amat ille prior.

Digitized by Google

An Patrem? Pater eſt: Paſtorem? Paſtor, & ille:
An Sponſum mauis: Sponſus at ille tuus:
An Fratrem? Frater: Comitē? Comes: anne fidelem?
Eſſe vel ipſa fides non magè fida queat:
Præſentem? præſens: Conſtantem? non ita conſtans
Rupes, quàm Siculi verberat vnde maris:
An placitum? blandus: iucūdū? eſt ipſa voluptas:
Si pateris? tecum qui patiatur habes:
Doctorem? omnis ab hoc manat ſapientia fonte:
Sollicitumq; preces præuenit ille tuas:
Vulneraq; & noſtros curantem ſanguine morbos
Atque ſuis curat vulnera vulneribus.
Quod ſi fortè cadis, cadis inter brachia amantis,
Puluinar capiti ſubiicit ille manum.
Si fles ille tibi rotantia lumina ſiccat,
Et mœſta Ambroſiis oribus ora premit.
O felix oculus portum viſurus amantis!
Scilicet in lacrymis naufragus ipſe ſuis.

Bené amat, qui ſic amat.

PVNCTVM XI.

Amor loquens.

I. INtereſt Oratoris naturam Amoris noſſe, multas quidem, & graues ob cauſes. Primùm enim in genere demōſtratiuo vtilis eſt hæc cognitio: commendandus eſt cœli ciui vnus; vir Sanctus ab Amore, quo in Deum ferebatur, dum in terris viueret, quantam materiam ex hiſce fontibus, quos aperuimus ſuppeditari putas? Nam ſi quis illa effecta Amoris cōſulat, næ multa nimis ad dicendum inde hauriet. Prædicādus ſit D. Pauli Amor erga CHRISTVM. Effectum eſt amoris plurima pati pro re amata: quàm grauia ille, quàm acerba perpeſſus? Effectum eſt Amoris præſentia rei amatæ delectari, quanto deſiderio CHRISTI videndi tenebatur Paulus? Obliuiſci, & in vnius amici cogitatione cōquieſcere; omnia Paulus viliora ſtercore arbitrabatur vt CHRISTVM lucrifaceret. Effectum eſt amoris prædicare laudes rei amatæ; at quis de Chriſto magnificentius Paulo loquutus eſt?

II. Eadem planè ratio cuiusvis artis. Laudas Principem ab Amore ciuium, & patriæ; commemorabis ſcilicet labores, curas, cogitationes aſſiduas, vigilias, ſui contemptum, ſolitudines liberalitatem, clementiam in omnes, Iuſtitiam, & cætera quæ cum Amore patriæ coniuncta ſunt.

Idem porrò ſentiendum de virtutum amore, de ſtudio litterarum.

III. Iam verò in genere deliberatiuo eiuſdem rei quàm neceſſarius vſus eſt: vt effecta habeas pertractata animo: ſiue ad Amorem cuiuſcúque tandem rei hortari velis: ſiue ab Amore deducere. Quid de genere Iudiciali dicam? cùm accuſare aliquem voles, atque id efficere argumentis vt nunquam amaſſe patriam, nunquam ei virtus placuiſſe videatur.

IV. Quis neſcit Oratorem in Exordiis, & in toto genere Oratoris id ſtudere ſemper debere, vt Auditorum ſuorum amātiſſimus habeatur: at qua ratione tandem Amoris ſui ſignificationem dabit, niſi prius quæ ſint Amoris ſigna nouerit?

V. Cùm Ethopœiæ, & Proſopopœiæ ab Oratore fingēdæ, vel mores ipſi per hypotipoſim deſcribendi ſunt, tùm aduerſariorum: tum eorum quos laudat atque defendit: qui fieri poteſt, vt exprimat Oratione, quemadmodum quis ſit affectus erga Deum, patriam, parentes, aduerſus virtutes, ſi ſit naturæ Amoris ignarus?

Hæc igitur omnia pendent ex cognitione effectorum, quæ ab hac perturbatione manant: quæ quidem licet omnia non cadant in eandem materiam, pleraque tamen ſemper congruent, quorum delectus pendet ex iudicio prudentiaque Oratoris. Placet hoc loco rem exēplis probare, in quibus Amor loquens inducitur, qua ratione quis teſtificari Amorem ſuum poſſit.

I. Loquentis Amoris exemplum.

Tull. Orat. 4. in Catil. ſic Amorem ſuum in ciues ſuos patriamque teſtatur. *Video, P.C. in me omnium veſtrum ora, atque oculos eſſe conuerſos: video vos non ſolùm de veſtro, ac Reip. verùm etiam, ſi id depulſum ſit, de meo periculo eſſe ſollicitos.*

His animi grati ſignificationem aperit, quæ ad Amorem eſt efficax, quam etiam clarius, & illuſtrius patefacit, dum pergit.

Eſt mihi iucūda in malis, & grata in dolore veſtro erga

Digitized by Google

erga me voluntas, ſed eam per deos Immort. quæſo deponite, atque obliti ſalutis meæ, de vobis, ac de liberis veſtris cogitate.

En alterum effectum amoris quod mirificè amplificat.

Mihi quidem ſi hæc conditio Conſulatus eſt, vt omnes acerbitates, omnes dolores cruciatuſque perferrem: feram non ſolùm fortiter, verùm etiam libenter, dummodò meis laboribus, vobis populoque Rom. dignitas ſalusque pariatur. Ego ſum ille Conſul, cui nō forum, in quo omnis æquitas continetur, non campus Conſularibus auſpiciis conſecratus: non Curia, ſummum auxilium omnium gentium; non domus, commune perfugium: non lectus, ad quietem datus: non denique hæc ſedes honoris, ſella curulis, vnquam vacua mortis periculo, atque inſidiis fuit. Ego multa tacui, multa pertuli, multa conceſſi, multa meo quodam dolore in veſtro timore ſanaui, Nunc ſi hunc exitum Conſulatus mei Dii Immort. eſſe voluerunt vt vos populumque Rom. ex cæde miſerrima; coniuges, liberoſque veſtros, ex acerbiſſima vexatione: templa atque delubra, hanc pulcherrimam patriam omnium veſtrûm fœdiſſima flamma, totam Italiam ex bello, & vaſtitate eriperem: quæcunque mihi vni proponetur fortuna ſubeatur. Quare conſulite vobis, proſpicite patriæ, conſeruate vos, conjuges, liberos, fortunaſque veſtras populi Ro. nomen, ſalutemque defendite: mihi parcere, ac de me cogitare deſinite. Nam primùm debeo ſperare, omnes Deos, qui huic vrbi præſident, pro eo mihi ac mereor, relaturos eſſe gratiam: deinde ſi quid obtigerit, æquo animo, paratoque moriar. Neque enim turpis mors forti viro poteſt accidere, neque immatura conſulari, nec miſera ſapienti.

Quis hac Oratione non moueatur? vides egregiè ſtudioſum Reip. fortem periculorum contemptorem, ſollicitum pro patria, ac penè ſuorum omnium oblitum; rogat Senatores Ciceronem obliuiſcantur, de patria cogitent; felicem ſe fore profitetur, ſi communem ſalutem diſcrimine capitis repræſentare poſſit, nullum ſibi locum vacuum fuiſſe curis & laboribus pro Repub. ſuſceptis. Quæ omnia multùm poſſunt ad amorem conciliandum.

II. Exemplum Amoris loquentis.

Cùm Diuus Ambroſius de obitu Satyri fratris ſui loquitur, inſignem habet in eum ſignificationem amoris. *Nunquam totus in me fui, ſed in altero noſtri pars major amborum. Atque vtinam vt memoria, vt gratia, ita etiam vita ſua, hoc quicquid eſt quod ſpiramus, aut ſpirare poſſemus: Ego frater hæredem, feceram, tu hæredem me reliquiſti, ego te ſuperſtitem optabam, tu me ſuperſtitem demiſiſti, quid mei ſucceſſor hæredis? qui agam meæ vitæ ſuperſtes? quid agā exſors huius, quod cupio luminis? ego te frater non requiram, aut poſſim vnquam obliuiſci tui? quas grates? quæ munera referam tibi? nihil à me præter lacrymas habes. Aut fortaſſe ſecurus meriti, quas ſolus ſuperſtites habeo lacrymas non requiris. Nam etiā cùm adhuc viueres fleri prohibebas, mœroremque magis noſtrum, quàm tuam mortem tibi eſſe teſtabaris doloris.*

Quàm amanter loquitur Ambroſius? Primùm tota Oratio, & genus dicendi ſuaue eſt, ac mellitum, quale requirit affectus. Quid enim amore blandius? abundat etiam interrogationibus, exclamationibus, ſuſpiriis, votis, deſideriis, quæ in amore frequentia ſunt perpetua eſt conuerſio Orationis ad fratrem; libenter enim cum amicis loquuntur etiam abſentibus.

Habeo planè pignus meum, quod nulla peregrinatio iam poſſit auellere: habeo quas complectar reliquias; habeo tumulum quem corpore tegam. Vtinam potuiſſem aduerſus mortem tuam, meum corpus obiicere: ſi gladiis petitus eſſe me potius pro te obtuliſſe. Nihil mihi profuit vltimos hauſiſſe anhelitus, nihil flatus meos inſpiraſſe morienti. Putabam enim quod aut tuam mortem ipſe ſuſciperem, aut meam vitam in te transfunderem: an ego poſſum aut non cogitare de te, aut vnquam ſine lacrymis cogitare? quid mihi ſine te, aut tibi vnquam ſine me voluptati fuit? Ades, inquam, & ſemper oſtenderis, & te toto animo ac mente complector, aſpicio, alloquor, oſculor: comprehendo: Ipſæ jam noctes, quæ quaſi moleſtiores viuenti videbantur, quòd mutui conſpectus copiam denegarent, ipſe jam ſomnus colloquiorum noſtrorum dudum interruptor inamabilis, dulcis eſſe cepit, quia te mihi reddidit

Teneo igitur te frater, nec mihi te mors aut tēpus auellet. Ipſæ dulces lacrymæ ſunt, ipſi fletus jucundi, quibus reſtinguitur ardor animi, & quaſi relaxatus euaporat affectus. Neque enim ſine te eſſe poſſum aut tui non meminiſſe vnquā, aut meminiſſe ſine lacrymis. O amari dies qui interruptā copulā perditis! ô flebiles

Digitized by Google

noctes, quæ tam bonum conſortem quietis, & indiuiduum mihi comitem perdidiſtis! Para hoſpiti conſortium, & quemadmodum hic nobis omnia fuere communia: ita illic quoque diuiduum neſciamus, nec quæſo cupientem tui deſeras, properantem expecta, feſtinantem adiuua, & ſi diutius tibi morari videor, accerſe. Neque enim vnquam prolixius abfuimus à nobis, tu ſolebas reuiſere, nunc quoniam redire non potes, nos ad te ibimus, æquum eſt vt officium rependamus.

Iam omnia penè amoris ſigna, quanta cum arte, vel potius ſine arte aperit? dū ait ſe magis in fratre fuiſſe, quàm in ſeipſo, optat poſſe vitam fraternam producere ſuæ diſpendio: dolet ſe illi eſſe ſuperſtitem, atque hæredem: vocat illum vitam ſuam, ſuam lucem; quàm blandæ illæ compellationes, quàm plenæ amoris? affirmat ſe præſentem eum habere ſemper, gratias etiam agit, lacrymas ſibi dulces, & iucundas profitetur.

LECTIO IV.

Reprimitur malus amor.

QVæ de concitando amore diximus, optimum habent vſum, ſi cum honeſtate coniungantur: ſed in tractando vitioſi amoris affectu longè aliter ſe res habet. Vt enim ad honeſtum amorem rapere animos, ſic à turpi, & pernicioſo deducere Oratoris eſt ſapientis, eòque præcepta omnia diriguntur artis, quibus ſi quis abutatur, non virtuti tantùm, ſed eloquentiæ facit iniuriam.

PVNCTVM I.

Improbi amoris Remedia.

TAm difficulter reprimitur, quàm facilè in hominum animis excitatur amor; quem ſic loquentem facit Achilles Alex. l. 2. An tu tantum tibi ſumas, vt contra me arma feras, mihique reſiſtere audeas? mihi ad volandum pennæ, ad vulnerandū ſagittæ, ad exurendum faces datæ ſunt, quonam igitur modo te euaſurum ſperas? hinc venuſtè Socrates amorem σοφιστὴν nuncupat, callidum quendam metuendumque Rhetorem, vel vt eundem Sapho nominauit μυθοπλόκον concinnandæ Orationis doloſum artificem. Multa tamen reperias quæ ſemel accenſum amoris ignem extinguant. Cum igitur improbam aliquam cupiditatem, aut amorem, vel ſceleris, vel peſſimorum hominum, vel alicuius ſtudij minus honeſti reprimere cupies, vteris hiſce argumentis.

Amoris deformitas.

Primum remedium eſt vt oſtendatur rei quæ malè diligitur vitium, ac deformitas. Vt enim boni pulchriquè imago allicit, ſic abſterret amorem, vel deformitas, vel improbitas. Rem totam ſubijcit oculis morbi, quam ſalutis amantior Terent in Eunucho, Act. 5. Sce. 3.

Id verò eſt quòd mihi puto palmarium
Me reperiſſe, quomodo adoleſcentulus
Meretricum ingenia, & mores poſſet noſcere:
Maturè vt cùm cognorit, perpetuò oderit.
Quæ dùm foris ſunt, nihil videtur mundius.
Nec magis compoſitū quicquā, nec magis elegās.
Harum videre ingluuiem, ſordes, inopiam,
Quo pacto ex iure heſterno panem atrum vorent,
Noſſe omnia hæc, ſalus eſt adoleſcentulis.

Iuuerit etiam ex Plauti mercatore paucis luem illam amoris in ſuis effectibus deſcribente in prologo.

Nam amorem hæc cuncta vitia ſectari ſolent,
Cura, ægritudo, nimiaque elegantia.
Hæc non illum modò qui amat, ſed quemq; attigit,
Magno atque ſolido multat infortunio.
Sed amori accedunt etiam hæc, quæ dixi minus,
Inſomnia, ærumna, terror, error, fuga,
Ineptia, ſtultitiaque adeò, & temeritas,
Incogitantia, excors, immodeſtia,
Petulantia, cupiditas, & maleuolentia:
Inhæret etiam auiditas, deſidia iniuria,
Inopia, contumelia, & diſpendium, &c.

PVNCTVM II.

Amoris infamia.

SEcundum eſt vt ſubijciatur oculis infamia, quæ ex improbo amore redundat; nemo Cicerone

cerone melius dùm in libro de Senectute multis probat nullam capitaliorem peſtem, quàm corporis voluptatem hominibus à natura datam. Nouerat Helena quæ Paridem inſanientem præ amore ſequi recuſat, ob infamiæ notam quam vitare non poterat, niſi conſpectum eius, & ſocietatem effugeret.

Non ita contemno volucris præconia famæ.
Vt probris terras impleat illa meis.
Quid de me poterit Sparte? quid Achaia tota?
Quid gentes Aſiæ? quid tua Troja loqui?
Quid Priamus de me, Priami quid ſentiet vxor.
Totque tui fratres, Dardaniæque nurus?
Deſine molle precor verbis conuellere pectus,
Terra precor vultus obruat ante meos.

Eadem nondum blandiciis capta, ſaltem in ſpeciem, conſtanter dona recuſat, vt famam bonorum, quæ verè ſola gloria nominari poteſt, multo labore collectam, conſeruet, ſatis edocta, puellam quæ capiat, capi donis ſolitam.

At fruar Iliacis opibus cultúque beato,
Donaque promiſſis vberiora feram.
Purpura nempè mihi, pretioſaque texta dabuntur,
Congeſtóque auri pondere diues ero.
Da veniam faſſa, non ſunt tua munera tanti,
Neſcio quo tellus me tenet iſta modo.

PVNCTVM III.

Amoris ſuſpicio.

Tertium eſt vt ſuſpicionem inijciamus amãti aut perfidiæ, aut doli, aut frigidioris animi, aut iniuriæ profectæ ab eo, quem diligit: Eſt enim pronus amor ad ſuſpicionem, in quam cùm deſcendit, in odium & furorem vertitur. Cùm igitur ſuſpicio venenum ſit amori præſentiſſimum, monet ſapienter Seneca philoſ. Neque de amico malè ſentiendum, neque de eo maledicenti facilè credendum, ſi quis amicitiam præſtare ſibi cum aliquo voluerit. 2. de ira c. 23 *Plurimum mali credulitas facit. Sæpe ne audiendum quidem eſt: quoniam quibuſdam rebus ſatius eſt decipi, quàm diffidere. Tollenda ex animo ſuſpicio, & coniectura falſiſſima irritamenta. Ille me parum humanè ſalutauit, ille inchoatum ſermonem citò abrupit, ille ad cœnam non vocauit, illius vultus auerſior eſt. Non deerit ſuſpicioni argumentatio ſimplicitate opus eſt, & benignâ rerum æſtimatione. Nihil niſi quod in oculos incurret, manifeſtumque erit, credamus, & quoties ſuſpicio noſtra vana apparuerit, obiurgemus credulitatem. Hæc enim caſtigatio conſuetudinem efficiet, non facilè credendi.*

Diſſoluit etiam amorem iudiciorum, ac ſenſuum diuerſitas atque diſſentio; hinc ſævæ diſcordiæ matrem iudiciorum pugnam affirmat D. Hilarius 10. de Trinit. Non eſt ambiguum omnem humani eloquij ſermonem contractioni obnoxium ſemper fuiſſe; quia differentibus voluntatum motibus diſſentiens fit quoque motus animorum, cum aduerſantium iudiciorum affectione pugnans, affectionibus his, quibus offenditur, contradicit. Quamuis enim omne dictum veri ratione perfectum ſit; tamen dum aliquid aliis, aut videtur, aut complacet, patet veritatis ſermo, aduerſantium reſponſioni, qui contra veritatem, aut non intellectam, aut offendentem, vel ſtultæ, vel vitioſæ voluntatis error obnititur.

PVNCTVM IV.

Amoris deſperatio.

Qvartum eſt, vt adducamus amantem ad Deſperationem rei optatæ conſequendæ. Sic Helena Paridem à ſe dimittit, dùm rem fieri non poſſe amantem docet.

Diſce meo exemplo formoſis poſſe carere,
Eſt virtus placitis abſtinuiſſe bonis.
Ad poſſeſſa venis, præreptaque gaudia ſerus
Spes tua lenta fuit, quod petis alter habet.

Sic animum Charini facibus amoris æſtuantem Birria paulatim refrigerat, apud Terent. in Andria, Act. 2. Sc. 1.

Quæſo adepol, Charine, quoniam non poteſt id fieri, quod vis.
Id velis quod poſſit; ah quanto ſatius eſt
Te id dare operam, quid iuſtum amorem ex animo moueas tuo,
Quàm id loqui; quod magis lubido fruſtrà incendatur tua.

PVNC

Pvnctvm V.

Amoris incommoda.

QVintum eſt remedium, vt oſtendamus nihil vtilitatis, aut iucunditatis eſſe, ſed damni plurimum, ac moleſtiæ in illis amoribus. Hoc teſtetur ſatis expertus indomitæ libidinis auctor Ouid:

Quòd juuat exiguũ eſt plus eſt quod lædit amãtes
Proponant animo multa ferenda ſuo.
Quot lepores in Atho, quot apes paſcũtur in hybla,
Cærula quot baccas pallidus arbor habet.
Littore quot conchæ; tot ſunt in amore dolores,
Quæ patimur, multo ſpicula felle madent.

Græci ſapientes σχέτλιον, μέγα πῆμα, μέγαιύγος vocant, quod hominem adducat in omnem miſeriam, exitum, odium; adduntque ex eo, tanquam ex malorum omnium officina, proficiſci ἔριδας, στοναχὰς, γοὶς, ἄλγεα, contentiones, gemitus, luctus, & dolores. Nullum itaque præſentius huic graſſanti morbo remedium afferri poteſt, quàm ſi graviſſima damna proponamus in quæ incidunt, qui ſemel amoris iugum receperunt. Ætnam æmulatur amor, perpetuis ardet ignibus, nec decreſcit. Quis hoc incendio perire velit? obſequeris ſeml huic tyranno? duriora quàm ferre poſſis, imperabit. Negabis? vim faciet. Cœleſte beatorum domicilium adibis cogitatione; te diſtrahet, & in cœno, quàm in cœlo libentius acquieſcet: ardentes inferorum flammas propones meutis oculis? aliò mentem auertet, aliis æſtuantem ignibus. Vaporatum amoris impuri momentum prius euaneſcere docebis, quàm quis illud ſatis aduertat? ridebit; altè fixum in animo doloris aculeum relinquere monebis, quod eleganter expreſſit, in metris Boëtius? audiet, mirabitur, prædicabit, nec telum extrahet è pectore, nec incendium lacrymis extinguet, neque vincula quibus conſtringitur, effringet, tàm difficulter ſanatur, qui hac infami peſte laborat.

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit furentes,
Apiumque par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

Quid illi furioſo facias, qui mortem quærit, vt alij vitam, dic laſciuum ex orco Angelũ, cœcum illum veneris filium, corporis vires debilitare, tàm manus auro iniicere, quàm animo; æternæ mortis reum ſtatuere ſibi deuotum, in famam, in virtutes graſſari, mone cum Comico ſemel, ſapiente Ter. in heaut. Act. 4. Sc. 1.

Neque ius, neque bonum, aut æquum ſciunt;
Melius, pejus, proſit, obſit; nihil vident,
Niſi quod lubido ſuggerit.

Narra ſatis à Diabolo captum eſſe, quiſquis à libidine victus eſt, & nulla ſui parte liberum amoris dulcedine irretitum; ſeruitutem amat, ſordibus paſcitur, in igne viuit, & perit.

Pvnctvm VI.

Amoris Ineptiæ.

LAngueſcit Amor, cùm oſtendimus illum puerilis eſſe naturæ, hoc eſt, qualem reperire eſt in pueris, & adoleſcentibus, inconſtantem, erraticum, faſtidioſum. Hanc mentis & amoris inconſtantiam, & leuitatem Paridi ſuo Helena exprobrat.

Dùm nouus eſt cœpto potius pugnemus amori,
Flamma recens paruâ ſparſa reſedit aqua.
Certus in hoſpitibus non eſt amor; errat, vt ipſi,
Cumque nihil ſperes firmius eſſe, fugit.
Hyſiphyle teſtis, teſtis Minoia Virgo
In non exhibitis vtraque iuncta toris
Tu quoque dilectam multos infide per annos,
Diceris Oenomen deſeruiſſe tuam.
Dùm loqueris mecum, dùm nox ſperata paratur,
Qui ferat in patriam iam tibi ventus erit.
Curſibus in mediis, nouitatis plena relinques
Gaudia: cùm ventis noſter abibit amor.

Pari verſa Propertius l. 2. Eleg. 5. diſſuadet amorem propter leuitatem ſatis cognitam.

Non ita Carpathiæ variant aquilonibus vndæ:
Nec dubia nubes vertitur atra noto.

Quàm

Quàm facilè irati verbo mutantur amantes.
Dùm licet, iniuſto ſubtrahe colla iugo.

Minus innocentis amoris iuratus hoſtis D. Hieron. plures ineptias proponit, in quas nimius amor, origine licet honeſtus, ſed magnitudine deformis, amantes interdum coniecit l. 1. aduerſus Iouinianũ. *Amor forma, rationis obliuio eſt, & inſania proximus: fœdum minimeque conueniens animo ſoſpiti vitium: Turbat conſilia; altos & generoſos ſpiritus frangit: à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit; querulos, iracundos, temerarios, durè imperioſos, ſeruiliter blãdos, omnibus inutiles, ipſi nouiſſimè amori facit. Nam cùm fruendi cupiditate inſatiabilis flagrat, plura tempora ſuſpicionibus, lacrymis, conqueſtionibus perdit: odium ſui facit, & ipſe nouiſſimè ſibi odio eſt. Sic non iudicio, ſed furore ducitur.*

PVNCTVM VII.

Amoris ſeruitus.

SEptimum eſt, ſi oſtendamus eum qui ſemel cœci, illius nati è terra pueri, telo & igne metuendi, legibus obſequitur miſeram ſeruire ſeruitutem. Mantuanus Egloga 1.

Quiſquis amat ſeruit, ſequitur captiuus amãtem,
Fert domita ceruice iugum, fert verbera tergo,
Fert ſtimulos, trahit & bouis inſtar, aratrum.

Hoc infame ſeruitutis pondus ſenſerat Propertius quod tacitus fateri cogitur, dùm ait.

Libertas quoniam nulli iam reſtat amanti:
Nullus liber erit ſi quis amare velit.

In hanc rem D. Ambroſius de bono mortis c. 1. Multa congerit, dum vitiorum ſcopulos, ac detrimenta, quæ ſingula mortalibus inferant, enumerat: aliis laqueum, viſcum, nexum, cathenam: amori verò clauum tribuit, & quidem trabalem, à quo nec expedire ſe poſſit, nec in partem ſe mouere. *Laqueus eſt in auro, viſcus in argento, nexus in prædio, clauus in amore.*

PVNCTVM VIII.

Amoris reſiſtentia.

OPtimum longéque certiſſimum remedium fallendi ſeu curandi, aut etiam depellendi amoris eſt, obſtare principiis, quoniam mala ipſa quæ conualuerunt medicinam vix admittunt, vt ſcribit Ouidius cuius ſcripta quod nolim, extant quæ vel in turpi materia verſantur flammis abolenda; hæc quia ſapientum ſcripta redolent, tranſcribo.

Dùm licet, & modici tangunt præcordia motus,
Si piget in primo lumine ſiſte pedem.
Opprime dũ noua sũt ſubiti mala ſemina morbi,
Et tuus incipiens ire reſiſtat equus.
Nã mora dat vires, teneras mora præcoquit vuas,
Et valida ſegetes, quæ fuit herba facit.
Quæ præbet latas arbor ſpatiantibus vmbras,
Quo poſita eſt primum tempore, virga fuit.
Tunc poterat manibus ſumma tellure reuelli,
Nunc ſtat in immenſum viribus acta ſuis.

In hunc ſenſum eſt Senecæ ſapientis monitum epiſt. 116. *Nulli non vitio initium eſt verecundũ, & exorabile ſed ob hoc latius funditur. Non obtinebis vt deſinat, ſi incipere permiſeris. Imbecillis eſt primò omnis affectus: deindè ipſe ſe concitat, & vires, dum procedit, parat. Excluditur faciliùs, quàm expellitur. Quis negat omnes affectus, à quodam quaſi naturali fluere principio? curam nobis noſtri natura mandauit, ſed huic vbi nimium indulſeris, vitium eſt. Ergo intrantibus reſiſtamus; quia facilius, vt dixi non recipiuntur, quàm exeunt.*

PVNCTVM IX.

Amoris occupatio.

NOnum eſt remedium, vt ad amorem, & honeſta ſtudia paulatim eum detorqueamus, oſtendamuſque peſſimè in rebus fœdis collocari; cùm alibi maiore cum fructu, gloria, & voluptate conſumi poſſit. Ita malus amor, amore caſto, quaſi clauus clauo depellendus; & animo fœdis amoribus obſeſſo, ſtudia quibus ipſe delectetur, inſtillanda ſunt. Multos litterarum ſtudia, nonnullos venatio, alios oblectamenta varia ſanarunt, qui inerti otio diffluentes, & illecebris voluptatis capti periiſſent Moned. Ouid.

Deſidiam puer ille ſequi ſolet. Odit agentes.
Da vacua menti, quo teneatur, opus,

 ſunt

Digitized by Google

beraliter effundit omnia: prodigus enim eſt amor, & ex prodigo pauper. Inde opinor à Max. Tyrio deſcribi nudum, lacerum, humicubum. Illuſtris in hanc ſententiam locus apud Lucan. 8. Vbi Mitilenei ſe ſuaque Pompeij coniugio propenſa voluntate offerunt.

—— Maxima gloria nobis
Semper erit tanti pignus ſeruaſſe mariti.
Accipe templorum cultus, aurumq; Deorum
Accipe, ſit terris, ſi pupibus iſta iuuentus
Aptior eſt, tota quantum valet vtere Lesbo.

V. Signum.

Præco Amor.

Eſt amatæ rei Præco nobilis, cuius modò virtutes, modò facta, modò dicta, modò ſpeciem & dignitatem laudat, deprædicat, miratur, extollit. Quod impuris ignibus ardens Phædra facit ad Hyppoliti ſui aſpectum, apud Ouid. ep. 4.

Te tuus iſte rigor, poſitique ſine arte capilli,
Et leuis egregio puluis in ore decet.
Siue ferocis equi luctantia colla recuruas,
Exiguo flexos miror in orbe pedes.
Seu lentum valido torques haſtile lacerto.
Ora ferox in ſe verſa lacertus habet.
Siue tenens lato venabula cornea ferro;
Denique noſtra iuuāt lumina, quidquid agas.

VI. Signum.

Amor Ægrotus.

Amore ſaucius, ardet, vritur, turbine mentis agitur, doloribus, curis anxius, inquietus, quiquidem morbus inexpugnabilis eſt donec in re amata conquieſcat. Hanc pinxit effigiem Seneca Trag in perſona Phædræ.

—— Pectus inſanum vapor,
Amorq; torret, intimas ſæuus vorat
Penitus medullas, atque per venas meat
Viſceribus ignis merſus, & venis latens.
Vt agilis altas flamma percurrit trabes.

Tam perditè amantis infelicitas eſt in ipſa amoris inſania, vt nec morbo medicinam admittat. Pergit pictor.

Spes nulla tantum poſſe leniri malum
Finisq; flammis nullus inſanis erit,
Torretur æſtu tacito, & incluſus quoque,
Quamuis tegatur proditur vultu furor,
Erumpit oculis ignis.

Non peritè minus, & magis blandè in Phaone Ouid.

Vror Vt indomitis ignem exercentibus Euris,
Fertilis accenſis ardet ager.
Me calor ætnæo non minor igne coquit.

VII. Signum.

Amor Stultus.

Inſanus & Stultus amor eſt, quoniam multa efficere ſolet, quæ ſtulta, & inepta videntur aliis minimè idem ſentientibus: hùc illùc volitat, excurrit, vagatur, has illaſque ineptias facit, nulla habita ratione dignitatis ſuæ. Sic telo Cupidinis ſaucia Dido: Ceruæ paſtoris ſagitta vulneratæ mobilitas, curſusque, Didonis motibus, concurſionibusque comparatur 4. Æneidos.

Vritur infelix Dido, totaque vagatur
Vrbe furens. Qualis coniecta cerua ſagitta,
Quam procul incautā nemora inter Creſſia fixit
Paſtor agens telis, liquitque volatile ferrum
Neſcius, illa fuga ſyluas ſaltúſque peragrat
Dictæos: hæret lateri lethalis arundo.

Non minorem inſaniam amātis Phædræ repræſentat Ouidius ex morbi confeſſione per ſimilitudines appoſitas.

Fertur vt aonij cornibus icta Dei,
Nunc feror, vt bacchi furiis Pleieides actæ.
Quaque ſub Idæo tympana colle mouent.
Aut quas Semideæ Dryades, ſaunique bicornes.
Numine contactas attonnère ſuo.

VIII. Signum.

Amor Inſomnis.

Vigil eſt & Inſomnis. Græci curam amoris

Digitized by Google

ἄυπνον vocant inſomnem, παράγρυπνον omninò inſomnem. Vix corpori quietem tradit;& tamen idem ipſe amor ſomnus eſt, & ſomnium. Quàm varia enim contingunt amanti ſomnia? quod quidem accidit ex diurna cogitatione vehementiori,quæ ſopito etiã tedire ſolet. Hinc eſt quod in ſomnis ſibi videtur modò per montes, & ſyluas vagari: modò abſentem amicum affari velut præſentem.Inſomnem ſe fatetur,ac luget Medea poſt multas de Iaſone querelas .epiſt. 12.

Non mihi grata dies:noctes vigilantur amaræ:
Nec tener in miſero pectore ſomnus adeſt.
Quæ me non poſſum,potui ſopire draconem
Vilior cuius, quàm mihi, cura mea ſt.

Ad Æneæ formam regiam tabida per noctes vigilat Dido,de qua Muſa latini Vatis,4. Æn.

Poſt,vbi digreſſi,lumenque obſcura viciſſim
Luna premit, ſuadentque cadentia ſydera ſõnos
Sola domo mœret vacua, ſtratisque relictis
Incubat:illum abſens abſentem audit que videtq;

Nec alio ſenſu Catullus dixit.

Spinoſas Ericina ferens in pectore curas.

Nam vehementioris amoris ſpinæ omnem procul abigunt quietem.

Sæpè gaudent in ſomnis amantes, varioſque affectus patiuntur.Sappho Phaonem ſuum videt in ſomnis, & illum non ſine magno liqueſcentis animi ſenſu alloquitur.

Tu mihi cura Phaon, te ſomnia noſtra reducunt,
Somnia formoſo candidiora die.
Illic te inuenio, quamquam regionibus abſis:
Sed non longa ſatis gaudia ſomnus habet
Blandior interdum,veriſque ſimillima verba
Eloquor,& vigilant ſenſibus ora meis.

IX. *Signum.*

Mutus Amor.

Modò loquax & garrulus, modò mutus eſt; verba enim præcludit vis amoris inſolens, ſed vbi remiſit impetus ſe linguâ explicat, & perennis fluminis in morem effluit Ouid.

Ter tecum conata loqui,ter inutilis hæſit
Lingua, ter in primo deſtitit ore ſonus.

Ab aſpectu dilecti Hyppoliti Phædræ verba præciduntur, & excidunt,

Sed ora cœptis tranſitum verbis negant,
Vis magna vocem emittit, ac maior valet.

X. Signum.

Timidus eſt Amor.

Qui amat timet,non ſuâ ſed amici causâ;omnia enim amico timet,ſiue bellorum,aut Martis pericula,ſeu quiduis aliud obeat. Deianira Herculi timet ex amore,

Ipſa domo vidua votis operata pudicis
Torqueor, infeſto ne vir ab hoſte cadat
Inter ſerpentes, aproſque auidoſque leones
Iactor,& haſuros cerno per oſſa canes.

Ita per ſpeciem alienæ felicitatis ſibi Phillis conſulit, dum Demophoontem ſuum à nauigatione deterret,& Laodamia Proteſilaum à bello reuocat illa propter certum naufragium quod amans coniicit:hæc ob incertos exitus pugnarum,Martemque communem,

Interdum timui ne dùm vada tendis ad Hebri
Merſa foret causâ naufraga puppis aqua,
Sed timeo: quotieſque ſubit miſerabile bellum,
More niuis lacryma ſole madentis eunt.

Quàm verò tuta timeat ſatis oſtendit illa Penelope ſemper ſollicita, ſemper in metu ob profectionem Vlyſſis ſui.

Quando ego non timui grauiora pericula veris?
Res eſt ſolliciti plena timoris amor.
In te fingebam violentos Troas ituros:
Nomine in Hectoreo pallida ſemper eram.
Siue quis Antilochũ narrabat ab Hectore victũ:
Antilochus noſtri cauſa timoris erat.
Siue Menœtiaden falſis cecidiſſe ſub armis:
Flebam ſucceſſu poſſe carere dolos.
Sanguine Tlepolemus Lyciã tepefecerat haſtam:
Tlepolemi letho cura nouata meo eſt.
Denique,quiſquis erat caſtris iugulatus Achiuis,
Frigidius glacie pectus amantis erat.

Benè Mamertinus in gratiarum actione Militum fidem & amorẽ in Imperatorem ſuum commendat,de cuius ſalute facit ſollicitos,& omnia metuentes. *Quod ad te attinet cuncta iam à cuſtodia*

tua

tua arma remoueret, quando hoc potes perſuadere militibus? Anxia eſt fidelium diligẽtia. Maximo amori, maximus timor iunctus eſt.

XI. Signum.

Amor audax.

Si quid fortè ſubeundum, aut faciendum ſit amatæ rei causà, nihil arduum aut difficile reputat, pericula ſubit intrepidus. Qualis illa Ceres quæſitura Proſerpinam apud Claud.

Non requies, non ſomnus erit, dum pignus adẽptũ
Inueniam, gremio quamuis mergatur Ibera
Tethyos, & rubro iaceat velata profundo:
Non Rheni glacies, non me Riphæa tenebunt
Frigora, non dubio Syrtis cunctabitur æſtu;
Stat fines penetrare Noti; Boreæq́; niualem
Veſtigare domum, primo calcabitur Athlas
Occaſu; facibusque meis lucebit Hydaſpes.

Non minores in diligẽdo vires amori caſto dandæ. His apud Propertium habet Areruſa ficta coniux lib. 4 ad Licotam.

Romanis vtinam patuiſſent caſtra puellis!
Eſſem militiæ ſarcina fida tuæ.
Nec me tardarent Scythiæ iuga, quùm pater altas
Africus in glaciem frigore nectit aquas.

Quid non laboris adire parata ſordida ſatis Phædra? ſic illã inducit tragicus Vates in Hypp Act. 2

Non me per altas ire ſi iubeas niues,
Pigeat gelatis ingredi Pindi iugis:
Non ſi per ignes ire, & infeſta agmina,
Cuncter paratis enſibus pectus dare.

XII. ſignum

Amor ſuſpicax.

Hoc inter diuinum amorem, & humanum intereſt, quòd iſte ſuſpicax ſit, diuinus, ſecurus, & omni ſuſpicione liber, ex hoc humani amoris vitio naſcitur Zelotypia carnifex amãrium, quàm ſuſpicax in Didone, quæ ſe deceptam ab Ænea putat. 4 Æn.

At regina dolos (quis fallere poſſit amantem?)
Præſenſit, motusque excepit prima futuros,
Omnia tuta timens. Eadem impia fama furenti
Detulit armari claſſem curſumque parari,

XIII. Signum.

Amor contemptor ſui.

Sui contemptor eſt amor, vt & mortis, & periculorum; imò & parentum, quod contingit idcircò, quia maximo in pretio rem amatam habet, præ qua omnia negligit, etiam ſeipſum: ex quo fit vt ferè ſuperbus ſit & magnanimus. Ita Niſus clamat ſe auctorẽ cædis, vt à ceruicibus infelicis Euriali amici ſui præſens periculum auertat, vel vitæ ſuæ periculo. 9. Æn.

Me me adſum qui feci, in me conuertite ferrum.
O Rutuli, mea fraus omnis; nihil iſte nec auſus,
Nec potuit (cœlum hoc, & conſcia ſydera teſtor)
Tantùm infelicem nimium dilexit amicum!

Sic amans in proprio corpore mortuus eſt, in alieno viuit. Hinc eſt vt qui verè amat, aliorum grauiter ferat incommoda, de ſuis non laboret. Sic Arria moritura dixiſſe fertur, non graue ſibi eſſe vulnus, quod ſibi adacto ferro in viſcera amans intulerat, vt marito ad mortem acto præiret, futurum tamen grauiſſimum, quòd eam ob cauſam ſibi coniux aſſet illaturus. Mart. 1. Epigramm. 14.

Caſta ſuo gladium cùm traderet Arria Pæto.
Quem de viſceribus traxerat ipſa ſuis:
Si qua fides vulnus quod fecit, non dolet, inquit,
Sed quod tu facies, hoc mihi Pæte dolet.

Cultum corporis, & vitam ipſam negligit. Quàm ſollicita de Proteſilao marito ſyncerè amãs Laodamia? Ouid

Nec mihi pectendos cura eſt præbere capillos
Nec libet aurata corpora veſte tegi.
Conueniunt matres Phylacides, & mihi clamant,
Indue regales Laodamia ſinus.

Quibus reſpondet verbis luctum, amoremque ſpirantibus:

Scilicet ipſa feram ſaturatas murice veſtes:
Bella ſub Iliacis mœnibus ille geret:

ipſa

Digitized by Google

Ipſa comas pectam,galeâ caput ille premetur;
Ipſa nouas veſtes, dura vir arma ferat.
Quo poſſum, ſqualore tuos imitata labores
Dicar;& hæc belli tempora triſtis agam.

Sic languet pudicus amor Serenæ,cuius Reginæ laudes cantat altiori verſu Claudianus ad Stiliconem in armis agentem,

Non illo nitidos vnquam bellante capillos
Comere:non ſolitos gemmarum ſumere cultus.
Numinibus,votiſque vacas,& ſupplice crine
Verris humum:tegitur neglecta gratia forma
Cum proprio reditura viro.

Genitorem patriamque relinquere pro re amata magnum amoris argumentum : quod fecit Phyllis amans.

At mea deſpecti fugiunt connubia Tracet,
Quod feror externum præpoſuiſſe meis,

Fecit Medea :

Proditus eſt genitor;regnum patriumque reliqui,
Munus in exilio quod licet eſſe,tuli.

Incurrere in ſuorum odium,& externorum per amoris inſaniam, quod fecit Dido 4.Æn.ſic illa decepta queritur.

Te propter Libicæ gentes,Nomadumque Tyranni
Odêre infenſi Tyrij:te propter eundem
Extinctus pudor.

XIV. Signum.

Amor conſtans periculorum ſocius.

Qui amat conſtans eſt, ac firmus in amicitia, & in partem periculi venire deſiderat. Sunt illæ rationes , & quærelæ elegantis formæ iuuenis Euryali quibus euincit ſibi procedendum ad bellum amici cauſâ,bellum inquam,ardorem rerum terribilium, ſeu metum vltimorum diſcriminum,vt vocat Ammianus lib.2.

Méne igitur ſocium ſummis adiungere rebus.
Niſe fugis?ſolum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor bellis aſſuetus Opheltes
Argolicum terrorem inter,Troiaque labores
Sublatum erudiit:nec tecum talia geſſi.

Ea eſt amoris indoles vt aduerſis roboretur , & in contemptu mortis virtutem amanti occupet,

Haud timet mortem,cupit ire in ipſos
Obuius enſes.

Seneca 1. de benef. cap. 10. Dignum etiam impendi ſanguinis mei tuebor,& in partem diſcriminis veniam : indignum ſi eripere latronibus potero clamore ſublato,ſalutarem vocem homini non pigebit emittere.

Vera lex amoris &amici non ſimulati hæc eſt, vt eadem animi virtus ſeruetur in vtraque fortuna quam æqualitatem agnoſcit in Niſo,&Eurialo. Virg.

Te verò mea quem ſpatiis propioribus ætas
Inſequitur,venerande puer,tam pectore toto ,
Accipio,& comitem caſus complector in omnes.
Nulla meis ſine te quæretur gloria rebus,
Seu pacem,ſeu bella geram,tibi maxima rerum
Verborumque fides.

Secùs abſunt ab amicitiæ veræ decore quàm longiſſimè, qui fortunam ſecundam,non perſonam diligunt ſed prædam quærunt rectè Petronius.

Nomen amicitiæ ſi quatenus expedit,hæret ,
Calculus in tabula nobile ducit opus.
Cùm fortuna manet vultum ſeruatis amici,
Cùm cecidit, turpi vertiatis ora fugà
Grex,agit in ſcena mimum, pater ille vocatur,
Filius hic;nomen diuitis ille tenet .
Mox vbi ridendas impleuit pagina partes
Vera redit facies,diſſimulata perit.

Se,non alium amat quiſquis ita amat,iuxta illud Mart.lib.2.Epigramm.

Hunc quem vina tibi,quem menſa parauit amicũ,
Eſſe putas fida pectus amicitia?
Vinum amat, & Cyathos, & ſumma,& Oſtrea,
non te
Sublato vino;nullus amicus erit.

Ex hoc amicorum infidelitatem Pompeio proponit Cic. vt fidem Milonis & amicitiam oſtendat pluris eſſe faciendam , nec vanis & incertis ſuſpicionibus alienandum amicum , ne ſi eum damnari patiatur,poſtmodum eius fidem,&amicitiam requirat.Pro mil.num.70.*Vide, quàm ſit varia vita,commutabiliſque ratio.quàm vaga volubiliſque fortuna,quantæ infidelitates in amicis,quàm ad tempus aptæ ſimulationes,quanta in periculis fuga proximorum,quantæ timiditates. Erit , erit illud profectò tempus,& illuceſcet aliquando ille dies,cùm tu ſalutaribus,vt ſpero,rebus tuis, ſed fortaſsè motu aliquos communium temporum immutatis, qui quàm crebrò accidat, experti debemus ſcire : & amiciſſimi*

 beneuolentiam

XVIII. Signum.

Amor exprobans.

Amor in odiũ verſus vehementius exprobrat & iracundius obiicit beneficia. Quod argumenti genus frequens eſt in Poëtis. Didonem grauiter commotam facit in Æneam ingratum. 4.

Nuſquam tuta fides, eiectum littore, egentem.
Excepi, & regni demens te in parte locaui:
Amiſſam claſſem, ſocios à morte reduxi.

Sic Oenone Paridi cum acerbitate ſeruitutem obiicit, quam ſeruiebat, antequam illum in ſuum acciperet Apud Ouid.

Nondum tantus eras cùm te contenta marito,
Edita de magno flumine Nympha fui.
Qui nunc Priamides (adſit reuerentia verbo)
Seruus eras: ſeruo nubere Nympha tuli.

Nec diſſimulare potuit Iaſonis ſui animum immemorem furens Medea.

Eſt aliqua ingrato meritum exprobare voluptas
Hac fruar, hac de te gaudia ſola feram.

XIX. Signum.

Amor lacrymans.

Ad lacrymas valdè faciles ſunt qui amant, qui character familiaris eſt Poëtis. Ouid. quem nequitiæ Schola pepulit in exilium de eruditis amantium oculis multa.

Quò non ars penetrat? diſcunt lacrymare decẽter
Quoque volunt plorant tempore; quoque modò

His loquuntur idem in Briſſeide:

Sed tamen hæ lacrymæ pondera vocis habent.

His res ſuas gerunt ibidem.

Sis licet immitis, matriſq; ferocior vndis
Vt taceam, lacrymis comminuere meis.

His decipiunt. Med. Iaſoni.

Vidi etiã lacrymas an & eſt pars fraudis in illis

His blandicias faciunt. Dido. 4.

—— Per ego has lacrymas, dextramq; tuam te
Quando aliud mihi iam miſera nihil ipſa reliqui.
Improbe amor quid non mortalia pectora cogis?
Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando
Cogitur, & ſupplex animos ſubmittere amori.

XX. Signum.

Amor deſperans.

Vbi Deum nihil ſentientem videt Amor, neque occurrentem ſibi, neque in precibus, neque in optatis, neque in votis ſpem ponit, & mortem doloris finem eligit. Quos æſtus patitur Dido? quas fundit lacrymas; quos furores excitat? quoties mortem orat?

At trepida, & cœptis immanibus effera Dido,
Sanguineam voluens aciem, maculiſq; trementes
Interfuſa genas, & pallida morte futura
Interiora domus irrumpit limina, & altos
Conſcendit furibunda rogos enſemque recludit
Dardanium, non hos quæſitum munus in vſus.
Incubuitq; toro dixitq; nouiſſima verba.

Non alia mens Phyllidi à Demophoonte quidẽ relictæ ac deſpectæ, à ſeipſa propè deſperatæ; ſic enim apud Ouid. illa mortem meditatur.

Sæpè venenorum ſitis eſt mihi: ſæpè cruenta
Traiectam gladio morte perire iuuat.
Stat nece matura tenerum penſare pudorem:
In necis electu parua futura mora eſt,

Malè amat qui ſic amat. Et quidem hæc omnia quæ de amore dicta ſunt euenire ſolent inſanis amatoribus, quorum ineptiis pleni ſunt Poëtarum libri. Idem enim animus, eademque vis amãdi eſt, ſiue ſe ad Deum, ſiue ad res humanas conuertat. Vel ex hoc vno poſſit intelligi, quàm grauiter errent, qui ſuum amorem, rem omnium pretioſiſſimam, viliſſimis rebus addicunt; cùm illum in Deum conferre tàm facilè poſſint. Quare tandem ſapiamus amãdo quod eſt dulciſſimum, CHRISTO vni cor noſtrum ſedem Amoris conſecremus, in quo nihil ad felicitatem deſideres, ait pius Vates:

En tibi quærendi quod ames labor omnis adẽptus
CHRISTVS amandus, & hunc præter amare nefas.
Formoſum quæris? nihil eſt formoſius illo:
Moribus inſignem? ſolus at ille bonus:
Immenſumne opibus? nihil eſt opulentius illo:
Munificum? dotes prodigit ille ſuas:
Ductorem? Dux eſt: Regem? Rex: quæris amicum,
Qui redamet? redamat, quin amat ille prior:

Digitized by Google

An Patrem? Pater eſt: Paſtorem? Paſtor, & ille:
An Sponſum mauis: Sponſus at ille tuus:
An Fratrem? Frater: Comitē? Comes: anne fidelem?
Eſſe vel ipſa fides non magè fida queat:
Præſentem? præſens: Conſtantem? non ita conſtans
Rupes, quàm Siculi verberat vnde maris:
An placitum? blandus: iucūdū? eſt ipſa voluptas:
Si pateris? tecum qui patiatur habes:
Doctorem? omnis ab hoc manat ſapientia fonte:
Sollicitumq; preces præuenit ille tuas:
Vulneraq; & noſtros curantem ſanguine morbos
Atque ſuis curat vulnera vulneribus.
Quod ſi fortè cadis, cadis inter brachia amantis,
Puluinar capiti ſubiicit ille manum.
Si fles ille tibi rotantia lumina ſiccat,
Et mœſta Ambroſiis oribus ora premit.
O felix oculus portum viſurus amantis!
Scilicet in lacrymis naufragus ipſe ſuis.

Bené amat, qui ſic amat.

PVNCTVM XI.

Amor loquens.

I. INtereſt Oratoris naturam Amoris noſſe, multas quidem, & graues ob cauſas. Primùm enim in genere demōſtratiuo vtilis eſt hæc cognitio: commendandus eſt cœli ciuis vnus; vir Sanctus ab Amore, quo in Deum ferebatur, dum in terris viueret, quantam materiam ex hiſce fontibus, quos aperuimus ſuppeditari putas? Nam ſi quis illa effecta Amoris cōſulat, næ multa nimis ad dicendum inde hauriet. Prædicādus ſit D. Pauli Amor erga CHRISTVM. Effectum eſt amoris plurima pati pro re amata; quàm grauia ille, quàm acerba perpeſſus? Effectum eſt Amoris præſentia rei amatæ delectari, quanto deſiderio CHRISTI videndi tenebatur Paulus? Obliuiſci, & in vnius amici cogitatione cōquieſcere; omnia Paulus viliora ſtercore arbitrabatur vt CHRISTVM lucrifaceret. Effectum eſt amoris prædicare laudes rei amatæ; at quis de Chriſto magnificentius Paulo loquutus eſt?

II. Eadem planè ratio cuiuſvis artis. Laudas Principem ab Amore ciuium, & patriæ; commemorabis ſcilicet labores, curas, cogitationes aſſiduas, vigilias, ſui contemptum, ſolitudines liberalitatem, clementiam in omnes, Iuſtitiam, & cætera quæ cum Amore patriæ coniuncta ſunt. Idem porrò ſentiendum de virtutum amore, de ſtudio litterarum.

III. Iam verò in genere deliberatiuo eiuſdem rei quàm neceſſarius vſus eſt: vt effecta habeas pertractata animo: ſiue ad Amorem cuiuſcūque tandem rei hortari velis: ſiue ab Amore deducere. Quid de genere Iudiciali dicam? cùm accuſare aliquem voles, atque id efficere argumentis vt nunquam amaſſe patriam, nunquam ei virtus placuiſſe videatur.

IV. Quis neſcit Oratorem in Exordiis, & in toto genere Oratoris id ſtudere ſemper debere, vt Auditorum ſuorum amātiſſimus habeatur: at qua ratione tandem Amoris ſui ſignificationem dabit, niſi prius quæ ſint Amoris ſigna nouerit?

V. Cùm Ethopœiæ, & Proſopopœiæ ab Oratore fingēdæ, vel mores ipſi per hypotipoſim deſcribendi ſunt, tùm aduerſariorum: tum eorum quos laudat atque defendit: qui fieri poteſt, vt exprimat Oratione, quemadmodum quis ſit affectus erga Deum, patriam, parentes, aduerſus virtutes, ſi ſit naturæ Amoris ignarus?

Hæc igitur omnia pendent ex cognitione effectorum, quæ ab hac perturbatione manant: quæ quidem licet omnia non cadant in eandem materiam, pleraque tamen ſemper congruent, quorum delectus pendet ex iudicio prudentiaque Oratoris. Placet hoc loco rem exēplis probare, in quibus Amor loquens inducitur, qua ratione quis teſtificari Amorem ſuum poſſit.

I. *Loquentis Amoris exemplum.*

Tull. Orat. 4. in Catil. ſic Amorem ſuum in ciues ſuos patriamque teſtatur. *Video, P.C. in me omniū veſtrum ora, atque oculos eſſe conuerſos: video vos non ſolùm de veſtro, ac Reip. verùm etiam, ſi id depulſum ſit, de meo periculo eſſe ſollicitos.*

His animi grati ſignificationem aperit, quæ ad Amorem eſt efficax, quam etiam clarius, & illuſtrius patefacit, dum pergit.

Eſt mihi iucūda in malis, & grata in dolore veſtra
erga

Digitized by Google

erga me voluntas,ſed eam per deos Immort.quaſo deponite,atque obliti ſalutis mea,de vobis,ac de liberis veſtris cogitate.

En alterum effectum amoris quod mirificè amplificat.

Mibi quidem ſi hec conditio Conſulatus eſt , vt omnes acerbitate,omnes dolores cruciatuſque perferrem:feram non ſolùm fortiter,verùm etiam libenter, dummodò meis laboribus, vobis populoque Rom. dignitas ſa luſque pariatur. Ego ſum ille Conſul,cui nō forum,in quo omnis aquitas continetur, non campus Conſularibus auſpiciis conſecratus : non Curia,ſummum auxilium omnium gentium;non domus,commune perfugium:non lectus, ad quietem datus:non denique hac ſedes honoris,ſella curulis,vnquam vacua mortis periculo,atque inſidiis fuit. Ego multa tacui, multa pertuli,multa conceſſi,multa meo quodam dolore in veſtro timore ſanaui , Nunc ſi hunc exitum Conſulatus mei Dii Immort eſſe voluerum vt vos populumque Rom.ex cade miſerrima;coniuges,liberoſque veſtros, ex acerbiſſima vexatione : templa atque delubra , hanc pulcherrimam patriam omnium veſtrûm fœdiſſima flamma, totam Italiam ex bello, & vaſtitate eriperem : quacunque mibi vni proponetur fortuna ſubeatur. Quare conſulite vobis, proſpicite patria, conſeruate vos,conjuges, liberos,fortunaſque veſtras populi Ro.nomen, ſalutemque defendite:mibi parcere, ac de me cogitare deſinite. Nam primùm debeo ſperare,omnes Deos , qui huic vrbi praſident, pro eo mibi ab mereor,relaturos eſſe gratiam : deinde ſi quid obtigerit, aquo animo,paratòque moriar. Neque enim turpis mors forti viro poteſt accidere,neque immatura conſulari,nec miſera ſapienti.

Quis hac Oratione non moueatur?vides egregiè ſtudioſum Reip. fortem periculorum contemptorem,ſollicitum pro patria , ac penè;ſuorum omnium oblitum;rogit Senatores Ciceronem obliuiſcantur. de patria cogitent ; felicem ſe fore profitetur , ſi communem ſalutem diſcrimine capitis repræſentare poſſit,nullum ſibi locum vacuum fuiſſe curis & laboribus pro Repub. ſuſceptis. Quæ omnia multùm poſſunt ad amorem conciliandum.

II. *Exemplum Amoris loquentis.*

Cùm Diuus Ambroſius de obitu Satyri fratris ſui loquitur , inſignem habet in eum ſignificationem amoris. *Nunquam totus in me fui , ſed in altero noſtri pars major amborum. Atque vtinam vt memoria,vt gratia,ita etiam vita tua, hoc quicquid eſt quod ſpiramus , aut ſpirare poſſemus : Ego frater haredem,feceram,tu haredem me reliquiſti,ego te ſuperſtitem optabam,tu me ſuperſtitem demiſiſti, quid mei ſucceſſor haredis ? qui agam mea vita ſuperſtes ? quid agā exſors huius, quod cupio luminis?ego te frater non requiram , aut poſſim vnquam obliuiſci tui? quas grates ? qua munera referam tibi?nihil à me prater lacrymas habes. Aut fortaſſe ſecurus meriti,quas ſolus ſuperſtites habeo lacrymas non requiris. Nam etiā cùm adhuc viueres fleri probibebas,mœroremque magis noſtrum , quàm tuam mortem tibi eſſe teſtabaris doloris.*

Quàm amanter loquitur Ambroſius?Primùm tota Oratio,& genus dicendi ſuaue eſt, ac melleum, quale requirit affectus. Quid enim amore blandius ? abundat etiam interrogationibus, exclamationibus,ſuſpiriis,votis,deſideriis , quæ in amore frequentia ſunt perpetua eſt conuerſio Orationis ad fratrem;libenter enim cum amicis loquuntur etiam abſentibus.

Habeo planè pignus meum,quod nulla peregrinatio iam poſſit auellere:habeo quas complectar reliquias;habeo tumulum quem corpore tegam. Vtinam potuiſſem aduerſus mortem tuam, meum corpus obiicere : ſi gladiis petitus eſſe me potius pro te obtuliſſe. Nihil mihi profuit vltimos hauſiſſe anhelitus , nihil flatus meos inſpiraſſe morienti. Putabam enim quod aut tuam mortem ipſe ſuſciperem,aut meam vitam in te transfunderem:an ego poſſum aut non cogitare de te, aut vnquam ſine lacrymis cogitare? quid mihi ſine te,aut tibi vnquam ſine me voluptati fuit? Ades inquam,& ſemper oſtenderis, & te toto animo ac mente complector,aſpicio , alloquor,oſculor:comprehendo:Ipſa jam noctes,qua quaſi moleſtiores viuente videbantur, quòd mutui conſpectus copiam denegagarent, ipſe jam ſomnus colloquiorum noſtrorum dudum interruptor inamabilis, dulcis eſſe cepit , quia te mibi reddidit

Teneo igitur te frater, nec mibi te mors aut tēpus auellet. Ipſa dulces lacryma ſunt, ipſi fletus jucundi, quibus reſtinguitur ardor animi,& quaſi relaxatus euaporat affectus, Neque enim ſine te eſſe poſſum aut tui non meminiſſe vnquā,aut meminiſſe ſine lacrymis: O amari dies qui interruptā copulā perditis! flebiles

Digitized by Google

noctes, quæ tàm bonum conſortem quietis, & indiuiduum mihi comitem perdidiſtis! Para hoſpiti conſortium, & quemadmodum hic nobis omnia fuere communia: ita illic quoque diuiduum neſciamus, nec quæſo cupientem tui deſeras, properantem expecta, feſtinantem adiuua, & ſi diutius tibi morari videor, accerſe. Neque enim vnquam prolixius abſuimus à nobis, tu ſolebas reuiſere, nunc quoniam redire non potes, nos ad te ibimus, æquum eſt vt officium rependamus.

Iam omnia penè amoris ſigna, quanta cum arte, vel potius ſine arte aperit? dũ ait ſe magis in fratre fuiſſe, quàm in ſeipſo, optat poſſe vitam fraternam producere ſuæ diſpendio: dolet ſe illi eſſe ſuperſtitem, atque hæredem: vocat illum vitam ſuam, ſuam lucem; quàm blandæ illæ compellationes, quàm plenæ amoris? affirmat ſe præſentem eum habere ſemper, gratias etiam agit, lacrymas ſibi dulces, & iucundas profitetur.

LECTIO IV.

Reprimitur malus amor.

QVæ de concitando amore diximus, optimum habent vſum, ſi cum honeſtate coniungantur: ſed in tractando vitioſi amoris affectu longè aliter ſe res habet. Vt enim ad honeſtum amorem rapere animos, ſic à turpi, & pernicioſo deducere Oratoris eſt ſapientis, eóque præcepta omnia diriguntur artis, quibus ſi quis abutatur, non virtuti tantùm, ſed eloquentiæ facit iniuriam.

PVNCTVM I.

Improbi amoris Remedia.

TAm difficulter reprimitur, quàm facilè in hominum animis excitatur amor; quem ſic loquentem facit Achilles Alex. l. 2. An tu tantum tibi ſumas, vt contra me arma feras, mihique reſiſtere audeas? mihi ad volandum pennæ, ad vulnerandũ ſagittæ, ad exurendum faces datæ ſunt, quonam igitur modo te euaſurum ſperas? hinc venuſtè Socrates amorem σοφιστὴν nuncupat, callidum quendam metuendumque Rhetorem, vel vt eundem Sapho nominauit μυθοπλόκον concinnandæ Orationis doloſum artificem. Multa tamen reperias quæ ſemel accenſum amoris ignem extinguant. Cum igitur improbam aliquam cupiditatem, aut amorem, vel ſceleris, vel peſſimorum hominum, vel alicuius ſtudij minus honeſti reprimere cupies, vteris hiſce argumentis.

Amoris deformitas.

Primum remedium eſt vt oſtendatur rei quæ malè diligitur vitium, ac deformitas. Vt enim boni pulchriquè imago allicit; ſic abſterret amorem, vel deformitas, vel improbitas. Rem totam ſubijcit oculis morbi, quam ſalutis amantior Terent in Eunucho, Act. 5. Sce. 3.

Id verò eſt quòd mihi puto palmarium
Me reperiſſe, quomodo adoleſcentulus
Meretricum ingenia, & mores poſſet noſcere:
Maturè vt cùm cognorit, perpetuò oderit.
Quæ dùm foris ſunt, nihil videtur mundius.
Nec magis compoſitũ quicquã, nec magis elegãs.
Harum videre ingluuiem, ſordes, inopiam,
Quo pacto ex iure heſterno panem atrum vorent,
Noſſe omnia hæc, ſalus eſt adoleſcentulis.

Iuuerit etiam ex Plauti mercatore paucis luem illam amoris in ſuis effectibus deſcribente in prologo.

Nam amorem hæc cuncta vitia ſectari ſolent,
Cura, ægritudo, nimiaque elegantia.
Hæc non illum modò qui amat, ſed quemq; attigit,
Magno atque ſolido multat infortunio.
Sed amori accedunt etiam hæc, quæ dixi minus,
Inſomnia, ærumna, terror, error, fuga,
Ineptia, ſtultitiaque adeò, & temeritas,
Incogitantia, excors, immodeſtia,
Petulantia, cupiditas, & maleuolentia:
Inhæret etiam auiditas, deſidia iniuria,
Inopia, contumelia, & diſpendium, &c,

PVNCTVM II.

Amoris infamia.

SEcundum eſt vt ſubijciatur oculis infamia, quæ ex improbo amore redundat; nemo Cicerone

Digitized by Google

cerone melius dùm in libro de Senectute multis probat nullam capitaliorem peſtem, quàm corporis voluptatem hominibus à natura datam. Nouerat Helena quæ Paridem inſanientem præ amore ſequi recuſat, ob infamiæ notam quam vitare non poterat, niſi conſpectum eius, & ſocietatem effugeret.

Non ita contemno volucris præconia famæ,
Vt probris terras impleat illa meis.
Quid de me poterit Sparte? quid Achaïa tota?
Quid gentes Aſiæ? quid tua Troja loqui?
Quid Priamus de me, Priami quid ſentiet uxor.
Totque tui fratres, Dardaniaque nurus?
Deſine molle precor verbis conuellere pectus,
Terra precor vultus obruat ante meos.

Eadem nondum blanditiis capta, ſaltem in ſpeciem, conſtanter dona recuſat, vt famam bonorum, quæ verè ſola gloria nominari poteſt, multo labore collectam, conſeruet, ſatis edocta, puellam quæ capiat, capi donis ſolitam.

At fruar Iliacis opibus cultúque beato,
Donaque promiſſis vberiora feram.
Purpura nempè mihi, pretioſaque texta dabuntur,
Congeſtóque auri pondere diues ero.
Da veniam faſſæ, non ſunt tua munera tanti,
Neſcio quo tellus me tenet iſta modo.

PVNCTVM III.

Amoris ſuſpicio.

Tertium eſt vt ſuſpicionem inijciamus amãti aut perfidiæ, aut doli, aut frigidioris animi, aut iniuriæ profectæ ab eo, quem diligit: Eſt enim pronus amor ad ſuſpicionem, in quam cùm deſcendit, in odium & furorem vertitur. Cùm igitur ſuſpicio venenum ſit amori præſentiſſimum, monet ſapienter Seneca philoſ. Neque de amico malè ſentiendum, neque de eo maledicenti facilè credendum, ſi quis amicitiam præſtare ſibi cum aliquo voluerit. 2. de ira c. 23. *Plurimum mali credulitas facit. Sæpe ne audiendum quidem eſt: quoniam quibuſdam rebus ſatius eſt decipi, quàm diffidere. Tollenda ex animo ſuſpicio, & coniecturæ falſiſſima irritamenta. Ille me parum humanè ſalutauit, ille inchoatum ſermonem citò abrupit, ille ad cœnam non vocauit, illius vultus auerſior eſt. Non deerit ſuſpicioni argumentatio ſimplicitate opus eſt, & benignâ rerum æſtimatione. Nihil niſi quod in oculos incurret, manifeſtumque erit, credamus, & quoties ſuſpicio noſtra vana apparuerit, obiurgemus credulitatem. Hæc enim caſtigatio conſuetudinem efficiet, non facilè credendi.*

Diſſoluit etiam amorem iudiciorum, ac ſenſuum diuerſitas atque diſſentio; hinc ſævæ diſcordiæ matrem judiciorum pugnam affirmat D. Hilarius 10. de Trinit. Non eſt ambiguum omnem humani eloquij ſermonem contradictioni obnoxium ſemper fuiſſe; quia differentibus voluntatum motibus diſſentiens fit quoque motus animorum, cum aduerſantium judiciorum affectione pugnans, affectionibus his, quibus offenditur, contradicit. Quamuis enim omne dictum veri ratione perfectum ſit; tamen dum aliquid aliis, aut videtur, aut complacet, patet veritatis ſermo, aduerſantium reſponſioni, qui contra veritatem, aut non intellectam, aut offendentem, vel ſtultæ, vel vitioſæ voluntatis error obnititur.

PVNCTVM IV.

Amoris deſperatio.

Qvartum eſt, vt adducamus amantem ad Deſperationem rei optatæ conſequendæ. Sic Helena Paridem à ſe dimittit, dùm rem fieri non poſſe amantem docet.

Diſce meo exemplo formoſis poſſe carere,
Eſt virtus placitis abſtinuiſſe bonis.
Ad poſſeſſa venis, præreptaque gaudia ſerus
Spes tua lenta fuit, quod petis alter habet.

Sic animum Charini facibus amoris æſtuantem Birria paulatim refrigerat, apud Terent. in Andria, Act. 2. Sc. 1.

Quæſo ædepol, Charine, quoniam non poteſt id fieri, quod vis.
Id velis quod poſſit; ah quanto ſatius eſt
Te id dare operam, quid iſtum amorem ex animo moueas tuo,
Quam id loqui; quod magis lubido fruſtrà incendatur tua.

PVNC

PVNCTVM V.

Amoris incommoda.

QVintum eſt remedium, vt oſtendamus nihil vtilitatis, aut iucunditatis eſſe, ſed damni plurimum, ac moleſtiæ in illis amoribus. Hoc teſtetur ſatis expertus indomitæ libidinis auctor Ouid.

Quòd iuuat exiguũ eſt plus eſt quod lædit amãtes
Proponant animo multa ferenda ſuo.
Quot lepores in Atho, quot apes paſcũtur in hybla,
Cærula quot baccas pallidus arbor habet.
Littore quot concha; tot ſunt in amore dolores,
Quæ patimur, multo ſpicula felle madent.

Græci ſapientes σχέτλιον, μέγα πῆμα, μέγα σύχος vocant, quod hominem adducat in omnem miſeriam, exitum, odium; adduntque ex eo, tanquam ex malorum omnium officina, proficiſci ἔριδας, στοναχὰς, γόις, ἄλγεα, contentiones, gemitus, luctus, & dolores. Nullum itaque præſentius huic graſſanti morbo remedium afferri poteſt, quàm ſi graviſſima damna proponamus in quæ incidunt, qui ſemel amoris iugum receperunt. Ætnam æmulatur amor, perpetuis ardet ignibus, nec decreſcit. Quis hoc incendio perire velit? obſequeris ſeml huic tyranno? duriora quàm ferre poſſis, imperabit. Negabis? vim faciet. Cœleſte beatorum domicilium adibis cogitatione; te diſtrahet, & in cœno, quàm in cœlo libentius acquieſcet: ardentes inferorum flammas propones mentis oculis? aliò mentem auertet, aliis æſtuantem ignibus. Vaporatum amoris impuri momentum prius euaneſcere docebis, quàm quis illud ſatis aduertat? ridebit; altè fixum in animo doloris aculeum relinquere monebis, quod eleganter expreſſit, in metris Boëtius? audiet, mirabitur, prædicabit, nec telum extrahet è pectore, nec incendium lacrymis extinguet, neque vincula quibus conſtringitur, effringet, tàm difficulter ſanatur, qui hac infami peſte laborat.

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit furentes,
Apiumque par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

Quid illi furioſo facias, qui mortem quærit, vt alij vitam, dic laſciuum ex orco Angelũ, cœcum illum veneris filium, corporis vires debilitare, tàm manus auro iniicere, quàm animo; æternæ mortis reum ſtatuere ſibi deuotum, in famam, in virtutes graſſari, mone cum Comico ſemel, ſapiente Ter. in heaut. Act. 4. Sc. 1.

Neque ius, neque bonum, aut æquum ſciunt;
Melius, peius, proſit, obſit; nihil vident,
Niſi quod lubido ſuggerit.

Narra ſatis à Diabolo captum eſſe, quiſquis à libidine victus eſt, & nulla ſui parte liberum amoris dulcedine irretitum; ſeruitutem amat, ſordibus paſcitur, in igne viuit, & perit.

PVNCTVM VI.

Amoris Ineptiæ.

LAngueſcit Amor, cùm oſtendimus illum puerilis eſſe naturæ, hoc eſt, qualem reperire eſt in pueris, & adoleſcentibus, inconſtantem, erraticum, faſtidioſum. Hanc mentis & amoris inconſtantiam, & leuitatem Paridi ſuo Helena exprobrat.

Dum nouus eſt cœpto potius pugnemus amori,
Flamma recens paruâ ſparſa reſedit aqua.
Certus in hoſpitibus non eſt amor; errat, vt ipſi.
Cumque nihil ſperes firmius eſſe, fugit.
Hyſiphyle teſtis, teſtis Minoia Virgo
In non exhibitis vtraque iuncta toris
Tu quoque dilectam multos in fide per annos,
Diceris Oenomen deſeruiſſe tuam.
Dum loqueris mecum, dum nox ſperata paratur,
Qui ferat in patriam iam tibi ventus erit.
Curſibus in mediis, nouitatis plena relinques
Gaudia: cùm ventis noſter abibit amor.

Pari verſa Propertius l. 2. Eleg 5. diſſuadet amorem propter leuitatem ſatis cognitam.

Non ita Carpathiæ variant aquilonibus vndæ:
Nec dubiæ nubes vertitur aura noto.

Quam

Quàm facilè irati verbo mutamur amantes.
Dùm licet, iniuſto ſubtrahe colla iugo.

Minus innocentis amoris iuratus hoſtis D. Hieron. plures ineptias proponit, in quas nimius amor, origine licet honeſtus, ſed magnitudine deformis, amantes interdum coniecit l. 1. aduerſus Iouinianũ. *Amor formæ, rationis obliuio eſt, & inſaniæ proximus: fœdum minimeque conueniens animo ſoſpiti vitium: Turbat conſilia; altos & generoſos ſpiritus frangit: à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit; querulos, iracundos, temerarios, durè imperioſos, ſeruiliter blãdos, omnibus inutiles, ipſi nouiſſimè amori facit. Nam cùm fruendi cupiditate inſatiabilis flagrat, plura tempora ſuſpicionibus, lacrymis, conqueſtionibus perdit: odium ſui facit, & ipſe nouiſſimè ſibi odio eſt. Sic non iudicio, ſed furore ducitur.*

PVNCTVM VII.

Amoris ſeruitus.

SEptimum eſt, ſi oſtendamus eum qui ſemel cœci, illius nati è terra pueri, telo & igne metuendi, legibus obſequitur miſeram ſeruire ſeruitutem. Mantuanus Egloga 1.

Quiſquis amat ſeruit, ſequitur captiuus amãtem,
Fert domita ceruice iugum, fert verbera tergo,
Fert ſtimulos, trahit & bouis inſtar, aratrum.

Hoc infame ſeruitutis pondus ſenſerat Propertius quod tacitus fateri cogitur, dùm ait.

Libertas quoniam nulli iam reſtat amanti:
Nullus liber erit ſi quis amare velit.

In hanc rem D. Ambroſius de bono mortis c. 1. Multa congerit, dum vitiorum ſcopulos, ac detrimenta, quæ ſingula mortalibus inferant, enumerat: aliis laqueum, viſcum, nexum, cathenam: amori verò clauum tribuit, & quidem trabalem, à quo nec expedire ſe poſſit, nec in partem ſe mouere. *Laqueus eſt in auro, viſcus in argento, nexus in prædio, clauus in amore.*

PVNCTVM VIII.

Amoris reſiſtentia.

OPtimum longéque certiſſimum remedium fallendi ſeu curandi, aut etiam depellendi amoris eſt, obſtare principiis, quoniam mala ipſa quæ conualuerunt medicinam vix admittunt, vt ſcribit Ouidius cuius ſcripta quod nolim, extant quæ vel in turpi materia verſantur flammis abolenda; hæc quia ſapientum ſcripta redolent, tranſcribo.

Dùm licet, & modici tangunt præcordia motus,
Si piget in primo limine ſiſte pedem.
Opprime dũ noua sũt ſubiti mala ſemina morbi,
Et tuus incipiens ire reſiſtat equus.
Nã mora dat vires, teneras mora præcoquit vuas,
Et valida ſegetes, quæ fuit herba facit.
Quæ præbet latas arbor ſpatiantibus vmbras,
Quo poſita eſt primum tempore, virga fuit.
Tunc poterat manibus ſumma tellure reuelli,
Nunc ſtat in immenſum viribus acta ſuis.

In hunc ſenſum eſt Senecæ ſapientis monitum epiſt. 116. *Nulli non vitio initium eſt verecundũ, & exorabile ſed ob hoc latius funditur. Non obtinebis vt deſinat, ſi incipere permiſeris. Imbecillis eſt primò omnis affectus: deindè ipſe ſe concitat, & vires, dùm procedit, parat. Excluditur faciliùs, quàm expellitur. Quis negat omnes affectus, à quodam quaſi naturali fluere principio? curam nobis noſtri natura mandauit, ſed huic vbi nimium indulſeris, vitium eſt. Ergo intrantibus reſiſtamus; quia faciliùs, vt dixi non recipiuntur, quàm exeunt.*

PVNCTVM IX.

Amoris occupatio.

NOnum eſt remedium, vt ad amorem, & honeſta ſtudia paulatim eum detorqueamus, oſtendamuſque peſſimè in rebus fœdis collocari; cùm alibi maiore cum fructu, gloria, & voluptate conſumi poſſit. Ita malus amor, amore caſto, quaſi clauus clauo depellendus; & animo fœdis amoribus obſeſſo, ſtudia quibus ipſe delectetur, inſtillanda ſunt. Multos litterarum ſtudia, nonnullos venatio, alios oblectamenta varia ſanarunt, qui inerti otio diffluentes, & illecebris voluptatis capti periiſſent Moned. Ouid.

Deſidiam puer ille ſequi ſolet. Odit agentes.
Da vacuæ menti, quo teneatur, opus,

Sunt fora, ſunt leges, ſunt, quos tuearis, amici.
Vade per vrbanæ ſplendida caſtra togæ.
Vel tu ſanguinei iuuenalia munera Martis
Suſcipe: deliciæ iam tibi terga dabunt.
Rura quoque oblectant animos ſtudiumq́; colēdi,
Quælibet huic curæ cedere cura poteſt
Colla iube domitos oneri ſupponere tauros,
Sauciet vt duram vomer aduncus humum.
Aſpice curuatos pomorum pondere ramos,
Vt ſua quod peperit vix ferat arbor onus.
Aſpice labentes iucundo murmure riuos,
Aſpice tondentes fertile gramen oues.
Venerit inſitio. Fac ramum ramus adoptet,
Stetq́; peregrinis arbor operta comis
Cùm ſemel hæc animum cœpit mulcere voluptas,
Debilibus pennis irritus exit amor.

Sic per continuatos labores fauillam libidinis; otium excuties. Reuera enim:

Otia ſi tollas periere cupidinis arcus,
Contemptaq́; iacent, & ſine luce faces.

Benè ſapiens quidā; ſicut ſe habet cibus ad vitā, ſic labor ad honeſtatem. Hinc Curtij iudicio reprehenditur Alexander; cui vitæ clara facinora Magni cognomen pepererunt: cuius vt primùm inſtantibus curis laxatus eſt animus militarium rerum, quàm quietis optiique patientior, excepere eum voluptates, & quem arma Perſarum non fregerant, vitia vicerunt. Tanti eſt otium ſectari! l. 5.

Quid Roma gentium Domina? remoto Carthaginis metu, ſublataque imperij æmula, non gradu, ſed præcipiti curſu à virtute deſcitum, ad vitia tranſcurſum: vetus diſciplina deſerta, noua inducta: in ſomnium à vigiliis, ab armis ad voluptates, à negotiis in otium conuerſa eſt ciuitas Romana. Laboremus, fugiendo vincamus; à facie mulieris, à libidinis motu, ab ardore concupiſcentiæ, & in tranquillum portum, ſinumque caſtitatis triumphando ſuccedamus.

Pvnctvm X.

Amoris abſentia.

Sapientes omnino benè præcipiunt hanc in rem, aliò tradendas eſſe cogitationes amantium, vſuſque familiaris, ac congreſſus remiſſione, amoris intemperātis vim eſſe infringendam. Nam vt rei dilectæ præſentiâ, quaſi fomite ſuſtentatur amor: ſic vbi hæc ex oculis erepta eſt, aliiſque curis diſtractus animus, langueſcunt quotidie deſideriorum faces, & paulatim extinguntur. Eſt hoc Propertij remedium, l. 2. El. 1.

Omnes humanos ſanat medicina dolores,
Solus amor morbi non amat artificem.
Non hic herba valet non hic Nocturna Cytæis:
Non per Medeæ gramina cocta manu.
Quippe vbi nec cauſas, nec apertos cernimus ictus.
Vndè tamen veniāt tot mala cæca via eſt.
Non eget hic medicis; non lectis mollibus æger,
Huic nullum cœli tempus, & aura nocet.
Optimus ille fuit vindex, lædentia pectus
Vincula qui rupit: dedoluitq́; ſemel.

Optimè nam vt vis ignis tantiſper, dùm materia caret, quieſcit, quâ accedente, inceditur: ſic quæ ſunt in anima potentiæ, ad virtutem aut vitium pertinentes, extinguntur deſtitutæ opportunitatibus, fortuitis autem excandeſcunt occaſionibus. Atque:

Vt penè extinctum cinerem ſi ſulphure tangas
Viuet, & ex minimo maximus ignis erit.
Sic niſi vitaris quicquid reuocabit amorem,
Flamma redardeſcet, quæ modò nulla fuit.

Quanti conſtitit olim Dauidi non abfuiſſe! vidit & periit, cui nihil admodum ad cumulum humanæ felicitatis deeſſe videbatur, vno contuitu ſtratus fuit, & abiectus; è puro, inceſtus, ex innocente reus, è victore captiuus, è libero ſeruus libidinis, è vidente cœcus, è Dei amico hoſtis, ex opulento ſpoliatus & miſer euaſit. Vidit & ſubitò à formoſo illo ſpectaculo radius, & cum radio fulgor, & in fulgore vibrans ignis amoris interiora depaſcens. Miſeret me Dauidis, hem quanti viri! qui Deo charùs ſublimiſque, propè dicam vno cœlo minor, & inter homines Deus, ad ſolium euectus, trabeatus auro purpuraque, & ſceptro glorioſus duces hoſtium victor, multis & magnis à Deo beneficiis oneratus potius quàm ornatus; hunc tamen ſupra homines virum, Angelis penè parem mundo maiorem; vna libibido fecit inuiſum Deo, ſathanæ auctoratum, flagitio

Digitized by Google

flagitio pollutum, regni probrum, hominum ludibrium, cœli exulem; ô fragilem naturam noſtram, & dum fomes in medullis hærebit, nunquam tutum, & ſecurum ſui hominem.

PVNCTVM XI.

Amoris exilium.

COmpertum eſt mutatione loci, vt amatæ rei fugâ ardoris æſtus, aut omninò tolli, aut ſaltem ex parte minui. Præſcribit hoc remedium Propertius ad Cynthiam lib. 3. ele. 20.

Magnum iter ad doctas proficiſci cogor Athenas.
Vt me longa graui ſoluat amore via.
Omnia ſunt tentata mihi, quacumque fugari
Poſſit. At ex omni me premit ipſe Deus.
Vnum erit auxilium mutatis, Cynthia, terris,
Quantum oculis, animo tàm procul ibit amor.

Ita eſt, plerũque mutatur affectus, dum mutatur locus; verũ quàm ſecurius eſſet, animum mutare, quàm cœlum: ſiquidem tàm nullo negotio recurrunt animo ſemel vulnerato rei amatæ reuiuiſcentis ſpecies, vt non tam extinctus, quam ſopitus ignis fuiſſe videatur. Tutius tamen eſt non poſſe perire, quã iuxta periculũ non periiſſe. Benè monet periculo ſuo doctus Ouid.

Tu tantum & firmis quãvis retinebere vinclis,
I procul, & longas carperge diſce vias.
Flebis, & occurret deſerta nomen amica;
Stabit & in media pes tibi ſæpè via;
Sed quantò minus ire voles, magis ire memento,
Perfer; & inuitos currere coge pedes.
Dura aliquis præcepta vocet mea; dura fatemur
Eſſe: ſed vt valeas, multa dolenda fere.
Vt corpus redimas, ferrum patieris, & ignes,
Arida nec ſitiens ora leuabis aquâ:
Vt valeas animo quicquam tolerare negabis;
At pretium pars hæc corpore maius habet.
Nec ſatis eſſe putes diſcedere: lentus abeſto:
Dùm perdat vires, ſitque ſine igne cinis.

Semper placuit Senecæ monitum, Oraculo ſapientiæ dignum epiſt. 69. *Quemadmodum ei, qui amorem exuere conatur, euitanda eſt omnis admonitio dilecti corporis: nihil enim facilius, quàm amor recrudeſcit: ita qui deponere vult deſideria rerum omnium quarum cupiditate flagrauit, & oculos. & aures ab his, quæ reliquit, auertat. Citò rebellat affectus. Quocumque ſe verterit precium aliquod præſens occupationis ſuæ adſpiciet. Nullum ſine auctoramento malum eſt. Auaritia pecuniam promittit: Luxuria multas, ac varias voluptates: Ambitio purpuram, & plauſum, & ex hoc potentiam, & quidquid potentia poteſt. Mercede te vitia ſollicitant: hic tibi gratis viuendum eſt.*

Miſerum me! quoties arma peccatis exhibemus? quàm ab illis facilè vincimur, dùm non diſcedimus ab illis, ſed potius conſectamur, & amplectimur illecebras? Scitè Seneca epiſt 116. *Quantum poſſumus nos à lubrico recedamus, in ſicco quoque parum fortiter ſtamus. Occurres hoc loco mihi illâ publicâ contra Stoïcos voce: Nimis magna promittitis, nimis dura præcipitis. Nos homunciones ſumus omnia nobis negare non poſſumus. Dolebimus, ſed parum: concupiſcemus, ſed temperatè: iraſcemur, ſed placabimur. Scis quare non poſſumus iſta? quia non poſſe nos credimus. Vitia noſtra quia amamus, defendimus, & malumus excuſare illa quã excutere. Satis natura homini dedit roboris, ſi illo vtamur, ſi vires noſtras colligamus, ac totas pro nobis, certè non contra nos, concitemus. Nolle in cauſa eſt non poſſe prætenditur.* Nihil verius dici poteſt in hanc rẽ; ſic enim peccãdi occaſionibus, & voluptatũ illecebris vires animi præcidimus, hoſtemque ferocem ad verſus nos armamus.

Fortiter arguit deliciis fractos homines, nullaſque ſceleribus ſuis niſi falſas excuſationes reperire poſſe docet Cyrill. Alex. lib. 9. in Leuit. *Nolite cõqueri de infirmitate carnis: nolite dicere, quia volumus, & non poſſumus: volumus cõtinenter viuere ſed carnis fragilitate decipimur, & impugnamur ſtimulis eius. Tu das ſtimulos carni tuæ, in illam aduerſus ſpiritum tuum armas, & potentem facis cùm eam carnibus ſaturas, vino nimis jucundas, omni mollitiâ palpas, & ad illecebras nutris.*

Afferuntur alia vulgò remedia, mentem difficilibus negotiis occupare, frequentius ad Orationis, & abſtinentiæ præſentiſſima remedia recurrere, ſed hæc in doctrina morum poſita ſunt potius, quàm in præceptis Eloquentiæ.

DE ODIO.

POTENS eſt hic motus,& in copioſo,acri & ornato ſublimique dicendi genere dominatur; è cuius concitatione pendet ſæpè totius cauſæ victoria; quam ſine magno lobore non conſequitur peritus Orator. Nam ſic à natura comparati ſumus, ut quemadmodum cadens in aridum, & vacuum humoris fomitem ardens ſcintilla facit incendum: ita mens & voluntas rerum indignitate ventilata, nullo negotio inflammatur.

Odii Natura.

Quamvis non ſit una ſed multiplex odii natura, tamē illa facilè cognoſci poteſt ex iis quæ de amore diſputavimus: Definit Orator Odium invetetatam iram, quæ minus eſt ad leges exacta definitio, quare facilius intelligitur quid ſit Odium, ſi cum amore componatur, cui reſpondet ex adverſo Vt igitur amor eſt motus animi quo fertur in bonum, quatenus bonum eſt ſic odium affectus eſt animi, ſeu motus, quo ſe avertit ab eo, quod malum eſt, vel certè exiſtimatur malum.

Odij cauſa.

Quatuor omninò cauſæ afferuntur ex quibus diverſa odij genera naſcuntur. I. Ex contraria affectione, quam ſumpto à Græcis vocabulo antipathiam vocamus, odium naſcitur. Eſt enim ea vis naturæ,vt arcana rapacitate res alias aliis applicet,celeriterque coniungat; alias diſiungat ab aliis. Sic in rebus etiam naturalibus diſſidet ab agno lupus, à Ruta, Braſſica. Contra verò Oſtrea ſympathiam habent cum Luna, quâ decreſcente decreſcunt, & ſecundùm varias illius ætates mutantur. Idem etiam nobis contingit vt occulto quodam odio homines auerſemur, cùm tamen odij cauſam nullam videamus, latet tamē aliquid in natura noſtra, quo ob aliis diſſidemus;atque Odium hoc naturale dici poteſt.

II. Odium naſcitur ex abundantia atræ bilis, quæ vſque adeò efferat homines & exaſperat, vt nec alios, nec ſeipſos ferre poſſint, diciturque melancholicum.

III. Oritur ex immanitate & fœditate ingenij naturalis,ex qua exiſtit neſcio quæ inſatiabilis cupiditas, quæ etiam in mortuos ſæuit, ferinum vocatur odium.

IV. Naſcitur ex cauſis humanis,& moralibus; hoc eſt ex iis cauſis, quæ in vita ciuili odium inter homines commouere ſolent, quarum cognitio iuuat Oratorem. Nam aliæ cauſæ petuntur ex vitio naturæ,nec in motibus ſunt poſitæ, quæ vix Oratione ſanari poſſunt. Dicendū erit itaque potiſſimum de hoc quarto odij genere, nec omittenda tamen erunt alia; propter quòd ſaltem in deſcriptiones cadunt

LECTIO V.

De Arte concitandi Odij.

EX amoris cognatione facilè fontes Odij patent; eadem enim quæ amoris & beneuolentiæ cauſis aduerſantur, non parum conferunt ad inflammandum odium; & quemadmodum virtutes naturali quodam impetu,ſic animos hominum,& voluntates occupant, vt acres illis pariter, & inflāmatas amoris & amicitiæ faces admoueant: præſertim verò, ſi fuerint eiuſmodi, quæ ſummam aliquam Reip.adferant cum vtilitate dignitatem; ſic contra vox grauior, aut vehementior odij cauſa proferri poteſt, quàm aliquod turpe vitium, ſiue crudelitatis illud fuerit, ſeu libidinis, ſeu rapinarum,& auaritiæ, cùm ex talibus vitiis innſitatæ quædam vulgaribuſque maiores, & in ſingulos,& in Remp. vniuerſam calamitates oriantur. Sed aliquando præcipua capita proponamus, per quæ vis odij grauioris ſtatim inardeſcat.

PVNCTVM I.

Incommoda.

AB Oratoribus primo repreſentari ſolent incommoda,& clades illatæ,quæ quidem vehementer excitant affectum odij; ſiue fiant in bonis animi, ſeu corporis, aut in fortunæ donis, quæ

quæ nobis eripi vel deteri non facilè patimur. Inſignis eſt locus apud Pacatum in oratione panegyrica Theodoſio Aug. dicta vbi in Maximum tyrannum inuehitur, cladeſque ab eo Prouinciis illatas exaggerat. *Si dulcis in bonis miſeriarum recordatio eſt, ſi nautas tempeſtatum, ſi medicos iuuat meminiſſe morborum, cur non tu quoque mala noſtra audias; vt tua beneficia recognoſcas? vnde igitur ordiar? niſi à tuis mea Gallia malis quæ ex omnibus terris, quas illa peſtis inſederat, haud iniuria tibi benedicas priuilegium miſeriarum, non auribus modò, quarum ſenſus eſt leuior, ſed coram oculis ferè compulſa, victoriam Maximi, interitum Gratiani. Alta licet vulnera quod fatendum eſt proximis nobis Italus, & contiguus oſtendat Hiſpanus, ſed in dolore ſummo habet ſuum vterque ſolatium. Nos primi impetum belluæ furentis excepimus, nos ſæuitiam eius innocentium ſanguine, nos cupiditatem publica paupertate ſatiauimus, apud nos ſemet exercuit crudelitas iam ſecura; & adhuc inops auaritia, alibi malum publicum aut cœpit, aut deſtitit, in Gallia ſedit? Quis ſe nobis calamitate contulerit? tyrannum & cum aliis tulimus, & ſoli. Quid ego referam vacuatas municipibus ſuis ciuitates, impletas fugitiuis nobilibus ſolitudines. Quid perfunctorũ honoribus ſummis virorũ bona publicata? capita diminuta? vitã ære taxatam? Audire dicere delatorẽ, quid ita ille triſtis incedit? an quia pauper ex diuite eſt? non ſe viuere gratulatur. Quid ita hic publicum atratus inceſtat? luget credo fratrem, ſed habet filium, ita flere non licebat amiſſa, metu reliquorum*

Eſt aliquid calamitatum delinimentum dediſſe lacrimas malis, & pectus laxaſſe ſuſpiriis, & nulla maior eſt pœna, quàm eſſe miſerum, nec videri. Spes inter hæc nulla prædonis explendi. nec enim vt natura fert copiam ſatietas ſequebatur, creſcebat in dies habendi fames, & parandi rabiem partu irritabant. Vt ægrorum ſitim potus accendit; vt ignis arentibus non obruitur, ſed augetur, ita coacta publica egeſtate diuitiæ auiditatem ieiuna mentis acuebant. Stabat ipſe purpuratus ad lances, & momenta ponderum, nutuſque trutinarum pallens, atque inhians exigebat. Comportabantur interim ſpolia Prouinciarum, exuuiæ exulum, bona pereptorum; hic aurum matronarũ manibus extractũ, illic rapta pupillorum ceruicibus bullæ, iſtic dominorũ cruore perfuſum repẽdebatur argentum Numerari vbique pecuniæ, fiſci repleri, æra cumulari, vaſa concidi, cuius vt intuenti, nõ illud Imperatoris domicil.ũ, ſed latronis receptaculũ videretur. Sed tamẽ latro raptis abutitur, & ablata aliis ſibi reddit, nec ideo vias, ſaltuſque obſidet, ſed vt gulæ, ventrique ſuppetat, & nec deſit ſumptus impediis: nam & effundit, & negligit, eâdem perdendi, & quærendi facilitate.

PVNCTVM II.

Calumnia odiorum fomes.

ODimus calumniæ artifices, quod odium eò vehementius eſt, quò famam, & opinionem hominum pluris facimus: nam cùm omnes gloriæ apperentes ſimus, & auidiſſimi laudis, non eum odiſſe non poſſumus, qui nos contumeliis lacerat. Ex hoc Vatinium inſectatur, & in odium vocat Cic. qui & Cæſarem impellere voluerat, vt Optimates per inſidias trucidaret, ſed cùm ad tantum ſcelus Cæſarem inducere non poſſet, ſubornato Vettio Tullium cum aliis principibus ciuitatis falſis criminibus in inuidiam, & odium vocare conatus eſt. Pro Sex. num. 133. *Ille ad eos, à quibus audiebatur, quotidie aliquid de me afferebat: ille hominem mihi amiciſſimum Cn. Pompeium monebat, vt meam domum metueret, atque ab meipſo caueret: ille ſe ſic cum inimico meo copularet, vt illũ meæ proſcriptionis, quã adiuuabat Clodius, homo iis digniſſimus, quibus cum viuit, tabulam eſſe ſcriptorum diceret: ille vnus ordinis noſtri, diceſſu meo, luctu veſtro palam exſultauit. De quo ego cùm quotidie rueret, verbum feci Iud. nunquam neque putaui, cum omnibus machinis, vi, exercitu, copiis oppugnarer, de vno ſagittario me queri conuenire.*

Hinc pœnæ in calumniatores inſtitutæ; prima frontis inuſtio, ad inſignem ignominiæ notam, cuius meminit Tull. pro Amer. num. 57. *Sed ſi ego vos bene noui litteram illam cui vos vſque eò inimici eſtis, vt etiam alias omnes oderitis, ita vehementes ad caput affigent, vt poſtea neminem alium, niſi fortunas veſtras, accuſare poſſitis.*

Alterum pœnæ genus dicit exilium Mart. l. de ſpectaculis epiſt. 4.

Turba grauis paci, placidæque inimica quieti,
Quæ ſemper miſeras ſollicitabat opes.
Tradita Getulis, nec cepit arena nocentes,

Digitized by Google

Et delator habe, quod dabat exilium.
Exulat Auſonia profugus delator ab vrbe,
Impenſis vitam principis annumeres.

PVNCTVM III.

Comtemptus.

ODimus contemptores eandem ob cauſam. Eſt enim vnuſquiſque noſtrum ita laudis auidus, & honoris retinens, vt ſi per contemptum læſeris aliquem eas odij flammas excites, quæ vix extingui poſſint,

—— manet alta mente repoſtum
Iudicium Paridis, ſpretæque iniuria formæ.

Quæ vix fieri poteſt, niſi ſi quis ſit aut ſumma virtute, aut eo ſtupore animi vt aperto ſui contemptu non lædatur atrociter. Et hæc quidem tria capita vno certè fonte continentur, & ad priuatas iniurias induci poſſunt; in quibus amplificandis proderit deſcribere perſonæ lædentis indignitatem, vel læſæ dignitatem.

Perſonæ lædentis ſpecies.

Odium excitaueris perſonæ, quæ damnum intulit, ſi ſpeciem indignam, crudelẽ, ac funeſtam exprimas, ſi quidem grauior iniuria videtur, quæ à tali vomica proficiſcitur, Non omiſit hoc artificij genus Cic. vt in Senatu nefarium imperij prædonem Oratione ſua cruentat? vt in odium adducit ſacrilegum à vitiis animi, & corporis, atque ipſius conditionis indignitate Clodium? de Haruſpic. reſponſ. à num. 57. *Etenim ſi vnum hominem deterrimum Poëta præſtanti aliquis ingenio, fictis conquiſitiſque vitiis deformatum vellet educere, nullum profectò dedecus reperire poſſet, quod in hoc non ineſſet, multaque in eo defixa penitus atque hærentia præteriret.*

Iam vitia recenſet atque amplificat, quæ nequam ille ſceleratus in Deos, in patriam, in parentes perpetrauit, vt iudicum animos iam exulceratos magis inflammet, ſic enim perſequitur. *A Parentibus, & Diis Immortal. & patria nos primum natura conciliat: eodem enim tempore, & ſuſcipimur in lucem, & hoc cœleſti ſpiritu augemur, & certam in ſedem libertatis adſcribimur. Iſte parentum nomen, ſacra, memoriam, gentem, Fonteniano nomine obruit, Deorum, ignes, ſolemnes menſas, abditos ac penetrales focos, occultat, & maribus non inuiſa ſolum, ſed etiam inaudita ſacra, inexpiabili ſcelere peruertit, idemque earum templum inflammauit Dearum, quarum ope etiam aliis incendiis ſubuenitur. Quid de patria loquar? qui primum eum ciuem, vi ferro, periculis vrbe, omnibus patriæ præſidiis depulit, quem vos patriæ conſeruatorem eſſe iudicaueratis. Senatum ipſum principem ſalutis mentiſque publicæ, vi, cæde, incendiiſque peruertit.* Ad num. 60.

Perſonæ læſæ dignitas.

Si virtutem & innocentiam, ſi conditionem, & dignitatem eius, qui læſus eſt, cum ſcelere, cum improbitate, cum crudelitate, & indignitate perſonæ quæ læſit, compares, in vltionem ſceleris Iudicum animos inflammabis, & odium. Hic ardorem animi ſui prodit, & dicendi vim excitat in Antonium Cic. Phil. 4. n. 15. *Eſt igitur Quirites populo Rom. victori omnium gentium, omne certamen cum percuſſore, cum latrone, cum ſpartaco. Nam quod ſe ſimilem Catilinæ eſſe gloriari ſolet, ſcelere par eſt, belli induſtria inferior. Ille cum exercitum nullum haberet, repente conflauit, hic eum ipſum exercitum, quem accepit, amiſit. Vt igitur Catilinam diligentia mea, Senatus auctoritate, veſtro ſtudio, & virtute fregiſtis: ſic Antonij nefarium latrocinium veſtra cum ſenatu concordia tanta, quanta nunquam fuit felicitate, & virtute, exercituum ducumque veſtrorum breui tempore oppreſſum audietis.*

Comparatio improbitatis.

Hoc loco ſolent Oratores vti comparatione minorum, & exempla magnæ cuiuſdam iniuriæ colligere, quæ cum hac vna improbitate collata, longè minor videatur. Hac ratione Piſonem vocat in odium Cic. n. 18. *Iddicere es auſus cum illo tuo peri, quem tamen omnibus vitiis ſuperare cupiebas, vt Senatus contra quàm ipſe, cenſuiſſet ad veſtitum rediret. Quis hoc fecit vlla in Scythia tyrannus, vt eos quos luctu afficeret, lugere non ſineret? mœrorem relinquis, mœroris aufers inſignia; eripis lacrymas non conſolando, ſed minando. Tu ex tenebricoſa popina Conſul extractus, cum illa ſaluatrice tenſa Senatum Reip. occaſum, atque interitũ lugere vetuiſti.*

Quàm

Quàm ardentem & incenſam animi vim ad ſcelus in odium adducendum, meritamque hominum offenſionem Tullius adhibet, ad inflammanda iuſta iracundia Iudicum mentes in Verrem ſceleratum. Act. 7. n. 170. *Si hæc non ad Ciues Rom. non ad aliquos amicos noſtræ Ciuitatis, non ad eos, qui populi Rom. nomen audiſſent: denique ſi non ad homines, verùm ad beſtias, aut etiam, vt longius progrediar, ſi in aliqua deſertiſſima ſolitudine, ad ſaxa & ſcopulos hæc conqueri, & deplorare vellem: tamen omnia muta, atque inanima, tanta, & tàm indigna rerum atrocitate commouerentur. Nunc verò cùm loquar apud Senatores populi Rom. legum, iudiciorumq; & iuris auctores timere non debeo, ne nō vnus iſte Ciuis Rom. illa cruce dignus, cæteri omnes ſimili periculo indigniſſimi iudicentur. Paulo ante Iud lacrymas in morte miſera, atque indigna nauarchorum non tenebamus; & rectè, ac meritò ſociorum innocentum miſeria commouebamur. Quid nūc in noſtro ſanguine tandem facere debemus? nam Ciuium Rom. ſanguis coniunctus exiſtimādus eſt: quoniam id & ſalutis omnium ratio, & veritas poſtulat omnes hoc loco Ciues Rom. & qui adſunt, & qui vbique ſunt, veſtram ſeueritatem deſiderant, veſtrā fidem implorant, veſtrum auxilium requirunt; omnia ſua iura, commoda, auxilia, totā denique libertatem in veſtris ſententiis verſari arbitrantur.*

Iniuriarum figurata deſcriptio.

Vehemens eſt ad concitandum odium ſublimium figurarū concurſus; hypotipoſis, qua ſceleris atrocitatē ſubiicimus oculis. Piſonem cùm bonis omnibus per antitheſim collatum, & in publico luctu Clodio, totius illius calamitatis auctori gratulantem, & in buſto Reip. tripudiantem grauiter reprehendit, eiuſdemque cum Gabinio leuitatem impudicitia quadam, & flagitiis implicatam damnat, n. 21. *Alios ego vidi ventos: alias proſpexi animo procellas: aliis impendentibus tempeſtatibus non ceſſi, ſed his vnum me pro omnibꝰ ſalute obtuli. Itaque diſceſſu tùm meo omnes nefarij gladij de manibus crudeliſſimis exciderunt: Cùm quidem tu, ò vecors, & amens, cùm omnes boni abditi, incluſiq; mærerent, templa gemerent, tecta ipſa vrbis lugerent, complexus es illud funeſtum animal ex nefariis ſtupris, ex ciuili cruore, ex omnium ſcelerum importunitate, & flagitiorum impunitate concretum, atque eodem in templo, eodem & loci veſtigio & temporis, arbitria, non mei ſolum, ſed patriæ funeris abſtuliſti. Quid ego illorum dierum epulas, quid lætitiam, & gratulationem tuam, quid cum tuis ſordidiſſimis gregibus intemperantiſſimas perpotationes prædicem? quis te illis diebus ſobrium, quis agentem aliquid, quod eſſet libero dignum, quis denique in publico vidit? cùm Collegæ tui domus cantu & cymbalis perſonaret, cumq; ipſe nudus in conuiuio ſaltaret. In quo nemo poteſt dicere, vtrùm iſte plus biberit, aut vomuerit, an effuderit.*

Exclamatio.

Quàm ingentes habet aculeos turpitudo Piſonis, tàm ſublimi genere dicendi expreſſa! quæ plena ſunt acerbi cōtemptus omnia: iam ſi totus ardens, & incenſus odium concipiat, quantus eſt quàm confertas exclamationes vibrat? quàm nihil ſentientē lancinat? quàm acri & aculeata dictione voraginem inſectatur dum ex indignatione in grauem exclamationem erumpit, n. 41. *O Dij immort. tunc etiam, atque adeò vos, gemina voragines, ſcopuliq; Reip. vos meam fortunā deprimitis? veſtram extollitis.* Et n. 53. præ indignitate. *O familiæ non dicam Calpurniæ, ſed Caluentiæ neque huius vrbis, ſed Placentini municipij: neque paterni generis, ſed braccatæ cognationis dedecus.*

Quàm incenſa ſunt hæc in Antonium fulmina? cum à religione Deorum Penatium, & liminis ſanctitate impudentem audaciam Antonij reprehēdit, n. 68. Phil. 2. *at eiuſdem etiam ædes & hortos. O audaciam immanem! tu ingredi illam domum auſus es? tu illud ſanctiſſimum limen intrare, tu illarum ædium Dijs Penatibus os importuniſſimum oſtendere? quam domum aliquandiu adſpicere poterat, nemo ſine lacrymis præterire, hac te in domo tamdiu diuerſari non pudet? An tu illa veſtibula, roſtra, ſpolia, cùm aſpexiſti, domum tuam te introire putas; fieri non poteſt, quamuis enim ſine mente, ſine ſenſu ſis, vt es tamen & te, & tua, & tuos noſti.*

Apoſtrophe.

Modò per Apoſtrophem, & conuerſiones ſtilum acuit, & ad ſeueritatem componit. 7. in Verrem. 122. *Per Deos Immort. Iud. quo tandē animo ſedetis? aut hæc quemadmodū auditis? Vtrū ego deſipio, & plus quàm ſatis eſt doleo in tātæ calamitate miſeriaque*

que ſociorum,an vos quoque hic acerbiſſimus innocentium cruciatus, & mœror pari ſenſu doloris afficit?

P V N C T V M IV.

Vitia.

NIhil eſt vehementius, au e fficacius ad Odium, quàm ſi vitia ſcritbantur aduerſarij, ſed illa potiſſimùm, quæ in affectionem hominum incurrũt. Multa congerit in Verrem crimina,in Orationibus, in quibus latet ouantis Eloquentiæ triumphus, ſic ſceleratum hominem in Odium,& maleuolentiam vocat,5. Act.num.6. *An tu maiores vllas inimicitias putas eſſe,quàm contrarias hominum ſententias, ac diſſimilitudines ſtudiorum & voluntatum? Fidem ſanctiſſimam in vita qui putat, poteſt ei non inimicus eſſe, qui Quæſtor Conſulem ſuum, conſiliis commiſſis, pecunia tradita, rebus omnibus creditis ſpoliare,relinquere,prodere, oppugnare auſus ſit?pudorem & pudicitiam qui colit, poteſt animo æquo iſtius quotidiana adulteria,meretriciam diſciplinam,domeſticum latrocinium videre? qui religiones Deorum Immort.retinere vult,ei,qui fana ſpoliarit omnia,qui ex thenſarum orbitis prædari ſit auſus,inimicus non eſſe qui poteſt? qui iure æquo omnes putat eſſe oportere,is ſibi non infeſtiſſimus ſit,cum cogitet varietatem,libidinemque decretorum tuorum? qui ſociorum iniuriis, prouinciarumque incommodis docentis in te non expilatione Aſiæ,vexatione Pamphiliæ,ſqualore & lacrimis Siciliæ concitetur? qui Ciuium Rom.iura,ac libertatem ſanctam apud omnes vult,is non tibi plus etiam, quàm inimicus eſſe debeat, cùm tua verbera, cùm ſecures, cùm haberi cruces ad Ciuium Romano ſupplicia fixas recordetur?*

Diſtribuit eiuſdem vitia non ſine ſtomacho.3. in eundem,num.7. *Agunt eum præcipites pœnæ Ciuiũ Rom.quos partim ſecuri percuſſit,partim in vinculis necauit, partim implorantes iura libertatis, & ciuitatis in crucem ſuſtulit. Rapiunt eum ad ſupplicium Dij patrij,quòd iſte inuentus eſt,qui è complexu parentum abreptos filios ad necem duceret,& parentes precium pro ſepultura liberũm poſceret. Religiones verò, ceremoniæque omnium ſacrorum, fanorumque violatæ ſimulacraque Deorum,quæ non modò ex ſuis templis ablata ſunt,ſed etiam iacẽt in tenebris,ab iſto retruſa,atque abdita,conſiſtere eius animum ſine furore,atque amentia non ſinunt.*

P V N C T V M V.

Catalogus vitiorum,ex quibus odium incenditur.

1. Libidò.

ODimus primò in aliis libidinoſa facta, & impudica; Piſonem acriter reprehendit,eneque maximè quod quæ honeſta voluptate ab Epicureo magiſtro dicerẽtur,ea ipſa ad impuram corporis voluptatẽ deflecteret,è lubrico in præcipitium deuolutus, num.69. *Itaque admiſſarius iſte,ſimul atque audiuit,à Philoſopho,voluptatẽ tantopere laudari,nihil expiſcatus eſt:ſic ſuos ſenſus voluptuarios omnes incitauit,ſic ad illius hanc Orationem adhinniit,vt non magiſtrum virtutis,ſed auctorem libidinis à ſe illum inuentum arbitraretur. Græcus primo diſtinguere,atque diuidere illa quemadmodum dicerentur:iſte claudus quomodo aiunt,pilam retinere; quod acceperat, teſtificari, tabulas obſignare velle, Epicurum diſertum diſcernere,& tamen dictum opinor,ſe nullum bonum inteligere poſſe demptis corporis voluptatibus.* Et num. 48.

Vt Antonium in odium adducat adoleſcentiam eius inuadit;& tùm cæteras impuritates in illo ætatis flore ſuſceptas, tùm præcipuè familiaritatem Curionis,ſuæ alienæque pudicitiæ prodigi.num.44 Ph.2.*Viſne igitur te inſpiciamus à puero? Tenèsne memoria,te prætextatũ decoxiſſe? ſumpſiſti virilem togã,quam ſtatim muliebrẽ ſtolã reddidiſti. Primo vulgare ſcortũ:certa flagitij merces nec ea parua:ſed citò Curio interuenit,qui te à meretricio quæſtu abduxit:& tãquã ſtolam dediſſet, in matrimonio ſtabili,& certo locauit. Nemo vnquã puer ẽptus libidinis cauſa tàm fuit in Domini poteſtate,quàm tu in Curionis. Quoties te pater eius domo ſua eiecit? quoties cuſtodes poſuit,ne limẽ intrares? cùm tamẽ tu, nocte ſotia,hortante libidine,cogẽte mercede,per tegulas demitterere;quæ flagitia domus illa diutius ferre non potuit.*

Ibidem luſtrationem Italiæ deſcribit,eiuſdemque libidinem exaggerat, cuius impreſſa vbique

veſti

Digitized by Google

veſtigia reliquerat. n. 58. *Quod vnquam in terris tantum flagitium extitiſſe auditum eſt? tantam turpitudinem? tantum dedecus? vehebatur in Eſſedo Trib. pl. lictores laureati antecedebant, inter quos aperta lectica, mima portabatur: quàm ex oppidis municipales, homines honeſti, obuiam neceſſario prodeuntes; non noto illo, & mimico nomine, ſed Volumniam conſalutabant. Sequebatur rheda cum lenonibus, comites nequiſſimi: reiecta mater amicam impuri filij, tanquam nurum ſequebatur.*

Tùm ad maius odium inflammandum per grauem exclamationem Iuliæ matris miſeriam deplorat, quæ nunquam eò veniſſet indignitatis, niſi Antonium peperiſſet.

O miſeræ mulieris fœcunditatem calamitoſam! horum flagitiorum iſte veſtigiis omnia municipia, præfecturas, colonias, totam denique Italiam impreſſit.

Multis deſcribit præpoſteras Verris libidines Verr. 7. à num. 80. Quas excipit grauis & acuta exclamatio num. 91. *O tempus miſerum, atque acerbum Prouinciæ Siciliæ: ô caſum illum multis innocentibus calamitoſum, atque funeſtum: ô iſtius nequitiam, ac turpitudinem ſingularem. Vna atque eadem nox erat, qua prætor amoris turpiſſima flamma; ac claſſis Pop. Rom. prædonum incendio conflagrabat.* Quis effœminatum hunc, ac libidinibus perditum non oderit? Poſt reditum in Senat. à n. 13.

Deliciarum & honoris cupidinem odiorum materiam & fomitem eſſe docet Seneca in Hyppolito Act. 2.

Rupere fœdus impius lucri furor,
Et ira præceps: quæque ſuccenſas agit
Libido mentes: venit imperij ſitis
Cruenta, factus præda maiori minor,
Pro iure vires eſſe: tùm primùm manu
Bellare nuda, ſaxaque & ramos rudes
Vertere in arma: non erat gracili leuis
Armata ferro cornus, aut longo latus
Mucrone cingens enſis, aut criſtæ caput.
Galea comantes: tela faciebat dolor.

II. *Audacia & impudentia.*

Non poſſumus non eos odiſſe quos nauiter impudentes, & ad facinus audaces videmus, quòd alios contemnere, ac infrà ſe ducere videantur. Audaciam impudentiam Æbutij notat Cic. pro Cæcin. num. 1. *Si quantùm in agro locis que deſertis audacia poteſt, tantùm in foro atque iudiciis impudentia valeret: non minus in cauſa cederet A. Cæcinna Sex. Æbutij impudentiæ, quàm tùm in vi facienda ceſſit audaciæ. Verùm & illud conſiderati hominis eſſe putauit, qua de re iure decertari oporteret, & armis non contendere: & hoc conſtantis, qui cùm vi, & armis certare noluiſſet, eum iure iudicióque ſuperare. Ac mihi quidem cùm audax præcipuè fuiſſe videtur Æbutius in conuocandis hominibus, & armandis: Tùm impudens in iudicio: non ſolùm quod in iudicium venire auſus eſt, ſed quod non dubitauit idipſum quod arguitur confiteri.* Et 4. in Verr. n. 191. 4 in Catil. num. 9.

Vrget Catilinam ob impudentiam & audaciam, vt ſit omnibus odio, qui ciues oderat, & cùm oppreſſus ſit conſcientia ſcelerum, in Senatum tamen venire non erubeſcat. n. 1. *Quouſque tandem abutère patientia noſtra: quandiu nos etiã furor iſte tuus eludet! quem ad finem ſeſe effrenata iactabit audacia? nihil ne te nocturnum præſidium Palatij, nihil vrbis vigiliæ; nihil timor populi; nihil conſenſus bonorum omnium, nihil hic munitiſſimus habendi Senatus locus; nihil horũ ora vultuſq; mouerunt?*

III. *Iniuſtitia.*

Odimus eos, vel qui inferunt, vel qui ab ijs quibus infertur, ſi poſſunt, non propulſant iniuriam. Cic. pro Facco, accuſatoris iniuſtitiam notat, quòd nullis iniuriis affectus, illum tamẽ reum faciat, n. 1. *Etenim cùm à clariſſimis viris iuſtiſſimas inimicitias ſæpè cum benè meritis ciuibus depoſitas eſſe vidiſſem, non ſum arbitratus, quemquam amicum Reip. poſteaquam L. Flacci amor in patriam perſpectus eſſet, nouas huic inimicitias, nulla accepta iniuria denunciaturum.*

Idem queritur & accuſat in Trib. pl. qui de ſe quippiam criminati fuerant apud Quir. 3. Agra. num. 1. *Commodius feciſſent Trib. pl. Quirites, ſi quæ apud vos de me detulerunt, ea coram potius, me præſente dixiſſent. Nam æquitatem veſtræ diſceptationis, & conſuetudinem ſuperiorum, & ius ſuæ poteſtatis retinuiſſent. Sed quoniam adhuc præſens certamen, contentionemque fugerunt: nunc ſi videtur eis, in meam concionem prodeant, & quò prouocati à me venire noluerunt, reuocati ſaltem reuertantur.*

IV. Superbia.

in ſuperbiam, l& inſolentiam odium concitatur;Gabinij ſuperbiam & faſtidium veſtis mutationem in cauſa Ciceronis repudiantis,&ciuium preces,& lacrymas inſolenter audire recuſantis, perſtringit vt in odium adducat arrogantem apud Rom.pro Sext.n. *Quatum ſuperbia canum illud,ac labes,ampliſſimi ordinis preces,& clariſſimorum ciuium lacrimas repudiauit?meipſum vt contēpſit belluo, patriæ?nā qui de go patrimonii dicā,quod ille tum quaſi quæſtum faceret,amiſit? Cùm veniſſet ad Senatum, vos equites Rom. & omnes boni veſte mutata, vos inquam pro meo capite ad pedes lenonis impuriſſimi proieciſtis, cùm veſtris precibus à latrone illo repudiatis, vir incredibili fide, magnitudine animi,conſtantia, L. Mummius ad Senatum de Rep. retulit, Senatuſque frequens pro mea ſalute mutandam cenſuit.*

Inſolentem ſuperbiam Verris pluribus exaggerat, de amplitudine Marcellorum detrahere volentis,Sopatro nobili ad Marcelli Statuam diuaricato,ac delicato,6.inVerr.num.89. *Illud verò quid ſi iam non queo dicere: quo nomine appellem neſcio,quod in C.Marcelli Statua quid eſt hoc?patronuſque quod erat?quid tum?quò id ſpectat?vtrum ea res ad opem,an ad calamitatem Clientium,atque hoſpitū valere debebat?an vt hoc oſtenderes contra vim tuam in patronis præſidij nihil eſſe?quis hoc non intelligeret,in improbi præſentis imperio maiorem eſſe vim,quā in bonorū abſentium patrocinio?an verò ex hoc tua illa ſingularis ſignificatur inſolētia,ſuperbia, cōtumacia?detrahere videlicet aliquid de amplitudine Marcellorū putaſti?Itaque nūc Siculorū Marcelli nō ſunt patroni;Verres in eorum locū ſubſtitutus eſt.*

V. Crudelitas.

In odium adducit Caſtorem à crudelitate Cic. pro Deiot. qui adoleſcentiæ primordia tàm infauſtis,inauſpicatiſque auibus duxerit. num. 2. *Crudelis Caſtor; nec dicam ſceleratum,& impium, qui nepos auum in diſcrimen capitis adduxerit,adoleſcentiæque ſuæ terrorem intulerit ei cuius Senectutem tueri,& tegere debebatis commendationem ineuntis ætatis ab impietate,& ſcelere duxerit;amici ſeruum, corruptum præmiis ad accuſandum dominum impulerit,& à legatorum pedibus abduxerit.*

Eandem exprimit magna verborum contentione Ph.11,nu.1.Antonij ac Dolabellæ in Trebonio necando crudelitatem per comparationem. 1. *L.Cinna crudelis: C.Marius in iracundia perſeuerans: L.Sylla vehemens: neque vllius horum in vlciſcendo acerbitas progreſſa vltra mortem eſt, quæ tamen pœna in ciues nimis crudelis putabatur. Ecce tibi geminum in ſcelere par,inuſitatum,inauditum,ferum, barbarum. Itaque quorum ſummū quondam inter ipſos odium,bellumque meminiſtis, eoſdem poſtea ſingulari inter ſe conſenſu, & amore deuinxit impuriſſimæ naturæ,& turpiſſimæ vitæ ſimilitudo. Ac Dolabella quidē tàm fuit immemor humanitatis,quāquā eius nunquam particeps fuerit, vt ſuam inſatiabilem crudelitatem exercuerit non ſolum in viuo,ſed etiā in mortuo:ac in eius corpore lacerādo atque vexādo,cùm animū ſatiare nō poſſet,oculos pauerit ſuos.*

VI. Auaritia.

Clodij crudelitatem per diſtributionem in ſe ſuoſque,fœdam vero eiuſdem auaritiam in tecta deſcribit,vt illum omnibus odioſum reddat pro domo ſua n. 59. *An ſi ego præſens fuiſſem, veteres illæ copiæ coniuratorum,tuique perditi milites,atque egentes,& noua vis ſceleratiſſimorum conſulum corpori meo pepercissent;qui cum eorum omnium crudelitati ſceleríque ceſſiſſem,ne abſens quidem luctu meo mētes illorum ſatiare potui. Quid enim vos vxor mea miſera violarat?quam vexauiſtis,raptauiſtis, omni crudelitate laceraviſtis. Quid mea filia? cuius fletus aſſiduus,ſordeſque lugubres,vobis erant iucunda,cæterorum omnium mentes:oculoſque flectebant: Quid paruus filius:quem quādiu abfui;nemo niſi lacrymantem,confectumque vidit:quid feceras quod eum toties per inſidias interficere voluiſti? Quid frater meus qui cum aliquanto poſt meum diceſſum ex prouincia veniſſet,neque ſibi viuendum niſi me reſtituto putares, cùm eius mœror ſqualor incredibilis, & inauditus omnibus mortalibus miſerabilis videretur, quoties veſtro ferro, ac manibus eſt elapſus?*

Quæ Oratio calamitoſi hominis ad miſerationem compoſita, tamque grauiter expreſſa vehementer vbi indicū animos menteſque percuſsit,ex crudelitate ad auaritiam Clodij gradum facit vt illum in odium,& inuidiam adducat.

Sed quid ego veſtram crudelitatē expromo? quam in ipſum

Digitized by Google

ipſũ me, ac meos adhibuiſtis, qui parietibus, qui tectis qui columnis ac poſtibus meis; horrificum quoddam, ac nefarium, omni imbutum odio bellum intuliſtis: non enim te arbitror, cùm poſt meum diſceſſum, omnium locupletium fortunas, omnium prouinciarum fructus, & tetrarcharum ac regum bona ſpe & auaritia deuoraſſes, argenti & ſuppellectilis mea cupiditate eſſe excæcatum, &c.

Largitiones & auaritiam in cauſa fuiſſe contendit, cur apud Hortenſium patrocinium inuenerit Verres Cull. Act 4. n. 9. *Quid? hoc cuiquam ferendum putas eſſe, nos ita viuere in pecunia tenui, vt prorſus nihil acquirere velimus: vt dignitatẽ noſtram populique Rom. beneficia non copiis ſed virtute tueamur: iſtum rebus omnibus vndique ereptis impunè eludentẽ circumfluere, atque abundare? huius argento domos veſtras, huius & tabulis forũ comitiumq; ornari? præſertim cùm vos veſtro Marte his rebus omnibus abundetis? Verrẽ eſſe qui veſtras villas ſuis manubiis ornet? Verrẽ eſſe qui cum Mummio certet; vt plures hic ſociorũ vrbes, quàm ille hoſtium ſpoliaſſe videatur? plures ſolus villas ornamẽtis fanorum, quàm ille fana ſpoliis hoſtium ornaſſe? & is erit ob eam rem vobis carior, vt cæteri libentius ſuo periculo veſtris cupiditatibus ſeruiant.*

Odij Seminarium opes eſſe dicit Tibullus lib 1. & 10.

Diuitis hoc vitium eſt auri, nec bella fuerũt
Faginus aſtabat cum Cyphus ante dapes.
Non arces, non Vallus erat, ſomnumq; petebat
Securus varias dux gregis inter oues.

Vrget idem Lucanus & exclamat lib. 3.

Vſque adeò ſolus ferrum, mortemque timere
Auri neſcit amor, pereunt diſcrimine nullo
Amiſſæ leges, & pars viliſſima rerum.
Certamen mouiſtis opes.

Verris inſanã habendi libidinẽ, & pecuniarum cupiditatem damnat. & ob id ciuibus Rom. odio fuiſſe docet paſſim in Verrinis, 5. n. 189. 7. 144.

VII. Ingrati animi labes.

Cùm iniuſtitia latè ſumpta omnes animæ peſtes complectatur, mirum, ſi non ingratus facile per omnium ſcelerum abrupta deuoluatur. Caſtorem & patrem eius in inuidiam & odium adducit, cum exprobatione ingrati animi, quòd in eum ſuam crudelitatem expromant, quem beneuolentiã, & memori mente complecti debuerãt, ob excitatam è tenebris obſcuram familiam. Pro Deiot. n. 30. *Sint ſane inimicitia quæ eſſe non debebant. Rex enim Deiotarus veſtram familiam abiectam, & obſcuram è tenebris in lucem vocauit. Quis tuum patrem ante qui eſſet, quàm cuius gener eſſet, audiuit? Sed quamuis ingratè & impiè neceſſitudinis nomen repudiaretis, tamen inimicitias hominum more gerere poteratis, non ficto crimine inſectari, non expetere vitam, non capitis arceſſere. Eſto: concedatur hac quoque acerbitatis, & odij magnitudo. Adeóne vt etiam omnia vita ſalutiſque communis, atque etiam humanitatis iura violentur; ſeruum ſollicitare verbis, ſpe promiſſiſque corrumpere, addu ere domum, contra Dominum armare hoc eſt non vni propinquo, ſed omnibus familiis bellum nefa ium inducere.* Pro Plancio n. 80.

VIII. Nimia Potentia.

Sextio beneuolentiam conciliat modeſtè cõmemoratis eius in Remp. beneficiis; aduerſariis odium quærit ex illorum improbitate, & inuidiam, ex potentia: odium quidem, quòd de iudicibus tàm malam opinionem conceperunt; vt eorum auctoritate tanquam latronum manu viros bonos opprimere conarẽtur: inuidiam quod adeo ſibi non timerent, vt iudicum abuti religione poſſe, ad opprimendos bonos, confiderent. n. 1. *Nam vt omittatis de vniuſcuiuſque caſu cogitando recordari, vno aſpectu intueri poteſtis, eos, qui cum Senatu, cum bonis omnibus Remp. afflictam excitarint, & latrocinio domeſtico liberarint, mœſtos, reos de capite, de fama, de ciuitate, de fortunis de liberis dimicantes eos autem qui omnia diuina, & humana violarint, vexarint, pertu barint, euerterint: non ſolùm alacres, lætosq; volitare, ſed etiam voluntarios fortiſſimis, atque optimis ciuibus, periculum moliri, de ſe nihil timere. In quo cùm multa ſunt indigna, tùm nihil minus eſt ferendum, quàm quod iam non per latrones ſuos, non per homines, egeſtate, & ſcelere perditos, ſed per vos nobis, per optimos viros, optimis ciuibus periculum inferre conantur: & quos lapidibus, quos ferro, quos facibus, quos vi, manu, copiis delere non potuerunt, hos veſtra auctoritate, veſtra religione, veſtris ſententiis ſe oppreſſuros arbitrantur.*

Aduerſariorum nimiam potentiam in odium

Digitized by Google

vocat idem Cic. pro quint. n. 7. *Deinde habet aduerſarium Quinctius verbo Sext. Neuium: reuerà huiuſce ætatis homines diſertiſſimos, fortiſſimos, ornatiſſimos noſtra ciuitatis: qui communi ſtudio, ſummis opibus Neuium defendunt: ſi id eſt defendere cupiditati alterius obtemperare, quò is faciliùs, quem velit, iniquo iudicio opprimere poſſit.*

IX. *Impietas.*

Præterea perſonas ſordidas, illiberales & in p r ntes, vel in deum impias odimus, mentem conſcientia ſcelerum impeditam; bonorum odiū pœnas eſſe probat Tull. quas & Deus & homines de nefariis & conſceleratis exigunt, in Piſon. nu. 46. *Me fugerat Deorum immort. has eſſe in impios, & cōſceleratos pœnas certiſſimas cōſtitutas. Nolite enim putare, vt in ſcena, videtis homines conſceleratos impulſu deorum terreri furiarum tædis ardentibus. Sua quemque fraus, ſuum facinus ſuum ſcelus, ſua audacia, de ſanitate ac mente deturbat. Hæ ſunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces.*

Totum hoc negotium, perficit eleganter Cic. dum pro defenſione Roſcij, ſeuerioribus verbis, ac ſuppliciis parricidas coërcendos eſſe cenſet, vt Deo, hominibusque inuiſos, & odioſos. à nu. 66. *Sua quemque fraus, & ſuus terror maximè vexat ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit: ſuæ malæ cogitationes, conſcientiaque animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ, domeſticæque furiæ, quæ dies, noctesque parentum pœnas, à conſceleratiſſimis filiis repetant.*

Quibus verborum fulminibus impetit, & aculeis vellicat Clodium ſacrorum violatorem pro domo ſua num. 105. *Quid tibi neceſſe fuit anili ſuperſtitione, homo fanatice, ſacrificium, quod aliena domi fieret, inuiſere. Quæ autem te tanta mentis imbecillitas tenuit, vt non putares Deos poſſe placari, niſi etiam muliebribus religionibus te implicuiſſes? quem vnquam audiſti maiorum tuorum, qui & ſacra priuata coluerunt, & publicis Sacerdotiis præfuerunt, cùm ſacrificium bonæ Deæ fieret, interfuiſſe? neminem, ne illum quidem, cum cæcus factus eſt.*

In ijs autem omnibus vitiis amplificandis, præter vſum figurarum, quas antea notauimus veterem illam magiſtram pudoris, & modeſtiæ ſeueritatem adhibendam eſſe demonſtrat, in vlciſcendis ſceleratis hominibus; ab illorum impunitate magna naſci pericula, naturæ liberioris audaciam, quæ niſi coërceatur, ſe ſemper corroborat, & in dies magis, ac magis creſcit.

LECTIO VI.

Quomodo ſit remittendum odium.

ODium inflammare facile, ſed vbi ſuſceptum eſt remittere, difficillimum. Veruntamen vt in corporibus, ita in animis vix vlla morbi contagio eſt inexpugnabilis, ſi opportuna, & petita manu tractetur. Certè generoſi eſt animi diu odium retinere non poſſe, cuius rei cauſam eſſe puto, quod frigida ſit iſta affectio, quippe amori penè contraria, qui calore ſanguinis alitur. Adde quòd ferè ſemper cum mœrore coniungitur, vel metu, vel ſuſpicione; cuius morſus contrahit animum, & in anguſtias quaſdam redigit; vnde ob contrariam cauſam generoſus amor eſſe dicitur. Fit, enim ardore ſanguinis ſuauiter incaleſcentis, vt enaſcatur quædam voluptas quæ res etiam difficiles, & moleſtiarum aculeis horrentes iucundas efficiat. Vnde colligitur nulla re efficacius remitti odium poſſe, quàm ſi in animo exulcerato lætitiæ ſenſum aliquem ingeneres, aut generoſum quemdam impetum ad magna & honorifica: tùm enim facilior quodammodo, & placabilior animus euadit. Sed ad priuata remedia veniendum.

PVNCTVM. I.

Lætitia.

ODij facibus incaleſcentis animi rigor emollitur, ſi res lætas, ac proſperè fluentes ei proponas, quem ex hoſte amicum habere deſideras: ſic enim odiorum fomes extinguitur, cùm triſtitiæ nubes depellitur ex animo ad aſpectum ridentis fortunæ, præſentiſque boni lætitiam, ac voluptatem.

II. Plurimum confert ad ſedationem perturbationis

Digitized by Google

bationis,ſcire quibus de cauſis,ſuſcepta ſit;quid ſit illud,quod in hoſte ſuo, is quis infenſus eſt, oderit. Et quidem ſi vitioſum ſibi perſuadeat, delenda eſt hæc opinio ex ejus animo,ſed occultè,& quaſi aliud agendo: Ita planè vt principio quidem aſſentiri ipſi videaris;mox tamen ſubbijcias opportunè laudes inimici, doceas errore contigiſſe, vt in malam opinionem venire; aut certè immutatum jam eſſe,ſi erat ante vitioſus.

III. At ſi proficiſcatur odium ex illata injuria, tùm minuenda erit,& mitiorem in partem illud interpretandum, quod ab iis,in quos conflatum eſt odium, dictum fuerit.

IV. Sæpè etiam commiſeratio repentinæ calamitatis odium extinguit: Quamquam hoc verius dici ſolet de inuidia: ſunt enim qui tàm atrociter aduerſarios ſuos oderunt,vt ne illorum quidem morte ſatiare crudelitatem ſuã poſſint.

V. Confert nonnunquam eius qui læſit dolorem, ac pœnitentiam oſtendere: nunquam enim libentius placari ſolemus, quàm cùm is, à quo iniuriam accepimus delicti veniam petit. Delinitionis hujus ſingularem ideam ſuggerit Poëta 11. Æne. in Turno lædente,& Ænea principe clementiſſimo.

Ille humilis ſupplexque oculos, dextramque precantem,
Protendens equidem merui,nec deprecor,inquit:
Vtere ſorte tua:miſeri te ſi qua parentis
Tangere cura poteſt,oro fui & tibi talis
Anchiſes genitor) Damni miſerere ſenectæ.
Et me ſeu corpus ſpoliatum lumine mauis,
Redde meis:viciſti,& victum tendere palmas
Auſonij videre:tua eſt Lauinia conjux:
Vlterius ne tende odiis;ſtetit acer in armis.
Æneas voluens oculos,dextramque repreſſit,
Et iam iamque magis cunctantem flectere ſermo
Cœperat.

VI. Denique ſi tenacius eſt odium detorqueri debet, quantum id quidem fieri poterit ingenium animuſque ad alia grauiora negotia, quibus implicatus curam alendi odii & vltionis repetendæ cupiditatem deponat.

VII. Si ſuſtuleris odii cauſas,quibus excitatum eſt odium, ipſum quoque aboleueris:nimirum in alium repente mutatum eſſe illum, qui venerat in odium, vel propinquum eſſe,aut neceſſarium,vel aliqua virtute nobiliorem factum, aut eruditione clariorem, & rei laboranti perquam vtilem & neceſſarium.

PVNCTVM II.

Odii Delinitio,preces & lacrymæ.

Est illa grauis & plena majeſtatis Oratio Volumniæ matris ad Coriolanum filium apud Plutharcum in qua deprehendas præſentiſſima odii extinguendi remedia, de quibus hactenus, ſic autem bona mater patriæ ſalutis amantiſſima orditur appoſitè. Qualem domi conditionem fili, tua nobis fuga reliquerit, vel ex ipſa veſte, vultùque ſatis conijcere potes. Cogita nos fœminatum miſerrimas ad te ſordidatas veniſſe; quibus quod iucundiſſimum natura ſpectaculum dederat,fortuna luctuoſiſſimum fecit. Mihi vt filium, huic vt virum patriæ ſuperbum hoſtem videat. Quæ autem cæteris in calamitatibus ſolatio eſſe ſolent, fuſæ ad Deos preces,illæ nos in ſummas anguſtias cijcõiunt Neque enim licet ſimul,& patriæ victoriam,& à Diis tibi poſcere ſalutem:ſed quæ nobis hoſtes imprecentur, hoc afflictæ poſtulare cogimur, vt aut patriâ careamus,aut te orbentur mater,conjux,& liberi. Ego verò non expectabo,donec mihi fortunam hanc decernat fatalis belli neceſſitas;verùm niſi perſuaſero, vt tu extinctis odiis, & diſſentionibus,vtriuſque partis,benefactor eſſe malis,quàm perditor,ſic habeto, tibi per cadauer demortuæ parentis ad patriæ expugnationem eſſe tranſcendendum. Abſit vt ego illam diem expectem, quâ vel triumphari de filio à ciuibus,vel filium de patria triumphantem videam. Si à te poſtularem, vt proditis Volſcis, quibus fidem obſtrinxiſti, patriam ſeruares, grauis & perplexa foret deliberatio; neque enim ciues perdere honeſtum, neque eos qui tuam fidem ſequuti ſunt vllo modo prodere fas eſt. Cùm itaque poſtulem id, quòd Volſcis æquè, ac nobis ſalutare ſit, & honorificum;horum omnium author eſſe potes, quæ ſi non euenerint in te vnum culpa vtrinque conferetur.

Bellum vt vides incertum,hoc habet certi,vt aut victor patriæ furia ſis futurus,aut victus per iracundiam, atque impndentiam amiciſſimos homines cenſearis in ſummum diſcrimen adduxiſſe.Quid ſiles fili? An verò cenſes decorum omnia odio tuo permittere, matri verò pro tantis rebus deprecanti nihil gratificari? hoccine magni animi eſt,iniuriarū tàm pertinaciter meminiſſe, pietatem verò in parentes tot nominibus venerandam, colere & reuereri indignum eſt? Ecquem par eſt beneficiis gratiam rependere lubentius, quàm te qui animi labem adeò infeſtis odiis perſequeris?Et quidem infelix patria ſatis jam pœnarum dedit,Matri verò nullam gratiam retuliſti, adeò in vlciſcendis iniuriis, quàm in remunerandis beneficiis promptior es, & acrior. Ac certè oportebat imprimis mihi hanc vnam honeſtam,& juſtam petitionem concedi, quam ſi non obtineo,quid vltra extremam omnium miſerorum ſpem differo? ad quam facundæ mulieris Orationem nihil quòd reſponderet habuit totus ignis Coriolanus niſi voces illas. *Quo me adegiſti mater viciſti.*

Pvnctvm III.

Incommoda.

SI docueris quantum ſibi ipſi noceat, qui alterum odit,potens remedium inveneris aduerſus odii affectum, hoc affert D. Auguſt.16. de verbis Domini.*Odium tenebra ſunt. Non poteſt autem fieri, vt qui odit alterum, non ſibi prius noceat. Illum enim lædere conatur extrinſecùs, ſed vaſtat intrinſecùs. Quantum autem animus noſter corpore major eſt,tantū ei proiicere debemus,ne ipſe lædatur. Lædit autē animum ſuum qui odit alterum. Et quid facturus eſt ei, quem odit, quid facturus? tollit pecuniam; nunquid fidem? lædit famam; nunquid conſcientiam quicquid nocet, forinſecùs nocet ſibi; attende quid noceat. Intus enim ſibi ipſe inimicus eſt, qui odit alterum. Sed quia non ſentit quid ſibi mali faciat, in alterum ſæuit, eò periculoſius viuens, quò non ſentit, quid ſecum mali agat: quia & ſæuiendo ſenſum perdit. Sa·iſti in inimicum tuum; te ſæuiente ille nudatus eſt, tu iniquus es factus. Multum intereſt inter nudum, & iniquum. Ille perdidit pecuniam, tu innocentiam. Quare qui grauius damnum perpeſſus eſt? ille perdit rem perituram? tu factus es periturus.*

Pvnctvm IV.

Cupiditatis mors, & rerum contemptus.

VT odium remittatur obſtruendam eſſe cupiditatem ſapienter monet Seneca. 3. de Ira cap.34. *Crede mihi leuia ſunt propter quæ non leuiter excandeſcimus, qualia quæ pueros in rixam, & jurgia concitant. Nihil, ex his quæ tàm triſtes agimus ſerium eſt, nihil magnum. Inde, inquam vobis ira, & inſania eſt, quod exigua magno æſtimatis. Auferre hic mihi hæreditatem voluit: hic me diu ſpe ſuprema captatum criminatus eſt. Hic ſcortum meum concupiuit; quod vinculum amori eſſe debebat, ſeditionem atque odij cauſa eſt, idem velle. Iter anguſtum, rixas tranſeuntium concitat: Diffuſa & late patens via, ne populus quidem collidit. Iſta quæ appetis, quia exigua ſunt, nec poſſunt ad alterum, niſi alteri erepta transferri eadem affectantibus, pugnam, & jurgia concitant. Omnes ſenſus perducendi ſunt ad ſanitatem.*

Pvnctvm IV.

Vitium odio, hominem amore proſequendum.

VIri ſapientis eſt,ac pii potius dolere ſortem illius, quem videt ſordibus inquinatum, quàm odiſſe: quippe qui commiſeratione dignior ſit ob animi cæcitatem,& voluntatis deerrantis imbecillitatem, quàm irâ & odio. Quam in rem benè Seneca.2.de Ira cap.14. *Non eſt prudentis errantes odiſſe: alioquin ipſe ſibi odio erit. Cogitet quàm multa contra bonum morem faciat quam multa ex his quæ egit, veniam deſiderent, iam iraſcetur etiā ſibi. Neque enim æquus judex aliam de ſua aliam de aliena cauſa ſententiam ferret: nemo, inquam inuenitur, qui ſe poſſit abſoluere: & innocentem quiſque ſe dicit.*

Digitized by Google

dicit, reſpicient teſtem, non conſcientiam. Quanto humanius mitem, & pacatum animum præſtare peccantibus, & illos non perſequi, ſed reuocare? Errantem per agros ignorantia viæ, melius eſt ad rectum iter admouere, quàm expellere. Corrigendus eſt itaque qui peccat, admonitione & molliter & aſperè, meliorque tam ſibi, quàm aliis faciendus, non ſine caſtigatione, ſed ſine ira. Quis enim cui medetur, iraſcitur?

PVNCTVM VI.

Aduerſa Fortuna.

Reſtinguitur Odium ſi is, qui Odio dignus erat e florente fortuna ad inclinatam & iacentem miſer ceciderit. Sic per Odium inſultanti ſibi Triſtium 3. Ouidius.

Subruere eſt arces, & ſtantia mœnia virtus,
Quamlibet ignaui præcipitata premunt,
Non ſum qui fueram, quid inanem proteris umbram?
Quid cinerem ſaxis buſtaque noſtra petis.
Hector erat tunc cùm bello certabat, & idem
Tractus ab Hæmonio non erat Hector equo.
Me quoque quem noras olim non eſſe memento,
Ex illo ſuperant hæc ſimulacra viro.
Quid ſimulacra ferox dictis inceſſis amaris?
Parce precor manes ſolicitare meos.

Ex 5. Triſt. El. 8.

Nec mala reddunt mitem placidumque iacenti
Noſtra, quibus poſſunt illacrymare feræ;

Quæ Philoſophorum monita non quidem negligenda, ſed nullum præſentius remedium quàm manſuetudo virtutum, Chriſtique patientis aſſidua meditatio ſimul, & imitatio.

PVNCTVM VII.

Pietas.

Pietate maximè reſtinguitur. Seneca Thyeſt. Choro Act. 3.

Ira cum magnis agitata cauſis
Gratiam rupit, cecinitque bellum;
Cùm leues frenis ſonuere turmæ
Fulſit hinc illinc agitatus enſis.
Quem mouet crebro furibundus ictu,
Sanguinem Mauors cupiens recentem
Opprimit ferrum manibusque iunctis
Ducit ad pacem pietas negantes.

LECTIO VII.

Odij effecta.

Vehemens & incitatus eſt hic affectus, totuſque ignis, proindè in cauſis iudicialis generis dominatur, in quibus vis animi quædam ardens, & incenſa requiritur ad terrendos ſceleratos homines, & impios ad meliorem vitæ degendæ rationem, reuocandos.

PVNCTVM I.

Odium imprecans.

Primum effectum Odii dicitur Imprecatio, odiſſe enim eſt alicui velle malum, cui proximum eſt Imprecari, Oratorias imprecandi formulas frequentes habet Cic. Phil. 13. num. 48 *Quin tu abis in malam peſtem, malumque cruciatum? ad te quiſquam venerit, niſi Ventidij ſimilis? oriens incendium qui reſtinguerent, ſummos viros miſimus, repudiaſti: nec in tanta flamma, tamque inueteratam mittamus, cùm locum tibi reliquum, non modò ad pacem, ſed ne ad deditionem quidem feceris.*

Et magna cum indignatione Phil. 6. num. 12. *Aſpicite à ſiniſtra illam equeſtrem ſtatuam inauratam, in qua quid inſcriptum eſt? quinque & triginta tribus patrono populi Rom. Igitur eſt patronus L. Antonius? malam quidem illi peſtem. Clamori enim veſtro aſſentior, non modò hic latro: quem clientem habere nemo velit: ſed quis vnquam tamis opidus, tantis rebus geſtis fuit, qui ſe pop. Rom. Victoris dominique omnium gentium tutorem dicere auderet?*

Iam verò ſi piacularem eum eſſe velis, quem deuoues: vt furor Didonis hæc præſtat? cadat ante diem Æneas, vexetur ab omnibus, ſit extorris, imploret auxilium, nemo iuuet: nunquam regno fruatur, nullum cum eo fœdus ſit; nullus amor, omnes in illum odia exerceant. Sic illa furit 4. Æn.

Sitan-

Digitized by Google

DE ODIO.

POTENS eſt hic motus,& in copioſo,acri & ornato ſublimique dicendi genere dominatur; è cuius concitatione pendet ſæpè totius cauſæ victoria; quam ſine magno lobore non conſequitur peritus Orator. Nam ſic à natura comparati ſumus, ut quemadmodum cadens in aridum, & vacuum humoris fomitem ardens ſcintilla facit incendum: ita mens & voluntas rerum indignitate ventilata, nullo negotio inflammatur.

Odii Natura.

Quamvis non ſit una ſed multiplex odii natura, tamē illa facilè cognoſci poteſt ex iis quæ de amore diſputavimus: Definit Orator Odium inveteratam itam, quæ minus eſt ad leges exacta definitio, quare facilius intelligitur quid ſit Odium, ſi cum amore componatur, cui reſpondet ex adverſo. Vt igitur amor eſt motus animi quo fertur in bonum, quatenus bonum eſt ſic odium affectus eſt animi, ſeu motus, quo ſe avertit ab eo, quod malum eſt, vel certè exiſtimatur malum.

Odij cauſa.

Quatuor omninò cauſæ affetuntur ex quibus diverſa odij genera naſcuntur. I. Ex contraria affectione, quam ſumpto à Græcis vocabulo antipathiam vocamus, odium naſcitur. Eſt enim ea vis naturæ,vt arcana rapacitate res alias aliis applicet,celeriterque coniungat; alias diſiungat ab aliis. Sic in rebus etiam naturalibus diſſidet ab agno lupus, à Ruta, Braſſica. Contra verò Oſtrea ſympathiam habent cum Luna, quâ decreſcente decreſcunt, & ſecundùm varias illius ætates mutantur. Idem etiam nobis contingit vt occulto quodam odio homines auerſemur, cùm tamen odij cauſam nullam videamus, latet tamē aliquid in natura noſtra, quo ob aliis diſſidemus;atque Odium hoc naturale dici poteſt.

II. Odium naſcitur ex abundantia atræ bilis, quæ vſque adeò efferat homines & exaſperat, vt nec alios, nec ſeipſos ferre poſſint, diciturque melancholicum.

III. Oritur ex immanitate & fœditate ingenij naturalis,ex qua exiſtit neſcio quæ inſatiabilis cupiditas, quæ etiam in mortuos ſæuit, ferinum vocatur odium.

IV. Naſcitur ex cauſis humanis,& moralibus; hoc eſt ex iis cauſis, quæ in vita ciuili odium inter homines commouere ſolent, quarum cognitio iuuat Oratorem. Nam aliæ cauſæ petuntur ex vitio naturæ,nec in moribus ſunt poſitæ, quæ vix Oratione ſanari poſſunt. Dicendū erit itaque potiſſimum de hoc quarto odij genere, nec omittenda tamen erunt alia; propter quòd ſaltem in deſcriptiones cadunt

---

LECTIO V.

De Arte concitandi Odij.

EX amoris cognatione facilè fontes Odij patent; eadem enim quæ amoris & beneuolentiæ cauſis aduerſantur, non parum conferunt ad inflammandum odium; & quemadmodum virtutes naturali quodam imperio,ſic animos hominum,& voluntates occupant, vt acres illis pariter, & inflāmatas amoris & amicitiæ faces admoueant: præſertim verò, ſi fuerint eiuſmodi, quæ ſummam aliquam Reip.adfetant cum vtilitate dignitatem; ſic contra vox grauior, aut vehementior odij cauſa proferri poteſt, quàm aliquod turpe vitium, ſiue crudelitaris illud fuerit, ſeu libidinis, ſeu rapinarum,& auaritiæ, cùm ex talibus vitiis inuſitatæ quædam vulgaribuſque maiores, & in ſingulos,& in Remp. vniuerſam calamitates oriantur. Sed aliquando præcipua capita proponamus, per quæ vis odij grauioris ſtatim inardeſcat.

PVNCTVM I.

Incommoda.

AB Oratoribus primo repreſentari ſolent incommoda,& clades illatæ,quæ quidem vehementer excitant affectum odij; ſiue fiant in bonis animi, ſeu corporis, aut in fortunæ donis,

Digitized by Google

quæ nobis eripi vel deteri non facilè patimur. Inſignis eſt locus apud Pacatum in oratione panegyrica Theodoſio Aug. dicta vbi in Maximum tyrannum inuehitur, cladeſque ab eo Prouinciis illatas exaggerat. *Si dulcis in bonis miſeriarum recordatio eſt, ſi nautas tempeſtatum, ſi medicos iuuat meminiſſe morborum, cur non tu quoque mala noſtra audias; vt tua beneficia recognoſcas? vnde igitur ordiar? niſi à tuis mea Gallia malis quæ ex omnibus terris, quas illa peſtis inſederat, haud iniuria tibi benedicas priuilegium miſeriarum, non auribus modò, quarum ſenſus eſt leuior, ſed coram oculis ferè compulſa, victoriam Maximi, interitum Gratiani. Alta licet vulnera quod fatendum eſt proximis nobis Italus, & contiguus oſtendat Hiſpanus, ſed in dolore ſummo habes ſuum vterque ſolatium. Nos primi impetum belluæ furentis excepimus, nos ſæuitiam eius innocentium ſanguine, nos cupiditatem publica paupertate ſatiauimus, apud nos ſemet exercuit crudelitas iam ſecura; & adhuc inops auaritia, alibi malum publicum aut cœpit, aut deſtitit, in Gallia ſedit? Quis ſe nobis calamitate contulerit? tyrannum & cum aliis tulimus, & ſoli. Quid ego referam vacuatas municipibus ſuis ciuitates, impletas fugitiuis nobilibus ſolitudines. Quid perfunctorũ honoribus ſummis virorũ bona publicata? capita diminuta? vitã ære taxatam? Audires dicere delatorẽ, quid ita ille triſtis incedit? an quia pauper ex diuite eſt? non ſe viuere gratulatur. Quid ita hic publicum atratus inceſtat? luget credo fratrem, ſed habet filium, ita flere non licebat amiſſa, metu reliquorum*

Eſt aliquid calamitatum delinimentum dediſſe lacrimas malis, & pectus laxaſſe ſuſpiriis, & nulla maior eſt pœna, quàm eſſe miſerum, nec videri. Spes inter hæc nulla prædonis explendi. nec enim vt natura fert copiam ſatietas ſequebatur, creſcebat in dies habendi fames, & parandi rabiem partu irritabant. Vt agrorum ſitim potus accendit; vt ignis arentibus non obruitur, ſed augetur, ita coacta publica egeſtate diuitiæ auiditatem ieiunæ mentis acuebant. Stabat ipſe purpuratus ad lances, & momenta ponderum, nutuſque trutinarum pallens, atque inhians exigebat. Comportabantur interim ſpolia Prouinciarum, exuuiæ exulum, bona perẽptorum; hic aurum matronarũ manibus extractũ, illic rapta pupillorum ceruicibus bullæ, iſtic dominorũ cruore perfuſum repẽdebatur argentum Numerari vbique pecuniæ, fiſci repleri, æra cumulari, vaſa concidi, cuius vt intuenti, nõ illud Imperatoris domiciliũ, ſed latronis receptaculũ videretur. Sed tamẽ latro raptis abutitur, & ablata aliis ſibi reddit, nec ideo vias, ſaltuſque obſidet, ſed vt gulæ, ventrique ſuppetat, & nec deſit ſumptus impediis: nam & effundit, & negligit, eâdem perdendi, & quærendi facilitate.

PVNCTVM II.

Calumnia odiorum fomes.

ODimus calumniæ artifices, quod odium eò vehementius eſt, quò famam, & opinionem hominum pluris facimus: nam cùm omnes gloriæ appetentes ſimus, & auidiſſimi laudis, non eum odiſſe non poſſumus, qui nos contumeliis lacerat. Ex hoc Vatinium inſectatur, & in odium vocat Cic. qui & Cæſarem impellere voluerat, vt Optimates per inſidias trucidaret, ſed cùm ad tantum ſcelus Cæſarem inducere non poſſet, ſubornato Vettio Tullium cum aliis principibus ciuitatis falſis criminibus in inuidiam, & odium vocare conatus eſt. Pro Sex. num. 133. *Ille ad eos, à quibus audiebatur, quotidie aliquid de me afferebat: ille hominem mihi amiciſſimum Cn. Pompeium monebat, vt meam domum metueret, atque ab meipſo caueret: Ille ſe ſic cum inimico meo copularet, vt illũ meæ proſcriptionis, quàm adiuuabat Clodius, homo iis digniſſimus, quibus cum viuit, tabulam eſſe ſcriptorum diceret: ille vnus ordinis noſtri, diceſſu meo, luctu veſtro palam exſultauit. De quo ego cùm quotidie rueret, verbum feci Iud. nunquam neque putaui, cum omnibus machinis, vi, exercitu, copiis oppugnarer, de vno ſagittario me queri conuenire.*

Hinc pœnæ in calumniatores inſtitutæ; prima frontis inuſtio, ad inſignem ignominiæ notam, cuius meminit Tull. pro Amer. num. 57. *Sed ſi ego vos bene noui litteram illam cui vos vſque eò inimici eſtis, vt etiam alias omnes oderitis, ita vehementes ad caput affigent, vt poſtea neminem alium, niſi fortunas veſtras, accuſare poſſitis.*

Alterum pœnæ genus dicit exilium Mart. l. de ſpectaculis epiſt. 4.

Turba grauis paci, placidæque inimica quieti,
Quæ ſemper miſeras ſollicitabat opes.
Tradita Getulis, nec cepit arena nocentes,

Digitized by Google

Et delator habe, quod dabat exilium.
Exulat Auſonia profugus delator ab vrbe,
Impenſis vitam principis annumeres.

PVNCTVM III.

Comtemptus.

ODimus contemptores eandem ob cauſam. Eſt enim vnuſquiſque noſtrum ita laudis auidus, & honoris retinens, vt, ſi per contemptum læſeris aliquem eas odij flammas excites, quæ vix extingui poſſint,

— *manet alta mente repoſtum*
Iudicium Paridis, ſpretæque iniuria formæ.

Quare vix fieri poteſt, niſi ſi quis ſit aut ſumma virtute, aut eo ſtupore animi vt aperto ſui contemptu non lædatur atrociter. Et hæc quidem tria capita vno certè fonte continentur, & ad priuatas iniurias induci poſſunt; in quibus amplificandis proderit deſcribere perſonæ lædentis indignitatem, vel læſæ dignitatem.

Perſonæ lædentis ſpecies.

Odium excitaueris perſonæ, quæ damnum intulit, ſi ſpeciem indignam, crudelē, ac funeſtam exprimas, ſi quidem grauior iniuria videtur, quæ à tali vomica proficiſcitur. Non omiſit hoc artificij genus Cic. vt in Senatu nefarium imperij prædonem Oratione ſua cruentat? vt in odium adducit ſacrilegum à vitiis animi, & corporis, atque ipſius conditionis indignitate Clodium? de Haruſpic. reſponſ. à num. 57. *Etenim ſi vnum hominem deterrimum Poëta præſtanti aliquis ingenio, fictis conquiſitiſque vitiis deformatum vellet educere, nullum profectò dedecus reperire poſſet, quod in hoc non ineſſet, multaque in eo defixa penitus atque hærentia præteriret.*

Iam vitia recenſet atque amplificat, quæ nequam ille ſceleratus in Deos, in patriam, in parentes perpetrauit, vt iudicum animos iam exulceratos magis inflammet, ſic enim perſequitur. *A Parentibus, & Diis Immortal. & patria nos primum natura conciliat: eodem enim tempore, & ſuſcipimur in lucem, & hoc cœleſti ſpiritu augemur, & certam in ſedem libertatis adſcribimur. Iſte parentum nomen, ſacra, memoriam, gentem, Fonteiano nomine obruit, Deorum, ignes, ſolemnes menſas, abditos ac penetrales focos, occultat, & maribus non inuiſa ſolum, ſed etiam inaudita ſacra, inexpiabili ſcelere peruertit, idemque earum templum inflammauit Dearum, quarum ope etiam aliis incendiis ſubuenitur. Quid de patria loquar? qui primum eum ciuem, vi ferro, periculis vrbe, omnibus patriæ præſidiis depulit, quem vos patriæ conſeruatorem eſſe iudicaueratis. Senatum ipſum principem ſalutis mentiſque publicæ, vi, cæde, incendiiſque peruertit.* Ad num. 60.

Perſonæ læſæ dignitas.

Si virtutem & innocentiam, ſi conditionem, & dignitatem eius, qui læſus eſt, cum ſcelere, cum improbitate, cum crudelitate, & indignitate perſonæ quæ læſit, compares, in vltionem ſceleris Iudicum animos inflammabis, & odium. Hic ardorem animi ſui prodit, & dicendi vim excitat in Antonium Cic. Phil. 4. n. 15. *Eſt igitur Quirites populo Rom. victori omnium gentium, omne certamen cum percuſſore, cum latrone, cum ſpartaco. Nam quod ſe ſimilem Catilinæ eſſe gloriari ſolet, ſcelere par eſt, belli induſtriâ inferior. Ille cum exercitum nullum haberet, repente conflauit; hic eum ipſum exercitum, quem accepit, amiſit. Vt igitur Catilinam diligentia mea, Senatus auctoritate, veſtro ſtudio, & virtute fregiſtis; ſic Antonij nefarium latrocinium veſtra cum ſenatu concordia tanta, quanta nunquam fuit felicitate, & virtute, exercituum ducumque veſtrorum breui tempore oppreſſum audietis.*

Comparatio improbitatis.

Hoc loco ſolent Oratores vti comparatione minorum, & exempla magnæ cuiuſdam iniuriæ colligere, quæ cum hac vna improbitate collata, longè minor videatur. Hac ratione Piſonem vocat in odium Cic. n. 18. *Iddicere es auſus cum illo tuo peri, quem tamen omnibus vitiis ſuperare cupiebas, vt Senatus contra quàm ipſe, cenſuiſſet ad veſtitum rediret. Quis hoc fecit vlla in Scythia tyrannus, vt eos quos luctu afficeret, lugere non ſineret? mœrorem relinquis, mœroris aufers inſignia; eripis lacrymas non conſolando, ſed minando. Tu ex tenebricoſa popina Conſul extractus, cum illa ſaltatrice tonſa Senatum Reip. occaſum, atque interitũ lugere vetuiſti.*

Quàm

Digitized by Google

Quàm ardentem & incenſam animi vim ad ſcelus in odium adducendum, meritamque hominum offenſionem Tullius adhibet, ad inflammanda iuſta iracundia Iudicum mentes in Verrem ſceleratum. Act. 7. n. 170. *Si hac non ad Ciues Rom. non ad aliquos amicos noſtræ Ciuitatis, non ad eos, qui populi Rom. nomen audiſſent: denique ſi non ad homines, verùm ad beſtias, aut etiam, vt longius progrediar, ſi in aliqua deſertiſſima ſolitudine, ad ſaxa & ſcopulos hac conqueri, & deplorare vellem: tamen omnia muta, atque inanima, tanta, & tàm indigna rerum atrocitate commouerentur. Nunc verò cùm loquar apud Senatores populi Rom. legum, iudiciorumq; & iuris auctores timere non debeo, ne nō vnus iſte Ciuis Rom. illa cruce dignus, cæteri omnes ſimili periculo indigniſſimi iudicentur. Paulo ante Iud. lacrymas in morte miſera, atque indigna nauarchorum non tenebamus; & rectè, ac meritò ſociorum innocentum miſeria commouebamur. Quid nūc in noſtro ſanguine tandem facere debemus? nam Ciuium Rom. ſanguis coniunctus exiſtimãdus eſt: quoniam id & ſalutis omnium ratio, & veritas poſtulat omnes hoc loco Ciues Rom. & qui adſunt, & qui vbique ſunt, veſtram ſeueritatem deſiderant, veſtrã fidem implorant, veſtrum auxilium requirunt; omnia ſua iura, commoda, auxilia, totã denique libertatem in veſtris ſententiis verſari arbitrantur.*

Iniuriarum figurata deſcriptio.

Vehemens eſt ad concitandum odium ſublimium figurarũ concurſus; hypotipoſis, qua ſceleris atrocitatẽ ſubiicimus oculis. Piſonem cùm bonis omnibus per antitheſim collatum, & in publico luctu Clodio, totius illius calamitatis auctori gratulantem, & in buſto Reip. tripudiantem grauiter reprehendit, eiuſdemque cum Gabinio leuitatem impudicitia quadam, & flagitiis implicatam damnat, n. 21. *Alios ego vidi ventos: alias proſpexi animo procellas: aliis impendentibus tempeſtatibus non ceſſi, ſed his vnum me pro omniũ ſalute obtuli. Itaque diſceſſu tùm meo omnes nefarij gladij de manibus crudeliſſimis exciderunt: Cùm quidem tu, ò vecors, & amens, cùm omnes boni abditi, incluſiq; mœrerent, templa gemerent, tecta ipſa vrbis lugerent, complexus es illud funeſtum animal ex nefariis ſtupris, ex ciuili cruore, ex omnium ſcelerum importunitate, & flagitiorum impunitate concretum, atque eodem in templo, eodem & loci veſtigio & temporis, arbitria, non mei ſolùm, ſed patriæ funeris abſtuliſti. Quid ego illorum dierum epulas, quid lætitiam, & gratulationem tuam, quid cum tuis ſordidiſſimis gregibus intemperantiſſimas perpotationes prædicem? quis te illis diebus ſobrium, quis agentem aliquid, quod eſſet libero dignum, quis denique in publico vidit? cùm Collegæ tui domus cantu & cymbalis perſonaret, cumq; ipſe nudus in conuiuio ſaltaret. In quo nemo poteſt dicere, vtrùm iſte plus biberit, aut vomuerit, an effuderit.*

Exclamatio.

Quàm ingentes habet aculeos turpitudo Piſonis, tàm ſublimi genere dicendi expreſſa! quæ plena ſunt acerbi cõtemptus omnia: iam ſi totus ardens, & incenſus odium concipiat, quantus eſt quàm confertas exclamationes vibrat? quàm nihil ſentientẽ lancinat? quàm acri & aculeata dictione voraginem inſectatur dum ex indignatione in grauem exclamationem erumpit, n. 41. *O Dij immort. tunc etiam, atque adeò vos, geminæ voragines, ſcopuliq; Reip. vos meam fortunã deprimitis? veſtram extollitis.* Et n. 53. præ indignitate. *O familia. non dicam Calpurnia, ſed Caluentia neque huius vrbis, ſed Placentini municipij: neque paterni generis, ſed braccatæ cognationis dedecus.*

Quàm incenſa ſunt hæc in Antonium fulmina? cum à religione Deorum Penatium, & liminis ſanctitate impudentem audaciam Antonij reprehẽdit, n. 68. Phil. 2. *at eiuſdem etiam ædes & hortos. O audaciam immanem! tu ingredi illam domum auſus es? tu illud ſanctiſſimum limen intrare, tu illarum ædium Dijs Penatibus os importuniſſimum oſtendere? quam domum aliquandiu adſpicere poterat, nemo ſine lacrymis præterire, hac te in domo tamdiu diuerſari non pudet? An tu illa veſtibula, roſtra, ſpolia, cùm aſpexiſti, domum tuam te introire putas; fieri non poteſt, quamuis enim ſine mẽte, ſine ſenſu ſis, vt es: tamen & te, & tua, & tuos noſti.*

Apoſtrophe.

Modò per Apoſtrophem, & conuerſiones ſtilum acuit, & ad ſeueritatem componit. 7. in Verrem. 122. *Per Deos Immort. Iud. quo tandẽ animo ſedetis? aut hæc quemadmodũ auditis? Vtrũ ego deſipio, & plus quàm ſatis eſt doleo in tãta calamitate*

Digitized by Google

que ſociorum,an vos quoque hic acerbiſſimus innocentium cruciatus, & mœror pari ſenſu doloris afficit?

retruſa,atque abdita,conſiſtere eius animum ſine furore,atque amentia non ſinunt.

PVNCTVM IV.

Vitia.

NIhil eſt vehementius, au efficacius ad Odium, quàm ſi vitia ſcribantur aduerſarij, ſed illa potiſſimùm, quæ in affectionem hominum incurrũt. Multa congerit in Verrem crimina, in Orationibus, in quibus latet ouantis Eloquentiæ triumphus, ſic ſceleratum hominem in Odium,& maleuolentiam vocat,5. Act.num.6. *An tu maiores vllas inimicitias putas eſſe, quàm contrarias hominum ſententias, ac diſſimilitudines ſtudiorum & voluntatum? Fidem ſanctiſſimam in vita qui putat, poteſt ei non inimicus eſſe, qui Quæſtor Conſulem ſuum, conſiliis commiſſis, pecunia tradita, rebus omnibus creditis ſpoliare, relinquere, prodere, oppugnare auſus ſit? pudorem & pudicitiam qui colit, poteſt animo æquo iſtius quotidiana adulteria, meretriciam diſciplinam, domeſticum latrocinium videre? qui religiones Deorum Immort. retinere vult, ei, qui fana ſpoliaris omnia, qui ex thenſarum orbitis prædari ſit auſus, inimicus non eſſe qui poteſt? qui iure æquo omnes putat eſſe oportere, is tibi non infeſtiſſimus ſit, cum cogitet varietatem, libidinemque decretorum tuorum? qui ſociorum iniuriis, prouinciarumque incommodis docetur? is in te non expilatione Aſiæ, vexatione Pamphiliæ, ſqualore & lacrimis Siciliæ concitetur? qui Ciuium Rom. iura, ac libertatem ſanctam apud omnes vult, is non tibi plus etiam, quàm inimicus eſſe debeat, cùm tua verbera, cùm ſecures, cùm haberi cruces ad Ciuium Romano ſupplicia fixas recordetur?*

Diſtribuit eiuſdem vitia non ſine ſtdmacho.3. in eundem, num.7. *Agunt eum præcipites pœnæ Ciuiũ Rom. quos partim ſecuri percuſſit, partim in vinculis necauit, partim implorantes iura libertatis, & ciuitatis in crucem ſuſtulit. Rapiunt eum ad ſupplicium Dij patrij, quòd iſte inuentus eſt, qui è complexu parentum abreptos filios ad necem duceret, & parentes precium pro ſepultura liberûm poſceret. Religiones verò, ceremoniæque omnium ſacrorum, fanorumque violatæ, ſimulacraque Deorum, quæ non modò ex ſuis templis ablata ſunt, ſed etiam iacẽt in tenebris, ab iſto*

PVNCTVM V.

Catalogus vitiorum, ex quibus odium incenditur.

I. Libido.

ODimus primò in aliis libidinoſa facta, & impudica; Piſonem acriter reprehendit, eaque maximè quod quæ honeſta voluptate ab Epicureo magiſtro dicerẽtur, ea ipſa ad impuram corporis voluptatẽ deflecteret, è lubrico in præcipitium deuolutus, num.69. *Itaque admiſſarius iſte, ſimul atque audiuit, à Philoſopho voluptatẽ tantopere laudari, nihil expiſcatus eſt: ſic ſuos ſenſus voluptuarios omnes incitauit, ſic ad illius hanc Orationem adhinniit, vt non magiſtrum virtutis, ſed auctorem libidinis à ſe illuminuentum arbitraretur. Græcus primo diſtinguere, atque diuidere illa quemadmodum dicerentur: iſte claudus quomodo aiunt, pilam retinere; quod acceperat, teſtificari, tabulas obſignare velle, Epicurum diſertum diſcernere, & tamen dictum opinor, ſe nullum bonum inteligere poſſe demptis corporis voluptatibus.* Et num. 48.

Vt Antonium in odium adducat adoleſcentiam eius inuadit; & tùm cæteras impuritates in illo ætatis flore ſuſceptas, tùm præcipuè familiaritatem Curionis, ſuæ alienæque pudicitiæ prodigi. nnm.44. Ph.2. *Viſne igitur te inſpiciamus à puero? Tenèsne memoria, te prætextatũ decoxiſſe? ſũpſiſti virilem togã, quam ſtatim muliebrẽ ſtolã reddidiſti. Primo vulgare ſcortũ: certa flagitij merces nec ea parua: ſed citò Curio interuenit, qui te à meretricio quæſtu abduxit: & tãquã ſtolam dediſſet, in matrimonio ſtabili, & certo locauit. Nemo vnquã puer ẽptus libidinis cauſa tàm fuit in Domini poteſtate, quàm tu in Curionis. Quoties te pater eius domo ſua eiecit? quoties cuſtodes poſuit, ne limẽ intrares? cùm tamẽ tu, nocte ſocia, hortante libidine, cogẽte mercede, per tegulas demitterere; quæ flagitia domus illa diutius ferre non potuit.*

Ibidem luſtrationem Italiæ deſcribit, eiuſdemque libidinem exaggerat, cuius impreſſa vbique veſti

veſtigia reliquerat. n. 58. *Quod vnquam in terris tantum flagitium extitiſſe auditum eſt? tantam turpitudinem? tantum dedecus? vehebatur in Eſſedo Trib. pl. lictores laureati antecedebant, inter quos aperta lectica, mima portabatur: quàm ex oppidis municipales, homines honeſti, obuiam neceſſario prodeuntes; non noto illo, & mimico nomine, ſed Volumniam conſalutabant. Sequebatur rheda cum lenonibus, comites nequiſſimi; reiecta mater amicam impuri filij, tanquam nurum ſequebatur.*

Tùm ad maius odium inflammandum per grauem exclamationem Iuliæ matris miſeriam deplorat, quæ nunquam eò veniſſet indignitatis, niſi Antonium peperiſſet.

O miſera mulieris fœcunditatem calamitoſam! horum flagitiorum iſte veſtigiis omnia municipia, præfecturas, colonias, totam denique Italiam impreſſit.

Multis deſcribit præpoſteras Verris libidines Verr. 7. à num. 80. Quas excipit grauis & acuta exclamatio num. 91. *O tempus miſerum, atque acerbum Prouinciæ Siciliæ: ô caſum illum multis innocentibus calamitoſum, atque funeſtum; ô iſtius nequitiam, ac turpitudinem ſingularem. Vna atque eadem nox erat, qua prætor amoris turpiſſima flamma; ac claſſis Pop. Rom. prædonum incendio conflagrabat.* Quis effœminatum hunc, ac libidinibus perditum non oderit? Poſt reditum in Senat. à n. 13.

Deliciarum & honoris cupidinem odiorum materiam & fomitem eſſe docet Seneca in Hyppolito Act. 2.

Rupere fœdus impius lucri furor,
Et ira præceps: quæque ſuccenſas agit
Libido mentes: venit imperij ſitis
Cruenta, factus præda maiori minor,
Pro iure vires eſſe: tùm primùm manu
Bellare nuda, ſaxaque & ramos rudes
Vertere in arma: non erat gracili leuis
Armata ferro cornus, aut longo latus
Mucrone cingens enſis, aut criſtæ caput.
Galeæ comantes: tela faciebat dolor.

II. *Audacia & impudentia.*

Non poſſumus non eos odiſſe quos nauiter impudentes, & ad facinus audaces videmus, quòd alios contemnere, ac infrà ſe ducere videantur. Audaciam impudentiam Æbutij notat Cic. pro Cæcin. num. 1. *Si quantùm in agro locis que deſertis audacia poteſt, tantùm in foro atque iudiciis impudentia valeret: non minus in cauſa cederet. A Cæcinna Sex. Æbutij impudentia, quàm tùm in vi facienda ceſſit audacia. Verùm & illud conſiderati hominis eſſe putauit, qua de re iure decertari oporteret, & armis non cōtendere: & hoc conſtātis, qui cùm vi, & armis certare noluiſſet, eum iure iudicióque ſuperare. Ac mihi quidem cùm audax præcipuè fuiſſe videtur Æbutius in conuocandis hominibus, & armandis: Tùm impudens in iudicio: non ſolùm quod in iudicium venire auſus eſt, ſed quod non dubitauit idipſum quod arguitur confiteri.* Et 4. in Verr. n. 191. 4 in Catil. num. 9.

Vrget Catilinam ob impudentiam & audaciam, vt ſit omnibus odio, qui ciues oderat, & cùm oppreſſus ſit conſcientia ſcelerum, in Senatum tamen venire non erubeſcat. n. 1. *Quouſque tandem abutére patientia noſtra: quandiu nos etiā furor iſte tuus eludet! quem ad finem ſeſe effrenata iactabit audacia? nihil ne te nocturnum præſidium Palatij, nihil vrbis vigiliæ; nihil timor populi; nihil conſenſus bonorum omnium, nihil hic munitiſſimus habendi Senatus locus; nihil horū ora vultuſq; mouerunt?*

III. *Iniuſtitia.*

Odimus eos, vel qui inferunt, vel qui ab ijs quibus infertur, ſi poſſunt, non propulſant iniuriam. Cic. pro Facco, accuſatoris iniuſtitiam notat, quòd nullis iniuriis affectus, illum tamē reum faciat, n. 1. *Etenim cùm à clariſſimis viris iuſtiſſimas inimicitias ſæpè cum benè meritis ciuibus depoſitas eſſe vidiſſem, non ſum arbitratus, quemquam amicum Reip. poſteaquam L. Flacci amor in patriam perſpectus eſſet, nouas huic inimicitias, nulla accepta iniuria denunciaturum.*

Idem queritur & accuſat in Trib. pl. qui de ſe quippiam criminati fuerant apud Quir. 3. Agra. num. 1. *Commodius feciſſent Trib. pl. Quirites, ſi quæ apud vos de me detulerunt, ea coram potius, me præſente dixiſſent. Nam æquitatem veſtræ diſceptationis, & conſuetudinem ſuperiorum, & ius ſuæ poteſtatis retinuiſſent. Sed quoniam adhuc præſens certamen, contentionemque fugerunt: nunc ſi videtur eis, in meam concionem prodeant, & quò prouocati à me venire noluerunt, reuocati ſaltem reuertantur.*

Digitized by Google

IV. Superbia.

in ſuperbiam, & inſolentiam odium concitatur; Gabinij ſuperbiam & faſtidium veſtis mutationem in cauſa Ciceronis repudiantis, & ciuium preces, & lacrymas inſolenter audire recuſantis, perſtringit vt in odium adducat arrogantem apud Rom. pro Sext. n. *Qua tum ſuperbia cænum illud, ac labes, ampliſſimi ordinis preces, & clariſſimorum ciuium lacrimas repudiauit? meipſum vt contēpſit helluo, patriæ? nā qui de ego patrimonii dicā, quod ille cùm quaſi quæſtum faceret, amiſit? Cùm veniſſet ad Senatum, vos equites Rom. & omnes boni veſte mutata, vos inquam pro meo capite ad pedes lenonis impuriſſimi proieciſtis, cùm veſtris precibus à latrone illo repudiatis, vir incredibili fide, magnitudine animi, conſtantia, L. Mummius ad Senatum de Rep. retulit, Senatuſque frequens pro mea ſalute mutandam cenſuit.*

Inſolentem ſuperbiam Verris pluribus exaggerat, de amplitudine Marcellorum detrahere volentis, Sopatro nobili ad Marcelli Statuam diuaricato, ac delicato, 6. in Verr. num. 89. *Illud verò quid ſit iam non queo dicere: quo nomine appellem neſcio, quod in C. Marcelli Statua quid eſt hoc? patronuſque quod erat? quid tum? quò id ſpectat? vtrum ea res ad opem, an ad calamitatem Clientium, atque hoſpitū valere debebat? an vt hoc oſtenderes contra vim tuam in patronis præſidij nihil eſſe? quis hoc non intelligeret, in improbi præſentis imperio maiorem eſſe vim, quā in bonorū abſentium patrocinio? an verò ex hoc tua illa ſingularis ſignificatur inſolētia, ſuperbia, cōtumacia? detrahere videlicet aliquid de amplitudine Marcellorū putaſti? Itaque nūc Siculorū Marcelli nō ſunt patroni; Verres in eorum locū ſubſtitutus eſt.*

V. Crudelitas.

In odium adducit Caſtorem à crudelitate Cic. pro Deiot. qui adoleſcentiæ primordia iàm infauſtis, inauſpicatiſque auibus duxerit. num. 2. *Crudelis Caſtor; nec dicam ſceleratum, & impium, qui nepos auum in diſcrimen capitis adduxerit, adoleſcentiæque ſuæ terrorem intulerit ei cuius Senectutem tueri, & tegere debebatis commendationem ineuntis ætatis ab impietate, & ſcelere duxerit; amici ſeruum, corruptum præmiis ad accuſandum dominum impulerit, & à legatorum pedibus abduxerit.*

Eaſdem exprimit magna verborum contentione Ph. 11. nu. 1. Antonij ac Dolabellæ in Trebonio necando crudelitatem per comparationem. 1. *L. Cinna crudelis: C. Marius in iracundia perſeuerans: L. Sylla vehemens: neque vllius horum in vlciſcendo acerbitas progreſſa vltra mortem eſt, quæ tamen pœna in ciues nimis crudelis putabatur. Ecce ſibi geminum in ſcelere par, inuſitatum, inauditum, ferum, barbarum. Itaque quorum ſummū quondam inter ipſos odium, bellumque meminiſtis, eoſdem poſtea ſinguiari inter ſe conſenſu, & amore deuinxit impuriſſima naturæ, & turpiſſima vitæ ſimilitudo. Ac Dolabella quidē iàm fuit immemor humanitatis, quāquā eius nunquam particeps fuerit, vt ſuam inſatiabilem crudelitatem exercuerit non ſolùm in viuo, ſed etiā in mortuo: ac in eius corpore lacerādo atque vexādo, cùm animū ſatiare nō poſſet, oculos pauerit ſuos.*

VI. Auaritia.

Clodij crudelitatem per diſtributionem in ſe ſuoſque, fœdam vero eiuſdem auaritiam iu tecta deſcribit, vt illum omnibus odioſum reddat pro domo ſua n. 59. *An ſi ego præſens fuiſſem, veteres illa copiæ coniuratorum, tuique perditi milites, atque egentes, & noua vis ſceleratiſſimorum conſulum corpori meo peperciſſent; qui cum eorum omnium crudelitati ſcelerique ceſſiſſem, ne abſens quidem luctu meo mētes illorum ſatiare potui. Quid enim vos vxor mea miſera violarat? quam vexauiſtis, raptauiſtis, omni crudelitate laceraviſtis. Quid mea filia? cuius fletus aſſiduus, ſordeſque lugubres, vobis erant iucunda, cæterorum omnium mentes: oculoſque flectebant: Quid paruus filius: quem quādiu abfui; nemo niſi lacrymantem, confectumque vidit: quid fecerat quod eum toties per inſidias interficere voluiſti? Quid frater meus qui cum aliquanto poſt meum diceſſum ex prouincia veniſſet, neque ſibi viuendum niſi me reſtituto putaret, cùm eius mæror ſqualor incredibilis, & inauditus omnibus mortalibus miſerabilis videretur, quoties veſtro ferro, ac manibus eſt elapſus?*

Quæ Oratio calamitoſi hominis ad miſerationem compoſita, tamque grauiter expreſſa vehementer, vbi indicū animos menteſque perculit, ex crudelitate ad auaritiam Clodij gradum facit vt illum in odium, & inuidiam adducat.

Sed quid ego veſtram crudelitatē expromo? quam in

ipſum

Digitized by Google

ipſũ me, ac meos adhibuiſtis, qui parietibus, qui tectis qui columnis ac poſtibus meis; horrificum quoddam, ac nefarium, omni imbutum odio bellum intuliſtis: non enim te arbitror, cùm poſt meum diſceſſum, omnium locupletum fortunas, omnium prouinciarum fructus, & tetrarcharum ac regum bona ſpe & auaritia deuoraſſes, argenti & ſuppellectilis meæ cupiditate eſſe cæcatum, &c.

Largitiones & auaritiam in cauſa fuiſſe contendit, cur apud Hortenſium patrocinium inuenerit Verres Cull. Act 4.n.9. *Quid? hoc cuiquam ferendum putas eſſe, nos ita viuere in pecunia tenui, vt prorſus nihil acquirere velimus: vt dignitatẽ noſtram populique Rom. beneficia non copiis ſed virtute tueamur: iſtum rebus omnibus vndique ereptis impunè eludentẽ circumfluere, atque abundare? huius argento domos veſtras, huius & tabulis forũ comitiumq; ornari? præſertim cùm vos veſtro Marte his rebus omnibus abundetis; Verrẽ eſſe qui veſtras villas ſuis manubiis ornet? Verrẽ eſſe qui cum Mummio certet; vt plures hic ſociorũ vrbes, quàm ille hoſtium ſpoliaſſe videatur? plures ſolus villas ornamẽtis fanorum, quàm ille fana ſpoliis hoſtium ornaſſe? & is erit ob eam rem vobis carior, vt cæteri libentius ſuo periculo veſtris cupiditatibus ſeruiant.*

Odij Seminarium opes eſſe dicit Tibullus lib 1. & 10.

Diuitis hoc vitium eſt auri, nec bella fuerunt
Faginus aſtabat cum Cyphus ante dapes.
Non, arces, non Vallus erat, ſomnumq; petebat
Securus varias dux gregis inter oues.

Vrget idem Lucanus & exclamat lib. 3.

Uſque adeò ſolus ferrum, mortemque timere
Auri neſcit amor, pereunt diſcrimine nullo
Amiſſæ leges, & pars viliſſima rerum.
Certamen mouiſtis opes.

Verris inſanã habendi libidinẽ, & pecuniarum cupiditatem damnat. & ob id ciuibus Rom. odio fuiſſe docet paſſim in Verrinis, 5. n. 189. 7. 144.

VII. Ingrati animi labes.

Cùm iniuſtitia latè ſumpta omnes animæ peſtes complectatur, mirum, ſi non ingratus facile per omnium ſcelerum abrupta deuoluatur. Caſtorem & patrem eius in inuidiam & odium adducit, cum exprobatione ingrati animi, quòd in eum ſuam crudelitatem expromant, quem beneuolentiã, & memori mente complecti debuerãt, ob excitatam è tenebris obſcuram familiam. Pro Deiot. n. 30. *Sint ſane inimicitiæ quæ eſſe non debebant. Rex enim Deiotarus veſtram familiam abiectam, & obſcuram è tenebris in lucem vocauit. Quis tuum patrem ante qui eſſet, quàm cuius gener eſſet, audiuit? Sed quamuis ingratè & impiè neceſſitudinis nomen repudiaretis, tamen inimicitias hominum more gerere poteratis, non ficto crimine inſectari, non expetere vitam, non capitis arceſſere. Eſto: concedatur hæc quoque acerbitatis, & odij magnitudo. Adeóne vt etiam omnia vitæ ſalutiſque communis, atque etiam humanitatis iura violentur; ſeruum ſollicitare verbis; ſpe promiſſiſque corrumpere; abducere domum; contra Dominum armare hoc eſt non vni propinquo, ſed omnibus familiis bellum nefarium inducere.* Pro Plancio n. 80.

VIII. Nimia Potentia.

Sextio beneuolentiam conciliat modeſtè cõmemoratis eius in Remp. beneficiis; aduerſariis odium quærit ex illorum improbitate, & inuidiam, ex potentia: odium quidem; quòd de iudicibus tàm malam opinionem conceperunt; vt eorum auctoritate tanquam latronum manu viros bonos opprimere conarẽtur: inuidiam quod adeo ſibi non timerent, vt iudicum abuti religione poſſe, ad opprimendos bonos, confiderent. n. 1. *Nam vt omittatis de vniuſcuiuſque caſu cogitando recordari, vno aſpectu intueri poteſtis, eos, qui cum Senatu, cum bonis omnibus Remp. afflictam excitarint, & latrocinio domeſtico liberarint, mæſtos, reos de capite, de fama, de ciuitate, de fortunis de liberis dimicantes eos autem qui omnia diuina, & humana violarint, vexarint, perturbarint, euerterint: non ſolùm alacres, lætosq; volitare, ſed etiam voluntarios fortiſſimis, atque optimis ciuibus, periculum moliri, de ſe nihil timere. In quo cùm multa ſunt indigna, tum nihil minus eſt ferendum, quàm quod iam non per latrones ſuos, non per homines, egeſtate, & ſcelere perditos, ſed per vos nobis, per optimos viros, optimis ciuibus periculum inferre conantur: & quos lapidibus, quos ferro, quos facibus, quos vi, manu, copiis delere non potuerunt, hos veſtra auctoritate, veſtra religione, veſtris ſententiis ſe oppreſſuros arbitrantur.*

Aduerſariorum nimiam potentiam in odium

Digitized by Google

vocat idem Cic. pro quint. n.7. *Deinde habet aduerſarium Quinctius verbo Sext. Næuium: reuerà huiuſce ætatis homines diſertiſſimos, fortiſſimos, ornatiſſimos noſtra ciuitatis: qui communi ſtudio, ſummis opibus Næuium defendunt: ſi id eſt defendere cupiditati alterius obtemperare, quò is faciliùs, quem velit, niquo iudicio opprimere poſſit.*

IX. *Impietas.*

Præterea perſonas ſordidas, illiberales & in parentes, vel in deum impias odimus, mentem conſcientia ſcelerum impeditam; bonorum odiũ pœnas eſſe probat Tull. quas & Deus & homines de nefariis & conſceleratis exigunt, in Piſon. nu.46. *Me fugerat Deorum immort. has eſſe in impios, & cõſceleratos pœnas certiſſimas cõſtitutas. Nolite enim putare, vt in ſcena, videtis homines conſceleratos impulſu deorum terreri furiarum tædis ardentibus. Sua quemque fraus, ſuum facinus ſuum ſcelus, ſua audacia, de ſanitate ac mente deturbat. Hæ ſunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces.*

Totum hoc negotium, perficit eleganter Cic. dum pro defenſione Roſcij, ſeuerioribus verbis, ac ſuppliciis parricidas coërcendos eſſe cenſet, vt Deo, hominibusque inuiſos, & odioſos. à nu. 66. *Sua quemque fraus, & ſuus terror maximè vexat ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit: ſuæ malæ cogitationes, conſcientiaque animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ, domeſticæque furiæ, quæ dies, noctesque parentum pœnas, à conſceleratiſſimis filiis repetant.*

Quibus verborum fulminibus impetit, & aculeis vellicat Clodium ſacrorum violatorem pro domo ſua num.105. *Quid tibi neceſſe fuit anili ſuperſtitione, homo fanatice, ſacrificium, quod alienæ domi fieret, inuiſere. Quæ autem te tanta mentis imbecillitas tenuit, vt non putares Deos poſſe placari, niſi etiam muliebribus religionibus te implicuiſſes? quem vnquam audiſti maiorum tuorum, qui & ſacra priuata coluerunt, & publicis Sacerdotiis præfuerunt, cùm ſacrificium bonæ Deæ fieret, interfuiſſe? neminem, ne illum quidem, cum cæcatus factus eſt.*

In ijs autem omnibus vitiis amplificandis, præter vſum figurarum, quas antea notauimus veterem illam magiſtram pudoris, & modeſtiæ ſeueritatem adhibendam eſſe demonſtrat, in vlciſcendis ſceleratis hominibus; ab illorum impunitate magna naſci pericula, naturæ liberioris audaciam, quæ niſi coërceatur, ſe ſemper corroborat, & in dies magis, ac magis creſcit.

LECTIO VI.

Quomodo ſit remittendum odium.

ODium inflammare facile, ſed vbi ſuſceptum eſt remittere, difficillimum. Verumtamen vt in corporibus, ita in animis vix vlla morbi contagio eſt inexpugnabilis, ſi opportuna, & perita manu tractetur. Certè generoſi eſt animi diu odium retinere non poſſe, cuius rei cauſam eſſe puto, quod frigida ſit iſta affectio, quippe amori penè contraria, qui calore ſanguinis alitur. Adde quòd ferè ſemper cum mœrore coniungitur, vel metu, vel ſuſpicione; cuius morſus contrahit animum, & in anguſtias quaſdam redigit; vnde ob contrariam cauſam generoſus amor eſſe dicitur. Fit enim ardore ſanguinis ſuauiter incaleſcentis, vt enaſcatur quædam voluptas quæ res etiam difficiles, & moleſtiarum aculeis horrentes iucundas efficiat. Vnde colligitur nulla re efficacius remitti odium poſſe, quàm ſi in animo exulcerato lætitiæ ſenſum aliquem ingeneres, aut generoſum quemdam impetum ad magna & honorifica: tum enim facilior quodammodo, & placabilior animus euadit. Sed ad priuata remedia veniendum.

PVNCTVM. I.

Lætitia.

ODij facibus incaleſcentis animi rigor emollitur, ſi res lætas, ac proſperè fluentes ei proponas, quem ex hoſte amicum habere deſideras: ſic enim odiorum fomes extinguitur, cùm triſtitiæ nubes depellitur ex animo ad aſpectum ridentis fortunæ, præſentiſque boni lætitiam, ac voluptatem.

II. Plurimùm confert ad ſedationem perturbationis

Digitized by Google

bationis, ſcire quibus de cauſis, ſuſcepta ſit; quid ſit illud, quod in hoſte ſuo, is quis infenſus eſt, oderit. Et quidem ſi vitioſum ſibi perſuadeat, delenda eſt hæc opinio ex ejus animo, ſed occultè, & quaſi aliud agendo: Ita planè vt principio quidem aſſentiri ipſi videaris; mox tamen ſubbijcias opportunè laudes inimici, doceas errore contigiſſe, vt in malam opinionem venire; aut certè immutatum jam eſſe, ſi erat ante vitioſus.

III. At ſi proficiſcatur odium ex illata injuria, tùm minuenda erit, & mitiorem in partem illud interpretandum, quod ab iis, in quos conflatum eſt odium, dictum fuerit.

IV. Sæpè etiam commiſeratio repentinæ calamitatis odium extinguit: Quamquam hoc verius dici ſolet de inuidia: ſunt enim qui tàm atrociter aduerſarios ſuos oderunt, vt ne illorum quidem morte ſatiare crudelitatem ſuã poſſint.

V. Confert nonnunquam eius qui læſit dolorem, ac pœnitentiam oſtendere: nunquam enim libentius placari ſolemus, quàm cùm is, à quo iniuriam accepimus delicti veniam petit. Delinitionis hujus ſingularem ideam ſuggerit Poëta 11. Æne. in Turno lædente, & Ænea principe clementiſſimo.

Ille humilis ſupplexque oculos, dextramque precantem.
Protendens equidem merui, nec deprecor, inquit:
Vtere ſorte tua: miſeri te ſi qua parentis
Tangere cura poteſt, oro fui & tibi talis
Anchiſes genitor) Damni miſerere ſenectæ.
Et me ſeu corpus ſpoliatum lumine mauis,
Redde meis: viciſti, & victum tendere palmas
Auſonij videre: tua eſt Lauinia conjux:
Vlterius ne tende odiis; ſtetit acer in armis.
Æneas voluens oculos, dextramque repreſſit,
Et iam iamque magis cunctantem flectere ſermo
Cœperat.

VI. Denique ſi tenacius eſt odium detorqueri debet, quantum id quidem fieri poterit ingenium animuſque ad alia grauiora negotia, quibus implicatus curam alendi odii & vltionis repetendæ cupiditatem deponat.

VII. Si ſuſtuleris odii cauſas, quibus excitatum eſt odium, ipſum quoque aboleueris: nimirum in alium repente mutatum eſſe illum, qui venerat in odium, vel propinquum eſſe, aut neceſſarium, vel aliqua virtute nobiliorem factum, aut eruditione clariorem, & rei laboranti perquam vtilem & neceſſarium.

PVNCTVM II.

Odii Delinitio, preces & lacrymæ.

EST illa grauis & plena majeſtatis Oratio Volumniæ matris ad Coriolanum filium apud Plutharcum in qua deprehendas præſentiſſima odii extinguendi remedia, de quibus hactenus, ſic autem bona mater patriæ ſalutis amantiſſima orditur appoſitè. Qualem domi conditionem fili, tua nobis fuga reliquerit, vel ex ipſa veſte, vultùque ſatis conijcere potes. Cogita nos fœminarum miſerrimas ad te ſordidatas veniſſe; quibus quod iucundiſſimum natura ſpectaculum dederat, fortuna luctuoſiſſimum fecit. Mihi vt filium, huic vt virum patriæ ſuperbum hoſtem videat. Quæ autem cæteris in calamitatibus ſolatio eſſe ſolent, fuſæ ad Deos preces, illæ nos in ſummas anguſtias cijcõiunt. Neque enim licet ſimul, & patriæ victoriam, & à Diis tibi poſcere ſalutem; ſed quæ nobis hoſtes imprecentur, hoc afflictæ poſtulare cogimur, vt aut patriâ careamus, aut te orbentur mater, conjux, & liberi. Ego verò non expectabo, donec mihi fortunam hanc decernat fatalis belli neceſſitas; verùm niſi perſuaſero, vt tu extinctis odiis, & diſſentionibus, vtriuſque partis, benefactor eſſe malis, quàm perditor, ſic habeto, tibi per cadauer demortuæ parentis ad patriæ expugnationem eſſe tranſcendendum. Abſit vt ego illam diem expectem, quâ vel triumphari de filio à civibus, vel filium de patria triumphantem videam. Si à te poſtularem, vt proditis Volſcis, quibus fidem obſtrinxiſti, patriam ſeruares, grauis & perplexa foret deliberatio; neque enim ciues perdere honeſtum, neque eos qui tuam fidem ſequuti ſunt vllo modo prodere fas eſt. Cùm itaque poſtulem id, quòd Volſcis æquè, ac nobis ſalutare ſit, & honorificum; horum omnium author eſſe potes, quæ ſi non euenerint in te vnum culpa vtrinque conferetur.

Digitized by Google

Bellum vt vides incertum, hoc habet certi, vt aut victor patriæ furia ſis futurus, aut victus per iracundiam, atque impndentiam amiciſſimos homines cenſearis in ſummum diſcrimen adduxiſſe. Quid ſiles fili? An verò cenſes decorum omnia odio tuo permittere, matri verò pro tantis rebus deprecanti nihil gratificari? hoccine magni animi eſt, iniuriarū tàm pertinaciter meminiſſe, pietatem verò in parentes tot nominibus venerandam, colere & reuereri indignum eſt? Ecquem par eſt beneficiis grariam rependere lubentius, quàm te qui animi labem adeò infeuſis odiis perſequeris? Et quidem infelix patria ſatis jam pœnarum dedit, Matri verò nullam gratiam retuliſti, adeò in vlciſcendis iniuriis, quàm in remunerandis beneficiis promptior es, & acrior. Ac certè oportebat imprimis mihi hanc vnam honeſtam, & juſtam petitionem concedi, quam ſi non obrineo, quid vltra extremam omnium miſerorum ſpem differo? ad quam facundæ mulieris Orationem nihil quòd reſponderet habuit totus ignis Coriolanus niſi voces illas. *Quo me adegiſti mater viciſti.*

PVNCTVM III.

Incommoda.

SI docueris quantum ſibi ipſi noceat, qui alterum odit, potens remedium inveneris aduerſus odii affectum, hoc affert D. Auguſt. 16. de verbis Domini. *Odium tenebra ſunt. Non poteſt autem fieri, vt qui odit alterum, non ſibi prius noceat. Illum enim ladere conatur extrinſecus, ſed vaſtat intrinſecùs. Quantum autem animus noſter corpore major eſt, tantū ei proiicere debemus, ne ipſe ladatur. Ladit autē animum ſuum qui odit alterum. Et quid facturus eſt ei, quem odit, quid facturus? tollit pecuniam; nunquid fidem? ladit famam; nunquid conſcientiam quicquid nocet, forinſecùs nocet ſibi; attende quid noceat. Intus enim ſibi ipſe inimicus eſt, qui odit alterum. Sed quia non ſentit quid ſibi mali faciat, in alterum ſauit, eò perículoſius viuens, quò non ſentit, quid ſecum mali agat: quia & ſauiendo ſenſum perdit. Sa iſti in inimicum tuum; te ſauiente ille nudatus eſt, tu iniquus es factus. Multum intereſt inter nudum, & iniquum. Ille perdidit pecuniam, tu innocentiam. Quare qui grauius damnum perpeſſus eſt? ille perdit rem perituram? tu factus es periturus.*

PVNCTVM IV.

Cupiditatis mors, & rerum contemptus.

VT odium remittatur obſtruendam eſſe cupiditatem ſapienter monet Seneca. 3. de Ira cap. 34. *Crede mihi leuia ſunt propter qua non leuiter excandeſcimus, qualia qua pueros in rixam, & jurgia concitant. Nihil, ex his qua tàm triſtes agimus ſerium eſt, nihil magnum. Inde, inquam vobis ira, & inſania eſt, quod exigua magno aſtimatis. Auferre hic mihi hareditatem voluit: hic me diu ſpe ſuprema captatum criminatus eſt. Hic ſcortum meum concupiuit; quod vinculum amori eſſe debebat, ſeditionem atque odij cauſa eſt, idem velle. Iter anguſtum, rixas tranſeuntium concitat: Diffuſa & late patens via, ne populus quidem collidit. Iſta qua appetis, quia exigua ſunt, nec poſſunt ad alterum, niſi alteri erepta transferri eadem affectantibus, pugnam, & jurgia concitant. Omnes ſenſus perducendi ſunt ad ſanitatem.*

PVNCTVM IV.

Vitium odio, hominem amore proſequendum.

VIri ſapientis eſt, ac pii potius dolere ſortem illius, quem videt ſordibus inquinatum, quàm odiſſe: quippe qui commiſeratione dignior ſit ob animi cœcitatem, & voluntatis deerrantis imbecillitatem, quàm irâ & odio. Quam in rem benè Seneca. 1. de Ira cap. 14. *Non eſt prudentis errantes odiſſe: alioquin ipſe ſibi odio erit. Cogitet quàm multa contra bonum morem faciat quam multa ex his qua egit, veniam deſiderent, iam iraſcetur etiā ſibi. Neque enim aquus judex aliam de ſua aliam de aliena cauſa ſententiam ferri: nemo, inquam inuenitur, qui ſe poſſit abſoluere: & innocentem quiſque ſe dicit.*

Digitized by Google

dicit, reſuiciens teſtem, non conſcientiam. Quanto humanius mitem, & pacatum animum preſtare peccantibus, & illos non perſequi, ſed reuocare? Errantem per agros ignorantia viæ, melius eſt ad rectum iter admouere, quàm expellere. Corrigendus eſt itaque qui peccat, admonitione & molliter & aſperè, melioremque tam ſibi, quàm aliis faciendus, non ſine caſtigatione, ſed ſine ira. Quis enim cui medetur, iraſcitur?

P V N C T V M VI.

Aduerſa Fortuna.

Reſtinguitur Odium ſi is, qui Odio dignus erat e florente fortuna ad inclinatam & jacentem miſer ceciderit. Sic per Odium inſulanti ſibi Triſtium 3. Ouidius.

Subruere eſt arces, & ſtantia mœnia virtus,
Quamlibet ignaui præcipitata premunt,
Non ſum qui fueram, quid inanem proteris umbram?
Quid cinerem ſaxis buſtaque noſtra petis.
Hector erat tunc cùm bello certabat, & idem
Tractus ab Hæmonio non erat Hector equo.
Me quoque quem noras olim non eſſe memento,
Ex illo ſuperant hæc ſimulacra viro.
Quid ſimulacra ferox dictis inceſſis amaris?
Parce precor manes ſolicitare meos.

Ex 5 Triſt. El. 8.

Nec mala reddunt mitem placidumque jacenti
Noſtra, quibus poſſunt illacrymare feræ;

Quæ Philoſophorum monita non quidem negligenda, ſed nulliũ præſentius remedium quàm manſuetudo virtutum, Chriſtique patientis aſſidua meditatio ſimul, & imitatio.

P V N C T V M VII.

Pietas.

Pietate maximè reſtinguitur. Seneca Thyeſt. Choro Act. 3.

Ira cum magnis agitata cauſis
Gratiam rupit, cecinitque bellum;
Cùm leues frenis ſonuere turmæ
Fulſit hinc illinc agitatus enſis.
Quem mouet crebro furibundus ictu,
Sanguinem Mauors cupiens recentem
Opprimit ferrum manibusque junctis
Ducit ad pacem pietas negantes.

L E C T I O VII.

Odij effecta.

Vehemens & incitatus eſt hic affectus, totuſque ignis, proindè in cauſis judicialis generis dominatur, in quibus vis animi quædam ardens, & incenſa requiritur ad terrendos ſceleratos homines, & impios ad meliorem vitæ degendæ rationem, reuocandos.

P V N C T V M I.

Odium imprecans.

Primum effectum Odii dicitur Imprecatio, odiſſe enim eſt alicui velle malum, cui proximum eſt Imprecari, Oratorias imprecandi formulas frequentes habet Cic. Phil. 13. num. 48 *Quin tu abis in malam peſtem, malũque cruciatum? ad te quiſquam venerit, niſi Ventidij ſimilis? oriens incendiũ qui reſtinguerẽt, ſummos viros miſimus, repudiaſti: nec in tãta flammã, tamque inueteratam mittamus, cùm locum tibi reliquum, non modò ad pacem, ſed ne ad deditionem quidem feceris.*

Et magna cum indignatione Phil. 6. num. 12. *Aſpicite à ſiniſtra illam equeſtrem ſtatuã inauratã, in qua quid inſcriptum eſt? quinque & triginta tribus patrono populi Rom. Igitur eſt patronus L. Antonius? malam quidẽ illi peſtem. Clamori enim veſtro aſſentior, non modò hic latro: quem clientem habere nemo velit: ſed quis unquã tam iniopidus, tãtis rebus geſtis fuit, qui ſe pop. Rom. Victoris dominique omniũ gentium tutorem dicere auderet?*

Iam verò ſi piacularem eum eſſe velis, quem deuoues: vt furor Didonis hæc præſtat? cadat ante diem Æneas, vexetur ab omnibus, ſit extorris, imploret auxilium, nemo juuet: nunquam regno fruatur, nullum cum eo fœdus ſit; nullus amor, omnes in illum odia exerceant. Sic illa furit 4. Æn.

Sitan-

Digitized by Google

—— Si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare neceſſe eſt,
Et ſi fata Iouis poſcunt; hic terminus hæret:
At bello audacis populi vexatus, & armis,
Finibus extorris, complexu avulſus Iuli
Auxilium imploret; videatque indigna ſuorum
Funera: nec, cùm ſe ſub leges pacis iniquæ
Tradiderit; regno, aut optata luce fruatur.
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena,
Hæc precor, hãc vocẽ extremã cũ ſanguine fundo.
Tum vos, ô Tyrij ſtirpem, & genus omne futurum
Exercete odiis; cinerique hæc mittite noſtro
Munera: nullus amor populis nec fœdera ſunto.

Non minus iracundè Seneca in Oedipo. Act. 2.

Hunc non quieta tecta, non fidi lares,
Non hoſpitalis exulem tellus ferat:
Thalamis pudendis doleat, & prole impia,
Hic & parentem dexterâ perimat ſuâ,
Faciatque (num quid grauius optari poteſt?)
Quidquid ego fugi, non erit venia locus.

II. *Odium nocens & Vlciſcens.*

Solent qui oderunt excicareſe ad inferendam perniciem ſuis hoſtibus, quod maximè tragicum eſt illud tritum ſatis apud Senecam Trag. Vbi Atreus doloris impatiens hortatur ſeſe ad ſumendum de fratre ſupplicium, quo in exemplo videre potes ſuſceptam vlciſcendi voluntatem & ardorem. In Thyeſte. Act. 2. Scen. 1.

Ignava, iners, enervis & quod maximum
Probrum tyranno rebus in ſummis reor
Inulte, poſt tot ſcelera, poſt fratris dolos,
Faſque omne ruptum, quæſtibus vanis agis
Iratus.

Evander apud Virgilium mores hominis non tàm irâ, quam dolore ardentis, appetentiſque vltionem exprimit tanquam vnicum ejuſdem doloris leuamentum.

Vadite & hæc memores regi mandata referte;
Quod vitam moror inviſam Pallante perempto
Dextera cauſa tua eſt? Turnũ gnatoque patrique
Quam debere vides;

III. *Odium exprobrans.*

Tertium eſt eorum exprobratio, quæ pudorem hoſti inferre maximum poſſunt, qualia ſunt, in 1. Phil. num. 15. *Hodie non deſcendit Antonius cur? dat natalitia in hortis. Cui? neminem nominabo. Putatote cùm Phormioni alicui, tùm Gnathoni, tùm Ballioni.*

Sequitur exclamatio gravior per indignationẽ, quod ſpretis avunculi ſui conſiliis, hominibus nequiſſimis familiariter vteretur, eoſque ad conſilium adhiberent & cõuiuio exciperet die ſuo natali, ſed eo ſtrepitu, vt etiam ad Senatus aures eorum paraſitorum fama dimanaret.

O fœditatem hominis flagitioſam! ô impudentiã nequitiam, libidinem non ferendam? tu cùm principem Senatorem, ciuem ſingularem, tàm propinquum habeas, ad eum de Rep. nihil refers, ad eos refers, qui domum ſuam nullam habent, tuã exhauriunt? Adeóne pudorem cũ pudicitia perdidiſti, vt hocin eo tẽplo dicere auſus, in quo ego Senatum illum, qui quondam florens orbi terrarum præſidebam conſulebant: Tu homines perditiſſimos cum gladiis collocauiſti?

IV. *Odium conuicians.*

Quartum in conuitiis poſitum eſt, quorum multæ frequenteſque extant in Orat. contra Piſo. num. 19. Vbi graui tùm animi tùm corporis vitiorum exprobratione Piſonem inſectãs à ſtoliditate pecudem, à valetudine & forma putidam carnem appellat, vt hoc contemptu oſtendat ſe neque conſilio, neque præſidio Piſonis vti voluiſſe. *Ego iſtius pecudis, ac putidæ carnis conſilio ſcilicet, aut præſidio niti volebam? ab hoc ejecto cadavere quidquam mihi aut opis, aut ornamenti expectabam? Conſulem ego tùm requirebam, Conſulem in quẽ non in hoc quidem, quem in hoc animali invenire non poſſem, qui tantam Reip. cauſam grauitate, & conſilio ſuo tueretur: ſed, qui tanquam truncus, atque ſtipes, ſi ſtetiſſet modo, poſſet ſuſtinere tamen titulum Conſulatus.*

Pergit idem num. 20. Piſonem & Gabinium inſectari, lepideque jocatur in ſupercilium illius ad timorem incutiendum compoſitum, & in hujus cymbala terriculamenta puerorum.

Quod mihi igitur certamen eſſet hujuſmodi cum C. Mario ſcilicet, aut cum aliquo pari, an cum altero barbato Epicureo, cũ altero Catilinæ laternario? quos neque hercule ego: neque ſupercilium tuum, neque collegæ tui cymbala, ac crotala fugi, neque tam timidus, ut, qui in maximis turbinibus, ac fluctibus Reip. navem gubernaſſem, ſalvamque in portu collocaſſem,

frontis

Digitized by Google

frontis tua nubeculam, tùm Collega tui contaminatum ſpiritum pertimeſcerem.

73. verò numero Piſonem cum Aſino, contumeliæ causâ comparat, fuſtibuſque dolandum ait ad ſapientiam. *Quid nunc te Aſine litteras doceam? non opus eſt verbis, ſed fuſtibus. Non dixi hanc togam, quâ ſum amictus; nec arma, ſcutum, & gladium vnius Imperatoris, ſed quod pacis eſt inſigne & otij, toga.*

V. Odium minax.

Quid odir progreditur à conuitiis, ad minas. Dido iurat, atque obteſtatur ſe numquam odium poſitum, imò poſt mortem etiam ſeruaturam 4.

—— Sequar atris ignibus abſens
Et cùm frigida mors anima ſeduxerit artus,
Omnibus vmbra locis adero: dabis improbe pœnas

In Ibin Ouid. diras euomit:

Tum quoque factorũ veniã memor vmbra tuorũ
Inſequar, & vultus oſſea forma tuos.

Similem huic furorem notat Horat. Ode 5. Epo.

Quin vbi perire iuſſus exſpirauero
Nocturnus occurram furor.
Petamque vultus vmbra curuis vnguibus
Qua vis Deorum eſt Manium:
Et inquietis aſſidens præcordiis,
Pauore ſomnos auferam.

VI. Odium apertum.

Vbi minas & exprobrationes, & contumelias, diraſque omnes ex hauſit, ſi nihil aliud ſuppetat, aperta odij profeſſione paſcitur; quod facit Horat. in Menam magui Pompeij libertum Epoſt. 4.

Lupis, & agnis quanta ſortito obtigit,
Tecum mihi diſcordia eſt,
Ibericis peruſte funibus latus,
Et crura dura compede.
Licet ſuperbus ambules pecuniâ:
Fortuna non mutat genus.

VII. Odium obſcurum.

Aliquando tamen tegit odium ſuum, vt crudelius noceat; quia vt benè Seneca, Med. Act. 2.

—— Ira qua tegitur nocet.
Profeſſa produnt odia vindicta locum.

Itaque acuit ingenium ad dolos & fraudes, perfidiamq; ſub ſpecie amoris. Atreus Act. 3. Scen. 2. Thyeſtes odium diſſimulat ſpe nocendi.

Cùm ſpirat ira ſanguinem, neſcit tegi.
Tamen tegatur. Aſpice, vt multo grauis
Squalore vultus obruat mœſtos coma:
Quàm fœda iaceat barba. Præſtatur fides.
Fratrem iuuat videre: complexus mihi
Redde expetitos. Quidquid irarum fuit,
Tranſierit, ex hoc ſanguis ac pietas die
Colantur: animis odia damnata excidant.

VIII. Odium triumphus.

Qui odit, vbi perniciem hoſti attulit, tùm vero triumphat, & omnibus lætitiis incedit, ſic Atreus Act. 5. Thyeſt.

Æqualis aſtris gradior, & cunctos ſuper
Altum ſuperbo vertice attingens polum.
Nunc decora regni teneo nunc ſolium patris
Dimitto ſuperos, ſumma votorum attigi.

Icfamia & dedecore Piſonis plurimum ſe oblectari profitetur Cic. & quidem n. 42. ſic loquitur. *An ego ſi te & Gabinium cruci ſuffixos viderem maiore afficerer lætitia, ex corporis veſtri laceratione, quàm afficior ex infamia.*

Et 45. *Dij Immortales! idne ego optare, vt inimicus meus, ea, qua nemo vnquam ignominiâ notaretur? vt Senatus, qui in eam iam benignitatis conſuetudinem venit, vt eos, qui benè Remp. geſſerint, nouis honoribus afficiat, & numero dierum & genere verborum huius vnius litteris nuntiantibus non crederet? poſtulantibus denegaret? His ego rebus paſcor, his delector, his perfruor, quod de vobis hic ordo opinatur, non ſecus ac de teterrimis hoſtibus: quod vos Equites Rom. quod cæteri ordines, quod cuncta ciuitas odit. Quod nemo bonus, nemo denique ciuis eſt, qui modò ſe ciuem eſſe meminerit, qui vos non oculis fugiat, auribus reſpuat, animo aſpernetur, recordatione denique ipſa Conſulatus veſtri, perhorreſcat.*

In extrema verò totius Orationis clauſula, oſtendit omnem, quam expetierat Piſoni calamitatem accidiſſe, eiuſque animum ſcelerum conſcientiâ vulneratum mire deſcribit, ac lætatur,

Digitized by Google

tur n. 99 *Numquam ego ſanguinem expetiui tuum: nunquã illud extremum, quod poſſet eſſe improbis, & probis cõmune ſupplicium, legis ac iudicij, ſed abiectũ, contemptum, deſpectum à cæteris, à teipſo deſperatum & relictum circumſpectantem omnia quidquid increpuiſſet, pertimeſcentem, diffidentem tuis rebus: ſine voce, ſine libertate, ſine auctoritate, ſine vlla ſpecie conſulari: horrentem, trementem, adulãtem omnibus, videre te volui: vidi.*

Atreus etiam exultat, in calamitate Thyeſtis, & inſultat vehementius, Scen. vlt.

—— Nunc meas laudo manus.
Nunc parta vera eſt palma. Perdideram ſcelus
Niſi ſic doleres. Liberos naſci mihi
Nunc credo; caſtis nunc fidem reddi toris

Th. *Quid liberi meruêre?* Atre. *Quod fuerant tui*

IX. Odium ſibi inimicum.

Eò procedit aliquando hæc nocendi voluptas, hominemque in eam redigit inſaniam, vt modò hoſti perniciem afferat, ſuam ipſe non reformidet. Dido furioſa cupit Æneam oculis atrocem filij carnificinam intueri antequam occidat, quam & ſortem ſequi non recuſat.

Non potui abreptum diuell rem corpus, & vndis
Spargere? non ſocios, non ipſum abſumere ferro
Aſcanium, patriiſq; epulandum apponere menſis;
Verùm anceps pugna fuerat fortuna; fuiſſet.
Quem metui moritura? faces in caſtra tuliſſem,
Impleſſẽq; foros flammis: natumq; patremque
Cum genere extinxem; memet ſuper ipſa dediſſem.

X. Odium crudele.

Quaſcumque pœnas ſumat ſemper leues præ odij magnitudine videntur, inde ſemper aliquid acerbius excogitat. Ita apud Sen. Thy. Act. 1. Megæra loquitur.

———— Perge deteſtabilis
Vmbra & Penates impios furiis age.
Certetur omni ſcelere, & alterna vice
Stringantur enſes, ne ſit irarum modus
Pudorue, mentes cæcus inſtiget furor.

Eandem ob cauſam qui peſſimè odit eius expetit carnibus ſaturari 2. Æn.

——Tamen & ſupereſſe merentis
Laudabor, pœnas animumque expleſſe iuuabit.

Hinc Antonij crudelitatem exprimit Tull. vt ingens eius Odium inſectetur. 2. Ph. num 71. *Cur ei bello tum propter libidinem defuiſti? guſtaras ciuilem ſanguinem, vel potius exſorbueras: fueras in acie Pharſalica anteſignanus. L. Domitium nobiliſſimum, & clariſſimũ virũ occideras. Multos qui de prælio effugerant, quorũ Cæſar, vt nonnullos, fortaſſe ſeruaſſet, crudeliſſimè perſequutus trucidaras.*

XI. Odium immortale.

Qui vehementi laborat odio optat, vt inimicitiæ tranſeant ad nepotes. Sic incenſa Dido cupit vt odium ſemper adoleſcat, augeaturque, & in omnem conſequentis æui memoriam perduret. 4.

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus vltor.
Qui face Dardanios, ferroque ſequare colonos,
Nunc olim: quocumq; dabunt ſe tempore vires
Littora littoribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor arma armis; pugnent ipſiq; nepotes.

Ad eum modum vxor Pompeij Cornelia loquens cum Sexto, inimicitias indicit Cæſareo generi apud Lucan. lib. 9.

Excipite ô nati bellum ciuile, nec vnquam,
Dum terris aliquis noſtra de ſtirpe manebit
Cæſaribus regnare vacet: vel ſceptra, vel vrbes
Libertate ſua validas impellite famæ.
Nominis: has vobis partes, hæc arma relinquo.

Non aliter Senecæ Megæra furiis acta. Thyeſt Act. 1.

Rabies parentum duret, & longum nefas
Eat in nepotes, nec vacet cuiquam vetus
Odiſſe crimen: ſemper oriatur nouum;
Nec vnum in vno: dumque punitur ſcelus
Creſcat.

XII. Odium inexplebile.

Fit aliquando ex nimio furore odij, ſic inſatiabilis, vt optet neminem venire in partem & ſocietatem inimicitiarum.

Egóne parentis ſanguine aſperſam manum,
Fratremque geminâ clade contingam? prius
Extinguet ortus, referet occaſus diem.
Pax ante fida niuibus, & flammis erit.
Patrem abſtuliſti, germanos, larem.
Patriam. Quid vltra eſt? vna res ſupereſt mihi

Odium

Odium tui, quod eſſe cum populo mihi
Commune doleo.

XIII. Odium præceps furor.

Sæpè tantus eſt furor vt præceps abeat in omnia ſcelera, & veneficia, vndè illa Iunonis verba. 7. Æneid.

Aſt ego: magna Iouis coniux nil linquere inauſum.
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti,
Vincor ab Ænea. Quod ſi mea numina non ſunt
Magna ſatis, dubitē haud equidē implorare quod vſquam eſt.
Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo.

XIV. Odium ſperans.

Vt hominis inuiſi perniciem votis omnibus expetit: Ita ſi à conatu ſuo decidat, mirum in modum torquetur; hinc indignationes, querelæ, gemitus, ſæpè etiam deſperatio. Sic Iuno in Troianos debacchatur. 8. Æneid.

Stetit acri fixa dolore:
Tum quaſſans caput, hæc effudit pectore dicta:
Heu ſtirpem inuiſam, & fatis contraria noſtris
Fata Phrygum, num Sigeis occumbere campis,
Num capti potuére capi? num incenſa cremauit
Troia viros? medias acies, mediosq; per ignes
Inuenére viam. At, credo, mea numina tandem
Feſſa iacent, odijs haud exſaturata quieui.

XV. Odium ſperans.

Aliàs qui odit ſe conſolatur ſpe vindictæ poſt fata ſua, ſic Domitius moriens in acie Pharſalica, in victorem Cæſarem. Lucan. lib. 8.

Non te funeſta ſcelerum mercede potitum,
Sed dubium fati Cæſar, generoq; minorem
Aſpicies, ſtygias magno duce liber ad vmbras
Et ſecurus eo: te ſæuo Marte ſubactum
Pompeioq; graues pœnas, nobisq; daturum,
Cum morior ſperare licet.

XVI. Odium auerſum.

Alterius conſpectum, conſortiumque deuitat, & execratur. Creon expreſſit hoc odium appropinquante Medea.

Arcete famuli tactu, & acceſſu procul.
Iubete ſileat, regium Imperium pati
Aliquando diſcat; vade veloci via
Monſtrumq; ſæuum, horribile iamdudum auehe.

Sic Caſtus Hyppolitus conſpectum Nouercæ matris fugit apud eundem Sen.

Abſcede. Vide ne quid exores, & hic
Contactus enſis deſerat caſtum latus.

XVII. Odium amicitiæ venenum.

Denique vt odij naturam, & effecta paucis abſoluam, omnia ferè contraria amori importat: Gaudet Amor amici præſentia, deteſtatur Odium inimici vultum: gaudet Amor colloquio; congreſſum refugit odium: laudibus Amor parcitur; odium maledictis; miratur ille, hoc minatur; ille ſemper blandus, hoc tumultuoſum, ac turbulentū

DESIDERIVM.
& Fuga

QVONIAM ſæpè fit, vt deſideria mortalium, aut repentia ſint atque humi ſtrata lita fæce, & rerum fluxarum ſordibus obſoleta, vel etiam nulla ſublimium rerum, & appetendarum: & ſi quæ fortè nos ad veri boni, ſolidæque laudis cupiditatem euehant, ſubitò veluti ventorum flatu auferuntur; placuit deſiderij faces accendere quibus hominum mentes incaleſcant, & in bonum ferantur.

Natura Deſiderij.

Amore poſterius eſt deſiderium, & quidam productus Amor, ſeu virtus animi in bonum abſens, quatenus bonum. Idem eſt ferè Cupiditas, quæ dicitur affectio appetitus eſt deſiderio boni delectabilis, ſed abſentis profecta, proindè res illa deſideratur, quæ & bona, & abſens eſſe cognoſcitur. Tametſi hæc plerumque flecti creditur in prauum, ſi vehemens fuerit & immoderata. Deſiderium autem diffunditur in alia, pro varietate obiectorum. Nam auri deſiderium, auaritia dicitur: honoris cupidi

Digitized by Google

piditas, erit ambitio : voluptatis libido: inutilis ſcientia , curioſitas vocatur: honeſtæ cuiuſdam mercedis contentio, fiet æmulatio.

Cauſa porrò deſiderantis appetitus eſt rei abſentis bonitas, quæ animo ſeſe obijcit, & ſalutaris, & conueniens. Iam verò cùm tot ferè ſint hominum cupiditates, & deſideria, quot homines erit prudentis Oratoris attendere diligenter perſonas, & ſagaciter introſpicere, quo cuiuſque natura maximè feratur, apud mercatores agis ? lucrum & vtilitatem : apud nobiles & Imperatorem; gloriam & laudem propone, & ſic de cæteris, Iuuenes cupiditas acrius accendit, ob igneam ætatem, ſenes tardius appetunt, ſed pertinacius, pueri, ac mulieres crebrius, ſed inconſtantius.

Natura fugæ.

Fuga ex odio profecta tendit in malum, ſine à malo recedere fugiendo, vel deteſtando conatur. Indè oritur inimicitia amplectens odium, cuius cauſa rem illam: quam vt pernicioſam, aut turpem odio proſequimur, omni etiam ratione declinamus, eamque & congreſſu, & oculis, auribus, & animo auerſamur. Hinc Orator modò vel amoris, vel odij cauſas, & conditiones animo peruiderit, facilè, vel deſiderium ex amore, vel fugam ex odio profluentem, in auditorum animis excitabit. Deſiderium victoriæ, fugam dedecoris exaggerat Cic. pro lege Man.

LECTIO VII.

Quomodo ſit exprimendum Deſiderium. I. A laude.

CVm deſiderium ſit appetitus boni delectabilis, ſed abſentis, rei præſtantiam, ac magnitudinem exprimat, oportet, qui diſponere volet animum alicuius ad optimos ſatus capiendos, & ad ardua incenſo deſiderio perficienda. Certè magnam vim habet ad excitandam cupiditatem commemoratio laudis, & gloriæ; quæ quidem duobus modis fieri poteſt, vel ſi illum ipſum, quàm adhortari volumus, prius laudemus : vel ſi proponamus laudem, & gloriam, velut illicem cupiditatis ac deſiderij. Prioris exemplum eſt apud Cic. pro Sextio, vbi ſolidam gloriam proponit ad quam aſpirant magnæ ſpei adoleſcentes, non ad fœdas, & intermortuas corporis voluptates ; quas fugiunt. n. 138. *Fateor magnos labores eis eſſe ſuſcipiendos qui pro virili parte patriam defendunt. Sed mihi omnis Oratio eſt cum virtute, non cum deſidia, cum dignitate, non cum voluptate : cum iis qui ſe patriæ, qui ſuis ciuibus, qui laudi, qui gloriæ, non qui ſomno, & conuiuiis, & delectationi natos arbitrantur. Nam ſi qui voluptatibus ducuntur, & ſe vitiorum illecebris, & cupiditatum lenociniis, dediderunt: miſſos faciant honores, nec attingant Remp. patiantur viros fortes laborare, ſe otio ſuo perfrui.*

Poſterioris generis exemplum eſt in eadem Orat. num. 137. Hæc eſt vna via, mihi credite, & laudis, & dignitatis, & honoris, bonis viris, ſapientibus, benè natura conſtitutis, laudari & diligi, noſſe deſcriptionem ciuitatis, maioribus noſtris ſapientiſſimè conſtitutam.

II. Ab honeſto.

Cuius ſumma vis eſt apud viros bonos, rectè enim Seneca ep. 71. *Summum bonum eſt, quod honeſtum eſt: & quod magis admireris, vnum bonum eſt, quod honeſtum eſt: cætera falſa, & adulterina bona ſunt. Hæc ſi perſuaſeris tibi, & virtutem adamaueris (amare enim parum eſt) quidquid illa contigerit, id tibi, qualecumque aliis videbitur, fauſtum felixq; erit. Erige te, Lucili virorum optime, & relinque iſtum ludum literarium Philoſophorum qui rem magnificentiſſimam ad Syllabas vocant, qui animum minuta docendo demittunt, & conterunt. Fies ſimilis illis, qui inuenerunt iſta, non qui docent, & id agunt, vt Philoſophia potius difficilis, quàm magna videatur.*

III. A ſpe.

Erigenda ſpes imprimis vt deſiderium boni excites, & ad opus aliquod arduum aggrediendum fortiter alios impellas. Cæſarem hortatur Tull. ad vitæ ſuæ conſeruationem & deſiderium laudis, à ſpe immortalitatis, pro Mercello n. 29. *Nec verò hæc vita tua dicēda eſt, quæ corpore, & ſpiritu cōtinetur, illa, inquam illa eſt vita tua, Cæſar, quæ*

quæ vigebit memoria ſeculorum omnium: quam poſteritas alet, quam ipſa æternitas ſemper intuebitur. Huic tu inſeruias, hic te oſtentes oportet.

Spes deſiderium nutrit, & cupiditatem immoderatam fouet, atque ita fit, vt nunquam quieſcat, donec rem expetitam nactus fuerit. Sen l. 2 de benef. c. 27. *Nunquam improbæ ſpei, quod datur ſatis eſt. Eò maiora cupimus, quò maiora venerunt: multòque concitatior eſt auaritia, in magnarum opum congeſtu collocata. Vt flamma infinito acrior vis eſt, quò ex maiore incendio emicuit. Æquè ambitio non patitur quemquam in ea menſura honorum conquieſcere, quæ quondam fuit eius impudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias: ſed queritur, quòd non eſt ad præturam vſque perductus Neque hæc grata eſt, ſi deſit conſulatus, ne hic quidẽ ſatis eſt, ſi vnus eſt. Vltra ſe cupiditas porrigit & felicitatem ſuam non intelligit. Quia non vndè venerit reſpicit, ſed quò tendat.*

A Difficili.

Difficultas deſiderium acuit, & nonnunquam res aduerſæ, languentis animi, atque deſolati confuſio, perturbatióque fortem aculeum ſubdunt, vt repetitis deſideriis, in ſummi parentis ſinum confugiat. Funeſtæ calamitatis pondus mentem opprimit? quando venies ad me? en deſiderium vitæ melioris? In ſupremi dominatoris iracundia, plagisque terrarum; in mediis bellorum turbinibus, anxia mens in ſublime ſuſtollitur; & orat. quando venies ad me? mors telo furit, & triumphat, punientis Dei manus, & vltor gladius in caput, & vitam incumbit; & ſimul ardens animus ſuſpirat. Quando venies? Inter iocos, & ludentium riſus dilacerat pectus rea conſcientia, ſæuumque pugionem medio in pulmone defigit, & flebiliter clamat. Quando venies.

Denique ea ſunt amplificanda capita, quibus amorem ante conciliari monuimus, eadem quippe deſiderium excitabunt; in eo tantùm ab amore deſtinguitur, quòd vehementiori quodam ardore in eam rem animus voluntasque rapiantur, quàm amore ſuo iam ante dignam eſſe cognouerit.

LECTIO IX.

Quomodò ſit reprimendum Deſiderium.

AD coërcendum Deſiderium, & cupiditatem, ea tantùm ſunt adferenda, quæ de deſperatione dicentur inferius, & quæ iam de odio dicta ſunt. Nam quæcumque deſperationem, & odium excitant, eadem omnino deſiderium auertere ſolent. Tamen cùm deſiderium ſit appetitus boni futuri & abſentis, ſi probetur haberi non poſſe, aut non niſi difficulter, illud bonam partem extinguitur.

Deſiderium inexplebile.

Mone deſiderium illud licet incenſum, expleri non poſſe rebus, quæ feriunt oculos, & animum irritant. Hoc vidit Claudianus:

At ſibi cuncta petens nil collatura cupido
In iecur, & tractus imos, compulſa receſſit.
Quæ velut immanes reſerat dùm bellua rictus,
Expleri paſciq; nequit: nunc verbere curas
Torquet auaritiæ; ſtimulis nũc flagrat amorum,
Nunc gaudet, nũc mœſta dolet, ſatiatáque rurſus
Exoritur, caſáque redit pollentior Hydra.

Benè Seneca ep. 119. *Nunquam parum eſt, quod ſatis eſt; nunquam multum eſt, quod ſatis non eſt. Poſt Darium & Indos pauper eſt Alexander Macedo: quærit quod ſuum faciat: Scrutatur maria ignota; in Oceanum claſſes mittit nouas, & vt ita dicam, mundi clauſtra perrumpit. Quod naturæ ſatis eſt, homini non eſt. Inuentus eſt qui concupiſceret aliquid poſt omnia: Tanta eſt cæcitas mentium & tanta initiorum ſuorum vnicuique, cùm proceſſerit, obliuio. Ille modo ignobilis anguli non ſine controuerſia Dominus de tanto fine terrarum, per ſuum reditu rus orbem triſtis eſt, Neminem pecunia diuitem fecit: imò contra, nulli non maiorem ſui cupiditatem incuſſit. Quæris quæ ſit eius rei cauſa? plus incipit habere poſſe, qui plus habet.*

Inexplebile deſiderium opum, egeſtatem diuitum eſſe probat Boëtius lib. 2. Metro. 2.

Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus verſat arenas.
Aut quot ſtelliferis edita noctibus
Cœlo ſidera fulgent;

Concidimus macie:color eſt ſine ſanguine, qualē
In pomo refero mente fuiſſe tuo.
Candida nec miſto ſublucent ora rubore,
Forma noui talis marmoris eſſe ſolet.
Argenti color eſt inter conuiuia talis,
Quod tactum gelida frigore pallet aqua.
Si meme nunc videas viſam prius eſſe negabis.

Qui ardenter aliquid expetunt narrare ſolent ambitioſius, quid vi deſiderij patiantur;aiunt ſe diu noctuque in illis cogitationibus eſſe,vias & veſtigia,& littora;& loca omnia relegere,vt aliquid dicere poſſint, & audire vndè expectationis ſuæ faſtidium fallere poſſint; quod fecit illa Iunioris Tobiæ mœſta mater,quæ quotidie mōtes conſcendens lugebat lacrymis in deficientibus abſentiam dilecti filij ſui:altera non tam caſtè, ſed non minus ardenter deſiderat apud Poëtam Romanum.

Sæpè tui ſpecto ſi ſint in littore paſſus:
Impoſitas tanquam ſeruet arena notas.
Vtque rogem de te, & ſcribā tibi ſi quis Abydo,
Venerit,aut quæro ſi quis Abydon eat.
Quid referā quoties de veſtibus oſcula? quas tu
Helleſpontiacâ ponis iturus aqua.
Sic vbi lux acta eſt,& noctis amicior hora,
Exhibuit pulsâ ſydera clara die:
Protinus in ſumma vigilantia lumina turre
Ponimus,aſſuetæ ſigna,notamque viæ.

VIII. Deſiderium æſtuans.

Piè Venantius Fortun. lib. 3. Metro de gaudiis, & ſpe vitæ æternæ, ſponſæ æſtuantis deſiderio ſponſi dulces querelas exprimit,anhelantemque facit in Chriſti amplexus animam fidelem.

Sponſo abſente manens tàm dura cubilia ſeruo,
Nec mea quem cupiunt mēbra tenere queunt,
Dic vbi ſis quem expecto gemens,qua te vrbe requiram?
Quòue ſequar nullis fœmina nota locis?
Ipſa venire velim properans, ſi poſſet in aſtris,
Pendula ſyderearn planta tenere viam.
Nunc ſine te ſuſcis grauiter nos occupat alis,
Ipſáque ſole micans eſt mihi cæca dies.
Lilia,narciſſus,viola,roſa,nardus,amomum,
Oblectant animos gramina nulla meos.
Vt te conſpiciam per ſingula nubila prendo,
Et vaga per nebulas lumina ducit amor.
Ecce procelloſos ſuſpecta interrogo ventos,
Quid mihi de Domino nuntiet aura meo.
Quidquid erit tolerem ſint omnia dulcia dura,
Donec te videam,hæc mihi pœna placet.

IX. Deſiderium impatiens.

Deſideranti longiores videtur dies,hinc moræ impatiens, breuiſſimum tempus annum facit & querelas. Sic parum ſana, nimis impatiens puella loquitur.

Longa mora eſt nobis,omni quæ gaudia differt
Da veniam faſſæ:non patienter amo.
Vt corpus teneris ſic mens infirma puellis,
Deficiam parui temporis adde moram.

Non animi ſanioris altera Phyllis ad querelas aſſurgit.

Tēpora ſi numeres,benè quæ numeramus amātes:
Non venit ante ſuam noſtra querela diem.
Spes quoque lenta fuit:tardè,quæ credita lædunt,
Credimus:inuitâ nunc & amante nocent.
Sæpe fui mendax pro te mihi:ſæpè putaui
Alba procelloſos vela referre notos.
Sæpè Deos ſupplex,vt tu ſcelerate valeres
Sum prece thuricremis deuenerata focis.
Sæpè videns ventos cœlo, pelagóque fauentes,
Ipſa mihi dixi,ſi valet,ille venit.
At tu lentus abes,nec te iurata reducunt
Numina,nec noſtro motus amore redis.
Demophoon ventis,& vela,& verba dediſti,
Vela queror reditu,verba carere fide.

X. Deſiderium velox.

Quid deſiderāt vellent, ſi quomodo poſſent, alas addere rei amatæ,vt velocius accederet,vbi ſcilicet cupiditas retardatur, & expetitis nondum fruitur. 3 Triſt.Eleg.8.

Nunc ego Triptolemi cuperē conſcendere currū,
Miſit in ignotam qui rude ſemen humum,
Nunc ego Medeæ vellem frænare dracones
Quos habuit fugiens arce Corinthe tua.
Nunc ego iactandas optarem ſumere pennas
Siue tuas Perſeu Dædale ſiue tuas.
Vt teneră noſtris cedente volatibus aura,
Adſpicerem patriæ dulce repente ſolum;

Deſer

Digitized by Google

Deſertaque domus vulnus, memoreſque ſodales,
Canaque præcipua coniugis ora mea.

XI. Deſiderium Impotens.

Tùm eſt aliquando vehemens deſiderium vt imperium non admittat. Impotentem aurei monilis cupiditatem Eryphila Statius adumbrat 2. Theb.

V erat hoc coniux perituri vatis, & aras.
Ante omnes epulaſque trucem ſecreta coquebat
Inuidiam ſæuis detur ſi quando potiri
Cultibus.

XII. Sæpè Vanum.

Hoc in Euandro vitæ profectioniſque deſiderium exprimit Virgil. 8 Æne.

O mihi præteritos referat ſi Iupiter annos
Non ego nunc dulci amplexu diuellerer vſquam
Nate tuo.

XIII. Deſiderium Audax.

Denique qui deſiderat nihil arduum ac difficilè reperit, dùm optatis frui liceat. Sæpius laudata Romana puella fuit impauida benè deſiderans.

Si mihi nota foret regio, qua liber oberras,
Inciperet certus mitior eſſe dolor.
Illi miſſa graues narraret epiſtola curas,
Audiretque meas forſitan ille preces.
Nectuntur ſcribendo moræ: prior ipſa volarem,
Atque mea fierem nuncia triſtitia.
Ipſe daret pedibus celeres amor anxius alas
Præcipitique irem per loca vaſta fugâ.
Nullaque Virgineos tardare pericula greſſus,
Dicere nec poſſent parua puella manè.
Non ſi Colchiaci ſurgant fera monſtra dracones,
Inque meos vultus vrſe, leoque ruas.
Fœmineam armaret diuina potentia dextram,
Et cæleſtis idem curreret, ales iter.

DE GAVDIO.
ſeu Lætitia.

NIhil eſt quod in lætitiæ commendationem pluribus excurramus, certum eſt vtilem eſſe omninò affectum, tàm in rebus ſacris, quam in profanis, proindè frequenter ciendum. Nam motus eſt perfectus qui cadit ſub ſenſum ad recreandam, exhilarandamque naturam: ſi quidem honeſta iucunditas, & lætitia, medicina quædam corporis dicitur, quâ natura ipſa reficitur, ideoque minimè vitioſa. Nec enim de illa loquimur, quàm viri flagitioſi, corruptæ, deerrantiſque naturæ improbitatem ſequuti, vt felicitatem ſummam quærunt, quam ſapientes ac probi malorum omnium matrem, ac naturæ carnificinam damnant, & inſequuntur; ſed de illa quam Tull. definit: 4. Tuſc. num. 14 Opinio recens boni præſentis, in quo ſefferri rectum eſſe videatur; vel Motus animi, ſeu ſenſus boni præſentis, quatenus præſens eſt, cuius effectus eſt delectatio, hoc eſt trãquillitas animi, in bono præſenti ſuuiter acquieſcẽtis. Eſt enim bonũ præſens, quaſi lætitiæ fons, quo exundãte, gaudium exundat, quo deſcreſcẽnte, decreſcit.

LECTIO XI.

De Concitanda Lætitia.

PRimum eſto præceptum, totum Orationis genus tale eſſe debere, vt delectet. Itaque ipſe dicendi character ſic temperari debet, vt perpetuam quandam, ſed occultam voluptatem ingeneret: hoc autem aſſequetur Orator, ſi argumentis vtatur exquiſitis, nouis, ingenioſis: Si ſtilus ipſe cultus ſit & floridus, numerus ſuauis, & mollis, Oratio tota figurata, plena acutis ſententiis.

Secundum quod ad res ipſas & materiam ſpectat, cùm erit excitandus lætitiæ motus habendam eſſe rationem geniorum, quibus aguntur auditores: alijs enim alia placent. ſunt tamen quædam, quæ communem in hominum animis ſenſum habent voluptatis.

PVNCTVM I.

Commutatio malæ fortunæ.

MAgnum lætitiæ argumentum eſt & voluptatis, malæ fortunæ in meliorem mutatio,

tatio, plerumque enim reducem fortunam, blandiorem eſſe, lætioremque videri quàm primigeniam, vt vocant, docent fortunâ ſuperiores. Hoc fusè Tull. in Orat. de reditu ad pop. probat. *Etſi nihil homini magis optandum, quàm proſpera, æqualis, perpetuaque fortuna, ſecūdo vita ſine vlla offenſione curſu: tamen ſi mihi tranquilla, & pacata omnia fuiſſent: incredibili quadam, & penè diuina, quâ nunc veſtro beneficio fruor, lætitiæ voluptate caruiſſem. Quid dulcius hominum generi à natura datum eſt, quam ſui cuique liberi? mihi verò, & propter indulgentiam meam, & propter excellens eorum ingenium, vita ſunt mea cariores: tamen non tanta erant voluptate ſuſcepti, quanta nunc ſunt reſtituti.*

Tandem poſt mula rem totam eleganti ſimilitudine concludit. *Sed tanquam bona valetudo iucundior eſt iis, qui è graui morbo recreati ſunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt: ſi ea omnia deſiderata magis, quàm aſſiduè percepta, delectant.*

2. in Catil. animo ſoluti lætitiam explicat. & inſolito gaudio triumphat ob florētiorem. Reip. ſtatum, eiecto ex vrbe Catilina. *Tandem aliquando Catilinam furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem, vobis atque huic vrbi ferrum, flammamque minitantem, ex vrbe, vel eiecimus, vel emiſimus, vel ipſum egredientem vrbe proſequuti ſumus. Abiit, exceſſit, euaſit, erupit: nulla iam pernicies à monſtro illo, atque prodigio mœnibus ipſis intra mœnia comparabitur.*

Sapiens veteris memoriæ ſcriptor Plutarch. refert in Antonio, dùm ipſe cum militibus infames Medorum montes tranſiiſſet, tot difficultatibus ſuperatis, totque laboribus exanthlatis, vt nemo non eorum mortem votis vltimis optaret; veniſſentque ad Araxem fluuium qui Mediam ab Armenia diuidit, iuiſſe vbertim omnibus per ora lacrymas, præ gaudio ſeſe mutuo amplexantibus, & priorem fortunam reuocantibus in animum, quaſi ea prima, poſt diram tempeſtatem, & vaſtum mare ſuperatum, conſpecta tellus eſſet. Vſque adeò verum eſt illud magni Caſſiodori lib 8. Epiſt. 20. *Bonum inſolitum plus amatur, & ſequenti gaudio confert dulcedinem, præmiſſa triſtitia.*

Hinc fit, vt deperdita. cum recuperantur, magis delectent, abſterſo mœrore, quàm prius ſecurè poſſeſſa ſaperent. Diu. Auguſt. Confeſſ. 8. cap. 3. *Triumphat victor Imperator & non viciſſet, niſi pugnauiſſet. Et quanto maius periculum fuit in prælio, tantò maius eſt gaudium in triumpho. Iactat tēpeſtas nauigātes, minaturque naufragium, omnes futura morte palleſcunt. Tranquillatur cœlum, & mare; & exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Æger eſt charus, & vena eius malum renunciat; omnes qui illū ſaluum cupiunt, ægrotant ſimul animo. Fit ei rectè, & nondum ambulat priſtinis viribus, & fit iam tale gaudium quale, non fuit, cùm antea saluus, & fortis ambularet, vbique maius gaudium, moleſtia maior præcedit.*

PVNCTVM II.

Comparatio propriæ fortunæ cum aliena.

LÆtitiam auget florentis eius fortunæ, cui pectus diffundere conamur, cum aliena comparatio, hoc eſt eorum quibus acciderit commodum, licet non pari felicitatis conditione. Tull. in Piſon, num. 52. reditus ſui celebritatem deſcribit, tantamque lætitiam & fœlicitatem ſe in eo percepiſſe; vi immortalitate frui cœlumque contingere videretur. *Vnus ille dies mihi quidem immortalitatis inſtar fuit, cùm in patriam redij, cùm Senatum egreſſum vidi, populumque Rom. vniuerſum, cum mihi ipſa Roma propè conuulſa ſedibus ſuis; ad complectendum conſeruatorem ſuum progredi viſa eſt. Quæ me ita accepit, vt non modò omnium generum, ætatum, ordinum omnes viri ac mulieres, omnis fortunæ, ac loci, ſed etiam mœnia ipſa viderentur, & tecta vrbis, ac templa lætari. Me conſequentibus diebus in ea ipſa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, Pontifices Coſſ. Patres Conſcripti collocauerunt, mihique quod ante nemini, pecuniâ publicâ ædificandam domum cenſuerunt.*

In Orat. verò poſt reditum ad Quirites exultat in comparanda ſua in integrum reſtitutione, cum eorum fortuna qui aliquando reuocati fuerunt in patriam, oſtenditque neminem vnquam, nec maiore omnium ordinum voluntate, nec maiore frequentia, reuocatum, num. 9. 10. 11. & in Senatu poſt reditam ſic fortunam meliorem exoſculatur vt diuinitatem quandam

Digitized by Google

dam adeptus profiteatur ſe non optare, quaſi iam ea frueretur cum. 3. *Itaque quod ne optandum quidem eſt homini, immortalitatem quandam per vos adepti videmur.*

PVNCTVM. III.

Inſperatum bonum.

VEhementem lætitiam parit bonum inſperatum, qualis illa quæ Romanas matres nimio impetu extinxit, cùm reduces filios Cannenſi clade incolumes viderent auctore Liuio Dec. 3.

Quàm benè ſuo ventri gratulatur Ergaſilus Plauti in Capt. dùm vadit Hegioni nuntiare filij aduentum, quem in publico Celoce primus in portu conſpexerat? quàm præ ſe fert hilaritatis ſpeciem? quo liquidæ voluptatis ſenſu delibutus incedit: quas voces interioris lætitiæ indic s profert?

Iupiter ſupreme ſeruas me, measque auges opes,
Maxumas opimitates, oppiparasque offers mihi,
Laudem, lucrum, ludum, iocum, feſtiuitatem ferias,
Pompam, penum, potationes, ſaturitatem, gaudium.
Nec cuiquam homini ſupplicare nunc certum eſt mihi.
Nam vel prodeſſe amico poſſū, vel inimicum perdere.
Ita hic me amœnitate amœna amœnus onerat dies.
Sine ſacris hæreditatem ſum adeptus effertiſſimā.

Poſtquam verò audito nuntio reſpondit Senex,

Æternum tibi dapidato cibum, ſi vera autumas,

Eumque domum ſuam miſit, iuuat audire, quemadmodum propter rem cibariam ſibi creditam non ſecùs quàm Alexander Magnus de Indijs triumphatis exultat.

Di Immortales, vt ego callos prætruncabo tergori.
Quanta pernis peſtis veniet? quanta labes larido?
Quanta ſuminis abſumedo? quanta callo calamitas.
Quanta lanijs laſſitudo? quanta protarijs?

Poſſet ire quis per reliqua flagitia, & exemplis oſtendere, quàm inani lætitia debacchentur mortales. Quid auarus ille, & furax apud Horatium, quàm malè gaudet argento ſuo?

—— Populus me ſibilat; at mihi plaudo.
Ipſe domi ſimul, ac num mos contemplor in arca.

Quid alter libidinibus furens apud auctorem nequitiæ Ouidium?

Non ita Dardanio gauiſus Atrida triumpho.
Cùm caderent magni Laomedontis opes?
Nec ſic errore exacto lætatus Vlyſſes,
Cùm tetigit caræ littora Dulichiæ.

Quæ omnia mala mentis gaudia vocat Poëta Parthenius.

PVNCTVM IV.

Nouitas & Admiratio.

NOuitas & inſolentia rei alicuius, voluptatem affert: nam videmus homines ad noua ſenſus erigere, atque delectari. Vnde Tull. ad Heren. 2. naturam nouitate commoueri dicit, & illud Naſonis ingenioſi Vatis, de Ponto.

Eſt quoque cunctarum nouitas gratiſſima rerum.

Ratio eſt ex naturæ humanæ mutabilitate repetenda, quæ tùm demum lætatur, cùm ab vna re in aliam fertur.

Admiratio ipſa coniungitur ferè cum delectatione: deſiderium enim ſciendi facit propter rei præcellentiam, vt ad eius cognitionem aſpiremus: quandoquidem ſine amore, & ſpe fieri non poteſt, inter quas animi affectiones ſemper gaudium intereſt. Hinc illud nobile effatum Lucani Poëtæ lib. 8.

Si mirantur, amant.

PVNCTVM V.

Pompæ celibritas.

PLurimum in Oratione delectat hypotypoſis, ſeu deſcriptio rerum lætarum, in quibus ineſt aliquid celebritatis & pompæ; ſcilicet alicuius victoriæ, aut triumphi, vel partæ libertatis, quale exemplum habetur apud Liuium de

Digitized by Google

libertate Græcis à Quintio credita, & in ipſis ludis publicis per Prætorem pronunciata. Reditus Imperatorum ſæpè deſcribitur ad Pompam. Lat. Pacatus in Panegyr. Theodoſij. *Quid ego referã pro moribus ſuis feſtum liberæ nobilitatis occurſum, conſpicuos veſte niueã Senatores, reuerendos municipali purpura Flamines, inſignes apicibus Sacerdotes? quid portus virentibus ſertis coronatas? quid auleis vndantes plateas? accenſiſque funalibus auctum diem?*

Anonymus in Panegyr. Conſtantini. *Gloriatus ſit licet, & verè ſummus Orator, humeris ſe Italia in patriã reportatum, te Conſtantine Senatus populuſque Rom. & illo die, & aliis quacumque progreſſus es, & oculis ferè geſtauit, nec quicquam aliud homines diebus munerum ſacrorumque ludorum, quàm te ipſum ſpectare potuerunt.*

Mamertinus in Genet. Maximiani concurſum totius Italiæ exponit. *Ipſa etiam gentium domina Roma immodico propinquitatis veſtræ elata gaudio, vosque è ſpeculis ſuorum montium proſpicere conata, quò ſe vultibus veſtris propius expleret, ad intuendum cominùs quantum potuit, acceſſit.*

Hanc pompæ ludorumque celebritatem ſubijcit oculis Vates eximius, Paneg. 3. conſ. Honorij Claud.

Feſtior annus eat; cinctuſque imitata Gabinos
Diues Hydaſpeis, augeſcat purpura gemmis,
Succedant armis trabeæ, tentoria lictor
Ambiat, & Latiæ redeant ad bella ſecures.
Tuque ô qui patrium curis æqualibus orbem
Eoo cum fratre Regis procede ſecundis
Alitibus, Phœbique nouos ordire meatus
Spes votumque poli, quem primo à limine vitæ
Nutrix aula fouet, ſtrictis quem fulgida telis
Inter laurigeros aluerunt caſtra triumphos.

Pari iudicio, ſed clariori vena Silius Ital. lib. 12.

Tum verò paſſim ſacra in Capitolia pergunt
Inque vicem amplexi permixtâ voce triumphum
Tarpeij clamant, Iouis ac delubra decorant
Iamque omnes pandunt portas, ruit vndique lætũ
Non ſperata petens dudum ſibi gaudia vulgus.

PVNCTVM VI.

Amœnitas.

COnfert ad excitandam lætitiam deſcribere amœnitatem locorum, florum, gemmarũ, veſtium, odorum; hæc enim omnia, & ſimilia delectant, ſæpiuſque in Orationibus panegyricis adhibentur. Hunc lætitiæ motum exprimit Maximiani Imp. Panegyr. *De te Cæſar inuicte hodiernæ gratulationis Exordium ducimus: ille veſtræ maieſtatis ortus iſto, quo illuxit, auſpicio veris illuſtrior, cui dies ſerenus atque vt celebrantes ſenſimus, vltra rationem tẽporis, Sol æſtiuus incaluit, auguſtiore fulgens luminis claritate, quàm cum origine mundi naſcentis animauit. Siquidem nunc inter illa rerum tenera primordia, moderatus dicitur, ne noceret: nunc ardentior, ne maieſtate veſtra videretur obſcurior. O felix beatumque ver, nouo partu, iam non amœnitate florum, nec viriditate ſegetum, nec gemmis vitium, nec ipſis, tantum Fauonijs, & luce ſerena lætum, atque venerabile, quantum ortu Cæſarum maximorum. O tempus, quo meritò quondam omnia nata eſſe creduntur; cùm eodem nunc confirmata eſſe videantur.*

PVNCTVM VII.

Virtus & bona conſcientia.

EX omnium ſapientum conſenſu vera, & honeſta lætitia, è bonis honeſtiſque rebus. & vt verbo dicam, è virtute fluit: ſiquidem illa iucunditas, quæ animum ſuauiſſimè oblectat, eſt fructus, aut certè comes rectè factorum, à quibus facilè auelli, & diſiungi nequit. Eſt aureus bonæ conſcientiæ fœtus, vndè ſuauiſſimus animi motus erumpit. Vbi verò ſcelus, & improbæ conſcientiæ noxa dominatur, ibi verum & ſolidum gaudium eſſe non poteſt. Non eſt pax impiis, Nam ſub iugo tam crudeli, quæ voluptas & lucidæ mentis lætitia? excutiendum eſt immane peccati iugum, perfringenda vincula, calcandum exactoris ſceptrum ei, qui liquido gaudio frui velit. Tàm clara eſt hæc veritas, vt profanæ ſapientiæ duces illam docuerint

rint

Digitized by Google

rint.Nam Ariſt.perſpicuè ait improbos, nullam poſſe lætitiæ voluptatem ex ſe capere; illorum enim animus ait στασιάζει continuo velut diſſidio, & furioſa perturbatione commouetur. Pungit illos & excruciat malefactorũ memoria; quam vt excutiant dies ludunt,ſic tãtiſper ſcelerum obliuiſcuntur,& punientis conſcientiæ vocem opprimunt; & cùm in ſeipſis nihil vident amabile,omni ſtudio,& contentione ſe fugiunt.

Ex bonis moribus & conſcientiæ veræ lætitiam, tanquam ex fronte proficiſci, Lucilium ſuum docet Seneca; epiſt.23. *Fundamentum bonæ mentis quid ſit,quæris?ne gaudeas vanis,Fundamentum hoc eſſe dixi,culmen eſt. Ad ſumma peruenit,qui ſcit quo gaudeat:qui felicitatem ſuam aliena poteſtate non poſuit. Sollicitus eſt,& incertus ſui:quem ſpes aliqua proritat; licet ad manum ſit,licet non ex difficili petatur: licet illum nunquam ſperata deceperint. Hoc ante omnia fac mi Lucili, diſce gaudere. Exiſtimas me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita ſubmoueo, qui ſpes dulciſſima oblectamenta,deuitandas exiſtimo. Imò contra nolo tibi vnquam deeſſe lætitiam. Volo illam tibi vnquam deeſſe lætitiam.Volo illam tibi domi naſci. Naſcitur,ſi modo intra teipſum ſit.*

Cæteræ hilaritates non implent pectus,ſed frontem remittunt, leues ſunt. Niſi fortè tu iudicas illum gaudere,qui ridet. Animus debet eſſe alacer,& fidens, & ſuper omnia erectus. Mihi crede res ſeuera eſt gaudium. An tu exiſtimas quemquam ſoluto vultus, & vt iſti delicati loquuntur,hilari oculo,mortem contemnere?paupertati damum aperire?voluptate tenere ſub fræno?meditari dolorum patientiam? hæc qui apud ſe verſat;in magno gaudio eſt,ſed parum blando. In huius gaudij poſſeſſione te eſſe volo. Nunquam deficiet, cùm ſemel vndè petatur, inueneris. Hæc quibus delectatur vulgus tenuem habent,ac perfuſoriam voluptatem, & quodcumque inuectitium eſt fundamento caret. Hoc de quo loquor ad quod te conor perducere,ſolidum eſt,& quod plus pateat introrſus, Ad verum bonum ſpecta,& de tuo gaude. Quid ſit iſtud interrogas?aut vndè,ſubeat;dicam. Ex bona conſcientia,ex honeſtis conſiliis,ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ, & continuo tenore vnam prementis viam.

A ſola virtute ſolidam lætitiam prouenire tradit idem multis ep.72. Vbi radicem perennis gaudio ex honeſto ſic appetit. *Incidet aliquid quod impediat, non equidem eum, cuius animus in omni negotio lætus atque alacer eſt. Imperfectis adhuc interſcinditur lætitia: ſapienti verò contexitur gaudium,nulla rumpitur cauſa,nulla fortuna,ſemper & vbique tranquillum eſt. Non enim ex alieno pendet, nec fauorem fortunæ, aut hominis expectat. Domeſtica illi felicitas eſt:exiret ex animo,ſi intraret;ibi naſcitur. Aliquando extrinſecùs, quo admoneatur æternitas,interuenit,ſed id leue, & quod ſummam cutem ſtringat. Aliquo inquam inquam, incommodo afflatur,maximum eius illud bonum,eſt fixum. Ita dico; extrinſecus aliqua ſunt incommoda velut in corpore interdum robuſto ſolidoque eruptiones quædam puſtularum,& vlcuſcula,nullum in alto malum eſt.*

Proindè non minus verè, quàm ſapienter S. Proſpr nullum eſſe verum ſolidumque gaudium niſi rectum aſſerit Epigram.79.

Felices verè faciunt,ſemperque beatos,
De vero & ſummo gaudia capta bono.
Nã mundi ex opibus breuis ac peritura voluptas
Edita perpetua ſemina mortis habet.
Non placeat vanis animum ſubmittere rebus,
Peſtiferiſque auidam mentem onerare cibis.
Cor mundum & ſapiens fructu virtutis alatur,
Et Chriſti in noſtro pectore regnet amor.
Quo ſemel impletus nunquam vacuabitur illo
Æterna æterni flumina fontis erunt.

Breuius idem repetit, ſed non minus acutè, epiſt. 59. *Gaudium non naſcitur niſi ex virtutum conſcientia. Illud quod Deus,Deorumque æmulos ſequitur non interrumpitur, non deſinit. Deſineret ſi ſumptum eſſet aliundè.Sed quia non eſt alieni muneris, nec arbitrij quidem alieni. Quod non dedit fortuna,non eripit.*

Gaudij deſcriptio

Nonnunquam ipſa lætitia deſcriptio, excitat animum, ſpe ſua oblectat; vt ſi quis beatarum mentium gaudia deſcribens, ipſis de tanta felicitate congaudeat. Simul enim & ſpem audientibus, quaſi aliud agens excitat: Venantius fortunatus Vates pius, & cœleſti afflatu potens, ſic de gaudiis Paradiſi.

Culmina multa polus radianti lumine complent,
Lætanturque piis agmina ſancta choris.

Lucida ſydereo cœli ſtrepit aula tumultu
Laudibus,& Domini concutit aſtra fragor,
Felices quorum Chriſti contingit amore
Viuere,perpetuo nomina fixa libro,&c.

Deuique cauſa lætitiæ calamitas eſt improborum, cùm ſcilicet illos deprimi videmus, atque opibus, & honoribus ſpoliari,quos præter ius, & æquitatem obtinuerant. Cic.in Piſon.nu.45. *Dij Immortales! idne ego optare.vt inimicus meus, ea,quâ nemo vnquam ignominiâ notaretur?vt Senatus poſtulantibus honores denegaret? His ego rebus paſcor,his delector,his perfruor,quod de vobis hic ordo opinatur,non ſecus,ac de te terrimis hoſtibus.*

LECTIO XII.

Quomodo lætitia comprimatur.

MAgnus in humanis mentibus eſt lætitiæ dominatus: Et verò experimur tàm ſæpè eſſe potentem affectum,vt habenas illi non laxare,ſed retinere viri ſit prudentis, ac benè moderati, cùm lætitiæ magnitudo plerumque ad ſuperbam inſolentiam animum àfferat. Hinc eſt vt artem eſſe quandam fruendæ lætitiæ,gaudiique moderandi,ſapientes exiſtimarint,è quorum mente ſublimis Seneca epiſt. 23. Superius laudata, ſic Lucilium admonet: *Ad ſumma peruenit,qui ſcit quo gaudeat,hoc ante omnia fac, diſce gaudere.*Porrò gaudium, quod è vanis rebus oritur vocat iaue&tirium fundamento carens. Vulgò reperias homines geſtire propè lætitiâ,ſi honor aliquis acceſſerit, ſi blandæ voluptaris vſura, ſi copia diuitiarum, ſi quæ bona nominatur in vita populari, redundarint; ſed monente conſcientia,cœlo terroribuſque ſuis reſonante, Salomonis effatum audiunt. Dixi lætitiæ, cur hoc facis? quid naturæ vim effœminas? Cur animi robur emollis cur mentis præſtantiam euertas? cur adfers interitum rationi?

PVNCTVM I.

Rei ob quam lætamur vanitas.

AD remittendam lætitiam repræſentanda eſt boni vndè oritur lætitia,aut turpitudo, aut breuitas: quod per ſe vanum, aut malum ſit. Et verò ea eſt natura gaudij, & voluptatis, quamdiu in vita ſumus, vt propè à dolore, & luctu abſit, vſque adeò nulla ſincera eſt voluptas.Sapienter Sen. epiſt. 99. *Hoc quod inter primum diem, & vltimum iacet varium,& incertum eſt;ſi moleſtias æſtimas, etiam puero longum eſt: ſi velocitatem; etiam ſeni anguſtum. Nil non lubricum,& fallax,& omni tempeſtate mobilius, Iactantur cuncta,& in contrarium tranſeunt iubente fortuna.*

Hanc rerum vanitatem propter quas effusè ſæpius nobis gratulamur, & gaudemus ſubiicit oculis Auguſt.7.in Ioan. *Lætitia ſæculi vanitas eſt, cum magna expectatione ſperatur, vt veniat,& non poteſt teneri cùm venerit. Ille dies qui lætus eſt cras, vtique non erit. Tranſeunt omnia, euolant omnia, & ſicut fumus vaneſcunt. Væ qui amant talia. Sperent in te qui nouerunt nomen tuum Domine. Ne ſperent in rebus quæ temporis volubilitatem præterfluunt, non habentes niſi erit & fuit quoniam quod in illis futurum eſt,cùm venerit,fit ſtatim præteritum,& expectatur cum cupidine, amittitur cum dolore. Non importunè pompis ſæculi, & humanæ felicitati interfuit & erit ſuſpenſa, ſiue præterita illud aptauerit, quod ingenioſus negotiorum ſæculi irriſor canebat.*

Hic fuit,hic fecit,pugnauit,vicit,amauit,
Cōpoſuit libros,gentes domuit populoſque ſubegit;
Quid mihi cum fecit fuit,aut trir eſt valet vnum
Pluſquam mille fuit.

PVNCTVM II.

Fortunæ variantis caſus.

RErum futurarum incerto euentu comprimitur lætitia, fortunæque dominantis arbitrio, quæ nihil conſtans ac perpetuum ſuis polliceri poteſt, præter inconſtantiam. Temporis momentum florentis fortunæ mutationes, adfert,

Digitized by Google

adfert, iſque qui feliciſſimus videbatur ſubita caſus malignitate abſorbetur miſer. Ita canit Sen. in Thyeſte. Act. 3.

Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium ſecundis,
Nemo deſperet meliora lapſis.
Miſcet hæc illis, prohibetq́; Clotho
Stare fortunam. Rotat omne fatum,
Nemò tam Diuos habuit fauentes,
Craſtinum vt poſſit ſibi polliceri,
Res Deus noſtras celeri citatas
Turbine verſat.

Magni ſanè ſpiritus Poëta Claud. idem premit 2. in Ruff. eiuſque felicem fortunam deſcribit, & caſum, vt ſui vix potentes ſapere doceat exemplo infelicis fortunæ malè dominantis Amaſij.

Deſinat elatis quiſquam confidere rebus,
Inſtabileſq́; Deos, ac lubrica numina diſcat.
Illa manus quæ ſceptra ſibi geſtanda parabat.
Cuius ſe toties ſubmiſit ad oſcula ſupplex
Nobilitas, inhumata diu, miſeroque reuulſa
Corpore feralem quæſtum poſt fata popoſcit.
Aſpiciat, ne quis nimium ſublata ſecundis
Colla gerat: triuiis calcandus ſpargitur; ecce
Nudus paſcit aues: iacet en qui poſſidet orbem.
Exiguæ telluris inops, & puluere raro
Per partes tegitur: numquam totieſque ſepultus.

Philoſophus eandem hanc mentis elationem ob felices rerum euentus, & inane gaudium paucis emendat, epiſt. 4. *Neminem eo fortuna prouexit, vt non tantum illi minaretur, quantum permiſerat. Noli huic tranquillitati confidere. Momento mare vertitur; eodem die vbi luſerunt nauigia, ſorbentur.*

Pulchrè idem ſapiens felicitatem humanam multis caſibus, & periculis, vt obtineatur, obnoxiam, adeptam verò nihil durantem, venuſta veterum ludorum imagine ob oculos proponit, in quibus miſſilia dona à principe iaciebantur, vt ſubditi inferius raptim colligerent. Ep. 74.

Qui aliquid virtute melius putat, aut vllum præter illam bonum, ad hæc quæ à fortuna ſparguntur ſinum expandit, & ſollicitus miſſilia eius expectat. Hanc imaginem animo tuo propone, ludos facere fortunam, & in hunc mortalium cœtum, honores diuitias, gratiam excutere: quorum alia inter diripientium manus ſciſſa ſunt, alia infida ſocietate diuiſa, alia magno detrimento eorum, in quos deuenerant, prenſa: ex quibus quædam aliud agentibus inciderunt, quædam quia nimis captabantur amiſſa, & dum auidè rapiuntur, excuſſa ſunt. Nulli verò etiam cui rapina feliciter ceſſit, gaudium rapti durauit in poſterum. Itaq́; prudentiſſimus quiſque cum primum induci videt munuſcula, fugit è theatro, & ſcit magno parua conſtare. Idē in his euenit quæ fortuna de ſuper iactat. Æſtuamus miſeri, diſtringimur multas has habere cupimus manus; modò in hunc, modò in illum reſpicimus; nimis tardè nobis mitti videntur, quæ cupiditates noſtras irritant, ad paucos peruentura, exſpectata omnibus.

Pvnctvm III.

Vbique voluptati & lætitiæ mæror, & triſtitia adhæret.

SI præſentis boni magnitudo, vndè ſenſus afffluit voluptatis, imminui non poteſt; à iunde certè obiectum vitium lætitiæ impetum retardabit: nemo enim ex omni parte felix eſt, & beatus, vt ingenioſè Claud. de laudibus Stiliconis. lib. 1.

— *Mortalibus ex quo*
Tellus cœpta coli, numquam ſincera bonorum
Sors vlli conceſſa viro: quem vultus honeſtat,
Dedecorant mores: animus quē pulchrior ornat,
Corpus deſtituit, Bellis inſignior ille,
Sed pacem fœdat vitiis.

Triſtitiæ mœroriſq; expreſſa ſub veſtis imagine florem ęmulantis, terrā noſtrā tot eſſe doloribus, ac moleſtiis obnoxiam vrget Diu. Baſil. vt nullus in ea lætitiæ, aut voluptatis flos legi poſſit quem acerbius doloris aculeus non veſtiat. Non tam ſpinis roſam circumſeptam, quam ſpinam roſæ ſpecie contectam eſſe dicit, ideoque mundi gaudia, niſi ſpecie tenus oculos animumque mulcere hom. de parad. *Roſa hic ſpinis eſt coniuncta gratiâ externa moleſtiam obtegens, & tantum non aperta nos voce conteſtans, ac dicens: quæ iucunda ſunt vobis ò homines, triſtibus permixta ſunt. Nam verè in humanis bonis ita comparatum eſt, vt nullum eorum ſincerum ſit; ſed confeſtim lætitiæ, & hilaritati conglutinetur mæſtitia: coniugio*

vidui

Digitized by Google

piditas, erit ambitio : voluptatis libido:inutilis ſcientia, curioſitas vocatur: honeſtæ cuiuſdam mercedis contentio,fiet æmulatio.

Cauſa porrò deſiderantis appetitus eſt rei abſentis bonitas,quæ animo ſeſe obijcit,& ſalutaris, & conueniens. Iam verò cùm tot ferè ſint hominum cupiditates, & deſideria,quot homines erit prudentis Oratoris attendere diligenter perſonas, & ſagaciter introſpicere, quo cuiuſque natura maximè feratur, apud mercatores agis ? lucrum & vtilitatem : apud nobiles & Imperatorem; gloriam & laudem propone, & ſic de cæteris, Iuuenes cupiditas acrius accendit,ob igneam ætatem, ſenes tardius appetunt, ſed pertinacius,pueri,ac mulieres crebrius, ſed inconſtantius.

Natura fugæ.

Fuga ex ódio profecta tendit in malum,ſiue à malo recedere fugiendo, vel deteſtando conatur. Indè oritur inimicitia amplectens odium, cuius cauſa rem illam quam vt pernicioſam, aut turpem odio proſequimur, omni etiam ratione declinamus, eamque & congreſſu, & oculis, auribus,& animo auerſamur. Hinc Orator modò vel amoris, vel odij cauſas, & conditiones animo peruiderit, facilè, vel deſiderium ex amore,vel fugam ex odio profluentem, in auditorum animis excitabit. Deſiderium victoriæ,fugam dedecoris exaggerat Cic. pro lege Man.

LECTIO VII.

Quomodo ſit exprimendum Deſiderium. I. A laude.

CVm deſiderium ſit appetitus boni delectabilis, ſed abſentis,rei præſtantiam, ac magnitudinem exprimat,oportet,qui diſponere volet animum alicuius ad optimos ſatus capiendos, & ad ardua incenſo deſiderio perficienda. Certè magnam vim habet ad excitandam cupiditatem commemoratio laudis, & gloriæ; quæ quidem duobus modis fieri poteſt, vel ſi illum ipſum, quàm adhortari volumus, prius laudemus : vel ſi proponamus laudem, & gloriam, velut illicem cupiditatis ac deſiderij. Prioris exemplum eſt apud Cic. pro Sextio, vbi ſolidam gloriam proponit ad quam aſpirant magnæ ſpei adoleſcentes, non ad fœdas, & intermortuas corporis voluptates ; quas fugiunt. n. 138. *Fateor magnos labores eis eſſe ſuſcipiendos qui pro virili parte patriam defendunt. Sed mihi omnis Oratio eſt cum virtute, non cum deſidia,cum dignitate,non cum voluptate : cum iis qui ſe patriæ, qui ſuis ciuibus,qui laudi, qui gloriæ, non qui ſomno,& conuiuiis, & delectationi natos arbitrantur. Nam ſi qui voluptatibus ducuntur, & ſe vitiorum illecebris, & cupiditatum lenociniis, dediderunt: miſſos faciant honores, nec attingant Remp. patiantur viros fortes laborare, ſe otio ſuo perfrui.*

Poſterioris generis exemplum eſt in eadem Orat.num 137.Hæc eſt vna via,mihi credite, & laudis, & dignitatis,& honoris,bonis viris, ſapientibus, benè natura conſtitutis, laudari & diligi, noſſe deſcriptionem ciuitatis, maioribus noſtris ſapientiſſimè conſtitutam.

II. Ab honeſto.

Cuius ſumma vis eſt apud viros bonos, rectè enim Seneca ep.71.*Summum bonum eſt, quod honeſtum eſt:& quod magis admireris, vnum bonum eſt,quod honeſtum eſt:cætera falſa,& adulterina bona ſunt.Hæc ſi perſuaſeris tibi,& virtutem adamaueris(amare enim parum eſt)quidquid illa contigerit,id tibi,qualecumque aliis videbitur, fauſtum felixq; erit.Erige te, Luciliu virorum optime,& relinque iſtum ludum literarium Philoſophorum qui rem magnificentiſſimam ad Syllabas vocant, qui animum minuta docendo demittunt, & conterunt. Fies ſimilis illis,qui inuenerunt iſta,non qui docent, & id agunt,vt Philoſophia potius difficilis, quàm magna videatur.*

III. A ſpe.

Erigenda ſpes imprimis vt deſiderium boni excites,& ad opus aliquod arduum aggrediendum fortiter alios impellas. Cæſarem hortatur Tull. ad vitæ ſuæ conſeruationem & deſiderium laudis,à ſpe immortalitatis,pro Mercello n. 29. *Nec verò hæc vita tua dicẽda eſt,quæ corpore,& ſpiritu cõtinetur,illa,inquam illa eſt vita tua, Cæſar,*

quæ

quæ vigebit memoria ſeculorum omnium: quam poſteritas alet, quam ipſa æternitas ſemper intuebitur. Huic tu inſeruias, hic te oſtentes oportet.

Spes deſiderium nutrit, & cupiditatem immoderatam fouet, atque ita fit, vt nunquam quieſcat, donec rem expetitam nactus fuerit. Sen l. 2. de benef. c. 27. *Nunquam improbæ ſpei, quod datur ſatis eſt. Eò maiora cupimus, quò maiora venerunt: multóque concitatior eſt auaritia, in magnarum opum congeſtu collocata. Vt flammæ infinito acrior vis eſt, quò ex maiore incendio emicuit. Æquè ambitio non patitur quemquam in ea menſura honorum conquieſcere, quæ quondam fuit eius impudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias: ſed queritur, quòd non eſt ad præturam vſqueperductus. Neque hæc grata eſt, ſi deſit conſulatus, ne hic quidē ſatis eſt, ſi vnus eſt. Vltra ſe cupiditas porrigit & felicitatem ſuam non intelligit. Quia non vndè venerit reſpicit, ſed quò tendat.*

A Difficili.

Difficultas deſiderium acuit, & nonnunquam res aduerſæ, languentis animi, atque deſolati confuſio, perturbatióque forrem aculeum ſubdunt, vt repetitis deſideriis, in ſummi parentis ſinum confugiat. Funeſtæ calamitatis pondus mentem opprimit? quando venies ad me? en deſiderium vitæ melioris! In ſupremi dominatoris iracundia, plagiſque terrarum; in mediis bellorum turbinibus, anxia mens in ſublime ſuſtollitur; & orat. quando venies ad me? mors telo furit, & triumphat, punientis Dei manus, & vltor gladius in caput, & vitam incumbit; & ſimul ardens animus ſuſpirat. Quando venies? Inter iocos, & ludentium riſus dilacerat pectus rea conſcientia, ſæuumque pugionem medio in pulmone defigit, & flebiliter clamat. Quando venies.

Denique ea ſunt amplificanda capita, quibus amorem ante conciliari monuimus, eadem quippe deſiderium excitabunt; in eo tantùm ab amore deſtinguitur, quòd vehementiori quodam ardore in eam rem animus voluntaſque rapiantur, quàm amore ſuo iam ante dignam eſſe cognouerit.

LECTIO IX.

Quomodò ſit reprimendum Deſiderium.

AD coërcendum Deſiderium, & cupiditatem, ea tantùm ſunt adferenda, quæ de deſperatione dicentur inferius, & quæ iam de odio dicta ſunt. Nam quæcumque deſperationem, & odium excitant, eadem omnino deſiderium auertere ſolent. Tamen cùm deſiderium ſit appetitus boni futuri & abſentis, ſi probetur haberi non poſſe, aut non niſi difficulter, illud bonam partem extinguitur.

Deſiderium inexplebile.

Mone deſiderium illud licet incenſum, expleri non poſſe rebus, quæ feriunt oculos, & animum irritant. Hoc vidit Claudianus:

At ſibi cuncta petens nil collatura cupido
In iecur, & tractus imos, compulſa receſſit.
Quæ velut immanes reſerat dum bellua rictus,
Expleri paſciq; nequit: nunc verbere curas
Torquet auaritiæ; ſtimulis nūc flagrat amorum,
Nunc gaudet, nūc mœſta dolet, ſatiatáque rurſus
Exoritur, caſáque redit pollentior Hydra.

Benè Seneca ep. 119. *Nunquam parum eſt, quod ſatis eſt; nunquam multum eſt, quod ſatis non eſt. Poſt Darium & Indos pauper eſt Alexander Macedo: quærit quod ſuum faciat: Scrutatur maria ignota; in Oceanum claſſes mittit nouas, & vt ita dicam, mundi clauſtra perrumpit. Quod naturæ ſatis eſt, homini non eſt. Inuentus eſt quiconcupiſceret aliquid poſt omnia: Tanta eſt cæcitas mentium & tanta initiorum ſuorum vnicuique, cùm proceſſerit, obliuio. Ille modo ignobilis anguli non ſine controuerſia Dominus de tanto fine terrarum, per ſuum reditu, rus orbem triſtis eſt, Neminem pecunia diuitem fecit: imò contra, nulli non maiorem ſui cupiditatem incuſſit. Quæris quæ ſit eius rei cauſa? plus incipit habere poſſe, qui plus habet.*

Inexplebile deſiderium opum, egeſtatem diuitum eſſe probat Boëtius lib. 2. Metro. 2.

Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus verſat arenas.
Aut quot ſtelliferis edita noctibus
Cælo ſidera fulgent;

Tantas fundat opes, nec retrahat manum
Pleno copia cornu;
Humanum miſeras haud ideo genus
Ceſſet flere querelas
Quamuis vota libens excipiat Deus
Multi prodigus auri
Et claris auidos ornet honoribus
Nil iam parta videntur.
Sed quæſita vorans ſæua rapacitas
Altos pandit hiatus.
Quæ tàm præcipitem fræna cupidinem
Certo fine retineant?
Largis cùm potius muneribus fluens
Sitis ardeſcat habendi?
Nunquam diues agit qui trepidè gemens
Seſe credit egentem.

Deſiderium pernicioſum.

Si damnum multiplex, & varium, ſi ductam ex eo ſeruitutem deſcripſeris, laruam detrahes, & deſiderium minues; quæ ſingula videtur expreſſiſſe D. Ambroſ. l. de Abr. c. 4 *Spargit odores ſuos voluptas, quia Chriſti odorem non habet; theſauros demonſtrat, regna promittit, amores ſuos ſpondet continuos, inexploratas cupiditates pollicetur ſine Pædagogo diſciplinas, ſine monitore ſermones vitā ſine ſollicitudine molliem ſomnum ſine inquietudine, caue deſideres, verba ſunt.*

Niſi tot Dominis ſeruus eſſe velis, quot deſideriis preſſus es, & ſemper triſtis, nunquam quietus, vagum & inane deſiderium coërce. Scitè Chryſolog. Ser. 6. *Quando homo non ſub peccato triſtis? quando non ſub morte lugens? quando non ſub dæmonibus pallens? quando non ſub idolis tremens? quando non ſub vitiis ſuſpectus? quando non ſub criminibus deſperatus? & ideo homo dabat extrema ſuſpiria, quando tales, tàm crudeles Dominos ſuſtinebat.*

In cohibenda cupiditate Felicitas

Coërcetur, ſi in cohibitione deſiderij poſitam eſſe vitæ Felicitatem, & ſummam animi tranquillitatem oſtenderis: nam inani cupiditate repreſſa, ſi Senecæ mentem ſequamur ep. 119 Quantumcumque eſt, ſatis erit, ſi quidquid deerit; id à nobis petierimus. *Nihil enim mi Lucili intereſt, vtrum non deſideres, an habeas. Summa rei in vtroq; eſt eadem. Non torqueberis. Nec illud præcipio, vt aliquid naturæ neges. Contumax eſt, non poteſt vinci, ſuum poſcit. Sed vt quidquid naturam excedit, ſcias precarium eſſe non neceſſarium: Eſurio; edendum eſt. Vtrum hic panis ſit plebeius, an ſiligineus, ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, ſed impleri Sitio vtrum hæc aqua ſit ex lacu proximo excepta, an ea, quam multa niue clauſere, vt rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc vnum iubet, ſitim extinguit vtrum ſit aureum poculum, an cryſtallinum, an murrhinum, an Tiburtinus calix, an manus concaua nihil refert Finem omnium rerum ſpecta & ſuperuacua dimittes. fames me appellat, ad proxima quæque tendatur manus: ipſa mihi commendabit, quodcumq; comprehendero, nihil contemnit eſuriens.*

Quod eſt vile, quod obuium, deſiderantis induſtriam non acuit, ſed remittit. Ouid. lib. 2 Eleg. vlt.

Quod licet & facile eſt, quiſquis cupit arbore frondes,
Carpat, & è medio flumine potet aquam.
Quod licet ingratum eſt, quod non licet acrius vrit.
Ferreus eſt, ſi quis, quod ſinit alter, amat

Denique ſi nullas eſſe rationes boni vel tantum apparentes in re abſenti, quam appetit, docueris, citò deſiderium ceſſabit.

LETIO X.

Deſiderij effecta.

Penè ſunt eadem quæ amoris: & quidem ad deſiderium, mixturam quandam affert doloris & voluptatis: placet quidem res expetita, quia bonitatis habet aliquam imaginem, dolorem autem affert propter abſentiam, ad quæ duo capita facilè eſt reuocare omnia eius effecta.

I. Anxium.

Primò quidem ex voluptate naſcitur frequens & anxia cogitatio rei concupitæ, quam etiam miris modis alimus, variáque induſtria, quæ optatæ rei recordationem affert. Sic caſtus amor in Alexis vxore Virgine.

O ſopor & picti ſpecies ô vana coloris!
Hei mei quàm variis ludor imaginibus.
Nocte diem verſo, certat pictura ſopori:
Fingere quod nequit hæc, improbus ille facit:
Ipſa meas ergo pictaris educo curas,
Solamenq; bibo, materiamq; mali.

II Vigil & Inſomne deſiderium

Ex deſiderio naſcuntur ſomnia, quæ diurnarum cogitationum velut quædam reliquiæ ſunt iis, qui tanquàm Echo voci reſpondent. Ouid. 2. de Ponto El. 2. ad Max.

At puto cum requies medicinaq; publica curæ
Somnus adeſt, ſolitis nox venit orba malis.
Somnia me terrent veros imitantia caſus,
Et vigilant ſenſus in mea damna mei.
Aut ego Sarmaticas videor vitare ſagittas,
Aut dare captiuas in fera colla manus.
Aut vbi decipior melioris imagine ſomni,
Aſpicio patria tecta relicta mea.
Et modò vobiſcum, quos ſum veneratus, amici,
Et modò cum cara coniuge pauca loquor,

Et illa melior.

Hic ego te in ſomnis heſterna nocte videbam:
O quæ ſollicitus ſomnia fingit amor?
Siue latet Phœbus, ſeu terris altior extat,
Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte venis.

Digitized by Google

Ancubor in lecto mendaces calibe ſomnes.
Dùm caree veris, gaudia falſa iuuant.

III. Deſiderium loquens.

Qui vehementer aliquid expetunt cum re deſiderata colloquuntur, aut certè ea de recũ ſiluis & rupibus, iiſque rebus omnibus à quibus aliquod ſolatium ſperare poſſunt de quibus ſic Laodamia Ouid.

Nos ſumus incerta; nos anxius omnia cogit,
Quæ poſſunt fieri facta putare timor.
Dùm tamen arma geris diuerſo miles in orbe,
Quæ referant vultus eſt mihi cera tuos.
Illi blanditias, illi tibi debita verba,
Dicimus; amplexus accipit illa meos.
Crede mihi plus eſt, quàm quod videatur, imago.
Adde ſonum ceræ; Proteſilaus erit.
Hanc ſpecto, teneoque ſinu pro coniuge vero:
Et tanquam poſſit verba referre, queror.

IV. Deſiderium votorum prodigum.

Erumpunt in ardentiora vota & querelas.

Votorum ô Virgo ſpes non fruſtranda meorum
Primaque Virginei gloria connubij.
Si tua diuitibus cumulant altaria donis,
Cultaque Galbaneo fumat odore domus.
Si tibi gemmifero cinxi diademate frontem,
Et micat ante arma pendula flamma tuam:
Vrge Diua virum, dum me patriamq; requirat
Fac alia nequeat parte quiete frui.
Dùm tenebras quærit, manifeſta in luce pateſcat;
Dumque iacet, fiat qualibet ore loquax:
Dùm fugit immoto ſtupeat pede, dùm freta ſulcat,
Nauis marmoreas hæreat inter aquas.
Occultum increpitet tellus, & Pontus Alexim,
Et conuerſo marmore dicet, hic eſt.

In querelas etiam erumpunt, & nuntios optant Zephyros votorum ſuorum, teſtes quoque rupes appellant, hæc ſunt Sapph Ouid.

Leſbides infamem quæ me feciſtis amatæ:
Deſinite ad Cytharas turba venire meas.
Abſtulit omne Phaon quod vobis ante placebat:
Me miſeram dixi, quàm modò penè meus.
Efficite vt redeat. Vates quoque veſtra redibit.
Ingenio vires ille dat ille rapit.
Ecquid ago precibus? pectuſne agreſte mouetur?
An riget? & Zephyri verba caduca ferunt?
Qui mea verba ferunt, vellem tua vela referrent.
Hoc te ſi ſaperes, lente decebat opus.
Siue redis puppique tuæ votiua parantur
Munera; quid laceras pectora noſtra mora?
Solue ratem Venus orta mari mare præſtat amanti.
Aura dabit curſum, tu modò ſolue ratem,
Ipſe gubernabit reſidens in puppe Cupido.
Ipſe dabit tenerâ vela, legetque manu.

Ad preces deſcendit humilis, & obteſtatus per quidquid gratum eſt.

Te per ego has lacrymas, oro, per & integra ſancti
Fœdera connubij virgineumque thorum.
Per mihi crudeles, quos non violaui hymenæos,
Perq; tuam imprimis caſte marite fidem.
Te per eos etiam, qui te genuere parentes,
Per patria atque domus ſqualida tecta tuæ
Hæc ſi non flectunt, per ego te Virginis almæ
Viſcera cara precor, per genitumque Deum.
Huc ades ô tandem, viduæſq; reuertere in ædes
Aut adhibe vitæ me comitemque tuæ,
Quod facies faciam, quò perges, ipſa præibo,
Cum cantante canam, cumque gemente gemam.
Cumq; viro coniux viuam, cum Virgine Virgo.

V. Deſiderium ſuſpirans.

Ex dolore autem, qui oritur ex abſentia erumpunt primò crebra ſuſpiriis gemituſque; ſic ad caſtum coniugem caſta Virgo deſiderans eius aſpectum, ſuſpirabat.

Hei mei, quò rapior? quæ fingo ſomnia? falſo
Me lædit viduus, dùm vagor orbe thorus.
O ſaltem ſcirem qua parte requirere poſſem
Te mea lux animi ſpeſque metaſque mei;
Et ſyluæ & rupes, campique, & littora cuncta
Iam ſunt facta tuâ ferrea duritie;
Non eſt qui noſtras æquâ bibat aure querelas,
Diſſipat eluſos ventus, & vnda ſonos;
Sola pia eſt, mecumque gemit reſonabilis Echo,
Illa tamen gemitu languida facta meo eſt.
O mea vita redi, nam quæ te cauſa moratur?
Si quia in te eſt pietas, ô mea vita redi.
Quod ſi forte tibi eſt reditus grauis, ah! precor ad te
Me quacumque voles parte, venire iube.

VI. Deſiderium faſtidioſum.

Qui deſiderat tædium rerum aliarum experitur, quæ minus iucundæ ſunt ob vnius abſentiam. Sic illa Virgo deuota nihil iucundum habere poteſt, donec votis potiatur.

Odi ſuffuſas radianti lampadas auro.
Aurea ſunt oculi lampas Alexi tui,
Non ego delector cytharâ fidibuſque canoris;
Sola mihi gratum vox tua carmen erit.
Non mihi Panchæo nubes efflantur odore,
Suauis odoratâ tu mihi meſſe magis.
Non mihi ſydereis gemmaſcunt floribus arua,
Tu narciſſus eris, tu mihi ſola roſa.
Ductaque textilibus ramis non vitis obumbrat
Nec leuat ardores lympha petita meos.

Hinc macie conficiuntur deſiderio, ſunt illa triſtis Cydipp.

Scribis vt inualidum liceat tibi viſere corpus,
Et procul à nobis; & tamen indè noces.

Cum

Concidimus macie:color eſt ſine ſanguine, quale
In pomo refero mente fuiſſe tuo.
Candida nec miſto ſublucent ora rubore,
Forma noui talis marmoris eſſe ſolet.
Argenti color eſt inter conuiuia talis,
Quod tactum gelida frigore palles aqua.
Si meme nunc videas viſam prius eſſe negabis.

Qui ardenter aliquid expetunt narrare ſolent ambitioſius, quid vi deſiderij patiantur;aiunt ſe diu noctuque in illis cogitationibus eſſe,vias & veſtigia,& littora;& loca omnia relegere,vt aliquid dicere poſſint, & audire vndè expectationis ſuæ faſtidium fallere poſſint; quod fecit illa Iunioris Tobiæ mœſta mater,quæ quotidie mótes conſcendens lugebat lacrymis in deficientibus abſentiam dilecti filij ſui:altera non tam caſtè, ſed non minus ardenter deſiderat apud Poëtam Romanum.

Sapè tui ſpecto ſi ſint in littore paſſus:
Impoſitas tanquam ſeruet arena notas.
Vtque rogem de te, & ſcribā tibi ſi quis Abydo,
Venerit,aut quæro ſi quis Abydon eat.
Quid referā quoties de veſtibus oſcula? quas tu
Helleſpontiacā ponis iturus aqua.
Sic vbi lux acta eſt,& noctis amicior hora,
Exhibuit pulsā ſydera clara die:
Protinus in ſumma vigilantia lumina turre
Ponimus,aſſueta ſigna,notamque viæ.

VIII. Deſiderium æſtuans.

Piè Venantius Fortun. lib. 3. Metro de gaudiis, & ſpe vitæ æternæ, ſponſæ æſtuantis deſiderio ſponſi dulces querelas exprimit,anhelantemque facit in Chriſti amplexus animam fidelem.

Sponſo abſente manens tàm dura cubilia ſeruo,
Nec mea quem cupiunt mēbra tenere queunt,
Dic vbi ſis quem expecto gemens,qua te vrbe requiram?
Quoue ſequar nullis fœmina nota locis?
Ipſa venire velim properans, ſi poſſet in aſtris,
Pendula ſyderеam planta tenere viam.
Nunc ſine te ſuſcis grauiter nos occupat alis,
Ipſaque ſole micans eſt mihi cœca dies.
Lilia,narciſſus,viola,roſa,nardus,amomum,
Oblectant animos gramina nulla meos.

Vt te conſpiciam per ſingula nubila prendo,
Et vaga per nebulas lumina ducit amor.
Ecce procelloſos ſuſpecta interrogo ventos,
Quid mihi de Domino nuntiet aura meo.
Quidquid eris tolerem ſint omnia dulcia dura,
Donec te videam,hæc mihi pœna placet.

IX. Deſiderium impatiens.

Deſideranti longiores videtur dies,hinc motæ impatiens, breuiſſimum tempus annum facit & querelas. Sic parum ſana, nimis impatiens puella loquitur.

Longa mora eſt nobis,omni quæ gaudia differt
Da veniam faſſæ:non patienter amo.
Vt corpus teneris ſic mens infirma puellis,
Deficiam parui temporis adde moram.

Non animi ſanioris altera Phyllis ad querelas aſſurgit.

Tēpora ſi numeres,benè quæ numeramus amātes:
Non venit ante ſuam noſtra querela diem.
Spes quoque lenta fuit:tardè,quæ credita lædunt.
Credimus:inuitā nunc & amante nocent.
Sæpe fui mendax pro te mihi:ſæpè putaui
Alba procelloſos vela referre notos.
Sæpè Deos ſupplex,vt tu ſcelerate valeres
Sum prece thuricremis deuenerata focis.
Sæpè videns ventos cœlo, pelagóque fauentes,
Ipſa mihi dixi,ſi valet;ille venit.
At tu lentus abes,nec te iurata reducunt
Numina,nec noſtro motus amore redis.
Demophoon ventis,& vela,& verba dediſti,
Vela queror reditu,verba carere fide.

X. Deſiderium velox.

Quid deſiderāt vellent, ſi quomodo poſſent, alas addere rei amatæ,vt velocius accederet,vbi ſcilicet cupiditas retardatur, & expetitis nondum fruitur. 3 Triſt.Eleg.8.

Nunc ego Triptolemi cuperē conſcendere currū,
Miſit in ignotam qui rude ſemen humum,
Nunc ego Medeæ vellem frænare dracones
Quos habuit fugiens arce Corinthe tua.
Nunc ego iactandas optarem ſumere pennas
Siue tuas Perſeu Dædale ſiue tuas.
Vt tenerā noſtris cedente volatibus aura,
Adſpicerem patria dulce repente ſolum;

Deſir

Deſertaque domus vulnus, memoreſque ſodales,
Caraque præcipua coniugis ora mea.

XI. Deſiderium Impotens.

Tùm eſt aliquando vehemens deſiderium vt imperium non admittat. Impotentem aurei monilis cupiditatem Eryphila Statius adumbrat 2. Theb.

Verat hoc coniux perituri vatis, & aras.
Ante omnes epulaſque trucem ſecreta coquebat
Inuidiam ſæuis detur ſi quando potiri
Cultibus.

XII. Sæpè Vanum.

Hoc in Euandro vitæ profectioniſque deſiderium exprimit Virgil. 8 Æne.

O mihi præteritos referat ſi Iupiter annos
Non ego nunc dulci amplexu diuellerer vſquam
Nate tuo.

XIII. *Deſiderium Audax.*

Denique qui deſiderat nihil arduum ac difficilè reperit, dùm optatis frui liceat. Sæpius laudata Romana puella fuit impauida benè deſiderans.

Si mihi nota foret regio, qua liber oberras,
Inciperet certus mitior eſſe dolor.
Illi miſſa graues narraret epiſtola curas,
Audiretque meas forſitan ille preces.
Nectuntur ſcribendo moræ: prior ipſa volarem,
Atque mea fierem nuncia triſtitiæ.
Ipſe daret pedibus celeres amor anxius alas
Præcipitique irem per loca vaſta fugâ.
Nullaque Virgineos tardare pericula greſſus,
Dicere nec poſſent, parua puella mane.
Non ſi Colchiaci ſurgant fera monſtra dracones,
Inque meos vultus vrſe, leoque ruas.
Fœmineam armaret diuina potentia dextram,
Et cæleſtis idem curreret, ales iter.

DE GAVDIO.
ſeu Lætitia.

NIhil eſt quod in lætitiæ commendationem pluribus excurramus, certum eſt vilem eſſe omninò affectum, tàm in rebus ſacris, quam in profanis, proindè frequenter ciendum. Nam motus eſt perfectus qui cadit ſub ſenſum ad recreandam, exhilarandamque naturam: ſi quidem honeſta iucunditas, & lætitia, medicina quædam corporis dicitur, quâ natura ipſa reficitur, ideoque minimè vitioſa. Nec enim de illa loquimur, quàm viri flagitioſi, corruptæ, deerrantiſque naturæ improbitatem ſequuti, vt felicitatem ſummam quæruut, quam ſapientes ac probi malorum omnium matrem, ac naturæ carnificinam damnant, & inſequuntur; ſed de illa quam Tull. definit: 4. Tuſc. num. 14 Opinio recens boni præſentis, in quo ſe efferri rectum eſſe videatur; vel Motus animi, ſeu ſenſus boni præſentis, quatenus præſens eſt, cuius effectus eſt delectatio, hoc eſt trãquillitas animi, in bono præſenti ſuauiter acquieſcẽtis. Eſt enim bonũ præſens, quaſi lætitiæ fons, quo exundãte, gaudium exundat, quo deſcreſcente, decreſcit.

LECTIO XI.

De Concitanda Lætitia.

PRimum eſto præceptum, totum Orationis genus tale eſſe debere, vt delectet. Itaque ipſe dicendi character ſic temperari debet, vt perpetuam quandam, ſed occultam voluptatem ingeneret: hoc autem aſſequetur Orator, ſi argumentis vtatur exquiſitis, nouis, ingenioſis: Si ſtilus ipſe cultus ſit & floridus, numerus ſuauis, & mollis, Oratio tota figurata, plena acutis ſententiis.

Secundum quod ad res ipſas & materiam ſpectat, cùm erit excitandus lætitiæ motus habendam eſſe rationem geniorum, quibus aguntur auditores: alijs enim alia placent. ſunt tamen quædam, quæ communem in hominum animis ſenſum habent voluptatis.

PVNCTVM I.

Commutatio malæ fortunæ.

MAgnum lætitiæ argumentum eſt & voluptatis, malæ fortunæ in meliorem mutatio,

tatio, plerumque enim reducem fortunam, blandiorem eſſe, lætioremque videri quàm primigeniam, vt vocant, docent fortunâ ſuperiores. Hoc fusè Tull. in Orat. de reditu ad pop. probat. *Etſi nihil homini magis optandum, quàm proſpera, æqualis, perpetuaque fortuna, ſecũdo vita ſine vlla offenſione curſu: tamen ſi mihi tranquilla, & pacata omnia fuiſſent: incredibili quadam, & penè diuina, quâ nunc veſtro beneficio fruor, lætitiæ voluptate caruiſſem. Quid dulcius hominum generi à natura datum eſt, quam ſui cuique liberi? mihi verò, & propter indulgentiam meam, & propter excellens eorum ingenium, vita ſunt mea cariores: tamen non tanta erant voluptate ſuſcepti, quanta nunc ſunt reſtituti.*

Tandem poſt mula rem totam eleganti ſimilitudine concludit. *Sed tanquam bona valetudo iucundior eſt ijs, qui è graui morbo recreati ſunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt: ſi ea omnia deſiderate magis, quàm aſſiduè percepta, delectant.*

2 in Catil. animo ſoluti lætitiam explicat, & inſolito gaudio triumphat ob floreñtiorem Reip. ſtatum, eiecto ex vrbe Catilina. *Tandem aliquando Catilinam furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem, vobis atque huic vrbi ferrum, flammamque minitantem, ex vrbe, vel eiecimus, vel emiſimus, vel ipſum egredientem vrbe proſequuti ſumus. Abijt, exceſſit, euaſit, erupit: nulla iam pernicies à monſtro illo, atque prodigio mœnibus ipſis intra mœnia comparabitur.*

Sapiens veteris memoriæ ſcriptor Plutarch. refert in Antonio, dùm ipſe cum militibus infames Medorum montes tranſijſſet, tot difficultatibus ſuperatis, totque laboribus exanthlatis, vt nemo non eorum mortem votis vltimis optaret; veniſſentque ad Araxem fluuium qui Mediam ab Armenia diuidit, iuiſſe vbertim omnibus per ora lacrymas, præ gaudio ſeſe mutuo amplexantibus, & priorem fortunam reuocantibus in animum, quaſi ea prima, poſt diram tempeſtatem, & vaſtum mare ſuperatum, conſpecta tellus eſſet. Vſque adeò verum eſt illud magni Caſſiodori lib 8. Epiſt. 20. *Bonum inſolitum plus amatur, & ſequenti gaudio confert dulcedinem, præmiſſa triſtitia.*

Hinc fit, vt deperdita, cum recuperantur, magis delectent, abſterſo mœrore, quàm prius securè poſſeſſa ſaperent. Diu. Auguſt. Confeſſ. 8. cap. 3. *Triumphat victor Imperator & non viciſſet, niſi pugnauiſſet. Et quanto maius periculum fuit in prælio, tantò maius eſt gaudium in triumpho. Iactat tẽpeſtas nauigãtes, minaturque naufragium, omnes futura morte palleſcunt. Tranquillatur cœlum, & mare; & exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Æger eſt charus, & vena eius malum renunciat; omnes qui illũ ſaluum cupiunt, ægrotant ſimul animo. Fit ei rectè, & nondum ambulat priſtinis viribus, & fit iam tale gaudium quale, non fuit, cùm antea ſaluus, & fortis ambularet, vbique maius gaudium, moleſtia maior præcedit.*

Pvnctvm II.

Comparatio propriæ fortunæ cum aliena.

LÆtitiam auget florentis eius fortunæ, cui pectus diffundere conamur, cum aliena comparatio, hoc eſt eorum quibus acciderit commodum, licet non pari felicitatis conditione. Tull. in Piſon, num. 52. reditus ſui celebritatem deſcribit, tantamque lætitiam & fœlicitatem ſe in eo percepiſſe; vt immortalitatẽ ſui cœlumque contingere videretur. *Vnus ille dies mihi quidem immortalitatis inſtar fuit, cùm in patriam redij, cùm Senatum egreſſum vidi, populumque Rom. vniuerſum, cum mihi ipſa Roma propè conuulſa ſedibus ſuis; ad complectendum conſeruatorem ſuum progredi viſa eſt. Quæ me ita accepit, vt non modò omnium generum, ætatum, ordinum omnes viri ac mulieres, omnis fortunæ, ac loci, ſed etiam mœnia ipſa viderentur, & tecta vrbis, ac templa lætari. Me conſequentibus diebus in ea ipſa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, Pontifices Coſſ. Patres Conſcripti collocauerunt, mihique quod ante nemini, pecuniâ publicâ ædificandam domum cenſuerunt.*

In Orat. verò poſt reditum ad Quirites exultat in comparanda ſua in integrum reſtitutione, cum eorum fortuna qui aliquando reuocati fuerunt in patriam, oſtenditque neminem vnquam, nec maiore omnium ordinum voluntate, nec maiore frequentia, reuocatum, num. 9. 10. 11. & in Senatu poſt reditum ſic fortunam meliorem exoſculatur vt diuinitatem quandam

dam adeptus profiteatur ſe non optare, quaſi iam ea frueretur cum. 3. *Itaque quod ne optandum quidem eſt homini, immortalitatem quandam per vos adepti videmur.*

PVNCTVM. III.

Inſperatum bonum.

VEhementem lætitiam parit bonum inſperatum, qualis illa quæ Romanas matres nimio impetu extinxit, cùm reduces filios Cannenſi clade incolumes viderent auctore Liuio Dec. 3.

Quàm benè ſuo ventri gratulatur Ergaſilus Plauti in Capt. dùm vadit Hegioni nuntiare filij aduentum, quem in publico Celoce primus in porta conſpexerat? quàm præ ſe fert hilaritatis ſpeciem? quo liquidæ voluptatis ſenſu delibutus incedit: quas voces interioris lætitiæ indic s proferi?

Iupiter ſupreme ſeruas me, measque auges opes,
Maxumas opimitates, oppiparasque offers mihi,
Laudem, lucrum, ludum, iocum, feſtiuitatem ferias,
Pompam, penum, potationes, ſaturitatem, gaudium.
Nec cuiquam homini ſupplicare nunc certum eſt mihi.
Nam vel prodeſſe amico poſſū, vel inimicum perdere.
Ita hic me amœnitate amœna amœnus onerat dies.
Sine ſacris hereditatem ſum adeptus affertiſſimā.

Poſtquam verò audito nuntio reſpondit Senex,

Æternum tibi dapidato cibum, ſi vera autumas,

Eumque domum ſuam miſit, iuuat audire, quemadmodum propter rem cibariam ſibi creditam non ſecùs quàm Alexander Magnus de Indijs triumphatis exultat.

Di Immortales, vt ego collos prætruncabo tergoribus
Quanta pernis peſtis veniet? quanta labes laridos
Quanta ſuminis abſumedo? quanta callo calamitas.
Quanta lanijs laſſitudo? quanta protarijs?

Poſſet ire quis per reliqua flagitia, & exemplis oſtendere, quàm inani lætitia debacchentur mortales. Quid auarus ille, & furax apud Horatium, quàm malè gaudet argento ſuo?

—— Populus me ſibilat; at mihi plaudo.
Ipſe domi ſimul, ac num mos contemplor in arca.

Quid alter libidinibus furens apud auctorem nequitiæ Ouidium?

Non ita Dardanio gauiſus Atrida triumpho.
Cùm caderent magni Laomedontis opes?
Nec ſic errore exacto lætatus Vlyſſes,
Cùm tetigit cara littora Dulichia.

Quæ omnia mala mentis gaudia vocat Poëta Parthenius.

PVNCTVM IV.

Nouitas & Admiratio.

NOuitas & inſolentia rei alicuius, voluptatem affert: nam videmus homines ad noua ſenſus erigere, atque delectari. Vnde Tull. ad Heren. 2. naturam nouitate commoueri dicit, & illud Naſonis ingenioſi Vatis, de Ponto.

Eſt quoque cunctarum nouitas grataſſima rerum.

Ratio eſt ex naturæ humanæ mutabilitate repetenda, quæ tùm demum lætatur, cùm ab vna re in aliam fertur.

Admiratio ipſa coniungitur ferè cum delectatione: deſiderium enim ſciendi facit propter rei præcellentiam, vt ad eius cognitionem aſpiremus: quandoquidem ſine amore, & ſpe fieri non poteſt, inter quas animi affectiones ſemper gaudium intereſt. Hinc illud nobile effatum Lucani Poëtæ lib. 8.

Si mirantur, amant.

PVNCTVM V.

Pompa celibritas.

PLurimum in Oratione delectat hypotypoſis, ſeu deſcriptio rerum lætarum, in quibus ineſt aliquid celebritatis & pompæ; ſcilicet alicuius victoriæ, aut triumphi, vel partæ libertatis, quale exemplum habetur apud Liuium de

Digitized by Google

libertate Græcis à Quintio credita, & in ipſis ludis publicis per Prætorem pronunciata. Reditus Imperatorum ſæpè deſcribitur ad Pompam. Lat. Pacatus in Panegyr. Theodoſij. *Quid ego referã pro moribus ſuis feſtum libera nobilitatis occurſum, conſpicuos veſte niueâ Senatores, reuerendos municipali purpura Flamines, inſignes apicibus Sacerdotes? quid portus virentibus ſertis coronatos? quid auleis vndantes plateas? accenſiſque funalibus auctum diem?*

Anonymus in Panegyr. Conſtantini. *Gloriatus ſit licet, & verè ſummus Orator, humeris ſe Italia in patriã reportatum, te Conſtantine Senatus populuſque Rom. & illo die, & aliis quacumque progreſſus es, & oculis ferè geſtauit, nec quicquam aliud homines diebus munerum ſacrorumque ludorum, quàm te ipſum ſpectare potuerunt.*

Mamertinus in Genet. Maximiani concurſum totius Italiæ exponit. *Ipſa etiam gentium domina Roma immodico propinquitatis veſtra elata gaudio, voſque è ſpeculis ſuorum montium proſpicere conata, quò ſe vultibus veſtris propius expleret, ad intuendum comminus quantum potuit, acceſſit.*

Hanc pompæ ludorumque celebritatem ſubijcit oculis Vates eximius, Paneg. 3, conſ. Honorij Claud.

Feſtior annus eat, cinctuſque imitata Gabinos
Diues Hydaſpeis, augeſcat purpura gemmis,
Succedant armis trabea, tentoria lictor
Ambiat, & Latia redeant ad bella ſecures.
Tuque ô qui patrium curis æqualibus orbem
Eoo cum fratre Regis procede ſecundis
Alitibus, Phœbique nouos ordire meatus
Spes votumque poli, quem primo à limine vitæ
Nutrix aula fouet, ſtrictis quem fulgida telis
Inter laurigeros aluerunt caſtra triumphos.

Pari iudicio, ſed clariori vena Silius Ital. lib. 12.

Tum verò paſſim ſacra in Capitolia pergunt
Inque vicem amplexi permixtâ voce triumphum
Tarpeij clamant, Iouis ac delubra decorant
Iamque omnes pandunt portas, ruit vndique latũ
Non ſperata petens dudum ſibi gaudia vulgus.

Pvnctvm VI.

Amœnitas.

Confert ad excitandam lætitiam deſcribẽre amœnitatem locorum, florum, gemmarũ, veſtium, odorum; hæc enim omnia, & ſimilia delectant, ſæpiuſque in Orationibus panegyricis adhibentur. Hunc lætitiæ motum exprimit Maximiani Imp. Panegyr. *De te Cæſar inuicte hodiernæ gratulationis Exordium ducimus: ille veſtræ maieſtatis ortus iſte, quo illuxit, auſpicio veris illuſtrior, cui dies ſerenus atque vt celebrantes ſenſimus, vltra rationem tẽporis, Sol æſtiuus incaluit, auguſtiore fulgens luminis claritate, quàm cum origine mundi naſcentis animauit. Siquidem nunc inter illa rerum tenera primordia, moderatus dicitur, ne noceret: nunc ardentior, ne maieſtate veſtra videretur obſcurior. O felix beatumque ver, nouo partu, iam non amœnitate florum, nec viriditate ſegetum, nec gemmis vitium, nec ipſis tantum Fauonijs, & luce ſerena lætum, atque venerabile, quantum ortu Cæſarum maximorum. O tempus, quo merito quondam omnia nata eſſe creduntur; cùm eodem nunc confirmata eſſe videantur.*

Pvnctvm VII.

Virtus & bona conſcientia.

Ex omnium ſapientum conſenſu vera, & honeſta lætitia, è bonis honeſtiſque rebus. & vt verbo dicam, è virtute fluit: ſi quidem illa iucunditas, quæ animum ſuauiſſimè oblectat, eſt fructus, aut certè comes rectè factorum, à quibus facilè auelli, & diſiungi nequit. Eſt aureus bonæ conſcientiæ fœtus, vndè ſuauiſſimus animi motus erumpit. Vbi verò ſcelus, & improbæ conſcientiæ noxa dominatur, ibi verum & ſolidum gaudium eſſe non poteſt. Non eſt pax impiis, Nam ſub iugo tam crudeli. quæ voluptas & lucidæ mentis lætitia? excutiendum eſt immane peccati iugum, perfringenda, vincula, calcandum exactoris ſceptrum ei, qui liquido gaudio frui velit. Tàm clara eſt hæc veritas, vt profanæ ſapientiæ duces illam docuerint

Digitized by Google

rint. Nam Ariſt. perſpicuè ait improbos, nullam poſſe lætitiæ voluptatem ex ſe capere; illorum enim animus ait ϛασιάζει continuo velut diſſidio, & furioſa perturbatione commoueri. Pungit illos & excruciat malefactorũ memoria; quam vt excutiant dies ludunt, ſic tãtiſper ſcelerum obliuiſcuntur, & punientis conſcientiæ vocem opprimunt; & cùm in ſeipſis nihil vident amabile, omni ſtudio, & contentione ſe fugiunt.

Ex bonis moribus & conſcientiæ veræ lætitiam, tanquam ex fonte proficiſci, Lucilium ſuum docet Seneca; epiſt. 23. *Fundamentum bonæ mentis quid ſit, quæris? ne gaudeas vanis. Fundamentum hoc eſſe dixi, culmen eſt. Ad ſumma peruenit, qui ſcit quo gaudeat: qui felicitatem ſuam aliena poteſtate non poſuit. Sollicitus eſt, & incertus ſui: quem ſpes aliqua proritat; licet ad manum ſit, licet non ex difficili petatur: licet illum nunquam ſperata deceperint. Hoc ante omnia fac mi Lucili, diſce gaudere. Exiſtimas me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita ſubmoueo, qui ſpes dulciſſima oblectamenta, deuitandas exiſtimo. Imò contra nolo tibi vnquam deeſſe lætitiam. Volo illam tibi vnquam deeſſe lætitiam. Volo illam tibi domi naſci. Naſcitur, ſi modo intra teipſum ſit.*

Cæteræ hilaritates non implent pectus, ſed frontem remittunt, leues ſunt. Niſi fortè tu iudicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet eſſe alacer, & fidens, & ſuper omnia erectus. Mihi crede res ſeuera eſt gaudium. An tu exiſtimas quemquam ſoluto vultus, & vt iſti delicati loquuntur, hilari oculo, mortem contemnere? paupertati domum aperire? voluptate tenere ſub fræno? meditari dolorum patientiam? hæc qui apud ſe verſat, in magno gaudio eſt, ſed parum blando. In huius gaudij poſſeſſione te eſſe volo. Nunquam deficiet, cùm ſemel vndè petatur, inueneris. Hæc quibus delectatur vulgus tenuem habent, ac perfuſoriam voluptatem, & quodcumque inuectitium eſt fundamento caret. Hoc de quo loquor ad quod te conor perducere, ſolidum eſt, & quod plus pateat introrſus, Ad verum bonum ſpecta, & de tuo gaude. Quid ſit iſtud interrogas? aut vndè ſubeat; dicam. Ex bona conſcientia, ex honeſtis conſiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ, & continuo tenore vnam prementis viam.

A ſola virtute ſolidam lætitiam prouenire tradit idem multis ep. 72. Vbi radicem perennis gaudio ex honeſto ſic appetit. *Incidet aliquid quod impediat, non equidem eum, cuius animus in omni negotio lætus atque alacer eſt. Imperfectis adhuc interſcinditur lætitia: ſapienti verò contexitur gaudium, nulla rumpitur cauſa, nulla fortuna, ſemper & vbique tranquillum eſt. Non enim ex alieno pendet, nec fauorem fortunæ, aut hominis expectat. Domeſtica illi felicitas eſt: exiret ex animo, ſi intraret, ibi naſcitur. Aliquando extrinſecùs, quo admoneatur æternitas, interuenit, ſed id leue, & quod ſummam cutem ſtringat. Aliquo inquam inquam, incommodo afflatur, maximum eius illud bonum, eſt fixum. Ita dico; extrinſecus aliqua ſunt incommoda velut in corpore interdum robuſto ſolidoque eruptiones quædam puſtularum, & vlcuſcula, nullum in alto malum eſt.*

Proindè non minus verè, quàm ſapienter S. Proſpe nullum eſſe verum ſolidumque gaudium niſi rectum aſſerit Epigram. 79.

Felices verè faciunt, ſemperque beatos,
De vero & ſummo gaudia capta bono.
Nã mundi ex opibus breuis ac peritura voluptas
Edita perpetua ſemina mortis habet.
Non placeat vanis animum ſubmittere rebus,
Peſtiferiſque auidam mentem onerare cibis.
Cor mundum & ſapiens fructu virtutis alatur,
Et Chriſti in noſtro pectore regnet amor.
Quo ſemel impletus nunquam vacuabitur illo
Æterna æterni flumina fontis erunt.

Breuius idem repetit, ſed non minus acutè, epiſt. 59. *Gaudium non naſcitur niſi ex virtutum conſcientia. Illud quod Deus, Deorumque æmulos ſequitur non interrumpitur, non deſinit. Deſineret ſi ſumptum eſſet aliundè. Sed quia non eſt alieni muneris, nec arbitrij quidem alieni. Quod non dedit fortuna, non eripit.*

Gaudij deſcriptio

Nonnunquam ipſa lætitia deſcriptio, excitat animum, ſpe ſua oblectat; vt ſi quis beatarum mentium gaudia deſcribens, ipſis de tanta felicitate congaudeat. Simul enim & ſpem audientibus, quaſi aliud agens excitat: Venantius fortunatus Vates pius, & cœleſti afflatu potens, ſic de gaudiis Paradiſi.

Culmina multa polus radianti lumine complent,
Lætanturque piis agmina ſancta choris.

Lucida ſydereo cœli ſtrepit aula tumultu
Laudibus,& Domini concutit aſtra fragor,
Felices quorum Chriſti contingit amore
Viuere,perpetuo nomina fixa libro,&c.

Deuique cauſa lætitiæ calamitas eſt improborum, cùm ſcilicet illos deprimi videmus, atque opibus, & honoribus ſpoliari,quos præter ius, & æquitatem obtinuerant. Cic.in Piſon.nu.45. *Dij Immortales! idne ego optare,vt inimicus meus, ea,quâ nemo vnquam ignominiâ notaretur?vt Senatus poſtulantibus honores denegaret? His ego rebus paſcor,his delector,his perfruor,quod de vobis hic ordo opinatur,non ſecus,ac de te terrimis hoſtibus.*

LECTIO XII.

Quomodo lætitia comprimatur.

MAgnus in humanis mentibus eſt lætitiæ dominatus: Et verò experimur tàm ſæpè eſſe potentem affectum,vt habenas illi non laxare,ſed retinere viri ſit prudentis, ac benè moderati, cùm lætitiæ magnitudo plerumque ad ſuperbam inſolentiam animum afferat. Hinc eſt vt artem eſſe quandam fruendæ lætitiæ,gaudiique moderandi,ſapientes exiſtimarint,è quorum mente ſublimis Seneca epiſt. 23. Superius laudata, ſic Lucilium admonet: *Ad ſumma peruenit,qui ſcit quo gaudeat,hoc ante omnia fac, diſce gaudere.*Porrò gaudium, quod è vanis rebus oritur vocat inuectitium fundamento carens. Vulgò reperias homines geſtire propè lætitiâ,ſi honor aliquis acceſſerit, ſi blandæ voluptatis vſura, ſi copia diuitiarum, ſi quæ bona nominatur in vita populari, redundarint; ſed monente conſcientia,cœlo terroribuſque ſuis reſonante, Salomonis effatum audiunt. Dixi lætitiæ, cur hoc facis? quid naturæ vim effœminas? Cur animi robur emollis cur mentis præſtantiam eueruas? cur adfers interitum rationi?

PVNCTVM I.

Rei ob quam lætamur vanitas.

AD remittendam lætitiam repræſentanda eſt boni vndè oritur lætitia,aut turpitudo, aut breuitas: quod per ſe vanum, aut malum ſit. Et verò ea eſt natura gaudij, & voluptatis, quamdiu in vita ſumus, vt propè à dolore, & luctu abſit, vſque adeò nulla ſincera eſt voluptas. Sapienter Sen. epiſt. 99. *Hoc quod inter primum diem, & vltimum iacet varium,& incertum eſt;ſi moleſtias æſtimas, etiam puero longum eſt: ſi velocitatem; etiam ſeni anguſtum. Nil non lubricum,& fallax,& omni tempeſtate mobilius,Iactantur cuncta,& in contrarium tranſeunt iubente fortuna.*

Hanc rerum vanitatem propter quas effusè ſæpius nobis gratulamur, & gaudemus ſubiicit oculis Auguſt.7.in Ioan. *Lætitia ſæculi vanitas eſt, cum magna expectatione ſperatur, vt veniat,& non poteſt teneri cùm venerit. Ille dies qui lætus eſt cras, vtique non erit. Tranſeunt omnia, euolant omnia, & ſicut fumus vaneſcunt. Væ qui amant talia. Sperent in te qui nouerunt nomen tuum Domine. Ne ſperent in rebus quæ temporis volubilitatem præterfluunt, non habentes niſi erit & fuit quoniam quod in illis futurum eſt,cùm venerit,fit ſtatim præteritum,& expectatur cum cupidine, amittitur cum dolore. Non importunè pompis ſæculi, & humanæ felicitati interfuit & erit ſuſpenſa, ſiue præterita illud aptaueris, quod ingenioſus negotiorum ſæculi irriſor canebat.*

Hic fuit,hic fecit,pugnauit,vicit,amauit,
Cõpoſuit libros,gentes domuit populoſque ſubegit;
Quid tibi cum fecit fuit,aut erit?eſt valet vnum.
Pluſquam mille fuit.

PVNCTVM II.

Fortunæ variantis caſus.

REum futurarum incerto euentu comprimitur lætitia, fortunæque dominantis arbitrio, quæ nihil conſtans ac perpetuum ſuis polliceri poteſt, præter inconſtantiam. Temporis momentum florentis fortunæ mutationes, adfert,

Digitized by Google

adfert, iſque qui feliciſſimus videbatur ſubita caſus malignitate abſorbetur miſer. Ita canit Sen. in Thyeſte. Act. 3.

Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium ſecundis,
Nemo deſperet meliora lapſis.
Miſcet hæc illis, prohibetq́; Clotho
Stare fortunam. Rotat omne fatum,
Nemò tam Diuos habuit fauentes,
Craſtinum vt poſſit ſibi polliceri,
Res Deus noſtras celeri citatas
Turbine verſat.

Magni ſanè ſpiritus Poëta Claud. idem premit 2. in Ruff. eiuſque felicem fortunam deſcribit, & caſum, vt ſui vix potentes ſapere doceat exemplo infelicis fortunæ malè dominantis Amaſij.

Deſinat elatis quiſquam confidere rebus,
Inſtabileſq; Deos, ac lubrica numina diſcat.
Illa manus quæ ſceptra ſibi geſtanda parabat.
Cuius ſe toties ſubmiſit ad oſcula ſupplex
Nobilitas, inhumata diu, miſeraque reuulſa
Corpore feralem quæſtum poſt fata popoſcit.
Aſpiciat, ne quis nimium ſublata ſecundis
Colla gerat: triuiis calcandus ſpargitur; ecce
Nudus paſcit aues: iacet en qui poſſidet orbem.
Exiguæ telluris inops, & puluere raro
Per partes tegitur: numquam totieſque ſepultus.

Philoſophus eandem hanc mentis elationem ob felices rerum euentus, & inane gaudium paucis emendat, epiſt. 4. *Neminem eo fortuna prouexit, vt non tantum illi minaretur, quantum permiſerat. Noli huic tranquillitati confidere. Momento mare vertitur: eodem die vbi luſerunt nauigia, ſorbentur.*

Pulchrè idem ſapiens felicitatem humanam multis caſibus, & periculis, vt obtineatur, obnoxiam, adeptam verò nihil durantem, venuſta veterum ludorum imagine ob oculos proponit, in quibus miſſilia dona à principe iaciebantur, vt ſubditi inferius raptim colligerent. Ep. 74.

Qui aliquid virtute melius putat, aut vllum præter illam bonum, ad hæc quæ à fortuna ſparguntur ſinum expandit, & ſollicitus miſſilia eius expectat. Hanc imaginem animo tuo propone, ludos facere fortunam, & in hunc mortalium cætum, honores diuitias, gratiam excutere: quorum alia inter diripientium manus ſciſſa ſunt, alia infida ſocietate diuiſa, alia magno detrimento eorum, in quos deuenerant, prenſa: ex quibus quædam aliud agentibus inciderunt, quædam quia nimis captabantur amiſſa, & dùm auidè rapiuntur, excuſſa ſunt. Nulli verò etiam cui rapina feliciter ceſſit, gaudium rapti durauit in poſterum. Itaq; prudentiſſimus quiſque cum primum induci videt munuſcula, fugit è theatro, & ſcit magno parua conſtare. Idē in his euenit quæ fortuna de ſuper iactat. Æſtuamus miſeri, diſtringimur multas has habere cupimus manus; modò in hunc, modò in illum reſpicimus; nimis tardè nobis mitti videntur, quæ cupiditates noſtras irritant, ad paucos peruentura, exſpectata omnibus.

PVNCTVM III.

Vbique voluptati & lætitiæ mœror, & triſtitia adhæret.

SI præſentis boni magnitudo, vndè ſenſus affluit voluptatis, imminui non poteſt; à iunde certè obiectum vitium lætitiæ impetum retardabit: nemo enim ex omni parte felix eſt, & beatus, vt ingenioſè Claud. de laudibus Stiliconis. lib. 1.

—— *Mortalibus ex quo*
Tellus cœpta coli, numquam ſincera bonorum
Sors vlli conceſſa viro: quem vultus honeſtat,
Dedecorant mores: animus quē pulchrior ornat,
Corpus deſtituit, Bellis inſignior ille,
Sed pacem fœdat vitiis.

Triſtitiæ mœroriſq; expreſſa ſub veſtis imagine florem æmulantis, terrā noſtrā tot eſſe doloribus, ac moleſtiis obnoxiam vrget Diu. Baſil. vt nullus in ea lætitiæ, aut voluptatis flos legi poſſit quem acerbius doloris aculeus non veſtiat. Non tam ſpinis roſam circumſeptam, quam ſpinam roſæ ſpecie contectam eſſe dicit, ideoque mundi gaudia, niſi ſpecie tenus oculos animumque mulcere hom. de parad. *Roſa hic ſpinis eſt coniuncta gratiâ externa moleſtiam obtegens, & tantum non aperta nos voce conteſtans, ac dicens: quæ iucunda ſunt vobis ò homines, triſtibus permixta ſunt. Nam verè in humanis bonis ita comparatum eſt, vt nullum eorum ſincerum ſit; ſed confeſtim lætitiæ, & hilaritati conglutinetur mæſtitia: coniugio*
vidui

Digitized by Google

viduitas:puerorum educationi, cura & ſollicitudo; fœcunditati,aborſus,vita ſplendori,ignominia, proſperis ſucceſſibus,diſpendia,deliciis ſatietas,ſanitati infirmitas. Florida quidē eſt roſa,ſed mihi triſtitiā infligit.Nam quotieſcumque florem hunc video peccati mei admoneor,propter quòd terra,vt ſpinas,ac tribulos proferret,condemnata eſt.

Quia ſæculi gaudia ſunt terræ fructus,mirum ſi non tribulos germinent. Diu. Ambroſius Hexam.lib. 3. c. 11. *Surrexerat ante floribus immixta teneris ſine ſpinis roſa,& pulcherrimus flos ſine vlla fraude vernabat. Poſtea ſpina ſepſit gratiam flori tanquam ſpeculum proferens vitæ.*

De hoc Gaudij & triſtitiæ conſortio loquitur. Ouidius 7. Metamorph.

Conſonat aſſenſu populi precibusq́; fauentum
Regia,nec tota triſtis locus vllus in vrbe eſt,
Nec tamen (viq́; adeò nulla eſt ſincera voluptas
Sollicitumq́; aliquid lætis interuenit) Ægeus
Gaudia percepit nato ſecura recepto.

Pvnctvm IV.

Timor.

COercetur lætitia, animis exundantis in ripas,timoris obicibus; benè monet Sen. in Thyeſte. Act. 3.

Peior eſt bello timor ipſe belli,
Ac mare in portu timuêre nautæ.
Nulla ſors longa eſt:dolor ac voluptas.
Inuicem cedunt:breuior voluptas.
Ima permutat breuis hora ſummis,
Ille qui donat diadema fronti,
Quem genu nixa tremuere gentes,
Anxius ſceptrum tenet & mouentes
Cuncta diuitias;metuitq́; caſus
Mobiles rerum,dubiumq́; tempus.

Denique maioris boni ſpes,aut cupiditas, voluptatem minoris imminuit, vel potius abſorbet; & quidquid confert ad excitandum dolorem illud idem lætitiam remittit.

LECTIO XIII.

Effecta lætitiæ.

SVnt alia quidem effecta lætitiæ, quæ redundant in corpus,illa quæ relinquuntur in animo.

I. Lacryma ex lætitia.

In corpore primò ciet lacrymas. Anchiſes affectum paternæ pietatis explicat, lacrymis per ora fluentibus,vt natum videt venientem apud Virgil.6.Æne.

Iſque vbi tendentē aduerſum per gramina vidit
Ænean,alacris palmas vtrasq́; tetendit,
Effuſaq́; genis lacryma,& vox excidit ore.
Veniſti tandem,tuáque ſpectata parenti
Viciciter durum pietas: datur ora tueri
Gnate tua, & notas audire & reddere voces.

Habet & lætitia lacrymas ſuas, ait Ambroſ. de obitu ſatyri, & lacrymæ plerumque,pietatis indices,non illices ſunt doloris.

II. Deliquium.

Hunc effectum aperit Plaut in Cap. ſub perſona ſenis Hegionis ad cognitos filios, alterum foris aduenientem alterum domi repertum, qui ſub perſona ſerui latebat.

Marius Victorinus in carmine quod ſcripſit de ſeptem Machabęis,lætitiâ interceptum fuiſſe ſpiritum bonæ matris illorum docet, quòd cerneret rem fortiſſimè geſtam à filiis.

Dum puer iſta gerit, ſoluerunt gaudia matrem,
Iamque vt erat laxata malis, iam voce negata
Suſpirans,interque manus collapſa ſuorum
Concidit exanimis, reſolutaque membra quierunt.

III. Mors.

Tam immoderata fit nonnunquam lætitia, vt etiā Mors ſequatur. De morte ex gaudio conſequuta frequens eſt experimentum. Tertull. de anima.c. 42. *Nam etſi præ gaudio quis ſpiritum exhalet,vt Chilon Spartanus dum victorē Olympiæ filiū amplectitur: Etſi præ gloria,vt Clydamus Athenienſis; etſi per riſum vt Pub. Craſſus, multò violentior mors quæ per aliena graſſatur, quæ animam*

mam per corpora expellit, quæ tunc mori adfert, cùm iucundius viuere eſt in exultatione, in honore, in requie, in voluptate.

Pulchrè Pacatus in Theodoſij Panegy. *Repentina felicitas facit attonitos. Animos enim noſtros ſubitis affectibus impares, perindè lætitia, ac dolor, ſi deprehendat, externat. An non illa Romana Pietatis notiſſima mater, nuntio mali Cannenſis exterrita: filio reduce, quæ flebat, diriguit in mortem? Nec par eſſe gaudio potuit, quæ ſuperfuerat orbitati.*

IV. *Venuſtas oris ac vultus.*

Moderata letitia non tantùm his vacat incommodis, ſed etiam corpori gratum colorem, floridamque venuſtatem conciliat. Hoc animaduertit Nazarius, cùm deſcribit ex Imperio Conſtantini communem lætitiam quæ frontem ciuium ad Hilaritatem explicat fuſo blandiſſimè ſanguine. *Extat in vultu cuiuſque hilaritatis publicæ decus, & in ſerenis frontibus, animorũ indicia perleguntur. Non enim ſe capit exundantis lætitiæ magnitudo, ſed dedignata pectorum latebras, ita multa & candida foris prominet, vt intelligatur non ingenior eſſe, quàm verior.*

V *Tripudia.*

Ad choreas & Tripudia, feſtum diem & conuiuia gaudium excitat: exit enim animus micāti lætitiā, & ſecum corpus ipſum rapit. Sic Horat. cantu 35. l. 1. carminum ſodales ſuos hortatur ad epulas, & ſaltationem, ob victoriam Actiacam.

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus; nunc ſaliaribus
Ornare Puluinar Deorum
Tempus erat dapibus ſodales.

VI. *Secura lætitia.*

Quod ſpectat ad animum 1. lætitiā reſoluit & abigit curas, timorem, doloris ſenſum; vndè fit vt parta victoria incauti milites ſæpè opprimantur ratio eſt, quòd nihil rapacius ſit delectatione, quæ vbi ſemel animũ occupauit, omnem aliam cogitationem, moleſtiamque delet. Qualis ille Chareas apud Terentium? quàm ſecurè lætatur in Eunucho?

O populares, ecquis me viuit hodie fortunatior?
Nemo hercle quiſquã: nã in me planè Dij poteſtatem ſuam,
Omnem oſtendêre, cui tàm ſubito tot congruerint commoda.

Quàm inaniter gloriatur? quàm futili gaudio delibutus alter metu vacuus & ſollicitudine præ ſe contemnit alios Strobilus apud Plautum in Aulularia.

Pici diuitiis qui aureos montes colunt,
Ego ſolus ſupero: nam iſtos reges cæteros
Memorare nolo, hominum mendicabula.
Ego ille Rex Philippus, ô lætum diem!

VII. *Candor ſimulationis expers.*

Lætitia fucum adimit, & ſimulationem, & laruam ſæpè incautis detrahit: quare prudentum illud conſilium eſt, non modò dolorem vultu ſuſtinere, ſed eodem etiam lætitiam tegere atque opprimere: benè Pacatus in Panegy *Fingit quidem vt ſcimus, timor gaudium, ſed ita intimos mentis affectus proditor vultus enunciat, vt in ſpeculo frontium, imago extet animorum.*

Vt internum lætitiæ ſenſum aperit in Herculis ſui reditu bonus Amphytrio Sene. Her. Fur. Act. 5. Sc. 2.

Vtrùmne viſus vota decipiunt meos?
An ille domitor orbis, & Graiûm decus
Triſti ſilentûm nubilo liquit domum?
Eſtne ille natus? membra lætitiā ſtupent.
Verùmne cerno corpus? an fallor tua
Deceptus? vmbra tune es? agnoſco toros,
Humeroſque, & alto nobilem trunco manum.

VIII. *Spes.*

Spem excitat lætitia: Eſt enim valdè lubricus lapſus ex altera iſtarum affectionum in alteram: nihil enim delectabilius ſpe, viciſſim ipſa ſpes nunquam ſe lætius explicat, quàm inter præſentis boni ſenſum, & impetum gaudij, ac voluptatis. Talis eſt redeuntis Agamemnonis lætitia apud Senecam Act. 4.

Tandem reuertor ſoſpes ad patrios lares,
O cara ſalue terra: tibi tot barbaræ
Dedêre gentes ſpolia: tibi felix diu
Potentis Aſiæ Troja ſubmiſit manus.

Digitized by Google

Cur iſta vates corpus effuſa, ac tremens
Dubia labat ceruice? famuli attollite.
Refouete gelido latice. Iam recipit diem:
Marcente viſu. Suſcita ſenſus tuos,
Optatus ille portus ærumnis adeſt.
Feſtus dies eſt.

IX. *Gratulatio.*

Ex gaudio plerumque naſcitur Amor, vt & amor viciſſim gaudium gignit: bonum enim niſi ametur, delectare non poteſt, quò magis autem delectat, eò acrius amorem laceſſit, ac prouocat. Sanazarius de partu Virg. 3. gaudium & amorem ſimul conjungit, dum lætitiæ comites aſſignat.

Nec mora lætitiam choreis tùm fortè vacantem
Aduocat, hæc magni motuſq; animaſq; Tonantis
Temperat, & vultum diſcuſſa nube ſerenat,
Lætitiam quæ cœlicolum per limina ſemper
Diſcurſat, raróque imas petit hoſpite terras,
Curarumq; expers, lacrymaſque exoſa virago
Exultat, totóque abigit ſuſpiria cœlo.

En comites ad hilaritatem omnes compoſitæ?

—— Ilicet adſunt
Iucunda viſu facies, cantuſque, chorique
Gaudiaq; & plauſus, & honeſtis ignibus ardens
Rectus Amor, quē nuda fides ſpeſq; inſcia luctus,
Vadentem mira vnanimes pietate ſorores
Obſeruant.

X. *Gratulatio.*

Qui gaudent, erumpunt in Gratulationes; applaudunt enim ſibi, & ſibi applaudi amant, Horat. l. 3 Od. 12.

Hic dies verè mihi feſtus atras
Eximet curas: ego nec tumultum
Nec mori per vim metuam, tenente
Cæſare terras,
I pete vnguentum puer, & coronas
Et cadum Marſi memorem duelli
Spartacum ſi quid potuit vagantem
Fallere teſta

Inuitant ad gratulationem, & hilaritatem omnes. Sic Argiuorum virgines lætum Pæana cantant Appollini ob partam victoriam, ex vena Senecæ Agam. choro 2. Act.

Canite ô pubes inclyta Phœbum,
Tibi feſta caput turba coronat,
Tibi virgineas laudum quatiens
De more comas, innuba fundit
Stirps Inachia: tu quoque noſtros
Thebana manus comitare choros,
Quæque Eraſini gelidos fontes
Quæque Eurotam, quæque viuenti
Tacitum ripa bibis Iſmenon.

Nec vnumquemque tantùm inuitat ad geſtientis animi ſenſum, ſed etiam eos commemorat qui venerint in partem lætitiæ. Hoc ingenioſè Tull. in orat. ſuis de reditu, præſertim illâ, quam in Senatu habuit à n. 26. & deinceps. *Quo illo die, quem Lentulus, mihi fratrique meo liberiſq; noſtris natalem conſtituit, non modò ad noſtrã, verùm etiam ad ſempiterni memoriam temporis.*

Hæc eſt illa publicæ lætitiæ ſignificatio per ætates, & ſexus diſtincta, ad teneriorem affectũ declarandum apud Plin. Iuniorem in Traiano. *Ergo non ætas quemquã, non valetudo, non ſexus retardauit: quominus oculos inſolito ſpectaculo expleret. Te paruuli noſcere, oſtentare iuuenes, mirari ſenes, ægri quoque neglecto medentiũ imperio, ad conſpectum tui, quaſi ad ſalutem ſanitatemq; prorepere. Indè ſatis alij, ſatis vixiſſe te viſo, te recepto, alij nunc magis viuendum eſſe prædicabant.*

XI. *Deſiderium.*

Qui gaudent optant ſoles fulgere melius, terram luxuriare floribus, mella fundere flumina, mõtes ſudare balſama; quæ Poëtis ſunt frequentiſſima. Claud. de Probini & Olibrij conſulatu.

Nunc pateras libare Deis, nunc ſoluere multo
Nectare corda libet. Nunc eos iam pandite cœtus
Naiades, & totum violis prætexite fontem;
Mella fluant ſylvæ; iam profluat ebrius amnis
Mutatis in vina vadis, iam ſponte per agros
Sudent irrigua ſpirantia balſama vena.
Semper honoratus noſtris celebrabitur vndis
Iſte dies: ſemper dapibus recoletur opimis.

XII. *Præteritorum periculorum recordatio.*

Familiare eſt iis qui lætãtur præterita pericula, cum aliqua delectatione, narrare. Luſit hic verè

Digitized by Google

verè Poëta magnus, dùm aurei ſæculi felicitatem ſub Salonino Geneth. deſcribit. Egl. 4.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo;
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.
Iam noua progenies cœlo demittitur alto;
Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primùm
Definet, ac toto ſurget gens aurea mundo.

Æmulatus Virgilium Statius ait in Soteria pro Rutilio Gallo Syl. 1.

Quæ tua longinquis implorant iura querelis
Certent lætitia, noſterq; ex ordine collis
Confremat, & ſileant pejoris murmura famæ
Quippe manet longumq; ævo redeunte manebit,
Quem penes intrepida mitis cuſtodia Romæ.

XIII. Vota.

Qui lætantur ex gaudio erumpunt in Vota, optantque eandem diem, eandemque voluptatis cauſam ſæpè redire, hoc in natali Domitiani die votis omnibus precatur, Epigr. 4 Mart.

Cæſaris alma dies, & luce ſacratior illa
Conſcia Dictæum quâ tulit Ida Iovem.
Longa precor Pylióque veni numeroſior ævo.
Semper & hoc vultu, vel meliore nite.
Magna quidem ſuperi petimus, ſed debita terris
Pro tanto quæ ſunt improba vota Deo?

XIV Ex fruitione boni delectatio.

Vti libenter verſantur in cogitatione boni, quo fruũtur, ita in delectatione qui lætantur, vndè gaudent ſibi porogatam vitam; vt ea videant, ex quibus voluptatem capiunt. Virgil. Egl. 4.

Aſpice venturo lætentur vt omnia ſæclo.
Et mihi tàm longa maneat pars vltima vitæ
Spiritus, & quantum ſat erit tua dicere facta:
Nõ me carminibus vincet nec Thracius Orpheus.

Interea notandum exprimendæ lætitiæ vſum diſci facilè poſſe ex Epithalamiis & Genethliacis & ex Orationibus, quæ fiunt in aduentu virorum principum, in triumphis, feſtiſque diebus, aliiſque eiuſmodi argumentis, in quibus hæc affectio potiſſimum dominatur. Illi flores ac ſerta, ludos & convivia, Cantus & Plauſus loquitur, in Genth. Iulii Statius Sylv. 3.

Pande fores ſuperum, vittataq; templa Sabæis
Nubibus, & pecudum fibris ſpirantibus imple
Parthenope, clari genus ecce Menecratis auget
Tertia iam ſoboles, procerum tibi nobile vulgus
Creſcit, & inſani ſolatur damna veſævi

Epithalamium lætitiam facit; quid enim tàm commendat dies feſtos, quàm quod multi vnà lætentur? Claud. Ode 4. de nuptiis Honorii.

Aſpirate novam pectoribus fidem,
Manſuramq; facem tradite ſenſibus
Ducant pervigiles carmina tibiæ,
Permiſſiſque jocis turba licentior,
Exultat tetricis libera legibus.
Paſſim cum Ducibus ludite milites,
Paſſim cum pueris ludite Virgines.
Hæc vox æthereis inſonet axibus,
Hæc vox per populos, per mare tranſeat
Formoſus Mariam ducit Honorius.

Et Cantu ſecundo ſingulari iudicio Vates idem de iiſdem.

Age cuncta nuptiali,
Redimita vere tellus,
Celebra toros heriles
Omne nemus cũ fluviis, omne canat profundum.
Ligures favete campi
Subitiſq; ſe roſetis
Veſtiat Alpinus apex, & rubeant pruinæ.

DE TRISTITIA. SEV Dolore.

Dolor ſeu triſtitia ſenſus eſt, & opinio præſentis mali. Morbus familiaris hominibus; vndè ingenioſè dicebat Themiſtius apud Stobæum, lutum ex quo Promothæus hominem finxit fuiſſe ab eo, non aqua, ſed lacrymis maceratum.

LECTIO. XIV.

Quomodo exprimatur Triſtitia.

Satis erat dixiſſe dolorem, & odium ex iiſdem cauſis enaſci, proindè totum eſſe ab odio re-

petendum, quod in hunc affectum cadere poteſt; ſed quod ſpectat ad Orationis artificium valere plurimum Hypotypoſes, quæ cauſas doloris exprimant, oculiſque ſubijciant. Magnus eſt in hoc affectu Cic. licet non ſit ſcopus eius vltimus, ſed Odium, Indignationem, Deſiderium vltionis aduerſus eos excitandæ, qui res tàm luctuoſas tamque funeſtas ediderunt. Verr. 1. à. nu. 105. per Hypot. Navarchorum calamitatem vltimam ponit ob oculos, vt Verrem in odium adducat, propter avaritiam, & crudelitatem, qua in homines innocentes animadvertit. *Hac poſteaquam acta, & conſtituta ſunt, procedit iſte repente è Pratorio, inflammatus ſcelere, furore, crudelitate in forum venit: Navarchos vorari iubet. Qui nihil metuerent, nihil ſuſpicarentur, ſtatim accurrent. Iſte hominibus miſeris, innocentibuſq; iniici cathenas imperat. Implorare illi fidem Pop. Ro. & quare id faceret, rogare. Veniunt Syracuſas parentes, propinquique miſerorum adoleſcentium, hoc repentino calamitatis ſua commoti nuntio: vinctos adſpiciunt catenis liberos ſuos cùm iſtius avaritia pœnam collo, & cervicibus ſuis ſuſtinerent. Adſunt, defendunt, proclamant, fidem tuam, qua nuſquam erat, nec vnquam fuit, implorant. Pater aderat Tindaritanus homo nobiliſſimus hoſpes tuus, cujus tu domi fueras, quem hoſpitem appellaras, eum cum illa auctoritate, & miſeria videres praditum, non te eius lacryma, non ſenectus, non hoſpitis jus, atque nomen à ſcelere aliquam ad partem humanitatis revocare potuit.*

PVNCTVM I.

Conſanguineorum vincula, mortes, funera.

HAbent quidem omnes proprios ſuarum rerum dolores; tamen propinquorum miſeriis non poſſunt non commoveri, & in communibus aliorum offenſionibus præcipuo quodam dolore angi, eam ob rem acerbitates omnes & dolores, cruciatuſque ſub oculos ponunt Oratores vt augeant commemorando dolorem. Cic. ferè tota Ver. 7. de ſuppliciis hunc movet affectũ. De Gavii ſupplicio multis, & eleganter, ſic ait n. 138: *Furor enim quidam ſceleris & audacia comes, iſtius effrenatum animum, importunamq; naturam tanta oppreſſit amentia, vt nunquam dubitaret, in conventu palàm ſupplicia, qua in conuictos maleficii ſervos conſtituta ſunt ea, in cives Romanos expromere. Virgis quàm multos ceciderit, quid ego commemorem.*

Mortem Trebonio per Dolabellam crudelem in modum illatam, ad modum doloris, idem deſcribit Phil. 11. n. 7. *Ponite igitur ante oculos miſeram quidem illam, & flebilem ſpeciem; ſed ad incitandos animos veſtros neceſſariam: Nocturnũ impetum in vrbem Aſia clariſſimam, irruptionem armatorum in Trebonij domum, cùm miſer ille prius latronum gladios videret, quàm, qua res eſſet, audiſſet; furentis introitum Dolabella vocem impuram, atque os illud infame, vincula, verbera, equuleum, carnificem tortoremq; Samarium, qua tuliſſe illum fortiter, & patienter ferunt.*

Variis circumſtantiis cauſam ſui doloris amplificat Tull. ob. Q. Metellum, Clodiæ impudentis fœminæ maritum veneno per illam extinctũ quem laudat, tùm è cæteris virtutibus, tùm vel maximè à ſumma in patriam charitate, vt magis judicum animos accendat, & acerbiorem doloris ſenſum illis faciat. Pro Cœl. n. 59. *Proh Dij immortales cur interdum in hominum ſceleribus maximis, aut conniuetis, aut praſentis fraudis pœnas in diem reſervatis? vidi enim vidi, & illum hauſi dolorem, vel acerbiſſimum in vita, cùm Q. Metellus abſtraheretur è ſinu, gremióque patria, cumq; ille vir, qui Senatum huic imperio putauit, tertio die poſtquam in Curia, in Roſtris, in Rep. floruiſſet integerrima atate, optimo habitu, maximis viribus, eriperetur indigniſſimè bonis omnibus, atque vniuerſa ciuitati. Quo quidem tempore ille moriens, cùm iam cateris ex partibus oppreſſa mens eſſet, extremum ſenſum ad memoriam Reip. reſervabat: cùm me intuens flentem ſignificabat interruptis, atque morientibus vocibus, quanta impenderet procella urbi, quanta tempeſtas civitati.*

PVNCTVM II.

Bonorum amiſſio.

FLebiliter ad dolorem flectit animos, & miſeratione permovet Auditores, dùm eo miſeria

rum,

Digitized by Google

rum, & egeſtatis reductum eſſe Roſcium memorat, vt amicorum opibus vitam ſuſtinere cogatur Pro Roſc.n.145. *Prædia mea tu poſſides: ego aliena miſericordia viuo. Concedo, & quod animus æquus eſt, & quia neceſſe eſt. Mea domus tibi patet, mihi clauſa eſt; fero. Familia mea maxima vteris, ego ſeruum habeo nullum; patior & ferendum puto. Quid vis amplius? quid inſequeris? quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem lædi à me putas? vbi tuis commodis officio? quid tibi obſto? ſi ſpoliorum cauſa vis hominem occidere: ſpoliaſti. Quid quæris amplius? ſi inimicitiarum; quæ ſunt tibi inimicitiæ cum eo, cuius antea prædia poſſediſti, quàm ipſum cognoſti? ſin metuis? ab eóne aliquid metuis, quem vides ipſum ab ſeſe tàm atrocem iniuriam propulſare non poſſe?*

PVNCTVM III.

Calamitatis indignitas.

VExatio rerum quæ ſunt nobis in vita chariſſimæ, ac iucundiſſimæ, non mediocrem affert dolorem. Pro Sextio Tull. ſuorum amicorum duram calamitatem lamentatur, eamque à ſuis ipſius in Remp. meritis & oppreſſa coniuratione promanare docet, omneſque in ſe ſuoſque ex eo fonte dolores redundare pronuntiat, n.145. *Vtque hic tot, & talium ciuium ſqualor, hic luctus, hæ ſordes, ſuſceptæ ſunt propter vnum me, quia me defenderunt, quia meum caſum luctumq; doluerunt, quia me lugenti patriæ, flagitanti Senatui, poſcenti Italiæ, vobis omnibus orantibus reddiderunt. Quod tandem eſt in me ſcelus? quid tantopere deliqui illo die, cùm ad vos indicia, litteras, confeſſiones communes exitij detuli? cùm parui vobis? At, ſi ſceleſtum eſt amare patriam, periculi, pœnarum ſatis, euerſa domus eſt, fortunæ vexatæ, diſſipati liberi, raptata cōiux, frater optimus incredibili pietate, amore inaudito, in ſqualore volutatus eſt ad pedes inimiciſſimorum: ego pulſus aris, focis, Diis Penatibus, diſtractus à meis, carui patria, quàm (vt i leuiſſimè dicam) certè texeram, pertuli cupiditatem inimicorum, ſcelus infidelium, fraudem inuidorum.*

Valent hic plurimum querelæ, & expoſtulationes Pro Roſc.144 pro domo.44 Exclamationes etiam ad doloris magnitudinem exprimendã Verr.1, n.91. *O tempus miſerum, atque acerbũ Prouinciæ Siciliæ! ô caſum illum multis innocētibus calamitoſum, atque funeſtũ! ô iſtius nequitiã, ac turpitudinem ſingularem! Vna atque eadem nox erat, quâ Prætor amoris turpiſſimi flamma, ac claſſis populi Romani prædonum incendio conflagrabat.*

PVNCTVM XV.

Quomodo ſit leniendus dolor.

IAm vt dolorem leniamus, ſpectanda eſt imprimis natura mali, vndè oritur dolor; alia quippe dicenda ſunt, ſi de exilio agitur; alia ſi de morte, alia ſi de bonorum iactura, cæteriſque fortunæ caſibus acerbis. Hæc autem communia capita ſunt mitigandi doloris.

PVNCTVM PRIMVM.

Innocentia afflicti.

MAgna vis eſt conſcientiæ in vtramque partem, ſiue benefactorum in bonam, ſiue malefactorum in malam. Ergo ſi prudens Orator oſtendat innocentem, neque pœnam ſceleribus debitam ſubire, ſed ob facinus aliquod egregium, dolorem facilè lenierit. Sic Carmenta magna mater Euandri exilium conſolatur. Ouid. 1. Faſt.

Non meriti pœnam pateris; ſed numinis iram,
Eſt aliquid magnis crimen abeſſe malis.
Conſcia mens vt cuiq; ſua eſt, ita concipit intra
Pectora, pro facto ſpemq; metumq; ſuo.

Mortem non eſſe ſupplicium ſi cōtingat in nocenti dicēdum oſtendit Cic atque adeò ne ſuum quidem exilium, quod ipſi propter ſeruatam Remp. & oppreſſam Catilinæ coniurationem eſt irrogatum, ſed Piſonis & Gabinij infamiam eſſe ſupplicium, ſicque ſe conſolatur à conſcientia rectè factorum in Orat contra Piſonem, n.42. *Nullum eſt ſupplicium putandum, quo affici caſu aliquo etiam boni viri, forteſq; poſſunt.*

Idem cum damnato Milone ſolatij ſibi nihil ſuperfuturum eſſe dixiſſet, ſe vel hoc vno conſolatur,

latur, quòd nullam officij, aut ſtudij partem omiſerit, n. 101 *Nunc me vna conſolatio ſuſtentat, quòd tibi nullum à me amoris, nullum ſtudij, nullum pietatis officium defuit.*

II. *Vitæ conditio.*

Humanæ vitæ conditio quæ patiendi neceſſitatem affert inexpugnabilem, magna conſolatio; Ouid. ad Liuiam.

Sed rigidum ius eſt, & ineuitabile mortis,
Stant rata non vlla fila tenenda manu.

In re ſimili Statius Sylu. 2. Epiced. Glauc. melioris,

—— Omnia functa
Aut moritura vides, obeunt noctesq; diesq;
Aſtraq; nec ſolidis prodeſt ſua machina terris,
Nam populos mortale genus, plebisq; caduca
Quis fleat interitus hos bella: hos æquora poſcunt.
His amor exitio, furor his, & ſæua cupido.
Quidquid habet ortus, finem timet, ibimus omnes
Ibimus, immenſis vrnam quatit Æacus vmbris.

III. *Fortunæ inconſtantia.*

Quis huius Deæ volubilis periculum ſæpius facere velit, quæ ſuos muneribus ampliſſimis ornatos, ſtatim ex alto præcipites agit? Sapienter olim Pompeio proponebat Cic. fortunæ leuitatem modò ſuos deprimentis, & ſtatim eoſdem erigentis, vt felicitati ſuæ fræ nos imponeret, illamque facilius regeret. Non enim cuius vis eſt ſecundam benè ferre fortunam, nec patienter adverſam. Pro Mil. n. 70 *Vide quàm ſit varia vita, commutabilisq; ratio, quàm vaga volubilisq; fortuna.*

Quàm arduum eſt, atque difficile in lubrico fortunæ ſtare? oportunè Sen. ep. 39. *Ingentis eſt animi magna contemnere, ac mediocria malle, quàm nimia. Illa enim vtilia ſunt, at hæc eo ipſo, quod ſuperfluunt, nocent. Sic ſegetem nimia ſternit vbertas: rami onere franguntur: ſic ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas.*

IV. *Exempla meliorum.*

Ad caſus æquabiliter ferendos iuuat proponere virorum illuſtrium exempla, qui eadem, imò grauiora multò damna fortiter tolerarunt. Sic mater inuicta filium ſuum conſolatur ſuper exilium apud Ouid. 1. Faſt.

Nec tamen vt, primus mœre mala talia paſſus,
Obruit ingentes iſta procella viros.
Paſſus idem eſt Tyriis qui quondam pulſus ab oris
Cadmus, id Aonia conſtitit exſul humo.
Omne ſolum forti patria eſt, vt piſcibus æquor,
Vt volucri, vacuo quidquic in orbe patet.

Mœroris ac moleſtiæ ſingulare leuamentum aperit, Diu. Chryſoſt. 1. ad Tim. vbi probat omnibus in hac vita communem eſſe triſtitiam: Neminem, ait, inuenies mœroris ac triſtitiæ exortem, etſi alius magis minuſque alius doleat. Non itaque feramus grauiter, neque nos tantummodò triſtia pati arbitremur. Neque enim fas eſt mortalem doloris angoriſque eſſe expertem. Nam quemadmodum fieri non poteſt, vt qui nauigant abſque cura ſint: ita & qui vitam hanc fragilem viuunt, abſque ſollicitudinis angore eſſe nō poſſunt. Siue quiſpiam diues ſit, plurimæ illi mœſtitiæ occaſiones, cauſæque non deſunt: ſiue Rex curis diſtinetur innumeris: neque enim vel illi omnia ex ſententia proueniunt, ſed plurima; quæ minimè velit, perpeti cogitur. At vel illos fortaſſe putas mœroris exortes, qui vitam curis ac negotiis vacuam elegerunt? minus quidem illi, quàm reliqui perturbantur, non tamen penitus vacare poſſunt, ſicuti immortalem eſſe hominem poſſibile non eſt Quantum verò moleſtiarum hi qui ſæculo addicti ſunt, perpeti cogantur, quis explicet? ſoli profectò id nouerunt, qui patiuntur. Quàm multi ſæpè inter illas opes, atque diuitias deliciaſque mori optauerunt.

V. *Meſſis gloriæ.*

Prodeſt ad confirmandum animum dolentis oſtendere quantum ex conſtantia colligi gloriæ, & exiſtimationis poſſit. Proindè iuuat conſtantiam eiusqui eſt in luctu ad exemplum requirere, & addere illum nominis exiſtimationem indè conſequi poſſe, necnon omnes hanc animi moderationem expectare ab eo, qui ſit in faſtigio honorum, ac fortunæ collocatus. Ouidius ad Liuiam.

Impoſuit te alto fortuna, locumque teneri
Iuſſit honoratum: Liuia perfer onus.
Ad te oculis aureſq; trahis: tua facta notamus,
Nec vox miſſa poteſt principis ore tegi:

Alta

Alta mane,ſupraq; tuos exſurge dolores,
I. fragilemq; animum quo potes,vſque tene.
An melius per te virtutum exempla petemus:
Quàm ſi Romana principis edis opus.

Vidit hoc Silius Ital.& expreſſit.

—— —Totum vulgata per orbem
Stăt documenta domus,ſacer ille,& numine nullo
Inferior,tuus ille parens,decora alta parauit
Reſtando aduerſis,nec virtutem exuit vllam.
Ante reluctantes liquit,quàm ſpiritus artus.

VI. Malorum præſenſio.

Triſtitiæ lenimentum eſt optimum,ſi præmediteris animo,hoc & illud eventurum eſſe;ſiquidem in aduerſa clypeus eſt adamantinus, & mali præcogitati mollior ictus venit. Hoc præſcribit Tull.Tuſ.3.nu. 53. multiſque probat animis diuturnam cogitationem callum vetuſtatis obducere. Terentius eandem medicinam ſuggerit in Phor.Act.2.Sic.1.

Pericla,damna , exſilia, peregrè rediens ſemper cogitet,
Aut filij peccatum, aut vxoris mortem,aut morbum filiæ.
Communia eſſe hæc: fieri poſſe. Vt ne quid animo ſit nouum.
Qidquid præter ſpem eueniat , omne id putare eſſe in loco.

Hoc remedium à ſapientibus traditum benè notat.Sen.1.de conſ.ad Helu.cap.5.*Illi me iuſſerunt ſtare aſſiduè,velut in præſidio poſitum,& omnes conatus fortunæ,& omnes impetus proſpicere,multo antequam incurrant. Illis grauis ipſa fortuna eſt, quibus eſt repentina. Facilè eam ſuſtinere poteſt,qui ſemper expectat. Nam & hoſtium aduentus eos preſternit , quos inopinatè occupauit. At qui futuro ſe bello ante bellum parauerunt , compoſitis, & aptati, primum qui tumultuoſiſſimus eſt,ictum facilè excipiunt. Nunquam ego fortunæ credidi,etiamſi videretur pacem agere. Omnia illa quæ in me indulgentiſſimè conferebat pecuniam , honores,gloriam in eo loco poſui,vnde poſſet ea ſine motu meo repetere. Interuallū inter me,& illam magnū habui.Itaq;abſtulit illa,non auulſit. Neminem aduerſa fortuna cōminuit , niſi quem ſecunda decipit.Illi qui munera eius velut ſua,& perpetua amauerunt,qui ſe propter illa ſuſpici voluerunt,iacent,& mœrent,cùm inualidos & pueriles animos,omnis ſolidæ voluptatis ignaros falſis & mobilia delectamenta deſtituunt. At ille qui ſe lætis rebus non inflauit,nec mutatis contraxit , aduerſus vtrumque ſtatum inuictum animum tenet,exploratæ iam firmitatis. Nam in ipſa felicitate , quid contra infelicitatem valeret , expertus eſt.*

VII. Æquabilitas animi.

Docendum fortis eſſe viri,nec aduerſis frangi, nec proſperis inſoleſcere,ſed vbique parem animi conſtantiam retinere. Talis ille,quem deſcribit,& commendat Lucan.lib. 3.

Non gemitus,non fletus erat,ſaluaque verendus
Maieſtate dolor,quanto ſe magne decebat
Romanis præſtare malis non impare vultu
Aſpicis Æmathiam,nec te videre ſuperbum
Proſpera bellorum,nec fractum aduerſa vid būt.
Quamq;fuit læto per tres infida triumphos,
Tam miſero fortuna minor.Iam pondere fati
Depoſito ſecurus abis:nunc tempora læta
Reſpexiſſe vacat:ſpes nūquam implenda receſſit,
Quid fueris nunc ſcire licet.

Ab hac excelſæ mentis conſtantia nec deijci,nec extolli poſſe virum ſapientem ex fortunæ ludentis inconſtantia docet:Iuuen.Sat.13.

—— Nec rara videmus
Quæ pateris,caſus multis hic cognitus,ac iam
Tritus,& è medio fortunæ ductus aceruo.
Ponamus nimios gemitus.Flagrantior æquo
Non debet dolor eſſe viri,nec vulnere maior
Victrix fortunæ ſapientia. Dicimus autem
Hos quoque felices,qui ferre incommoda vitæ
Nec iactare iugum vita didicere magiſtra.

VIII. Inutilis lacryma.

Dolorem ac triſtitiam imminues,ſi perſuaſeris inutiles eſſe lacrymas,nec eſſe tales, quæ poſſint demortuum reuocare ab inferis.Ita præſtanti vir ingenio,& Poëta malo ſuo doctus,alios monet, vt ſapere diſcant.

Supprime iam lacrymas:non eſt remeabilis iſtic
Quem ſemel vmbriſera nauita lintre tulit.
Hectora tot fratres,tot defleuēre ſorores,
Et pater,& coniux,Aſtyanaxq; puer:
Et longæua parēs tamen ille redemptus ad ignes
Nullaq; per ſtygias vmbra renauit aquas.

Triſti

Triſtitiæ remedium afferes, aut ſaltem vtilem illam facies, ſi docueris, cũ Chryſoſt. inutile prorſus eſſe tormentum, niſi quod ad eluendas peccari ſordes adhibueris, homil. 5. ad pop. Videamus quid ex triſtitia fiat vtilitatis. Mulctatus eſt quiſpiam pecuniis. Triſtatus eſt, mulctam non emendauit: filium amiſit; doluit, mortuum non reſuſcitauit, nec defuncto profuit. Flagellatus eſt quis, alapis cæſus, contumeliis affectus; doluit non reuocauit contumeliam. Valetudinem quis incidit, & ægritudinẽ grauiſſimam; doluit, ægritudinem non ſuſtulit, ſed & difficiliorem reddidit, Vides horum nihl prodeſſe triſtitiam; Peccauit quis, triſtatus eſt; peccatum deleuit, diſſoluit delictum triſtitia. Certum quod propter hanc ſolam cauſam facta eſt. Ne amplius igitur pecuniarum iacturam doleamus, ſed cùm peccamus tantùm, doleamus. Multa enim hîc ex triſtitia vtilitas.

Rectam hanc legitimamque triſtitiam commendat Paulinus in Poëſi ſacra. Nat. 1.

Da mihi nunc lugere Deus, fletuque ſalubri
Præſerere æternæ ſemina lætitiæ
Hoc precor hoc potius maneat mihi luctus in æuo,
In quo quidquid adeſt perbreue tranſit iter.
Ire procul læti flemũm conſortia malo
Vt breuibus lacrymis gaudia longa metam.

IX. *Auocatio à cogitando moleſtia.*

Vt pellatur triſtitia debet auocari animus à cogitatione rerum, quæ mœrorem excitant. Rectè S. Baſil. hom: 4. de grat. actione. Futurorum ſpe bona ſubnixus, quæ inſtant, vrgentque calamitates placidiore animo ferre poteris. Sicut enim qui minus acri ſunt oculorum acie, eos auocant ab intuitu rerum ſplendidarum, defigunt verò in flores, & quæcumque viridantiâ, vt refocillentur; haud ſecus anima obtutum auertere debet à rebus moleſtis, & mœroris plenis? obuertere verò ad eorũ contemplationes, quæ bona & iucunda ſunt.

X. *Conformatio humanæ voluntatis cum diuina.*

Perfectam cum Dei voluntate conſenſionem magnum miſeriarum leuamentum, ac triſtitiæ remediũ eſſe docet Senec. epiſt. 107. *Optimum eſt pati, quod emendare non poſſis, & Deũ, quo auctore cuncta proueniũt, ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui imperatorẽ gemens ſequitur. Quare impigri atq; alacres excipiamus imperia: nec deſeramus hunc operis pulcherrimi curſũ cui quidquid patimur, intexũ eſt. Hic magnus animus eſt, qui ſe Deo tradidit, ac contra ille puſillus ac degener, qui obluctatur, & de ordine mundi malè exiſtimat, & emendare mauult Deos, quàm ſe.*

Grauiſſimè ſapiens Epictetus permittere ſe diuinæ voluntati non ſolum eſſe malorum præſẽs remedium, ſed & longam meritorum ſegetem ac meſſem ampliſſimam pluribus demonſtrat, vanamque ſalutem hominis aut nullam potius, niſi perfectam cum Dei voluntate conſenſionẽ habere ſtuduerit lib. 3. c. 26. *Quid reſtat ſecurũ comitatum, fidelem, firmũ, non inſidioſum, reperirene poteris nullũ? Ille quidem noſter perpendet ſecum, atque intelligendũ quod Deo ſi ſeſe adiunxeris, tutò ſit tranſiturus. Quid verò quod appellas ſeſe Deo adiungere, vt quod ipſe volet, ipſe quoque velit, & quod nolit, ab eodem etiam ipſe abhorreat.*

Deinde iraſci Deum in minus docilem ait. *Ignauiſſime homo; aliúdne expetis, quàm id quod melius eſt? num aliud quidpiam melius, quàm id quod Deo viſum fuerit?*

Tùm ſcipſum alioſque monet ex diuinæ voluntatis arbitrio ſemper, & vbique viuendum, ſiue leniter, & blandè nobiſcum agat, ſiue ad virtutis exercitationem, & præmium aſpera, duraque nobis euenire permittat. *Quam ob cauſam ego pugnarem cum Deo? certè non dico me fore ſtultum, qui robuſtiori me opponam, ſed potius iniuſtum. A quo enim accipiens hæc, veni huc? pater meus ſcilicet iſta mihi reliquit. Sed huic quis dedit? ſolem quis fecit? quis fructus procreauit? vices tẽpeſtatũ quis inſtituit? quis naturali cõtagione, atq; coherẽtia cõnexuit atque deuinxit vniuerſa? deinde cum omnia ab alio acceperis, & temeipſum quoque indigne fers atque iraſceris danti ſi quid tibi ademerit. Quis verò es tu, aut vnde veniſti, aut quare*

venne

nonne is te introduxit in mundum? nonne is, vt lumen inſpiceres, illud conceſſit? nonne dedit adminicula, & adiutores? nonne ſenſus, nonne rationem eſt largitus? at quiſnā vteſſes te introduxit? nonne vt mortalē?

Tandē concludit, & optat ſēper eandem virtutem, vt ſub vitæ fugiētis tempus perpetuum tàm perfectæ conſenſionis vſum ſibi tutò poſſit gloriari; Nam vbi dixit, *ei quod accidit ſemper acquieſco, melius enim eſt quod Deus vult, quàm quod ego volo; adſum ei ſeruus, & miniſter, adeòque pediſſequus: ad eadem contendo, nec alia expeto, idemque quod ipſe, volo quoque & ſetio*, hæc loquitur lib 3. cap. 5. *Nū tua præcepta prætergreſſus ſum? num appetitionibus, quas à te habeo, ad alia obtinenda ſum vſus? num ſenſibus aliter? num anticipatis notionibus? aliquandòne accuſaui te, aut reprehendi tuam diſpenſationem? ægrotans quando ita tibi viſum Sed & alij: at ego patienter. Inops factus ſum cum ita velles tu: ſed gaudebam. Non præfui gubernando, aut geſſi magiſtratum, quia noluiſti. Ideo ne expetiui quidem, nec vidiſti hanc ob cauſam me triſtiorem. An occurri tibi aliquando pariū læto vultu? ſemper paratus, ſi quid ſignifices Nunc ex cōuētu illo ſi vis me decedere? decedam. Gratias verò ago tibi quod, me tuum conuentū celebrare permiſeris, atque inſpicere opera tua, ac voluntati tuæ in omnibus obedientem feceris. O vtinam hæc cogitantem, hæc ſcribentem, hæc legentem, mors opprimat!*

XI. Status felicioris vitæ.

Iam ſi de mortuis agatur, lenitur dolor, à ſtatu vitæ melioris, & rerū ab illo præclarè geſtarum commendatione. Sic Tull. milites Rom. qui pro Rep. interierūt, cohoneſtat, illorūque parētes cōſolatur. 14. Phil. nu. 32. *Vos qui extremū ſpiritū effudiſtis, piorū eſtis ſedē locū cōſequuti. Breuis autē vobis vita data eſt; at memoria benè reddita vita ſēpiterna; Quæ ſi nō eſſet lōgior quā hæc vita quis eſſet tā amēs qui maximis laboribus & periculis, ad ſummam laudem gloriamque contenderet? actum igitur præclarè vobiſcum fortiſſimi, dum vixiſtis, nunc verò etiam ſanctiſſimi milites, quod veſtra virtus nec obliuione eorum qui nunc ſunt, nec reticentiā poſterorum inſepulta eſſe poterit, cùm vobis immortale monumētū ſuis penè manibus Senatus populusque Rom. extruxerit. Vos ab vrbe furētē Antonium auertiſtis: vos redire molientem repuliſtis: Erit igitur extructa moles opere magnifico, inciſaque litteræ, diuinæ virtutis teſtes ſempiternæ, numquamque de vobis eorum, qui aut videbunt veſtrum monumentum, aut, gratiſſimus ſermo conticeſcet: Ita pro mortali conditione, vita immortalitatem conſequuti.*

Idem omnino commendat Stat. Sylu. 3. in Epiced. Glauc. melioris.

I decus Auſoniæ, quò fas eſt ire ſuperbas
Virtute, & factis animas, tibi gloria letho
Iam parta inſigni, noſtros fortuna labores
Verſat adhuc, caſusque iubet neſcire futuros.

XII. Triſtitiæ ſolatium ex ſtudiis.

Dolorem & triſtitiam vtcumque ſtudia litterarum leuare, quia delectant, & alio ſēſum auertunt, docet Ouidius quod & expertum ſe fuiſſe teſtatur 4. Triſt. el 1.

Fertur & abducta Briſeide triſtis Achilles
Hæmoniâ curas attenuaſſe Lyrâ.
Cùm traheret ſiluas Orpheus & dura canendo
Saxa bis amiſſa coniuge mœſtus erat.
Me quoque Muſa leuat Ponti loca iuſſa petentem
Sola comes noſtræ perſtitit illa fugæ.
Forſitan hoc ſtudium poſſet furor eſſe videri,
Sed quiddam furor hic vtilitatis habet.
Semper in obtutu mentem vetat eſſe malorum
Præſentis caſus immemoremque facit.
Vtque ſuum Bacche non ſentit ſaucia vulnus,
Dum ſtupet Idæis exululata iugis.
Sic vbi mota calent ſacro mea pectora Thyrſo,
Altior humano eſt ſpiritus ille malo:
Ille nec exilium Scythici nec littora Ponti,
Ille nec iratos ſentit habere Deos.
Vtque ſoporiferæ biberem ſi pocula Lethes,
Temporis aduerſi ſic mihi ſenſus abeſt.

Quod & repetit 5. Triſt. el. 1.

Tot mala pertulimus quorum medicina quieſque
Nulla niſi in ſtudio Pieridumque mora.

XIII. Triſtitiæ ſalatium ex fletu.

Triſtitiæ ſeueritatem lacrimis & fletu mitigari relaxarique pronuntiat Ouidius proindè non conſtringendum dolorem ne ſecretius incrementum capiat. 4. Triſt. elege. 3.

Digitized by Google

Triſtis, indignor, quod ſim tibi cauſa doloris
Non es vt, amiſſo coniuge, digna fores
Tu verò tua damna dole ...iſſima coniux
Tempus & à noſtris exige triſte malis.
Fleque meos caſus, Eſt quædam flere voluptas
Expletur lacrymis, egeriturque dolor.

Eandem dolori triſtitiæque medicinam facit Statius 1. Silua. 1.

Quod tibi præcepi, Melior, ſolamen alumni
Improbus ante rogos, & adhuc viuente fauilla
Ordiar? abruptis etiamnum flebile venis
Vulnus hiat, magnaque patet via lubrica plagas
Cùm iam egomet cantus, & verba medentia ſæuus
Confero Tu planctus lamentaque fortia manis
Odiſtique Chelin ſurdaque auerteris aure.
Nemo vetat. Satiare malis, ægrumque dolorem
Libertate doma. Iam flendi expleta voluptas
Iamque preces feſſus non dedignaris amicas.

Quod autem acerbior fiat dum premitur triſtitia, patet ex eodem Ouidio. Triſt.

Exigis vt nulli gemitus tormenta ſequantur,
Acceptóque graui vulnere flere vetas.
Ipſe Perillao Phalaris permiſit in ære
Edere mugitus & bouis ore queri.
Cùm Priami lacrymis offenſus non ſit Achilles,
Tu fletus inhibes durior hoſte meos;
Cùm faceret Nioben orbem Latonia proles,
Non tamen & ſiccas iuſſit habere genas.
Eſt aliquid fatale malum per verba leuare
Hoc querulam Prognem Halcyonemque facit.

XIV. Triſtitiæ ſolatium ex ſociis doloris

Hinc Seneca Tragicus in Troade Act. 4. Choro, affirmat vix vllum ſe miſerum & infelicem credere, qui miſeriarum & doloris ſocios plures habuerit.

Dulce mœrenti populus dolentûm
Dulce lamentis reſonare gentes.
Lenius luctus, lacrymæque mordent
Turbaquas fletu ſimili frequentat
Semper. ah ſemper, dolor ipſe magnis
Gaudet in multos ſua fata mitti
Seque non ſolum patuiſſe pœna
Ferrequam ſortem patiuntur omnes
Nemo recuſat.

Tale ſolatium triſtitiæ quærit ex malo vulgati Iuuenalis Satira 13.

Quid ſentire putas omnes Caluine recenti
De ſcelere, & fidei violatæ crimine? ſed nec
Tam tenuis cenſus tibi contigit vt mediocris
Iacturæ te mergat onus; nec rara videmus
Quæ pateris, caſus multis hic cognitus ac iam
Tritus & è medio fortunæ ductus aceruo
Ponamus nimio, gemitus; flagrantior æquo
Non debet dolor eſſe viri, nec vulnere maior.

LECTIO XVI.

Qui ſint effectus Triſtitiæ.

EST talis, vt à nullo affectu plus homini detur moleſtiæ. Nam cùm omnis perturbatio miſera eſt, tùm carnificina quædam eſt ægritudo. Habet ardorem libido; leuitatem lætitia geſtiens, humilitatem metus, inſaniam Amor, furorem Odium; ſed ægritudo maiora quædam. Tabem; cruciatum, afflictionem, fœditatem: lacerat, exeſt animum, planèque conficit; Nec animo tantùm alacritatem adimit, eumque miſerandum in modum lacerat; ſed etiam illi faſtidium, imò rerum omnium, vel ipſiuſmet hominis odium immittit Talem diſcribit Octauiam Marcelli matrem Seneca, c. 2. Conſol. ad Marciam *Nullum finē. per omne vitæ ſuæ tēpus flēdi, gemēdique fecit: nec vllas admiſit voces ſalutare aliquid afferentes. Ne auocari quidē ſe paſſa eſt, intēta in vnā rē, & toto animo affixa. Talis per omnē vitā fuit, qualis in funere. Nō dico nō auſa cōſurgere, ſed alleuari recusāt, ſecūdā orbitatē indicās lacrymas omittere. Nullam haberi imaginem filij cariſſimi voluit, nullam ſibi fieri de illo mentionem. Oderat omnes matres, & in Luciam maximè furebat, quia videbatur ad illius filium tranſiiſſe ſibi promiſſa felicitas. Tenebris & ſolitudini familiariſſima, nec ad fratrem quidem reſpiciens. Carmina celebrandæ Marcelli memoriæ compoſita, alioſque ſtudiorum honores, reiecit, & aures ſuas aduerſus omne ſolatium clauſit A ſolemnibus officiis ſeducta, & ipſam magnitudinis fraternæ minus circumlucentem fortunam exoſa, defodit ſe, & abdidit. Aſſidentibus liberis, nepotibus, lugubrem veſtem non depoſuit, non ſine contumelia*

omnium

Digitized by Google

omnium ſuorum, quibus ſaluis orba videoatur. Sed ad præcipua quædam effecta deſcendendum.

PVNCTVM V.

Dolor flebilis.

DElectatur lacrymis qui dolet,nam eſt quædam flere voluptas,ait Ouid.Triſt.4.El.34. Cauſa eſt,quod animus dolentis exoneretur.

Expletur lacrimis egeriturque dolor.
Atque vtinam lugenda tibi non vita, ſed eſſet
Mors mea: morte fores ſola relicta mea.
Spiritus hic per te patrias exiſſet in auras,
Sparſiſſent lacrymæ corpora noſtra piæ.
Supremóque die notum ſpectantia cœlum
Texiſſent digiti lumina noſtra tui.

Lacymarum multa mentio in morte Pallantis apud Virg. 11. Vbi deſcribuntur in funere Principum ſeruari ſolita.

Ducitur infelix æuo confectus, Acœtes,
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc vnguibus ora:
Sternitur,& toto proiectus corpore terra.
Ducunt,& rutulo perfuſos ſanguine currus
Poſt bellator equus,poſitis inſignibus,Æthon.
It lacrimans,guttiſque humectat grandibus ora.

II *Dolor ſqualidus.*

Nullis omninò delectatur,qui dolet,niſi triſti rerum imagine;ſqualore corporis,veſte ſordida, neglecto capillo. Sic. Lucan.l.2. Pharſ.nobiles fœminas excidium vrbis lamentantes facit.

— — Cultus matronæ priores
Depoſuit,mœſtæque tenent delubra cateruæ:
Hæ lacrymis ſparſere Deos hæ pectora diro
Afflixere ſolo,laceraſque in limine ſacro
Attonitæ fudere comas,votiſque vocari
Aſſuetas crebris feriunt vlulatibus auras.

III. *Languidus dolor.*

Genarum laceratione,& capillorum, percuſſione pectoris, & femoris,contractione frontis, deiectione luminum, ſolutione membrorum, ac potiſſimũ brachiorum, languet enim corpus præ dolore. Hæc eſt illa mœroris facies apud Ouid. Metam 11. Fab.10.Alcyon.

Percutit,ora manu,laniatque à pectore veſtes
Pectoraque ipſa ferit,nec crines ſoluere curat:
Scindit,& altrici quæ luctus cauſa roganti
Nulla eſt Alcyone, nulla eſt ait: occidit vnà
Cum Ceyce ſuo: ſolantia tollite verba
Naufragus interiit.

Eandem Triſtitiam in Niobe figurat amiſſis liberis 6. Metam.

——— ——— ———Orba reſedit
Exanimes inter natos,nataſque virumque
Diriguitque malis;nullos mouet aura capillos:
In vultu color eſt ſine ſanguine, lumina mœſtis
Stant immota genis,nihil eſt in imagine viuum.

II. *Dolor ſolidarius.*

Qui dolet, odit lucem, & conſpectum hominum in ſolitudinem,& ſyluas ſe abdit,vt facilius lacrymis indulgeat.Talis apud Virg.Egl. 2.

Tantum inter denſas vmbroſa cacumina fagos
Aſſiduè veniebat; ibi hæc incondita ſolus
Montibus,& ſyluis ſtudio iactabat inani.

Acerbior etiam fit in ipſa ſolitudine dolor, nec vllam admittit vel conſolationem, vel cuiuſuis familiaritatem.Lucanus l.9.

Sic vbi fata caput ferali obducit amictu
Decreuitque pati tenebras,puppiſque cauernis
Delituit,ſæuumque arctè complexa dolorem
Perfruitur lacrymis,& amat pro coniuge luctum,
Non illam fluctus,ſtridenſque rudentibus Eurus
Mouit,& exurgens ad ſumma pericula clamor,
Votaque ſollicitis faciens contraria nautis
Compoſita in mortem iacuit,fauitque procellis.

Aliàs cum ipſa ſolitudine loqui delectat.Propert. l.3.El.18.

Hæc certè deſerta loca,& taciturna querenti,
Et vacuum Zephyri poſſidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre impune dolores,
Si modò ſaxa queant ſola tenere fidem.
Et quodcumque mea poſſunt narrare querela,
Cogor ad argutas dicere ſolus aues.
Sed qualiſcumque eſt reſonent tibi Cynthia ſyluæ,
Nec deſerta tuo nomine ſaxa vacent.

Digitized by Google

Sic omnia latè complet eiulatu ſuo mœſta Ceres apud Ouid.4 Faſtor.

Quacumque ingreditur miſeris latè loca querelis
Implet:vt amiſſum cum gemit Ales Ityn,
Perque vices modò Perſephone,modò filia clamat,
Clamat & alternis nomen vtrumque ciet.
Sed neque Perſephone Cererem, nec filia matrem
Audit,& alternis nomen vtrumque perit.

Libenter tamen in amici ſinum cum lacrymis dolorem exonerat. Vt enim flumen deductum, ac diuiſum in riuos minuitur;ſic communicatus dolor. Quærit Ariadna ſpectatores, in quorum auribus & ſinu luctus ſuos, & mœroris cauſas deponat.

Sed quid ego ignaris nequicquam conqueror auris
Externata malo,quæ nullis ſenſibus auræ,
Nec miſſas audire queunt,nec reddere voces.

V. Dolor mutus.

Dolor aliquando ſtuporem, & ſilentium parit, exhauritque lacrymas, & lapideos quodammodo homines efficit. Hinc conceptum dolorem ſuum vix explicat triſtis Hecuba. 13. Meta.

—— —— Iacet Ilion ingens
Euentuſque graui finita eſt publica clades,
Sed finita tamen, ſoli mihi Pergama reſtant
Incurſuſque meus dolor eſt.

Itâ ſtat in dolore magno mœſtus Senex apud tium 11.Thebaidos.

Nec vox vlla ſeni,iacet:immugitque cruentis
Vulneribus,nec verba diu tentata ſequuntur.

Non affectu diſſimuli vocem à dolore deuorari notat Ouid.13.Met.Fab.2.

—— —— Obmutuit illa dolore
Et pariter vocem lacrymaſque introrſut obortas
Deuorat ipſe dolor,duroque ſimillima ſaxo
Torpet,& aduerſa figit modò lumina terræ.

Huc pertinet Caſſandræ querela vix erumpens præ doloris magnitudine. Choro Act. 3. Agam. Scen. Trag.

Non eſt lacrimis Baſſandra modus.
Quia quæ patimur vicere modum

Hypſipyle ſic in morte Archemori tacens loquitur apud Statium Theb. 5.

—— Huc magno curſum rapit efferaluctu
Agnoſcitque nefas,terraque illiſa nocenti
Fulminis in morem,non verba in funere primo
Non lacrymas habet:ingeminat miſera oſcula tantum.

VI. Dolor ſtupidus.

Supprimit ingenium dolor, vt limus fontem, quod expertum ſe fatetur Ouid. 4. de Ponto El. 2.

Nec tamen ingenium nobis reſpondet vt ante,
Sed ſiccum ſterili vomere littus aro.
Scilicet vt limus vrnas excæcat in vndis,
Læſaque ſuppreſſo fonte reſiſtit aqua?
Pectora ſic mea ſunt limo vitiata malorum,
Et carmen vena pauperiore fluit.

Eſt illud turpiter amantis votum in Tibullo l.2. El.2. Vt ſenſus expers eſſe poſſit;ne ſentiat doloris morſus & aculeos.

O ego ne poſſim tales ſentire dolores!
Quàm mallem in gelidis montibus eſſe lapis.
Stare vel inſanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam faſti tunderet vnda maris,
Nunc & amara dies,& noctis amarior vmbra eſt.
Omnia nam triſti tempora felle madent.
Nec proſunt Elegi,nec carminis auctor Apollo,
Illa cauſa pecum flagitat vſque manu.

Tandem in ſtuporem plerumque deſinit luctus Id notat Ouid. 3. Met. cùm Phaëtontis ſorores ſtupore defixas in arbores mutatas ait. Et 1. de Ponto El.2.

Fine carent lacrymæ niſi cùm ſtupor obſtitit illis,
Et ſimilis morti pectora torpor habet.
Felicem Niobem,quamuis tot funera vidit.
Quæ poſuit ſenſum ſaxea facta malis.
Vos quoque felices quarum clementia fratrem
Cortice velauit populus ora nouo.
Ille ego ſum lignum qui non admittor in vllum,
Ille ego ſum fruſtrà qui lapis eſſe velim.

VII. Dolor querulus.

Sæpius loquitur dolor,quam taceat, quidquid dicat Seneca Trag.

Curæ leues loquuntur,ingentes ſtupent.

Querelas afflictæ matris Euriali tàm perfectè deſcribit, vt inſtar omnium eſſe poſſit. Virgil. 9.Æn.primo erumpit in luctus grauiores ab diro ſpecta-

ſpectaculo, quod habet præ oculis, tùm ſolitudinem ſuam deplorat, deindè nati infelicem obitum.

Hunc ego Euryale aſpicio? tune illa Senectæ
Sera meæ requies? potuiſti linquere ſolam
Crudelis? nec te ſub tanta pericula miſſum
Affari extremum miſeræ data copia matri?
Heu! terra ignota canibus data præda Latinis,
Alitibuſque jaces. Nec te tua funera mater
Produxi, preſſiue oculos, aut vulnera laui,
Veſte tegens, tibi quam noctes feſtina dieſque
Vrgebam; & telâ curas ſolabar aniles.
Quò ſequar? aut quæ nunc artus, auulsáque mēbra,
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te
Nate refers, hoc ſum terraque, mariqueſequuta?

Talis eſt querela Solymi, qui vulnerato patre ſic apud Silium Ital. dolore angitur l. 9.

Siccine te nobis genitor fortuna reducit
In patriam? ſic te nato, natumque parenti
Impia reſtituit? felix ô terque quaterque
Frater, cui fatis genitorem agnoſcere ad emptum!

Qui dolet queritur vix numerum iniri poſſe moleſtiarum, quibus penè opprimitur, nec videre potum; auram, ad quam ſecurè confugiat, Triſt. 5. El. 2. exul. Ouidius.

Littora quot conchas, quot amœna roſaria flores,
Quòque ſoporiferum grana papauer habet
Sylua feras quot alit, quot piſcibus vnda natatur,
Quot tenerum pennis aera pulſat auis.
Tot premor aduerſis, quæ ſi comprendere coner,
Icariæ numerum dicere coner aquæ.
Quò fer? vndè petam lapſis ſolatia rebus?
Anchora iam noſtram non tenet vlla ratem.

Vt dolori faciat ſatis, ſuæ triſtitiæ auctores, accuſat; reſque ſenſu carentes, inſtrumenta majoris luctus eſſe conqueritur. Ariadne Theſeo.

Vos quoque crudeles venti, nimiumque parati,
Flaminaque in lacrymas officioſa meas.
Dextera crudelis, quæ me fratrémque necauit,
Et data poſcenti nomen inane fides.
In me iurarant ſomnus, ventuſque fideſque
Prodita ſum cauſis vna puella tribus.
Ergo nec lacrymas matris moritura videbo,
Nec mea qui digitis lumina condat, erit;
Spiritus infelix peregrinas ibit in auras,
Nec poſitos artus vnget amica manus?

Identidem repetit amantis nomen, cum multo ſenſu doloris, vulneráque lacrymis lauat, & manibus piè contrectat. De Pyrami ac Thyſbes obitu Metam. 4. Fab. 1. Ouid.

Et laniata comas, amplexáque corpus amantis
Vulnera ſuppleuit lacrymis, fletumque cruori
Miſcuit, & gelidis in vultibus oſcula figens.
Pyrame, clamauit, quis te mihi caſus ademit?
Pyrame reſponde: tua te cariſſima Thyſbe
Nominat, exaudi, vultuſquè attolle jacentet.

VIII. Dolor inopinatus.

Qui dolet calamitatem ſuam, vt inopinatam deplorat. Talis ea conqueſtio afflictæ matris filij mortem immaturam deflentis 6. Theb.

Non hoc argolidum cœtu circumdata matrum
Speraui te nate ſequi, nec talia demens
Fingebam votis annorum elementa tuorum,
Nil ſæuum reputans: etenim hic in finibus æui,
Vndè ego bella tibi, Thebaſque ignara timerem?
Cui ſuprema noſtro committere ſanguine pugnas
Dulce? quis hoc armis voluit ſcelus.

Ex hoc qui dolet magno cùm ſenſu doloris ſe negligentiæ ſæpius accuſat, & imprudentiæ aduerſus rem, quam ſua ſe culpâ perdidiſſe credit. Sic Poëta ſolers & venuſtus Cererem mœſtam inducit. Clau. 3. raptus.

——— Ego te fateor crudelis ademi.
Quæ te deſerui ſolam: quæ inſtantibus vltrò
Hoſtibus expoſui, rauciſ ſecura fruebar
Nymirum Thyacis, & læta ſonantibus armis
Iungebam Prygios, cum tur aperére leones.
Accipe quas merui pœnas, en ora fatiſcunt
Vulneribus, grandeſque rubent in pectore ſulci:
Immemor en vterus crebro contunditur ictu.
Quâ te parte poli, quo te ſub cardine quæram?
Quis monſtrator erit? quæ me veſtigia ducent?

XI. Dolor diuturnus.

Creſcit temporis diuturnitate ingens dolor minuitur leuis. Ouid. ad vxorem 5. Triſt. El. 2.

Pone metum valet, corpuſque quod ante laborum
Impatiens nobis inualidumque fuit,
Sufficit, atque ipſo vexatum induruit vſu;
An magis infirmo non vacat eſſe mihi

Digitized by Google

Mens tamẽ ægra iacet, nec tempore robora ſumpſit,
Affectuſque animi qui fuit antè, manet.
Quæ mora ſpatioque ſuo coitura putaui
Vulnera, non aliter quàm modo facta dolent.
Scilicet exiguis prodeſt annoſa vetuſtas,
Grandibus accedunt tempore damna malis.

Sic de ponto 1. malum triſtitiæ animi crudele tormentum ait, ac perpetuum quendam carnificem.

Eſtur vt occultâ vitiata putredine nauis.
Æquoreos ſcopulos vt cauat vnda ſalis.
Roditur vt ſcabrâ poſitum rubigine ferrum
Conditus vt tinea carpitur ore liber.
Sic mea perpetuos curarum pectora morſus,
Fine quibus nullo conficiantur habent.
Nec prius hi mentem ſtimuli, quàm vita, relinquent:
Quique dolet citius quàm dolor ipſe, cadet.

X. Dolor mollis.

Emollit vires animi, & meticuloſos homines efficit, imò & in mollibus animis facilius enaſcitur; quemadmodum vermes teneris in lignis; nam ex frequenti luctu contrahitur mollities quædam animi tenerioris, qui omni mallorum, vel leuiſſimorum pulſu facilè vulneratur Vndè tritum illud adagium, libenter dolorem habitare, vbi alitur, & paſcitur. Vt emollitus & fractus eſt Ouidius qui à conſpectu ſuorum auulſus fortem duriorem lamentatur, quam non ſperat niſi morte finiendam l: 3. Triſt El. 2.

Nil niſi flere libet, nec noſtro parcior imber
Lumine, quam vernâ de niue manat aqua
Hei mihi quòd toties noſtri pulſata ſepulchri
Ianua, ſed nullo tempore aperta fuit.
Cur ego tot gladios fugi, totieſque minata,
Obruit infelix nulla procella caput?
Dij, quos experior nimium conſtanter iniquos,
Participes iræ quam Deus vnus habet
Exſtimulate precor ceſſantia fata, meique
Interitus clauſas eſſe vetate fores.

XI. Dolor priſtinæ felicitatis memor.

Quoties præſentem calamitatem cum ſuperiore ſatis felici fortuna componit toties erumpit querelas: ceres apud Claud. 3. Proſerpinæ ſuæ raptum luget.

Quàm nuper ſublimis eram, quantiſque procorum
Cingebar ſtudiis! quæ non mihi pignus ob vnum
Cedebat numeroſa parens! tu prima voluptas,
Tu poſtrema mihi, per te fœcunda videbar.
O decus ô requies, ô grata ſuperbia matris!
Quâ geſſi florente Deam; quâ ſoſpite nuſquam
Inferior Iunone fui: nunc ſqualida, vilis.

Scitè Statius Theb. 3. Characterem hunc expreſſit in perſona Idæ matris, vtrumque filium miſerabiliter appellantis.

Hoſne ego complexus genitrix, hæc oſcula nati
Veſtra tueor? ſic vos extremo in fine ligauit
Ingenium crudele necis? quæ vulnera tractem,
Quæ prius ora premam? voſne illa potentia matris,
Vos veri fortuna mei? quâ tangere Diuos
Rebar, & Ogygias titulis anteire parentes.
Queis ſteriles thalamos, nulloque vlulata dolore
Reſpexit Lucina domum. Mihi quippe malorum
Cauſa dolor.

XII. Dolor præſagus.

Plerumque profitetur animum ſibi præſagum fuiſſe calamitatis, pingit hanc effigiem audax Stat. 5. Theb.

Noſco Deos, ô dura mei præſagia ſomni.
Nocturnique metus, nunquam impunè per vmbras.
Attonita mihi viſa Venus quos arguo Diuos?
Ipſa ego te (quid enim timeam moritura fateri,)
Expoſui fatis. Quæ mentem inſania traxit.

Eam ob rem qui dolet læta omnia ſpernit, velletque in ſocietatem luctus ſui non modò homines ſed etiam ſyluas trahere, & brutas animantes. Chor. 4. Sæn. Furen. Her.

Lugeat æther magnuſque parens.
Ætheris alti, telluſque ferax.
Et vaga ponti mobilis vnda,
Tuque ante omnes, qui per terras
Tractuſque maris fundis radios,
Noctemque fugas ore decoro
Feruide Titan obitus pariter
Tecum Alcides vidit, & ortus.

De ſe fatetur idem exul in Ponto l. 3. El. 4.

Vix bona

Vix bona poſt tantò quærenti verba ſubibant,
Et gaudere aliquid res mihi viſa noua eſt.
Utque reformidant inſuetum lumina ſolem;
Sic ad lætitiam mens mea ſegnis erat.

XIII. Dolor iratus.

Iinvehitur acerbius in eos qui ſunt cauſa ſui mœroris ac luctus. Vehemens Niobe in Latonem Metam.6.Fab.1

Paſcere crudelis noſtro Latona dolore
Paſcere, ait ſatiaque meo tua pectora luctu:
Corque ferum ſatia dixit, per funera ſeptem
Efferor; exulta victrixque inimica triumpha.

Proindè conſilium omne reſpuit: leuis enim eſt dolor qui capere conſilium poteſt, inquit Seneca.

XIV. Dolor exſpes.

Deſperatio affinis eſt dolori, orta ex impatientia mali vehementioris: vndè fit, vt Superos provocet, quaſi nihil acerbius euenire ſibi poſſe credat. Talis fuit Caſſandra Sen. Actu 3. Agam.

Vicere noſtra iam metus omnes mala.
Equidem nec vlla cœlites placo prece:
Nec ſi velint ſæuire, quo noceant, habent.
Fortuna vires ipſa conſumpſit ſuas.

Crudelitatis Superos accuſat temerarius paſtor in Daphnidis funere apud, Virg. Elg. 5.

Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnim
Flebant; vos Coryli teſtes, & flumina Nymphis
Cùm complexa ſui corpus miſerabile nati
Atque Deos, atque aſtra vocat crudelia Mater.

XV. Dolor vitæ pertæſus.

Ex doloris impetu ſæpè in deſiderium mortis erumpunt, qui triſtitiæ motu perturbantur, mortem aliis immaturam queruntur, ſibi ſeram nimis, quam miſeriarum ſuarum portum tot votis exoptant. Eſt illa grauis querela miſerandæ matris Euriali, ſuper filij demortui lacerum cadauer. 9. Æn.

Figite me ſi qua eſt pietas, in me omnia tela
Conijcite ô Rutuli, me primam abſumite ferro,
Aut tu magne pater Diuûm miſerere, tuoque
Inuiſum hoc detrude caput ſub tartara telo,
Quando aliter nequeo crudelem abrũpere vitã.

DE SPE.

Spes eſt motus animi in bonum abſens, arduum & difficile, ſed tamen quod labore quæri poſſit, vt φάρμακον νόσου omnis morbi remedium, & μέγα ὠφέλημα magna quædam vtilitas; ſic illam Prometheus apud Æſchylum nominat: quam vel votis vltimis omnes extendũt, vt commune bonum. Benè Seneca de breuit. vitæ. cap. vlt. Lex à quinquageſimo anno militem non cogit, à ſexageſimo Senatorem non citat. difficilius homines à ſe otium impetrant, quàm à lege. Interim dùm rapiuntur & rapiũt, dùm alter alterius quietem rumpit, dùm mutuò ſunt miſeri vita eſt ſine fructu, ſine voluptate, ſine vllo profectu animi nemo in conſpicuo mortem habet, nemo non procul ſpes intendit. Ratus magnę indolis ſignum eſſe ſperare ſemper Flor. lib. 4 c. 8.

LECTIO XVII.

Quomodo ſpes excitetur.

CVm ea quæ de amore, déque deſiderio dicta ſunt ſuper us, in ſpem facilè cadãt, ex iis ſatis poteſt intelligi quomodo illos loqui conueniat, qui ſperant: debet enim eorum eſſe oratio læta præfidens, plena contemptu periculorũ atque mortis. Sperauerat Alexander ſe poſſe Darij regna ſuis imperiis adiicere, quæ res ſuit plena periculi, & laboris, ſed tamen induxerat animum ſe hæc diſcrimina poſſe virtute ſua & cõſilio ſuperare; quid non verbis, & exemplo ſuo potuit, ad militum ſuorum animos inflammandos? Scilicet viſa difficultate fortior aſſurgit animus, quod non in mortalibus dumtaxat, ſed & in belluis videre eſt. Nam quò leoni major hoſtis oſtẽditur, majores capit animos, iubaque concuſsâ totum adeò corpus excitat ad furorem.

Digitized by Google

PVNCTVM I.

Boni honeſtas & magnitudo.

PLurimùm confert ad excitandam ſpem boni honeſtatem, magnitudinemque deſcribere; hinc enim fit vt deſiderium naſcatur, & ex deſiderio ſpes, quæ facilè cupiditatem ſequitur. Non alios victoriis ſuis limites, ac terminos daturus Alexander, quàm terrarum orbem, diuturnis laboribus fractos militum animos erigit, & horratur ſpe boni & honeſtatis apud Curtium l. 9. *Veſtras manus intueor, veſtram virtutem, rerum, quas geſturus ſum vadem prædemq; habeo. Quandiu vobiſcum in acie ſtabo, nec meos, nec hoſtiũ exercitus numerauero. Vos modò animos mihi plenos alacritatis, ac fiduciæ adhibete. Non in limine operum laborumq; noſtrorum, ſed in exitu ſtamus. Peruenimus ad Solis ortum, & Oceanum, niſi obſtat, ignauia: indè victores per domito fine terrarum reuertemur in patriam. Nolite (quod pigri agricolæ faciunt) maturos fructus per inertiam amittere è manibus. Maiora ſunt periculis præmia. Diues eadem & imbellis eſt regio. Itaq; non tàm ad gloriam vos duco, quàm ad prædam. Digni eſtis qui opes, quas illud mare littoribus inuehit, referatis in patriam: digni qui nihil inexpertum, nihil metu omiſſum relinquatis. Per vos gloriamque veſtram, quã humanum faſtigium exceditis, perq; & mea in vos, & in me veſtra merita quibus inuicti contendimus, oro, quæſoque, ne humanarum rerum terminos adeuntem alumnum commilitonemque veſtrum, ne dicam Regem, deſeratis.*

PVNCTVM II.

Opes & præſidia.

IN ſpem bonam diffidẽtes rebus ſuis erexeris, ſi te habere probes ea quæ metum, ac terrorẽ aliis faciunt, tuis verò certam victoriam pollicentur, in quo mihi triumphaſſe videtur. Cic. quem video Catilin fractæ multitudini, florentis Reip. præſidia multa magnaque opponere 2. in eundem, n. 24. *Inſtruite nunc Quirites, contra has tàm præclaras Catilinæ copias, veſtra præſidia, veſtroſque exercitus, & primũ gladiatori illi confecto & ſaucio conſules, imperatoreſque veſtros opponite: deindè contra illam naufragorum eiectam, ac debilitatã manum florem totius Italiæ, ac robur educite. Iam verò vrbes coloniarum ac municipiorum reſpondebunt Catilinæ tumulis ſilueſtribus Neque enim verò cæteras copias, ornamenta præſidia veſtra, cum illius latronis inopia atque egeſtate debeo conferre.*

III. Vires corporis.

Spem & fiduciam ſuſtentant vires corporis: ab his Manlius Capitolinus contra Senatum populum armat, & ſpem iniicit facilè ab hoc illum ſuperari poſſe, propter vires ac potentiam, lib. 6. Livi. *Quouſq; tàdem ignorabitis vires veſtras, quas natura belluas quidem voluit ignorare, numerate ſaltem, quod ipſi ſitis, quod aduerſarios habeatis. Si ſinguli ſingulos aggreſſuri eſſetis, tamen acrius crederem vos pro libertate, quàm illos pro dominatione certaturos. Quot enim clientes circa ſingulos fuiſtis patronos, tot nunc aduerſus vnum hoſtes eſtis. Oſtẽdite modò bello pacem habebitis. Videant vos paratos ad vim, ius ipſi remittent. Audendum eſt aliquid vniuerſis, aut omnia ſingulis patienda.*

IV. Induſtria atque prudentia.

Prudens Imperatorum ſolertia, prouidentiaq; certam ſpem facit. Ex hoc in Antonianos Senatum animat auxiliis, & præſidiis commemoratis, ſed præſertim Cõſulum ſagacitate, ac vigiliis. Phil. 3. n. 46. *Sunt impij ciues pro charitate patriæ nimiũ multi, pro multitudine bene-ſentiẽtium admodum pauci quorum opprimendorum Dij Immortales incredibilem Reip. poteſtatem & fortunam dederunt. Ad ea enim præſidia quæ habemus, iam accedunt conſules ſumma prudentia, virtute, concordia, multos menſes de populi Rom. libertate commentati, atque meditati. His auctoribus ac ducibus, Diis iuuantibus nobis vigilantibus, & multum in poſterum prouidentibus pop. Rom. conſentiente, erimus profectò liberi breui tempore, iucundiorem autem facit libertatem ſeruitutis recordatio.* Idem verget 4. in Catil. n. 14. *Sed quæ exaudio diſſimulare non poſſum.*

V. Am

Digitized by Google

V. Amicorum multitudo.

Spem erigunt amici, fœderati, copiæ auxiliares & alia quæ rem noſtram promouent. Hac arte Turnus apud Virg. ſuis animos facit 11. Æn.

Non erit auxilio nobis Ætolus, & Arpis;
At Meſſapus erit, felixq; Tolumnius, & quos
Tot populi miſere duces, nec parua ſequetur
Gloria, delectos Latio, & Laurentibus agris.
Eſt & Volſcorum egregia de gente Camilla
Agmen agens Equitū & florentes ære catervas.

VI. Experientia Ducis alicuius fortis & ſapientis.

Populum Romanum ad ſpem rerum maximarum excitat Cicer. Pompeii ducis virtus multis jam exemplis, monimentiſpue conſignata. Cum ei bello Imperatorem præficere poſſitis, in quo ſit eximia belli ſciētia, ſingularis virtus, clariſſima auctoritas, egregia fortuna: dubitanis quin hoc tantū bonū, quod à Diis Immortal. oblatum eſt in Rem. conſervandam, atque amplificandam conferatis, Item Philipp. 4. num. 14. & deinceps.

In hanc rem Poëta gravis, & copioſus Pompeium ſuos ad bellum animantem inducit ex ſe. Lucan. 8. Pharſ.

Me preſſum leuiore manu fortuna tenebit;
Mille mea Graio voluuntur in æquore puppes,
Mille duces, ſparſit potius Pharſalica noſtras,
Quàm ſubuertit opes. Sed me mea ſola tueri
Fama poteſt rerum toto quas geſſimus orbe,
Et nomen quod mundus amat.

VII. Viæ faciles ad rem conſequendam.

Confert etiam oſtendere, & aperire vias, quibus res ſperata comparari poteſt. Tull. pro lege Man. victorem in honeſto propoſito confirmat, præſentis auxilij pollicitatione, viiſque ad id conſequendum patefactis, n. 69. *Quæ cùm ita ſint C. Manili, primam iſtam tuam & legē, & voluntatem, & ſentētiam laudo, vehementiſſiméque comprobo. Deindè te hortor, vt auctore pop. Rom. maneas in ſententia, néue cuiuſquā vim, aut minas pertimeſcas. Primùm in te ſatis eſſe animi, conſtātiaque eſſe arbitror: deindè cùm tantā multitudinem, cū tanto ſtudio adeſſe videamus, quantā non iterum in eodē homine præficiendo vidimus, quid eſt quod aut de re, aut perficiendi facultate dubitemus? Ego autē quidquid in me eſt ſtudij, cōſilij, laboris, ingenij: quidquid hoc beneficio pop. Rom. atque hac poteſtate Prætoria; quidquid auctoritate, fide, conſtātia poſſum: id omne ad hanc rem conficiendam tibi, & populo Rom. polliceor & defero.*

Talis eſt Iovis ad Venerem matrem Oratio quâ viam aperit ad optata, Virgo.

Parce metu Cytheræa, manent immota tuorum
Fata tibi, cernes urbem & promiſſa.

VIII. Rei facilitas.

Ad ſpem excitandam opinio difficultatum minuenda. Magnus Alexander, milites ſuos adperram arduam licet, atque præcipitem expugnandam horratur, illiſque viam & rationem ad ejus cacumen perueniendi aperit, lib. 6. Curt. *Vobiſcum, ô Iuuenes, & mei æquales vrbium inuictarum ante munimenta ſuperaui montium juga perenni niue obruta emenſus ſimanguſtias Ciliciæ intraui, Indiæ ſine laſſitudine vim frigoris ſum perpeſſus. Etenei documenta vobis dedi, & veſtra habeo. Petra quam videtis vnum aditum habet, quem barbari obſident, cætera negligunt. Nulla vigiliæ ſunt, niſi quæ caſtra noſtra ſpectant. Inuenietis viam, ſi ſolerter rimati fueritis adstus ferentes ad cacumen. Nihil tàm altè natura conſtituit, quò virtus non poſſit eruui. Experiendo quæ cæteri deſperauerunt, Aſiam habemus in poteſtate. Euadite in cacumen: quod cùm ceperitis, candidis velis ſignum mihi dabitis: ego copiis admotis hoſtē in nos à vobis cōuertā. Præmiū erit ei qui primus occupauerit verticem. Certum habeo vos non tàm liberalitatem intueri meā, quàm voluntatē.*

IX. *Aduerſariorum imbecillitas.*

Auget ſpem hoſtium afflicta propéque deplorata conditio, virtutūq; imbecillitas, Cicer 4. in Catil. bona ſpe P C. implet, dum fractas Cati-

 linæ

Digitized by Google

linæ copias perditaſque receuſet num. 17. *Quare ſi quem veſtrum fortè commouet hoc quod auditum eſt, Leonem quendam Lentuli concurſare circum tabernas, pretio ſperantem ſollicitari eſſe animos egentium, atque imperitorum, eſt id quidem cæptum, atque tentatum, ſed nulli ſunt inuenti, tàm aut fortunâ miſeri, aut voluntate perditi, qui non illum ipſum ſellæ, atque operis, & quæſtus quotidiani locum: qui non cubile, ac lectulum ſuum, qui denique non curſum hunc otioſum vitæ ſuæ ſaluum eſſe velint.*

Haud ignobilis iſtius artificii judex ac interpres Liuius apud quem P. Scipio prælium cum Pœnis initurus, exercitum tyronem adhuc, & trepidantem excitat, hoſtiliumque virium extenuatione confirmat, lib. 21. *Ne nunc illi quidem audent; ſed quia neceſſe eſt, pugnaturi ſunt niſi creditis, qui exercitu incolumi pugnam detractauere, eos duabus partibus peditum equitumque in tranſitu Alpium amiſſis, quia plures penè perierunt, quàm ſuperſint, plus ſpei nactos eſſe. Atenim pauci quidem ſunt, ſed ingentes animis corporibuſque, quorum robora, ac vires ſuſtinere vis vlla vix poſſit. Effigies, imo vmbræ hominum, fame frigore, illuuie, ſqualore enecti, contuſi ac debilitati, inter ſaxa rupeſque ad hæc peruſti artus, niue rigentes nerui, membra torrida gelu, quaſſata fractaque arma, claudi ac debiles equi. Cũ hoc equite, cum hoc pedite pugnaturi eſtis: reliquias extremas hoſtium, non hoſtes habebitis. Ac mihi magis vereor, ne antequam vos cum hoſte pugnaueritis, Annibalem Alpes viciſſe videantur.*

Eſt illa concio Galgaci magna virtute ducis ſuos ad pugnam hortantis, & hoſtium vires eleuantis apud Tacitum in vita Agric. *Ne terreat vanus aſpectus, & auri fulgor, atque argenti quod neque tegit, neque vulnerat: in ipſa hoſtium acie inueniemus veſtras manus, Agnoſcent Britanni ſuam cauſam; recordabuntur Galli priorem libertatem: deſerent illos Cæteri Germani, tanquam nuper Vſipii reliquerunt, nec quicquam vltra formidinis, vacua caſtella, ſenum coloniæ inter male parentes, & iniuſtè imperantes, ægra municipia, & diſcordantia.*

X. Experientia.

Spem facit aliorum experientia, ex quibus eruaſeris quod veteranis militibus accidit, & ſtrenuis Imperatoribus, qui ſæpius fortunæ dominauris caſus experti, ſe feliciter ab illis expedire potuerunt. Hinc Æneas ſuorum animos confirmat; & benè ſperare jubet. 1. Æn.

O ſocii (neque enim ignari ſumus ante malorum)
O paſſi grauiora, dabit Deus his quoque finem.
Vos & Scyllæam rabiem, penituſque ſonantes
Acceſtis ſcopulos, vos & Cyclopea ſaxa
Experti. Reuocate animos, mæſtumque timorem
Mittite, forſan & hæc olim meminiſſe juuabit.

XI. Proſperè geſta.

Confidentes, & magnæ ſpei ſolent eſſe, qui ſæpius, & multa proſperè feliciterque geſſerunt: nec vllum vnquam incommodum, aut rarò paſſi fuerunt quia fortunæ mutationem non reformidant. Cic. pro lege Man. Commemorat quàm feliciter in rebus omnibus ſe Pompejus geſſerit, vt Romani confidant, ſi bello eum præfecerint, fore vt eadem illud felicitate, quâ cætera jam ante, conficiat num. 48. *Itaque non ſum producturus quantas ille res domi militiaque, terra marique quantaque felicitate geſſerit, vt eius ſemper voluntatibus, non modò ciues aſſenſerint, ſocii obtemperarint, hoſtes obedierint, ſed etiam venti, tempeſtateſque obſecundarint. Hoc breuiſſimè dicam, neminem vnquam tam impudentem fuiſſe, qui à Diis Immortalibus tot & tantas tacitus auderet optare: quot & quantas Dii Immortal. ad Cn. Pompeium detulerunt, quod vt illi proprium, ac perpetuum ſit, cùm communis ſalutis, atque imperij, tùm ipſius hominis cauſa (ſicut facitis) velle & optare debetis.*

XII. Propoſita præmia.

Commodis magnis ac multis, iiſque vicinis propoſitis ſpes excitatur, hæc militibus ſuis primum proponebant Imperatores vt illis facerent animos, ſpemque acuerent. Annibal præmiis propoſitis ad fortiter pugnandum ſuos accendit in Rom. Laui lib. 21. *Eadem fortuna quæ pugnandi neceſſitatem impoſuit, præmia vobis ea victoribus proponit, quibus ampliora homines à Diis quidem Immort. optare ſolent. Si Siciliam tantum, ac Sardiniam parentibus noſtris ereptas, noſtra virtute recuperaturi eſſemus, ſatis tamen ampla pretia eſſent. Quicquid Romani tot triumphis partum congeſtumque*

que

Digitized by Google

que poſſident, id omne noſtrum, cum ipſis dominis futurum eſt. In hanc tam opimam mercedem. agite, cum Diis beneiuvantibus arma capite.

Multam ſpem Varo concione ſua facit commilitionibus ſuis apud Silium Ital. lib. 9. ſpe prędæ ac ſpoliorum, vbi docuit omnia penè ad victoriam hoſtibus deeſſe.

—— Nuſquam eſt animoſa Saguntus,
Conceſſere Alpes, pater ipſe ſuperbus aquarum
Auſonidum Eridanus captiuo defluit alvo.
Strage virũ merſus Trebia eſt, atque ora ſepulto
Lydia flammivomo premitur lateq; refulgent
Oſſibus, ac multo ſulcantur vomere campi,
Clarior his titulis plus allatura cruoris,
Lux oritur. mihi magna ſatis, ſtat vera ſuperq;
Bellandi merces, ſit gloria, cætera vobis
Vincatur: quidquid diti devexit Ibero,
Quidquid & Æthneis jactavit Roma triũphis,
Ferte domos quod dextra dabit, nil victor honoris
Ex opibus poſco.

XIII. Innocentia vitæ.

Præfidentem animum, & ſpei plenum efficit innocentia; quid enim timeat, aut nõ ſperet, qui neminẽ oſtendit, omnium ſaluti conſuluit: hinc Cæſari non eſſe metuendas à quoquam inſidias docet Cic. qui neminem læſerit pro Marcello n. 22. *Sed quiſnam eſt iſte tàm demens (qui vita tua faciat inſidias) de tuiſne? tametſi qui magis ſunt tui quàm quibus tu ſalutem inſperantibus reddidiſti? an ex eorum numero, qui vna tecum fuerunt? non eſt credibilis tantus in vllo furor, vt, quo duce ſumma omnia ſit adeptus, huius vitam non anteponat ſuæ. At ſi tui nihil cogitant ſceleris, cavendum eſt, ne quid inimici, qui? omnes enim qui fuerunt, aut ſua pertinacia vitam amiſerunt, aut tua miſericordia retinuerunt, vt aut nulli ſuperſint, de inimicis, aut qui ſuperfuerunt, amiciſſimi ſint.*

XIV. Favor diuinus.

Proponendus eſt imprimis divinus fauor, cui innixi homines facilè ad ſpes magnificas aſſurgunt, ex his omnibus ferè capitibus Cic. 2. in Catili ad ſpem victoriæ populum Rom. excitat. n. 19. *Alterum genus eſt eorum qui, honores quos quieta Reſp. deſperant, perturbata conſequi poſſe arbitrãtur. Quibus hoc præcipiendum videtur, vnum ſcilicet, & idem, quòd cæteris omnibus, vt deſperent, ſe id quod conantur, conſequi poſſe, primum omnium meipſum vigilare, adeſſe, providere Reſp. deindè magnos animos eſſe in bonis viris, magnam concordiam maximam multitudinẽ, magnas præterea copias militum: Deos denique immortales huic invicto populo clariſſimo imperio, pulcherrimæ vrbi, contra tantam vim ſceleris, præſentes auxilium eſſe laturos.*

Ibidem clarius, n. 29. *Quæ quidem ego neque mea prudentia, neque humanis conſiliis fretus polliceor vobis Quirites, ſed multis, & non dubiis Deorum Immortal. ſignificationibus; quibus ego ducibus in hanc ſpem ſententiamq; ſum ingreſſus: qui iam non procul, vt quondam ſolebant ab extero hoſte, atque longinquo, ſed hic præſentes ſuo numine atque auxilio, ſua templa, atque vobis tecta defendunt.* 3. in Anton. n. 34.

Quàm religiosè Conſul Quirites ad bellum Macedonium diuini auxilii ſpe injecta, excitat apud Livium. Lib 31. *Huius vobis ſententiæ, non Conſul modò auctor, ſed Dii Immortales, qui mihi ſacrificanti, precantiq;, vt hoc bellum mihi, Senatui vobiſq; & ſociis, ac nomini Latino, claſſibus exercitibuſq; noſtris benè ac feliciter eveniret, læta omni[a] proſperaq; portendére.*

Quàm fortiter Servium ad regnum Tarqui[nii] Priſci vita functi, invadendum hortatur Ta[na]quil? quam ſpem non facit minus audenti? lib[.] *Erige te, Deoſq; ſequére, qui clarum hoc fore ca[put] divino quodã circũfuſo igni portenderunt; Nun[c te illa] cæleſtis excitet flãma, nunc expergiſce te, nos [pere]grini regnauimus; qui ſis, nõ vnde natus ſis rep[u]tate ſubita cõſilia torpẽt, ac in mea cõſilia ſe[quere].*

Qua fiducia Tolumnius prælium init cu[m au]ctoribus ipſis numinibus? quàm audac[ter fer]rum ſtringit, & pugnæ facit initium apud [...] mi iudicii Poëtam. 12. Æn.

Tum verò augurium Rutuli clamore [sal]utant,
Expediuntq; manus: primusq; Tolumni[us] augur,
Accipio agnoſcoq; Deos: me, me duce f[errum]
Corripite, ô Rutuli.

Sic Mars bellorum Deus Rutulis fa[...], virtutiſque ſtimulos addit. adverſus Tr[o]anos, quibus terrorem incutit, dùm illis [ſ]pem facit 9. Æn.

Digitized by Google

Hic Mars armipotens animos, vireſq; miniſtrat
Addidit, & ſtimulos acres ſub pectore vertit.
Immiſitq; fugam Teucris, atrumq; timorem,
Vndiq; conveniunt, quoniam data copia pugnæ,
Bellatorq; animo Deus incidit.

XV. Iracundia.

Sæpiſſimè ſpem gignit iracundia: eſt enim cos animi, cuius vires intendit ad difficilia, & ardua quæque ſuſcipiendia, ſuperandaque. Vt nihil mirum ſit, ſi totus ardens iracundia Priamus in cæde Politis ſui, grave Pyrrho precetur exitium nec extrema neceſſitas eius ardorem comprimere poſſit: tanta eſt juſtè irati fiducia Virg. 2.

Hic Priamus, quamquam in media jam morte tenetur,
Non tamen abſtinuit: nec voci iræq; pepercit.
At tibi pro ſcelere, exclamat, pro talibus auſis
Dij (ſi qua eſt cœlo pietas, quæ talia curet)
Perſoluant grates dignas, & præmia reddant
Debita, qui nati coram me cernere Lethum
Feciſti, & patrios fœdaſti funere vultus.

LECTIO XVIII.

Quomodo ſpes infringatur.

SI doceamus nō in corporis viribus, nec in laboris induſtria, nec in militum robore & ducum peritia: non in divitiarum magnificentia, nec in amicorum copia, in nullo denique rerum apparatu fidendum eſſe, perdi illa poſſe, ſomnitium videri ſpem, quæ in iiſdem reponitur, Deinde mentem ad communem omnium parentem eſſe referendam. Omnis enim felicitas Virtutis in ſpe velut in crine Samſonis, conſiſtit.

PVNCTVM I.

Rei difficultas.

INfringitur ſpes propoſita rei inexpugnabili difficultate. Talis eſt illa Bromia, quam Plautus vociferantem facit, ac diffidentem rebus ſuis in Amphitruone.

Spes atque opes vitæ meæ jacent ſepultæ in pectore,
Neque vllaſt confidentia, jam in corde qui amiſerim. Ita mihi videntur omnia, mare, terra, cœlum, conſequi,
Iam vt opprimar, & vt enicer: me miſeram! quid agam neſcio.
Ita tanta mira in ædibus ſunt facta, væ miſeræ mihi. Strepitus, crepitus, ſonitus, tonitrus, fremitus fragor.

II. Præſens malum.

Præſentis mali ſenſu, ſpes infringitur: nam dolor animum deijcit. Nutrix ad Dejaniram Hercul. Oetæ. Act. 2. ſpem nullam admittit, non poteſt ab incœpto revocari.

—— Saxa jamdudum ac faces
Ante feruntur: vindicem tellus ſuum
Defendet omnis. Vna quot pœnas dabis:
Effugere terras crede, & humanum genus
Te poſſe, fulmen genitor Alcidæ gerit.
Iam jam minaces ire per cœlum faces
Specta, & tonantem fulmine excuſſo diem.
Mentem quoque ipſam, quam putas tutam, time.

III. Imago malorum.

Spem dubiam reddit aut nullam potius oſtendit Imago malorum, quæ mentis, & oculorum aciem ferit identidem, animumque miſerabiliter diſtrahit. Singularem ideam ſpei depoſitæ ſubijcit Ovidius in Ariadne Theſeo ſcripta epiſtola, ex paucis conijce multa quæ diffidentem ſui perturbent.

Quid faciam? quò ſola ferar? vacat inſula cultu.
Non hominum video, non ego facta boum.
Omne latus terræ cingit mare: navita nuſquā eſt.
Nulla per ambiguas puppis itura vias.
Finge dari comiteſq; mihi, ventoſq; rateſq;
Quid ſequar? acceſſus terra paterna negat.
Vt rate felici pacata per æquora labar,
Temperet ut ventos, Æolus: exul ero.
Nunc ego non tantum, quæ ſum paſſura, recordor,
Sed quæcunq; poteſt vlla relicta pati
Occurrunt animo pereundi mille figuræ,
Morſq; minus pœna, quàm mora mortis habet.
Iam jam venturos aut hac aut ſuſpicor illàc
Qui lanient avido viſcera dente lupos.

Forſitan

Digitized by Google

Forſitan & fuluos tellus alit iſta leones:
Quis ſcit an hæc ſanas inſula tygres habet?
Si mare,ſi terras,porrectaq; littora vidi;
Multa mihi terra:multa minantur aqua.
Cœlum reſtabat:timeo ſimulacra Deorum.
Deſtituor rapidis præda,cibuſq́; feris.

IV. Crebra rerum & fortunæ mutatio.

Spem minuit varia, volubiliſque rerum conditio; nam temporis momentum vtriuſque fortunæ,rerumque mutationes affert. Quintil.decl. 12.ciuitatis fame laborantis vltimam calamitatem,& propè deſperatam luget. *Auras captamus; rore veſcimur,& iam ſperare tormentum eſt. Quoties ſole percuſſa nubes refulſit nauem putamus: quoties fractus vento fluctus incanuit,vela interpretamur. O mobiles miſerorum ſpes, ad vnaquaque ſolatia, ab vnoquoque quomodo nutantis hæc certè nauis eſt; ecce vela panduntur, propius appellitur, & accedendo creſcit,noſtra eſt,ſuos in vtramq; partem ventos habuit,noſtris votis gubernati flatus ſunt. Hæc dicimus ad illa interim tranſuolat. Fletus indè & deſperatio & lucis odium. Nihil enim grauius,quàm deſtitutæ ſpes torquent.*

Vates ad Lyram ſingularis, non in perituris rebus, nec in fortunæ variantis præſidio, ſed in virtute ſpem ponendam eſſe ſapienter monet. Lib.3.Carm.Ode.29.

Fortuna ſæuo læta negotio,&
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi,nunc aliis benigna.
Laudo manentem:ſi celeres quatit
Pennas:reſigno,quæ dedit,& mea
Virtute me inuoluo:probamq;
Pauperiem ſine dote quæro.

PVNCTVM V.

Spes nimia præcipitem agit præſidentem.

ALeæ periculique pleniſſimã ſpem eſſe monet Horatius exemplo ſuperbi Phaëtontis, & Pegazi ſublime volantis & ruentis in interitum.Lib.4 Odarum,Cantu 10.

Terret ambuſtus Phaëton auaras
ſpes,& exemplum graue præbet ales
Pegaſus terrenum equitem grauatus
Bellerophontem.
Semper vt te digna ſequare,& vltra
Quam licet ſperare nefas putando
Diſparem vites.

PVNCTVM VI.

Moleſta.

SPes infringitur & lãgueſcit cùm differtur,nec mediocrem animo pendenti ſuſpenſoq; moleſtiam facit,ex mente Statij Thebaïdos 6.

Poſtquam regales epulas,& gaudia vulgi
Biſſeni cluſere dies,Iſmenius heros
Reſpicere ad Thebas,& iam ſua quærere regna,
Tunc quos excedens hilares,queis cultus iniqui
Præcipuus ducis,& profugo quos ipſe notarat
Ingemuiſſe ſibi:per noctem ac luce ſub omni
Digerit. Excedere animũ cura,dolor iraq; demẽs
Et quæ non grauior mortalibus addita cura:
Spes vbi longa venit.

LECTIO XIV.

Spes deſcribitur & eius effecta.

TAnti,tàm ingentes ſunt ſpei effectus,vt nõnulli ſapientes illa potiſſimum vitam hominum contineri affirmare non dubitarint, quàm vt ſtimulum cuius boni ſuſcipiendi perficiendique proponunt, qua non impellente iacerent omnia. Quis enim ſine ſpe labores non defugeret? quorum ſpes eſt ſola condimentum. Quæ quidem ex humanis ſi exulaſſet rebus, iamdiu commercia ſua negotiator,& ſtipendia miles, & nauigationem mercator, & rapinas ſuas prædo, & nocturna intermiſiſſe furta ſcortator, ait Tyr. concione 19.

I. *Spei deſcriptio.*

Spes & eius comites, ac ſocios deſcribit multis Poëta non vltimis numerandus.

Tu quæ ſuſtentas tereti veſtigia ligno,
Eſne Dea? an noſtro ſanguine creta Dea.
Vnde ſata? ex cæca rerum caligne; & ecqua
Admouit nutrix vbera? Credulitas.
Et quinam à tergo plaudunt tibi? gaudia. Dic quis
Pallidulo ſemper te præit ore? timor.
Suſpicis inſtanti cur cœlum lumine tandem
Hinc dabitur votis meta ſuprema meis.
Fare age, quæ vultus deformat cauſa ſerenos?
Excrucior quoties irrita vota cadunt.
Cur baculo innixa es? dum paſcat opinio mentē
Cœca meam irrepſit curua ſenecta mihi.
Cur titubas pedibus? rerum eſt ſpes lubrica ſæpè
Quod puto complecti labitur è manibus.

II. *Credula.*

Qui ſperat ex omnibus facilè ſuſpicionem accipit, & incommodum ſuum, quæcumque ſeſe offerunt, interpretatur, quod memini factitatum ab Ouidio 2. de Ponto Eleg. v I I.

Aut ego me fallo, nimiaq; cupidine ludor,
Aut ſpes exilij commodioris adeſt.
Nā minus, & minus eſt facies in imagine triſtis,
Viſaq; ſunt dictis annuere ora meis.
Vera, precor, ſiant timidæ præſagia mentis,
Iuſtaq; quamuis eſt, ſit minor ira Dei.

III. *Pertinax.*

Tenax eſt ſpes, vixque ex animo expellitur, vbi ſemel inſederit; talis illa fuit Ouidij 2. de Ponto Eleg 7.

Omnia deficiunt: animus tamen omnia vincit,
Ille etiam vires corpus habere facit.
Suſtineas vt onus nitendum eſt vertice recto:
At flecti neruos ſi patiare, cades,
Spes quoque poſſe mora miteſcere Principis iram
Viuere ne nolim, deficiamq; facit.

Tùm verùm eſt, eū qui ſperat, ſe ad optata facilè peruenturum, credere, mens eſt Senecæ 7. de Benef. c. 3. *Neminem ab excitanda domo ruina deterruit: & cùm Penates ignis abſumpſit, fundamenta tepente adhuc area ponimus, & vrbes hauſtas ſæpius eodem ſolo condimus. Adeò ad bonas ſpes pertinax animus eſt. Terra marique humana opera ceſſarent niſi malè cadentia iterum tentare libuiſſe.*

IV. *Fallax.*

Qui ſperat facilè credit quid illa vates incerta pollicetur, & ſæpè fallitur. In ſpem imperij Diocletianus animum erexerat prædictione à Druide quodam accepta, poſtquum aprum occidiſſet occidit plures manu ſua venaturus fortunam, vt feram in ſyluis: præoccupatum tamen ſemper videns expectationis ſuæ votū; iam Aurelianus præcepit; iam Probus præcurrit; iam Tacitus prehendit; iam præripuit Carus. Ego inquit ſemper apros occido, ſed alter ſemper vtitur pulpamento tot incurſus paſſa eſt certa ſpes, quam credimus veram, quam ſæpè mendacem experimur.

V. *Miſerorum leuamentum.*

Omnem miſerorum ægritudinem, & moleſtiam abſtergit, vnde vultu ſemper ad hilaritatem compoſito depingit illam, qui ſibi blanditur ob fortunam meliorem. Huius vim aliquoties expertus exorris Ouidius malorum leninem & ſolatium dicit 1. de Ponto. El. 7.

Spes igitur menti pœna Græcine leuanda,
Non eſt ex toto nulla relicta meo,
Hæc Dea cùm fugerēt ſceleratas Numina terras
In Diis inuiſa ſola remanſit humo.
Hæc facit vt viuat foſſor quoque cōpede vinctus,
Liberaq; à ferro crura futura putet.
Hæc facit, vt videat cùm nullas vndique terras
Naufragus in mediis brachia iactet aquis.
Sæpè aliquem ſolers medicorum cura reliquit,
Nec ſpes huic vena deficiente cadit.
Carcere dicuntur clauſi ſperare ſalutem,
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.
Quamuis eſt igitur meritis indebita noſtris
Magna tamen ſpes eſt in bonitate Dei.

Hanc ſuperſtitis ſemper in quibuſuis ærumnis ſpei dulcedinem, propter nunquam præcluſas eius cauſas, declarat bonus Poëta, ſed in difficultatibus melior exurgit.

Finirent multi letho mala: credula vitam;
Spes fouet, & melius cras fore ſemper, ait.

Digitized by Google

Spes alit agricolas, ſpes ſulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc capta arundine piſces,
Cum tenues hamo, abdidit ante cibos,
Spes etiam validâ ſolatur compede vinctum,
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.

V I. Alimentum animarum virtus amantium.

Qui ſperant, ſpes ſuas alunt quibuſcumque poſſunt modis, & ex omnibus omen futuræ felicitatis captant, ſed potiſſimum vbi vident eum à quo iuuari poſſe credunt, proſperam habere fortunam. Ex his libertatis amans Ouidius ſpem non dubiam concipit, fore vt aliquando reuocetur in patriam, cum ſuis, audito triumphorum Cæſaris nuntio, totiuſque populi feſtis acclamationibus. 3. de Pont. El. 3.

Pone metus igitur miteſcet Cæſaris ira.
Eueniet votis mollior aura tuis.
Neue moram timeas, tempus, quod quærimus inſtat
Cunctaque lætitia plena triumphus habet;
Dùm domus & nati, dùm mater Liuia gaudet,
Dùm gaudes patriæ magne duci, que pater.
Dùm tibi gratatur populus totamque per vrbem,
Omnis odoratis ignibus ara calet.
Dùm præbet faciles aditus venerabile templum.
Sperandum eſt noſtras poſſe valere preces.

VII. Suſpenſa.

Spei eſt pugnare non modò cum deſperatione, ſed etiam cum metu. Romanus Vates 2. Triſt. Eleg. 1. deſcribit Affectum hominis ſpem inter, & deſperationem fluctuantis.

Spes mihi magna ſubit cùm te mitiſſime Princeps
Spes mihi reſpicio cùm mea facta, cadit,
Ac veluti ventis agitantibus æquora non eſt
Æqualis rabies continuuſque furor.
Sed modò ſubſidunt, intermiſſique ſeneſcunt,
Vimque putes illos depoſuiſſe ſuam.
Sic abeunt, redeuntque mihi, variantque timores,
Et ſpem placandi dantque negantque tui.

Quod vnum ſæpè repetit animi dubitantis effectum ex quo nonnunquam maximus cruciatus naſcitur 1. de Ponto El. 2.

Sepè precor mortem, mortem quoque deprecor idē·
Ne mea Sarmaticum contegat oſſa ſolum.
Cùm ſubit Auguſti quæ ſit clementia, credo
Mollia naufragiis littora poſſe dari.
Cùm video quàm ſint mea fata tenacia, frangor,
Speſque leuis magno vita timore cadit.
Nec tamen vlterius quicquam ſperoue, precorue
Quàm malè mutato poſſe carere loco.

Spes omnis eſt plena voluptatis, & gaudij, vnde in hanc facilè propendent homines. Nam qui reputant varias rerum viciſſitudines, vt multi præter ſpem ſuam ad honores ampliſſimos ex ipſis penè mortis faucibus euecti ſunt, multi quoque, qui ante felices in miſeriarum extrema deuecti; ſolent enim illi tùm cogitare fortunæ rotam etiam ſibi circumagi, ſolent ſibi lucere, momento vno afferri, quod longa ætas denegauit, Talis fuit Ouid, totus in iſtis de Triſt. & de Ponto l. 2. Eleg. 1.

Tandem aliquid pulsâ curarum nube ſerenum
Vdi fortunæ verba dedique meæ.
Noiit vt illa mihi contingere gaudia Cæſar,
Velle poteſt cuiuis hæc tamen vna dari,
Dij quoque, vt à cunctis hilari pietate colantur
Triſtitiam poni pēr ſua feſta iubent.
Denique quod certus furor eſt audere fateri
Hac ego lætitia, ſi vetet ipſe fruar.
Iupiter vt ilibus quoties rigat imbribus agros,
Mixta tenax ſegeni creſcere lappa ſolet.
Nos quoque frugiferum ſentimus inutilis herba
Numen; & inuitâ ſæpè iuuamur ope.
Tu mihi narraſti, cùm multis lucibus ante
Fuderit aſſiduas nobilis auſter aquas.
Numine cœleſti ſolem fuſiſſe ſerenum,
Cūm populi vultu conueniente die.
Atque ita victorem cùm magnæ vocis honore,
Bellica laudatis dona dediſſe viris.
Totque tuliſſe duces captiuos addita collis
Vincula pone hoſtes quot ſatis eſſe fuit.
Cur ego poſſe negem minui mihi Cæſaris iram,
Cùm vides immites hoſtibus eſſe Deos?

IX. *Blanda.*

Qui ſperant ſibi blandicias faciunt etiam in

rebus,

Digitized by Google

rebus quæ non eo modo ceſſerunt, quò voluiſſent: exiſtimant enim fortunam, quæ ſit variabilis non fore in ſuo malo conſtantem. Spem ſuam ex itat Ouidius ex clementiæ Principis recordatione, & commemoratione innocentiæ ſuæ, quà delicti veniam impetrare ſe poſſe confidit. 5. Triſt. Ele. 5.

Nec fore perpetuam ſperat ſibi numinis iram
Conſcius in culpa non ſcelus eſſe ſua
Sæpè refert, ſit quanta Dei clementia, cuius
Se quoque in exemplis annumerare ſolet.
Nā quod opes teneat patrias, quod nomina ciuis,
Denique quod viuat munus habere Dei
Ille Deus benè quo Romana potentia nixa eſt,
Sæpè ſuo victor lenis in hoſte fuit.
Quid dubitas & tuta times. accede, rogaque:
Cæſare nil ingens mitius orbis habet,
Viderit ipſe, ſacram quamuis inuiſus ad aram
Confugiam, nullas ſummouet ara manus.

Quia tamen bonum ſperatum & concupitum nondum poſſidetur, ſollicitus eſt, & incertus ſui, quem ſpes aliqua proritat, ait Seneca ep. 23. *Licet ad manum ſi, licet non ex difficili petatur, licet illum nunquam ſperatā deceperint.* Qui cruciatus animi ſpem minuere poteſt, non tollere, quam in hominum naturam Prometheus indidit, velut conſtantia medicamentum, quod cum deguſtauerint id quod in expectatione eſt, eo certius putant; quod apparet.

DE DESPERATIONE.

Apud Oratores vtilis eſt hic motus, quoties deducere volumus aliquem ab incepto negotio periculoſo; tùm enim oſtendendum eſt, quantæ quamque graues difficultates rem ſuſceptam circum ſepiant cùm exigua ſpes felicis euentus effulgeat, quàm leuia ac propemodum nulla ſubſidia.

LECTIO XX.

Natura.

Deſperatio quam Tull. 4. Tuſ. n. 9. Ægritudinem ſine vlla rerum expectatione meliorum definit, ſpei contraria eſt, vtpote boni cuiuſpiam obtinendi, vel mali depellendi diffidentia.

PVNCTVM I.

Nulla ſubſidia.

Naſcitur è contrariis capitibus. Dicendum ergo nullum eſſe perfugium, occluſos omnes fugiendi aditus, adipiſcendi vias obſeptas, nullā expediendæ ſalutis eſſe rationem. Hoc Ciceronis præceptū eſt dicentis Murænæ deſperādum, ſi fortè iudicium ſententiis concidat. n. 88. *Si quod Iupiter omen auertat, hunc veſtris ſententiis afflixeritis, quò ſe vertet miſer? domúmne? vt eam imaginē clariſſimi viri parentis ſui, quam paucis diebus laureatam in gratulatione conſpexit, eandem deformatam ignominiâ, lugētemque videat? ad matrem? quæ miſera modò Conſulem oſculata filium ſuum, nunc cruciatur, & ſollicita eſt, ne eundem paulo poſt ſpoliatum omni dignitate conſpiciat; Ibit igitur in exitium miſer; quo? ad Orientisne partes, in quibus annos multos legatus fuit, & exercitus duxit, & res maximas geſſit? at habet magnum dolorem, vndè cum honore deceſſeris, eodem cum ignomina reuerti.*

Motum hunc tractauit rei militaris bene peritus, acſubitilis Camillus, ex eo deditionem ſuadens Romanis ad Furculas Caudinas apud Liuium l. 9. Excitauit & Alorcus ad obſeſſos Saguntinos perorās, deditionemque ſuadens apud eundem. *Poſtquam nec ab Roma vlla vobis ſpes eſt, nec arma vos, aut mœnia ſatis defendunt, pacemadferre ad vos neceſſariam magis, quàm æquam.*

II. Difficultas.

Augendæ difficultates, vi[illegible] ſuperandi minuenda, quod facit Sene. T[illegible] t. 1. Vbi de pace

pace inter filios componenda deſperat Oedipus.

Illis parentis vllus, aut æqui eſt amor,
Auidis cruoris, imperij, armorum, doli,
Diris, ſceleſtis, breuiter vt dicam, meis?
Certant in omne facinus, & penſi nihil
Ducunt, vbi illos ira præcipites agat,
Nefasq; nullum per nefas nati putant.
Nec patris illos tangit afflicti pudor.

Iterum Andromacha vim nullam eſſe docet, nec ſpem reliquam Troiæ excitandæ in puero apud Senec. Troad. Act. 3. Sc. 3.

An has ruinas vrbis in cineres datas
Hic excitabit? hæ manus Troiam erigent?
Nullas habet ſpes Troia, ſi tales habet.

Huc reuocanda ſunt, quæ de ſpe infringenda, vel audacia coërcenda dici poſſunt.

III. Ardentius boni Deſiderium

Iudicium rei numquam ſecutæ, quam ardentius conſectatur aliquis, gloriam ſcilicet famamque nominis, aut honoris repulſam, deſperationem facit. Eſt hoc illuſtre, quod de quodam ignauo ſcribit Cromerus l. 6. Ad quem Boleſlaus leporis pellem, colum, & fuſum ad ignauiæ exprobrationem miſit; quam laudis & gloriæ amantiſſimus ignominiam non tulit, ſed laqueo, deſperatione actus, miſerè vitam abrupit.

IV. Calamitas & Ignauia.

Inueterata ſæpiuſque repetita calamitas ſpem excludit, cùm facilè credamus eundem fore exitum cæterorum negotiorum; quin & ignauia ſenſim pertrahit ad deſperationem, quòd quiuis abiectæ mentis apprehendat ſupra vires ſuas eſſe, quod infra iacet. Quæ tandem eſt radix, & mater deſperationis ait Chryſoſt. ad Theodorum? Ignauia. Imo quamquis non malè nomina uerit indicem non ſolùm, ſed viciſſim illius quoque & parentem & altricem. Vt in cadauere tabes gignit vermiculos, quæ a bijs iterum augetur.

LETIO XXI.

Deſperationis remedia.

I. Rei facilitas.

AD erigendum, animandumque hominem deſperatione fractum proderit adipiſcendæ rei facilitatem aperire; nam intellectus dedoctus errorem de præcluſa fruitione conceptum, deſperationem excludit. Tùm Dei pronam voluntatem ad opitulandum quibuslibet proponere. Spem ipſam ſubſidium ad parandam ſalutem ſingulare. Siquidem (dicente Chryſoſtomo priore Parænesi ad Theodorum) ea ipſa eſt catena aurea, & firma quâ de cœlo propenſa, ſubducimus animas noſtras: quæ breui ſurſum in illud ſummum faſtigium retracta, eos qui ipſam fortiter manibus ſeruant, euellit, & rapit ſupra fluctus, præſentis vitæ longè omnium pernicioſiſſimos.

Non deſperandam ſalutem etiam ab infenſo monet plenus ſpei licet exul Ouidius 2. de Ponto Eleg. 3.

Sed licet arma feras, & vulnera ſæua mineris
Non tamen efficies vt timeare mihi.
Puppis Achæmenidem Graium Troiana recepit,
Profuit & Myſo Pelias haſta Duci.
Confugit interdum templi violator ad aram,
Nec petere offenſi Numinis horret opem.

Proderit eleuare culpam, vulnuſque medica manu, linguaque curare molliter. Opportuna ſunt quæ ſuggerit D Chryſoſt. alterâ Parænesi. Non eſt graue Theodore cadere luctantem, ſed iacere deiectum. Non eſt pernicioſum in prælio vulnerari, ſed poſt vulnus acceptum deſperatione curandi, medelam vlceri denegare. Nullus ſe demergit naue fluctibus ſemel merſa, ac poſt totum onus perditum deſiit nauigare: ſed rurſus ad maria, nudus quoque feſtinat: rurſus immenſa peruolat freta, & iterato felicius curſu, caſus prioris damna compenſat. Sæpè etiam Athletas videmus, poſt frequentes lapſus, & deiectiones plurimas, coronatos. Militem quoque ſcimus, poſt

Digitized by Google

fugas multas, virum fortem fuiſſe, & viciſſe victores. Quod ſi vnuſquiſque eorum quos nominauimus, propter aduerſa principia deſperando ceſſiſſet, nunquam ad ſequentium voluntatem ac fructum bonorum peruenire potuiſſet.

II. *Culpæ diminutio*

Hinc animæ prope deſperanti medicinam facit, & preces adhibet Proſper Epigr. 89.

Vt morbo oppreſſis præſtanda eſt cura medentis
Donec in ægroto corpore vita manet,
Sic prauis multâ vitiorum mole grauatis,
Sanctarum pietas eſt adhibenda precum.
Vt dùm poſſibile eſt mutari corde malorum
Horreſcat noctis deuia lucis amor.

Turpiter ignaui eſſe per deſperationem ſæuire in cipium. Hinc Ariſtonis ingentem animum commendat Plin. Iunior l. ep. 22. Quod mortem ſibi conſciſcere recuſaſſet æger, ſi conſulti medici ſpem valitudinis facerent. *Id ego arduum imprimis, & præcipua laude dignum puto. Nam impetu quodam, & inſtinctu currere ad mortem, commune cum multis deliberare verò, & cauſas eius omnes expendere; vtque ſuaſerit ratio vitæ mortis que conſilium ſuſcipere, ingenti animi eſt.*

Adde quod timidi eſt optare necem. Curt. l. 5. de geſtis Alexandri. *Fortium virorum eſt, magis mortem contemnere, quàm odiſſe vitam. Sepè tædio laboris ad vtilitatem ſui, compelluntur ignaui.*

III. *In Deo fiducia.*

Tunc potiſſimum in Deo ſpem eſſe ponendam cùm nos premunt homines fortiter monet in Thyeſte Seneca Act. 3. Choro.

Vos quibus rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ;
Ponite inflamatos tumideſque vultus
Quidquid à vobis minor expaueſcit,
Maior hoc vobis Dominus minatur
Omne ſub regno grauiore regnum eſt
Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium ſecundis,
Nemo deſperet meliora lapſis.

LECTIO XXII.

Deſperatione effecta.

Multa deſperationis effecta numerantur, & illa periculoſiſſima, quàm rectè cum Antiocho Hom. 27. Perfectum diaboli gladium dixeris; quaſi nihil calamitatis accidere poſſit ad eum cumulum, quo quis deſperatione præceps agitur.

I. *Mortis Conſilium*

Qui deſperat mortem quærit, vt alij vitam, quam malorum, & infamiæ finem ſibi proponit. Talis fuit illa flebilis vxor Herculis Ouidiana.

Sed quid ego hac refero? ſcribenti nuntia venit
Fama virum tunicæ labe perire mea.
Hei mihi qui feci: quò me furor egit amantem?
Impia quid dubitas Deianira mori?
An tuus in media coniux lacerabitur Oeta?
Tu ſceleris tanti cauſa, ſuperſtes eris?
Et quid adhuc habeo facti cur Herculis vxor
Credar? coniugij mors mea pignus erit
Tu quoque cognoſces tu me Meleagre ſororem.
Impia quid dubitas Deianira mori.

II. *Timoris ac metus contemptio.*

Qui deſperat omnium rerum curam, ac ſollicitudinem malorumque metum abiicit, periculo ſuperior. Quid enim metuat in extrema fortuna lucrari poteſt perdere nihil poteſt. Sic Medea tàm periculi neſcia, quàm terroris ad quam nutrix, Actu 2. Sc. 1.

M. *Fortuna fortes metuit, ignauos premit.*
N. *Tunc eſt probanda, ſi locum virtus habet*
M. *Nunquam poteſt non eſſe virtuti locus.*
N. *Spes nulla monſtrat rebus afflictis viam.*
M. *Qui nil poteſt ſperare, deſperet nihil.*
N. *Rex eſt timendus* M. *Rex meus fuerat pater.*
N. *Non metuis arma?* M. *Sint licet terra edita.*
N. *Moriere.* M. *cupio.* N. *profuge.* M *pœnituit fuga.*
Medea fugiam? N *mater es* M. *cui ſim, vide*
N. *Profugere dubitas?* M. *fugiã, at vlciſcar prius.*

3. *Sol-*

Digitized by Google

III. Solitudo.

Captat ſolitudinem ſui furoris conſciam, & quantum poteſt arbitros remouet, vt meditatum ſcelus facilius, & cum aliquo ſenſu delectationis perficere poſſit. Dido furiis acta, inque gladium incubitura ſeniorem Annam & Nutricem à ſe dimittit 4. Æn.

——— Partes animum verſabat in omnes
Inuiſum quærens quamprimum abrumpere lucem
Tum breuiter Barcen nutricem affata Sichæi.
Annam chara mihi nutrix huc ſiſte ſororem,
Dic corpus properet fluuiali ſpargere lympha.

IV. Vultus mutatio.

Deſperatio ſe prodit aſpectu truci, pallida facie, pendente vultu, micantibus, & ſcintillantibus oculis. Eadem Dido.

At trepida & cæptis immanibus effera Dido,
Sanguineā voluens aciem, maculiſq; trementes
Interfuſa genas, & pallida morte futura.
Interiora domus irrumpit limina, & altos
Conſcendit furibunda rogos, enſemq; recludit
Dardanium, non hos quæſitum munus in enſes.

V. Securitas.

Ex deſperatione nonnunquam ſecuritas enaſcitur, metu in ſtuporem attonitum abeunte, rem hanc in bono lumine ponit Pacatus in Panegyr. *Magno quidē fateor pectoribus humanis, atque adeo maximo lux amori, interitus horrori eſt: ſed quatenus aut iſta optari poteſt, aut ille vitari. At ſi vltima ſupra caput ſteterit hora, & venerit dies nūquā reuerſurus, ac ſe confeſſa mors fuerit, non timentur extrema cum certa ſunt. Hinc reorum vſque ad damnationem metus, poſtea attonitus ſtupor, & ex deſperatione ſecuritas: & ad locum ſupplicij voluntaria properatio.*

Non aliter Seneca ep. 30. *Mors admota, etiam imperitis animū dedit, non vitandi ineuitabilia. Sic gladiator tota pugna timidiſſimus, iugulum aduerſario præſtat, & errantem gladium ſibi attemperat.*

VI. Audacia victrix.

Qui deſperat plerumque felicem rerum exitum nanciſcitur. Dum enim ſui ſeruandi conſilium abiicit, in ſolam intentus vltionem, tàm alacri impetu fertur ad agēdum, vt pro morte ſalutem inueniat, clademque inferat iis, à quibus in deſperationem coniectus eſt. Audacia ſiquidem vt monet Veget. l. 2. clauſis ex deſperatione creſcit, & cum ſpei nihil eſt, ſumit arma formido, quippe neceſſitas quædam virtutis eſt deſperatio.

Propterea Senecæ ſapiens conſilium eſt, eam animi concitationem, quæ creſcente ſuperā modum odio, ac veluti laſſata patiētia, fit furor, non eſſe extorquendam ab eo qui nihil aliud ſperat boni 1. de Clem. c. 12. *Temperatus timor cohibet animos; aſſiduus verò & acer, & extrema admouens in audaciam iacentes excitat, & omnia experiri ſuadet. Acerrima virtus eſt, quam neceſſitas extundit. Relinquat oportet ſecuri aliquid, metus; multòq; plus ſpei, quàm periculorum oſtentet. Alioquin vbi quieſcenti paria metuuntur, incurrere in pericula iuuat, & aliena anima abuti.*

Eam ob rem periculoſſimum ſemper viſum eſt, vſque adeo vrgere hoſtes, vt omni præcluſo ſubſidio, & deſperata ſorte in rabiem agantur, & ad vltimam neceſſitatem redacti animos reuocent, & perdant eos, à quibus exitum metuebant. Eſt hoc illuſtre exemplum quod de Gallis refert Panegyricus Maximiani. *Recurſabat in animo illa ſub Diuo Probo paucorum ex Francia captiuorum incredibilis audacia, & indigna felicitas, qui à Ponte vſque correptis nauibus Græciam, Aſiamque populati, nec impunè pleriſq; Libyæ littoribus appulſi ipſas poſtremò naualibus quondam victoriis nobiles ceperant Syracuſas, & immenſo itinere peruecti, Oceanum, qua terras rupit intrauerunt. Atque ita euentu temeritatis oſtenderant, nihil eſſe clauſum piratica deſperationi, quò nauigiis pateret acceſſus.*

Vt de illis dici poſſit quod de Romanis Horatius 4. Carm. Ode 4.

Poſt hoc ſecundis vſque laboribus
Romana pubes creuit & impio
Vaſtata Pœnorum tumultu
Fana Deos habuere rectos.
Duris vt ilex tunſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in algido.
Per damna per cædes ab ipſo
Ducit opes animumq; ferro.

VII. Vindictæ ſumendæ cupiditas.

Optat vltionem hoſtium, quam vt conſequatur, nullam ſceleris atrocitatem reformidat. Vt ſe furens Medeæ incitat, & impellit, ad perficiendum fortiter ſi quid cæptis deſit?

—— Vade perfectum eſt ſcelus,
Vindicta nondum. Perage dum faciunt manus.
Quid nunc moraris anima? quid dubitas? potens
Iam cecidit ira: pœnitet, facti pudet
Quid miſera feci? miſera pœniteat licet
Feci. Voluptas magna me inuitam ſubit,
Et ecce creſcit.

Hinc percita furoris rabie Dido ſortem ſuam inuitam queritur. 4. Æn.

—— Os impreſſa toro moriemur inultæ;
Sed moriamur ait, ſic, ſic iuuat ire ſub vmbras.

VIII. Repetitæ vindictæ gaudium.

Lætatur ac triumphat gaudio, ſi priuſquam mortem adeat, ſe vlciſcatur. Medea ingenti dolore ac furore amens. Act. 5.

Iam iam recepi ſceptra, germanum, patrem.
Spoliumque Colchi pecudis auratæ tenent,
Rediere regna, rapta virginitas redit.
O placida tandem numina! ô feſtum diem!
O nuptialem!

IX. Frontis ſimulatio.

Qui deſperat ſereno vultu, ac fronte hilari ſpem ſimulat, & animum fucata cuiuſdam virtutis ſpecie. Talis ille Virg.

Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem

Paria ſunt illa Medeæ ad Iaſonem vlciſci ſe volentis atrociter Act. 3. Sc. 2.

—— Sic gnatos amat.
Benè eſt, tenetur: vulneri patuit locus.
Suprema certè liceat abeuntem loqui
Mandata, liceat vltimum amplexum dare.
Gratum eſt; & illud voce iam extrema peto,
Ne ſi qua noſter dubius effudit dolor,
Maneant in animo verba: ſed melior tibi
Memoria noſtri ſubeat: Hæc ira data
Obliterentur.

X. Publica vltio.

Gaudet facinorum ſuorum ſpectatorem eum habere, quem deſperationis auctorem putat: Eadem Med. Act. 5.

—— Deerat hoc vnum mihi
Spectator ipſe: nil adhuc factum reor
Quidquid ſine iſto fecimus ſceleris perit.

Non melioris animi fuit Eliſa 4. Æn. habens in votis, vt ſua mors triſte foret omen Æneæ quem deſperati morbi cauſam, & auctorem agnoſcebat, videretque oberrantem ante ſe Didonis vmbram.

Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, & noſtræ ſecum ferat omnia mortis.

XI. Inexplebilis crudelitas.

Nihil omittit eorum quæ nouit ei acerba fore, cui moleſtiam facere ſe poſſe credit; dicēti enim Iaſoni ad Medeam, & miſericordiam illi furiæ mouere volenti, vt vno liberorum interfecto aliis ignoſcat,

—— Vnus eſt pœna ſatis

Illa contrà tota furens.

Si poſſet vna cæde ſatiari manus
Nullam petiſſet, Vt duos perimam, tamen
Nimium eſt dolori numerus anguſtus meo.
In matre ſi quod pignus etiam num latet,
Scrutabor enſe viſcera, & ferro extraham.

Tùm mœrore multo afflictus Iaſon ad illam aſpidem,

Iam perage cæptum facinus, haud vltra precor.
Moramq; ſaltem ſuppliciis dona meis.

Illa vehementius incenſa, largiar tibi moram lugendis, lau:ndis; ſepeliendiſque liberis aſpectum quoque vindicis tuæ non ſubtraham oculis.

Perfruere lento ſcelere, ne propera dolor
Meus dies eſt. Tempore accepto vtimur

Iaſ. *Infeſta memet perime.* Med. *Miſereri iubes.*
Benè eſt, peractum eſt, plura non habuit dolor
Quæ tibi litarem. Lumina huc tumida alleua
Ingrate Iaſon. Coniugem agnoſcis tuam?

XII. Exprobratio.

Verbis efferatur, & furiis acta pergit Medea inſultare vehementius afflicto Iaſoni Act. 5. Sc. vlt.

Con

Digitized by Google

— *Congere extremum tuis*
Natis Iaſon funus,ac tumulum ſtrue.
Coniux ſocerq́,iuſta iam functis habent.
A me ſepulti; natus hic fatum tulit:
Hic,te vidente,dabitur exitio pari.

Et deinceps multò inſolentius.

Hac qua recuſas,quâ doles ferrum exigam.
I nunc ſuperbe,Virginum thalamos pete,
Relinque matres.

Sic vellet omnia ſecum in ruinam trahere, ſi poſſet.

XIII. *Fidelis & amantis conſilii fuga.*

Admonitionibus irritatur potius, quàm compeſcitur;conſilia reijcit,iraſcitur in eos, qui ſibi ferrum eripiunt, aut inſtrumenta mortis. Illuſtrem huius characteris ideam habet Seneca in Thebaïde toto Actu 1.Sic enim Oedipus ad Antigonem filiam.

— *Vnica Oedipodæ eſt ſalus*
Non eſſe ſaluum:mitte genitoris manum
Animoſa Virgo. Funus extendis meum
Longaſq́, viui ducis exſequias patris,
Aliquando terra corpus inuiſum tege
Peccas honeſta mente:pietatem vocas
Patrem inſepultum trahere. Qui cogit mori
Nolentē,in æquo eſt,quique properantē impedit.
Occidere eſt,vetare cupientem mori.
Deſiſte cœpto Virgo,ius vitæ ac nec :
Mea penes me eſt Regna deſerui libens,
Regnum mei retineo. Si fida es comes
Enſem parenti trade. Sed notum nece
Enſem paterna. Tartaro condi iuvat.
Quid perdis vltra verba:quid pectus ferum
Mollire tentas precibus?hoc animo ſedet
Effundere hanc cum morte luctantem diu
Animam,& tenebras petere,nā ſceleri hac meo
Parum alta nox eſt.

Sic furentem Hercules iraſcitur in eos qui ſibi ferrum, qui arma, qui vitæ finiendæ cauſam, & inſtrumentum adimunt.

Non ſic furori ceſſit extinctus pudor
Populos vt omnes impio aſpectu fugem.
Arma,arma Theſeu,flagito propere mihi
Subtracta reddi,ſana ſi mens eſt mihi
Referte manibus tela:ſi remanet furor
Pater recede mortis inueniam viam.

XIV. *Indiligentia.*

Qui deſperat omnian egligit,ac peſſum ire ſinit. Hectoris hæc ſunt de patriæ ſalute deſperantis,2.Æneïdos.

Stat patria Priamoq;datum:ſi Pergum dextra
Defendi poſſent,etiam hac defenſa ſuiſſent.

Imò vix alios quidquam boni de ſe cogitare permittit Diu. Bern.6. de Aſcenſ. Sanè *inuenire eſt homines puſillanimes,& remiſſos,deficientes ſub onere,virga & calcaribus indigentes , quorum remiſſa lætitia,puſillanimis triſtitia eſt:quorum breuis , & rara compunctio,tepida conuerſatio ; quorum obedientia ſine deuotione,ſermo ſine circumſpectione, Oratio ſine cordis intentione;quos denique,vt videmus,vix gehenna metus inhibet,vix pudor cohibet, vix frenat ratio,vix diſciplina coërcet.*

XV. *Timoris expers.*

Denique præceps agitur,& pericula, clades, fortunæ ſævientis impetus,non reformidat imò prouocat intrepidus Hercules fur. Act. 5.

Nunc parte ab omni genitor iratus tona
Oblite noſtri,vindica ſerâ manu
Saltem nepotes:ſtelliger mundus ſonet
Flammaſq; & hic & ille iaculetur polus:

Sæpè moriendi cauſas amplificat,nec eſſe quod ſe diutius in vivis retinere poſſit. Idem.

Cur animam in iſta luce detineam amplius
Morerq; nihil eſt. Cuncta iam amiſi bona;
Mentem,arma,famam,coniugem,natos,manus,
Etiam furorem.Nemo polluto queat
Animo mederi : morte ſanandum eſt ſcelus.

Eam ob rem furias ſtygemque vocat in vota, & diras omnes in caput.

— *Dira furiarum loca*
Et inferorum carcer,& ſonti plaga
Decreta turba,& ſi quod exilium latet
Vlterius Erebo,Cerbero ignotum & mihi,
Huc me abde tellus. Tartari ad finem vltimum
Manſurus ibo.

Digitized by Google

commune incendium exarſeratt an non putamus fore vt eos peniteat profeſſos eſſe; & præ ſe tuliſſe odium in Antonium qui pecunias pollicitiſunt, qui arma, qui ſe totos, & animis, & corporibus in ſalutem Reip. contulerunt.

Quò viciniora ſunt pericula, eò majorem terrorem iincutiunt. Pro Mil. 77. in Piſon. 94. pro Mur pericula ponit ob oculos metuenda, num. 85. *Sed quid tandem fiet, ſi hæc elapſa de manibus noſtris in eum annum, qui conſequitur, redundarint, illa peſtis immanis, importuna Catilinæ prorumpet? qua poterit. Et jam populo Rom. minatur, in agros ſuburbanos repentè aduolabit, verſabitur in caſtris furor, in curia timor, in foro conjuratio, in campo exercitus in agris vaſtitas, omni autem in ſede, ac loco ferrum flammamque metuemus,*

Ex vicino malo Timorem auget Ouidius 3. de Ponto leg. 2.

Cùm feriant vnum, non vnum fulmina terrent,
Junctaque percuſſo turba pauere ſolet.
Cumque dedit paries ventura ſigna ruinæ,
Sollicito vacuus fit locus ille metu.
Quis non è timidis ægri contagia vitat,
Vicinas metuens ne trahat indè malum?
Me quoque amicorum nimio terrore metuque
Non odio quidam diſtituêre mei.
Non illis pietas, non officioſa voluntas
Defuit, aduerſos extimuere Deos.
Vtque magis cauti poſſunt timidique vocari.
Sic appellari non metuere mali.

II. *Rerum nobis cariſſimarum jactura.*

Metuuntur mala præcipuè quæ cadunt ſub ſenſus [non perindè animi mala, quamvis ſint longè grauiſſima] & moleſtiam afferunt, quæ vno veluti faſce complectitur Cic. 4. in Calit. num. 11. *Video mihi hanc vrbem videre, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium ſubito vno incendio concidentem: cerno animo ſepultam patriam miſeros atque ſepultos ciuium aceruos: verſatur mihi ante oculos aſpectus Cethegi & furor in veſtra cæde bacchantis. Quapropter de ſumma ſalute veſtra, populique Rom. de veſtris conjugibus, ac liberis; de fanis ac tēplis, de totius vrbis tectis, ac ſedibus, de imperio, de libertate, de ſalute Italiæ, deque vniuerſa Rep. decernite diligēter, vt inſtituiſtis ac fortiter.*

In turbulentos, ac ſeditioſos ciues, incuſſo metu grauiore, Tribunos pleb. commouet. 1. Agraria num. 26. *Quamobrem per Deos Immort. colligite vos, deſerite eos, à quibus niſi proſpicitis, breui tempore deſeremini. Multa ſunt occulta Reip. vulnera, multa nefariorum ciuium pernicioſa conſilia Nullum externum periculum eſt, non Rex, non gens vlla, non natio pertimeſcenda eſt, incluſum malum inteſtinum, atque domeſticum eſt: huic pro ſe quiſque noſtrum mederi, atque hoc omnes ſanare velle debemus* Phil. 6. num. 19. 7. num. 26. 5. in Verr. num. 20. 2. 19.

III. *Portenta & Prodigia.*

Impendentium malorum ſigna, atque portenta cuiuſcumque generis ſint terrorem iniiciunt; ſic Cometarum exortus viros Principes exterrent; Nautas Helenæ ſydus; agricolas tonitrua, & nubes obſtrepentes. Tunc enim periculum in propinquo eſſe videtur cùm ea ſigna exitium comminantur. Cicer. dè haruſp. reſp. Oratione metum facit. P. C. cùm de ſonitu audito, terræque motu agitur, num. 62. *Quod ſi cætera magis perualgata non ſæpè, & leuiora mouerunt; vos ipſa Deorum Immortal. non mentes omnium permouebit? Nolite enim id putare accidere poſſe quod in fabulis ſæpè videtis fieri, vt Deus aliquis elapſus de Cœlo, cætus hominum adeat, verſetur in terris, cum hominibus colloquatur. Cogitate genus ſonitus eius, quem Latinienſes nuntiarunt: recordamini etiam illud quod nondum eſt relatum, quod eodem ferè tempore factus in agro Piceno potentia nuntiatur terræmotus horribilis cum quibuſdam multis, metuendiſque rebus, hæc eadem profectò quæ futura proſpicimus impendentia pertimeſcitis. Etenim hæc Deorum Immort. vox, hæc penè Oratio judicanda eſt, cùm ipſe mundus, cùm agri terræ motu quodā nouo contremiſcunt, & inuſitato aliquid ſono incredibilique prædicūt.*

Ab hoc affectu Nutrix melior doloris & iracundiæ facibus æſtuantem Dejaniram placare nititur in Herc. oct. act. 2.

— *Saxa jam dudum ac faces*
In te ferantur, vindicem tellus ſuum
Defendet omnis. Vna quot pœnas dabis?
Effugere terras crede & humanum genus
Te poſſe fulmen genitor Alcidæ gerit.
Iam iam minaces ire per Cœlum faces

ſpecta,

Digitized by Google

Spectra, & tonantem fulmine excuſſe diem.
Mortē in quoqueipſam, quam putas tutam, time.

Vt ſummum Numen loquutione non indigeat ad terrendos homines, tamen tot eius ſunt linguæ, quot res creatæ Si quidem: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera mannum eius annunciat firmamentum*: & Magorum Dux ſtella lingua dicitur à SS. Patribus, & Sybilla θεόφατος ἀστὴρ quin & ipſum Cœlum ab Ambroſio cæteriſque libet vocatur, in quo quidem mortales, quæ ſui ſunt muneris & legere poſſint & diſcere, fortè non infelix æternum futurus Iulianus ſi hos vitæ characteres oculo fidei legiſſet. Nam quo tempore crudelis & impius Imperator Chriſtianis minatus, bellum Perſis inferebat, intempeſta nocte, quaſi divina manuſchema fuit exhibitum ex ſtellarum congerie, tàm artificioſè conflatum vt hæc verba delinearet, σήμερον ἐν περσίδι Ἰουλιανὸς ἀναιρεῖται Hodie Iulianus in Perſide occiditur. Notato igitur air Zonaras in Iuliano, tempore poſtea cognitum eſt eodem die Apoſtatam interfectum fuiſſe. In Germania teddiræ ſalutis anno 1549. de nocte Luna quidem lucente παρήλιοι duo viſi ſunt. Præter illam ſpeciem, quæ Halos vulgò Phyſicis dicitur: hos juxta leo: necnon fodiens pectus Aquila: ſuccedebat vrbium conflagrantium ſpecies, Camelorum formæ: præterea CHRISTI de Cruce pendentis effigies cum latronibus in patibulo fixis, quibus additus vir truculentus flexo genu puellæ veniam deprecanti ſtricto mucrone necem minitans. Quæ quidem in cœlo viſa eſſe tàm certum eſt, vt tota Germania evulgata ſint ad pietatis & pœnitentiæ officia ſeſe provocantibus mutuis colloquiis & metu iis, qui hæc aut viderant ipſi, aut ab aliis acceperant Nec enim ad horum prodigiorum interpretationem opus eſt aliquis ἱερογνώμων. Nemo quippe non intelligit quid hæc ſibi velint, nempe,

Sic ſolet inviſis dùm immenſum territat orbem
Oſtentis, inſtat dum Numinis aſperat iras,
Compellare ſolo imbelles natura colonos
Atque tenebroſo velare ænigmate Numen,
Dùm ruit infeſtum, dum ſtrictis imminet armis
Majeſtaſq; polo tonat, & mortalibus ægris
Vndiq. ſtellantes per nubila diſcutit ignes.

IV Nocendi poteſtas

Timentut quibus eſt nocendi poteſtas: homines enim plerumque nacti facultatem nocendi, nocent. Quamobrem judices metuuntur à clientibus, nobiles ab ignobilibus, divites mendicis, *Cogitant*, inquit Cicer, pro Quint. *homines nō quid iis debeāt, quibus obnoxii sūt, ſed quid poſſint* Vndè Iuvenalis de militum Commodis. Sat.

Cōmoda tractamus primum communia, quorum
Non mirum illud erit ne te pulſare togatus
Studeat, imò etſi pulſetur, diſſimulet, nec
Audeat excuſſos Pratori oſtendere dentes.

Eorum inquam, pertimeſcendæ ſunt inimicitiæ, augendaque potentia, qui facilè nobis exitium afferre poſſunt, pecunioſorum, potentum, eloquentium, robuſtorum, gratioſorum. Amicè Tull. Q. Thermum proprætorem admonet, vt trium fratrum nobiliſſimorum inimicitias evitet. *Nocere tibi*, inquit, *iratum neminem poſſe perſpicio: ſed tamen tres fratres ſummo loco natos, non indiſertos te nolo habere, iratos præſertim iure.*

Quantò magis indignatio diuina metuenda, quæ poteſt animam, & corpus mittere in gehennam? horrendum eſt incidere in manus Dei viventis, monet Diu. Paulus. Benè pro more ſuo Virg. 6. à periculi ſimilitudine, parique pœna monet:

—— Sedet æternumq; ſedebit
Infelix Theſeus, Phlegyaſq; miſerrimus omnes
Admonet: & magna teſtatur voce per vmbram.
Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Divos.

V. Virtus ac probitas affecta contumelius.

Non tantùm poteſtatem nacta praviras, ſed etiam virtus ludibrio habita, timorem facit: vt enim viri probi aliis minimè nocere ſuſtinent: ſic aliorum perferre iniurias indignantur. Tull. in Verr. 1. Conſulibus metum inijcit ex hoc loco, n. 43. *Moneo tempus hoc vobis divinitùs datum eſſe, vt odio, invidia, infamia, turpitudine totum ordinem liberetis. Nulla in iudiciis ſeveritas, nulla religio, nulla denique iam exiſtimantur eſſe iudicia. Itaque à populo Romano, contemnimur, deſpicimur gravi diuturnaq; iam flagramus infamia.*

De

Digitized by Google

De Pompejo læſo ſic ad Atticum Cicer. *Timeo ne tàm vehemens vir, tamque acer in ferro, & tàm inſuetus contumelia, omni animi impetu dolori & iracundia pareat.*

Metum offenſionis honorum Iudicibus facit, ſi reus damnetur Flaccus, num.104. *Quotus enim quiſque eſt, qui hanc in Rep. ſectam ſequatur? qui vobis, qui veſtri ſimilibus, placere cupiat? qui optimi atque ampliſſimi cuiuſque hominis, atque auctor ordinis tiatem magni putet? Illā viam ſibi vident expeditiorem ad honores, & ad omnia quæ concupierunt. Si Flacco tantus amor in bonos omnes, tantum in Remp. ſtudium calamitati fuerit; quem poſt hac tàm amentem fore putatis, qui non illam vitam, quam amè præcipitem, & lubricam eſſe ducebat, huic planæ, & ſtabili præponendam eſſe arbitretur?*

Canulejus Trib pleb. Senatorum pectoribus terrorem incutit, atque oſtendit futurum vt injuriâ laceſſiti, contemptique ciues Rom. poſt hac pugnam detrectent. *Si hac impediet aliquis forte ſermonibus, & multiplicate famâ bella. Nemo nomen eſt daturus, nemo capturus, nemo dimicaturus pro ſuperbis dominis, cum quibus nec in Rep honor, nec in priuata connubij ſocietas eſt,* Liuius 13.

VI. Armata improbitas ac præceps furor viribus elatus.

Metuendi ſunt, qui præter poteſtatem, voluntatem etiam habent nocendi. Tales ſunt inimici, qui a ſtimulante odio, nocere volunt, & nocendi quærunt occaſionem. 1. in Catil. Cic. periculum indicat, quod à conjuratis in vrbe manentibus ſit timendum, num. 31. *Quòd ſi ex tanto latrocinio iſte vnus tolletur, videbimini fortaſſe ad breue quod lam tempus cura & metu eſſe releuati, periculum autem reſidebit, & erit incluſum penitus in venis atque viſceribus Reip. Vt ſæpè homines ægri, morbo graui, cùm æſtu febrique jactantur, ſi aquam gelidam biberint, primo releuari videntur deinde multò grauius vehementiuſque affliictantur; ſic morbus hic, qui eſt in Rep. releuatus iſtius pœnâ vehementius viuis reliquis ingraueſcet.*

Improbitate ac Potentiâ Antonij probata cui nocendi voluntas, nec vires deſunt terret Patres Conſcriptos, Act. 3. num 34. *Nihil eſt quod moneam; nemo eſt tàm ſtultus, qui non intelligat, ſi indormierimus huic tempori, non modò crudelem ſuperbamque dominationē nobis ſed ignominioſam etiam, & flagitioſam eſſe ferendam. Noſtis inſolentiam Antonij, noſtis amicos, noſtis totam domum.*

Efficacius act. 4. num. 13. *Non eſt, non eſt vobis Quir. cum eo hoſte certamen, quo cum aliqua pacis conditio eſſe poſſit. Neque enim ille ſeruitutem veſtram, vt antea, ſed jam iratus ſanguinem concupiſcit nullus ei videtur ludus eſſe iucundior, quàm cruor, quàm cædes quàm ante oculos trucidatio ciuium. Eſt igitur Pop. Rom. victori omnium gentium, omne certamen, cum excurſore, cum latrone, cum Spartaco.*

Quod etiam animaduertit magnus in hiſtoria Liui. l. 23. vbi Varro Conſul poſt Cannenſem cladem auxilia Campanorum impetraturus hoſtium, præſertim Hannibalis conditione notata, metum ad formidinem excitat. *Non cum Samnite, aut Etruſco res eſt; vt cùm à nobis ablatum ſit, in Italia tamen imperium maneat. Pœnus hoſtis ne Africa quidem indigena, ab vltimis terrarum oris freto Oceani, Herculiſque columnis expertem omnis iuris, & conditionis & linguæ propè humanæ militem trahit. Hunc natura immitem, moribuſque ferum inſuper, Dux ipſe efferauit, pontibus ac molibus ex humanorum corporum ſtrue faciendis, & (quod proloqui etiam piget, veſci humanis corporibus docendo. Hos infandis paſtos epulis, quos contingere etiam nefas ſit, videre atque habere Dominos, & ex Africa, & à Cartagine, & maurorum pati pro vinciam eſſe, cui non genito modo in Italia deteſtabile ſit.*

Sic irata Medea timetur, quæ ſibi factam injuriam vlciſci concupiſcit. Quàm ardens vltionis in illa cupiditas apud Sen. Act. 1.

Per viſcera ipſa quære ſupplicio viam
Si viuis anime, ſi quid antiqui tibi
Remanet vigoris; pelle fœmineos metus
Et in hoſpitalem Caucaſum mente indue.

Vt odii flammas eadem concipit, & timorem injicit apud Ouid. in epiſtolis?

In faciem moreſque tuos noua crimina fingis;
Rideat & vitiis læta ſit illa meis.
Rideat & tyrio jaceat ſublimis in oſtro,
Flebit & ardores vincet aduſta meos.
Dùm ferrum flāmaque aderunt, ſuccuſque veneni,
Hoſtis Medeæ nullus inultus erit.

Digitized by Google

VII. Accepta iniuria.

Timetur vel quia accepit iniuriam, vel accepiſſe ſe putat: vltionis quippe ſic eſt auidus, vt gratiam referendi tempus diligenter obſeruet, nec patiatur ſecurũ viuere eum, qui fecerit iniuriam. Hinc Cic. pro Mil. probat Clodium illi feciſſe inſidias, quòd ab eo læſus, & accuſatus fuiſſet. n. 36. *At valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fecit vltor iniuriæ, punitor doloris ſui. Quid, ſi hæc, nõ dico maiora fuerũt in Clodio, quã in Milone, ſed in illo maxima, nulla in hoc? quid vultis amplius, quid enim odiſſet Clodium Milo ſegetẽ, ac materiam ſuæ gloriæ, præter hoc ciuile Clodium Milo, ſegetem, ac materiam ſuæ gloriæ, præter hoc ciuile odium, quo omnes improbos odimus? Ille erat vt odiſſet primum defenſorem ſalutis meæ; deindè vexatorem furoris, domitorem armorum ſuorum poſtremò etiam accuſatorem ſuum. Reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius.*

Indè cauſas adfert cur debuerit Milo inſidias ſibi à Clodio paratas, præuidere n. 57 *Semper ille & quantum intereſſet P. Clodij ſe perire, & quanto illi odio eſſet, & quantum ille auderet, cogitabat. Quãobrem vitam, quam maximis præmiis propoſitam, & penè addictam ſciebat, nunquam in periculum ſine præſidio, & ſine cuſtodia proueheba*t.

VIII. Illata iniuria.

Metuendi ſunt qui iniuriam intulerunt, ne iterum noceant, timent enim ne vlciſcamur nos, viceſque noſtras. Chryſogonus Roſcium cuius patrem occiderat, & in eius bona fortunaſque nullo iure inuaſerat, non deſiſtebat inſectari, vt eo ſublato ſecurus eſſe poſſet, ſic enim Cic. n. 6. *Is à vobis Iud. poſtulat, vt quoniam in alienam pecuniam, tàm plenam atq; præclaram nullo iure inuaſerit, quoniamque ei pecunia Roſcij obſtare, atq; officere videatur, deleatis ex animo ſuo ſuſpicionem, metumq; tollatis. Seſe hoc incolumi non arbitratur huius innocentis patrimonium tàm amplum, & copioſum poſſe obtinere, damnato, & eiecto, ſperat ſe poſſe quod adeptus eſt per ſcelus, id per luxuriam effundere, atque conſumerere.*

Item n. 32. ita loquentem Roſciũ facit. *Etenim quis tàm diſſoluto animo eſt, qui hæc cùm videat, tacere ac negligere poſſit? patrem meũ, cùm proſcriptus nõ eſſet, iugulaſtis, occiſum in proſcriptorum numerũ retuliſtis: me domo mea per vim expuliſtis, patrimonium meũ poſſidetis, quid vultis amplius? etiámne ad ſubſellia cum ferro atq; telis veniſtis, vt hic aut iuguletis, aut condemnetis innocentem Roſcium.*

IX. Æmulatio & honoris contentio.

Timentur qui de honore certant; ad victoriam enim quæritur fraus. Hinc illa fluxere Lucani l. 1.

Nulla fides regni ſociis, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit, nec gentibus vllis
Credite, nec longè fatorum exempla petantur,
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Quamdiu durat honoris contentio, non poſſunt non hoſtiles animos invicem retinere; quam rem Cic. 1. de Offic. n. 26. ſic exprimit. *Maximè autẽ adducuntur plerique, vt eos iuſtitiæ capiat obliuio, cùm in imperiorum honorum, gloriæ cupiditatem inciderint. Quod enim eſt apud Ennium, nulla ſancta ſocietas, nec fides enim regni eſt: id latius patet. Nã quidquid eiuſmodi eſt, in quo non poſſint plures excellere, in eo fit plerumque tanta contentio, vt difficillimum ſit ſanctam ſeruare ſocietatem. Declarauit id tempeſtas Cæſaris, qui omnia iura diuina, atque humana peruertit propter eum, quem ſibi ipſe opinionis errore finxerat principatum.*

X. Conſcius & particeps ſceleris.

Metuendi ſunt quos ſcelerum noſtrorum cõſcios ſcimus, quia in eorum poteſtate ſumus, ac veremur, ne arcana detegant: qui metus ex eo exiſtit, quòd quibus res noſtras credimus, & in quorum fide ſumus, ſæpè aut ſint improbi, volunt fidem datam fallere aut cupiditate ardent, & pecuniâ vel mercede produnt, quod tacitum oportebat, aut tormentis adiguntur, & tumeos neceſſitas cogit; ſic porrò metus quam plurimos cogit amorem ſimulare, beneuolentiâ complecti, inque ſinu geſtare flagitiorum conſcios, quia prodi timent; in huiuſmodi ludit mordaciter Iuve. Saty. 3.

Quis nunc diligitur niſi conſcius? cui fervens
Æſtuat occultis animus ſemperque tacendis?
Nil tibi ſe debere putat, nil conferet nunquam.

Prati

Participem qui te ſecreti fecit honeſti.
Carus erit Verri, qui Verrem tempore quo vult
Accuſare poteſt.

XI. Tranquilla diſſimulatio.

Non timetur is qui pronus eſt ad iracundiam, & liberè loquitur: nam facilè cavemus ab eo, qui cùm iræ ſit acutæ mentem aperuit.

Profeſſa perdunt odia vindictæ locum

Maximè tunc metuendum, quando nobis res eſt cum ſedato homine, lento, diſſimulatore, verſuto. Nam incerta ſunt tum omnia, & neſcitur quod periculi genus, & quàm propè ſit, hæc omnia vox Cæſaris confirmat, de Dolabella & Antonio, dicentis, ſe pingues & politulos coniuratores illos non admodum pertimeſcere, ſed illos macilentos, ac multum, aliàque cogitantes: intelligebat videlicet Caſſium & Brutum, à quibus eſt interfectus.

XII. Improbitas.

Metuendi ſunt qui adigente ſcelerum conſcientia, non tantùm facibus Nemeſim armatam, ſed & eius vmbram pertimeſcunt: eos enim facilè trucidant, à quibus ſibi metuunt. Quis illi Dionyſio vitam, & ſalutem committat, qui ſe vix ſibi credebat? Fortunatius Syculo fuiſſet ſemel perire, quàm ſemper. Qualis illa felicitas: qualis majeſtas, cui non licuit quod ſeruo? totam timor corrupit fortunam, & quod mireris naturam. Filias & vxores ſi non odio, in ſuſpicione habuit, quibus dedit vitam, non confidit genas, ſed metuens cultros tonſorios filias tondere docuit, quibus iam adultis ſalutem non credens, ab iiſdem ferrum removit, & candentibus iuglandium putaminibus, barbam ſibi, & capillum adūſſit. Tanti illi ſtetit hæc neceſſitas cultus! Timor illum priuavit, quo pecora non carent: nec vocem illi timor liberam reliquit, ex edita turre concionem habebat, non ſe credens ſuggeſtis. Quid? nec ſuo pectori. Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent. Quid non metuat rea conſcientia?

Quo cruciatu timoris angi ſolitus eſt Artemon ille ſceleratus? qui diu ſeſe domi cōtinuit, egredi volenti, duobus famulis ſcuta capiti opponentibus: ſin domo prodiit, lectica tantum in teſtudinem fortiter inflexa vectus eſt. Quæ maior miſeria, quàm cui cœlum ſuſpectum eſt? ecquod majus periculum, iſto timore periculi.

Quàm impotenter timidus? quàm malè ſibi conſcius generis humani portentu Thyrſus apud Elian. Hiſt. l. 14. Qui per metum ſuis civibus primùm omni colloquio interdixit: tùm etiam oculorum, manuumque nutibus, quibus, adempro linguæ vſu, loquebantur, animique ſui ſenſa tacitùs exprimebant, ac demum lacrymas ipſas miſerorum ſolatium, prohibuit.

Quàm gravi metu perculſus Pyſander impius qui ne infelici animæ ſuæ quandóque occurret, à quo viuens erat deſtitutus, reformidabat? Si qui tamen eo ſtatu eſſe videbuntur, vt vel auctoritate freti, vel opibus, aut alio quovis præſidio ſubnixi, extra fortunæ dominantis aleam, & metum eſſe dicantur, ex illa conſtantiæ arce deijciendi ſunt, re multum amplificata, propoſitiſque aliorum exemplis, qui pari, vel etiam altiori de gradu præcipites acti ſunt. Venit in mentem P. Craſſi, qui cùm, ſedente ad iudicium Cicerone, poſtulatus eſſet, amicorum potentia, viribuſque confiſus, proidit quidem ipſe ſordidatus ad iudicium, brevi tamen exceſſit, veſtem mutaturus: cùm verò domo regrediens audiſſet ſe omnium Iudicum calculis eſſe damnatum, pedem referens in cubile corpus, & vitam abiecit.

XIII. Experientia.

Mali præteriti quod quis ſubierit expertus recordatio, & dux conſequentis metum facit ex Ovidio 1. de Ponto Ele. 2.

Tuta petant alii fortuna miſerrima tuta eſt
Nam timor euentus deterioris abeſt.
Qui rapitur fatis quid præter fata requirat?
Porrigit ad ſpinas, duráque ſaxa manus.
Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales
Audet in humanos feſſa venire ſinus.
Nec ſe vicino dubitat committere tecto
Quæ fugit infeſtos territa cerua canes.

Clarius non poſſe non timere illum docet, qui

Digitized by Google

ſæpè malum expertus fuit, quod capiti ſui impendere videt.l.Triſt.Eleg.1.

Eſſe quidem memini mitiſſima ſedibus illis
Numina,ſed timeo qui nocuére Deos.
Terretur minimo pennæ ſtridore columba
Vnguibus Accipiter ſaucia facta tuis.
Nec procul à ſtabulis audet diſcedere,ſi qua
Excuſſa eſt avidi dentibus agna lupi.
Vitaret cælum Phaëton ſi viueret,& quos
Optarat ſtultè,tangere nollet equos
Me quoque quæ ſenſi fateor Iovis arma timere,
Me reor infeſto cum tonat igne peti.
Quicunque Argolica de claſſe Capharea fugit,
Semper ab Euboïcis vela retorquet aquis.
Et mea Cymba ſemel vaſta percuſſa procella
Illum quo læſa eſt horret adire locum.

XIV. Anticipata miſeria.

Præcox & anticipata miſeria timorem facit, & torquet aliquando gravius,quàm mali præſentia,iuxta Senecæ mentem ep. 98. *Calamitoſus eſt animus futuri anxius,&,& ante miſerias miſer, qui ſollicitus eſt,vt ea,quibus delectatur, ad extremum vſque permaneant. Nullo enim tempore conquieſcet,& expectatione futura, præſentia, quibus frui poterat,amittet.In æquo autem dolor amiſſæ rei & timor amittendæ. Adeò verum eſt quod olim magni nominis ſapientem dicere ſolitum accepimus. Metus difficilis res eſt,vt multi jam opus præoccuparint:hi quidem in naui tempeſtate preſſi,non exſpectaverunt navis ſubmerſionem; ſed ſemet prius interfecerunt:hi autem ab hoſtibus comprehenſi, licet manifeſtè ſcirent,ſe nihil gravius paſſuros.*

Denique valde metuendum eſt, quando res eſt eiuſmodi,vt ſi quid peccatum ſit nullus videatur emendandi locus:vel quia auxilia ſunt,in adverſariorum poteſtate,vel quia nulla ſunt,aut nimis ardua.

XV. Timoris motus.

Ergo ſceletate Deum non veteris piè indulgentem,perhorreſce tandem juſtè vindicantem, Scio quidem divinæ pietatis manus ad probos munerandos ſemper explicatas:Sed nec ignoto ſeveritatis item brachium ad pœnas de nafariis repetendas exporrectum. Quibus ſuppliciis: graſſante per corruptum aërem peſtiferâ lue:vrgente per paupertatem, vt carnificinam, fame, bellonà cum horrore ſtygio per orbem volitante,fortunarum omnium ad deſperationem naufragio, morbis inſanabilibus catervatim in humanum corpus irrumpentibus. Horum tu malorum obiecta facie non exalbeſcis?Quid ſi videas poſtmodum demolitas ædes,raptas per vim coniuges,extinctos cruenta cædeliberos, everſa Imperia,bonorum ſtrages,calamitatum acervos illane nihil putas ad te pertinere?Iamſi te vindicis & irati Numinis manus appetant,quò te miſer proripies?in ſubterraneos ſpecus, vt ad nutum ardentis illius oculi terra dehiſcens vivum ſorbeat?digito ſuo tangit illam vltor Deus, & ſtatim tumefactis viſceribus flatum emittit, & ingenti fragore integras evertit vrbes,muris firmas,Palatiis nobiles,rerum omnium pompa ſuperbas: time. Lucorum penetralia quæres ad ſecuritatem:vt ad eius arbitrium ex illis erumpentia feratum furiarumque monſtra te miſerandum in modum exenterent?in maritimos ſinus deſcendes: vt ad eius vocem & imperium, portentoſa Piſtrix prægrandi te faucium barathro deglutiat.

Terra marique excluſus quò te facinoroſe recipies,vt dexteram vltoris Dei telo gravem,jamque ad feriendum paratam effugias: hoc certè reliquum eſt, vt horrenda tartarorum votagine tumuleris. Vidéſne circumcurſantes per æthera nubes metuendas?cernis conduplicata fulgetra? audis tonitruum cœli minantis linguam? nec horror ille te conturbat: nec ruentes procellas contremiſcis?quas in caput inimicum effundat. Quid ſi ruptis violenter nubibus atque ignito ardore vibrantibus erūpat fulmen,ac miſerabili clade te victimam inferorum proterat? Cogita ſcelératos Principes auro & gemmis coronatos, purpura inſignes, gloriæ ſuæ Majeſtate conſpicuos, dominatu potentiáque feroces ad occurſum fulminantis iræ Dei, metu fractos fugiſſe, periiſſe. Nulla laurus illius fulmen arcet ac defendit, Anaſtaſium recordare librato ac deſtinato fulminis ictu proſtratum, Maximum vermibus corroſum, Valentem igne abſumptum,

Antio

Antiochum rabioſa prurigine convulſum, Nabuchodonoſorem brutorum gregibus proſtitutum, Balthaſarem inter lances exanimatum, Iulianum cœleſti lancea terebratum. Tunc Principibus illis Auguſtior, qui diuini Numinis iras à ceruicibus tuis amoliri poſſis? Tibi Deus erit quàm illis placabilior? in illorum ſcelerata capita iræ diluuium effuderit, bonitatis in te ſicariũ ad ferrum, petulantem ad voluptates, cupidum ad auaritiam, vanũ ad honores, ad omne ſcelus factum & exercitatũ. *Deum excipe pluentem, & time tonantem. Vis porrò non timere peccatorum punitorũ ama virtutum donatorem.* Auguſtinus.

LECTIO XXIV.

Sedatur Timor.

NVlla te potius ſedatur timor, quàm ijs quæ de confidentia ſubiiciuntur: is enim eſt motus, qui aperta vi timorem impugnat, hominemque facit confidentiorem.

Multa metus remedia præſcribit ſuo Lucilio morum magiſter egregius Seneca. Præſens eſt illud quod ſuggerit ep. 110 Scilicet corrigendum eſſe iudicium præpoſterum de malis, quæ tantùm opinione noſtra mala ſunt.

I. Non admittendus timor qui nos ante miſeriam miſeros facit.

Prope eſt rerum omnium terminus, & illud vnde felix eiicitur, & illud vnde infelix emittitur Nos vtraque extendimus, & longa ſpe, ac metu facimus. Sed ſi ſapis omnia humana conditione metire: ſimul & quod gaudes, & quod times contrahe. Eſt tanti diu nihil gaudere, ne quid diu timeas. Sed quare iſtuc malum aſtringo? non eſt quod quicquam timendum putes. Varia ſunt iſta quæ nos monent, quæ attonitos habent. Nemo noſtrum quid veri eſſet, excuſſit, ſed metum alter alteri tradidit Nemo auſus eſt ad id quo perturbatur accedere, & naturam, ac bonum timoris ſui noſſe. Itaque res falſa, & inanis habet adhuc finem, qui non coarguitur. Tanti putemus oculos intendere; iam apparebit, quàm incerta, quàm tuta timeantur.

Multis deplorat acerbitatem timoris animum excedentis, docetque Lucilium infelicis eſſe ſemper timere, dementis verò malum ſuum anteuertere; nam bis patitur mala, quæ non ſunt, & quæ timentur, proinde metum eſſe virtute coërcendum. *Plura ſunt, quæ nos terrent, quàm quæ premunt & ſæpius opinione, quàm re laboramus; illud tibi præcipio ne ſis miſer ante tempus: cùm illa quæ velut imminentia expauiſti, fortaſſè nunquam ventura ſint, certè nondum venerint. Quædam ergo nos magis torquent, quàm debeant; quædam ante torquent, quàm debeant; quædam torquent, cùm omninò non debeant. Aut augemus dolorem, aut fingimus, aut præcipimus.*

Deindè timorem malorum inutilem diſputat; Nam aut certum periculum eſt aut nullũ: ſi certum nihil agitur timendo, niſi præſumere: ſi non eſt futurum, irritis ſe vexat curis, & præſentibus ſe punit mœroribus: ſic ipſe timor iam eſt periculi incerti, certum damnum.

Inquiramus in rem diligenter. Veriſimile eſt aliquid futurum mali. Non ſtatim verum eſt. Quàm multa non expectata venerũt, quàm multa expectata nuſquam cõparuerunt? Etiamſi futurum eſt, quid iuuat dolori ſuo occurrere! ſatis citò dolebis: cùm venerit: interim tibi meliora promitte. Quid facies lucri? Tempus. Multa interueniunt quibus vicinius periculũ vel propè admotũ, aut ſubſiſtat, aut in alterũ caput tranſeat. Incendiũ ad fugam patuit: quoſdam molliter ruina depoſuit: aliquando gladius ab ipſa ceruice reuocatus eſt: aliquis carnifici ſuo ſuperſtes fuit. Habes etiã malæ fortunæ leuitatẽ: fortaſſe erit, fortaſſe nõ erit. Interim dùm nõ eſt, meliora propone. Nõnũquã nullis apparẽtibus ſignis quæ mali aliquid prænuntient, animus ſibi falſas imagines fingit, aut verbũ aliquod dubiæ ſignificationis detorquet inpeius, aut maiorem ſibi offenſam proponit alicuius quã eſt, & cogitat, non quantum iratus ille ſit, ſed quantũ liceat irato. Nulla autem cauſa vitæ eſt nullus miſeriarũ modus, ſi timeretur quantum poteſt. Hic prudentia proſit, hic robore animi, euidentẽ quoque metum reſpice, ſi minus; vitium vitio repelle, ſpe metum

Digitized by Google

tum tempera. Nihil tàm certum eſt ex his quo timentur, vt non certius ſit, & formidata ſubſidere, & ſperata decipere.

II. Cupiditatis finis.

Non ſperare potens eſt timoris remedium, quod idem Sen. proponit ep. 5. *Deſines timere, ſi ſperare deſieris. Dices quomodo iſta tàm diuerſa pariter ſunt? Ita eſt, cùm videantur diſſidere, coniuncta ſunt. Quemadmodum eadem catena & cuſtodiam, & militem copulat: ſic iſta quæ tàm diſſimilia ſunt, pariter incedunt. Spem metus ſequitur, nec miror iſta ſic ire. Vtrumq; pendentis animi eſt; vtrumq; futuri expectatione ſolliciti. Maxima autem vtriuſq; cauſa eſt; quod ad præſentia aptamur, ſed cogitationes in longinqua præmittimus. Itaque prouidentia maximum bonum conditionis humanæ in malum verſa eſt. Feræ pericula quæ vident, effugiũt cùm effugerè ſecura ſunt. Nos & venturo torquemur & præterito. Multa bona noſtra nobis nocent. Timoris enim tormentum memoria reducit, prouidentia anticipat. Nemo tantum præſentibus miſer eſt.*

III. Promiſſa conſtantis fortunæ.

Sedari metus poteſt vel eum confirmando quem corroboramus, vel infirmando vires alienas, vel mali opinionem eleuando. Sil. Ital. l. 9.

Pelle metum, neu te Tyriæ certamina gentis,
Turbarint Cytherea; tenet longumq; tenebit
Tarpeias arces ſanguis tuus. Hac ego Martis
Mole viros ſpectare paro, atque expendere bella.
Gens ferri patiens, ac læta domare labores
Paulatim antiquo patrum deſueſcit honori.

Sic animos, & fidem ſuam excitat ad gratam Herculis ſui recordationem Megæra ſtatumque vitæ meliorem ſibi pollicetur in Herc. Fur. Act. 2. Sc. 3.

Ly. *Animóſne merſus inferis coniux facit?*
Me. *Inferna tetigit, poſſet vt ſupera aſſequi.*
Ly. *Telluris illum pondus immenſæ premit.*
Me. *Nullo premetur onere qui cælum tulit.*
Ly. *Cogére* Me. *Cogi qui poteſt, neſcit mori.*
Ly. *Moriére demens.* Me. *Coniugi occurram meo.*

IV. Spes melioris euentus.

Ex hoc timorem minuit multis in locis Seneca, dùm oſtendit, vanum ſæpè falſumque metum & alium plerumque rerum exitum eſſe: ab eo quem concepimus. Hoc vtitur Valerius Flac. Argau. 2. Ad excitandos militum animos metu remiſſos, ex aſtrorum aſpectu meliorem euentum promittentium.

Quin agite ô ſocij micat immutabile cœlum.
Puraq; nec grauido ſurrexit cynthia cornu.
Nullus in orbe rubor, certusq; ad talia Titan
Integer in fluctus, & in vno decidit Euro;
Adde quód in noctem venti, velóque, marique
Incumbunt magis.

X. Præmeditatio futurorum malorum.

Quidquid expectatum eſt diu, lenius accedit; & mali præcogitati mollior ictus venit.

Nam leuius lædit quidquid præuidimus ante;
Et præuiſa minus tela ferire ſolent.

Ideò ſapiens aſſueſcit futuris malis, & ſic timorem minuit, quæque multi diu patiendo leuia faciunt, hic leuia facit diu cogitando. Sollicitè monet Sene. de Tranquill c. 11. *In tanta rerum ſurſum, ac deorſum euntium variatione, ſi non quidquid fieri poteſt, pro futuro habes, das in te vires rebus aduerſis, quas infregit quiſquis prior vidit.*

Non minus appoſitè rem eandem premit ep. 24 *Si vis omnem ſollicitudinem exuere, quidquid vereris ne eueniat, euenturum vtique propone: & quodcumque illud eſt malum tecum ipſe metire, ac timorem tuum taxa. Intelliges profecto aut non magnum, aut non longum eſſe quod metuis.*

VI. Opis & auxilij diuini promiſſio.

Diuinum auxilium, & numen metum minuit, & animos facit Tull. 2. in Catil 19. *Quibus præcipiẽdũ eſt vt different; Deos immortales huic inuicto populo, clariſſimo imperio, pulcherrimæ vrbi contra tantã vim ſceleris præſentem auxilium eſſe laturos.*

Rem hanc vrget Alcimus, Auitus l. 5.

Quæſumus ingratos populus depone timores

Ægyp

Ægyptus toties nunquam fidentibus in ſe
Diſore cœleſtes; nec deſperanda puteris
Quæ tantis ſpondent cœleſtia numina ſignis,
Infidi ne poteſt elabi cordibus vnquam
Ægyptus tot caſa malis?

VII. Bona conſcientia.

Ea vis eſt conſcientiæ, vt nihil timeat, qui nihil commiſerit, ſic illam timorem abigere docet D. Chryſoſt. Hom. 1. ad Rom. ep. Nil metuit bona conſcientia, varios metus abigit, & veram conciliat ſecuritatem, animi tranquillitatem, & lætitiam, non principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiæ tumor, non corporis fortitudo, non menſæ ſumptus, non veſtium ornatus, non aliud quidquam rerum humanarum afferre conſueuit præterquam conſcientia bona, quàm certè qui puram habet, vt pannoſus ſit, vt cum fame luctetur, tamen tranquillior beatiorque eſt ijs, qui inter delicias degunt.

Hanc exin iam conſcientiæ vim ad pellendum timorem commendat Eugenio Bernardus de Conſid. *Ad calumnias hominum non trepidat, quid in terra quietius, & ſecurius bona conſcientia? damna rerum nõ metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quæ & ipſa morte magis erigitur, quàm deprimitur.*

Hinc timoris neſcium facit virum virtute, iuſtitiâ, ſapientiâ ſingularem, vt qui præter culpam nihil reformidet. Horat. 3. Car. Cantu tertio.

Iuſtum & tenacem propoſiti virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis Tyranni
Mente quatit ſolida, neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

PVNCTVM. VIII.
Spes.

Melioris euentus & fortunæ Spes timorem mitigat dicente Lucano lib. 2.

Iamque ira patuêre Deum manifeſtaque belli
Signa dedit mundus, legeſque & fœdera rerum
Præſcia monſtrifero vertit natura tumultu
Indixitque nefas Cur hanc tibi rector Olympi
Sollicitis viſum mortalibus addere curam
Noſcant venturas vt dira per omnia clades
Sit ſubitum quodcumque paras, ſit cæca futuri
Mens hominum fati, liceat ſperare timenti.

PVNCTVM. IX.
Timor Dei.

Nvlla tàm ardua difficultas, quam vir timés Deum impauidus non inuadat. Cuius confidentiæ rationem hanc affert Diu. Auguſtin. in Pſal. 66. *Maiore timore, minora contemnimus. Alios omnes pellit, ſecurus eſt, & dùm nos defendit Dei cauſam agit.* Commodè dixit illum Leontius *δικαιοκρισίας συνήγορο* iuſtitiæ patronũ, & innocentiæ vindicem. Adſit timor Dei nihil erit moleſtum ſiue duxeris paupertatem, ſiue morbum, ſiue captiuitatem, ſiue quiduis aliud moleſtum: ſed & ipſa nobis opem, & auxilium afferent ad contraria, ſcilicet paupertas diuitiis honeſtior, morbus ſanitate firmior, captiuitas denique libertate glorioſior erit D. Chryſoſtomus 26. ad Hebr.

Hinc bonum ac rectum timorem perſuadet Paulinus ne quid timeamus, Natal. 8.

Ergo fides innixa Deo trepidantia firmet.
Pectora, & in mœſto ſecurum tempore tempus
Præſumat confiſa Deo: quia nil metuendi
Cauſa timere Deũ; quem quiſquis non timet vnũ:
Omnia iure timet.

LECTIO

Digitized by Google

LECTIO XX.

Deſcribitur metus, ſiue timoris effecta proponuntur.

EX adiunctis potiſſimum colligitur metus tortor quidam atque ſatelles mentis, qua grauiſſimè vexantur homines, licet plus in metuendo plerumque mali ſit, quàm in eo ipſo quod timetur. Proinde iuuat Oratorem noſſe naturam, & conſtitutionem corporis eius, cui metum velit iniicere.

I. Pallor.

Qui timent, pallent. Nam licet frons & vultus perſæpè mentiātur, & ad omnem hilaritatis ſpeciem componantur, tamen ex pallore & tremore, vel inuitum hominem occupante, apparet animi ſtatus. *Fingit quidē*, ait Pacatus in Panegyr. Thed. *timor gaudium: ſed ita intimos mentis affectus proditor vultus enunciat, vt in ſpeculo frontium, imago extet animorum.* Hanc timoris vim exprimit Virg. cùm Matres eo timore correptas ad fluuium, cui Nomen, & ad Veliæ fontes deſcribit, vt de filiorum ſalute ſollicitæ, arctius illos pectoribus ſuis admouerent, quaſi iam propè raptores cernerent 7. Æn.

Audiit & Triuia longè lacus, audiit amnis
Sulphureâ Nar albus aquâ, fonteſque Velini
Et trepidæ matres preſſêre ad pectora natos.

Horat. de bello ciuili lib. Epid. Ode. 7.

Furórne cæcus, an rapit vis acrior?
An culpa? reſponſum date.
Tacent: & ora pallor albus inficit:
Menteſque perculſæ ſtupent.

II. Horror.

Eius qui timet totum corpus, vel frigore, vel pauore contremiſcit, ſuccuſſaturque, hunc experitur motum Oedip. apud Senecam. Act. 2.

Horrore quatior, fata quo vergant, timens
Trepidumque gemino pectus euentu labat.
Vbi læta duris miſta in ambiguo iacent;
Incertus animus, ſcire cùm cupiat, timet.

Æneas ad viſum portentum dùm ramos virides aris ornādis quærit, ſacris operatutus ad felicem nauigationis curſum à Diis obtinendum. 3. Æn.

— *Mihi frigidus horror.*
Membra quatit, gelidusq; coit formidine ſanguis.

Eleganter Statius,

Stant triſtes horrore comæ.

Vates Romanus in Faſtis,

— *Senſique metu riguiſſe capillos.*

III. Genuum cadentium fracta debilitas.

Tantus plerumque timor oritur, vt etiam retardet greſſum, vireſque frangat. Hoc de ſe fatetur Thyeſtes ad Pliſthenem.

Cauſam timoris, ipſe quam ignoro, exigis.
Nihil timendum video, ſed timeo tamen.
Placet ire: pigris membra ſed genibus labant,
Alióque quàm quò nitor, abductus feror.
Sic concitatam remige, & velo ratem
Æſtus reſiſtens remigi, & velo, refert.

IV. Sudor.

De ſudore præmetu ſunt illa Vatis Metam. 5. fab. 10. vbi ſuos timores aperit Arethuſa in fontem mutata, poſt ſimilis pugnæ fugam ſanè glorioſam, hæc ait,

Quid mihi tūc animi miſeræ fuit? anne quod agnæ
Si qua lupos audit circum ſtabula alta fremētes?
Aut lepori qui vepre latens hoſtilia cernit
Ora canum, nulloſq; audet dare corpore motus?
Non tamen abſceſſit: neque enim veſtigia cernit,
Longius vlla pedum ſeruat nubemque locumque
Occupat obſeſſos ſudor mihi frigidus artus,
Cæruleaque cadunt toto de corpore guttæ.

V. Somnus inquietus & Vigiliæ.

Qui timet nullam neque diurnæ, neque nocturnæ quietis partem capere poteſt hoc metus indicium frequens eſt in Poëtis. Andromachen de filij ſui ſalute ſollicitam facit Seneca, prius in Somnis ab Hectore piè admonitam, in Troade. Act. 3. Sc. 1.

Feſſis

Digitized by Google

—— Feſſis ſomnus obrepſit genis,
Si ſomnus ille eſt mentis attonitæ ſtupor,
Depelle ſomnos inquit, & natum eripe.
Mihi gelidus horror & tremor ſomnum excutit,
Oculosque nunc huc panida, nunc illuc ferens
Oblita nati, miſera quæſiui Hectorem.
Sudor per artus frigidus totos cadit,
Omen tremiſco miſera fatalis loci.

Non aliter Vates audax Stat. 3. Theb. ducem in timore facit inſomnem & curis anxium.

At non Aoniæ moderator perfidus aulæ
Nocte ſub ancipiti, quamuis humentibus vmbris
Longus ad Auroram ſuperet labor; otia ſomni
Accipit, inuigilant animo ſceleriſque parati
Supplicium exercent curæ.

VI. *Sollicitudo diſcrucians.*

Trimor ſummè ſollicitos facit. Ita Cybelem Deorum matrem ſuſpenſam metu ſe fatetur ob Æneæ naues, quibus fabricandis ligna pinuſque dederat. 9 Æn.

Has ego Dardanio Iuueni, cum claſſis egeret
Læta dedi: nunc ſollicitam timor anxius vrget.

Sic tuta timet Oedipus Senecæ, ſollicitus pendet, ſperat nihil, Act. 1. Theb.

Nunc ego Penates profugus exceſſi meos,
Parum ipſe fidens mihimet, in tuto tua
Natura poſui iura, cùm magna horreas.
Quæ poſſe fieri non putes, metuas tamen,
Cuncta expaueſco, meque non credo mihi.

VII. *Sparſus rumor.*

Omnia re maiora facit. Ab hoc affectu Sil. Ital lib. 10.

Fama dehinc gliſcente ſono iam ſydera adibat,
Iam maria, ac terras patriamque intrauerat vrbem
Diffidunt muris, ſolam pauitantibus arcem
Sperauiſſe ſat eſt; nec enim ſupereſſe iuuentam,
Ac ſtare Auſoniam vacuum ſine corpore nomen.

VIII. *Solicita ſuſpicio.*

Timenti certum nihil, ſuſpenſa omnia, nec vni tantùm, ſed penè totis ſenſibus illuditur. Trepidantem, & metu grauiore deceptum, tenebriſq; noctis deſcribit Virg. 2. Æn.

Iamque propinquam porti, omnemque videbar
Euaſiſſe viam: ſubitò cùm creber ad aures
Viſus adeſſe pedum ſonitus, fuge nate, propinquant
Ardentes clypeos, atque æra micantia cerno.

Non quidem hoſtes aderant, ſed illos ſenex præ metu putabat adeſſe. Similis timor, & anxietas apud Iul. Cæſ. lib. 2. ciuil. vbi ſuperato Curione, atque interfecto, ſubiicit. *Tantus fuit omnium terror, vt alij adeſſe copias Iubæ dicerent, alij cum legionibus inſtare Varum, iamque ſe puluerem venientem cernere, quarum rerum nihil omninò acciderat.* Huius etiam meminit morum Cenſor egregius Sen. epiſt. 13. *Neſcio quomodò magis vana perturbant. Vera enim modum ſuum habent; quidquid ex incerto venit, coniecturæ, & licentiæ pauentis animi traditur.*

De Timore plerumque mala augurante Claudianus de bello Getico.

Vtque eſt ingenioque loquax & plurima fingi
Permittens, credique timor: tunc ſomnia vulgò
Narrari; tunc monſtra Deûm, monituſque ſiniſtri.
Quid meditentur aues, quid cum mortalibus æther
Fulmineo velit igne loqui, quid carmine poſcat
Fatidico cuſtos Romani carbaſus æui.
Sed malus interpres rerum metus omne trahebat
Augurium peiore via.

IX. *Fuga præceps.*

Timor vt plurimum in fuga perfugium quærit, & ſecuritatem. Quod expreſſit Luc. lib. 4.

—— Sic turba per vrbem
Præcipiti lymphata gradu, velut vnica rebus
Spes foret afflictis, patrios excedere muros
In conſultaruit.

Quàm miſerabilis eſt illa militaris turmæ tuta timentis fuga apud eundem lib. 1. Pharſ.

Tunc quæ tuta petant, & quæ metuenda relinquant
Incerti; quo quemque fuga tulit impetus, vrgent
Præcipitem populum, ſerièque hærentia longa
Agmina prorumpunt: credas aut tecta nefandas
Corripuiſſe faces, aut iam quatiente ruina
Nutantes pendere domos.

Digitized by Google

X. Præſagitio.

Moleſtia eſt,ſine emolumento timor,ſuſpicioſus eſt cruciatus,& ſæpè malus interpres rerum & malus augur metus.Stat.5.Theb.

— Tunc plurima verſat
Peſſimus in dubiis augur timor, hei mihi clamat
Vnde mora?(nā prona ratus, facilemq; tot armis
Tydea,nec numero virtutem,animumq; rependit
Num regio diuerſa via?num miſſus ab Argis
Subſidio globus?an ſce eris data fama per vrbes.
Finitimas?

XI. Expectati mali diffidentia.

Ad omnem auram, & flatum pertimeſcit. Quod timoris indicium agnoſcit in Ænea benè pio Virg.dùm fugienti dat comitem ipſum pauorem, patrem in humeris ſenem, in manibus paruulum Aſcanium,in veſtigiis coniugem.2.Æn.

Et me quem dudum nonnulla iniecta mouebant
Tela,neque aduerſo glomerari examine Graij,
Nunc omnes terrent auræ ſonus excitat omnis
Suſpenſum,& pariter comitique,oneriq; timentē.

Paruulum differt,ait Plin.rum lib.8.epiſt.17.*patiaris aduerſa,an exſpectes:niſi quod tantū eſt dolendi modus,non eſt timendi.Doleas enim quantum ſcias accidiſſe;timeas quantū poſſit accidere.*Quod præceptum non ſequitur ille timidus apud Horat.1.Car.cantu 23.

Vitas hinnuleo non ſimilis Chloë,
Quærenti pauidam montibus auiis
Matrem non ſine vano
Aurarum,& ſyluæ metu
Nam ſeu nobilibus veris inhorruit
Aduentus foliis,ſeu viridis rubum
Dimouêre lacertæ,
Et corde,& genibus tremit.

Sed in eos potiſſimum cadit timor iſte,qui ſcelerum ſuorum conſcientiâ cruciantur.Nemo melius vno Cicerone timoris huius affectus expreſſit in Piſone,quē oppreſſū conſcientia maleficiorum ſuorum probat,n. 99.*Nūquā ego ſāguinē expetiui tuum;nūquā illud extremū, quod poſſe eſſe impro & probis cōmune ſuplicium, legis ac iudicij,ſed abiectū, cōtēptū, deſpectū à cæteris, à te ipſo deſperatum,& relictū,circumſpectātē omnia quidquid increpuiſſet pertimeſcētē, diffidētem rebus tuis: ſine voce, ſine libertate, ſine auctoritate,ſine vlla ſpecie conſulari: horrentem, trementem, adulantem omnibus, videre te volui, vidi: quare ſi tibi euenerit, quod metuis, ne accidat,non moleſtè feram.*

Ad eandem pertinent illa Claudiani 1.in Eutropium conſcientiæ ſtimulis,quaſi furiarum tædis ardentibus incitatum,ac trementem,

Ecce leuis frondes à tergo concutit aura,
Credit tela,leo,valuit pro vulnere terror,
Impleuitque vicem iaculi:vitamque nocentem
Integer,& ſola formidine ſaucius efflat.

XII. Audacia.

Licet timor nonunquam ignauos reddat,ſæpius tamen ad bellū promptiores facit & audaciores ſpe ſcilicet mali depellendi. Inde Xenophon lib.3.memor Socratis fiduciæ metum opponit:Nam ſicut illa negligētiæ mater eſt,ſic & iſte ſtrenuitatis.Ad cuius mētē Virg.10.Æn.

—— Quis metus aut hos,
Aut hos arma ſequi ferrumque laceſſere ſuaſit.

Pari timoris nota Criſt.1.eleg 3. Vates.

—— Audaces cogimur eſſe metu.

XIII. Vocis interclusio, & hæsitatio linguæ.

Timorem mœſtum plerumque comitatur tantus animi dolor,vt vocem,& ſenſum adimat.Silius Ital.lib.2.

Tùm queſtus timuêre ſuos,magnusque per omnes
Errabat ſine voce dolor,ſic funere primo
Attonitæ tacuêre domus,cùm corpora nondum
Conclamata iacent:nec mater crine ſoluto
Exigit ad ſæuos famularum brachia planctus.

Hanc animi cunctationem,& anguſtias linguæque debilitatem deprehendit in Turno Virg. cui iam fata manum inijciebant 12.Æn.

Sic Turno quacumque viam virtute petiuit,
Succeſſum Dea dira negat:tunc pectore ſenſus
Vertuntur varij, Rutulos aſpectat,& vrbem,
Cunctaturque metu,telumq; inſtare tremiſcit.

Quam timoris notam vidit Ammia. lib.14.

Solent

Digitized by Google

ſolent,inquit, *manum iniectantibus fatis hebetari ſenſus hominum & obtundi.* Quin & ab ipſa mente dimouet aliquando nimius timor.

Ergo amens diuerſa fuga petit æquora Turnus.

XIV. Preces & vota.

Timor ingens,& publicus preces, & vota facit. Luctum triſtem , acerbum , ſordeſque lugubres & miſtas lacrymis preces,inſummo timore deſcribit Lucan.lib 2.

——— Sed iam metus incubat amens
Miraturq; malum:cultus matrona priores
Depoſuit,mœſtaq; tenent delubra caterua:
Hæ lacrymis ſparsére Deos,hæ pectora duro
Afflixére ſolo,laceraſq; in limine ſacro
Attonitæ fudére comas,votiſq; vocari
Aſſuetas crebris feriunt ululatibus aures.

Eſt etiam illa lugubris lamentatio,fletuſque mœrens eiuſdem Poetæ.lib.1.

Ergo vbi concipiunt quantis ſe cladibus vrbi
Conſtatura fides ſuperum ferale per vrbem
Iuſtitium:latuit plebeio tectus amictu
Omnis honos:nullos comitata eſt purpura faſces.

XV. Solitudo.

Qui timet conſpectum & familiaritatem eorũ ſtudioſè deuitat,à quibus ſibi aliquod damnum impendere ſuſpicatur.Cic.Act.1.in Catil. n. 10. *Purga vrbem,magno me metu liberabis , dummodo inter me,atque te murus interſit. Nobiſcum verſari iam diutius non potes non feram,non patiar,non ſinam. Magna Dijs Immort. habenda eſt gratia,atque huic ipſi Ioui ſtatori,antiquiſſimo cuſtodi huius vrbis,quod hanc tàm tetram,tàm horribilem , tamque infeſtam Reip.peſtem toties iam effugimus:non eſt ſæpius in vno homine ſalus ſumma Reip. periclitanda.*

XVI. Titubatio.

Spem inter metumque ſemper nutat dubius, ac fluctuans,ex Virg.1.Æn.

Amiſſos longo ſocios ſermone requirunt
Spemq; metumq; inter dubij,ſeu viuere credant,
Siue extrema pati,nec iam exaudire vocatos.

Ad cuius mentem Ouidius,

——— Sollicitæ mentes ſpeq; metuq; pauent.

XVII. Querela.

Mortem optat,& metum acerbiorem illa indicat,ſeu tempora deteſtatur,ad quæ reſeruatum ſe queritur,ille apud Lucan.l.2.

Nec non bella viri,diuerſaq; caſtra petentes,
Effundunt iuſtas in numina ſæua querelas.
O miſeræ ſortis quod non in Punica nati
Tempora Cannarum,fuimus Trebiæq; iuuentus.

Apud Senecam Andromacha deſperationem ſibi in metum conuerſam filij cauſa oſtendit.

Hic mihi malorum maximum fructum abſtulit.
Nihil timere:proſperis rebus locus
Ereptus omnis:dira quà veniant,habent.
Miſerrimum eſt timere,cùm ſperes nihil.

DE AVDACIA, SIVE *Confidentia.*

LICET Audacia ſpes quędam ſit proximæ ſalutis,& rerum horribilium, vel non futurarum,vel longè remotarum contemptus , & opinio,de illa verò iam ad ſatietatem dicta ſint,placet tamen aliqua ſubiungere,quæ rem magis illuſtrent.

Et quoniam malum impendens reſpicit Confidentia , duplex diſtinguendum eſt : publicum vnum : priuatum alterum: Inter illa cenſeo bellum exitioſum,peſtem graſſantem , famem omnia depaſcentem,cædem nefariam, turpiſſimamque ſeruitutem,&alia quibus magis frangi videmur;ſiue quod præcipiti quodam impetu irruunt,& conferta velut acie obruunt reſiſtentem; ſiue quod ambitione quadam blandiuntur. Inter iſta verò dolorem priuatum, ſed cruciantem,rerum inopiam , infamiæ notam , mortis periculum, orbitatem , & ſi quid domo veluti clauſum,conſideramus.

Digitized by Google

LECTIO XXVI.

Concitatur Audacia.

NOn hîc ſpem ab audacia diſiungimus, ſed nouas illis copias, & momenta ſuperaddimus: nec iniuria quidem; nam ſi ſpes abſit ſuperandi mali, non audacia, ſed deſperatio conſequitur; quare obſtricto capite & inermes qui ruunt in hoſtes, vt Deuoti Decij dici, non audaces debent, ſed perditi, ac deſperati.

I. *Animus erectus.*

Iam verò cum rerum horribilium contemptus fiduciam contineat, ſiue eæ propius, ſiue procul abſint, generale ſcutum aduerſus omnia ſortis aduerſæ tela opponimus erectum animum, qui magnam vim habeat ad fortunæ conatus infringendos. Eò pertinet illud Virg. 6.

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito,
Quò tua te fortuna ſinet. Via prima ſalutis
Quod minimè reris Graia pandetur ab vrbe.

Non ibis audentior ſi mala eſſe credideris; eximendum hoc è pectore eſt. Alioquin hæſitabit impetum moratura ſuſpicio. Truditur in id quod inuadendum eſt, ait Seneca, epiſt. 82. dùm probat virtutem non timore quod facit, ſed deſpicere difficultatem.

II. *Aſſidua meditatio periculi.*

Firmum, & audacem facit animum ſæpius mali viſa facies, hoc eſt, ſi res impendentes velut è ſpecula proſpiciamus, ſi vanas hominum formidines ſecuri audiamus, & cum Stoico poſt Virgil. dicamus.

——— Non vlla laborum
O Virgo noua mî facies, inopinaue ſurgit,
Omnia præcepi, atq; animo mecum ipſe peregi.

Tu hodie iſta denuncias, ego ſemper denunciaui mihi, & hominem paraui ad humana, præcogitati mali mollis ictus venit. At ſtultis & fortunæ credentibus, omnis videtur noua rerum, & inopinata facies. Hoc in ſe pridem expertus caſtus, & audax Hippolitus Senecæ,

Ne metue clades fortiter ferre aſperas,
Non imparatum pectus ærumnis gero.

III. *Extenuatio periculi.*

Malum eleuandum quantum licebit, docendumque ſemper minus eſſe incommodi, quàm ſibi fingunt timidi. Senecæ monitum eſt ad Lucil. epiſt. 24. *Illud ante omnia memento, demere rebus tumultum, ac videre quid in quaque re ſit: ſcies nihil eſſe in iſtis terribile, niſi ipſum timorem. Quod vides accidere pueris, hoc nobis quoque maiuſculis euenit; Illi quos amant quibus aſſueuerunt, cum quibus ludunt, ſi perſonatos vident, expaueſcunt: non hominibus tantùm, ſed & rebus perſona demenda eſt, & reddenda facies ſua. Quid mihi gladios, & ignes oſtendis? quid turbam carnificum circa te frementium? tolle iſtam pompam, ſub qua lates, & ſtultos territas, mors eſt quam nuper ſeruus meus, quam ancilla contempſit.*

Ab his militibus animos addit Annibal, poſtquam impreſſionem in Italiam facturus, Rhodanum, non ſine dolore magno traduxiſſet. Sic apud Liuii Dec 3. lib. 1. *Quid aliud Alpes eſſe creditis, quàm montium altitudines? fingite altiores Pyrenæis, an terras aliquas cælum contingere, & inexpugnabiles humano generi eſſe credatis.*

IV. *Difficultas media ex parte ſuperata.*

Callidè Pœnus Imperator maximam difficultatis partem, & periculorum exactam memorat, vt milites iam pauidos, præfidentes reddat. *Miror quinam pectora veſtra ſemper valida repens timor innaſeris, per tot annos victores ſtipendia feciſtis, à quibus capta belli præmia, in ipſis hoſtium portis fatigari ſubſiſtimus.*

V. *Vincendi ſubſidia.*

Bellicus apparatus, & fortitudo, vna cum ſapiētia militum robur cum calliditate, duciſque virtute multis experimentis conteſtata, confidentiā facit, quæ ſingula. P.C. proponit Tull. 7. in Anton. n. 20. *Omnes Coſſ habemus, nam populi Rom. alacritatem*

Digitized by Google

tatem, eum conſenſum Italiæ, eos duces, eos exercitus vt nullam calamitatem Reſp. accipere poſſit, ſine culpa Senatus. Equidem non deero, prædicabo, monebo, denuntiabo, & teſtabor ſemper Deos, hominesq́; quid ſentiam, nec ſolum fidem meam, quod fortaſſe videtur ſatis eſſe, ſed in principe civi non eſt ſatis, curam, conſilium, vigilantiamq; præſtabo.

Antonius de ſe ipſo apud Dionem magnificè loquitur, & animum intrepidum præ ſe fert vt aliis faciat audaciam. Nihil quidquam ſtatueram de me ipſo mirificè loqui, ſed tamen quoniam ad ſummam, id quoque facit, ac apud omnes homines maximi ponderis æſtimatur; nimirum vt qui ſunt bellum feliciter geſturi optimũ habeant Imperatorem: ipſa res hoc ita fert, vt neceſſariò, omninò mihi de meipſo ſit dicendũ, quò intelligatis, & vos tales eſſe, qui etiam ſine bono duce vincere poſſitis, & me eum eſſe, qui vel malis cõmilitonibus victoria potiri queam.

VI. Favor divinus.

Audacem facit perſuaſio de favore diuino, quod fit partim oraculis, eam ob rem ſe tutum inter hoſtes dicit Æneas apud Virg. 8.

Sed mea me virtus, & ſancta oracula Divûm,
Cognatiq́; patres, tua terris dedita fama,
Conjunxere tibi, & fatis egere volentem.

Partim aliis ſignis, vti voce populi, quæ Dei vox credi ſolet, vtroq; argumento pugnat Cic. Phil. 4. num. 10. *Iam enim non ſolum homines, ſed etiam Deos Immort. ad Remp. conſervandam arbitror conſenſiſſe, ſive enim prodigiis, atque portentis Dij Immort. nobis futura prædicunt, ita ſunt apertè denuntiata, vt & illi pœna, & libertas nobis appropinquet: ſive tantus conſenſus omnium, ſine impulſu Deorum eſſe non potuit, quid eſt, quod de voluntate cœleſtium dubitare poſſimus?*

Cavendum tamen, ne de favore divino, ex ſignis iſtiuſmodi ſtatuamus quicquam apud viros graves & cordatos, quæ riſum potius illis, quàm fiduciam pariant: quale illud vnius è Pompejanis fuit, qui bellum aduerſus Cæſarem renovandum ajebat, optiméque eſſe ſperandum, quod Aquilæ ſeptem in Caſtris Pompeii eſſent repertæ. Optimè ajebat Tull. ſi nobis pugnandum eſſet cum Graculis, &c.

VII. Iniuria.

Rei indignitas quam patimur, & atrocitas injuriæ nonnunquam remiſſos excitat, & audaces facit ad ſuperandum. Ab hoc capite Scipio hunc in modum ſuos hortatur. Itaque vos ego milites, non eo ſolùm animo, quo adverſus alios hoſtes pugnare ſoletis velim, ſed cum indignatione quadam, atque ira; vt ſi ſervos videatis veſtros arma repentè contra vos ferentes.

VIII. Neceſſitas.

Excitat audaciam objecta neceſſitas, aut pereundi, aut ſuperandæ difficultatis: ille mihi qui jam non ſemel occurrit Annibal, poſt exhibitum ſpectaculum Gallorum captivorum pro capite ſuo dimicantium. *Neſcio an majora vincula, majoresq́; neceſſitates vobis, quàm captivis veſtris fortuna circumdederit, dextra lævaque duo maria claudant, nullam ne ad effugium quidem navem habentibus: hîc vobis vincendum, aut moriendum.*

Sic ab imminenti periculo quod propulſandum eſt Sil. Ital. hortatur l. 4.

Poſt me ſtate viri, & pulſa formidine tantùm
Aſpicite has dextras, capti genuere parentes,
Quos fugitis; quæ ſpes victis Alpéſne petemus?
Ipſam turrigero portantem vertice muros
Credite ſubmiſſas Romam nunc tendere palmas:
Natorum paſſim raptus, cædemq; parentum,
Veſtalesq; focos extingui ſanguine cerno.
Hoc arcete nefas.

IX. *Vitæprobitas.*

Operæ petitum erit ad audaciam, augere pietatem, & innocẽntiam, æquitatem cauſæ, honeſtatem rei, quæ ſuſcipitur, ea potiſſimum ratione, quod innocentia vitæ ſemper paratum habeat in Numine perfugium.

—— Hic murus aheneus eſto
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Hoc nimirum eſt quod etiam Pindarus cecinit filias Deorum ἀτρώτους ferro, & vulneribus non patere, lædi, & violari non poſſe.

Digitized by Google

Eleganter imprimis Cic. fait militibus animos ab illorum virtutibus, & Catilinæ vitiis, 2. Act. n. 25. *Sed ſi omiſſis his rebus omnibus, quibus nos ſuppeditamus, ipſas cauſas quæ inter ſe confligunt contendere velimus, ex eo ipſo, quàm valde illi jaceant intelligere poſſumus. Ex hac enim parte pudor pugnat; illinc petulantia, hinc pietas, illinc ſcelus, bona denique ſpes cum omnium rerum deſperatione confligit. In huiuſmodi certamine, ac periculo, nónne, etiamſi hominum ſtudia deficiant, Dii ipſi imm. cogent ab his præclariſſimis virtutibus tot & tanta vitia ſuperari?*

Vulteius dux eodem vritur ad ſuos, argumento apud Luc.

——— Quicumque per æuum.
Exhibuit monumenta fides, ſeruataq; ferro
Militia pietas, tranſibit noſtra iuuentus.

X. Spes victoriæ.

Confirmatur animus in bello, ſi victoriam ſperent, ſi rem ſe ex ſe ſententia ſua confecturos perſuaſum habeant, ſi priores aggrediuntur, & pugnæ locum occupant & tempus. Vtuntur hoc artificio Imperatores in cohortandis militibus, vt hoſtes vltrò inuadant. Ab inſita audacia Turnus ſuorum animos attollit ad ſpem victoriæ, Oratione plena militaris vigoris & audaciæ 10. Æn.

Quod votis optaſtis adeſt, perfringere dextra,
In manibus Mars ipſe viri. Nunc conjugis eſto
Quiſque ſuæ, teſtiq; memor: nunc magna referto
Facta patrum laudeſq; vltrò occurramus ad vndã
Dum trepidi egreſſiq; labant veſtigia prima,
Audentes fortuna juvat.

XI. Auita virtus.

Facit audaciam recordatio generis, majorum virtute propoſita cuius notæ meminit Ouid. Metam. 3. Fab. 5.

Eſte precor memores, qua ſitis ſtirpe creati
Illiuſq; animos qui multos perdidit vnus
Sumite ſerpentis pro fontibus ille, lacuq;
Interiit: at vos pro fama vincite veſtra.
Ille dedit letho fratres; vos vincite molles,
Et patrium retinete decus.

Non hoc prætermiſit Cic. pro lege Ma. Vbi Romanorũ ciuium jacentes animos erigit contra Mythridatem n. 11. *Sed pro veſtri imperij dignitate, atque gloria, videte quem vobis animũ ſuſcipiendum putetis. Majores veſtri ſæpè mercatoribus iniurioſius tractatis bella geſſerunt: videte ne vt illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere, ſic vobis turpiſſimum ſit, illud quod acceptis tueri & conſervare non poſſe.*

XII. Gloria & Virtus.

Spes mercedis, laus virtutis, & gloriæ cupiditas audaciam excitant Luc, 2. l.

Alloquitur tacitas veneranda voce cohortes,
O ſcelerum vltores, melioraque ſigna ſequuti
O verè Romana manus, quibus arma Senatus
Non priuata dedit, votis depoſcite pugnam.

Famæ, nominiſque decus mortis contemptores. Sic ille virtute bellica inſignis apud Silium Ital. ſeipſum excitat. l 9,

Is poſtquam frangi res, atque augeſcere vidit
Exitium, breves hoc vita quodcumq; relictum
Extendamus ait. Nam virtus futile nomen,
Ni decus adfuerit patiendo, vbi tempora lethi
Proxima ſint, pulcramq; petat per vulnera laudẽ.
Dixit, & in medios qua dextra concita Pœni
Limitem agit, vaſto connixus turbine fertur.

XIII. Diuina monita.

Diuinis humaniſque monitis accenditur animus. Hac arte vti ſolent, qui aliquem ad ſubeunda grauiora pericula cohortantur. Quod vt facilius ſuadeant, addunt ſe Deorum voluntates ac mandata referre. Stat 10. Theb.

Ergo alacer trepidos ſic erigit Augur Achiuos.
Magna Deũ mandata duces, moniiuſq; verendos
Advehimus, non hæ noſtro de pectore voces
Ille canit, cui me famulari, & ſumere vittas
Veſtra fides, ipſo non diſcordante, ſubegit
Vox facunda operũ; pulchraq; accommoda fraudi
Panditur augurio Diuũm. Vocat obuia virtus
Et poſcit fortuna manus.

Denique qui multis in rebus proſperè ſe geſſerunt, & nullum incommodum ceperunt, audent,

dent, Ita Cæſar cùm nunquam per ſe,ſed tantum per legatos expertus eſſet aduerſam fortunam felicitate nitebatur. Qui periclitati ſæpe ſunt ſed euaſerunt ſemper,ſtrenui & veterani milites nihil eſſe putant,quod reformident: quaſi qui in fide fortunæ poſiti, huc Poëtæ pertinent illa. 2. Æn.

Vos & Scyllæam rabiem penituſque ſonantes
Acceſtis ſcopulos:vos & Cyclopea ſaxa
Experti reuocate animos,mœſtumque timorem
Mittite.

Qui nihil vnquam ſunt experti;non enim pericula poſſunt ſuſpicari;ex quo belli rudem adhuc obiurgat Æneas.

Quo moriture ruis,maioraque viribus audes;
Fallit & incautum pietas tua?

In ſe plerumque auxilij ſatis eſſe putant ad ſuperandum periculum, qui experientiâ ſunt edocti plurima. Turnus quidem licet ingentem exercitum Æneæ videat, propter bellicæ rei ſcientiam. 10. Æn.

Haud tamen audaci ceſſit fiducia Turno
Littora præripere,& venientes pellere terrâ.
Vltro animos tollit dictis.

PVNCTVM XIV.

Deſperatio.

NOnnunquam ex deſperatione naſcitur audacia periculis altior;ſic ad audendum extrema ſocios Æneas excitat verbis & exemplo, cùm videt nullam eſſe aliam ratiōnē expediendæ ſalutis & liberandæ ciuitatis ab incendio, quo deflagrabat. 2. Æn.

Exceſſere omnes adytis,ariſque relictis
Dij quibus imperiū hoc ſteterat.Succurritis vrbi
Incenſæ? moriamur & in media arma ruamus,
Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem.
Sic animis Iuvenum furor additus;Inde lupi ceu
Raptores atra in nebula quos improba ventris
Exegit cæcos rabies,catulique relicti
Faucibus expectant ſiccis per tela per hoſtes.
Vadimus haud dubiā in mortē,mediaq́, tenemus
Vrbis iter;Nox atra cana circumuolat vmbra.

Idem preſſit Lucanus l. 4.

Vt lethi videre viam conuerſus in iram
Præcipitem timor eſt,miles non vtile clauſis
Auxilium mactavit equos,tandemque coactus
Spe poſita damnare fugam caſurus in hoſtes
Fertur.

LECTIO XXVII.

Deprimitur audacia.

I. Periculis.

REſtringitur ardor ille nimius,qui pleriſque temere diſcrimen adeuntibus exitio fuit, periculis propoſitis. Apud Virg. Apollo deterret

Sit ſatis Æneida,telis impune Numanum
Oppetiiſſe tuis: primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem,& paribus non inuidet armis.
Cætera parce puer bello.

Sic afflicta pavidâque mater apud Statium 4. Theb. conatur ex audaci ac propè temerario timidum reddere filium; quod vt melius faciat docet eum per vires nondum Martis labores ſuſtinere poſſe.

—— *Unde hæc furibunda cupido*
Nate tibi?teneroq́, vndè improba pectore virtus?
Tu bellis aptare viros:tu pondera ferre
Martis,& enſiferas inter potes ire cateruas?
Expecta dum maior honos,dum firmius ævum,
Dum roſeis venit vmbra genis,vultuſq́, recedunt
Ore mei. Tunc tela tibi, ferrumque quod ardes
Ipſa dabo,& nullo matris reuocabere fletu.

II. Cognita virium imbecillitate.

Ferè qui ſunt audaces ſupra modum,ſe potentiamq́; ſuā pluris faciunt,quàm reuera deberent. Præfidentis audaciæ virū monet Sene. de Tranq. c. 4 *Inſpicere debemus primum noſmetipſos,deindè quæ aggredimur negotia,deindè eos quorum cauſâ, aut cū quibus agendū eſt. Ante omnia neceſſe eſt ſeipſum æſtimare: quia ferè plus nobis videmur poſſe, quā poſſumus. Alius eloquētia fiducia prolabitur,alius patrimonio ſuo plus imperauit,quā ferre poſſit: alius infirmū corpus laborioſo oppreſſit officio. Quorundā parum idonea eſt verecūdia rebus ciuilibus,*

quæ fir

quæ firmam frontem deſiderant; quorundam contumacia non facit ad aulam; quidam non habent iram in poteſtate.

III. Temeraria virtute.

Frangitur audacia, ſi nimiam virtutem aliquãdo nocuiſſe plus, quàm profuerit, probemus; hoc artificio Pyrithoum reuocat ab armis Ægydes Metam 8. Fab. 4.

—— O me mihi charior inquit,
Pars animæ conſiſte meæ, licet eminus eſſe
Fortibus Æneao nocuit temeraria virtus.

IV. Fortunæ ludentis inconſtantia.

Non eſſe fidendum fortunæ, ſi ſemel, aut iterum fauerit probat Megæra in Herc. Fur. act.

Iniqua raro maximis virtutibus
Fortuna parcit; nemo ſe tuto diu
Periculis offerre tàm crebris poteſt.
Quem ſæpe tranſit caſus, aliquando inuenit.

V. Rerum omnium fragilitate.

Detumeſcit confidentia, ſi probemus nihil in hominibus, aut externis rebus in quo confidere poſſint, ſpemque reponere; quidquid in illis eſt, robur, ſanitatem, pulchritudinem opes, dignitatem, potentiam, totum fragile fatuos ignes imitari ſubitò lucere, ſtatim emori. Proindè ſi quis mirabundus occinat, ille Dynaſta pollens, diues, honoratus, Rex Imperator; ſed vanitas; doctor omnium ore celebratus, ſubtilis Philoſophus, Orator in dicendo ſummus, ſed homo: ſed vitæ curſus omnis vt vapor tenuis euaneſcit.

In ridente fortuna rebuſque proſperis vitandam ſuperbiam & audaciam elatæ mentis exemplo Rufini nimium ſui impotentis docet Claudianus l. 2.

Deſinat elatis quiſquam confidere rebus.
Illa manus quæ ſceptra ſibi geſtanda parabat,
Cuius ſe toties ſubmiſit ad oſcula ſupplex
Nobili as, inhumata diu miſeroque reuulſa
Corpore feralem quæſtum poſt fata popoſcit.
Aſpiciat, ne quis nimium ſublata ſecundis
Colla gerat, trinis calcandus ſpargitur ecce.
Qui ſibi Pyramidas, qui non cedentia templis,
Ornatura ſuos extruxit culmina manes.
Et qui Sidonio velari credidit oſtro,
Nudus paſcit aues, iacet en qui poſſidet orbem
Exigua telluris inops, & puluere raro
Per partes tegitur numquam, totieſque ſepultus.

LECTIO XXVIII.

Deſcribitur audacia.

Paucis characteres Audacis exprimit Plautus in Pſeudolo.

—— Res certa eſt.
Neque mihi obſiſtet amnis, neque mons, neque adeò mare.
Nec calorem nec frigus metuo, neque ventum neq; grandinem.
Imbrem perpetiar, laborem ſufferam, ſolem, ſitim
Non conceſſam, neque quieſcam vſquam noctu, neque interdiu.
Prius profectò, quàm aut amicam, aut mortem veſtigauero.

I. Paratus ad periculum audax.

Qui audet nullum periculum reformidat, aut refugit, ſed glorioſè iactabundus prouocat Cæſarianus ille Miles apud Luc. l. 1.

Duc age per Scithiæ populos, per inhoſpita Syrtis
Littora per calidas Lybies ſitientis arenas.
Hæc manus, vt victũ poſt terga relinqueret orbẽ,
Oceani tumidas remo compeſcuit vndas,
Fregit, & Arctoo ſpumantem vertice Rhenum.
Iuſſa ſequi tàm poſſe mihi, quàm velle neceſſe eſt.

Quis nõ obſtupeſcat ad temerè volantis funambuli præcipitem audaciam? quem ſic deſcribit Petronius.

Stuppea ſuppoſitis tenduntur vincula lignis.
Quæ fido aſcendit docta iuuenta gradu.
Quæ ſuper aerius prætendit crura viator
Vixque auibus facili tramite currit homo
Brachia diſtendens greſſum per inane gubernat,
Ne lapſa è gracili planta rudente cadat.
Dædalus aſtruitur terras mutaſſe volatu
Et medium pennis proſecuiſſe diem.

Præſenti

Digitized by Google

Præſenti exemplo firmatur fabula mendax.
Ecce hominis curſus funis & aura ferunt.

II. *Audax periculo maior.*

Contemnit, ridet, inſultat modis omnibus, & periculum eleuat. In hunc modum contumelioſus in Æneam Turnus inſurgit 12. Æn.

Longè illi Dea mater erit, quæ nube fugacem
Fæminea tegat, & vanis ſeſe occulat vmbris.

Curionem timorem audacia regere ſolitum ſcribit Lucanus lib. 4.

Audendo magnus tegitur timor, arma capeſſam
Ipſe prior, campum miles deſcendat in æquum
Dùm meus eſt; variam ſemper dant otia mentem.
Eripe conſilium pugnæ, cùm dira voluntas
Enſe ſubit preſſo, galeâ texere pudorem
Quis conferre duces meminit? quis pendere cauſas?
Quâ ſtetit indè fauet, veluti fatalis arena
Muneribus non ira vetus concurrere cogit
Productos odêre pares. Sic faſtus apertis.
Inſtruxit campis aciem, quam blanda futuris
Deceptura mali belli fortuna recepit.

III. *Bellandi auidus.*

Qui audet, armorum aſpectu gaudet, atque equorum fremitu, plauſuque delectatur, præclarè de Turno audace Virg. 10. quem pugnæ cupidiorem facit.

Hæc vbi dicta dedit, rapiduſque in tecta receſſit,
Poſcit equos, gaudetque tuens ante ora frementes
Pilumno, quos ipſa decus dedit Orithyja.

Hoſtem laceſſit audacter. Sylius Ital. l. 4.

Inde leui iaculo Maſſylumque impiger alis
Caſtra ſub ipſa datis irritat, & elicit hoſtem
Nec latius vallo miles debere ſalutem
Eas putet, aut clauſas pulſari cuſpide portas.

IV. *Bella ſomnians loquitur.*

Audax ſemper nouam quærit virtutis exercendæ materiam quæ ſi non adſit, ludicram pugnam fingit, & in ſomnis bella meditatur. Talem ſuum deſcribit militiæ præfectū Sylius Ital. l. 1.

Dat mentem Iuno, ac ludum ſpe corda fatigat;
Iamque aut nocturno penetrat Capitolia viſu,
Aut rapidis fertur per ſummas paſſibus Alpes.
Sæpe etiam famuli turbato ad lumina ſomno
Expauêre trucem per vaſta ſilentia vocem,
Ac largo ſudore virum inuenêre futuras
Miſcentem pugnas, & inania bella gerentem.

Etiam res animâ ſenſuſque carentes, haſtas, gladios præ confidentia, fortis affatur Turn. 12.

—— Validam vi corripit haſtam
Actoris Arunci ſpolium; quaſſatque trementem
Vociferans. Nunc ô nunquam fruſtrata vocatus
Haſta meos, nunc tempus adeſt. Te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit, Da ſternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare reuulſam.

V. *Audax in ſuperbiam elatus.*

Fortunæ bonis ebrius ſe magnificè circumſpicit, & ſuperbiæ pennis elatus in ſe vno ſpem omnem figit, nec ab incœpto reuocari ſe patitur Hanc imaginem adumbrat Claudiani Muſa ſuauis, de bello Get.

Anne tot Auguſtos Hebro qui teſte fugaui
Te patiar ſuadente fugam, cùm ceſſerit omnis
Obſequiis natura meis? ſubſidere noſtris
Sub pedibus montes, areſcere vidimus amnes.
Non ita Dii Getici faciant, maneſque parentum,
Vt mea conuerſo relegam veſtigia curſu.
Hanc ego vel regno victor, vel morte tenebo
Virtut humum, per tot populos vrbeſque cucurri,
Fregi Alpes, galeiſque Padum victricibus hauſi
Quid reſtat niſi Roma mihi??

VI. *Audax rebus arduis delectatur.*

Qui audet impetum ſublimis animi, cupiditatem vincendi, ardorem generoſæ mentis acuit ad ardua, gloriæ ſtimulis. de Cæſare Lucan. l. 2.

Cæſar in arma furens nullas niſi ſanguine fuſo
Gaudet habere vias, quod non terat hoſte vacātes
Heſperiæ fines, vacuoſque irrumpat in agros
Atque ipſum non perda iter, concertáque bellis
Bella gerat; non tàm portas intrare patentes
Quam fregiſſe iuuat; nec tàm patiente colono

Digitized by Google

DE IRA.

COmmunis illa quidem iracundiæ definitio quæ D. Aug eſt epiſt. 150. Ira eſt turbulentus appetitus inferendi ea quæ facilitatem actionis impediunt; atque hanc iuxta definitionem non hominibus tantum iraſcimur, ſed belluis & calcitranti equo,& morſuro cani; deindè etiam rebus anima carentibus; collidimus enim & corrodimus calamos & vngues, proijcimus aleas, vt pictores penicillum, fabri perpendiculum.

Iram definit Ariſtot. Vlciſcendi ſui cum dolore coniunctam cupiditatem, quam opinio contemptus noſtri noſtrorumque parit. Quæ vox cupiditas ſatis docet, non Iram in intelligentia, ſed in appetitu reſidere,& redundare in corpus. Quod diſertè notat Lucret. lib. 3

Sed calidi plus eſt ollis, quibus acria corda
Iracundaq; mens facilè exardeſcit in iras,
Quo genere imprimis vis eſt violenta leonum
Pectora qui fremitu rumpunt plerumq; gemētes
Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt.

Contemptus eſt opinionis, qua tanti non eſſe aliquem iudicamus, vt arbitremur dignum eum, cuius rationem habeamus; quod neque nobis nociturus: nam illum metueremus, neque ſit profuturus, tum enim illius animum beneficio nobis adiungeremus. Ira Pompeius primò redeuntem à Gallia Cæſarem negligebat, cùm neque pararet exercitum contra hunc, neque deſiſteret in Senatu agere contra eundem. Ita omnes qui apertè inferunt iniurias videntur contemnere, ſi quid enim eos curarent, darent operam ne lædendo inimici fierent.

Inter Iram & Iracundiam hoc intereſt. quod hæc ſit parens, illa veluti proles, hæc fomes, illa ſcintilla, hæc habitus, illa ſit actus.

Non ita facilè fuerit Iram ab Odio ſecernere, quod habeant pleraque communia, quibus incenduntur. Ira ex iis incenditur, quæ in nos, vel in noſtros cadunt: Odium etiam ex illis, quæ nihil ad nos pertinent, ſi modò credamus eum, quem odimus maledicum natura & improbum. Ira in in ſigulos ſeſe effundit, Odiū in vniverſos deſævit: Ira tempore ſanatur: Odium medicinam vix admittit: Ira dolorem afferre, qui ſentiatur, cupit: Odium ſentiatur malum, necne, nihil curat, modò quem odit quibuſcumque modis affligat, perdatque. Ira cum dolore coniuncta eſt: nam ex illata ſibi contumelia mœrore afficitur iratus: Odium mœroris eſt expers. Ira ſæpè miſereſcit dùm oppreſſum videt eum, in quem excandeſcit: Odium vel in maximis calamitatibus exultat: Ira tantum iniuriam reponere ſtudet; Odium extingui, & planè non eſſe, quem odit, exoptat.

LECTIO XXVIII.

Quibus incendatur Ira.

QVis Stoicos audiat, dùm tollunt iram, vt indignam viro ſapiente, quam doctrina, & religione conſpicui donum aliquod divinum arbitrantur, & vtilem in omni vita dicunt, ſine qua jacet animus, & in officio ſuo languet, voluptatibuſque fractus, vt blandiſſimis dominis ancillatur. Virum videri negat ex Peripateticis Tull. 4. Tul. qui neſciat iraſci: nec in campo, & acie vllum fortem eſſe futurum in præliis ducem, palma & triumpho dignum, nec ſeverum in politia Magiſtratum, nec in foro curiaque bonum probatumque Oratorem, qui videlicet acri ad excogitandum ingenio, & magno ferocique ad audendum animo non ſit. Vt illam pulchrè convenienterque nominaverit virtutis inſtrumentum D. Greg. 5. Moral. c. 32. In magnificis & illuſtribus facinoribus, bona voluntas & comis animi dulcitudo vix vllam vim habent, niſi ira excanduit fortitudo Illa robur inſtillat, exacuit mentem, ſopitumque ardorem exſuſciat, verbo dicam viros facit. Illa ſi benè mentem afflaverit in tuendis religionibus, non oviculam ſed leonem eſſe intelliges, in periculis Dei causa, cœlique amore ſubeundis, ſi aculeus ille pingit animum, non cervum leporemve meticuloſum videas, ſed egregium paratumque bellatorem. Sic eam cum D. Baſilio bonarum artium miniſtram licet appellare. Nam vix dici

tis abiecta conditio, tenuitaſque fortunæ auget iniuriam; ita læſi dignitas, aut virtus. Grauiter & moleſtè fert Niobes ſe contemptam, Latonæque poſtpoſitam queritur. Eſt enim omnibus præſtantiæ inſitus amor, quam vbi per contemptum ſibi mortales, maximè verò principes, ac locupletes detrahi vident grauiſſimè commouentur. 6. Metam. fab. 2. Ouidius.

Quis furor auditos, inquit, præponere viſis
Cœleſtes? aut cur colitur Latona per aras.
Numen adhuc ſine thure meum eſt? mihi Tantali auctor.
Cui licuit ſoli ſuperorum tangere menſas.
Pleiadū ſoror eſt genetrix mea, maximus Athlas
Eſt auus, æthereum qui fert ceruicibus axem,
Iuppiter alter auus: ſocero quod glorior illo,
Quærite nunc habeat quā noſtra ſuperbia cauſam
Quoque modo audetis genitam Titanida Cæo
Latonam præferre mihi: cui maxima quondam
Exiguam ſedem paritura terra negauit.

Sic Iuno potentes iras accendit, quòd non eam, quam par eſt de ſe opinionem haberent mortales, neque ſe ſatis ab aliis coli pro dignitate crederet. Virgil. 1 Æn.

Aſt ego quæ Diuūm incedo Regina, Iouiſq;
Et ſoror & coniux vnà cum gente tot annos
Bella gero, & quiſquam numen Iunonis adoret
Præterea? aut ſupplex aris imponat honorem?

Ratio, quòd propoſitam illi habeant excellentiam, à qua quidquid reuocat, indigniſſimè ferunt.

IV. *Leuis cauſa contemptus*

Facilè iraſcimur alicui, ſi leuem ob cauſam nos contemnet, auget enim leuitas occaſionis, grauitatem contemptus, ac deſpicientiæ. Venus Cereris afflictæ precibus victa, cupidinem iuſto furore incendit ad vltionem de raptore Proſerpinæ ſumendam. Apud Ouid. 5. Metam. fab. 5.

Et tamen in cœlo quæ iampatientia noſtra eſt?
Spernimur ac mecum vires minuuntur amoris,
Pallada nonne vides, iaculatricemq; Dianam
Abſceſſiſſe mihi: Cereris quoque filia Virgo
Si patiemur, erit.

V. *Fruſtrata ſpes auxilij vel honoris.*

Si lædamur ab ijs, à quibus ſperabamus auxilium, vel ſi tantulum intermiſerint illi à quibus coli ſolebamus, iraſcimur, tùm enim nos contemni putamus. Cic. pro Flacco dolet, quód præter ſpem, & expectationem Lælius Flaccum accuſaſſet, à quo defendi debuerat, n 2. *Quod ſi eſſet aliquando futurum, vt aliquis de L. Flacci pernicie cogitaret, nunquam tamen exiſtimaui Iud. D. Lælium optimi viri filium, optima ipſum ſpe præditum, ſummæ dignitatis, eam ſuſcepturum accuſationem, quæ ſceleratorum ciuium potius odio & & furori, quàm ipſius virtuti, atque inſtitutæ adoleſcentiæ conueniret.*

Hùc reuoca Veneris querelas, dolentis, quòd Iuppiter minus iuuaret Troianos, quos iam è multis ante calamitatibus eripuiſſet 10. Æn.

——— Quid peſtem euadere belli
Iuuit, & Argolicos medios fugiſſe per ignes
Totq; maris, vaſtaq; exhauſta pericula terra.
Dùm Latiū Teucri recidiuaq; Pergama quærūt,

VI. *Artis contemptus, in qua quis excellit.*

Deſpicientiam & contumeliam eſſe fomites in humana vita certos & communes clarum eſt vnde incendium iræ generatur. Si quis vituperet id quod laudandum eſſe ducimus, aut contemnat artem eam maximè cuius cupiditate tenemur, ſtatim iraſcimur, ſcilicet Philoſophiam ſpernat eo præſente qui ſe multum in ea profeciſſe glorietur; informem eum dicat, qui politus & elegans videri velit; ignauum appellet eum, qui fortitudinis ſibi laudem arroget, ſubitò flammam concipit; omnes ſiquidem in arte & ſtuio, cui tempus operamque ſuam poſuerunt, cupiunt excellentes videri, proinde ſuccenſent vehementer ſi quis ea vituperans, illudat. Drances audacem Turnum ſagacem per ſummum dedecus appellat. 11. Æn.

Pone animos, & pulſus abi Quid? nū tibi Mauors
Ventoſa in lingua pedibuſq; fugacibus iſtis
Semper erit?

In quem Turnus totus ignis.

Pulſus ego? aut quiſquā meritò fœdiſſimè pulſum

Arguet Iliaco tumidum qui creſcere Tygrim
Sanguine, & Euandri totam cum ſtirpe videbit
P. ocubuiſſe domum, atque exutos Arcadas armis?
Sit licet hoc ingens, quidquid ſperauit Vlyſſes.
Ipſe tulit pretium, iam nunc certaminis huius
Quod cum victus erit, mecum certaſſe feretur.

VII. *Amicorum deſpicientia.*

Augetur vehementer iniuria, cùm eſt ab amicis, & propinquis profecta, qui vel non ſatis laudant vel non quantum poſſunt, vel non aduertunt, quibus indigeamus, vt opitulentur, quòd in ea re contemni, & abiici videamur Cicer. pro Quint. reddit Iudices iratos damnis propoſitis, quæ à propinquo ſuo Næuio acceperit, n. 93. *Miſerum eſt exturbari fortunis omnibus, miſerius eſt iniuria: acerbũ eſt ab aliquo circumueniri, acerbius à propinquo; calamitoſum eſt bonis euerti, calamitoſius cum dedecore.*

Act. 6. in Verr. Iudicum iram accendit, enumeratis ab amico damnis pluribus illatis, n. 104. *Proh Dij Immortales! quem ego hominem accuſo? quem legibus, aut indiciali iure perſequor? de quo vos ſententiam per tabulam feretis? Dicunt legati Melitenſes publicè ſpoliatum Templum eſſe Iunonis: nihil iſtum in religioſiſſimo fano reliquiſſe: quem in locũ claſſes hoſtium ſæpè acceſſerint: vbi Piratæ ferè quotannis hyemare ſoleant, quod neque prædo violarit ante, neq; hoſtis attigerit, id ab vno iſto ſic ſpoliatum eſſe, vt nihil omnino relictum ſit.*

De Saſſia matre conqueritur, eamque Iudicibus inuiſam reddit ob crudelitatem in filium, quem amare debuiſſet. Pro Cluent. n. 190. *Non modo id non fecit, ſed ab illo tempore nullum locum prætermiſit, in quo non inſtrueret inſidias aliquas, ac dies omnes, ac noctes tota mente mater de pernicie filij cogitaret.*

VIII. *Perſonæ contemnentis abiecta conditio.*

In abiectæ ſortis, & conditionis homines facilè iraſcimur, à quibus contemnimur: ſic indignatur Aiax, quòd Vlyſſes ſecum de armis Achillis contendere non vereatur, cum robore corporis ac viribus longè ſit inferior. Talis eſt illius apud Ouid. Oratio 11. Metam,

Pretio a magna peti fateor, ſed demit honorem
Æmulus Aiaci, non eſt tenuiſſe decorum

IX. *Maledicta.*

Non poſſumus non iraſci vehementer, qui nos iniuriis, ac contumeliis afficiunt. Pro Amer. Tull. Chryſogono Iudices infenſos reddit, quod Roſcium maledictis perſequeretur, n. 146. *Quod ſi tibi cauſa nulla eſt, cur hunc miſerum tanta calamitate affici, velis: ſi tibi omnia ſua, præter animam tradidit, nec ſibi quicquam paternum, ne monumenti quidem cauſa reſeruauit: per Deos Immortal. quæ iſta tanta crudelitas eſt; quæ tam fera immaniſque natura; quis vnquam prædo fuit tàm nefarius? quis Pirata tàm barbarus, vt; cùm integram prædam ſine ſanguine habere poſſet, cruenta ſpolia detrahere mallet?*

Apud Liuium Actius Tullius Volſcorum princeps ſuos ad iram, & odium in Romanos accendit, iniuriis & contumeliis horum indicatis 2 ab V. *Annonſenſiſtis triumphatum hodie de vobis eſſe? vos omnibus ciuibus peregrinis, tot finitimis populis ſpectaculo abeuntes fuiſſe? veſtras coniuges & liberos traductos per ora hominum? Quid eos qui audiuere vocem præconis? quid qui vos videre abeuntes? quid eos, qui huic ignominioſo agmini fuere obuij, exiſtimaſſe putatis, niſi aliquod profecto nefas eſſe.*

X. *Oppoſitio.*

Iraſcimur ijs qui ſe noſtris conatibus & conſiliis opponunt, efficiunt, vt vel nunquam, vel rarò, nec ſine magno negotio fruamur optatis. Cicer. epiſt. 5. Scribens ad Metellum ait ſe illius fratri factum eſſe inimicum, quòd cum comperiſſet omnem ſui Tribunatus conatum in ſuam perniciem parare, atque meditari. *Ad 111. Non. Ianuar. cùm agere cœpiſſet, tertio quoque verbo Orationis ſuæ me appellabat, mihi minabatur; neque illi quicquam deliberatius fuit, quàm me quacumq; ratione poſſet, non iudicio, neque diſceptatione, ſed vi atque impreſſione euertere.*

Digitized by Google

XI. *Fraus & mendacium.*

In eos meritò iraſcimur qui dolo, qui fraude, qui verborum integumentis vtuntur, cum apertè contra animi noſtri ſenſa exponimus; eſt enim Ironia contemnentis, aut inimici, aut non obſeruantis Oratio. Rex Eumenes Rhodios populo Romano inuiſos reddit, quorum ſociorum que ſuſpectam habet petitionem apud Liui. l. 38 *Agent cauſam Græcarum Ciuitatum, & liberari eas dicent debere. Quo impetrato cui dubium eſt; quin & à nobis aduerſi ij ſint, non eas modò ciuitates, quæ liberabuntur, ſed etiam veteres ſtipendiarias noſtras; ſibi autem tanto obligatos beneficio, reuera ſubiectos imperio, & obnoxios habituri ſint. Et ſi Diis placet) cùm has tantas opes affectabunt diſſimulabunt vlla parte id ad ſe pertinere: vos modò dicere, & conuenienс eſſe ante factis dicēt. Hæc vos ne decipiat Oratio prouidendum vobis erit: ne non ſolum inæqualiter alios nimium deprimatis ex ſociis veſtris; alios præter modum extollatis: ſed etiam ne qui aduerſum vos arma tulerint, in meliore ſtatu ſint, quàm ſocij, & amici veſtri.*

XII. *Ingrati animi labes.*

Ira videtur eſſe iuſta, quæ in homines ingratos, ac beneficiorum, immemores, concipitur. Nam qui vicem non rependunt, deſpicere nos & beneficia noſtra vidētur, ex quo illa Scipionis Africani Maioris querela, quam ob Tribunitias vexationes in exilio volūtario moriens ſepulchro iuſſit inſeri, *Ingrata patria ne oſſa quidem habes.*

Et illa Ciceronis ad Attic. lib. 8. de Dionyſio ingrato, in quem ſic concludit epiſtolam: *Nunquam reo tàm humili, tam ſordido, tàm nocenti, tàm alieno, tâm præciſe negaui, quàm hic mihi, Planè ſine vlla exceptione præcidit. Nil cognoui ingratius, in quo vitio nihil mali non ineſt.*

XIII. *Officij negatio.*

Promerentur iram noſtram vel amici qui deſpiciunt, vel certè eum offenſione id beneficium negant, quod deberi nobis credimus. Sulpitius acerbiſſimè tulit Ciceronem amicum ſuum familiaritatis neceſſitudiniſque oblitum, Murænæ cauſam contra ſe ſuſcepiſſe, Cui Tull. reſpondet, vt amicitiæ violatæ, ſatisfaciat. Pro Mur. num. 7. *Huic ego Iud. ſatis facere cupio, voſque adhibere arbitror, Nam cùm graue eſt verè accuſari in amicitia, tùm etiamſi falsò accuſeris, non eſt negligendum. Ego Serui Sulp. me in petitione tua tibi omnia ſtudia, atque officia pro noſtra neceſſitudine & debuiſſe confiteor & præſtitiſſe arbitror. Nil tibi conſulatum petenti à me defuit, quod eſſet ab amico, aut gratioſo, aut conſule poſtulandum.*

Quanto grauior erit ira ſi noſtris incommodis non commoueantur, neque vllam doloris ſignificationem præbeant. Hinc Cic. querelæ pro Planc. n. 103. *Nolite Iud. per vos, per fortunas veſtras, per liberos, inimicis meis, hiſ præſertim quos ego pro veſtra ſuſcepi, dare lætitiam gloriantibus vos iam oblitos mei ſalutiſque eius, à quo mea ſalus conſeruata eſt, hoſtes extitiſſe. Nolite animum meum debilitari luctu, tùm etiam metu commutata veſtra voluntatis erga me ſinite me, quod vobis fretus huic ſæpè promiſi, id à vobis ei perſoluere.*

XIV. *Obtrectatio.*

Denique ijs omnibus iraſcimur qui vel obtrectatoribus noſtris aures præbent, cum ſilentio obſiſtere contra, & angi illos putemus oportere: vel ijs qui de noſtro honore detrahunt præſertim apud tria hominum genera; primum apud eos quibuſcum de honore contendimus, deindè apud eos quos admiramur & magni facimus, tum apud eos qui nos verentur, & obſeruant. Quæ omnia videntur eſſe contra officij rationem, & contemptus argumenta.

Notandum ad amplificationem iniuſtitiæ ſiuæ contemptus referenda eſſe verba, geſtus, actiones, omnia ad contumeliam cōpoſita, ſubiicienda oculis per hypotipoſim, & ethopœias, ſubindè opus eſſe indignatione, epiphonematis, & ſimilibus figuris: tum virtutes eius qui læſus eſt conuitiis eius, qui læſerit præferēdas, & variis exemplis factum exaggerandum, ſi ſoli, ſi primo euenerit; ſubiiciendum damnum quod ex illis iniuriis ſuſcipiatur, turpe eſſe niſi vindicetur perituram eſſe omnem penitus exiſtimationem. Docendum

Digitized by Google

cendum eſſe ſpem vlciſcēdi, ſine qua non eſt iracundia: erit autem ſi qui læſit, ab eo qui læſas eſt, aut vituperari, aut iudicio vinci, aut fraude ac dolo circumueniri poſſit.

Studioſè captandam temporum & locoum occaſionem, vt ſi doleat animus, ſi cupiat, ſi corpus malè affectum ſit, ſi laboret aliquā ſuſpicione, iam enim tùm munita via eſt ad iracundiam concipiendam. Et quemadmodum in humano corpore ſi ad malè affectos humores ipſa cœli ratio acceſſerit, tāto citiùs morbi vis inualeſcet; ſic animum moleſta iam perturbatione occupatum actior flamma corripit correptumque facilius incendit. Cauēdum Oratori ne crudelior appareat in puniendo, ne maiores ex æquo pœnas repoſcat, ne denique propter turbulentos motus ipſe intemperanter furere videatur, ſed docorum ſeruet, incenſus ſit, & grandi Orationis genere vtatur.

LECTIO XXIX.

Reſtinguitur Ira.

IAm quod ad delinitionem Iracundiæ pertinet, mitigatur Ira iiſdem planè rebus, quibus Miſericordia, & Clementia excitatur; debet verò Oratio eſſe eiuſmodi, quæ amorem præ ſe ferat, & venerationem eius quem mittigare contendimus: quæ doceat nullum contemptum, nullumque illa tam iniuriam, vel certè culpam, ſi quæ fuit, non fuiſſe voluntariam. Ex hoc capite Ligarij crimen inuitum excuſat Cic. quod hmmano deceptus errore Pompeij partes eſſet ſequutus, num. 13. *Tertium eſt tempus, quo poſt aduētum Vari, in Africa reſtitit, quod ſi eſt crimino ſum, neceſſitatis crimen eſt, non voluntatis.*

I. Perſonæ Conditio.

Plurimum confert ad deliniendam iram perſonæ quæ loquitur conditio. Etenim pueri, ſenes perſonæ Deo ſacræ, mulieres item in eam rem accommodatæ ſunt vel maximè, quia minus virium habent, & maiores illecebras. Mulieres quidem, quibus ineſt mitis facundia, & ipſa quæ muta ſolet eſſe cōmendatio formæ venuſtas gratiſſima, quæ dùm Orationem à lacrymis incipit, ferrum de manibus, & iræ feruorem ex animo eripit. Miratur Liui. lib. 2. facūdam planè mulierem, ad cuius Orationem illas voces Coriolanus in armis edidit. *Quo me mater adegiſti? viciſti.*

Placamur facilè ſacris hominibus, quia celites veremur, cuius rei exemplum eſt Alexander. hic Iudæos, quod Dario fuiſſent neci & prædæ deſtinabat: ecce Iudæus Pontifex diuinitus in ſomnis admonitus, cum cœtu Sacerdotum magnifico, & ſolemni habitu, obuiam Alexandro vehementer irato procedit: apud Regem illuſtris illa religionis ſpecies, & ſacri Antiſtitis ſplendor tantum potuit, vt non modò animum à cupiditate cædis repreſſerit, verùm ex quo deſcendens, honoris cauſa prædam ipſe ſuam adorarit.

II. Poteſtas & Perſonæ veneratio.

Iratum facilè compeſces, ſi doceas eum, cui iraſcitur potentiorem eſſe, dignum omni veneratione & cultu, nec tutū eſſe cum illo habere inimicitias. Sic Latinus apud Virg. cùm turni, & Rutulorum iram in Troianos ſedare vellet, oſtēdit illos eſſe veneratione dignos vt potè à Diis oriundos, & terribiles, quia inuictos 11. Æn.

Bellum importunum ciues cum gente Deorum,
Inuictiſque viris gerimus; quos nulla fatigant
Prælia, nec victi poſſunt abſiſtere ferro.

Cum eo hoſte res eſt, inquit Liuius ad ſuos *qui nec bonam, nec malam ferre fortunam poteſt; ſeu vincit ferociter, inſtat victis; ſeu victus eſt, inſtaurat cum victoribus certamen.*

Cæſaris iram placare volebat Cic. non facilius potuit, quàm ſi diceret Deiotarum eſſe veneratione dignum, quod Rex eſſet num. 40. *Multa ſunt tua Clementiæ monumenta; ſed maximè eorum incolumitates, quibus ſalutem dediſti. Quæ ſi in priuatis glorioſa ſunt, multò magis commemorabuntur in regibus, ſemper Regium nomen in hac ciuitate ſanctum fuit. Sociorum verò regum & amicorum ſanctiſſimum. Quod nomen hi reges ſiue amitterent, te victore timuerunt, retentum verò & à te confirmatum poſteris etiam ſuis tradituros eſſe confido.*

3. Iniu

III. *Iniuria prius illata.*

Facilius remittimus iracundiam,ſi quibus iraſcimur,ij prius à nobis læſi fuerint,intelligimus à nobis eſſe profectam iniuriam. Tull.pro Cœl. num.21. *Neque id ergo dico vt inuidioſum ſit in eos quibus glorioſum hoc etiam eſſe debet, funguntur officio: defendunt ſuos faciunt quod viri fortiſſimi ſolent, læſi dolent, irati efferuntur, pugnant laceſſiti.*

IV. *Animi demiſſio.*

Nulla via facilior ad contemptus ſuſpicionē tollendam, & emolliendum iratum quàm ipſa demiſſio animi non ficta. Pro Mur.86. *Veſter eſt ſupplex Iud veſtram fidem obteſtatur, miſericordiam implorat, veſtram poteſtatem, ac veſtras opes intuetur.* Sic enim generoſiſſimi quique placari ſolent,qui cum veræ ſolidæque laudis ſint tantum appetentes, in aduerſariorum demiſſione planè conquieſcunt, vt contra fractæ mentis homines ſemel iracundiæ facibus accenſi, pœnas ſitiunt,nec vllis officiis,aut humanitate vincuntur.

VI. *inimicorum incommoda.*

Placamur cum iudicio,aut bello vicimus:omnem enim in victos impetum remittimus,quando aduerſarium maiori malo oppreſſum videmus,quàm quo eum affecturi fuiſſemus. Sic Iulius Cæſar,cùm mactati in Ægypti littore Pompeij cadauer aſpexit ingemuit. Sic Metellus Macedonicus,grauiſſimis cum Scipione defunctus inimicitiis, vbi nocturnam illi vim illatam audiit ſtomachum deponit, prodit in publicum, ciuium cædem teſtatur voce turbata;concurrite inquit,ciues veſtra mœnia euerſa ſunt,filios ipſos iubet demortui ferre corpus,cùm negaret id præſtantiori viro exhiberi poſſe: ſic Alexander, vel ob id magnus. Dario ab Satrapis indigniſſimè perempto Regi lacrymis parentauit. Ita fit vt miſeriæ,iram in commiſerationem vertant. Idē vrget Tull. in Piſon 46. *Plura etiam acciderunt quàm vellem;nam vt amitteretis exercitū, numquā mehercule optaui, illud etiam accidit præter optatum meum, ſed validè ex voluptate:mihi enim non venerat in mentem furorem & inſaniam optare vobis,in quam incidiſtis.*

VI. *Temporis ratio.*

Captanda imprimis ad flectendum iratūm opportuna temporis ratio. Numquam enim irati calentibus adhuc animis iniuriæ præſentis imagine ſunt deliniendi, expectandum tantiſper dùm fregerit impetus, niſi aliud alia rerum adiūcta ſuaſerint;Nam quis rugiēti adhuc leoni occurrat,quis abacto fœtu,in ſæuientem tygrim ire ſtudeat? Tempus autem opportunum eſt, cùm bellè apud aliquem aut omnia ſunt, aut multa. Vt enim qui dolent facilè concipiunt igniculos iracundiæ: ſic qui aliqua delectatione perfruuntur,qui honore vel lucro aliquo recens ſunt affecti,qui iudicio, vel armis vicerunt hoſtes,qui ludis, qui conuiuiis,qui aliis animorum conditionibus vacant, ad manſuetudinem eo tempore faciliores ſunt,quia tunc abſterſa ſunt, doloris nubila. Hanc artem Meſſalinum amicum ſuum edocet Ouidius, monetque vt lætum Cæſarem ob triumphos adeat,ſalutet, precetur, & ſibi mitiorem reddat 2 de Ponto.2.El.

Cumque ſerenus erit,vultuſq; remiſerit illos,
Qui ſecum terras imperiumque mouent:
Exiguam ne me prædam ſinat eſſe Getarum,
Detq; ſolum miſeræ mite precare fugæ.
Tempus adeſt aptum precibus, valet ille videtque
Quas fecit vires Roma valere ſuas.
Incolumis coniux ſua puluinaria ſeruat,
Promouet Auſonium filius imperium.
Præterit ipſe ſuos animo Germanicus annos,
Nec vigor eſt Druſi nobilitate minor.
Adde nurus neptesq; pias,caroſq; nepotes
Cæteraque Auguſtæ membra valere domus
Adde triumphatos modò Pæonas,adde quieti
Subdita montanæ brachia Dalmatæ.

Huc pertinet Horatij ad Vinnium admonitio.

Vt proficiſcentem domi te ſæpè,diùque
Auguſto reddes ſignata volumina Vinni,
Si validus,ſi lætus erit,ſi denique poſcet;

Digitized by Google

Ne ſtudio noſtri preces, odiumque libellis
Sedulus importes opera vehemente miniſter.

VII. Impotentia mentis.

Ira deferueſcit, ſi qui aliquid admiſerunt, irâ percitos fuiſſe videamus: Tunc enim nihil feciſſe videntur per contemptum, aut iudicio & voluntate, ſed per dolorem, & iram impotentem. Hoc pluribus notauit Val.Max.l.8.c.1. Vbi narrat Pompilium Prætorem, cùm apud illum accuſata eſſet mulier, quòd matrem fuſte percuſſam interemiſſet, in neutrã partem voluiſſe ferre ſententiam, quod conſtaret veneno necatorum filiorũ dolore commotam, quos Auia filiæ infenſa ſuſtulerat, parricidium vltam eſſe parricidio, non alia mens Medeæ Sen. Act.

—— Illud voce iam extrema peto,
Ne ſi qua dubius effudit dolor
Maneant in animo verba, ſed melior tibi
Memoria noſtri ſubeat; hæc ira data
Obliterentur.

VIII. Defectus proprius.

Nihil aptius ad irã ex iniuria concitatã molliter ponendam, quam in ſe recognoſcere defectũ, propter quem in alios iraſcimur, Seneca dutus iratorum Cenſor. 3. de ira c.26, *Ad conditionem rerum humanarum reſpiciendum eſt, vt omnia incidentiũ æqui iudices ſimus: iniquus autem eſt qui commune vitiũ ſingulis obiecit. Quid lenioribus verbis vlcus publicum abſcondo? omnes mali ſumus. Quidquid itaq; in alio reprehenditur, id vnuſquiſq; in ſinu ſuo inueniet. Ille mihi iam nocuit: ego illi nõdum. Sed iam aliquem fortaſſe læſiſti: ſed lædes.*

IX. Mora.

Iræ præſens remedium eſt mora, Sen. 3. Ir. c.12. *Facit iracũdos iniqua noſtri æſtimatio: & quæ facere vellemus, pati nolumus. Nemo ſe differt, atqui maximũ remediũ iræ dilatio eſt: vt primus eius feruor relangueſcat, & caligo quæ premit mentem aut reſidat, aut minus denſa ſit. Quædam ex his quæ te præcipitem ferebant, hora, non tantum dies molliet; quædam ex toto euaneſcunt. Si in hoc erit petita aduocatio, apparebit iam iudicium eſſe non irã. Quidquid voles quale ſit ſcire, tempori trade, nihil diligenter in fluctu cernitur, nihil tibi liceat dum iraſcaris.*

X. Damna.

Nemo melius ad moliendum animum iræ ſequientes damna ſubiecit Seneca Phil. quæ multa congerit ad remedium 3. c.5. *Ne iraſcamur præſtabimus, ſi omnia vitia iræ nobis ſubindè propoſuerimus, & illam benè æſtimauerimus. Accuſanda eſt apud nos, damnanda: perſcrutanda eius mala & in medium protrahenda ſunt, vt qualis ſit appareat, comparanda cum peſſimis eſt. Auaritia acquirit & contrahit quo aliquis melior vtatur; ira impendit; paucis gratuita eſt. Iracundus dominus quoſdam in fugam ſeruos egit, quoſdam in mortem, quantò plus iraſcendo, quàm id erat propter quod iraſcebatur, amiſit? Ira patri luctum, marito diuortium attulit, magiſtratui odium, candidato repulſam. Peior eſt etiam quàm luxuria: quoniam illa ſua voluptate fruitur, hæc alieno dolore. Vincit malignitatem, & inuidiam: illæ enim infelicem fieri volunt: hæc facere: illæ fortuitis malis delectantur, hæc non poteſt expectare fortunam. Nocere & quem odit, non noceri vult. Nihil eſt bello funeſtius: in hoc potentium ira prorumpit. Dat pœnas dum exigit, naturam hominis mutat. Illa in amorem hortatur, hæc in odium; illa prodeſſe iubet, hæc nocere. Adiice quòd cùm indignatio eius à nimio ſui ſuſpecta veniat, & animoſa videatur, puſilla eſt, & anguſta. Nemo enim non eo, à quo ſe contemptum iudicat minor eſt. At ille ingens animus & verus æſtimator ſui, non vindicat iniuriam, quia non ſentit.*

XI. Proprium fortis animi iram vincere.

Quid leonis robur magis commendat, quàm tutum ingenti eius ore leporem ludere? quid maius homine, qui multis laceſſitus iniuriis, & contumeliis prouocatus, frangit iracundiæ motus, & tacet? Ad hoc mẽs illa magni Senecæ 1. de ira c.25. *Illud nõ venit in dubium, quin ſe exemerit turba,*

turbæ & altius ſteterit, quiſquis deſpexit lacentes. Proprium eſt magnitudinis veræ, nō ſe ſentire percuſſum. Sic immanis fera ad latratum canum lenta reſpicit: Sic irritus ingenti ſcopulo fluctus aſſultat. Qui non iraſcitur inconcuſſus iniuria perſtitit: qui iraſcitur motus eſt.

Contra degeneris eſt animi ſignum ira; quod accidere fœminis videmus ait Sen. 1. de ira c. 12. quoties illas leuis periculi ſuſpicio, perculit. Iuuenalis autem iram muliebre vitium appellat.

—— Infirmi eſt animi exiguique voluptas
Vltio: continuo ſic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet quàm fœmina.

XI. Perſonæ lædentis conditio.

Ad iræ motus continendos excuſanda eſt perſonæ facientis iniuriam, conditio, aut eleuanda nobis illata contumelia, vel quæuis iniuria, facit hoc ad miraculum Senec. 1. 2. de Ira. cap. 30 *In his naturam excutiemus, votum aetemq; facientium. Puer eſt? ætati donetur, neſcit an peccet. Pater eſt? aut tãtum profuit, vt illi etiam iniuriæ ius ſit: aut fortaſſis ipſum hoc meritum eius eſt, quo offendimur. Mulier eſt? errat. Iuſſus eſt neceſſitati quis, niſi iniquus ſuccenſet. Læſus eſt? non eſt iniuria pati quod prior feceris. Iudex eſt: plus illius credas ſententiæ, quam tuæ. Rex eſt: ſi nocentem punit, cede iuſtitiæ, ſi innocentem, cede fortunæ. Mutum animal eſt, aut ſimile muto? imitaris illud, ſi iraſceris. Morbus eſt, aut calamitas? leuius tranſilies ſuſtinentem. Deus eſt? tàm perdis operam cum illi iraſceris, quàm cùm illum alteri precaris iratum. Bonus Vir eſt, qui iniuriam fecit? noli credere. Malus? noli mirari, dabit pœnas alteri, quas debet tibi. Et iã ſibi dedit, qui peccauit.*

XIII. Matura reſiſtentia.

Iræ primum naſcenti occurrendum, conſiliumque maturè adhibendum, ne in perniciem noſtram adoleſcat, & vigorem robuſtum capiat, monet Sen. 1. de Ira c. 7. *Facilius eſt excludere pernicioſa, quàm regere: & non admittere, quam admiſſa moderari. Quarundam rerum initia in noſtra poteſtate ſunt: vlteriora nos ſua vi rapiunt, nec regreſſum relinquunt. Vt in praeceps datis corporibus nullū ſui arbitriū eſt, nec reſiſtere morarive deiecta potuerunt, ſed conſilium omne, & pœnitentiam irreuocabilis præcipitatio abſcidit, & non licet eò non peruenire, quò non ire licuiſſet. Ita animus ſi in iram, amorem, alioſque ſe proiecit affectus, non permittitur reprimere impetum. Rapiat illum oportet & ad imum agat ſuum pondus, & vitiorum natura procliuis.*

Iterum vt magni momenti monitum idem repetit, aitque in occaſionibus iracundiæ vim animi colligendam, & in conſilium cogitationum noſtrarum adhibendam eſſe moderationem, principiiſque diligenter obſiſtendum cap. 8. *Optimum eſt primū irritamentum iræ protinus ſpernere, ipſiſque repugnare ſeminibus, & dare operam ne incidamus in iram. Nam ſi cœperit ferre tranſuerſos, difficilis ad ſalutem recurſus eſt. Quoniam nihil rationis eſt, vbi ſemel affectus inductus eſt, iuſque illi aliquod voluntate noſtra datum eſt. In primis finibus inquam, hoſtis arcendus eſt, nam cùm intrauit, & portis ſe intulit, modum à captiuis non accipit.*

XIV. Iræ fœditas.

Quibuſdam iratis profuit aſpexiſſe ſpeculum, vt in eo turpitudinem irati cognoſcerent. Sufficeret ad inuidiam tui, monebat ille, ſi te in ſpeculo videres. Credo cum horrore tui poneres iram. Galenum adeò terruit irati hominis aſpectus vt decreuerit animo nunquam iram admittere, ſatis fuit ſemel vidiſſe iraſci, vt nunquam iraſceretur. Nunc quæſo quale monſtrū intus latebit cuius tàm fœdam vmbram vibrat vultus? quale incendium flagrauit in corde, cuius fumus ſic ora deformat? qualis tyrannus mentem occupauit, cum ipſum corpus oppreſſerit? fulmen dirum in occaſum vergens, ita eſt, nihil auſpicatò facit: infauſtè deſinet, quidquid furore occeperit, ſine conſilio omnia tractat, ita contra votum veniunt. Omnium agendarum omen eſt ratio, quã orba oculis iracundia non agnoſcit, inſtar canis eſt cœcos parentis catulos, & rabie actæ ipſi domino non parentis: omnia cœca ſunt, inconſulta, quidquid furor agit. Quid? vis iracundo damna? vulnus tuum non claudis, ſi latus alterius

Digitized by Google

Fulminat, & rauco reſonans clamore fugacem
Pamagiam ſuperat: mugire tonitrua dicas
Horrificaq́; tremens aratas voce cohortes,
In rigidos enſes, alternaq́; vulnera mittit,
Sanguinolenta gravi vibrans haſtilia ferro
Bella ciet, rixamq́; movens, hoſteſq́; laceſſens
Libra, manuſq; tremit. Scintillant lumina torvis
Flexa ſuperciliis, ſtrepit & convitia iactans
Bacchatur ſi fortè aliquo nequit obice pœnas
Sumere: vindictas in idonea tempora differt.
Fitq; odium, oblonga fovens incendia pectus
Urit, & accenſis lambit præcordia flammis,
Nil penſi, nil mentis habet, ciò mobilis expers
Conſilii, volat in pugnam, retinacula rumpit,
Lege modóque carens, rabido ſtimulata calore,
Non ignes, non arma timet. Flammantia tantos
Pectora concipiunt, accenſi ſanguinis æſtus.

II. *Ardor oculorum.*

Igniti ſunt, & ardentes iratorum oculi, vultuſque totius identidem fit nova mutatio. *Cum quæreretur*, ait Livius l. 3. *quænam prima cauſa tàm obſtinatos Samnites moviſſet in fugam, oculos ſibi Rom. ardere viſos ajebant, veſanoſq; vultus & furentia ora; indè plus, quàm ex alia re terroris ortum.* Hic eſt ille Turni habitus, ad cuius impotentem iram declarandam Tauri proludétis ad pugnam ſimilitudinem adfert. Virg. 12. Æn.

His agitur furiis, totoq; ardentis ab ore
Scintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis.
Mugitus veluti cùm primùm in prælia taurus
Terrificos ciet, atque iraſci in cornua tentat,
Arboris obnixus trunco, ventoſq laceſſit
Ictibus, & ſparſa ad pugnam proludit arena.

Appoſita ſimilitudine eundem æſtuantis iræ fluctus depingit Silius Italicus lib. I.

Sic memorans torquet fumantem ex ore vaporẽ
Iraq; anhelantem proturbat pectore murmur:
Vt multò accenſis fervore exuberat undis
Clauſus ubi exuſto liquor indignatur aheno.

De Verre. Cic. 6. Verr. n. 148. *Nam cùm ſpumas ageret, in ore arderent oculi, voce maxima vim me ſibi afferre clamaret, copulati in ius pervenimus* Offic. 1. n. 102. *Licet ora ipſa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti ſunt, aut voluptate nimia geſtiunt; quorum omnium vultus, voces, motus, ſtatuſque mutantur.*

Eódem pertinet illud Perſii iram ex adiunctis deſcribentis. Satyr 3.

Nunc face ſuppoſita ferveſcit ſanguis, & ira
Scintillant oculi, dicíſq; faciſq; quod ipſe
Non ſani eſſe hominis, non ſanus iubet Oreſtes.

Iſtis conſentit. Ovid. 3. nequitiæ ſuæ,

Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine venæ.
Lumina Gorgoneo ſævius igne micant.

Iram vterque Seneca ſuis coloribus adumbravit: Philoſophus, quo nemo melius iræ characteres deſcripſit, in notandis hominum vitiis, & naturæ varietate imprimis acutus & ſolers. 3 de Ira cap. 4. *Vt de cæteris dubium ſit, nulli certè affectus peior eſt vultus, quem deſcripſimus aſperum & acrem & nunc ſubitò retrorſum ſanguine fugato, pallentem: nunc in os omni calore, ac ſpiritu verſo, ſubrubicundum, & ſimilem cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis, & exſilientibus, nunc in vno obtutu defixis, & hærentibus Adijce dentium inter ſe arietatorum non alium ſonum quàm eſt apris, tela ſua attritu acuentibus. Adijce articulorum crepitum, cum ſe ipſæ manus frangunt, & pulſatum ſæpius pectus anhelitus crebros, tractoſq; altius gemitus, inſtabile corpus, incerta verba ſubitis exclamationibus, trementia labra, interdumq; compreſſa, & dirum quiddam exſibilantia*

Quæ poſtquam deſcripſit omnia Sen. dignam Philoſopho ſententiam edidt. *Qualem, inquit, intra pectus animum eſſe putas cuius extra imago tã fœda eſt. Quando illi intra pectus terribilior vultus, acrior ſpiritus intentior impetus rupturus ſe niſi eruperit.* Quod vſque verũ eſt, vt de Valentiniano maiore Nicephorus prodiderit, cùm Sauromatorum legatos ſpecie inopes, abiectoſque vidiſſet, ira eum eſſe indignatum, quod ſibi cum gente tàm vili pugnandum eſſet, vt interiora viſcera fregerit.

Tragicus verò furentem Medeam his depingit. Act. 3.

Furoris ore ſigna lymphati gerens,
Flammata facies. Spiritum ex alio citat.
Proclamat, ô Superi, oculos fletu rigat,
Renidet, omnis ſpecimen affectus capit.
Hæret, minatur, æſtuat, queritur, gemit.
Quo pondus iſtud verget? vbi ponet minas?

Digitized by Google

Ubi ſe iſte fluctus franget?exundat furor.
Non facilè ſecum verſat, aut medium ſcelus
Se vincet, ira novimus veteres notas.
Magnum aliquid inſtat, efferum, immane, impiũ
Vultum furoris cerno. Dij fallant metum,
Amphion auditus agat. Nil tela, nec ignis
Obſtiterint, quin auſa luas,

III. Mentis impotentia.

De ſtatu mentis hominem deturbare, præcipitem agere præſtantemque formam eius immutare penitus concludit Senec. 1. de Ira cap. 5. per antitheta eiuſdem hominis clementis conſilio & ratione vtentis, & in iram efferueſcentis ob inopiam, & conſilii & rationis. *An ſecundum naturam ſi iracundia manifeſtum erit, ſi hominem inſpexerimus. Quo quid eſt mitius, dum in recto animi habitu eſt? quid autem ira crudelius eſt? homine quid aliorum amantius? quid ira infeſtius? homo in adjutorium mutuum generatus eſt ira in exitium Hic congregari vult, illa diſcere: hic prodeſſe, illa nocere; ille etiam ignotis ſuccurrere; illa etiam cariſſimos petere: hic aliorum commodis, vel impendere ſe paratus eſt: ita in periculum dummodo deducat deſcendere. Quis ergo magis naturam ignorat, quàm qui optimo eius operi, hoc fœtum ac perniciosum vitium aſſignat?*

IV. Vlciſcendi cupiditas.

Ita coniungitur cum vlciſcendi cupiditate, imò eſt ipſa cupiditas vltionis, ſic in Ænea depingit iram Virg. 2. Æn.

Exarſere ignes animo; ſubit ira cadentem
Vlciſci patriam, & ſceleratas ſumere pœnas.
Scilicet hæc Sparta incolumis, patriaſq; Mycenas
Aſpiciet? partoq; ibit Regina triumpho?
Coniugiumq; domumq; patres, natoſq; videbit,
Iliadum turba, & Phrygis comitata miniſtris?
Occiderit ferro Priamus? Troja arſerit igni?
Dardanium toties ſudarit ſanguine littus?
Non ita.

Tydeus apud Statium ſic in Etheoclem accenditur 2. Theb.

—— — Non vltra paſſus, & orſa
Injecit mediis ſermonibus obvia. Reddes
Ingeminat, reddes, non ſi te ferreus agger.
Ambiat, aut triplices alio tibi carmine muros

V. Facta pax.

Invigilat vltioni, eiuſque inferendæ diligenter occaſiones obſervat, periculoſè, quia ſimulatè. Nam ira quæ ſtatim erumpit, & ſe prodit, abit ſine ictu. Hanc viam furenti Medeæ nutrix ambitioſa ſatis & iniuriæ retinens aperit, & hoc conſilium ſuggerit, vt ſe probè vlciſcatur, dum in longum odia producit atque diſſimulat. Act. 2. Scen. 1.

Sile obſecro, queſtuſq; ſecreto abditos
Manda dolori: gravia quiſquis vulnera
Patiente, & æquo immotus animo pertulit;
Referre potuit. Ira, quæ tegitur, nocet.
Profeſſa perdunt odia vindictæ locum.

Sic tacitos iræ motus ſubijcit in Hecuba, multoque periculoſiores facit Ovidius, quàm ſi foris apparerent, aut verbis ſe proderent. 13. Metam. Fabula 2.

Troades exclamant, obmutuit illa dolore,
Et pariter voces lacrymaſq; introrſus obortas
Devorat ipſe dolor, duroq; ſimillima ſaxo
Torpet, & adverſa figit modò lumina terra:
Interdum torvos extollit ad æthera vultus;
Nunc poſiti ſpectat vultum, nunc vulnera nati,
Vulnera præcipuè, ſeq; armat & inſtruit ira.
Qua ſimul exarſit tanquam Regina maneret,
Vlciſci ſtatuit, pœnæq; imagine tota eſt.
Vtque furit catulo lactente orbata leana.
Signaq; nacta pedũ ſequitur quẽ non videt hoſtẽ.
Sic Hecube poſtquam cum luctu miſcuit iram
Non oblita animorum, annorum oblita ſuorum
Vadit ad artificem diræ Polymneſtora cædis.
Atque ira correpto, captivarum agmina matrum
Invocat, & digitos in perfida lumina condit
Expilatq; genis oculos. facit ira valentem.

VI. Deſperatio.

Si poteſtas vlciſcendi non datur, ſæpè redigit in deſperationem. Ingrate, perfide, nefariè ſequere his Italiam, ait ire facibus accenſa Dido contra fugam Æneæ 4.

I ſequere

Digitized by Google

I, ſequere Italiam ventis pete regna per vndas.
Quod & notauit Horat. 3. carm. Ode 27. Vbi ſe contemptam ab Ioue in tantum mutato grauiter Europa dolet, & ob amiſſam virginitatem cujus injuriam vlciſci non poteſt, ſecum ipſa de nece voluntaria ſibi inferenda deliberat.

Vilis Europa pater vrget abſens?
Qui mori ceſſas? potes hac ab Orno
Pendulum Zona benè deſequuta.
Lædere collum.
Siue te rupes, & acuta letho
Saxa delectant: age, te procellæ
Crede veloci: niſi herile mauis
Carpere penſum.

VII. Imprecatio.

Prorumpit in contumelias, & imprecationes in quibus meliorem ſolatii ſui partem reponit, accenſus Priamus, cùm Politem filium coram ſe vulneratum à Pyrrho, exſpirantemque aſpexiſſet, non eſt veritus id ætatis homo ferocientem, Neoptolemum Oratione graui laceſſere.

Hinc Priamus quamquā media jam morte tenetur,
Non tamen abſtinuit, nec voci iræque pepercit
At tibi pro ſcelere, exclamat pro talibus auſis
Dij, ſi qua eſt cœlo pietas, quæ talia curet,
Perſoluant grates.

VIII. Indignatio.

Excandeſcit & fortiter indignatur, quod ex animi ſui ſententia, proque libidine Dii non vlciſcantur illatam ſibi injuriam. Hinc eſt Oratio Iarbæ expoſtulatoria in Iouem, exprobratoria in Didonem, contumelioſa in Æneam, & in omnes irata. 4. Æn.

Iuppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Panæum libat honorem.
Aſpicis hæc? an te genitor, cùm fulmina torques
Necquicquam horremus? cæcique in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miſcent?

Proindè vix ſui compos, & in vltionem intenta Dido ſuos ad injuriam vlciſcendam inflammat acriter. 4. Æn.

——— Proh Iuppiter ibit
Hic ait, & noſtris illuſerit aduena regnis?
Non arma expedient, totaque ex vrbe ſequentur?
Diripientque rates alii naualibus? Ite,
Ferte citi flammas: date vela: impellere remos.
Quid loquor? aut vbi ſum?

IX. Terror & minæ.

Addit maledictis minas; gaudet enim terrere eum cui grauiter iraſcitur. Vt duplicem quaſi pœnam de inimico repetat, de vlciſcendi libidine ſollicita Dido dirum Æneæ exitium, & à Diis, & ab ſe pollicetur.

Spero quidem mediis (ſi quid pia numina poſſunt,
Supplicia hauſurum ſcopulis, & nomine Dido
Sæpè vocaturum: Sequar atris ignibus abſens:
Et cùm frigida mors anima ſeduxerit artus
Omnibus vmbra locis adero: dabis improbe pœnas
Audiā, & hæc manes veniet mihi fama ſub imos.

Quin & ira ſæpè vires addit irato. Talis illa mulier inter ſpem metumque fluctuans quid conſilii caperet apud Senecam in Troade Act. 3. ab ira vires ſumit.

Reſiſtam inermis, offeram armatis manus?
Dabit ira vires. Qualis Argolica ferox
Turmas Amazon ſtrauit, aut qualis Deo
Percuſſa Mænas Entheo ſiluas gradu
Armata Thyrſo terret, atque expers ſui.

Talis Appius Apud Silium Ital. lib. 5.

Tum quod humo haud quamquam voluiſſet vellere ſaxum.
Niues trux ira daret torquebat anhelans
Appius, & lapſu reſupina in terga cadentem
Mole premit ſcopuli, perfractiſque oſſibus vrget.

X. De vltione gaudium & ſolatium.

In vltione de inimico capienda, ſingularem animi voluptatem reperit, is quem ardor iracundiæ vehemens occupat, quòd qui vlciſcitur vim & potentiam oſtentet, in eoque ſuperior, & quodammodo major videatur, Vndè multos ſcimus cum incredibili lætitiæ ſenſu mortuos, quòd ante læſum, ac punitum inimicum audiſſet.

Talem

Digitized by Google

Talem Ptolemæum Regem memorant Annales, qui gaudio triumphans ſupremum vitæ diem confecit, poſtquam oculos in morte natantes, & ſanguine pauit Alexandri cæſo capite, quem hoſtem habuerat. (Qui tamen motus ferocientis animi, non dici debet voluptas, ſed immanis furor, & inimica rationi crudelitas.

XI. Contemptio ac deſpicientia.

Qui iraſcitur, contemnit eos, in quos commouetur, vt ſaltem contemptu, contemptum vlciſcatur ac deriſione. Cum ſtomacho Iarbas jam nominatus, mollem Æneam & effœminatum, ſemiuirum Phrygem, alterum denique Paridem compellat, ac deſpicit 4. Æn.

Et nunc ille Paris cum ſemiuiro comitatu
Mæonia mentum Mitra, crinemque madentem
Subnixus rapto potitur: nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famamque fouemus inanem.

Contra contemni ſe dolet nihilque grauius pati ſolet, ac poteſt, quàm ſi dùm furit, & æſtuat, dùm præter minas & ſupplicia, nihil admodum ſonat, interea, ſpernitur, ſic ardorem animi ſui prodit in deſertorem ſuum Dido.

Na'quid diſſimulo? aut quæ me ad majora reſeruo?
Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?
Num lacrymas victus dedit, aut miſeratus amantem eſt?

XII. Iræ loquacitas.

Nihil eſt irato difficilius, quàm continere linguam; eorum autem qui iraſcuntur ſermo eſſe ſolet ejuſmodi: amplificat contemptum ſui quantum poteſt. Queritur Medea ſe contemptam ab Jaſone malæ fidei viro, quo verborum ambitu? quo exulceratæ mentis æſtu?

Quos ego ſeruaui pellex amplectitur artus;
Et noſtri fructus illa laboris habet.
Forſitan & ſtultæ, dum te jactare marita,
Quærit: & injuſtis auribus apta loqui:
In faciem moreſque meos noua crimina fingit
Rideat, & vitiis læta ſit illa meis.
Rideat, & Tyrio iaceat ſublimis in oſtro
Flebit; & ardores vincet aduſta meos.
Dum ferrũ flammæque aderunt, ſuccuſque veneni:
Hoſtis Medeæ nullus inultus erit.

Commendat ſe pluribus, vt ex eo capite accreſcat contemptus, & ex contemptu ira jmmo ad vltimum iræ retinens, ſe ad iracundiam excitat exemplo Palladis, quæ numen inferioris ordinis, vlta eſt acriter hoſtem ſuum. 1 Æn.

—— Méne incœpto deſiſtere victam?
Nec poſſe Italiâ Teucrorum auertere gentem?
Quippe vetor fatis. Pallaſne exurere claſſem
Argiuum, atque ipſos potuit ſubmergere Ponto
Vnius ob noxam, & furias Ajacis Oilei?
Aſt ego quæ Diuûm incedo Regina, Iouiſque
Et ſoror, & conjux, vnâ cum gente tot annos
Bella gero, & quiſquam numen Iunonis adoret
Præterea? aut ſupplex aris imponat honorem?

In ardore animi vehementer indignantis eadem adhibet argumentum à minoribus Diis Marte & Dianâ, vt faces iam ſatis exulceratæ menti maiores ſubiiciat:

— Mars perdere gentem
Immanem Lapithum valuit: conceſſit in iras.
Ipſe Deûm antiquam genitor Calydona Dianæ.
Quod ſcelus aut Lapithis tãtũ, aut Calydone merente?
Aſt ego magna Iouis conjux: nil linquere inauſũ
Quæ potui infelix, quæ memet in omina verti
Vincor ab Ænea.

Eludit eorum reſponſa qui ſe placare volunt: Dido non habebat, quo poſſet Deorum auctoritatem refellere, riſu duntaxat eludit rationes, ſequuta ſectam Epicureorum, dicentium Deos non hæc inferiora curare;

Heu furiis incenſa feror, nunc augur Apollo,
Nunc Lyciæ ſortes, nunc & Ioue miſſus ab ipſo
Interpres Diuûm fert horrida juſſa per auras.
Scilicet is Superis labor eſt, ea cura quietos
Sollicitat, neque te teneo, neque dicta refello.

Poſt contumelias, & injurias incuſat ſe quòd occaſionem oblatam vltionis non arripuerit cùm ſe dabat, eamque deſiderio reuocat; Indignata Dido varias ſeſe les attingit quibus voluiſſet Æneã obruere, petitas è veterum Fabulis & Hiſtoriis.

Non potui abreptum diuellere corpus, & vndis
Spargere? non ſocios; non ipſum abſumere ferro
Aſcanium, patriiſq; epulandam apponere menſis;

Si verò

Digitized by Google

Si verò vis & ſpes vltionis adempta ſit multò grauiùs iraſcitur,& ſe magis excruciat. Talis Iuno deſcribitur in pœnas,& vltionem intenta 2. Metam.Fab. 6.

Eſt verò cur quis Iunonem lædere nolit,
Offenſamque tremat,quæ proſum ſola nocendo ?
O ego quantum egi?quàm vaſta potentia noſtra eſt?
Eſſe hominem vetui,facta eſt Dea:ſic ego pœnas
Sontibus impono;ſic eſt mea magna poteſtas.

Denique, vt ſcias inquit Seneca de Ira,iram non eſſe pœnæ cupiditatem,infirmiſſimi ſæpè potentiſſimis iraſcuntur, nec pœnam concupiſcunt, quàm non ſperant. Imò verò ſæpè oppreſſi fortunæ dominantis inconſtantiam ingerunt, quæ poſſit etiam in ſupremo dignitatum faſtigio poſitos deturbare præcipites. Quod vrget Ouid. Triſt. 5. eleg. 8. non ſine ſtomacho.

Non adeò occidi,quamuis abiectus,vt infra
Te quoque ſim,inferius quo nihil eſſe poteſt.
Quæ tibi res animos in me facit improbe?curue
Caſibus inſultas,quos potes ipſe pati?
Nec mala te reddunt mitem placidumue iacenti
Noſtra,quibus poſſunt illacrymare feræ?
Nec metuis dubio fortunæ ſtantis in orbe
Numen?& exoſæ verba ſuperba Deæ?
Exiget ad dignas vltrix Rhamnuſia pœnas,
Impoſito calcat quod mea fata pede.

Plures iræ characteres Satyrici Vates,variaſque vehementer indignantis animi depingunt imagines mordacibus verbis adumbratas,quales habet Iuuen. Satyr. 1.

DE MANSVETVDINE ſiue Clementia.

VIcinus Amori manſuetudinis, & Clementiæ motus,vſum ferè eundem habet, cùm ſcilicet in defẽſionibus elaborare debet Orator, vt ac verſariis excitatam iracundiam extinguat, & ad lenitatem, clementiámque Iudices reuocet,cùm etiam in ſuis,aut alienis erratis ad deprecationem confugere neceſſe habent.

LECTIO XXXI.

Conciliatur Manſuetudo.

MAnſuetudo motus iræ contrarius definitur ab Ariſt. 2.Rhet.cap. 3.depreſſio atque ſedatio iræ,quæ non Oratione primùm mulcenda eſt, vt monet Seneca, *Surda eſt,amens eſt,dabimus illi ſpatium, donec deferbuerit, nec oculos tumentes tractabimus,vim maiorem mouendo incitaturi; nec cætera vitia, dùm feruent morborum initia, quies curat.*

——— Da tempus,ac ſpatium tibi,
Quod ratio nequit,ſæpè ſanauit mora.

Monet cothurnatus Vates Agam,Act.

Sunt quidam ſanandi diſſimulanter ex mente Romani Philoſophi. Et verò Medicum ajunt, cùm Regis cuiuſdam filiam ſanare vellet,nec ſine ferro poſſet,dùm intumeſcentem mammam leniter foueret, ſcapellum ſpongiâ tectum induxiſſe. Repugnaſſet puella naturæ delicatioris remedio palàm admoto, eadem quia non expectauit dolorem tulit.

I. *Manſuetudinis incentiuum depoſita contemptus ſuſpicio,*

Componitur animus, & ad manſuetudinem traducitur ab ira,ſi contemptus ſuſpicio deponatur,quem iræ materiam,ac fomitem eſſe conſtat, contráque doceatur quàm magnificè ſentiat, & honorificè loquatur, de eo qui ſe contemptum ſuſpicatur. Nam iis iraſcimur ac ſuccenſemus grauiter,qui conſultò, dataque opera nos injuriâ vel contumeliis afficiunt;ita faciles ſumus in eos,qui per imprudentiam,vel aliquo caſu lapſi, non certo conſilio nos offenderunt. Quòd ſi diſſimulari non poſſit offenſa,præter voluntatem hæc accidiſſe dicendum erit. Belle Didonem feruidioris naturæ ac ſubito motu bullientis fœminam mulcet Æneas apud Poëtarum ſcientiſſimum. Æn. 4.

Me patris Anchiſæ quoties humentibus vmbris
Nox operit terras,quoties aſtra ignea ſurgunt,
Admonet in ſomnis,& turbida terret imago:

Me puer Aſcanius capitiſque injuria cari
Quem regno Heſperiæ fraude,& fatalibus armis,
Nunc etiam interpres Diuum Ioue miſſus ab alto
Teſtor vtrũque caput(celeres mandata per auras
Detulit:ipſe Deum manifeſto in limine vidi
Intrantem muros,vocemque his auribus hauſi,
Deſine meque tuis incendere,teque querelis
Italiam jam ſponte ſequor.

Non alia ratione Tull.Ligarium manſuetudine veniaque dignum probat,quòd præter voluntatem,quòd errore humano deceptus , & neceſſitate coactus in Cæſarem aliquid deliquerit,nu. 35. *An poteſt quiſquam dubitare,quin ſi Q. Ligarius in Italia eſſe potuiſſet , in eadem ſententia futurus fuerit,in qua fratres fuerunt ? Quis eſt qui horum conſenſum conſpirantem,& penè conflatum , in hac propè æqualitate fraterna non nouerit ? quis hoc non ſentiat quid vis prius futurum fuiſſe,quàm vt hi fratres diuerſas ſententias fortunaſque ſequerentur? voluntate igitur omnes tecum fuerunt;tempeſtate abreptus eſt vnus:qui ſi conſilio id feciſſet,eſſet eorum ſimilis,quos tu tamen ſaluos eſſe voluiſti. Quod ſi eſt criminoſum,neceſſitatis crimen eſt,non voluntatis.*

II. Criminis confeſſio.

Facit ad manſuetudinem ingenuè culpam fateri,dolore que admiſſam,tantum enim abeſt vt contemnant,vt oſtendant ſe benè de nobis ſentire,quæ pœnitentia.qui dolor,& ægritudo animi,inſtar eſt pœnæ,atque ſupplicii;quod ſubijciens ea quâ ſolet elegantia Cic. clementem ac manſuetum Cæſarem reddere ſtudet, confeſſione libera. Pro Liga.nu.30. *Ad judicem ſic agi ſolet;ſed ego ad parẽtem loquor:erraui,temerè feci,pœnit & ad Clementiam tuam confugio delicti veniã pete vt ignoſcas oro,ſi nemo impetrauit arroganter:ſi plurimi tu idem fer opem,qui ſpem dediſti.*

Hoc artificio Liuius vtitur lib. 22. Vbi Minutius magiſter Equitum errata ſua liberè & ingenuè fatetur,Oratione ad Fabium Dictatorem. *Parentibus meis,Dictator,quibus te modò nomine,quo fando poſſũ æquaui,vitã tã ũ debeo;tibi cùm meam ſalutẽ,tùm omniũ horũ. Itaque plebiſcitum,quo oneratus magis,quam honoratus ſum,primus antique,abrogoq;& ſub imperium auſpiciumque tuum redeo,& ſigna hæc,legioneſque reſtituo. Tu quæſo placitus me magiſtrum Equitum,hos ordinibus ſuis quẽque teneri jubeas.*

III Humilitas & animi demiſſio.

Viles animæ ſunt ad vltionẽ præcipites,nec ſemel iram incenſam facilè deponunt,niſi par vel majus aliquod malum intulerint. At verò generoſæ mentis ardor,quia nihil præter gloriæ ſplendorem æſtimat ferè conquieſcit,ſi modo is qui offendit ſupplex ſe demittat ac ſe puniendum permittat vltrò,ſic enim profitentur ſe inferiores;qui autem inferiores ſunt,timent , ac reuerentur,quæ duo non poſſunt eſſe cum contemptu. Mitigantis iram , & manſuetudinis exemplum ſingulare dedit in Turno & Ænea Virg. 12.Æn.

Ille humilis ſupplexque oculos,dextrãque precãtẽ
Protendens:equidem merui,nec deprecor,inquit,
Vtere ſorte tua:miſeri te ſi qua parentis
Tangere cura poteſt,oro(fuit & tibi talis
Anchiſes genitor) Dauni miſerere ſenectæ,
Et,me ſeu corpus ſpoliatum lumine mauis,
Redde meis;viciſti,& victum tendere palmas
Auſoni vidére:tua eſt Lauinia conjux:
Vlterius ne tende odiis.Stetit acer in armis
Æneas voluens oculos,dextramque repreſſit
Et jam jamque magis cunctantem flectere ſermo
Cœperat.

IV. Beneficiorum commemoratio.

Artificii pleniſſimum eſt ejus commemorare beneficia,quem voles incitatum ira delinire nam blanda commemoratio beneficiorum neſcio quas habet illecebras,& alienum à cõtemptu demonſtrat,& à ſuſpicione vindicat. Didonem grauiore motu concitatam ſibi conſiliat, Æne 4. Æn.

— Ego te,quæ plurima fando
Enumerare vales,nunquam Regina negabo
Promeritam,nec me meminiſſe pigebit Eliſſæ.
Dùm memor ipſe mei,dùm ſpiritus hos reget artus

Hoc idem in defẽſionibus ſuis miro artificio præſtitit Orator Romanus , pro domo ſua in Reimp. promerita recenſet,n.144. *Te cuſtos vrbis Minerua,quæ ſemper adjutrix conſiliorum meorum teſtis*

teſtis laborum extitiſti precor ac quæſo; voſque qui maxime me repetiſtis, atque reuocaſtis, quorum de ſedibus hæc mihi propoſita eſt contentio, patrij Penates familiareſque qui huic vrbi & Reip. præſidetis, vos obteſtor: quorum ego à templis ac delubris: peſtiferam illam, & nefariam flammam depuli. Teque Veſta mater, cuius caſtiſſimas Sacerdotes, ab hoſtium amentia, furore, & ſcelere defendi, cuiuſque ignem illum ſempiternum, non ſum paſſus aut ſanguine ciuium reſtingui, aut cum totius vrbis incendio commiſceri. Et multa quæ ſuauiſſimo Orationis flumine proſequitur.

Ligario parcendum contendit etiamſi certo conſilio Cæſari bellum intuliſſet recordatione Quæſturæ, quam tota contulerat ad ejuſdem Cæſaris dignitatem, num. 3.6. *Et quidem cùm tuis omnibus conſiliis intereſſem, memoria teneo qualis T. Ligarius, Quæſtor vrbanus fuerit erga te, & dignitatem tuam. Sed parum eſt me hoc meminiſſe: ſpero etiam te, qui obliuiſci nihil ſoles niſi iniurias, quoniam hoc eſt animi, hoc eſt ingenii tui, te aliquid de huius Quæſtoris officio cogitantem etiam de aliis Quæſtoribus, reminiſcentem recordari. Hic igitur, qui tum nihil aliud egit, niſi vt tu eum ſtudioſum, & bonum virum iudicares, nunc à te ſupplex ſalutem fratris petit.* Quod & habet pro Deiot. num. 14.

V. Amoris blanda ſigificatio.

Iram placat, & lenitatem excitat, qui ſub initium Amorem profitetur; faciliorem enim amoris illecebræ Orationi parant aditum. Occurrit Iocaſta filium Polynicem mitigatura Theb. Act. 4.

Ad te preces, nate, maternas feram,
Sed ante lacrymas. Teneo longo tempore
Petita votis ora. Te profugum ſolo
Patrio Penates regis externi tegunt:
Te maria tot diuerſa, tot caſus vagum
Egére: non te duxit in thalamos parens,
Comitata primos, nec ſua feſtas manu.
Ornauit ædes, nec ſua lætas faces
Vittâ reuinxit. Hoſtium eſt factus gener
Patriâ remotus, hoſpes alieni Laris.
Sine crimine exul. Nate poſt multos mihi
Remiſſe ſoles: nate ſollicita metus,
Et ſpes parentis,

VI. Caſus alterius & pœna grauior.

Manſuetum & clementem ex irato facies, ſi docueris eos, à quibus læſus eſt grauiores pœnas pependiſſe, quàm ipſemet exegiſſet, nam ea ratione ceſſat ira vltionis appetens. Iocaſta jam laudata Theb. Act. 4.

Ne metue pœnas, & quidem ſoluet graues
Regnabit Pol. *Hæc eſt pœna? Ioc. Si dubitas;*
auo
Patrique crede: Cadmus hoc dicet tibi
Cadmique proles. Sceptra Thebarum fuit
Impunè nulli gerere, nec quiſquam fide
Regnabit tenebat: iraſiam numeres licet
Fratrem inter iſtos.

Si quos aliquando pares habuit, infra ſe videt, ſatis vindicatus eſt, & ad manſuetudinem facilis Sen. 1 de Clem. cap. 21. *Quiſquis ex alto ad inimici pedes abiectus, alienam de capite ſuo: regiamque ſententiam exſpectauit, in ſeruatoris ſui gloriam viuit, pluſque nomini eius confert incolumis, quàm ſi ex oculis ablatus eſſet. Aſſiduum enim ſpectaculum alienæ virtutis eſt: in triumpho citò tranſiſſet.* Hoc eſt etiam ex victoria ſua triumphare.

VII. Virtutis commendatio.

Virtus ac probitas facilè concitatum demulcet, quam machinam adhibuit M. Iunius ſummæ prudentiæ vir ac fortitudinis pro captiuis Cannenſis pugnæ perorans, in quos non ignorabat Romanorum animos eſſe vehementer incitatos, apud Liui lib 22, *Non enim in acie per timorem arma tradidimus, ſed cùm propè ad noctem ſuperſtantes cumulis cæſorum corporum prælium extraxiſſemus, diei reliquum ac noctem inſequentem, feſſi labore, ac vulneribus vallum ſumus tutati.*

Huius artificii meminit magnus in dicendo Tull. pro Cluent. cui iudicum manſuetudinem ob virtutem, ac innocentiam vitæ conciliat, num. 202. *Veſtrum eſt hoc Iud. veſtræ clementiæ: rectè hoc repetitur à vobis, vt virum optimum, atque innocentiſſimum, pluri miſque mortalibus carum, atque iucundiſſimum his aliquando calamitatibus liberetis:*

 vt omnes

Digitized by Google

vt omnes intelligant, in concionibus eſſe inuidiæ locum in iudiciis veritati.

Non minus eleganter in cauſa Cœlij perorauit, ex eodem capite, num 72. *M. verò Cœlius cur in hoc iudicium vocatur? cui neque proprium quæſtionis crimen obiicitur, neque verò aliquid eiuſmodi, quod ſi à lege ſejunctum, & cum veſtra ſeueritate conjunctum cuius prima ætas dedita diſciplinis fuit, iisque artibus quibus inſtruimur ad hunc vſum foren ſem, ad capeſcendam Remp. ad honorem, gloriam dignitatem: ijs autem fuit amicitiis maiorum natu, quorum imitari induſtriam continentiámque maximè velit: ijs æqualium ſtudiis, vt eundem quem optimi ac nobiliſſimi, petere cruſum laudis videretur.*

VIII. Metus.

Vtile nonunquam iratis timorem iniicere, eorum in quos exarſerunt; nam fieri vix poteſt vt quis iraſcatur, ei quē metuat. Et quæ ſpes vlciſcendi eos, quos veremur? Paccuuius apud Liuium. *Vnus aggreſſuras es Annibalem, quid illa turba tot liberorum, ſeruorúmque? quid in vnum intenti oculi, quid tot dextræ, torpeſcéntne? in amentia illa; vultum ipſius Annibalis, quem armanti exercitus tremunt, quem horret populus Rom. tu ſuſtinebis?*

Hinc illa vox Iocaſtæ Polynicem à bello dehortantis, & cum fratre reconciliare volentis Act. 2. Theb.

Licèt omne tecum Græcia robur trahas,
Licèt arma longà miles, ac latè explicet,
Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt,
Quodcum   ue Mars decernit, exæquat duos,
Licèt imp   es ſint gladius & ſpes & metus
Sors cæca verſat. Præmium incertum petis.
Certum ſcelus

Sic Harpagus, cùm Perſarum Regi bilem moviſſet offenſúſque princeps epulandos ei liberos appoſuiſſet, rogatus ab eodem Rege, num id commenti genus placuiſſet? mœrore diſſimulato reſpondit, apud Regem omnis cœna jucũda eſt ita fuit affectus minus potens erga potentiorē:

IX. Deprecatio.

Cùm rogant, atque deprecantur, qui nos læſerunt, facilè placamur, quod hac ratione demiſſionem animi præ ſe ferant; ideò Phil. 5. Tull. pacem cum Antonio nullam habendam affirmat, num. 3. *Pacem vult Antonius, arma ponat, oret, deprecetur.*

Huius vbique rei mirus artifex in Orationibus ſuis, cùm ſe putat judicibus ſuis cauſam probaſſe. Pro Fontejo deprecantem inducit Virginem Veſtalem, n. 38. *Tendit ad vos virgo Veſtalis ſupplices manus eaſque pro vobis Diis immort. tendere ſolet. Cauete ne periculoſum ſuperbumue ſit, eius vos obſecrationem repudiare, cuius preces Dii ſi aſpernarentur, hæc ſalua eſſe non poſſent.*

Iterum graui deprecatione vtitur pro Plancio. n. 102. *Non ego meis ornatum beneficiis à vobis deprecor Iud. ſed cuſtodem ſalutis meæ: non opibus contendo, nõ auctoritate, ſed precibus, ſed lacrymis, ſed miſericordia, mecúmque vos ſimul miſerrimus & obteſtatur parens, & pro vno filio, duo patres deprecantur. Téque Flaui oro, & obteſtor, qui meorum conſiliorum in conſulatu ſocius, periculorum particeps, rerum quas geſſi adiutor fuiſti. méque non modo ſaluum ſemper, ſed etiam ornatum florentémque eſſe voluiſti: vt mihi per hos conſerues eum, per quem me tibi, & his conſeruatum vides.*

Item pro Clu. n. 201.

X. Exemplum

Frangit iram & manſuetudinem imperat exemplum Ducis æquè in ſe, atque in alios ſeueri, ſic milites erga Ducem grauia imperantem ſeueri, ſic milites erga Ducem grauia imperantem ſunt placabiles, ſi ea præſtare illum viderint, vt Mariani, qui vulgò muli, ob aſſiduam laborum contentionem, non erant tamen infenſi Mario, quia nihil ipſis imponebat operis, quin illud priùs ſubiret. Adeò verum eſt, quod ait Ouid. 6. Faſtorum.

Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur,
Cùm iudex alios, quod monet, ipſe facit.

Quod & habet Tull. pro lege Ma. n. 38 *Neque poteſt exercitum is continere Imperator, qui ſeipſum non continet: neque ſeuerus eſſe in iudicando, qui alios in ſe ſeueros eſſe iudices non vult.*

XI. Animi de ſe triumphantis magnitudo.

Manſuetudo perſuadetur, propoſitâ vera ſolidáque gloria, quæ percipitur ex illa ſui victori

Digitized by Google

ctoria, quod aſſequimur allatis illorum exẽplis, qui perpetuam ſibi apud poſteros famæ prædicationem hac vna virtute, conciliarunt. Laudatur Lycurgus, quòd ſumeret vltionem de hoſtibus, non puniendo, ſed benemerendo. Illud ipſum vocat Themiſt. Orat. 5. *ἀρετῆς νίκην* trophæum ſingularis virtutis, & apicẽ ſublimis conſtantiæ, exultãtis, & imminentis in vltionem animi vim, & impetum cohibere, naturæ aculeos retundere, efferueſcentem in corde flammam opprimere, hoc eſt maiorem ſe fieri, hoc pugnare fortiter, & vincere glorioſè.

Has omnes lenitatis excitandæ rationes propoſuit Claud. in epiſtola, quam Adriano ſcripſit.

Vſque adeòne tuæ producitur impetus iræ?
Exceſſit iam pœna modum: concede iacenti.
En adſum, & veniam confeſſus crimina poſco
Manibus Hectoreis atrox ignouit Achilles.
Hunc vires tua digna ſequi. Spoliamur amicis.
Hunc tormẽta necãt; hic vndique truditur exul.
Quid ſupereſt damnis? qua ſalua pericula reſtant?
Emollit rabiem præda, mortiſque facultas.
Prætereunt ſubiecta feræ, toruique leones
Quæ ſtrauiſſe valẽt, ea mox proſtrata relinquunt.
Reſpice quid tanta dignaris morte clientem?
In breuibus nunquam ſeſe probat Æolus vndis.
Incubuit nunquam cœleſtis flamma Salictis,
Nec parui frutices iram meruere Tonantis:
Hoc carmen pro thure damus, miſerere tuorum.

Denique proponendum quod olim aiebat Cæſar Dictator. Miſerum eſſe inſtrumentum Senectutis, recordationem crudelitatis, proindè humaniſſimos eſſe debere Principes, & in honore conſtitutos, vt amicâ omnium reuerentiâ, & charitate excipiantur.

XII. *Lenis ſeueritas.*

Mollioris ſunt naturæ qui manſuetudinis ſuaui decore capti, omnem iracundiæ motum ab animo, vt lenitatis inimicum, arcendum eſſe putant; non intelligũt iram eſſe virtutis inſtrumentum, quæ fortitudinem, robur & cõſtantiam, ad res omnè, ordinatè quæ agendas præbeat, quæque libidinibus emolitam animam, & laſciuientem contineat, & auſteram è remiſſa, è molli & fractâ generoſam efficiat.

Nimiam lenitatem improbare videtur Sapiens, dum & ſeueritatis, & nimiæ manſuetudinis mala complectitur de Clem. cap. 2. *Non vulgo ignoſcere decet. Nam vbi diſcrimen inter malos bonoſque ſublatum eſt, confuſio ſequitur, & vitiorum eruptio. Itaque adhibenda eſt moderatio, quæ ſanabilia ingenia, diſtinguere à deploratis ſciat. Nec promiſcuam habere ac vulgarem clementiam oportet, nec abſciſſam. Nã tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt, quàm nulli*

Inclinandum tamen ſemper eſt in mitiorem partem, & ſi peccandum, remiſſione quàm crudelitate melius ac tutius. Egregiè Caſſiodor. l. 5. epiſt. 46. *Materia eſt gloria principalis delinquentis reatus; quia niſi culparum occaſiones emergerent, locũ pietas nõ haberet. Quid enim ſalubris ordinatio gerat, ſi morũ probitas cũcta componat? arida ſiccitas madentis pluuia beneficium expetat ſaluiferis medentium manibus niſi infirma valetudo non indiget, ſic dum imbecillitati ſuccumbitur, conuenienter remedia tribuuntur. Quapropter caſibus aſperis præſtandum eſt ſub iuſtitia laude moderamen, vt nec vindictam ſinamus ſuperare peccata, nec culpam inſultare patiamur legibus impunitam.*

LECTIO XXXII.

Deſcribitur

Lenitudo deſcribitur moderatione vultus, & ſermonis, orationis illecebris, & ſuauitate, modeſtâque totius habitus, ac demum penè omnes admittit characteres, quibus Poëtæ pacem adumbrare conſueuerunt. Inter quos hæc habet Claud. in laudem Manlij Theod.

Seruat inoffenſam diuina modeſtia vocem,
Temperiem ſeruant oculi, nec lumina feruor.
Aſperat, aut rabidas diffundit ſanguine venas,
nullâque mutati tempeſtas proditur oris,
Quin etiam ſontes expulsâ corrigis irâ,
Et placidus delicta domas, nec demibus vnquam
Inſtrepis horrendum, fremitu nec verbera poſcis.

 Pax

Digitized by Google

P x maiora decet Peragit tranquilla poteſtas
Quod violenta nequit, mandataque fortius vrget
Imperioſa quies, non qua comitatur honores
Ausa tuam leuiter tentare ſuperbia mentem.

Eãdem iterum ab effectis deſcribit, vt Stiliconis faſces exornet l. 2. de laudibus eiuſdem:

P incipio magni cuſtos Clementia mundi.
Hæc docet, vt pœnis hominum, vel ſanguine paſci
Turpe ferumque putes: vt ferrum marte cruentum,
Sic tum pace premas, vt non infenſus alendis
Materiam præſtes odiis: vt ſontibus vltrò
Ignoſſe reis.

Et paucis interiectis.

Hæc & amicitias longo poſt tempore firmat,
Manſuróque adamante ligat; nec mobile mutat
Ingenium, paruo ſtrepitu, nec vincula noxa
Diſſolui patitur, nec faſtidire priorem,
Allicitur veniente nouo, benefacta tenere,
Reſpicere offenſas facilis, pariterque minoris
Officij, magnique memor ſuperare laborat,
Vtque hoſtes armis, meritis ſic vincit amicos.
Hæc fouet abſentes; hæc longè ſola remotis
Conſulit; hæc nullis auidam rumoribus aurem
Pandit, & ignarum nunquam læſura Clientem.

Pari vena Cæſaris clementiam pluribus commendat, vel recuſanti veniam offerentis Lucan. l. 2.

Viue licet nobis, & noſtro munere, dixit
Cerne diem, victis nam ſpes bona partibus eſto,
Exemplumque mei, vel ſi libet arma retenta,
Et nihil hac venia ſi viceris ipſe paciſcor.

Omnia Martis inſtrumenta ſub Clementiæ pedibus ſubiicit bonus omniũ opinione vates Claudiam laudatus in Mallij Panegyr.

Nonne viues vt noſtra ſoror Clementia triſtes
Obtundat gladios, fratres amplexa serenos,
Aſſurgat Pietas ſi actis vt lugeat armis
Perfidia, & laceris morientes crinibus Hydri
Lambant inualido furiarum vincla veneno?

DE MISERICORDIA.

MISERICORDIA eſt motus animi, ſeu dolor quidam ſuſceptus ex cogitatione mali alterius iniuriâ laborantis, & quo ſe vel ſuos affici poſſe videt, qui miſeretur. Hinc illum ait Tull. miſeratione facile moueri, qui adduci poteſt, vt illa, quæ de altero deplorantur, ad ſemetipſum continuò, reſque ſuas reuocet, quas aut tulerit acerbas, aut timeat, aut intuẽs alium, crebrò ad ſeipſum reuertatur. Idcirco pius Æneas 10. Æn. cùm Lauſum Mezentij filium adoleſcentem interfeciſſet, animo reputans, illam ipſam calamitatem in Aſcanium ſuum cadere poſſe, illicò cœpit hoſtis caſum miſerari.

At verò vt vultum vidit morientis, & ora,
Ora modis Anchiſiades pallentia miris
Ingemuit miſerans grauiter, dextramque tetendit,
Et mentem patriæ ſubiit pietatis imago.

Si verò reperias aliquos, qui nihil tale ſe pati poſſe putent, miſericordiâ non permouentur, quale ſunt qui miſeriarum cumulum attigerunt, qui ſunt in magno metu, cladéque communi, qui ſunt contumelioſi, vel ſummè felices, nec enim cogitant ſibi vllam calamitatem euenturam, quis fraudulenti aut veteratores, qui nihil vnquam paſſi ſunt, minus alienis doloribus mouentur.

LECTIO XXXIII.

De Induſtriis concitandæ Miſerationis.

NOn minus audacis, quàm felicis eſt eloquẽtiæ fletus ex alienis malis ſibi polliceri, proindè vix vllus Orator victoriam hanc ſperat, & triumphum, niſi ſũmis ingenij naturæ que viribus ſit inſtructus. Nam vt hic affectus vehemens eſt, cum ſemel incaluit, non tàm ab arte, quàm ab ipſius naturæ quodam impetu rita ſi ieiunior eſt, quàm expectari potuit oratio, nauſeam-

ſeam facit auditoribus, & riſu nonunquam excipitur.

PVNCTVM PRIMVM.

Induſtria I. Florentis fortunæ mutatio in aduerſam.

OMninò valet ad commouendam hanc animi affectionem augere quãtum poterit incommoda, ex quibus naſcitur: & quidem inter mala, quæ commiſerationem mouent, numeratur potiſſimum florentis fortunæ in deteriorem mutatio. Multus eſt in his Cic. Inſperata fortunæ viciſſitudine commiſerationem in reum Syllam excitat num.89. *Quid eſt huic reliqui, quod eum in vita hac teneat: aut quid eſt quamobrem hæc cuiquam videatur? Nuper is homo fuit in ciuitate P. Sylla, vt nemo ei ſe neque honore, neque gratia, nec fortunis anteferret: Nunc Spoliatus omni dignitate, quæ erepta ſunt, non repetit: quod fortuna in malis reliqui fecit, vt cum parte, cum liberis, cum fratre, cum his neceſſariis lugere ſuam calamitatem liceat, id ſibi ne eripiatis, vos Iudices obteſtatur.* Et num. 91. *O miſerum & infelicem illum diem, quo conſul omnibus centuriis Sylla renunciatus eſt! ô falſam ſpem! volucrem fortunam! ô cæcam cupiditatem! ô præpoſteram gratulationem! quàm citò illa omnia, ex lætitia & voluptate, ad luctum & lacrymas reciderunt! vt qui paulò ante Conſul deſignatus fuiſſet, retineret repentè nullum veſtigium priſtinæ dignitatis.*

Talem in Murena fortunæ melioris mutationem in aduerſam luget ad miſerationem n. 86. *Modo maximo beneficio Populi Roman. ornatus, fortunatus videbatur, quod primus in familiam veterem, primus in municipium antiquiſſimum conſulatum attuliſſet: nunc idẽ ſqualore ſordidus, cõfectus morbo, lacrymis, ac mœrore perditus, veſter eſt ſupplex Iud. veſtram fidem obteſtatur, miſericordiam implorat, veſtram poteſtatem, ac opes intuetur.*

Frequens eſt Poëtis hæc comparatio inter fortunæ prioris felicitatem, & ſequentis miſeriam, vt afficiant ſuos. Princeps illorum fingit Hectorem triumphantem antea in ſomnis Æneæ apparentem mœſtum, flentem largiſſimè, bigis raptatum, atrum cruento puluere, & alias triſtitiæ notas præſe ferentem 2. Æn.

Hei mihi qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuuias indutus Achillis,
Vel Danaûm Phrygios iaculatus puppibus ignes,

Neque diſſimilia ſunt illa Liuij de Horatio, qui Curiatios interfecerat. *Hunccine quem modò decoratum, ouantemque victoria incedentem vidiſtis Quirites, eum ſub furca vinctum verbera, & cruciatus videre poteſtis.*

Miſer ex beato lacrymas etiam hoſtibus elicit. Talis eſt illa Niobes Ouidianæ calamitas, quâ fletus & inimicis, & inuidis excitatur. Metam. 6. Fab. 3.

Heû quantum hæc Niobe diſtabat ab illa,
Quæ modò Latiis populum ſummouerat aris,
Et mediam tulerat greſſus reſupina per vrbem
Inuidioſa ſuis! ac nunc miſeranda vel hoſti
Corporibus gelidis incumbit, & ordine nullo
Oſcula diſpenſat natos ſuprema per omnes.

Cùm per iniquitatem fortunæ quis diſtrahitur à ſinu parentum ac diuellitur ab amicis, deſeritur à patronis, à propinquis relinquitur, maximam triſtitiam animo percipit: hinc lacrymæ, & luctus miſerabiles oriuntur Pro Planc. n. 102. *Nemo erit tàm crudeli animo, tamque inhumano, neque tàm immemor meorum, non dicam in bonos meritorum, ſed bonorum in me, qui à me mei ſeruatorem capitis diuellat ac diſtrahat.*

Hanc orbitatem & metum grauioris mali, & iam imminentis ad miſerationem adhibet Philotas apud Curtium lib. 6. de rebus Alexandri. *Duos fratres ego nuper amiſſi: Patrem nec oſtendere poſſum; nec inuocare audeo, quum & ipſe tanti criminis reus ſit. Parum eſt tot modo liberorum, parentem, in vnico filio acquieſcentem, eo quoque orbari, ni ipſe in rogum meum imponitur. Ergo chariſſime pater, & propter me morieris, & mecum. Ego tibi vitam adimo, ego ſenectutem tuam extinguo. Quid enim me procreabas infelicem auerſantibus Diis? an vt hos ex me fructus perciperes, qui te manent? Neſcio adoleſcentia mea miſerior ſit, an ſenectus tua. Ego in ipſo robore ætatis eripior: tibi carnifex ſpiritum adimet, ſi quem fortuna expectare voluiſſet, natura repoſcebat.*

* * *

Digitized by Google

II. Senectus calamitoſa.

A Senectute miſerationem ſæpius aucupatur Cic. in Piſon. 84. eandem miſerationis mouendæ rationem ſeruat pro Cœlio, vbi iudicum animos adoleſcentia filij, & ipſius patris ſordidati ſenectute permouet, cùm vnque ſenſus leuiter parentum, & liberorum recordatione pertentat, quà facillimè animus ad commiſerationem accenditur. Sic autem. n. 79. *Quod ſi iam huius adoleſcentiam proproſueritis, conſtituitote vobis ante oculos huius etiam miſeri Senectutem, qui hoc vnico filio nititur, in huius ſpe requieſcit, huius vnius caſum pertimeſcit: quem vos ſupplicem veſtræ miſericordiæ, ſeruum poteſtatis, abiectum non tàm ad pedes, quàm ad mores, ſenſuſque veſtros, vel recordatione parentum veſtrorum, vel liberorum iucunditate ſuſtentate: vt in alterius dolore, vel pietati, vel indulgentia veſtra ſeruiatis. Nolite ſud aut hunc iam naturâ ipſa occidentem, velle maturiùs exſtingui vulnere veſtro, quàm ſuo fato; aut hunc nunc primum floreſcentem firmata iam ſtirpe virtutis, tanquam turbine aliquo, aut ſubita tempeſtate peruertere. Conſeruate parenti filium, parentem filio, ne aut Senectutem iam propè deſperatam contempſiſſe, aut adoleſcentiam plenam ſpei maxime, non modò non aluiſſe vos, ſed etiã perculiſſe, atque afflixiſſe videamini.*

Quoniam ætass puerilis, ac ſenilis infirmior eſt, ideò ab vtraque ſæpiùs captatur miſeratio; hinc illud magni artificis. Et 12. Æn.

—— - - Dauni miſerere Senecta
Caniciem immundo deformem puluere turpans.

Quem Claudianus preſſis veſtigiis ſequitur, 1. in Ruffinum, cuius carnificinam exaggerat.

Efferatorquebant auida præcordia curæ,
Effugeret ne quis gladios, ne perderet vllum
Auguſto miſerante nefas. Non flectitur annis,
Non ætate labat; iuuenum rorantia colla
Ante patrum vultus ſtricta cecidere ſecuri.
Hæt graduæus nota moriente ſuperſtes
Poſt trabeas exul. Quis prodere tanta relatu
Funera, quis cædes poſſet deflere nefandas?

Ab eodem loco miſericordiam excitat Veturia Coriolani mater afflicta. Ex Liui l. 2. *In hoc me longa vita, & infelix Senecta traxit vt exulem te, deinde hoſtem viderem?*

III. Mors propinquorum & Orbitas.

Quæ calamitatem afferunt aliquam, vt mors amicorum, miſerationem mouent; qua de re ſic Princeps Maro 9. Æn. Vbi Troiani non ſolùm Euryali cæſi triſtem caſum dolent, ſed eius etiam matris miſerabiliter filij ſui cruentam mortem lugentis.

Hoc fletu concuſſi animi, mœſtuſque per omnes
It gemitus, torpent infractæ ad prælia vires.

Talis Proregis Indiarum Sozæ fortunata calamitas fletum & dolorem miſerationémque mouet. O cœlum! ô aſtra! ô Deus! hunc infelicem exitum miſeranda Sozæ peregrinatio terra marique ſortita eſt. O miſeriarum ac patientiæ documentum! ô ſpectaculum non hominibus modò ſed feris ipſis luctuoſum! Etiam fame, fletúque conſumpta jacet exanimis Leonora coniux caſtiſſima? filij chara pignora, triſte ſolatium, & vltimæ calamitatis exemplũ, in materno ſinu gremióque vitam poſuerunt, vbi viuere nõ licebat. Et tantis funeribus ſuperſtes viuo ſæuientis fortunæ ludus? Agite languidæ manus ſupremum hoc funeris officium, reddite ſemper in agone victrici Leonoræ; luges riui lacrymatum denſo cũ gemitu ex oculis mox extinguendis, profluite ſuper caſtum cadauer ariditate contractum! erumpite gemitus teſtes crudelitatis ac perfidiæ vindices? Ego te generiſque noſtri reliquias peremi, pars mei tuique melior? Ego te dilectam ſatis nocens abſtuli, dum repudiatis precibus tuis, monitiſque me, meáque demùm omnia inſidioſo Principi, præpoſterà crudelitate permiſi? Parce cõiux ſanctiſſima ſi tuos manes acri doloris morſu perſtrictus, ſollicito; errati veniã te breui ſecuturo concede? perniciosã in ſpem te ad hãc miſeriam traxi præcipitem, facti pudet, ignoſce.

Sentio ſeriùs licèt, quàm imprudens me ignotæ genti, ac perfidæ commiſerim, dum cœlo plena repugnabas, præuidebas animos ſupra Soſam fortis, ac futuri præſcia, pro beata rerum copiâ, ſummam egeſtatem; pro ſecura libertate, non ſperatam ſeruitutem, pro ridentis aulæ blandiciis & iucundiſſima tuorum conſuetudine, barbarorum inhoſpitales caſas, ac feriuam ſocietatem

Digitized by Google

rem; pro delicato ciborum apparatu conchilia, putreſque cetorum artus, & algas, aliáque maris eiectamenta; pro veſtibus holoſericis, & auro gemmiſque fulgentibus, indignam nuditatem quæ cœlo terriſque luctum faciat: Ah memini ſoror caſtiſſima, memini; ſed vocem dolor intercludit: cùm laceris licet, atque attritis veſtibus, nudati omnes, tu tantùm generis memor, ac pudoris ad vltimum retinens, pugnis, colaphiſque repetitis vltrò barbaros ad necem irritabas, cum tibi triſtior omni morte lux viſa, defodiſti arenis à veſtigio tete mediam, quæ ſupereminebant ſolutis raptim, fuſiſque crinibus obtexiſti, ne impuris barbarorum oculis nuda appareres. O Deus! huccine Principem fœminam, ſcelerem ſemper victricem ſic exhauſtam, ſic afflictam ac deſolatam, ſiue ſcelere cecidiſſe? Soſa quid cœlum accuſas? eò loci te tuamque coniugem miſeriarum vitæque morientis ſociam, delicta perduxerunt, vindicis Dei manum quæ tantum tàm altum calamitatis tibi inflixit vulnus, ſi tibi vis eſſe profuturum, exoſculare.

I, felix anima non tàm matura morti, quàm cœlo, quæ vitæ beatæ portum prius, quàm infelicis viæ terminum attigiſti; æternùm Soſæ tui memor fruere gloriâ tuis virtutibus reddita. Tu verò poſt ærumnas & cruciatus mœrore infelix Soſa, morere; quid eſt quod te deinceps in hoc reciprocante miſeriarum æſtu conſoletur, cùm ſpes ipſa præſentium lenimentum deficiat; Solus, orbatus, inermis, viribus deſtitutus, quo te recipies? conſpirantibus in te periculis patientia fortunam prouocabis? ad feram, & inhoſpitam nationem recurres, quæ te per ſummam perfidiam & immanitatem lacerum, ac ſaucium tectis exturbauit? iterum ad ſpem incertam maris omnia ſorbentis fluctus experieris? quo nauigio? quando? quibus ſociis? ſine cibo, ſine potu, ſine vitæ ſuſtentandæ commodis? in ſyluas abde te Soſa feris prædam & alitibus, imò ſubde te Dei ſapienter omnia tegentis arbitrio, animum virtuti conſecra, ſi Deo moreris, felix interitus vita meliore vindicandus!

IV. *Corporum vexationes ac morbi*

Miſericordiam facit corporum vexatio grauior, & verbera quæ dolorem afferunt, & interitum. Quam rem copioſè proſequitur vel ad lacrymas Cic. cum plurimos à Verre per iniuriam crudeliter verberatos, atque omni cruciatu affectos, tàm artificioſè verò Gauij ſupplicium deſcribit, vt res in oculis poſita, magnos animorum motus faciat actione 7. num. 185. *Quid nunc agam? cùm iam tot horas, de vno genere, ac de iſtius nefaria crudelitate dicam? Opinor vnus modus, atque vna ratio eſt. Rem in medio ponam, quæ tantum habet ipſa grauitatis, vt neque mea, quæ nulla eſt, neque cuiuſquam, ad inflammandos veſtros animos requiratur.*

Poſt nudam narrationem, Verris furores ſubiicit, & Gauij crudele ſupplicium, vt hinc iudicum amorē, Verri odium, omnibus dolorem, & miſerationis ſenſū faciat n. 160. *Ipſe inflammatus ſcelere & furore in forum venit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat. Expectabant omnes, quò tandem progreſſurus, aut quidnam acturus eſſet, cum repentè hominem proripi, atque in foro medio nudari ac deligari, & virgas expediri iubet. Cædebatur virgis in foro ciuis Rom.*

Vix eſt qui non ſe putet huic intereſſe carnificinæ, dum illam vel legit, vel audit. At quàm appoſitè ad motum in exclamationem grauiorem aſſurgit! *O nomen dulce libertatis! ô ius eximium noſtræ ciuitatis.*

Eandem vrget calamitatem ambitioſè ſatis per enumeratione pro domo ſua n. 59 *Quid vos uxor mea miſera violarat? quam vexauiſtis, raptauiſtis, omni crudelitate lacerauiſtis? quid mea filia cuius fletus aſſiduus, ſordeſque lugubres vobis erant iucunda, cæterorum omnium mētes oculoſq; flectebant: quid paruus filius? quid fecerat, quòd eum toties per inſidias interficere voluiſtis? quid frater meus?*

D. Ioannem Chriſti prænuntiū ſaltatricis impudentis optione iugulatum circonſtantiis pluribus deſcribit, & luget ad miſeratione D. Ambroſ. 3. de Virgin. *Præmiū ſaltatricis mors eſt Prophetæ. Quid prius horreſcam neſcio? quis non cum è conuiuio ad carcerē curſari videret, putaret Prophetā iuſſum eſſe dimitti? quis inquā, cum audiſſet natalem*

Digitized by Google

lem eſſe Herodis ſolemne conuiuium, puellæ optionem eligendi quod vellet datam, miſſam ad Ioannem abſolutionem non arbitraretur? quid crudelitati cum deluiis? quia cum funeribus voluptati? rapitur ad pœnam Propheta conuiuiali tempore, conuiuiali præcepto, quo non cuperet vel abſolui. Ferimitur gladio, caput eius affertur in diſco. Hoc crudelitati ferculū debebatur, quo inſatiata epulis feritas veſceretur. Intuere Rex acerbiſſime tuo ſpectacula digna conuiuio. Porrige dexteram, ne quid ſæuitiæ tuæ deſit, Vt inter digitos tuos riui defluant ſacri cruoris. Et quoniam non exſaturari epulis fames, non reſtingui poculis potuit inaudita ſæuitia ſitis, bibe ſanguinem ſcaturientibus adhuc venis exſecti capitis profluentem Cerne oculos in ipſa morte ſceleris tui teſtes aduerſantes conſpectum deliciarum. Clauduntur lumina, non tàm mortis neceſſitate, quàm horrore luxuriæ. Os aureum illud exangue, cuius ſententiam ferre non poteras, conticeſcit, & adhuc timetur, lingua tamen quæ ſolet etiam poſt mortem officium ſeruare viuentis palpitante licet motu damnabat inceſtum.

V. Inopia.

Nemo tàm parum humanus eſt, qui non amici ſui graui morbo, aut cibi penuria laborantis miſereatur, hanc ob cauſam etiā inopia putatur miſerabilis, vt docet Cic. pro Rab. Poſth. n 45. *Satis multa hominibus nō iniquis hæc eſſe debēt: nimis etiā multa vobis, quos æquiſſimos eſſe confidimus. Sed vt omniū vel ſuſpicioni, vel maleuolentiæ, vel crudelitati ſatisfiat, occultat pecuniam Poſthumus, latent Regiæ diuitiæ. Ecquis ex tanto populo qui bona Rabirij nummo Seſtertio ſibi addici velit? ſed miſerum me quanto hæc cum dolore! Hem Poſthume tune es Curij filius, C. Rabirij iudicio; & voluntate filius, natura ſororis filius? tune ille in omnes tuos liberalis? cuius multos bonitas locupletauit? qui nihil profundiſti? nihil vllam in libidinem contuliſti? tua Poſthume, nummo Seſtertio à me addicuntur? O meū miſerum acerbumque præconium! at hoc etiam optat miſer, vt condemnetur à vobis: ita bona veneant, vt ſolidum ſuum cuique ſoluatur.*

VI. Exilium.

Magnam vim habet ad miſerationis affectum ſuorum orbitas, & exilium. Pro Mur. num. 89. *Sed quid ego matrem, aut domum appello, quem noua pœna legis & domo, & parente, & omnium ſuorum conſuetudine, conſpectuque priuat? Ibit igitur in exilium miſer? quo? ad Orientis ne partes. in quibus annos multos legatus fuit, & exercitus duxit, & res maximas geſſit? At habet magnum dolorem, vnde cum honore diſceſſeris, eodem cum ignominia reuerti.*

Vt miſerationem magis incendat ad expiandum ſcelus, calamitatis comitem ſeipſum offert. Cic. pro Flacco. n. 1045.

VII. Circunſtantiæ.

A perſonarum adiunctis, & cauſæ circonſtantiis, ſiue temporis & loci, ſæpius miſericordiam excitat Orator. Vix vlla maior flendi cauſa, quàm ſi nulla quies concedatur, ſed perpetua quædam malorum ſeries ſibi ſuccedentium, hanc patiebatur & lugebat Oedipus vt eſt in Sen. Act. 1.

——— *Quid reſtat mali?*
Regnum, parentes, liberi, virtus quoque,
Et ingenij ſolertis eximium decus
Periere; cuncta ſors mihi infeſta abſtulit;
Lacrymæ ſupererant; has quoque eripuit mihi.

Miſerum eſt, ſemper aduerſis fortunæ caſibus vrgeri, vt apud Ouid. Briſeis queritur,

An miſeros triſtis fortuna tenaciter vrget?
Nec venit inceptis mollior aura meis?

Quantò miſerius nihil vnquam boni percipere, ſed finem vnius mali, eſſe gradum ſequentis quod in Sylla deplorat. Cic. num. 91. *Quid enim erat mali, quod huic ſpoliato honore, fama, fortunis deeſſe videretur? aut cui nouæ calamitati locus vllus relictus eſſet? vrget eadem fortuna quæ cœpit, repetit nouum mœrorem, non patitur hominem calamitoſum vno modo afflictum, vno in luctu perire.*

VIII. Perſona.

Debet induci qui cruciatùr, aut cruciandus eſt, aut paulò ante cruciatus, vt videatur indignus illo modo; videbitur autem ſi fuerit innocens, ſi præcellens aliqua virtute, aut militari politica, ſi literis exultus, ſi fortis in tormētis, imbecillus, floren-

florenti, aut tenera ætate, & reliquis valeat, quæ ſolent ingenerare ſenſum doloris molliorem. A nobilitate Deiotari Regis Cæſari miſericordiam facit Tull. num. 43. *Quocirca Cæſar, velim exiſtimes, hodierno die ſententiam tuam, aut cum ſummo dedecore miſerrimam peſtem importaturam eſſe Regibus, aut incolumem famam cum ſalute: quorum alterum optare illorum crudelitatis eſt, alterum conſeruare clementiæ.*

Vt miſericordiã in Ptolemæũ, & ſtomachũ in Clodianos detinet, facit fortunæ prioris pacis & otij mẽtionẽ, vt miſeratio magis excitetur, ex vtriuſque colatione fortunæ, pro Sextio, nũ. 57. *Rex Ptolemæus, qui ſi nõdũ erat ipſe a Senatu ſocius appellatus, erat tamẽ frater eius Regis, qui cum eſſet in eadẽ cauſa, iã erat à Senatu honorẽ iſtũ cõſequutus: erat eodẽ generẽ, iiſdemque maioribus, eadẽ vetuſtate ſocietatis: denique erat Rex, ſi nondum ſocius, at non hoſtis: pacatus, quietus, fretus imperio populi Rom. regno paterno, atque auito: regali otio perfruebatur. De hoc nihil cogitante, nihil ſuſpicante, eiſdem operis ſuffragium ferentibus, eſt rogatum, vt cedens, cum purpura, & ſceptro & inſignibus regis, præconi publico ſubiiceretur; & imperante populo Rom. qui etiam bello victis regibus regna reddere conſueuit, Rex amicus, nulla iniuria cõmemorata, nullis repetitis iteibus, cum bonis omnibus publicaretur.*

Matris eiuſdemque ſororis cõmemoratio in animis Iudicum miſerationem inflammat, pro Fonteio, n. 37. *Virgo Veſtalis germanum fratrem cõplexa tenet, veſtramque Iud. ac populi Rom. fidem implorat, quæ pro vobis liberiſq; veſtris, tot annos in Diis Immort. placandis occupata eſt, vt ea nunc pro ſalute ſua, fratriſq; ſui, animos veſtros placare poſſit. Cui miſeræ, quod præſidiũ, quod ſolatiũ reliquum eſt, hoc amiſſo? nã cæteræ fœmino gignere ipſæ ſibi præſidia, & habere domi fortunarũ omniũ ſocium, participemq; poſſunt: huic verò Virgini, quid eſt præter fratrẽ, quod aut iucundũ, aut carum eſſe poſſit? Nolite pati aras Deorũ Immort. Veſtæq; matris, quotidianis Virginis lamentationibus de veſtro iudicio commoueri. Proſpicite ne ignis ille æternus nocturnis Fonteiæ laboribus, vigiliiſque ſeruatus, Sacerdotis Veſtæ lacrymis extinctus eſſe dicatur.*

Ex hoc loco Hecuba Priamum miſeratur apud Senec. in Troadde.

——ille tot Regum parens
Caret ſepulchro Priamus, & flammâ indiget,
Ardente Troia.

Æneas apud Virg. recordatione Anchiſæ patris ad miſerationem mouetur. 2. Æn.

Hæc finis Priami fatorum, hic exitus illum
Sorte tulit, Troiam incenſam, & prolapſa videntem
Pergama: tot quondam populis terriſq; ſuperbum,
Regnatorem Aſiæ: iacet ingens littore truncus
Auulſumque humeris caput, & ſine nomine corpus.
At me tum primum ſæuus circumſtetit horror,
Obſtupui: ſubiit cari genitoris imago
Vt Regem æquæuum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem: ſubiit deſerta Creuſa,
Et direpta domus, & parui caſus Iuli.

IX. Ætas.

Ab ætate miſericordia excitatur, ſi quis in adoleſcentiæ flore de medio tollatur. Miſerationem excitatus magnus motuum artifex Virgilius comparationes in adoleſcentum morte deſumit à flore ſucciſo 9. Æn. ſic Euryali triſtem caſum ſubiicit.

Voluitur Euryalus letho, pulchroſque per artus
It cruor, inque humeros ceruix collapſa recumbit,
Purpureus veluti cùm flos ſucciſus aratro
Langueſcit moriens: laſſóue papauera collo
Demiſere caput, pluuia cùm fortè grauantur,

X. Locus & Tempus.

Augent luctum & miſerationem, Locus, ſi quis coram iis patiatur, quos minimè vellet eſſe ſuæ calamitatis teſtes: Tempus ſi tùm cum laborum mercedem, ac præmium ſibi pollicebatur, exitium patiatur. Multis in locis Tull. pro Mil. num. 104. *Quodnam concepi tantum ſcelus? aut quod in me tantum facinus admiſi, cùm illa iudicia communis exitij indagaui, pateſeci, protuli, extinxi, omnes in me meoſque redundant ex illo fonte dolores? quid me reducem eſſe voluiſtis? an vt inſpectante me expellerentur ij, per quos eſſem reſtitutus?*

Rem eandẽ conficit pro Flac. n. 102. *O nox illa quæ penè æternas huic vrbi tenebras attuliſti cùm Galli ad bellũ, Catilina ad vrbem, coniurati ad ferrem,*

& flammam vocabantur. Tu tu Flacce Prætor communis exitij nuntios cepiſti, tu incluſam in litteris Reip. peſtem deprehendiſti, tu periculorum indicia, tu ſalutis auxilia, ad me, & ad Senatum detuliſti. Quæ tibi tùm gratiæ ſunt à me actæ? quæ à ſenatu quæ à bonis omnibus, quis tibi quemquam bonum putaret vnquã non ſalutem, verum honorem vllum denegaturum. O nox iſta, quàm iſte dies cõſequutus, fauſta huic vrbi: miſerum me, metuo ne funeſta nobis.

XI. Cauſa.

Miſericordiam mouet cauſa calamitatis. *Sic* Orator de Prouinc. Coſſ. miſericordiam in Publicanos, indignationem in Gabinium inflammat; qui eò non cupiditate ſua, ſed iniurijs illius prolapſi ſunt, vt nec Senatus liberalitate recreari poſſent, num. 11. Pro Quintio. num. 49. *Nã quid homini poteſt turpius, quid viro miſerius, aut acerbius vſu venire: quod tantum euenire dedecus, quæ tãta calamitas inueniri poteſt? Pecuniam ſi cui fortuna ademit, aut ſi alicuius eripuit iniuria: tamen dum exiſtimatio eſt integra, facilè conſolatur honeſtas egeſtatem. At non nemo aut ignominia affectus aut iudicio turpi conuictus, bonis quidẽ ſuis vtitur, alterius opes, id quod miſerrimum eſt, non exſpectat, hoc tamen in miſeriis adiumento, & ſolatio ſubleuatur. Cuius verò bona venierunt, cuius victus veſtitusque neceſſarius ſub præcone cum dedecore ſubiectus eſt: is non modò ex numero viuorum exturbatur: ſed, ſi fieri poteſt, infra etiam mortuos amandatur. Etenim mors honeſta ſæpè vitam quoque turpem exornat: vita turpis ne morti quidem honeſtæ locum relinquit.*

XII. Finis.

A fine miſeratio captatur: nam virtutis causâ, qui damnum aliquod ſubeunt, aut infelices repentè exiſtunt, miſeratione longè digniores videntur. Grauiores enim ſunt caſus repentini maioremque conſtantiam requirunt. Ab inopinato miſerationem inflammat. Cic. pro Mil. 5. de Prou. Coſſ. num. 43. Ab inexpectato patris mortem ita deplorat Æn.

Nec Vates Helenus cùm multa horrẽda moneret?
Hos mihi prædixit luctus, non dira Celeno.

Ob innocentiam Cor. Balbo miſericordiam obtinet, Cic. num. 64. *Miſeremini eius, qui non de ſuo peccato, ſed de huius ſummi, & clariſſimi viri facto, non de aliquo crimine, ſed de periculo ſuô, de publico iure diſceptat.*

Quas animorum commotiones olim, quos gemitus amicorum, quas miſerationes non excitarunt innocentium cruciatus, & ſupplicia? Liuius lib. 7. legatos Campanorum à Romanis auxilium poſtulantes, præter meritum malè habitos dolet, & ob illorum innocentiam miſeratione dignos oſtendit. *Omnibus quidem. Romani, veſtrâque miſericordiam, veſtrum auxilium æquum eſt petere, iis tamen maximè, qui eam implorantibus aliis auxilium; dùm ſupra vires ſuas præſtant; omnes ipſi in hanc neceſſitatem venerũ. Quamquam pugnauimus verbo pro Sidicinis, pro nobis, cùm videremus finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti, & vbi conflagraſſent, ad nos traiecturum incendium illud eſſe.*

XIII. Modus.

A modo, ſiue circumſtãtiis calamitatis, quæ quomodo acciderit, explicet, ſi quis nobilis ſi quis ſapiens, & in aliqua dignitate cõſtitutus ſit, in eum tamen idem ſupplicium ſtatuatur, quo ſolẽt Iud. in viles ac fortunæ tenuioris homines animaduertere Miſercordiam Auditoribus mouet Cic. Ver 3. cum crudelem hominis cupiditatẽ ſcelusque deſcribit ex adiunctis 76. *Conſtituitur in foro Laodiceæ ſpectaculum acerbum, & miſerum, & graue toti Aſiæ Prouinciæ grãdis natu parens ad luctu ad ſupplicium: ex altera parte filius ille, quod pudicitiam liberorũ: hic, quod vitã patris, famãque ſoro is defẽderat. Flebat vterque nõ de ſuo ſupplicio, ſed pater de filij morte, de patris, filius Quid lacrymarum ipſum Neronem putatis profudiſſe? quem fletum totius Aſiæ fuiſſe? quem luctum & gemitũ Lãpſacenorũ? ſecuri eſſe percuſſos homines innocẽtes, nobiles, ſocios populi Rõ. atque amicos, propter hominis flagitioſiſſimi nequitiã, atque improbiſſimam cupiditatem?*

Ab his circumſtãtiis Caſſamdram per ſummum dedecus, & miſerandum in modum raptatam ſic exprimit Virg. vt lacrymas, vel ab inuitis eliciat

eliciat. Excitatur autem affectus miſerationis à conditione;nam Regia Virgo, Priami filia;à loco,nam à Templo,& Mineruæ adytis, ad quæ miſera confugerat; à Modo, nam trahitur per vim quod indignum 2 Æn.

Ecce trahebatur paſſis Priameia Virgo
Crinibus à Tēplo Caſſandra,adytiſque Mineruæ,
Ad Cœlum tendens ardentia lumina fruſtrà,
Lumina,nam teneras arcebant vincula palmas.

Lucanus Pompeium ceruice cæſa,per ſummum dedecus ſic miſeratur.Pharſ.8.

—— Illa verenda
Rēgibus hirta coma,& generòſa fronte decora
Cæſaries compreſa manu eſt,Pharioq; veruto
Dùm viuunt vultus,atque os in murmura pulſat,
Singultus animā,dùm lumina nuda rigeſcunt.
Suffixum caput eſt;quo nunquam bella iubente
Pax fuit,hoc leges,campumq; & roſtra mouebat.

XIV. Petitionis modeſtia.

Miſericordiæ mouendæ petitionis modeſtiam Oratores aptiſſimam eſſe dicunt.Cic.non petit vt in Italia Milo viuat,ſed vt in Italia ſepeliatur. Miſerum enim putabant extra patriam mori,miſerius in illa non ſepeliri propè majorum ſuorum reliquias,num.105.*Hiccine vir patriæ natus,vſquam niſi in patria morietur?aut ſi fortè pro patria: hujus vos animi monumenta retinebitis? hunc ſua quiſque ſententia, ex hac vrbe expellet, quem omnes vrbes expulſum à vobis, ad ſe vocabunt. O terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit; hanc ingratam, ſi ejecerit: miſeram, ſi amiſerit!*

Sic ab humili petitione ſepulchrique religione miſerationem auget.Pro Syll.nu.89 *Non jam de vita P.Syll.Iud.ſed de ſepultura contenditur.Vita erepta eſt ſuperiore iudicio:nunc,ne corpus ejciatur,laboramus.*

Idem eſt commiſerationis motus,licet in alia re.7.Æn.

Diluuio tot vaſta per æquora vecti
Dijs ſedem exiguam patriis,lituſq; rogamus
Innocuum,& cunctis vndamq; , auramq; patentem.

XV. Comparatio.

Commiſerationem comparatio doloris,& ærumnarum cum aliis auget.Si videlicet præ calamitate præſenti reliqua mala,quæ cum ea conferuntur,tametſi per ſe grauiſſima,leuiſſima tamen eſſe dicantur.Cic.Verr.7. num. 171. *Paulò ante Iud.lacrymas in morte miſera,atque indigniſſima nauarchorum non tenebamus,& rectè ac meritò, ſociorum innocentium miſeriâ commouebatur. Quid nunc in noſtro ſanguine tandem facere debemus? Nā ciuium Rom.ſanguis coniunctus exiſtimandus eſt; quoniam id & ſalutis omniū ratio,& veritas poſtulat,omnes hoc loco Ciues Rom & qui adſunt, & qui vbiq; ſunt,veſtram ſeueritatem deſiderant,veſtram fidē implorant,veſtrum auxilium requirunt:Omnia ſua iura,commoda,auxilia,totam denique libertatem in veſtris ſententiis verſari arbitrantur.*

Quàm miſerabilis eſt illa ærumnoſi Oedipi Oratio apud Senec.Theb.Act.1.

—— Fata quis tàm triſtia
Sortitus vnquam?videram nondum diem,
Vteriq;nondum ſolueram clauſtra moras,
Et iam timebar.Protinus quoſdam editos
Nox occupauit ; & noua luci abſtulit.
Mors me antecesſit,aliquis intra viſcera
Materna lethum præcocis fati tulit.

XVI. Deprecatio.

Vtilis ad miſericordiam inflammandam obſecratio per quidquid cariſſimum eſt.In his eſt multus Cic.pro Rab.Poſth. num.48 *Vos obſecro Iud.vt huic optimo viro,quo nemo melior vnquam fuit,nomen Equitis Rom.& vſuram huius lucis,& conſpectum veſtrum ne eripiatis Hic vos aliud nihil orat,niſi vt rectis oculis vrbem ſibi intueri,atque hoc foro veſtigium facere liceat:quod ipſum fortuna eripuerat,niſi vnius amici opes ſubueniſſent.*

Proderit identidem ſenſum hunc Auditorum animis inijcere,vt nihil acerbum ſit in vita,quod non ducant ſibi euenire poſſe,aut amicis,aut reliquis hominibus,docere deindè nihil tàm hominis eſſe,quàm eſſe humanum, Cic. in cauſa Murenæ artem hâc ſequitur & judices flectit ad

miſericordiam obſecratione, n. 86. *Quæ cùm ita, ſint, primùm Reip. cauſâ, qua nulla res cuiquam potior eſſe debet, vos pro mea ſumma, & vobis cognita in Remp. diligentia, moneo: pro auctoritate Conſulare hortor; pro magnitudine periculi obteſtor, vt otio, vt paci, vt ſaluti, vt vitæ veſtræ, & cæterorum Ciuium conſulatis. Deinde ego fidem veſtram, vel defenſoris & amici officio adductus, oro atque obſecro, vt ne hominis miſeri, & tum corporis morbo, tum animi dolore confecti L. Murenæ, recentem gratulationem, noua lamentatione obruatis.*

Sic apud Liuium Sophoniſba Syphacis vxor, capto iam marito ſupplicationibus continuis precibuſque ſubmiſsè Maſſiniſſam flectere conatur, lib. 30. *Omnia quidem vt poſſes in nos Dii tibi dederunt, virtuſq; & felicitas tua. Sed ſi captiuæ apud Dominum vitæ, neciſq; ſuæ vocem ſupplicem mittere licet, ſi genua, ſi victricem attingere dexteram, precor quæſoq; per Majeſtatem Regiam, in qua paulò ante nos quoque fuimus, perque gentis Numidarum nomen, quod tibi cum Syphace commune fuit, per huiuſce Regiæ Deos, qui te melioribus ominibus accipiant, quàm Syphacem hinc miſerunt: hanc veniam ſupplici des, vt ipſo quodcumq; fert animus de captiua ſtatuas, neq; in cuiuſquam Romani ſuperbum ac crudele arbitrium venire ſinas.*

XVII Sermocinatio.

Valet plurimum ad permouendos affectus ſermocinatio, cùm inducuntur per Ethopæjam loquentes, tùm ij qui acceperunt iniuriam, tùm qui intulerunt. Si videlicet hinc tyrannum aliquid grauius minitantem, illinc fidelem qui patitur, tortorem, & agentem, & loquentem. Hic locum habent Orationes parentem ad liberos, dum moriuntur, eorundem deprecationes pro liberis, & huiuſmodi quibus nihil eſt miſerabilius, atque potentius. Non hoc prætermiſit artificium Cic. pro Milone à n. 94. pro Plancio, n. 101. *Quid me aſpectas? quid mea promiſſa repetis? quid meam fidem imploras? nihil tibi ego tum de meis opibus pollicebar, ſed horum erga me beneuolentiam promittebam; hos pro me lugere, hos gemere, hos decertare pro meo capite, vel vitæ periculo velle videbam: de eorum deſiderio, luctu, querelis, quotidiè aliquid tecum ſimul audiebam: nunc timeo ne nihil tibi præter lacrymas queam reddere: quas tu in meis acerbitatibus plurimas effudiſti. Quid enim poſſum aliud niſi mœrere? niſi flere; niſi tecum mea ſalute complecti? ſalutem tibi ijdem dare poſſunt, qui mihi reddiderunt, huc exſurge tamen, quæſo, retinebo & complectar: nec me ſolum deprecatorem fortunarum tuarum, ſed comitem ſociumque profitebor.*

Sic anima purgantibus flammis addicta miſerationem ſuis facere conatur. Horror & ſtupor vbi eſtis? vbi planctus, & lacrymæ? Tandem libratum diuinæ Iuſtitiæ gladium, & deuoto capiti meo dudum impendentem excepi; tandem in ergaſtulum Purgatorii, luctu, lamentis, flammis horribilem in modum redundantem conjecta ſum: vbi Deum auerſum lugeo, abſentem requiro, ſentio vindicantem. Nunc ingemiſco ſerius, necquicquam profuturæ fluunt ex oculis lacrymæ, non ſi fundant flumina, noxam vel minimam eluant, aut ſcintillam flammæ deuorantis extinguant. Fruſtrà votis cœlum laceſſo, non audit: cœlites imploro fruſtrà, nullus miſerationi locus; vindex eſt, qui pater. In pœnis amandus. Miſit ignem in oſſibus meis, in flammis laudandus. Ah conficior non tàm igne, quàm amore: Miſeremini qui poteſtis ſacrorum Antiſtites, & me ſacrificiis expiatam ab his flammarum incendiis eripite.

Nec meæ dum voces ſenſus veſtros perculerunt, mater eſt filii, mater eſt, ſi neſcitis quæ purgantibus flammis addicta veſtram opem implorat. Apud quos miſerationis veſtræ ſunt explicanda viſcera melius, quàm apud eam, quæ ſuis vos viſceribus extulit, in cuius ſinu creviſtis, quæ cruciatibus ſuſſis quidem, ſed horrendis laceratur. Quid ſi me vobiſcum agentem caſus aliquis grauior excepiſſet? quid ſi matrem vidiſſetis ad palum alligatam tortorum ictibus crudelem in modum, laniari? quid ſi ad rotam gladiis armatam implicari? quid ſi in pyram pice fumantem & reſina conjici, ſiccis oculis potuiſſet veſtrum aliquis huic ſpectaculo intereſſe? At ignis ille veſter, Zephirus eſt, illa verbera ſunt lenocinia, rotæ ſunt deliciæ cum iſtis cruciatibus comparatæ. Miſeremini ſi non amici, at conſanguinei, ſi non iſti, at liberi. Ferrea pectora! cor adamantinum! etiam ad maternas preces liberorũ aures obſurdeſcunt? Tu ſaltem quem ex omnibus vnum amore complexa ſum mi Beniamine miſerere ge-

genitricis

Digitized by Google

nitricis tuæ, quam in hos ignium vortices tui, nimius amor, præcipitem egit; recordare gaudia matris, atque blanditias innocentes: quàm molliter in vtero te fouerim: quoties tibi mamillas niueo melle turgentes exporrexerim, quot ego tibi blanda nimis oſcula dederim, quàm ſæpè, quàm molliter in ſinu gremioque meo dulces ſomnos ceperis, quot dies, noctesque inſomnes ad tui cuſtodiam duxerim; & tu poſt tot amores tàm amarus es, durusque in matrem, vt acerbiſſimis laboribus nullum afferas leuamentum: nec ad tam lugubre matris ſpectaculum fluunt ex oculis lacrimæ, quibus igneos imbres extinguas qui me naufragam exceperunt; at eleemoſynæ fluant ex manibus ad miſerorum ſolatium. Auaritia prohibet, at inſperge ſaltem tumbam ſacro latice, qui flammæ nimios ardores temperet. Orare neſcis; miſereri diſce. Et tu etiam ad miſerandæ matris querelas aures occludis Beniamine? ſaltem oculos mihi tantiſper accõmoda; Vide genitricis tuæ fortunam è ſummo felicitatis faſtigio in profundæ calamitatis abyſſum deuolutam; obambulabam non ita pridem Palatia, nunc tenebricoſo carcere pedicis onuſta detineor; mollibus in thoris nuper recumbebam; igneo nunc ergaſtulo circumdor; amiciebar Attalicis veſtibus, nunc Pyra vorax quaqua verſum, membra populatur; Et quæ Pyra? quàm totus non extinguat Oceanus: Miſerere.

XVIII. *Signa doloris externa, vel imago quædam mortui.*

Indicia rerum miſerabilium facilè mouent animos ad miſerationem, ſi prudenter, non frigidè fiant. Nimirum viſu magis, quàm auditu commouemur, ideò vel oculis rem; Oratione ſubijciunt dicendi ſolertes, vel reuerà ſubjectam fuiſſe mouent. Ita Brutus confoſſum Lucretiæ corpus, & cruentatum populo Rom. propoſuit: Antonius interfecti Cæſaris togam produxit. Sic olim naufragia naufragi depicta, ſic accuſatores acceptas clades judicibus proponebant, quarum aſpectu moueerentur. Potens eſt illud vndè miſerationem accerſas.

Heu terra ignota canibus data præda Latinis
Alitibusque iaces?

Miſerum illud 12.

Vidi oculos ante ipſe meos me voce vocantem
Murranum, quo non ſuperat mihi carior alter
Oppetere ingentem, atque ingenti vulnere victum.

Quoniam corporibus adeſſe non potuiſtis mentibus oculis cernite clades, &c.

Neſcio quem à Verre fortunis ſpoliatum, ſine bulla, & ingenuitatis inſignibus in judicium producit Tul. 3. Act. num. 113. *Homo importuniſſime cur tantam iniuriam Annio mortuo feciſti? cur hunc dolorem cineri eius, atque oſſibus inuſſiſti, vt liberis bona patria, voluntate patris, jura legibus tradita eriperes; & cui tibi eſſet commodum, condonares? quibuſcum viui bona noſtra partimur, iis Prætor adimere nobis mortuis, bona fortunaſque poterit? petitionem, nequit, nec poſſeſſionem dabo. Eripies igitur pupillæ togam prætextam? detrahes ornamenta non ſolum fortunæ, ſed etiam ingenuitatis? miramur ad arma contra iſtum hominem Lampſacenos iſſe?* Oratio calamitoſi hominis mentes grauiter percellit, cuius rei Virg. meminit. 4. Æn. Vbi exprimuntur extrema Eliſſæ verba, quibus præteritam felicitatem, & præſentem calamitatem, Didonis mortuæ repræſentat ad abſentis Æneas exuuias.

Dulces exuuiæ, dùm fata, Deuſque ſinebant,
Accipite hanc animam, meque his exſoluite curis
Vixi, & quem dederat curſum natura peregi,
Et nunc magna mei, ſub terras ibit imago.

Non affectu diſſimili Adriadna, dùm Theſeum ſuum ad miſericordiam ſui permouere nititur, propoſita conditione miſera, in quam deuenit. Ouid. Hero. ep.

Dii facerent vt me ſumma de puppe videres!
Mouiſſet vultus mæſta figura tuos.
Nunc quoque non oculis, ſed quâ potes, aſpice mẽte,
Hærentem ſcopulo, quem vaga pulſat aqua.
Aſpice demiſſos lugentis in ora capillos,
Et tunicas lacrymis, ſicut ab imbre, graues.

Eiuſdem Dido lacrymabilis Æneæ ſuo dolorem facit atque miſerationem.

Aſpicias vtinam quæ ſit ſcribentis imago
Scribimus, & gremio Troicus enſis adeſt.
Perque genas lacrymæ ſtrictum labuntur in enſem,
Qui jam pro lacrimis ſanguine tinctus erit.

A Senibus vel pueris ſæpè miſeratio captatur, quos appoſitè producunt Oratores, hoc ideò fit quòd animi Iudicum blanda liberorum cum rei ipſius

ipſius, tùm ſuorum recordatione jucundo pietatis ſenſu leniter tẽtati, facilius deindè erga reum molliatur. Pro Sext. 144. dolentius pro Sylla. 89. *Hic vos orat parum, vt ſe aliquando, ſi non integra fortuna, at afflicta patri ſuo gratulari ſinatis: huic miſero notiora ſunt iudiciorum itinera, & fori quàm diſciplinarum.*

Sic Meſſala adoleſcens, ac penè puer pro Amer. 149. Sic Fonteja Virgo Veſtalis n. 37. ſic Cœlius Senex ſordidatus producitur. n. 79. Quod & ad miſericordiæ motum præſtat ſapienter Liuius l. 22. Vbi Rom. Cannenſi in prælio capti, atque Romam pro redemptione aliorum, & ſua miſſi, commiſerationem in patrum animis excitare conantur, ſuorum lacrymis, *Intueri poteſtis ſolicitudinem, & lacrymas in veſtibulo curiæ ſtantium cognatorum noſtrorum, expectantiumque reſponſum veſtrum. Cùm ij pro nobis, próque iis qui abſunt ita ſuſpenſi, ac ſolliciti ſint, quem cenſetis animum ipſorum eſſe, quorum in diſcrimine vita, libertaſque eſt?*

Videndum erit Oratori ne muliebres vnquam Nænias habeat, hoc eſt ineptum & humili dicendi genus; quale fuit præficarum mulierum, quæ conducebantur ad deploranda funera, idque præſertim ſi res agatur in curia, vel apud doctos, & callidos dicat, verùm grauiter doleat; vt Quintil. in morte filij.

Cùm procul abſit à lacrymis, nunquam dicat ſe illas retinere non poſſe, gemitus vocem intercludere; frigidum eſt hoc atque puerile, quodque riſum ſæpè, miſericordiam rarò mouet.

Non ambitioſè conſectetur tropos, figuras, periodos, & reliquam orationis picturam. Eſſet enim excipiendus riſu qui expreſſurus lacrymas, polita oratione ſua ambitioſus exultaret. Quod ipſum arguit Perſius Saty 1.

—— *Cantas, cum fracta in trabe pictum*
Ex humero portes?

Quin ita ſuam orationem temperabit, vt ne videatur parata, ac domo allata, ſed elicita dolore & rei veritate, juxta eundem.

—— *Verum nec nocte paratum*
Plorabit, qui me volet incuruaſſe querela.

LECTIO XXXV.

Euertitur miſericordia.

IIs potiſſimum capitibus reprimitur, quibus iram diximus inflammari, & iis quæ de Inuidia dicenda ſuperſunt. Quòd ſi altè deſcenderit in pectus hic affectus miſerationis, ſenſim erit remittendus, vt initio aliud agere videamur, quàm quod agimus. Quæ ratio ſemper ſeruanda eſt, vbi reſtinguendus occurrit vehemens aliquis affectus. Itaque.

Si reum calamitatibus illis dignũ probaueris, quibus premitur, commiſerationem remiſeris. Tull improborum calamitate gaudet, nec poteſt nõ lætari, cùm videt eos deprimi, opibus & honoribus ſpoliari, quos per ſcelus & improbitatẽ conſequuti fuerant. Quem lætitiæ motum eleganter exprimit in Piſon. n. 45. *His ego rebus paſcor, his delector, his perfruor; quod de vobis hic ordo opinatur nõ ſecus ac de deterrimis hoſtibus, &c.*

Docendum nulla miſeratione dignum eſſe, eum, qui Iudices precibus & lacrymis permouere contendebat. Act. 4. in Verr. n. 182. artificium hoc docuit Tullius. *Nunc verò quid faciat Hortenſius auaritiæne crimina frugalitatis laudibus deprecetur? at hominem flagitioſiſſimum, libidinoſiſſimum, nequiſſimumque defendit. An ab hac eius infamia, nequitia, veſtros animos in aliam partem fortitudinis commemoratione traducat? at homo inertior, ignauior, magis vir inter mulieres, nequam, impura inter viros muliercula proferri non poteſt. At mores commodi. Quis contumacior? quis inhumanior? quis ſuperbior? at hæc ſine cuiuſquam malo. Quis acerbior? quis inſidioſior? quis crudelior vnquam fuit?*

Adde quod æquitas & iuſtitia poſtulat: vt malis malè eueniat: proindè vir probus & iuſtus non poteſt non gaudere, cùm parricidas, ſicarios, & proditores nefarios extremo ſupplicio affectos videt. Hinc Cic. 4. Tuſc *Nemo, inquit, parricidæ, aut proditoris ſupplicio, miſericordia commouetur.* Hinc etiam Claud. ex conſcelerati Ruffini ſupplicio ingentem lætitiam ſe concepiſſe teſtatur, Cùm ait priore libro.

Abſtulit

Digitized by Google

Abſtulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum
Abſolvitq; Deos, non jam ad culmina rerum
Iniuſtos creviſſe queror. Tolluntur in altum
Vt lapſu graviore ruant.

Denique ſi quis actor efficiat, vt Iudices inuideant bonis aduerſarii, vel de malis eiuſdem lætentur, vel indignationem aliquam concipiant ob indignitatem vitæ, nunquam ad miſerationem inflammabuntur, licet antea credidiſſent illum aliqua miſericordia dignum. Peritè Cic. pro Quinctio contra Nævium, in quem pro miſericordia malevolentiam concitat. n. 93. *Non comparat ſe tecum gratia P. Quinctius Sex. Nævi, non opibus, non facultate contendi; omnes tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit, fatetur, ſe non bellè dicere, non ad voluntatem loqui poſſe, non ab afflicta amicitia tranſfugere, atque ad florentem aliam devolare, non profuſis ſumptibus vivere, non ornare mangnificè ſplendidèque convivium, non habere domum clauſam pudori, & ſanctimonia, patentem, atque adeò expoſitam cupiditati, & voluptatibus: contra ſibi officium, fidem, diligentiam, vitam omnino ſemper horridam, atque aridam cordi fuiſſe iſta ſuperiora eſſe, ac plurimum poſſe his moribus ſentit.*

Ad hanc mentem Virg. apud quem indignata Iuno, vt averteret miſericordiam Iovis in Trojanos, quàm Venus eblandita virum concitaverat, multa colligit, cur neque Trojani miſeratione digni ſint, & illud ad extremum vrget 10. Æn.

Tunc decuit metuiſſe tuis, nunc ſera querelis,
Haud iuſtis aſſurgis, & irrita iurgia jactas.

LECTIO XXXVI.

Deſcribitur.

Bifariàm conſiderari poteſt. Vel enim attendimus ea quæ faciunt, loquunturque ij, qui miſericordiæ motum excitant, de quibus hactenus; vel ea ſpectamus, quæ repræſentant ij, qui miſeratione tanguntur, & iſta paucis ſunt perſtringenda.

PVNCTVM I.

Miſeratio tota lugubris & amens.

In mulieribus potiſſimum ac matribus apparet, quandoque in furorem & inſaniam vertitur, eaque admittit omnia, quæ ſuperius dolenti convenire diximus; Poëta ſapiens matris Euryali dolentis notas miſerabiles exprimit 9. Æn.

—— Ac ſubitus miſeræ calor oſſa reliquit.
Excuſſi manibus radii, revolutaque penſa,
Evolat infelix, & fœmineo vlulatu
Sciſſa comam muros amens, atque agmina curſu
Prima petit.

II. *Querula.*

In vultu miſerationem elicere parantis triſtitia legitur, fluunt lacrymæ, audiuntur gemitus frequentes. Qualis Ovidius in exilio 3. Triſt. 3. El.

Tam procul ignotis igitur moriemur in oris?
Et fient iſto triſtia fata loco.
Nec mea conſueto langueſcent corpora lecto,
Depoſitum nec me qui fleat vllus erit?
Sed ſine munerib. caput hoc, ſine honore ſepulchri
Indeploratum barbara terra teget?
Ecquid, vbi audieris, tota turbabere mente?
Et feries pavida pectora fida manu.
Ecquid in has fruſtrà tendēs tua brachia partes,
Clamabis miſeri nomen inane viri?
Parce tamen lacerare genas nec ſcinde capillos,
Non tibi nunc primum lux mea raptus ero.

III. *Deliquium.*

Exſpiranti ſimilem facit Laodamiam Ovid. ad Proteſilaum ſuum.

Lux quoque tecū abiit, tenerisq; exanguis obortis
Succiduo dicor procubuiſſe genu.
Vix ſocer Iphiclus, vix me grandævus Acaſtus,
Vix mater gelida mœſta refecit aqua.

IV. Lugubris habitus.

Totus corporis habitus ad miſericordiam compoſitus;quod olim faciebant rei, qui neque barbam, neque comam tondebant,ſed ſqualore, ſordibus, illuuie mœrorem teſtabantur. Laodamia cum infelici, ac lugente luget, habitúmque mutat ad miſerationem.

Nec mihi pectendos cura eſt præbere capillos,
Nec libet aurata corpora veſte tegi.
Scilicet ipſa feram ſaturatas murice veſtes?
Bella ſub Iliacis mœnibus ille geret?
Ipſa comas pectam,galeâ caput ille premetur?
Ipſa nouas veſtes,dura vir arma ferat?
Quo poſſum ſqualore tuos imitata labores
Dicar,& hæc belli tempora triſtis agam,

V. Dolore paſcitur.

Lugubrem hiſtoriam repetit, eâque audienda, ſuis lacrymis,ſuo dolore paſcitur. Talis illa Didonis cupiditas quæ vix toto 2.&.3. Æn. expletur audiendis Æneæ caſibus.

Infandum Regina iubes renouare dolorem
Trojanas vt opes,& lamentabile regnum
Eruerint Danai.

VI. Alieni doloris particeps.

Ingentem ſenſum præ ſe fert alieni doloris,& Infortunii,profitetur etiam nó illis minus, quàm ſuis tangi, optat ſibi accidiſſe,vel ſaltem illorum partem aliquam in ſe derivari cupit,quibus nihil frequentius occurrit apud Poëtas. Hæc eſt Canaces.

Quid puer admiſit tàm paucis editus horis?
Quo læſit facto vix bene-natus auum?
Si potuit meruiſſe necem,meruiſſe putetur:
Ah miſer admiſſo plectitur ille meo!
Nate dolor matris,rapidarum præda ferarum,
Hei mei natali dilacerate meo!
Nate parum fauſti,miſerabile pignus amoris,
Hæc tibi prima dies,hæc tibi ſumma fuit,
Non mihi te licuit lacrymis perfundere juſtis,
In tua nec tonſas ferre ſepulchra comas.
Non ſuperincubui,non oſcula frigida carpſi;
Diripiunt auida viſcera noſtra feræ
Ipſa quoque infatis cũ vulnere perſequar vmbras
Nec mater fuero dicta,nec orba diu.

Denique qui miſerationem inflammare parat, adhibet alienæ miſeriæ,atque dolori quæ poteſt delinimenta,plagam attrectat molliter, & mulcet,cæteraque præſtat,quæ conſolationi ſunt opportuna,de quibus in leniendo dolore ſatis multa diximus.

DE INDIGNATIONE.

Licèt hic affectus in deliberatiuo genere locum habeat aliquem, cùm ſcilicet iniquitas rei eſt exaggeranda, eóque nomine auditores excitandi,vt de vltione curam & cogitationem ſuſcipiant; tamen in genere judiciali potiſſimùm regnat atque dominatur,cùm vel inſtituenda eſt accuſatio,vel Iudicis minuenda miſericordia,aut adhibenda criminatio reprehenſióque granior.

Eſt autem Indignatio, quam Græci νέμεσιν dicunt, Dolor perceptus ob res ſecundas alterius, qui illa fortuna judicatur indignus. Itaque vt miſericordia malum reſpicit: ſic indignatio bonum immerentis,quo diſcrepat ab Inuidia, quæ bona digni etiam hominis inſectatur. Ita populus dolebat viſo Iuuene Pompeii liberto diuite præter meritum apud Horatium Epod. 4.

Vidéſne ſacram metiente te viam,
Cum bis ter vlnarum toga.
Vt ora vertat,huc & huc euntium
Liberrima indignatio?

Bona porrò hîc intelliguntur non animi, quod indignis ea nunquam eueniant, parantur enim ſcientiæ ac virtutes magno labore: deindè non à natura tributa, quòd immerentibus conferre quidpiam natura non cenſeatur: ſunt autem naturæ bona, nobilitas,vis,ingenium,pulchritudo, valetudo, robur. Bona igitur ob quæ indignamur ſunt fortunæ, diuitiæ, opes, potentia, honores, multitudo amicorum, liberorum, & his ſimilia.

Digitized by Google

LECTIO XXXVII.

Quibus indignatio concitetur.

TRibus potiſſimùm capitibus excitatur I. Si vitæ prioris ſordes, ac vilitas cum præſentis temporibus, opibus, ac potentia conferantur. Hoc in Vatinio notauit Tull. cuius egeſtatem, & obſcurum vitę genus in ſordibus ab adoleſcentia deſcribit. antequam per ſcelus, & latrocinium ad diuitias emergeret. n. 11. *Atq; illud tenebroſiſſimum tempus ineuntis ætatis tuæ patiar latere. Licèt impunè per me parietes in adoleſcentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris, habeat hoc præmium tua indignitas, vt adoleſcentiæ turpitudo, obſcuritate, & ſordibus tuis obtegatur.*

Ex indè referre incipit, quibus tandem gradibus homo vilis, & abiectus ad honores abrepſerit, tandemque ſubiungit cum indignatione & ſtomacho Vatinium odio eſſe non ſolùm toti ciuitati, ſed & iis ipſis propter quos tot ſcelera cōmiſit. n. 39. *Si te vicini, ſi affines, ſi tribules ita oderunt, vt repulſam tuam, triumphum ſuum dixerint: ſi nemo adſpicit, quin ingemiſcat, nemo mentionem facit, quin execretur; ſi vitant, fugiunt, audire de te nolunt, cùm viderunt, tanquam auſpicium malum deteſtantur; ſi cognati reſpuunt; tribules execrantur, vicini metuunt, affines erubeſcunt; ſtrumæ denique ab ore improbo demigrarunt, & aliis iam ſe locis collocarunt: Si es odium publicum populi, Senatus, vniuerſorum hominum? quid eſt quamobrē. Præturam potius exoptes, quàm mortem? præſertim cùm popularem te velis eſſe, neque vlla in re populo gratius facere poſſis.*

Quid his verbis mordacius? quibus adeo Vatinium impurum eſſe contendit, vt ipſius ſtrumæ fœdum hominem auerſentur, proindè nec obſcurum hominem tantis honoribus dignum, neque fortunæ bonis quæ ingentia conſequutus eſt quòd hæc ipſi videantur præter meritum cōtigiſſe.

Idem Orator in iudicum animis incendium excitat contra Numerium, & Serranum abiectiſſimos homines: illum quidem feſtiuâ ſatis allegoria è muribus, ſiue nitedulis, aut vepretis ad rodendam ſegetem prodeuntibus, quâ Numerij generis obſcuritas, & indignitas notatur: hunc verò ridet à nomine & calathis, quibus grauis & onerandus olim ad vrbē acceſſerat, quâ loquendi ratione Tull. Attilio priſtinàm egeſtatem, & obſcuritatem exprobrat, quaſi veniſſet è deſerto pauperis cuiuſdam agricolæ horreo. Pro Sextio n. 72. *Ineunt magiſtratum Tribuni plebis qui omnes ſe de me promulgaturos confirmarant. Ex his Princeps emitur ab inimicis meis is, quem homines in luctu irridentes Gracchum vocabant, quoniam id etiam fatum ciuitatis fuit, vt illa ex vepretulis extracta nitedula Remp. conaretur arrodere. Alter verò nō ille Serranus ab aratro, ſed ex deſerto Gaui Oleli horreo, calathis grauis, in Calatinos, ac Attilios inſitus, ſubito nominibus in tabulas relatis nomen ſuum de tabula ſuſtulit.*

Elegans & acutum indignationis exemplum eſt illud Martial. l. 9. epigr. 55. Vbi dolet Sutorem Clientem in poſſeſſionem Domini ſui veniſſe per artem tàm vilem, tàmque contemptam, ſe verò nobiliſſima diſciplinâ eruditum quaſi mendicum eſurire.

Dentibus antiquas ſolitus producere pelles
Et mordere luto putre, vetuſque ſolum.
Præneſtina tenes defuncti rura patroni;
In quibus indignor, ſi tibi cella fuit.
At me litterulas ſtulti docuere parentes.
Quid cum Grammaticis, Rhetoribuſq; mihi.
Frange leues calamos, & ſcinde, Thalia libellos,
Si dare, ſutori calceus iſta poteſt.

II. Prodigalitas.

Indignamur iis qui apetunt per vim ea quæ non illis competunt, vt abutantur ambitiosè prodigi, in aleis conuiuiis, & comeſſationibus. Iudicū indignationem inflāmat in T. Roſciū ab eius prodigalitate, & inſolentia. n. 23. *Interea iſte T. Roſcius, vir optimus, Procurator Chryſogoni, Ameriā venit? in prædia eius inuadit, hunc miſerum luctu perditū, qui nondū etiā paterno funeri iuſta ſoluiſſet, nudū eiicit domo, atque focis patriis, Diiſq; Penatibus præcipitem exturbat: ipſe ampliſſimæ pecuniæ fit Dominus. Qui in ſua re fuiſſet egentiſſimus, erat, vt fit, inſolens in aliena. Multa palā*

Digitized by Google

domum ſuam auferebat, plura clam de medio removebat: non pauca ſuis adiutoribus largè effuſéque donabat: reliqua conſtituta auctione vendebat. Quod Amerinis vſque eò viſum eſt indignum, vt vrbe tota fletus, gemituſque fieret.

Multò acerbius indignatur in recentiora fortunæ, quæ ab immerito poſſidentur. Eadem orationem n. 133. *Alter tibi deſcendit de Palatio, & ædibus ſuis: habet animi relaxandi Cauſarus amænum, & ſuburbanum, plura præterea prædia, neque tamen vllum niſi præclarum, & propinquum: domus referta vaſis Chorintiis, & Deliacis, in quibus eſt Aut hepſa illa, quam tanto pretio nuper mercatus eſt, vt qui prætereuntes, pretium enumerari audierant, fundum venire arbitrarentur. Quid præterea cælati argenti: quid ſtragulæ veſtis? quid pictarum tabularum? quid ſignorum? quid marmoris apud illum putatis eſſe: tantum ſcilicet, quantum è multis ſplendidiſq; familiis in turba, & rapinis coacervari vna in domo potuit. In hac vita Iud. quos ſumptus quotidianos, quas effuſiones fieri putatis? quæ vero cōvivia? honeſta credo, in huiuſmodi domo, ſi domus hæc habenda eſt potius, quàm officina nequitiæ, & diverſorium flagitiorum omnium. Ipſe verò quemadmodum compoſito, & delibuto capillo paſſim per forum volitet, cum magna caterua togatorum videtis; vt omnes deſpiciat; vt hominem præ ſe neminem putet; vt ſe ſolum beatum, ſolum potentem putet.*

III. *Rerum ſecundarum inſolentia.*

[illegible] Antonium inſolentem, ac ſuperbum inſectatur; quod Pompeij bona vel effuſis largitionibus diſſipaſſet, vel in profundum libidinum ſuarum gurgitem immerſiſſet 2. Phil. n. 65. *At quam inſolenter ſtatim helluo inuaſit in eius viri fortunas, cuius virtute terribilior erat Pop. Rom. exteris gentibus, iuſtitia carior? In eius igitur copias cùm ſe ſubito ingurgitaſſet, exultabat gaudio, perſona de mimo, modò egens, repentè Dives. Sed vt eſt apud Poetam neſcio quem, malè parta; male dilabuntur, Incredile, ac portenti ſimile eſt, quonam modo illa tam multa, quam paucis non dico menſibus, ſed diebus effuderit: maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretioſa veſtis, multa & lauta ſuppellex, & magnifica multis locis, non illa quidem luxurioſi hominis, ſed tamen abundantis.*

Pvnctvm II.

Alterum motiuum indignationis eſt, ſi quando velit inferior cum ſuperiore contendere, præſertim in eodem ſtudio, vel honoris contentione. Vehementer indignatur Aiax, apud Ouid. quod ſapiens Vlyſſes ſecum de Achillis armis contendere auderet. Itaque cœpit exclamare non ſine graui commotione. 13. Metam.

—— Agimus proh Iuppiter, inquit
Ante rates cauſam, & mecum confertur Vlyſſes?
Præmia magna peti fateor, ſed demit honorem
Æmulus Aiaci, non eſt tenuiſſe ſuperbum,
Sit licet hoc ingens, quidquid ſperauit Vlyſſes,
Ipſe tulit pretium iam nunc certaminis huius
Qui cum victus erit mecum certaſſe fatetur.

Tull. diuinat. in Cecil. Oratorem ineptum ſecum conferri indignatur num. 20. *Si tibi Q. Cæcili, hoc Siculi dicerent, te non nouimus: neſcimus qui ſis; nunquam te antea vidimus: ſine nos per eum noſtras fortunas defendere, cuius fides eſt nobis cognita: nonne id dicerent, quod cuiuis probare deberent? nunc hoc dicunt, vtrumque ſe noſſe: alterum ſe cupere defenſorem eſſe fortunarum ſuarum: alterum planè nolle. Cur nolint, etiamſi taceant, ſatis dicunt. Verùm non tacent, tamen his inuitiſſimis te offers; tamen in aliena cauſa loquère? tamen eos defendes, qui ſe ab omnibus deſertos potius, quàm abs te defenſos eſſe malunt? tamen his operam tuam pollicebere, qui te neque velle ſua cauſa, nec ſi cupias poſſe arbitrantur.*

In Piſonem verò inæqualem ſuam & Piſonis comparationem arguit, ideóque illa vti ſe nolle affirmat per Oratoriam exclamationem n. 3. *Nam quid ego de conſulatu loquar? parto vis, anne geſto miſerum me: cum hac me peſte, atque labe confero; ſed nihil comparandi cauſa loquar: ac tamen ea, quæ ſunt longiſſimè diſiuncta, comprehendam.*

Cæſaris & Antonii, quem illius exemplo terret, nullam poſſe inſtitui comparationem concludit, niſi quæ male volentiam, & odium conciliet: Ph. 2. n. 116. *An es vlla re cum eo comparandus, fuit in illo ingenium, ratio, memoria, literatura, cogitatio, diligentia: res bello geſſerat, quamuis Reip. calamitoſas, attamen magnas: multos annos regnare eſt meditatus: magno labore, magnis periculis, quod cogitauerat, effecerat muneribus, monumentis, congia-*

riis,

Digitized by Google

riis;epulis multitudinem imperitam lenierat: ſuos præmiis, aduerſarios Clientelæ ſpecie deuinxerat. Quid multa? attulerat iam liberæ ciuitati, partim metu, partim prudentia conſuetudinem ſeruiendi. Cum illo ego te dominandi cupiditate conferre poſſum, cæteris verò rebus nullo modo es comparandus.

Mouetur indignatio, quoties inferior cum ſuperiore contendit, ſiue in re ſimili ſeu diſſimili. Cic. quidem comparat artem militarem, cum iuris ciuilis ſcientia, ſed eam longè præſtantiorem eſſe demonſtrat. Itaque facetè Ser. Sulpitium ridet, qui cùm eſſet iuriſperitus, vellet tamen cum Muræna Imperatore de dignitate certare, & indignaretur, quòd in petitione conſulatus L. Muræna ſibi antelatus fuiſſet à n. 22.

PVNCTVM III.

Tertium indignationis motiuum eſt, ſi diuitias & honores præter meritum aliquibus contingere videamus. Animis elati, præſertim, ſi quos honores ambiunt, indigni poſſident; Sic optimates Conſulem factum Ciceronem indignabantur, quem ob generis ignobilitatem indignum planè arbitrabatur. Hinc cùm à Romanis Latini petiiſſent, vt alter poſt hac è Latinis Conſul fieret. Tit. Manlius rei indignitate permotus animo imperare non potuit. Sed ad Iouis ſimulacrum conuerſus, his verbis ſtomachum exonerauit. l 8. apud Liu. *Audi Iuppiter hæc ſcelera, inquit, audite ius faſq; ? peregrinos conſules, & peregrinum Senatum in tuo Iupiter augurato templo captus, atque ipſe oppreſſus viſurus es? hæccine fœdera Tullus Romanus Rex cũ Albanis patribus veſtris Latini? hæc L. Tarquinius vobiſcum poſtea fecit? non venit in mentem pugna apud Regillum lacum? adeò & cladiũ veſtrarũ veterum, & beneficiorum noſtrorũ erga vos obliti eſtis?*

Vehemens illa Claudiani vatis in obſcurum hominem Eutropium indignatio l. 1.

Cernite quem Latiis poſcant adnectere faſtis
Cuius & Eunuchos puduit. Sed vilior ante
Obſcura latuit pars ignotiſſima turba,
Donec abundanti furtis, qui rebus Eois
Exitium, primòque ſibi produxit, ab imis
Euectus thalamis ſummos inuaſit honores.
Omnia ceſſerunt Eunucho conſule monſtra.
Heu terræ cœlique pudor! trabeata per vrbes
Oſtentatur anus, titulumque effeminat anni.

In eundem grauiter indignatur, quod diuinis propè honoribus exceptus fuerit ab omnibus, quem nemo congreſſu, nemo luce, ſed diris, & execrationibus dignum omnes exiſtimare debuerant. 2. lib.

—— Spado Romuleo ſuccinctus amictu
Sedit in Auguſtis Laribus: vulgata patebat
Aula ſalutantum ſtudiis: huc plebe Senatus
Permixta trepidique Duces, omniſque poteſtas
Confluit, aduolui genibus, contingere dextram
Ambitus, & votum deformibus oſcula rugis
Figere. Præſidium legum, genitorque vocatur
Principis, & famulum dignatur regia patrem.
Poſteritas admitte fidem. Monumenta petuntur
Dedecoris, multis gemunt incudibus æra
Formatura nefas.

Indignantur diuites & opulenti, ſi ſui diſſimiles & indignos eadem bona conſequi videant, probi & iuſti, ſi improbos: cupidi honoris, ſi tardos, & ſtupidos gerere magiſtratum; omnes, qui ſuæ dignitati adſcribunt, quod ab aliis ipſorum iudicio indignis remouent. Itaque hic affectus non eſt hominis praui, & abiecti; qui ſibi deberi nihil putet, ſed merentis & ſuorum conſcij meritorum. Eò vero magis augetur indignatio, quò fortuna meritis iudicatur melior. Vt indignatur in Ruffinum diuitiarum ſitientem Claudianus.

Quò veſane ruis? teneas vtrumq; licebit
Oceanum, laxet rutilos tibi Lydia fontes,
Iungatur ſolium Crœſi, Cyrique thyara;
Nunquam diues eris, nunquam ſatiabere quæſtu,
Semper inops, quicunque cupit.

Indignamur iis, qui nuper ac recens ingentia fortunæ dona conſequuti ſunt, quia hæc ipſis videntur contingere præter meritum, idque potiſſimum ſi ſint contumelioſi, qualis ille fuit apud Iuuenalem Saty. 1.

Patricios omnes opibus cùm prouocet vnus.
Quo tendente grauis iuueni mihi barba ſonabat
Cùm pars Niliacæ plebis, cùm verna Canopi
Criſpinus Tyrias humero reuocante lacernas,
Ventilet æſtiuum digitis ſudantibus aurum,
Nec ſufferre queat maioris pondera gemmæ;
Difficile eſt Satyram non ſcribere.

Quæ ii inflammanda ſunt maximè, ſubdit Cic. 2. de Orat. num. 209. dicendum eſt, non eſſe virtute

parta, deinde etiam vitiis, atque peccatis. Hinc meretricias opes ad inuidiam, & indignationem nominat. Pro Cœlio, num. 1. in quas ſtylum diſtringit Propertius lib. 3.

Matrona incedit cenſus induta Nepotum,
Vt ſpolia opproibrij noſtra per ora trahit.
Nulla eſt poſcendi, nulla eſt reuerentia dandi,
Aut ſi qua eſt pretio tollitur ipſa mora.

Denique iuſtum dolorem concipimus, & indignationem in ſceleratos & impios, quàm nobiles habet aculeos, & vehementes Cic.? cuius iſta ſunt Indignationis faſtidia contra Verrem, quem ſacrilegij reum facit ob candelabrum Ioui dedicatum ab Antiocho Rege, ſublatum à Verre Act. 6. nu. 71 *Vobis autẽ Iud. quid hoc indignius, aut quid minus ferẽdũ videri poteſt? Verresne habebit domi ſua cãdelabrũ Iouis Opt. Max. è gẽmis auròque perfectũ? cuius fulgore collucere, atque illuſtrari, Iouis Opt. Tẽplũ oportebat, id apud illũ in ejusmodi conuiuiis cõſtituetur, quæ domeſticis ſtupris, flagitiisque flagrabũt? in iſtius lenonis turpiſſimi domo ſimul cum cæteris Chelidonis hereditariis ornamẽtis, Capitolij ornamẽta ponẽtur? Quid huic ſacri vnquã fore, aut quid fuiſſe religioſi putatis, qui nũc tãto ſcelere ſe obſtrictũ eſſe nõ ſẽtias? Itaque hoc nefario ſcelere cõcepto, nihil poſtea tota in Sicilia neque ſacri, neque religioſi eſſe duxit* Grauiorẽ verò mouet indignationẽ facta per prætermiſſionẽ cõparatione, Metelli pij religionẽ inter, & Verris furta ſacrilega, nu. 122. *Conferte Verrẽ, nõ vt hominẽ cum homine comparetis, ne qua tali viro mortuo fiat iniuria. Sed vt pacẽ cũ bello, leges cum vi: forũ & iuriſditionem, cum ferro & armis, aduẽtũ & comitatum cũ exercitu, & victoria conferatis, Marcellus, qui ſi Siracuſas cepiſſet, duo templa ſe Romæ dedicaturum vouerat, id quod erat ædificaturus, ſi his rebus ornare, quas ceperat, coluit: Verres, qui nõ honori, neque virtuti vt ille, ſed Veneri, & cupidini vota deberet, iis Mineruæ tẽplũ ſpoliare conatus eſt Ille Deos, Deorũ ſpoliis ornare noluit: hic ornamẽta Mineruæ Virginis in meretricium domum transtulit.*

Ea maximè vitia ingeruntur & probra, quæ dedecus, & infamiam habent adiunctam: Licèt enim ea ſit peccati pediſſequa; quibuſdam tamen vitiis magis tenaciter adhæreſcit. Inter pudenda verò nullum eſt dedecoris plenius quàm quòd ſua imprimis fœditate, turpidinis nomen retinet. Quo ſtomacho Tull. erumpit in Antonij primam turgegentis pueritiæ vitam, & adoleſcentiã voluptatum illecebris fractam? 2. Phil. n. 44.

Probro datur atque dedecori, ſi quis in bello minus audax fuerit, ſi nullius animi, nullius conſilij vir, quod eidem exprobrat, n. 71.

Dedecus habet adiunctũ intemperantia, preſertim ad ebrietatis ſtuporem euadens, nullibi plenius exultat Cic quàm in comeſſationibus Antonij. n. 63.

Quid grauius ei, qui ſe cordatum videri velit, obiici poteſt, quàm vt in fœminam degeneraſſe dicatur? hoc idẽ exprobrat Antonio Tull. n. 77.

Quid apud homines ad virtutem, magnáque natos proditione turpius? hanc infamiæ notam inuſſit Clodianis Tull. vt ad indignationem Iudices excitaret Pro Sext. nu. 17. *Sed fuit profectò quadã illa Reip. fortuna fatalis; vt ille cæcus, atque amens Trib. pleb. nanciſceretur. Quid dicã Conſules? Hoccine vt ego appellẽ nomine euerſores huius imperij? proditores veſtræ dignitatis? hoſtes bonorũ omniũ? qui ad delẽdũ Senatũ, affligẽdũ Equeſtrem ordinem, extinguenda õnia iura, atque inſtituta, maiorẽ ſe illis faſcibus, cæteriſque inſignibus ſummi honoris atque imperij ornatos eſſe arbitrabantur.*

Huc reuoca vehemẽtes Claudiani licèt ingenio facilis, aculeos, quos in arrogantis iuxta & crudelis Gildonis perfidiam exerit: dum hæc effũdit, vt huius ſcelerati fictis ſermonibus emollitum Arcadium ab incœpto reuocet, nec vllam illi perfido fidem habeat.

—— Tali te credere monſtro
Poſt patrem fratremque paras? ſed magna rependit
Inque tuam ſortem numeroſas transtulit vrbes.
Ergo fas pretio cedet? mercede placebit
Proditio? taceo læſi, quod transfuga fratris,
Quod leuis ingenio quamuis diſcrimine ſummo
proditor oppertet, ſuſpenſa morte, ſalutem,
Nunquam gratus erit, damnamus luce reperta
Perfidiam.

perbum , ſed labore , ſed reuerentia poſterûm

LECTIO XXXVIII.

Mitigatur indignatio.

SVmmum requirit artificium , & inſinuationem, quâ Iudicum animi ad benè ſentiendum faciles ſint de eo , quem honoribus , & fortunæ donis indignum putabant. Dicendum imprimis virtute rebúſque præclarè geſtis eſſe comparata, non recens data. Nam diuitibus factis , aut diu potentibus non ita indignamur, nec facilè, quod iamdiu locupletes videantur rem illam ſuam feciſſe, vſu & virtute conſeruaſſe, vt iam digni videantur, æquum eſt enim fortunam virtuti famulari.

Ingenioſum ac nobilem nunquam degenerem animum habuiſſe, proinde naturam ei ſemper fauiſſe probandum eſt: his enim ſi contingant bona, cenſentur euenire dignis, quia natura ſapiens ea munera impertiuit, quæ bona fortunæ merentur.

Monendum pridem illa bona poſſediſſe, proinde dignum, nec iis vnquam ad ſcelera , vel in Reip. perniciem, & aliorum exitium abuſum fuiſſe. Nam quod diuturnum fuit, habet affinitatem cum eo quod ſemper fuit.

Non arrogantem, & ſuperbum in honoribus, nec inſolentem in meliore fortuna ſe præbuiſſe docendum eſt, ſed modeſtum , ſed communem omnibus & publicatum. Et quia ingenium ſuum, aut eloquentiam iactantibus indignari ſolemus, ideò ſapienter, & modeſtè, de vtriſque cum Cicerone loquutum fuiſſe dicemus Diuinat. in Cæcil. n. 36. *Nam cùm omnis arrogentia odioſa eſt, tùm illa ingenij , atque eloquentiæ , multò moleſtiſſima. Quamobrem nihil dico de meo ingenio; neque eſt quod poſſim dicere, aut enim id mihi ſatis eſt , quidquid eſt: aut ſi parum ego maius id commemorando facere non poſſum.*

Quam ex inani inſtantia inuidentiam, & indignationem Plinius Iunior prudens Orator euitat, cùm eloquentiæ commendationem, non ingenio, ſed labori, ſed induſtriæ tribuit lib. 8 epiſt. 24. *Poſteris an aliqua cura noſtri neſcio, nos certè meremur vt ſit aliqua, non dico ingenio, id enim ſu-*

LECTIO XXXIX.

Deſcribitur.

EAdem penè ſunt indignationis effecta, quæ Iracundiæ , cùm ſit eius aliqua ſpecies. Admodum libera eſt, hęc perturbatio in verbis, quibus vel amplificat vitia, vel in malam partẽ virtutes detorquet, nec fortem, ſed temerarium, neque prudentem, ſed ignauum dicit eum, in quem indignatur. Hos characteres habet Ouid. in illa Vlyſſis & Aiacis ſuper Achillis arma contentione Vbi quiſque virtutem ſuam, egregiáque facinora tantùm effert, quantùm aduerſa eleuat. Sic Aiax 12. Metamorph.

Si ſemel iſta datis meritis tàm vilibus arma
Diuidite; & pars ſit maior Diomedis in illis.
Sed neque Dulychius ſub Achillis caſſide vertex
Pondera tanta feret: nec-non onerosa, grauisq;
Pelias haſta poteſt imbellibus eſſe lacertis.
Nec clypeus vaſti cœlatus imagine mundi
Conueniet timidæ, nataque ad furta ſiniſtræ,
Debilitaturum quid te petis improbe munus?
Adde quod iſte tuus tàm raro prælia paſſus
Integer eſt clypeus: noſtro qui tela ferendo
Mille patet plagis, nouus eſt ſucceſſor habendus.

Cui prudens Vlyſſes,

—— His inquam humeris ego corpus Achillis
Et ſimul arma tuli, quæ nunc quoque ferre laboro,
Sunt mihi quæ valeant in talia pondera vires.
Tamq; tuis patiar (faueat fortuna) ſagittis
Quàm rapui Phrygia ſignũ penetrale Mineruæ
Hoſtibus è mediis, & ſe mihi conferat Aiax?
Nempe capi Trojam prohibebant fata ſine illo?
Fortis vbi eſt Aiax? vbi ſunt ingentia mali
Verba viri? cur hic metuit? cur audet Vlyſſes.
Ire per excubias, & ſe committere nocti?
Nos animo quantoq; ratem qui temperat , anteit
Remigis officium: quantò eſt dux milite maior,
Tantum ego te ſupero. Necnon in corpore noſtro
Pectora ſunt potiora manu; vigor omnis in illis.

II. Furor & deſperatio.

Nonnunquam cò furoris , & amentiæ deuenit vt ſib,

vt ſibi violentas manus afferat, vt apparet ex Aiace qui victus ab Vlyſſe, in armorum contentione, ſibi mortem conſciuit. Ibidem.

Hectora qui ſolus, qui ferrum ignemq; Iouemq;
Suſtinuit toties, vnam non ſuſtinet iram:
Inuictumq; virum vicit dolor; arripit enſem:
Et meus hic certè eſt: an & hūc ſibi poſcit Vlyſſes?
Hoc ait, vtendum in me mihi: quique cruore
Sæpè Phrygū maduit, domini nunc cade madebit
Ne quiſquam Aiacem poſſit ſuperare, niſi Aiax.
Dixit, & in pectus tùm demum vulnera paſſum
Quà patuit ferro, retblem condidit enſem.

III. Obtrectatio.

Quin & aliquando ex indignatione naſcitur Obtrectatio in cœleſte numen: quare Epicuri diſcipuli, qui peſſimè philoſopharentur, prouidentiam diuinam ſuſtulerent; de qua etiam aliquo modo videtur dubitaſſe Claudianus Ruffini ſcelerati fortunam contemplatus: ſic enim per indignationem.

Sæpè mihi dubiam traxit ſententia mentem
Curarent Superi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu,
Sed cùm res hominum tanta caligne volui
Aſpicerem, latoſq; diu florere nocentes,
Vexariq; pios: rurſus labefacta cadebat
Religio.

IV. Exprobratio.

Recenſet quæ ab ingrato facta ſunt, & alterius improbitati beneficia opponit, vt ingrati animi vitium exprobret. Sib in ſuum Iaſonem animata & indignans Medea. Ouidius.

Auſus es (ò iuſto deſunt ſua verba dolori.)
Auſus es, Æſonia dicere, crede domo.
Iuſſa domo ceſſi natis comitata duobus.
Et, qui me ſequitur ſemper, amore tui.

Deindè pompam nuptialem, quàm ne ſuſpicari quidem poterat, deſcribit, vt indignantis animi ſui faces ad nouum, ſed adulterinum ignem accendat, honoremque genialis lecti ſibi præreptum ab alia ſatis doleat,

Vt ſubito noſtras Hymen cantatus ad aures
Venit, & accenſo lampades igne micant.
Tibiaque effudit ſocialia carmina vobis,
At mihi funeſta flebiliora tuba.
Pertimui: nec adhuc tantum ſcelus eſſe putabam
Sed tamen in toto pectore frigus erat,
Turba ruunt; & Hymen clamant: Hymen ea frequentant.
Quò propior vox eſt: hoc mihi peius erat.
Protinus abſciſſa planxi mea pectora veſte:
Tuta nec à digitis ora fuêre meis.
Ire animus media ſuadebat in agmina turba.
Raptaq; compoſitis dimere ſerta comis.
Vix me continui, quin ſic laniata capillos
Clamarem meus eſt: iniiceremq; manus.

Beneficium quidem commemorat, ſed idem à variis circum ſtantiis exaggerat. Phyllis perndo Demophoonti ſuo,

Vnum in me ſcelus eſt, quod te ſcelerate recepi:
Sed ſcelus hoc meriti pondus, & inſtar habet.
Iura vides, vbi nunc? commiſſaq; dextera dextra
Quiq; erat in falſo plurimus ore Deus?
Promiſſus ſocios vbi nunc Hymenæus in annos?
Qui mihi coniugij ſponſor, & obſes erat!
Ah laceras etiam puppes furioſa refeci!
Vt qua desererer firma carina foret.
Remigiumq; dedi quo me fugiturus abires.
Heu patior telis vulnera facta meis!
Credidimus blandis, quorū eſt tibi copia, verbis,
Credidimus generi numinibusq; tuis.
Credidimus lacrymis: an & hæ ſimulare docētur
Hæ quoque habent artes, quaq; iubentur: eunt.

Obtrudit identidem eas voces, quibus quidem vtebatur, dum alia eſſet rerum fortuna, & quæ tùm agebat, reponit, vt indignationem inflammet Medea, Iaſani.

Neſcio an exciderint mecum loca: venimus ambo
Auſus es inſido ſic prior ore loqui.
Ius tibi & arbitrium, noſtra fortuna ſalutis
Tradidit, inque tua vitaque morsq; manu.
Perdere poſſe ſat eſt, ſi quem iuuat iſta poteſt ſ...
Sed tibi ſeruatus gloria maior erit.
Per mala noſtra precor quorum poteſt eſſe leuamen...
Per genus & numen cuncta videntis aui.
O Virgo miſerere mei: miſerere meorum:
Effice me meritis tempus in omne tuum.

Spiri

Digitized by Google

Spiritus ante meos tenues vaneſcat in auras,
Quàm thalamo niſi tu, nupta ſit vlla meo.
Illa ego quæ tibi ſum nūc deniq; barbara facta.
Nunc tibi ſum pauper, nunc tibi viſa nocens.

DE INVIDIA

INVIDIA, quam Inuidientiam mauult appellare Cicero, motus eſt acerrimus ex 2. de Orat. n. 209. *Haud ſciam, an acerrimus longè ſit omnium motus Inuidia, nec minus virium opus ſit in ea comprimenda, quàm in exitanda.* Locum habet in genere iudiciali potiſſimùm, & accuſationibus: nimirum cùm auertenda clementia, atque miſericordia, danda eſt opera, vt is contra quem agitur non commiſeratione, ſed odio potius, & Inuidia dignus habeatur.

Eſt autem dolor de proſpera ſorte quæ alicui propè pari euenerit, non vt qui inuidet, commodum ex eo percipiat, ſed quia nollet eos quibus inuidet, ea bona poſſidere, quòd ſuam putet minui dignitatem.

Proſpera ſorte continentur bona, quæ laudem habent; nam bonis, in quibus laus non eſt, abeſt inuidia; quamobrem credas oportet te nihil habere magni, niſi habeas inuidos. Virtutis enim vbique, & laudis comes eſt Inuidia.

Propè pares, inter quos inuidiam verſari diximus, id habet hanc vim, vt ſi maximè inter ſe diſtent, iam nullus ſit inuidiæ locus: Eſt enim contentio dumtaxat inter illos, & alter alterius gloriam, ſuam dedecus ratus, nititur in ordinem redigere. Itaque eximiè Cic. 2. de Orat. n. 209. *Inuident autem homines maximè paribus, aut inferioribus, cùm ſe relictos ſentiunt, illos autem dolent euolaſſe; ſed etiam ſuperioribus inuidetur, ſæpè vehementer & eò magis, ſi intolerantius ſe iactant, & æquabilitatem communis iuris, præſtantia dignitatis, aut fortunæ ſuæ tranſeunt.*

Ratio cur Inuidia ſit tantùm inter pares, ex eo petitur, quòd ſuperiorem gloria non offundat tenebras noſtræ laudi, inferiores verò à nobis vincatur. Quod additur, non vt ex eo commodum percipiat. Diſcrimen Inuidiam inter, & æmulationem aſſignatur: qui enim æmulantur de proſperitate quidem aliorum dolent, ſed percipiunt ex illo dolore commodum, quia dolor hic ad parem conſequendam laudem excitat eos: at qui inuident, ita dolent alienis bonis, vt non excitentur dolore ad rectè agendum, ſed quod indigniſſimum eſt, virus omne ſuum in eum, cui inuident, euomant; inde felicem aliorum fortunam ferre non poteſt, qua præſertim rem ſuam deprimi, poſſeſſaque minui credit.

LECTIO XL.

Quibus concitanda ſit Inuidia.

DE his hæc habet Tull. 2. de Orat. n. 209. *Quæ ſi inflamāda ſunt, dicendum eſt non eſſe virtute parta; deindeetiā vitiis atque peccatis. Tum ſi erūt honeſtiora atque grauiora, tamen non eſſet tantùm vlla merita, quanta inſolentia hominis quantumque faſtidium.* Quæ per capita diuidenda ſunt.

PVNCTVM I.

Malè parta.

COncitatur Inuidia I. ſi doceas immerenti contigiſſe, ſcilicet improbo, vel citra laboris, ac periculorum aleam, turpi quadam gratiâ, quod cæteri non niſi ſummo cum diſcrimine conſequi ſolent, ſiue de dignitate, vel opibus, aut de quibuſdam honorum titulis, ad quos euectus eſt, loquamur. Cic. pro Amer. Chryſogonum inuidiam vocat apud Iud. ob diuitias titulo non bono partas, num. 144. *Si hac indigna ſuſpicione careat; æquo animo ſe carere ſuis omnibus commodis dicit. Rogat, oratque te, Chryſogone ſi nihil de patris fortunis ampliſſimis, in ſuā rem conuertit: ſi nulla in re te fraudauit: ſi tibi optima fide ſua omnia cōceſſit, annumerauit, appendit: ſi veſtium, quo ipſe tectus erat, annulumque dedit; os ſuum tibi tradidit: ſi ex omnibus rebus ſeipſū nudū, neque præterea quidquam excipit: vt ſibi per te liceat innocentia amicorū opibus vitam in egeſtate degere. Prædia mea tu poſſides; ego aliena miſericordia viuo, conce-*

do: & quod animus æquus eſt, & quia neceſſe eſt: mea domus tibi patet, mihi clauſa eſt; fero: familia mea maxima vteris; ego ſeruum habeo nullum, patior, & ferendum puto.

II. Inſolentia.

Inuidemus illi facilè, qui ſic ob diuitias, & ſecundam fortunam inſoleſcit, vt præ ſe alios contemnat arrogantius. Ex hoc Verri facit inuidiam Cic. expoſitâ eius inſolentia, Act. 6. n. 98. *Tu videlicet ſolus vaſis Corinthiis delectaris? tu illius æris temperationem, tu operum lineamenta ſolertiſſimè perſpicis? hæc Scipio ille non intelligebat homo doctiſſimus, atque humaniſſimus: tu ſine bona vlla arte, ſine humanitate, ſine ingenio, ſine litteris intelligis, & iudicas, vide ne ille non ſolum temperantia, ſed etiam intelligentia te, atque iſtos, qui ſe elegantes dici volunt, vicerit.*

Rullo facit inuidiam & odium dùm illius inſolentiâ ponit ob oculos, propter legem Agrariam. 2. Act. n. 32. *Dat præterea poteſtatem. verbo Prætoriam, reuerà regiam: definit in quinquennium, facit ſempiternam. Tantis enim cōfirmat opibus, & copiis, vt inuitis eripi nullo modo poſſit. Deinde ornat apparitoribus, ſcribis, librariis, præconibus, architectis: præterea mulis, tabernaculis, Centuriis, ſuppellectili: ſumptū haurit ex ærario, ſuppeditat à ſociis: ianitores ex equeſtri loco ducentos in annos ſingulos ſtipatores corporis conſtituit: eoſdē miniſtros, & ſatellites poteſtatis. Formam adhuc habetis, & ſpeciem ipſam tyrannorum; inſignia videtis veteris poteſtatis, nondū ipſam poteſtatem. Dixerit enim fortaſſe quiſpiam. Quid me iſta lædunt, ſcriba, lictor, præco, pullarius? Omnia ſunt hæc eiuſmodi, Quirites, vt ea qui habeat ſine veſtris ſuffragiis, aut Rex non ferendus, aut priuatus furioſus eſſe videatur. Perſpicite, quanta poteſtas permittatur: non priuatorum inſaniam, ſed intolerantiam Regis eſſe dicetis.*

Pro Rege Deiataro Caſtori conciliat inuidiam, quòd in eadem cauſa veniam conſequutus, malè atque inſolenter fortunâ ſua vtatur, n. 28. *Hic verò adoleſcens, qui meus in Cilicia miles, in Græcia cōmilito fuit, cùm in illo noſtro exercitu equitauit, cùm ſuis delectis equitibus, quos vnà cū eo ad Pōpeium pater miſerat; quos concurſus facere ſolebat? quàm ſe iactare? quàm ſe oſtētare? quàm nemini in illa cauſa, ſtudio, & cupiditate concedere?*

Decius Trib. pleb. M. Poſthumium Tribunum militum inuidioſum reddit apud plebem, propter inſolentem quandam vocem apud Liui. lib. 4. *auditis Quirites ſicut ſeruis malum minantem militibus? tamen hæc bellua dignior vobis tanto honore videbitur, quàm qui vos vrbe, agriſque donatos in colonias mittunt, qui ſedem ſenectuti veſtræ proſpiciunt: qui pro veſtris commodis, aduerſus tàm crudeles, ſuperboſque aduerſarios depugnant? Incipite deinde mirari, cur pauci iam veſtram ſuſcipiant cauſam.*

Et lib. 9. App. Claudium in inuidiam Trib. pleb. vocat, quód præcipuum ac ſingulare quærat aliquit præter meritum, quod elatus ſit, ac inſolens. *Tu vnus eximius es, in quo hoc præcipuum ac ſingulare valeat? quem tu Regem ſacrificiorum crees amplexus regium nomen, vt qui optimo iure Rex Romæ creatus ſit, creatum ſe dicat? quem ſemeſtri Dictatura, quem interregno, quinque diebus contentum fore putes? quem claui figendi, aut ludorum cauſa Dictatorum audacter crees?*

III. Honor præreptus.

Naſcitur inuidia ex eo quòd quis aſſequatur celeriter, aut nullo labore, aut paruo ſumptu, quod nos magnis ſumptibus, aut tardè aſſequimur, aut planè non aſſequimur. Ita Drances quia parem non poterat conſequi cum Turno gloriam, ei vehementer inuidebat.

Tum Drances idem infenſus, quem gloria Turni,
Obliqua inuidia, ſtimuliſque agitabat amaris.

Multis Amata diſturbare conatur nuptias Lauſniæ Virginis cum Teucris, quos per inuidiam tanto honore indignos probat. 7. Æn.

Exulibús-ne datur ducenda Lauinia Teucris
Ô genitor! nec te miſeret nataque, tuique,
Nec matris miſeret, quā primo Aquilone relinquet
Perfidus alta petens, abducta Virgine prædo.

IV. Studiorum eorundem æmulatio.

Eorundem Studiorum æmuli, riuales & competitores eiuſdem gloriæ facile concipiunt inuidiam, Iuris perito Iuriſperitus, candidato candidatus inuidet. Ex eo conciliat inuidiam Hortenſio Tull. ob authoritatem, & opinionem, quam

præ

Digitized by Google

præripere ſibi non facilè patiebatur. diuinat. in Verr.num.33. *Res omnis mihi tecum erit, Hortenſi. dicam apertè, ſi te mecum dicendo, ac diluendis criminibus in hac cauſa cōtendere putarē; quoque in accuſando atque in explicandis criminibus operā conſumerē. Nūc quoniā pugnare contra me inſtituiſti, non tàm ex tua natura, quàm iſtius temporis & cauſa malitiosè, neceſſe eſt iſtiuſmodi orationi aliquo conſilio obſiſtere.*

Et paucis interiectis, num 5. *nunc verò quoniā hac te omnis dominatio, Regnumque iudiciorum tantopere delectat, & ſunt homines, quos, libidinis infamiaque ſua, neque pudeat neque tædeat: qui quaſi de induſtria in odium offenſionemq́; pop. Rom. irruere videantur: hoc me profiteor ſuſcepiſſe, magnū fortaſſe onus, & mihi periculoſum, veruntamen dignum, in quo omnes neruos ætatis, induſtriæque meæ contenderem.*

V. Vita nocens.

Alienam inuidiā excidas, ſi alienæ laudis æmulum dixeris, ambitioſum, multa molientem, nocentem tùm Auditorum, tùm aliorum gloriæ, dedecus etiā ex aliena fortuna quærere monueris. Magnus in hoc Cic. pro Cœlio vbi ſingulare prorſus odium & inuidiam inflammat. in Clodium buſtum Reip. & infamem mulierculam, cuius interceſſione fuerat abſolutus homo impurus, n.78. *Quare oro, obteſtorq́; vos Iud, vt quâ in ciuitate, paucis his diebus Sex. Clodius abſolutus ſit quem vos per biennium, aut miniſtrum ſeditionis, aut ducem vidiſtis: qui ædes ſacras, qui cenſum populi Rom. qui memoriam publicam ſuis manibus incēdit hominem ſine re, ſine fide ſine ſpe, ſine ſede, ſine fortunis, ore, linguā, manu, vita omni, inquinatum: qui Catuli monumentum afflixit, meam domum diruit mei fratris incendit: qui in Palatio atque in vrbis oculis, ſeruitia ad cædem, & inflammandam vrbem incitauit; in ea ciuitate ne patiamini illum abſolutum muliebri gratia M. Cœlium libidini muliebri condonatum: ne eadem mulier cum ſuo coniuge, & frater turpiſſimum latronem eripuiſſe, & honeſtiſſimum adoleſcentem oppreſſiſſe videatur,*

Maximè conciliabitur Inuidia ſi Auditoribus laudis imprimas ſtudium, & ardorem gloriæ retinendæ, ſi proponas antiqua familiæ decora, & ipſius proprias virtutes, vulgique honorificam de eo mentionem; ſi exaggeres populi voluntatem in illum & propenſionem, ſi deſcribas multitudinis voces & præconia, modò tamen laus illa ſuperari facilè poſſit, & immediti; quas inuidiæ faces concepit Saülus auditis laudibus Dauidis? ſcilicet gloriam illius obſcurare videbatur.

Proderit noſſe mores eorum, in quibus inuidiæ faces excitare volueris. Pares loco vel gente facilè concipiunt, Germani, Itali: Cognatione, Cornelij, Fabij, Scipiones: Ætate, Senes, Viri, Iuuenes: Scientia, Iuriſperiti, Poëtæ, Philoſophi: Dignitate, belli Duces, Senatores, Prætores: Fortunis, Diuites, Potentes. Apparentes ſapientiæ, qui tamen vera ſapientia carent; metuunt enim facilè, ne ſibi depereat illa laus, & opinio ſapientiæ. Qui puſillo ſunt animo; nam omnia quæ parua ſunt etiam magna ducunt, aut ſe à ſuperioribus ſuperatos, aut ab inferioribus paribuſque vincendos arbitrantur, ſic opifices, fœminæ, ruſtici ſolent inuidere; contra qui ſunt ita comparati, vt alios ſemper infra ſe putent, vel propter veram magnitudinem, vel ſui opinionem, inuidere non poſſunt.

LECTIO XLI.

Sedatur Inuidia.

REprimitur contrariis omninò capitibus peruagatum hoc, & commune malum, ſi bonum minuas, cui inuidetur, ſi merita eius expendas, qui potitur aliqua dignitate. Si nulli factam iniuriam demonſtres, ſi fortunæ bonis, & honoribus illum honeſtè atque moderatè vti doceas. Qua de re ſic erudirè Cic 2. de Orat. 210. *Ad ſedādam autem inuidiam, magno illa labore, magnis periculis eſſe parta, nec ad ſuum commodum, ſed ad aliorum eſſe collata, ſeſéque, ſi quam gloriam peperiſſe videatur, tametſi ea non ſit iniqua merces periculis, tamen ea non delectari, totamque abiicere, atque deponere, omninóque perficiendum eſt; vt hac opinio minuatur, & illa excellens opinione fortunâ cum laboribus, & miſeriis permiſta eſſe videatur.*

I. *Vſus.*

Sedandæ igitur; ac tollendæ innidiæ rationes apetit I. in finis atque vſus notatione pro Sylla, cum ſic Inuidiam in ſe concitatam ſedat, vt oſtendat non ſuis, ſed aliorum commodis illa inſeruiſſe, quæ inuidiam excitare ſunt viſa num. 26. *Ego tantis à me beneficiis in Rep. poſitis, ſi nullum aliud mihi præmium à Senatu populoque Rom. niſi honeſtũ otium poſtularem, quis non concederet? ſibi haberet̃ honores, ſibi imperia, ſibi prouincias, ſibi triumphos, ſibi alia præclara laudis inſignia: mihi liceret eius vrbis, quam conſeruaſſem, cõſpectu, tranquillo animo, & quieto frui? Quod ſi hoc non poſtulo; ſi ille labor meus priſtinus eſt, ſi ſollicitudo, ſi officia, ſi opera, ſi vigiliæ deſeruiunt amicis, præſto ſunt omnibus ſi neque amici in foro requirunt ſtudium meum, neque Reſp. in Curia; ſi me non modò rerum geſtarum vacatio, ſed neque honoris, neque ætatis excuſatio vindicat à labore; ſi voluntas mea, ſi induſtria, ſi domus, ſi animus, ſi aures patent omnibus; ſi mihi, ne ad ea quidem, quæ pro ſalute omnium geſſi, recordanda & cogitãda quicquam relinquitur temporis, tamen hoc regnum appellabitur; cuius vicarius qui velit eſſe, inueniri nemo poteſt.*

Pro Milone verò vi ſua dicendi tollit, quòd de potẽtia, & auctoritate obeiiciebatur, eo conſilio, vt in inuidiam adduceretur, quaſi potẽtior eſſet, quàm ciuem eſſe in libera ciuitate conueniret, negat potentiam appellandam, ſed gratiam, & eam non mediocrem, & officioſis laboribus partam. num. 12 *Declarant ambuſti Tribuni pleb. illæ intermortuæ conciones, quibus quotidie meam potentiam inuidioſè criminabatur, cum diceret Senatum, non quod ſentiret, ſed quod ego vellem, decernere. Quæ quidem ſi potentia eſt appellanda potius, quàm propter magna in Remp. merita, mediocris in bonis cauſis auctoritas, aut propter officioſos labores meos nonnulla apud bonos gratia, appelletur ita ſanè, dummodo ea nos vtamur pro ſalute bonorum, contra amentiam perditorum.*

II, *Parta laboribus ac debita virtuti gloria.*

Proderit oſtendere gloriam, quam nouus aut peregrinus aliquis conſequutus eſt, partam eſſe laboribus, vt facit Tull. pro Sylla, vbi per cauſam efficientem, quod de peregrinitate à Torquato, per inuidiã obiiciebatur, magno ardore animi, & contentione deleuit, & auctoritatem & gratiã quâ valet, partam eſſe laboribus, ac ſuæ in patriam charitati debitam. num. 24. *At ſi tibi peregrini videmur, quorum iam & nomen & honos inueterauit, & huic vrbi. & hominum famæ, ac ſermonibus; quàm tibi illos competitores tuos peregrinos videri neceſſe erit, qui iam ex tota Italia delecti, tecũ de honore, & de omni dignitate contendunt? quorum caue ne quemquam peregrinum appelles, ne peregrinorum ſuffragiis obruare: qui ſi attulerint neruos, & induſtriam mihi crede, excutient tibi iſtam verborũ iactationem & te ex ſomno ſæpè excitabunt; nec patientur ſe abs te, niſi virtutete vincemur, honore ſuperari.*

Idem premit Liuius lib. 6. Vbi Manl. Capitolinus inuidiam inſe conflatam, & ſuſpicionem affectati Regni, ob plebis fauorẽ, cauſæ ſignificatione tollit. *Offendit te A. Cornel. voſque P.C. circumfuſa turba lateri meo? quin eam diducitis à me ſinguli veſtris beneficiis; intercedendo, eximendo de neruo ciues veſtros, prohibendo iudicatos, addictosq; duci, ex eo, quod afflnit opibus veſtris ſuſtinendo neceſſitates aliorum: ſed quid ego vos, de veſtro inpendatis, hortor? ſortem aliam ferte de capite deducite, quod vſuris pernumeratum eſt: tam nihilo mea turba, quàm vllius conſpectior erit. Etenim quid ita ſolus ego ciuium curam ago? nihilo magis quod reſpondeam habeo, quàm ſi quæras, quid ita ſolus Capitoliũ arcemque ſeruauerim: & tum vniuerſis, quàm potui opem tuli, & nunc ſingulis feram.*

III. *Permiſta laboribus ac miſeriis fortuna.*

Valet ad ſedandam inuidiam comparatio bonorum & malorum, miſeriarum ac periculorum commemoratio. Quod pro Mur. facit Cic. dùm eius Conſulatum nullam inuidiam excitare debere dicit, eo quod miſerias, & moleſtias plurimas adiunctas habeat num. 87. *Miſericordiam ſpoliatio Conſulatus magnã habere debet: vnà enim eripiuntur cum Conſulatu omnia. Inuidia verò his temporibus habere Conſulatus ipſe illã poteſt.*

Obiici

Digitized by Google

Obiicitur enim concionibus ſeditioſorum, inſidiis coniurationem, telis Catilinæ, ad omne denique periculũ atque ad omnem inuidiam ſolus opponitur. Quare quid inuidendum Murenæ, aut cuiquam noſtrum ſit in hoc præclaro Conſulatu non video Iud. quæ verò miſeranda ſunt, ea, & mihi ante oculos verſantur, & vos videre, & perſpicere poteſtis.

Diligenter hoc idem perſequitur pro Sylla, & gratiam hominum laboribus, ac moleſtiis permiſtam docet. n. 29. *Quòd illis meis præſidiis fortè vides, & ſi tibi ea regia videntur, quod omnes boni omnium generum; atque ordinum, ſuam ſalutem cum mea coniungunt: conſolare te, quod omnium mentes improborum mihi vni maximè ſunt infenſæ & aduerſæ: qui me non ſolùm idcirco oderunt, quod eorum conatus impios, & furorẽ conſceleratum repreſſi: ſed eò etiam magis, quod nihil iam ſe ſimile, me viuo, conari poſſe arbitrantur.*

IV. Virtuti contraria.

Sedaueris inuidiam, ſi doceas ingentis eſſe animi, magnáque ſpectantis aliorum virtuti non inuidere, nec felicitati, Quam rem eleganter exprimit Cic. Brutus in l. de Claris Orator. de ipſo Cic. & Sulpitio verba faciens. n. 156. *Simul illud gaudeo, quòd & æqualitas veſtra, & pares honorum gradus, & artium ſtudiorumque finitima vicinitas tantum abeſt ab obtrectatione inuidiæ, quæ ſolet lacerare pleroſq;, vti ea non modò non exulcerare veſtram gratiam, ſed etiam conciliare videatur.*

V. Animi magnitudini aduerſa.

Ad ſedandam inuidiam Plinius Iunior vnus omnium æui ſui bene-dicendi laude celebratus, hoc effatum in epiſt. conſignatum eſſe voluit. 17. l. 6 *Diſertus ipſe es? tanto magis ne inuideris: nam qui inuidet, minor eſt, Denique ſiue plus, ſiue minus, ſiue id præſtas, lauda vel inferiorem, vel ſuperiorem, vel parem; ſuperiorem, quia niſi laudandus ille eſt, non poteſt ipſe laudari; inferiorem, aut parem quia pertinet ad tuam, quàm maximum videri, quem præcedis, quem æquas.*

Hinc meliorem eius eſſe conditionem, cui inuidetur, ait in Trinu. Plautus Sc. 3. quàm eius qui inuidet.

Magis velim mihi inimicos inuidere, quàm me inimicis meis.

Nam inuidere alii benè eſſe, tibi malè eſſe, miſerta eſt. Qui inuident, egent, illi, quibus inuidetur, rem habent.

Imò vel ipſa improbitate deteriorem inuidiam pulchrè probat Ambroſ. 2. de Off. c. ult. *Filij fugite improbos, cauete inuidos: Inter improbum & inuidum hoc intereſt: improbus ſuo delectatur bono; inuidus torquetur alieno: ille diligit mala, hic bona odit: vt propè tolerabilior ſit, qui ſibi vult benè, quàm qui malè omnibus.*

VI. Damna.

Expugnaueris inuidiam, ſi, quæ illam mala comitentur, aperueris. Partim lædit illos, in quos intenditur, grauius tamen, & pernicioſius eos, à quibus procedit, affligit. Imò, hanc qui receperit, ſua ſuſtinet ſine fine ſupplicia? quia in ſe domeſticum ſemper diligit habere tortorem.

Ad huius odium, & fugam benè Chryſologus Ser. 172. *Omnia quidem vitia ad ſuorum ſemper intendunt, & proſiliunt læſionem, ſed ſuos ſemper amplius inuidia conſumit: Inuidia ſuorum carnifex ſemper extitit; extendit ſenſus, torquet animos, diſcruciat mentes, corda corrumpit. Quis tibi malorum finis, vbi alteriusbonum pœna eſt, vbi cruciatus eſt aliena felicitas? malum multiplex: quot ſunt proſperitates hominum, tot tormenta ſunt inuidorum.*

Adde laudem hominum eſſe inanem, non eam eſſe de æmulo & aduerſario commendationem, imò verò eſſe illius multa, vel ſcelera, vel imprudenter acta; demum afferuntur rumores paſſim in vulgus ſparſi.

LECTIO XLII.

Deſcribitur Inuidia.

TAm cuique ſunt huius affectus obuii charactereſ, & effecta, quàm eſt ipſa communis Inuidia. Nemo clarius illam Ouidio deſcripſit Met. 2. Fab. 12. Nam vbi funeſtam eius domum exſtruxit, ſubiungit iſta.

Digitized by Google

— Videt intus edentem
Vipereas carnes,vitiorum alimenta ſuorum,
Inuidiam:Viſaque oculos auertit,ac illa
Surgit humo pigrè ſemeſarúmque relinquit
Corpora ſerpentum,paſſúque incedit inerti.
Vtq; Deam vidit,formamq; armiſq; decoram
Ingemuit,vultumq; Dea ſuſpiria duxit.
Pallor in ore ſedet,macies in corpore toto:
Nuſquam recta acies:liuent rubigine dentes:
Pectora felle virent:lingua eſt ſuffuſa veneno,
Riſus abeſt niſi quem viſi mouêre dolores:
Nec fruitur ſomno vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos,intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum,carpitq;,& carpitur vnâ
Suppliciumq;ſuum eſt.

Talia ferè ſunt illa quæ habentur in carmine de liuore apud Scaligerum in appendice Virg.

Liuor tabificum malis venenum,
Intactis vorat oſſibus medullas,
Et totum bibit artibus cruorem,
Teſtatur gemitu graues dolores,
Suſpirat,fremit,incutitq; dentes,
Sudat frigidus intuens quod odit,
Effundit mala lingua virus atrum,
Pallor terribilis genas colorat,
Infelix macies renudat oſſa.
Non lux,non cibus eſt ſuauis illi,
Nec potus iurat,aut ſapor Lyæi,
Nec ſi pocula Iuppiter propinet,
Aut tradit Ganymedes ipſe nectar.

Inuidiæ notas ponit ob oculos Martialis,de quibus ipſe gloriatur,ratus virtuti ſuæ comitem habere inuidiam,proindè commendatione dignum aliquid in ſe deprehendi ab inuidis.l.6.

Laudat,amat,cantat noſtros mea Roma libellos,
Méque ſinus omnis,me manus omnis habet,
Ecce rubet quidam,pallet,ſtupet,oſcitat,odit,
Hoc volo:nunc nobis carmina noſtra placent.

PVNCTVM I.

Inuidia Tinea.

INuidia quidem vitium eſt peſtilens,ſed vel ex hoc capite juſtum , quod in artificem , & parentem ſuum ſæuiat,eíque tormentum fiat, interioráque ſua teredinis inſtar , aut tineæ depaſcatur,hinc illud Neoterici cuiuſdam.

Iuſtius inuidia nihil eſt,quæ protinus ipſum
Auctorem rodit,diſcruciatq; animum.

Pulchre Valerianus in hanc rem Hom.13. *Felicem planè illum judico,cuius glorioſam vitam toruis oculis alter aſpexit. Nam ſatis bono loco eſt illius cauſa,qui aliena laborat inuidia: quia non licet homo niſi melioribus,nec inuidiæ ſubjacet , niſi quem ad celſiora,melior vitæ profectus euexerit.Illos verò pluſquam miſeros puto, quos lucra alienæ felicitatis exagitant , & iracundia , impia æmulatione concepta,occultis cordis jaculis inquietat.Benè iſtos ſua tela puniunt.Vt videatur mihi ipſa inuidia aliquid habere diſcretionis, cùm auctoris ſui cor repercutit;& malè conſcium pectus,cruento ſemper liuore conſumit.*

II. *Carnifex.*

Quàm turpe,quàm pernicioſum,& homine libero ſit indignum,peſtem hanc fouere in animo ſubijcit egregié,vt omnia,S.Cyprianus de Liuore. Vbi docet nihil mortalium animis inuidiæ perturbatione pernicioſius contingere,quod ipſi maximè noceat auctori , aliis verò quàm minimum. *Qualis eſt animæ tinea,quæ cogitationum tabes,pectoris quāta rubigo.Zelare in altero,vel virtutem eius,vel felicitatem:id eſt odiſſe in eo,vel merita propria , vel beneficia diuina ; in malum proprium bona alienâ conuertere,illuſtrium proſperitate torqueri;aliorum gloriam facere ſuam pœnam,velut quoſdam pectori ſuo admouere carnifices;cogitationibus,& ſenſibus ſuis adhibere tortores,qui ſe inteſtinis cruciatibus lacerent;qui cordis ſecreta maleuolentiæ vngulis pulſent.Nō cibus talibus lætus,non potus poteſt eſſe iucundus.Suſpiratur ſemper,& ingemiſcitur,& doletur ; quantóque ille cui inuidetur ſucceſſu meliore profecerit , tantò inuidus in majus incendium,liuoris ignibus inardeſcit. Hinc vultus minax,toruus aſpectus,pallor in facie , in labiis tremor,ſtridor in dentibus,verba rabida,effrænata conuicia , manus ad cædis violentiam promptæ, etiamſi à gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata.*

III. Vipera.

Naſcitur abrupto matris vtero Vipera, ſed & inuidia concipientem ſe animum exedit, corrodit, lacerat. Nam cùm Inuidia ſit res ſeruilis & abiecta, quæ pote potiora judicet alterius bona, quàm ſua, nec vlli videri velit inuidere, ſimulat gaudium, ſecum tacitè rumpitur, coràm hilaritatem prætert, intùs verò ab inuidiæ malo perditur. Ita Greg. Orat. 7. Vbi per effectus Inuidiæ conglobatos, nullas huic affectui tàm tetro cauſas obtendi poſſe demonſtrat. *At quænam morbi cauſa eſt? quod frater nimirum, vel propinquus, vel vicinus in animi tranquillitate viuit. O nouas iniurias! crimini dare quod non aduerſa fortuna conflictetur ille, cuius rebus ſecundis dolet; non ex eo quod ab illo acceperit aliquid incommodi, iniuriam æſtimans; ſed quòd ille ſine cuiuſquam iniuria ex animi ſui ſententia viuat, & in rebus ſecundis verſetur. Quid paſſus es infelix? quæ accepta iniuria extabeſcis, acerbis oculis, ſucceſſus proſperos inuidens vicini? quid habes quod de eo conquerraris, quod crimini des, ſi ille corpore decorus; ſi eloquentia ornatus; ſi genere ſuperior eſt; ſi aliquo magiſtratu inito ſplendidus ac magnificus in dignitate conſpicitur; ſi aliqua ei pecuniarum copia acceſſit, ſiu propter prudentiam in verbis eius auctoritas ineſt; ſi propter beneficium à multitudine obſeruatur; ſi ob liberos ſibi placet; ſi ex redditibus atque prouentibus domus, ſplendidè atque magnificè viuendo clareſcit? Cur hæc tibi tanquam telorum cuſpides in cor incidunt; complodis palmas, digitos complicas, cogitationibus angeris, ex intimis præcordiis, doloris ſignificantia ducis ſuſpiria, injucundus tibi redditum, atque prouentuum fructus, acerba menſa, focus ſubtriſtis paratæ ac faciles aures obtrectantibus ei qui ſecunda fortuna vtatur? quòd ſi aliquid dexteri aut fauſti dicatur, clauſæ ſermoni ſunt aures.*

En vipera cor miſerum exedens? en morbus præ pudore quidem latens & occultus, ſed qui tandem erumpat. Nam ſi qua calamitas eum, cui inuidetur, innaſerit, tunc illius dolorem voluptate atque lætitia excipiens, morbum prodit & virus.

Sed ad inuidiam redit & illam velo ſimulationis obtectam, longè pejorem eſſe odio demonſtrat. *Et cùm ita animatus ſis, cur ſimulatione morbum obuoluis? quomodo amicitiæ perſona per fictam beneuolentiam in te formatur? cur fauſtis appellationibus excipis, ſaluere ac valere iubens, contraria in animo clàm imprecans?*

IV. Crocodilus.

Vnum expectat mali ſolatium, ſi quem eorum, cui inuidet ex alto dignitatis gradu præcipitem datum aduerterit. Hic odii terminus ait Baſilius, eum, cui inuidetur videre miſerum, ex beato, miſerabilem, qui fuerat inuidendus. Tunc fœdus & amicitiam init, cum lacrymantem eum & lamentantem viderit. Et gaudenti quidem non congaudet, cum lugente luget, & vitæ mutationem, ex quibus in quæ deciderit, miſeratur.

V. Virtutis inimica.

Quæ vel in hoſte poſita delectat virtus, habet aduerſariam Inuidiam, ſic in defenſione Balbi Cic. dicit inuidi proprium odiſſe ingenium, inimicum eſſe induſtriæ, humanitatem opprimere, virtutem puniendam putare. num. 17. *Si quo quiſque loco noſtrum eſt naſcendi initio conſtitutus, hunc vitæ ſtatum vſque ad ſenectutem obtinere debet, & ſi omnes, quos, aut fortuna extulit, aut ipſorum illuſtrauit labor, & induſtria pœna ſunt afficiendi: non grauior L. Cornelio, quàm multis viris bonis atque fortibus, conſtitui lex vitæ, & conditio videtur. Sin autem multorum virtus, ingenium, humanitas, ex infimo genere & fortunæ gradu, non modò amicitias, & rei familiaris copias conſequuta eſt, ſed ſummam laudem; honores, gloriam dignitatem: non intelligo cur potius inuidia violatura virtutem* L. Cornelii, *quàm æquitas veſtra pudorem eius adjutura videatur. Itaque quod maximè petendum eſt à vobis, idcirco non peto, ne de veſtra ſapientia dubitare videar. Eſt autem petendum, ne oderis ingenium, ne inimici ſitis induſtriæ, ne humanitatem opprimendam, ne virtutem puniendam putetis. Illud, vt ſi cauſam ipſam per ſe firmam eſſe, & ſtabilem videritis, hominis ipſius ornamenta adiumento cauſæ potius, quàm impedimento eſſe maiuis.*

Eleganter & piè Zeno Veron. de inuidis. Nullum virtutis opus apud illos habetur in laude; non ſermo ullus honeſtus eis videtur, aut gratus. Nihil apud eos nobile, nihil clarum probabitur: ſed ſicut vultures amœna loca, pratáque ſuauiſſimis odoribus ſpirantia tranſuolant: ad fœtida verò cadauera, tetriſque repleta nidoribus loca conuolant; pariter inuidi, ſi quid ab aliquo boni geſtum eſt in vita, ſi quid præclarum in actibus, in verbis probabile, in moribus admirandum eſt, nihil prorſus vident. Si quid autem culpabiliter geſtum, aut incauto ſermone prolatum, hoc in publicum ventilant.

In hanc indignatur Chryſoſt. & cæcam, cæcos homines, quos ſemel complexa fuerit, efficere dolet, dùm in has voces juſti doloris indices erumpit *O qualiter oculos claudit liuor! quantum iudicium cordis nequitia præiudicata confundit! ô quàm durè amputat obſtinatio rationem! ſenſus humanus peruerſus audire non poteſt, quod ſemel ſtatuit odiſſe, malis bonitas exoſa, iuſtitia iniuſtis inimica. Hinc eſt quod homines mendaces cognoſcere nequeunt veritatem, iudex animus inuenire verum non poteſt, inter nuntia falſitatum. Quod vult, non quod eſt, audit ſemper, qui decreuit errare.*

VI. *Ventoſa iactantia.*

Inuidus oſtentat ſe magnificè, virtutiſque ſuæ præco nobilis, alios facilè contemnit, is eſt Ajax. Met. 13. cum Vlyſſe de gloria, rebuſque geſtis contendente.

—— Quantumq́; ego Marte feroci,
Inq́; acie valeo, tantùm valet ipſe loquendo:
Nec memoranda tamen vobis mea facta Pelaſgi
Eſſe reor, vidiſtis enim, ſua narret Vlyſſes
Quæ ſine teſte gerit, quorum nox conſcia ſola eſt.
Præmia magna peti fateor. Sed demit honorem
Æmulus Aiaci.

Tùm quâ poteſt animi, vociſque contentione riualem ſuum deprimit, quem in periculis timidum, & inertem ſeruaſſe ſe profitetur ad oſtentationem glorioſam potius, quàm ad veritatem ſolidam fictis ſermonibus.

Conclamat ſocios adſum; videòque trementem,
Pallentemque metu, & trepidantem morte futura
Oppoſui molem Clypei, texique iacentem
Seruáuique animum, minimum eſt hoc laudis, inertem.
Ipſe nitor galeæ claro radiantis ab auro
Inſidias prodet, manifeſtabitque latentem,
Sed neque Dulychius ſub Achillis caſſide vertex
Pondera tanta feret.

VII. *Veterum commendatrix.*

Tantùm noua deprimit, & eleuat, quantùm vetera commendat, & extollit; quoniam quidem in vicino verſatur inuidia, longè poſita miramur: quis enim cum remotis certamen honoris habeat, quis porrò mortuis temotior, præſertim ſi pridèm obierint, tantùm inuidemus iis, quos vicinos habemus, vndè non mirum ſi veteres laudet, nouos contemnat.

Paſcitur in viuis liuor, poſt fata quieſcit
Tunc ſuus ex merito quemq́; tuetur honor.

Benè Martial. inuidiorum mores pingit lib. 5. ep. 10.

Hi ſunt inuidiæ nimirum Regule mores
Præferat antiquos ſemper vt illa nouis.

Sale perpluit feſtiuè ſatis Vacerram inuidium idem Mart. qui de mortuis rectè, quòd ſine inuidia judicaret, non ita de viuis, quibus inuidetet. l. 4. ep. 69.

Miraris veteres Vacerra ſolos,
Nec laudas niſi mortuos Poëtas.
Ignoſcas petimus Vacerra: tanti
Non eſt vt placeam tibi perire.

VIII. *Superioris impatiens.*

Inuidia timida ſemper, & querula; nam veretur ne ſi quis honorem conſequatur, gloriam ſuam ille ſplendore ſuo obſcuret. Ita Metellus Mario petenti conſulatum inuidebat, quia ex Marij gloria ſuam laudem imminutam iri arbitrabatur; non alias belli ciuilis cauſas Cæſarem inter ac Pompeium reddit Lucanus, præter Inuidentiam. 1. Pharſal.

—— Stimulos dedit æmula virtus
Tu noua ne veteres obſcurent acta triumphos
Magne times, te iam ſeries, vſuſq́; laborum

Erigit.

Digitized by Google

Erigit, impatienſq; loci fortuna ſecundi,
Nec quemquam iam ferre poteſt, Cæſar.è priorem,
Pompeiuſque parem.

Eandem inuidentiam inſinuat Cæſar de Pompejo minus honorificè loquutus, apud eundem Lucan. 1. lib. Pharſal.

Ille reget currus nondum patientibus annis?
Ille ſemel raptos nunquam dimittet honores?
Quem tandem inueniet tàm longa potentia finem?
Quis ſcelerum modus eſt? ex hoc iam te improbe regno,
Ille tuus ſaltem doceat diſcedere Sylla.

IX. Alienæ felicitatis inimica.

Vel ex hoc inuidiæ fœditatē colligere quiuis poteſt, quòd ſit fœtus animi gloriæ ſplendorem in alio fugientis, & nimiūm ſuſpiciētis res illas, quas videt in aliis, quibus inuidet, eminere, vndè veteres fortunam cum inuidia colligatam fingebant, ex Statio Sylu. 5.

Quiſnam implacata conſanguinitate ligauit
Fortunam, inuidiamq; Deus? quis iuſſit iniquas
Æternùm bellare Deas? nullàm ne notabit
Illa domum, toruo quam non hæc lumine figat
Protinus, & ſæua perturbet gaudia dextra?

Quod mox à ſimilium frequentatione declarat.

—— Sic plena maligno
Afflantur vineta Noto: ſic alta ſeneſcit
Imbre ſegei nimio: rapida ſic obuia puppi
Inuidet, & velis obnubilat aura ſecundis.

X. Cædis parens.

In odium & vltionē inflammantur malorum radix inuidia. Nam zelo ſenſus noſtros cœcante, atque in ditionem ſuam mentis arcana redigente, Dei timor ſpernitur; judicii dies non prouidetur. Inſtat ſuperbia, exarcebat ſæuitia, perfidia præuaricatur, impatientia concurit, furit diſcordia, ferueſcit ira, nec jam ſe cohibere poteſt, vel regere, qui factus eſt poteſtatis alienæ, Hinc rebellat de zelo ſuperbus, de æmulatione peruerſus, non hominis, ſed honoris inimicus. Cælum reſtat & ibi facit ex Angelo Diabolum: Terras vrit, quæ Paradiſi nobis amœna flammeo cuſtode ſecluſit. Reges vrget, quæ compulit Herodem in coæuos Chriſti ſic deſæuire, vt ante lac, quàm ſanguis teneris funderetur ex membris. Violat charitatem, nam hæc Caïn reddidit fratricidam; & terram adhuc innocuam, noui ſanguinis cruore perfudit. Vaſtat populos, quæ judæos fecit eſſe Deicidas.

Malis omnibus pejor: quos ceperit, liberari nequeunt: quos vulnerauit, ad curam non veniunt, non redeunt ad ſalutem; peccatorum mater, & origo vitiorum: hanc qui non viderit, bona videt: hanc qui neſcierit, mala neſcit: hanc qui fugerit, viuit. Inuidia vitari fugâ poteſt, non poteſt ſuperari conflictu; ergo fugiamus rem, quæ quia turpis & iniqua eſt, occultari ſolet æmulationis nomine.

DE ÆMVLATIONE.

QVANTVM abſit ab Inuidia motus hic, quem æmulationem dicimus, docet illa Philoſtrati ad Iulianum epiſtola: Inuidia malitioſos, ac peruerſos animos nutrit, qui tantum diuites ſunt aliorum iacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus: æmulatio verò ſplendidos excitat, & virtutibus, rebuſque benè geſtis alitur, creſcit ad veræ laudis & gloriæ radios, & aliorum triumphis roboratur: Inuidet quiſpiam his, quæ ipſe conſequi non poteſt: quibus verò redditur melior, hæc æmulatur. Contentionem appellat Heſiodus hominibus vtilem. Qui licèt affectus locum habeat in conſultationibus, cum Auditores monentur, vt majorum veſtigiis inſiſtant, conducat etiam judiciis, cùm vel ad ſeueritatem, vel miſericordiam inflammandi ſunt judices: plerumque tamen in demonſtratiuo genere dominatur, quod in hoc virtutes laudentur, eo conſilio, vt eaſdem adoleſcentes æmulari ſtudeant, & imitatione proximè aſſequantur.

Definitur autem ſuſceptus ex aliena ſorte bonâ dolor, non quòd id alteri contigerit, ſed quòd illa nos careamus. Magnus Alexander proficiſcens in Aſiā, cùm in Achillis tumulū incidiſſet,

ejuſque recordaretur felicitatem,qui præconem laudum ſuarum nactus eſſet Homerum,ingemiſcens grauiter,ô fortunatum qui Homerum gloriæ tuæ buccinatorem inueneris?

Satis conſtat ad bonos mores hunc affectum pertinere,vtpote,qui non tàm doleat de aliena abũdantia,quàm de ſua penuria;æmulator enim. ſibi propoſita aliena felicitate, ad ſimilem ſeſe fortunam, aut gloriam, ſi quo modo conſequi poteſt,excitat,ſuamque ignauiam damnat.

Ex Cic. Tuſc. 4.num.17. colligimus duplicem æmulationis ſpeciem;malam de qua Plin. inTrajaniPanegyr.ſic ait, *Nihil eſt tâm pronum ad ſimultates,quàm æmulatio,in fœminis præſertim: ea porrò naſcitur ex coniunctione,alitur æqualitate,ardeſcit inuidia,cuius finis odium eſt.*

Alteram bonam,quæ virtutis eſt imitatio, non Inuidentia; nam hæc dolet, ad bona proximi, quibus ſi qua ratione poſſet,illum ſpoliaret; illa talis fieri deſiderat,qualis eſt is,quem æmulatur. Hoc iterum diſcrimen notauit in præfatioue Bruti,cùm mortem Hortenſii lamentatur, nullamque inter ſe,& illum inuidiam fuiſſe profitetur,ſed tantùm honeſtam æmulationem,num.3. *Quo tandem animo ejus interitum ferre debui,cum quo certare erat glorioſius,quàm omninò aduerſarium non habere?cùm præſertim non modò nunquam ſit, aut illius à me curſus impeditus,aut ab illo meus:ſed contrà ſemper alterab altero adjutus,& communicãdo,& monendo,& fauendo,*

LECTIO XLIII.

Concitatur Æmulatio.

AD æmulandum propenſi ſunt magnanimi duces,& qui de ſe honorificè ſentiunt:laudem enim illi quàm-maximè concupiſcunt,quorum ex numero præcipuè ſunt juuenes, quibus propter ſpem periculi ſuperandi cujuſſiber,nihil videtur arduum, idcircò Pallantem excitat ad laudem Æneas.

——Tua cernere facta
Aſſueſcat primis,& te miretur ab annis.

PVNCTVM I.

Æmulationis Incentiua. Majorum virtus.

ÆMulationis efficax eſt incentiuum majorum,& parentum virtutes & egregia facinora:hi ſunt ſtimuli,quibus M. Glabrionem ad conſtantiam,& fortitudinem excitat Cicero; recordatione videlicet, ac domeſticæ laudis æmulatione, diuinat. in Verrem num:52. *Cogita quo loco ſis,quid dare populo Rom.quid reddere majoribus tuis debeas,fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mẽtem, qua lege pop.Rom.de pecuniis repetundis, optimis judiciis, ſe veriſſimiſq; judicibus vſus eſt. Circumſtant te ſummæ auctoritates,quæ te obliuiſci laudis domeſticæ nonſinant, quæ te noctes dieſq; commoneant,fortiſſimum tibi patrem,ſapientiſſimum auum, grauiſſimum ſocerum fuiſſe. Quare ſi Glabrionis patris vim,& acrimoniam ceperis ad reſiſtendum hominibus audaciſſimis;ſi aui Scæuolæ prudentiam,ad proſpiciendas inſidias, quæ tuæ atque horum famæ comparantur; ſi ſoceri Scauri conſtantiam, ut ne quis te de vera, & certa ſententia poſſit dimouere: intelliget populus Rom.integerrimo,atque honeſtiſſimo Prætore,delectóq; conſilio,nocenti reo magnitudinem pecuniæ plus habuiſſe momenti ad ſuſpicionem criminis, quàm ad rationem ſalutis.*

Vt ſolidam ſectetur gloriam Antonius adducit exemplum domeſticum Tull.quod ad patriæ charitatẽ imitetur; rurſumque Cæſaris exemplo.cujus virtutis eundem æmulũ deſiderat ab opptimẽda Reip.libertate deterret.1.Phil.n.34. *Vtinã Antoni auũ tuũ memineriſſes:de quo tamẽ multa audiſti ex me ſæpiſſimè! Putáſne illũ immortalitatẽ mereri voluiſſe,vt propter amorũ habẽdorũ licẽtiã metueretur? Illa erat vita,illa ſecũda fortuna, libertate eſſe parẽ cũ cæteris,principẽ dignitate. Quare flecte te quæſo,& majores tuos reſpice,atque ita guberna Remp. vt natum eſſe te ciues tui gaudeant: ſine quo nec beatus,nec clarus eſſe quiſquam poteſt.* Nimirũ æmulãtur ij quos vulgus ſẽſit dignos honoribus;nollẽt enim vulgi opinioni de ſecóceptæ non reſpondere.

Ex æmulatione maiorum ambitioſa mulier Tullia L.Tarquinium excitat ad regnum capeſſendum,

Digitized by Google

ſendum apud Liv. lib. 1. *Dii te penates, patriiq; & patris imago, & domus Regia, & in domo regale ſolium, & nomen Tarquinii creat, vocatq; Regem. Aut ſi ad hac parum eſt animi, quid fruſtraris ciuitatem? quia vt te regium iuuenem conſpici ſinis?*

II. Clarorum virorum egregia facinora.

Excitatur æmulatio propoſitis illuſtrium Heroum facinoribus, quibus nominis immotalitatem conſequuti ſunt. Nam ſimul atque videmus mortales poſſidere gloriam, diuitias, copias amicorum, magiſtratus & ſimilia, quæ probis conueniunt, ſtatim conamur nos ad eorum laudem excitare. Cum enim bona bonis viris debita poſſideant, ad bonorum mores fingere nos debemus, & accommodare: quare non rarò, qui parum morati prima ætate, poſtquàm in eos honores cooptati ſunt, & bonorum fortunæ facta participes, mutant mores in melius: Themiſtocles primum exhæredatus à patre, vt Remp. attigit flagi tioſam viuendi conſuetudinem emendauit. Indè Cic. Romanam juuentutem excitat ad virtutem eorum æmulatione, qui gloria factiſque ſuis floruerunt, pro Sextio à n. 136. *Vos adoleſcentes, & qui nobiles eſtis, ad maiorum veſtrorum imitationem excitabo, & qui ingenio, & virtute nobilitatem poteſtis conſequi, ad eam rationem, in qua multi homines noui, & honore, & gloria floruerunt cohortabor. Hac eſt vna via, mihi credite, & laudis, & dignitatis, & honoris; à bonis viris ſapientibus, & benè natura conſtitutis laudari, & diligi: noſſe deſcriptionem ciuitatis, à maioribus noſtris ſapientiſſimè conſtitutam.*

Phil. 8. æmulatione potius, quàm inuidia clarorum virorum induſtriam dignam eſſe contendit; n. 30. *Nam illud quidem non adducor vt credam, eſſe quoſdam, qui inuideant alicujus conſtantia, qui laboribus, qui ejus perpetuam in Republi adjuuanda voluntatem, & à Senatu, & à populo Romano probari moleſtè ferant. Omnes id quidem facere debebamus, eaque erat, non modò apud majeres noſtros, ſed etiam nuper ſumma laus Conſularium vigilare, cogitare, adeſſe animo, ſemper aliquid pro Rep. aut facere, aut dicere.*

III. Nominis decus, & ornamentum.

Quoniam non tantùm viri virtute præditi laudem, & honores adipiſcuntur, ſed etiam ij, qui multis ſunt vtiles, ac benefici; ideò virtutes proponendæ ſunt, ac bona quædam vtilia explicanda, quibus excitetur in animis æmulatio. Proponit illa Tull. pro Sext. vbi docet quæ bona æmulari debeamus, & cùm ait n. 102. *Hac imitamini per Deos Immort. qui laudem, qui dgnitatem, qui gloriam quæritis. Hæc ampla ſunt, hæc diuina, hæc immortalia, hæc famâ celebrantur, monumentis annalium mandantur, poſteritati propagantur. Eſt labor, non nego. Pericula multa fateor; multa inſidia ſunt bonis, veriſſimè dictum eſt.*

Eò ſtudioſius hæc æmulari debemus, quò pluribus vtiliora ſunt, quippe quæ majorẽ gloriam & laudem poſſeſſoribus ſuis acquirunt. Propones igitur ad imitandum ſapientiæ laude perfectos homines, fortudine præſtantes, bellica laude claros, & rebus diuinè geſtis nobiles. Horum meminit Tull. pro Mur. dum artes commendat quæ cæteris antecellunt, hoc eſt, Imperatoriam, & forenſem Eloquentiam. nu. 30. *Dua ſunt artes, qua poſſint locare homines in ampliſſimo gradu dignitatis, vna Imperatoris, altera Oratoris boni: ab hoc enim pacis ornamenta retinentur; ab illo belli pericula repelluntur.*

De re militari, poſt longam contentionem, rem inter vtrumque habitam ſic loquitur, n. 22. *Ac minimum (dicendum eſt enim quod ſentio) rei militaris virtus præſtat cæteris omnibus. Hac nomen pop. Rom. Huic vrbi æternam gloriam peperit: Hac orbem terrarum parere huic imperio coëgit, omnes vrbana res, omnia hac noſtra praclara ſtudia, & hac forenſis laus, & induſtria latent in tutela, ac præſidio bellica virtutis: ſimul atque increpuit ſuſpicio tumultus: artes illicò noſtra conticeſcunt.*

De Eloquentia verò ſic Orat, 1. n. 32. *Quid eſt enim aut tam admirabile quàm ex infinita multitudine hominum exiſtere vnum, qui id quod omnibus natura datũ ſit, vel ſolus, vel cum paucis facere poſſit aut tam jucundum cognitu, atque auditu, quàm ſapientibus ſententiis, grauibuſque verbis ornata*

Oratio,& perpolita? aut tàm potens,tamq́; magnificum,quàm populi motus,Iudicum religiones,Senatus grauitatem,vnius Oratione conuerti? quid tàm porrò Regium,tàm liberale,tàm munificum,quàm opem ferre ſupplicibus,excitare afflictos,dare ſalutem, liberare periculis:retinere homines in ciuitate ? quid autem tàm neceſſarium, quàm tenere ſemper arma, quibus vel tectus ipſe eſſe poſſit,vel prouocare improbos,vel te vlciſci laceſſitus?

Quæ quidem æmulationis motiua debent à parentibus ipſis deduci,vel majoribus, vel ciuitatibus, aut etiam nationibus. Nam vt teſtatur Cic.de Off. 1. *Quorum verò partes,aut maiores in aliqua gloria præſtiterunt,eorum pleraq; in hoc genere laudis ſtudent excellere.* Et pro Flacco,cùm de virtutis eius æmulatione loquitur,n. 27. *Quod maximè florere in generis ſui gloria viderat,laudem patriæ in libertatem vindicandæ Prætor adamarat.*

Qui ſunt eiuſdem ciuitatis, ſuos ciues potius æmulantur, quàm externos, vt apud Rom, & Gallos tot belli duces eximii propter æmulationem extiterunt.Nimirum illa bona jam propria, atque ſua exiſtimant,& ſe illis dignos conantur præſtare. Is eſt Cic. animus,dum per oſtentationem ſuis blanditur,& ait nationes reliquas pati poſſe ſeruitutem,populi verò Rom.propriam eſſe libertatem.

Illam maximè probo, quæ incendit virtutis imitandæ cupiditatem, ad quod negorium magnis,& ingentibus animis opus eſt.

Ite nunc fortes,vbi celſa magni
Ducit exempli via,cur inertes
Terga nudatis?ſuperata tellus
Sydera donat.

Monetur æmulatio facilè,ſi primùm inijcias hãc mentem illi, quem concitabis, vt arbitretur virum ſe magnum eſſe, multum poſſe,debere laudem ſuſcipere;inuitari à parentibus, à populis, ab amicis. Secundùm, oſtendendum eos quos imitari debeat bonis abundare illis, quæ laudabilia diximus.Tertiùm, laudem illam non eſſe mediocrem, ſed tamen facilè poſſe obtineri.

LECTIO XLIV.

Tollitur æmulatio

IVxta diuiſionem ſuperius allatam ex Tull. ſubdir iſta 4 Tuſc.nu.56 *Obtrectare verò alteri, aut illa vitioſa æmulatione,quæ riualitati ſimilis eſt,æmulari,quid habet vtilitatis,cùm ſit æmulantis,angi alieno bono, quod ipſe non habeat:Obtrectantis autem,angi alieno bono,quod id etiam alius habeat.*

PVNCTVM I.

Laudis contemptus.

SEdatur æmulatio, cùm inducitur quis ad laudis contemptum, vtpote rei volaticæ, & inanis ex vulgi errore in tribuenda laude, de qua Cic 2. Off.31.hæc habet *Summa igitur,& perfecta gloria conſtat ex tribus his,ſi diligit multitudo, ſi fidem habet, ſi cum admiratione quadam,honore nos dignos putat:* quàm ſolida laus & vera,quæ pendet ex multitudinis errantis arbitrio,judicióque.

II. Perſonarum contemptus.

Si qui nobis ad imitandum proponuntur, nihil habeant magnoperè cõmendatione dignum, moribuſque diſſimiles, & vita ſint alii ab eo, quod putabamus,facilè deſiderium æmulandi ponimus.Hinc Cic. 2.de Off. *Deſpiciunt eos, & contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi,nihil neruorum putant.* Non enim omnes eos contemnunt,de quibus malè exiſtimant. Nam quos improbos maledicos, fraudulentos putant, & ad faciendum injuriam inſtructos, eos haud contemnunt quidem, ſed de iis malè exiſtimant. Quamobrem vt ante dixi, contemnuntur ii,qui nec ſibi,nec alteri proſunt, vt dicitur, in quibus nullus labor,nulla induſtria,nulla cura eſt.

Vt igitur bonis,ac virtutibus ſuperiùs laudatis inſtructos æmulamur;ſic iiſdem carentes, aut etiam contrariis vitiis laborantes, & inquinatos deſpicimus,ſæpè contumeliis excipimus,alloquio etiam & conſuetudine noſtra judicamus indignos,quod facit in Vat.num.1.

Non

Non poſſunt bonorum æmulatores eſſe, quin iidem ſint etiam malorum contemptores. Nam qui rem aliquam ſuſcipit, atque miratur in alio: contrariam illi facilè deſpicit; nempe qui eruditorum hominum ſtudioſus eſt, imperitos plerumque negligit, quantò magis ſi nullum bonum in illis deprehendat, quod æmuletur. Facit ad hanc rem Oratio Numani tàm cõtumelioſa Troianis, quàm Italis glorioſa. 9. Æn. Vbi cùm ſuos pluribus laudaſſet, quòd in perpetuis nutriti laboribus, etiam in ſenectute vires, & animum eundem ſeruarent; Troianos deinde molles, fractos, ignauia ſimul, & voluptate diffluentes ita contemnit:

Caniciem galeâ premimus ——
Vobis picta croco, & fulgenti murice veſtis
Deſidia cordi, iuuat indulgere choreis.
Et tunica manicas, & habent redimicula mitræ.
O verè Phrygiæ (neq; enim Phryges) ite per alta
Dyndima, vbi aſſuetis biforem dat tibi cantum.

III. *Rerum externarum deſpicientia.*

Facilè contemnimus fortunatum hominem, nec eum putamus dignum, quem æmulemur, cùm propter improbitatem malo dignum iudicemus, non proſpera fortuna, qua præter dignitatem, & meritum fruitur. Hoc exprimit Tull. in Oratore nu 232 *Neque me diuitiæ mouent quibus omnes Africanos, & Lælios, multi venalitij, mercatoresq́; ſuperarunt: neque veſtis, aut aurum cælatum, quo veteres Marcellos Maximosq; multi Eunuchi è Syria, Ægyptóque vicerunt. Neque verò mouent me ornamenta illa villarum.*

Denique docendum æmulos fruſtrà quærere laudes, ac delectari populari aura, quæ nihil habeat commodi, certi nihil, aut iucundi Cic. pro Plan. 15. *Si campus atque vada illa comitiorum, vt mare profundum, & immenſum, ſic efferueſcunt quodam quaſi æſtu, vt ad alios accedant, ab aliis autem recedant, in tanto nos impetu ſtudiorum, & motu temeritatis, modum aliquem, & conſilium, & rationem requiramus? quis igitur æmulationis ardore feratur in ea qua non virtuti, ſed temeritati adſcribuntur?*

LECTIO XLV.

Deſcribitur Æmulatio.

Iiſdem ferè characteribus Æmulatio, quibus Inuidia deſcribitur Martialis importunum imitatorem ſuis coloribus adumbrat. Lib. 12. epiſt. 82.

Scribebamus opes, cepiſti ſcribere: ceſſi
Æmula ne ſtarent carmina noſtra tuis.
Transtulit ad tragicos ſe noſtra Thalia cothurnos,
Aptaſti longum tu quoque Syrma tibi
Fila Lyræ moui doctis exculta Camœnis,
Plectra rapis nobis ambitione noua.
Audemus Satyras; Lucilius eſſe laboras.
Ludo leues elegos; tu quoque ludis idem.
Quid minus eſſe poteſt? epigrammata fingere cœpi
Hinc etiam petitur iam mea fama tibi
Elige quid nolis: quis enim pudor omnia velle?
Et ſi quid non vis, Tucca, relinque mihi.

Qui æmulatur, magna ſibi polliceri ſolet, præſertim adoleſcentes, & quia bonam ſui conceperunt opinionem, eorum quos miratur imitatores eſſe ſolent. Claud. 4. Conſul. Honorij.

Per ſtrages equitare libet: da protinus arma,
Cur annos obicis? pugna cur arguar impar?
Æqualis mihi Pyrrhus erat, cùm Pergama ſolus
Verteret & patri non degeneraret Achilli.
Denique ſi Princeps caſtris hærere nequibo,
Vel miles veniam.

Qui æmulatur dolet ſibi præripi laudem, vel nullam gloriæ materiam, ac ſegetem relinqui, pergit idem Vates,

—— *Veſtigia magna*
Indolis agnoſco. Fertur Pellæus Eoüm
Qui domuit Porum, cùm proſpera ſæpè Philippi
Audiret, lætos inter fleuiſſe ſodales,
Nil ſibi vincendum patris virtute relinqui.
Has video motus, fas ſi promittere patri
Tantus eris.

Eandem æmulationem oſtendunt illa Virg. l. 5.

Intenti expectant ſignum; exultantiáq; haurit
Corda pauor pulſans, laudumq; arrepta cupido.
Hi proprium decus, & partum indignãtur honorẽ

Digitized by Google

Ni teneant, vitamq́; volunt pro laude paciſci.

Sic veram gloriam, quæ eſt fructus virtutis, quærunt, vt mortem non adire recuſent intrepidi, dùm illâ potiantur, quam ſibi præreptam dolet Salius Virgil.

—— & ora
Prima patrum, magnis Salius clamoribus implet,
Ereptumq́; dolo reddi ſibi poſcit honorem.
Tutatur fauor Euryalum, lacrymæq́; decoræ.

Sic ille teſtatur dolorem ſuum lacrymis, egregius laudis æmulus, & virtutis auidus, apud Stat. 6. The.

Parthenopæum humo, vultûque oculoſq́; madentes
Obruit, acceſſit lacrymarum gratia formæ.
Pectora nunc mœrens, nunc ora indigna cruento
Vngue ſecat, meritamque comam.

DE PVDORE, ET VERECVNDIA.

MOTVS hic frequentem habet vſum in genere deliberatiuo, præſertim apud bonos, & prudentes, erectiſque ac liberalibus ingeniis præditos, vt pote qui magis pudore, & verecundiâ, dedecoris & infamiæ metu, quàm rebus aliis affici ſoleant.

Pudor autem eſt dolor quidam, & animi perturbatio, ex malis aut præſentibus, aut præteritis, aut futuris, quæ infamiam inferant. Ex illis quidem: nam ſi quid turpiter olim geſtum eſt, ex illius recordatione pudor enaſcitur? ex præſentibus, ſi quis in re minus honeſta deprehendatur: ex futuris verò, ſi alicuius conſilia propalentur, quæ ad ſordidam actionem, & homine libero indignam, tendant.

LECTIO. XLVI.

Concitatur Pudor.

CApita quibus incitatur hic affectus petenda ſunt à Cic. quæ plurima paſſim in Orationibus eius deprehenduntur. Verecundari autem ſolemus, cùm nobis accidit aliquid, aut noſtri turpe quod fit in vitiis.

I. Timiditas.

Ariſtot. 2. Rhet. de pudore diſſerens, vbi docuit pudorem exiſtere, ob ea mala, quæ turpia videri ſolēt, inter cętera turpitudinis exempla ponit ἀποβάλλειν ἀσπίδα, ἢ φυγεῖν, abiicere clypeum, vel fulgere. De ſe fatetur Horatius Odot. 2. cātu 7.

Tecum Philippos & celerem fugam
Senſi relicta non benè parmula,
Cùm fracta virtus, & minaces
Turpe ſolum tetigere mento.

Et illa verecundiam excitant, quæ Turnus in Trancem eſt eloquutus, apud Virgilum 11. Æn.

—— Méque timoris
Argue tu Drance, tot quando ſtragis aceruos
Teucrorum tua dextra dedit, paſſimq; trophæis
Inſignis agros.
Imus in aduerſos? quid ceſſas? an tibi Mauors
Ventoſa in lingua, pedibuſq; fugacibus iſtis
Semper erit.

Lacedæmonij verò Poëtam neſcio quem ſolum vertere coëgerunt, quòd ſcripſiſſet ſatius eſſet clypeum abiicere quàm vitam amittere. Hùc refert metuentes periculorum, vt milites & nobiles quorum præcipua ſit audacia: quem metum, & fugam reprehendunt, & damnant armorum duces, vt pudorem ſuis iniiciant & animos. Sic apud Virg. res Æneæ perditas Tarchon reficit, Tyrrhenos ad bellum acuens contra Camillam, vtiturque ad illos concione, quæ tota eſt ad pudorem, dum liberè meticuloſos, inertes, & ſtupidos appellat, 11. Æn.

Quis metus, ô nunquam dolituri! ô ſemper inertes
Tyrrheni, quæ tanta animis ignauia venit?
Fœmina palantes agit, atque hæc agmina vertit;
Quo ferrum? quidue hæc gentis tela irrita dextris?
An non in Venerem ſegnes, nocturnaq; bella?
Aut vbi curua choros indixit tibia Bacchi?
Expectare dapes; & plena pocula menſæ?

II. Lenitudo & Negligentia.

Pudorem facit Senatui Rom. Tullius quòd iniurias lentè nimis, ac remiſsè ferre videatur: Phil.

num. 20. *Quàm heſternus dies, nobis conſularibus dico turpis illuxit? iterùm legatos; quid ille faceret induciaſtante Conſulis, occuloſque legatorum tormentis Mutinam verberauit: opus oſtendebat, munitionemque legatis: ne punctum quidem temporis, cùm legati adeſſent, oppugnatio reſpirauit.* Et inferius num. 28. *Hac tu manda Philippe, & tu L. Piſo, Principes ciuitatis non dico animo ferre, verùm auribus accipere potuiſtis; ſed vt ſuſpicior terror erat quidam; nec vos, vt legati apud illum fuiſtis nec vt conſulares: nec veſtram, nec Reip. tenere dignitatem potuiſtis. Et tamen neſcio quo pacto, ſapientiâ quadã credo, quod ego non poſſum, non nimis irati reuertiſtis* Phil: 11. n. 21.

Huius etiam meminit. Lin. l. 3. Vbi Mamercus Æmilius Dictator Romanis turpe fore dicit, ſi facibus hoſtium ardentibus velut apes terreri ſe ſinant. *Fumóne victi, velut examen apum, hoc loco veſtro exacti, inermi cedetis hoſti? non ferro extinguitis ignes? non faces has ipſas pro ſe quiſque, ſi igni, non telis pugnandum eſt, ereptas vltrò inferetis?*

Lib. 5. App. Claudius Trib. Mil. exemplo Græcorum in ſuorum animis pudorem excitat. *Decem quondam annos vrbs oppugnata eſt ob vnam mulierem, ab vniuerſa Græcia, quàm procul domo: quot terras, quot maria diſtans? non intra vigeſimum lapidem in conſpectu propè vrbis noſtræ oppugnationem annuam perferre piget? Scilicet quia leuis belli cauſa eſt: nec ſatis quicquam iuſti doloris eſt, quod nos ad perſeuerandum ſtimulet. Septies rebellarunt, & in pace nunquam fidi fuerunt: agros noſtros millies depopulati ſunt. Fidenates à nobis deficere coëgerunt, colonos noſtros ibi interfecerunt; auctores fuerunt contra ius impia cædis legatorum noſtrorum: ac Etruriam omnem aduerſus non concitare voluerunt, hodiéque id moliuntur res repetẽtes legatos noſtros. Haud procul abfuit quin violarent. Cum his molliter, & per dilationes* **bellum geri oporteat.**

III. *Temeritas & Impudentia.*

Pudorem excitat in animis audax temeritas, & nimia ſecuritas, quæ notam impudentiæ relinquat. Tull. Verr. 6. Mamertinos pudore ſuffundit quòd conſcij ſupplicij, quo ciuis Ro. conſpectum venire auſi fuerint, num. 26. *In populi quidem Rom. conſpectũ quo ære vos commiſiſtis? nec prius illam crucem, qua etiam nunc ciuis Rom. ſanguine redundat: qua fixa eſt ad portum, vrbemque veſtram, reuelliſtis, neque in profundum abieciſtis, locumque illum omnem expiaſtis, quam Romam, atque in horum conuentum adiretis? In Mamertinorum ſolo fœderato, atque pacato, monumentum iſtius crudelitatis, conſtitutum eſt. Veſtrane vrbs abiecta eſt, ad quam cùm adirent ex Italia crucem ciuis Rom. priùs, quam quemquam amicum Pop. Rom. viderent?*

IV. *Ingrati animi labes.*

Ob ingrati vitij notam, ac turpitudinem erubeſcimus, pudorem ſuum fatetur Cic. pro Sextio, cùm pro tanto, tàlique viro de Rep. benè merito laborat. n. 46. *An ego in hac vrbe eſſe poſſum his pulſis, qui me huius vrbis compotem fecerunt? non ero: non potero eſſe, Iud. neque hic vnquam puer, qui his lacrymis, qua pietate ſit, declarat, amiſſo patre ſuo propter me, meipſum incolumem videbit: nec quotieſcũque me viderit; ingemiſſet, ac peſtem ſuam, & patris ſui ſeſe dicet videre,*

Pari ſenſu pro Mil. num. 103. *O miſerum, ô infelicem! reuocare tu me in patriam Milo potuiſti per hos: ego in patria per eoſdem retinere non potero; quid reſpondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi Q. frater, qui nunc abes, conſorti mecum temporum illorum? me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eoſdẽ, per quos noſtram ille ſeruaſſet?*

V. *Contemptio.*

Verecundamur ob contemptum; propter vitiorum turpitudinem deſpicatui haberi Piſonem, & etiam ab inferioribus deſerti concludi. Cic. n. 86. *An ego expectem, dùm de te quinque, & ſeptuaginta tabellæ diribeantur: de quo iampridem omnes mortales omnium generum, ætatum, ordinum, iudicauerunt? Quis enim te aditu quis vllo honore, quis denique communi ſalutatione dignum putet? Omnes memoriam conſulatus tui, facta, mores, faciem denique ac nomen à Reip. deteſtantur. Legati qui vna fuere, aliena; Tribuni mil. inimici: centuriones, & ſi qui ex tanto exercitu reliqui milites exiſtunt, non dimiſſi abs te, ſed diſſipati te oderunt: tibi peſtem exoptant: te execrantur.* Grauius num. 98. & Phil. 14. num. 19.

6. Leuit.

I. *Vſus.*

Sedandæ igitur; ac tollendæ inuidiæ rationes aperit I. in finis atque vſus notatione pro Sylla, cum ſic Inuidiam in ſe concitatam ſedat, vt oſtendat non ſuis, ſed aliorum commodis illa inſeruiiſſe, quæ inuidiam excitare ſunt viſa num. 26. *Ego tantis à me beneficiis in Rep. poſitis, ſi nullum aliud mihi præmium à Senatu populoque Rom. niſi honeſtũ otium poſtularem, quis non concederet? ſibi haberẽt honores, ſibi imperia, ſibi prouincias, ſibi triumphos, ſibi alia præclara laudis inſignia: mihi liceret eius vrbis, quam conſeruaſſem, cõſpectu, tranquillo animo, & quieto frui? Quod ſi hoc non poſtulo; ſi ille labor meus priſtinus eſt, ſi ſollicitudo, ſi officia, ſi operæ, ſi vigiliæ deſeruiunt amicis, præſto ſunt omnibus ſi neque amici in foro requirunt ſtudium meum, neque Reſp. in Curia; ſi me non modo rerum geſtarum vacatio, ſed neque honoris, neque ætatis excuſatio vindicat à labore; ſi voluntas mea, ſi induſtria, ſi domus, ſi animus, ſi aures patent omnibus; ſi mihi, ne ad ea quidem, quæ pro ſalute omnium geſſi, recordanda & cogitãda quicquam relinquitur temporis, tamen hoc regnum appellabitur; cuius vicarius qui velit eſſe, inueniri nemo poteſt.*

Pro Milone verò vi ſua dicendi tollit, quod de potẽtia, & auctoritate obeiiciebatur, eo conſilio, vt in inuidiam adduceretur, quaſi potẽtior eſſet, quàm ciuem eſſe in libera ciuitate conueniret, negat potentiam appellandam, ſed gratiam, & eam non mediocrem, & officioſis laboribus partam. num. 12 *Declarant ambuſti Tribuni pleb. illæ intermortuæ conciones, quibus quotidie meam potentiam inuidioſé criminabatur, cum diceret Senatum, non quod ſentiret, ſed quod ego vellem, decernere. Quæ quidem ſi potentia eſt appellanda potius, quàm propter magna in Remp. merita, mediocris in bonis cauſis auctoritas, aut propter officioſos labores meos nonnulla apud bonos gratia, appelletur ita ſané, dummodo ea nos vtamur pro ſalute bonorum, contra amentiam perditorum.*

II, *Parta laboribus ac debita virtuti gloria.*

Proderit oſtendere gloriam, quam nouus aut peregrinus aliquis conſequutus eſt, partam eſſe laboribus, vt facit Tull. pro Sylla, vbi per cauſam efficientem, quod de peregrinitate à Torquato, per inuidiã obiiciebatur, magno ardore animi, & contentione deleuit, & auctoritatem & gratiã quâ valet, partam eſſe laboribus, ac ſuæ in patriam charitati debitam. num. 24. *At ſi tibi peregrini videmur, quorum iam & nomen & honos inueterauit, & huic vrbi. & hominum famæ, ac ſermonibus; quàm tibi illos competitores tuos peregrinos videri neceſſe erit, qui iam ex tota Italia delecti, tecũ de honore, & de omni dignitate contendunt? quorum caue ne quemquam peregrinum appelles, ne peregrinorum ſuffragiis obruare: qui ſi attulerint neruos, & induſtriam mihi crede, excutient tibi iſtam verborũ iactationem & te ex ſomno ſæpè excitabunt; nec patientur ſe abs te, niſi virtutete vincemur, honore ſuperari.*

Idem premit Liuius lib. 6. Vbi Manl. Capitolinus inuidiam in ſe conflatam, & ſuſpicionem affectati Regni, ob plebis fauorẽ, cauſæ ſignificatione tollit. *Offendit te A. Cornel. voſque P.C. circumfuſa turba lateri meo? quin eam diducitis à me ſinguli veſtris beneficiis; intercedendo, eximendo de neruo ciues veſtros, prohibendo iudicatos, addictoſq; duci, ex eo, quod affluit opibus veſtris ſuſtinendo neceſſitates aliorum: ſed quid ego vos, de veſtro impendatis, hortor? ſortem aliam ferte de capite deducite, quod vſuris pernumeratum eſt: tam nihilo mea turba, quàm vllius conſpectior erit. Etenim quid ita ſolus ego ciuium curam ago? nihilo magis quod reſpondeam habeo, quàm ſi quæras, quid ita ſolus Capitoliũ arcemque ſeruauerim: & tum vniuerſis, quàm potui opem tuli, & nunc ſingulis feram.*

III. *Permiſtà laboribus ac miſeriis fortuna.*

Valet ad ſedandam inuidiam comparatio bonorum & malorum, miſeriarum ac periculorum commemoratio. Quod pro Mur. facit Cic. dùm eius Conſulatum nullam inuidiam excitare debere dicit, eo quod miſerias, & moleſtias plurimas adiunctas habeat num. 87. *Miſericordiam ſpoliatio Conſulatus magnã habere debet: vnà enim eripiuntur cum Conſulatu omnia. Inuidiã verò his temporibus habere Conſulatus ipſe illã poteſt.*

Obiici

Digitized by Google

Obiicitur enim concionibus ſeditioſorum, inſidiis coniurationem, telis Catilinæ, ad omne denique periculū atque ad omnem inuidiam ſolus opponitur. Quare quid inuidendum Murenæ, aut cuiquam noſtrum ſit in hoc præclaro Conſulatu non video Iud. quæ vero miſeranda ſunt, ea, & mihi ante oculos verſantur, & vos videre, & perſpicere poteſtis.

Diligenter hoc idem perſequitur pro Sylla, & gratiam hominum laboribus, ac moleſtiis permiſtam docet. n. 29. *Quòd illis meis præſidiis fortè vides, & ſi tibi ea regia videntur, quod omnes boni omnium generum; atque ordinum, ſuam ſalutem cum mea coniungunt: conſolare te, quòd omnium mentes improborum mihi vni maximè ſunt infenſæ & aduerſæ: qui me non ſolùm idcirco oderunt, quòd eorum conatus impios, & furorē conſceleratum repreſſi: ſed eò etiam magis, quod nihil iam ſe ſimile, me viuo, conari poſſe arbitrantur.*

IV. Virtuti contraria.

Sedaueris inuidiam, ſi doceas ingentis eſſe animi, magnáque ſpectantis aliorum virtuti non inuidere, nec felicitati, Quam rem eleganter exprimit Cic. Brutus in l. de Claris Orator. de ipſo Cic. & Sulpitio verba faciens. n. 156. *Simul illud gaudeo, quòd & æqualitas veſtra, & pares honorum gradus, & artium ſtudiorumque finitima vicinitas tantùm abeſt ab obtrectatione inuidiæ, quæ ſolet lacerare pleroſq; vti ea non modò non exulcerare veſtram gratiam, ſed etiam conciliare videatur.*

V. Animi magnitudini aduerſa.

Ad ſedandam inuidiam Plinius Iunior vnus omnium æui ſui bene-dicendi laude celebratus, hoc effatum in epiſt. conſignatum eſſe voluit. 17. l. 6 *Diſertus ipſe es? tanto magis ne inuideris: nam qui inuidet, minor eſt, Denique ſiue plus, ſiue minus, ſiue id præſtas, lauda vel inferiorem, vel ſuperiorem, vel parem; ſuperiorem, quia niſi laudandus ille eſt, non poteſt ipſe laudari; inferiorem, aut parem quia pertinet ad tuam, quàm maximum videri, quem præcedis, quem æquas*

Hinc meliorem eius eſſe conditionem, cui inuidetur, ait in Trinu. Plautus Sc. 3. quàm eius qui inuidet.

Magis velim mihi inimicos inuidere, quàm me inimicis meis.

Nam inuidere alii benè eſſe, tibi malè eſſe, miſera eſt. Qui inuident, egent, illi, quibus inuidetur, rem habent.

Imò vel ipſa improbitate deteriorem inuidiam pulchrè probat Ambroſ. 2. de Off. c. ult. *Filij fugite improbos, cauete inuidos: Inter improbum & inuidum hoc intereſt: improbus ſuo delectatur bono; inuidus torquetur alieno: ille diligit mala, hic bona odit: vt propè tolerabilior ſit, qui ſibi vult benè, quàm qui malè omnibus.*

VI. Damna.

Expugnaueris inuidiam, ſi, quæ illam mala comitentur, aperueris. Partim lædit illos, in quos intenditur, grauius tamen, & pernicioſius eos, à quibus procedit, affligit. Imò, hanc qui receperit, ſua ſuſtinet ſine fine ſupplicia? quia in ſe domeſticum ſemper diligit habere tortorem.

Ad huius odium, & fugam benè Chryſologus Ser. 172. *Omnia quidem vitia ad ſuorum ſemper intendunt, & proſiliunt læſionem, ſed ſuos ſemper amplius inuidia conſumit: Inuidia ſuorum carnifex ſemper exiſtit; extendit ſenſus, torquet animos, diſcruciat mentes, corda corrumpit. Quis tibi malorum finis, vbi alteriusbonum pœna eſt, vbi cruciatus eſt aliena felicitas? malum multiplex: quot ſunt proſperitates hominum, tot tormenta ſunt inuidorum.*

Adde laudem hominum eſſe inanem, non eam eſſe de æmulo & aduerſario commendationem, imò verò eſſe illius multa, vel ſcelera, vel imprudenter acta; demum afferuntur rumores paſſim in vulgus ſparſi.

LECTIO XLII.

Deſcribitur Inuidia.

TAm cuique ſunt huius affectus obuii characteres, & effecta, quàm eſt ipſa communis Inuidia. Nemo clarius illam Ouidio deſcripſit Met. 2. Fab. 12. Nam vbi funeſtam eius domum extruxit, ſubiungit iſta.

——— *Videt intus edentem*
Vipereas carnes,vitiorum alimenta ſuorum,
Inuidiam:Viſaque oculos auertit,ac illa
Surgit humo pigrè ſemeſarúmque relinquit
Corpora ſerpentum,paſſûque incedit inerti.
Vtq; Deam vidit,formamq; armiſq; decoram
Ingemuit,vultumq; Dea ſuſpiria duxit.
Pallor in ore ſedet,macies in corpore toto:
Nuſquam recta acies:liuent rubigine dentes:
Pectora felle virent:lingua eſt ſuffuſa veneno,
Riſus abeſt niſi quem viſi mouere dolores:
Nec fruitur ſomno vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos,intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum,carpitq;,& carpitur vnâ
Suppliciumq; ſuum eſt.

Talia ferè ſunt illa quæ habentur in carmine de liuore apud Scaligerum in appendice Virg.

Liuor tabificum malis venenum,
Intactis vorat oſſibus medullas,
Et totum bibit artibus cruorem,
Teſtatur gemitu graues dolores,
Suſpirat,fremit,incutitq; dentes,
Sudat frigidus intuens quod odit,
Effundit mala lingua virus atrum,
Pallor terribilis genas colorat,
Infelix macies renudat oſſa.
Non lux,non cibus eſt ſuauis illi,
Nec potus iuuat,aut ſapor Lyæi,
Nec ſi pocula Iuppiter propinet,
Aut tradit Ganymedes ipſe nectar.

Inuidiæ notas ponit ob oculos Martialis,de quibus ipſe gloriatur,ratus virtuti ſuæ comitem habere inuidiam,proindè commendatione dignum aliquid in ſe deprehendi ab inuidis.l.6.

Laudat,amat,cantat noſtros mea Roma libellos,
Méque ſinus omniũ,me manus omnis habet,
Ecce rubet quidam,pallet,ſtupet,oſcitat,odit,
Hoc volo:nunc nobis carmina noſtra placent.

PVNCTVM I.

Inuidia Tinea.

INuidia quidem vitium eſt peſtilens,ſed vel ex hoc capite juſtum, quod in artificem, & parentem ſuum ſæuiat,eíque tormentum fiat, interioráque ſua teredinis inſtar, aut tineæ depaſcatur,hinc illud Neoterici cuiuſdam.

Iuſtius inuidia nihil eſt,quæ protinus ipſum
Auctorem rodit,diſcruciátq; animum.

Pulchre Valerianus in hanc rem Hom.13. *Felicem planè illum judico,cuius glorioſam vitam toruis oculis alter aſpexit. Nam ſatis bono loco eſt illius cauſa,qui aliena laborat inuidia: quia non liuet homo niſi melioribus,nec inuidiæ ſubjacet, niſi quem ad celſiora,melior vitæ profectus euexerit.Illos verò pluſquam miſeros puto, quos lucra aliena felicitatis exagitant, & iracundia, impia æmulatione concepta,occultis cordis jaculis inquietat.Benè iſtos ſua tela puniunt. Vt videatur mihi ipſa inuidia aliquid habere diſcretionis, cùm auctoris ſui cor repercutit;& malè conſcium pectus,cruento ſemper liuore conſumit.*

II. *Carnifex.*

Quàm turpe,quàm pernicioſum,& homine libero ſit indignum,peſtem hanc fouere in animo ſubijcit egregié,vt omnia,S.Cyprianus de Liuore. Vbi docet nihil mortalium animis inuidiæ perturbatione pernicioſius contingere,quod ipſi maximè noceat auctori, aliis verò quàm minimum. *Qualis eſt animæ tinea,quæ cogitationum tabes,pectoris quãta rubigo.Zelare in altero,vel virtutem eius,vel felicitatem:id eſt odiſſe in eo,vel merita propria, vel beneficia diuina; in malum proprium bona aliena conuertere,illuſtrium proſperitate torqueri;aliorum gloriam facere ſuam pœnam,velut quoſdam pectori ſuo admouere carnifices;cogitationibus,& ſenſibus ſuis adhibere tortores,qui ſe inteſtinis cruciatibus lacerent;qui cordis ſecreta malevolentiæ vngulis pulſent.Nõ cibus talibus lætus,non potus poteſt eſſe iucundus.Suſpiratur ſemper,& ingemiſcitur,& doletur; quantóque ille cui inuidetur ſucceſſu meliore profecerit, tantò inuidus in majus incendium,liuoris ignibus inardeſcit. Hinc vultus minax,toruus aſpectus,pallor in facie, in labiis tremor,ſtridor in dentibus,verba rabida,effrænata conuicia, manus ad cædis violentiam prompta,*
etiamſi à gladio interim vacua,
odio tamen furiata mentis armata.

Digitized by Google

III. *Vipera.*

Naſcitur abrupto matris vtero Vipera, ſed & inuidia concipientem ſe animum exedit, corrodit, lacerat. Nam cùm Inuidia ſit res ſeruilis & abiecta, quæ pote potiora judicet alterius bona, quàm ſua, nec vlli videri velit inuidere, ſimulat gaudium, ſecum tacitè rumpitur, coràm hilaritatem præfert, intùs verò ab inuidiæ malo perditur. Ita Greg. Orat. 7. Vbi per effectus Inuidiæ conglobatos, nullas huic affectui tàm tetro cauſas obtendi poſſe demonſtrat. *At quænam morbi cauſa eſt? quod frater nimirum, vel propinquus, vel vicinus in animi tranquillitate viuit. O nouas iniurias! crimini dare quod non aduerſa fortuna conflictetur ille, cuius rebus ſecundis dolet; non ex eo quod ab illo acceperit aliquid incommodi, iniuriam æſtimans; ſed quòd ille ſine cuiuſquam iniuria ex animi ſui ſententia viuat, & in rebus ſecundis verſetur. Quid paſſus es infelix? quæ accepta iniuria extabeſcis, acerbis oculis, ſucceſſus proſperos inuidens vicini? quid habes quod de eo conqueraris, quod crimini des, ſi ille corpore decorus; ſi eloquentia ornatus; ſi genere ſuperior eſt; ſi aliquo magiſtratu inito ſplendidus ac magnificus in dignitate conſpicitur; ſi aliqua ei pecuniarum copia acceſſit; ſi propter prudentiam in verbis eius auctoritas ineſt; ſi propter beneficium à multitudine obſeruatur; ſi ob liberos ſibi placet; ſi ex redditibus atque prouentibus domus, ſplendidè atque magnificè viuendo clareſcit? Cur hæc tibi tanquam telorum cuſpides in cor incidunt; complodis palmas, digitos complicas, cogitationibus angeris, ex intimis præcordiis, doloris ſignificantia ducis ſuſpiria, injucundus tibi redditum, atque prouentuum fructus, acerba menſa, focus ſuberiſtis parata ac faciles aures obtrectantibus ei qui ſecunda fortuna vtatur? quòd ſi aliquid dextri aut fauſti dicatur, clauſæ ſermoni ſunt aures.*

En vipera cor miſerum exedens? en morbus præ pudore quidem latens & occultus, ſed qui tandem erumpat. Nam ſi qua calamitas eum, cui inuidetur, inuaſerit, tunc illius dolorem voluptate atque lætitia excipiens, morbum prodit & virus.

Sed ad inuidiam redit & illam velo ſimulationis obtectam, longè pejorem eſſe odio demonſtrat. *Et cùm ita animatus ſis, cur ſimulatione morbum obnoluit? quomodo amicitiæ perſona per fictam beneuolentiam in te formatur? cur fauſtis appellationibus excipis, ſaluere ac valere iubens, contraria in animo clàm imprecans?*

IV. *Crocodilus.*

Vnum expectat mali ſolatium, ſi quem eorum, cui inuidet ex alto dignitatis gradu præcipitem datum aduerterit. Hic odii terminus ait Baſilius, eum, cui inuidetur videre miſerum, ex beato, miſerabilem, qui fuerat inuidendus. Tunc fœdus & amicitiam init, cum lacrymantem eum & lamentantem viderit. Et gaudenti quidem non congaudet, cum lugente luget, & vitæ mutationem, ex quibus in quæ deciderit, miſeratur.

V. *Virtutis inimica.*

Quæ vel in hoſte poſita delectat virtus, habet aduerſariam Inuidiam, ſic in defenſione Balbi Cic. dicit inuidi proprium odiſſe ingenium, inimicum eſſe induſtriæ, humanitatem opprimere, virtutem puniendam putare. num. 17. *Si quo quiſque loco noſtrum eſt naſcendi initio conſtitutus, hunc vita ſtatum vſque ad ſenectutem obtinere debet, & ſi omnes, quos, aut fortuna extulit, aut ipſorum illuſtrauit labor, & induſtria pœna ſunt afficiendi: non grauior L. Cornelio, quàm multis viris bonis atque fortibus, conſtitui lex vitæ, & conditio videtur. Sin autem multorum virtus, ingenium, humanitas, ex infimo genere & fortunæ gradu, non modò amicitias, & rei familiaris copias conſequuta eſt, ſed ſummam laudem; honores, gloriam dignitatem: non intelligo cur potius inuidia violatura virtutem L. Cornelii, quàm æquitas veſtra pudorem eius adjutura videatur. Itàque quod maximè petendum eſt à vobis, idcirco non peto, ne de veſtra ſapientia dubitare videar. Eſt autem petendum, ne oderis ingenium, ne inimici ſitis induſtriæ, ne humanitatem opprimendam, ne virtutem puniendam putetis. Illud, vt ſi cauſam ipſam per ſe firmam eſſe, & ſtabilem videritis, hominis ipſius ornamenta adiumento cauſæ potius, quàm impedimento eſſe malitis.*

Elegan

Eleganter & piè Zeno Veron. de inuidis. Nullum virtutis opus apud illos habetur in laude; non ſermo ullus honeſtus eis videtur, aut gratus. Nihil apud eos nobile, nihil clarum probabitur: ſed ſicut vultures amœna loca, pratáque ſuauiſſimis odoribus ſpirantia tranſuolant: ad fœtida verò cadauera, tetriſque repleta nidoribus loca conuolant; pariter inuidi, ſi quid ab aliquo boni geſtum eſt in vita, ſi quid præclarum in actibus, in verbis probabile, in moribus admirandum eſt, nihil prorſus vident. Si quid autem culpabiliter geſtum, aut incauto ſermone prolatum, hoc in publicum ventilant.

In hanc indignatur Chryſoſ. & cæcam, cæcos homines, quos ſemel complexa fuerit, efficere dolet, dùm in has voces iuſti doloris indices erumpit *O qualiter oculos claudit liuor! quantum iudicium cordis nequitia præiudicata confundit! ô quàm durè amputat obſtinatio rationem! ſenſus humanus peruerſus audire non poteſt, quod ſemel ſtatuit odiſſe, malis bonitas exoſa, iuſtitia iniuſtis inimica. Hinc eſt quod homines mendaces cognoſcere nequeunt veritatem, iudex animus inuenire verum non poteſt, inter nuntia falſitatum. Quod vult, non quod eſt, audit ſemper, qui decreuit errare.*

VI. Ventoſa Iactantia.

Inuidus oſtentat ſe magnificè, virtutiſque ſuæ præco nobilis, alios facilè contemnit, is eſt Ajax. Met. 13. cum Vlyſſe de gloria, rebuſque geſtis contendente.

—— Quantumq; ego Marte feroci,
Inq; acie valeo, tantùm valet ipſe loquendo:
Nec memoranda tamen vobis mea facta Pelaſgi
Eſſe reor, vidiſtis enim, ſua narret Vlyſſes
Quæ ſine teſte gerit, quorum nox conſcia ſola eſt.
Præmia magna peti fateor. Sed demit honorem
Æmulus Aiaci.

Tùm quâ poteſt animi, vociſque contentione riualem ſuum deprimit, quem in periculis timidum, & inertem ſeruaſſe ſe profitetur ad oſtentationem glorioſam potius, quàm ad veritatem ſolidam fictis ſermonibus.

Conclamat ſocios adſum; videòque trementem,
Pallentemque metu, & trepidantem morte futura
Oppoſui molem Clypei, texique iacentem
Seruáuique animam, minimum eſt hoc laudis, inertem.
Ipſe nitor galea claro radiantis ab auro
Inſidias prodet, manifeſtabitque latentem,
Sed neque Dulychius ſub Achillis caſſide vertex
Pondera tanta feret.

VII. Veterum commendatrix.

Tantùm noua deprimit, & eleuat, quantùm vetera commendat, & extollit; quoniam quidem in vicino verſatur inuidia, longè poſita miramur: quis enim cum remotis certamen honoris habeat, quis porrò mortuis remotior, præſertim ſi pridèm obierint, tantùm inuidemus iis, quos vicinos habemus, vndè non mirum ſi veteres laudet, nouos contemnat.

Paſcitur in viuis liuor, poſt fata quieſcit.
Tunc ſuus ex merito quemq; tuetur honor.

Benè Martial. inuidiorum mores pingit lib. 5. ep. 10.

Hi ſunt inuidiæ nimirum Regule mores
Præferat antiquos ſemper vt illa nouis.

Sale perpluit feſtiuè ſatis Vacerram inuidium idem Mart. qui de mortuis rectè, quòd ſine inuidia iudicaret, non ita de viuis, quibus inuideret. l. 4. ep. 69.

Miraris veteres Vacerra ſolos,
Nec laudas niſi mortuos Poëtas.
Ignoſcas petimus Vacerra: tanti
Non eſt vt placeam tibi perire.

VIII. Superioris impatiens.

Inuidia timida ſemper, & querula; nam veretur ne ſi quis honorem conſequatur, gloriam ſuam ille ſplendore ſuo obſcuret. Ita Metellus Mario petenti conſulatum inuidebat, quia ex Marij gloria ſuam laudem imminutam iri arbitrabatur; non alias belli ciuili cauſas Cæſarem inter ac Pompeium reddit Lucanus, præter Inuidentiam. 1. Pharſal.

—— Stimulos dedit æmula virtus
Tu noua ne veteres obſcurent acta triumphos
Magne times, te iam ſeries, vſuſq; laborum
Erigit,

Digitized by Google

Erigit, impatienſq; loci fortuna ſecundi,
Nec quemquam iam ferre poteſt, Caſarue priorem,
Pompeiuſque parem.

Eandem inuidentiam inſinuat Cæſar de Pompejo minus honorificè loquutus, apud eundem Lucan. 1. lib. Pharſal.

Ille reget currus nondum patientibus annis?
Ille ſemel raptos nunquam dimittet honores?
Quem tandem inueniet tàm longa potentia finem?
Quis ſcelerum modus eſt? ex hoc iam te improbe regno,
Ille tuus ſaltem doceat diſcedere Sylla.

IX. Alienæ felicitatis inimica.

Vel ex hoc inuidiæ fœditatē colligere quiuis poteſt, quòd ſit fœtus animi gloriæ ſplendorem in alio fugientis, & nimiùm ſuſpiciētis res illas, quas videt in aliis, quibus inuidet, eminere, vndè veteres fortunam cum inuidia colligatam fingebant, ex Statio Sylu. 5.

Quiſnam implacata conſanguinitate ligauit
Fortunam, inuidiamq; Deus? quis iuſſit iniquas
Æternùm bellare Deas? nullâm ne notabit
Illa domum, toruo quam non hac lumine figat
Protinus, & ſæua perturbet gaudia dextra?

Quod mox à ſimilium frequentatione declarat:

—— Sic plena maligno
Afflantur vineta Noto: ſic alta ſeneſcit
Imbre ſeges nimio: rapida ſic obuia puppi
Inuidet, & velis obnubilat aura ſecundis.

X. Cædis parens.

In odium & vltionē inflammantur malorum radix inuidia. Nam zelo ſenſus noſtros cæcante, atque in ditionem ſuam mentis arcana redigente, Dei timor ſpernitur; judicii dies non prouidetur. Inſtat ſuperbia, exarcebat ſæuitia, perfidia præuaricatur, impatientia concurit, furit diſcordia, feruèſcit ira, nec jam ſe cohibere poteſt, vel regere, qui factus eſt poteſtatis alienæ, Hinc rebellat de zelo ſuperbus, de æmulatione peruerſus, non hominis, ſed honoris inimicus. Cælum tentat & ibi facit ex Angelo Diabolum: Terras vrit, quæ Paradiſi nobis amœna flammeo cuſtode ſecluſit. Reges vrget, quæ compulit Herodem in coæuos Chriſti ſic deſæuire, vt ante lac, quàm ſanguis teneris funderetur ex membris. Violat charitatem, nam hæc Caïn reddidit fratricidam; & terram adhuc innocuam, noui ſanguinis cruore perfudit. Vaſtat populos, quæ judæos fecit eſſe Deicidas.

Malis omnibus pejor: quos ceperit, liberari nequeunt: quos vulnerauit, ad curam non veniunt, non redeunt ad ſalutem; peccatorum mater, & origo vitiorum: hanc qui non viderit, bona videt: hanc qui neſcierit, mala neſcit: hanc qui fugerit, viuit. Inuidia vitari fugâ poteſt, non poteſt ſuperari conflictu; ergo fugiamus rem, quæ quia turpis & iniqua eſt, occultari ſolet æmulationis nomine.

DE ÆMVLATIONE.

QVANTVM abſit ab Inuidia motus hic, quem æmulationem dicimus, docet illa Philoſtrati ad Iulianum epiſtola: Inuidia malitioſos, ac peruerſos animos nutrit, qui tantum diuites ſunt aliorum iacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus: æmulatio verò ſplendidos excitat, & virtutibus, rebuſque benè geſtis alitur, creſcit ad veræ laudis & gloriæ radios, & aliorum triumphis roboratur: Inuidet quiſpiam his, quæ ipſe conſequi non poteſt: quibus verò redditur melior, hæc æmulatur. Contentionem appellat Heſiodus hominibus vtilem. Qui licèt affectus locum habeat in conſultationibus, cum Auditores monentur, vt majorum veſtigiis inſiſtant, conducat etiam judiciis, cùm vel ad ſeueritatem, vel miſericordiam inflammandi ſunt judices: plerumque tamen in demonſtratiuo genere dominatur, quod in hoc virtutes laudentur, eo conſilio, vt eaſdem adoleſcentes æmulari ſtudeant, & imitatione proximè aſſequantur.

Definitur autem ſuſceptus ex aliena ſorte bonâ dolor, non quòd id alteri contigerit, ſed quòd illa nos careamus. Magnus Alexander proficiſcens in Aſiā, cùm in Achillis tumulū incidiſſet,

Digitized by Google

ejuſque recordaretur felicitatem,qui præconem laudum ſuarum nactus eſſet Homerum,ingemiſcens grauiter,ô fortunatum qui Homerum gloriæ tuæ buccinatorem inueneris?

Satis conſtat ad bonos mores hunc affectum pertinere,vtpote,qui non tàm doleat de aliena abũdantia,quàm de ſua penuria;æmulator enim. ſibi propoſita aliena felicitate, ad ſimilem ſeſe fortunam, aut gloriam, ſi quo modo conſequi poteſt,excitat,ſuamque ignauiam damnat.

Ex Cic. Tuſc. 4. num. 17. colligimus duplicem æmulationis ſpeciem;malam de qua Plin. in Trajani Panegyr. ſic ait, *Nihil eſt tàm pronum ad ſimultates,quàm æmulatio,in fœminis præſertim: ea porrò naſcitur ex coniunctione,aliter æqualitate,ardeſcit inuidia,cuius finis odium eſt.*

Alteram bonam,quæ virtutis eſt imitatio. non Inuidentia; nam hæc dolet, ad bona proximi, quibus ſi qua ratione poſſet,illum ſpoliaret; illa talis fieri deſiderat,qualis eſt is,quem æmulatur. Hoc iterum diſcrimen notauit in præfatione Bruti,cùm mortem Hortenſii lamentatur, nullamque inter ſe,& illum inuidiam fuiſſe profitetur,ſed tantùm honeſtam æmulationem,num. 3. *Quo tandem animo ejus interitum ferre debui,cum quo certare erat glorioſius,quàm omninò aduerſarium non habere?cùm præſertim non modò nunquam ſit, aut illius à me curſus impeditus,aut ab illo meus:ſed contrà ſemper alter ab altero adjutus,& communicãdo,& monendo,& fauendo.*

LECTIO XLIII.

Concitatur Æmulatio.

AD æmulandum propenſi ſunt magnanimi duces,& qui de ſe honorificè ſentiunt:laudem enim illi quàm-maximè concupiſcunt,quorum ex numero præcipuè ſunt juuenes, quibus propter ſpem periculi ſuperandi cujuſlibet,nihil videtur arduum, idcircò Pallantem excitat ad laudem Æneas.

——Tua cernere facta
Aſſueſcat primis,& te miretur ab annis.

PVNCTVM I.

Æmulationis Incentiua.
Majorum virtus.

ÆMulationis efficax eſt incentiuum majorum,& parentum virtutes & egregia facinora:hi ſunt ſtimuli,quibus M. Glabrionem ad conſtantiam,& fortitudinem excitat Cicero; recordatione videlicet, ac domeſticæ laudis æmulatione, diuinat. in Verrem num: 52. *Cogita quo loco ſis,quid dare populo Rom. quid reddere majoribus tuis debeas,fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mẽtem, qua lege pop. Rom. de pecuniis repetundis, optimis judiciis, ſe veriſſimiſq; judicibus vſus eſt. Circumſtant te ſummæ auctoritates,quæ te obliuiſci laudis domeſticæ non ſinant, quæ te noctes dieſq; commoneant,fortiſſimum tibi patrem,ſapientiſſimum auum, grauiſſimum ſocerum fuiſſe. Quare ſi Glabrionis patris vim;& acrimoniam ceperis ad reſiſtendum hominibus audaciſſimis;ſi aui Scæuolæ prudentiam,ad proſpiciendas inſidias, quæ tuæ atque horum famæ comparantur; ſi ſoceri Scauri conſtantiam, ut ne quis te de vera, & certa ſententia poſſit dimouere: intelliget populus Rom. integerrimo,atque honeſtiſſimo Prætore,delectóq; conſilio,nocenti reo magnitudinem pecuniæ plus habuiſſe momenti ad ſuſpicionem criminis, quàm ad rationem ſalutis.*

Vt ſolidam ſectetur gloriam Antonius adducit exemplum domeſticum Tull. quod ad patriæ charitatẽ imitetur; rurſumque Cæſaris exemplo. cujus virtutis eundem æmulũ deſiderat ab opprimẽda Reip. libertate deterret. 1. Phil. n. 34. *Vtinã Antoni auũ tuũ meminiſſes:de quo tamẽ multa audiſti ex me ſæpiſſimè! Putáſne illũ immortalitatẽ mereri voluiſſe,vt propter armorũ habẽdorũ licẽtiã metueretur? Illa erat vita,illa ſecũda fortuna, libertate eſſe parẽ cũ cæteris,principẽ dignitate. Quare flecte te quæſo,& majores tuos reſpice,atque ita guberna Remp. vt natum eſſe te ciues tui gaudeant: ſine quo nec beatus,nec clarus eſſe quiſquam poteſt.* Nimirũ æmulãtur ij quos vulgus ſẽſit dignos honoribus;nollẽt enim vulgi opinioni de ſe cõceptæ non reſpondere.

Ex æmulatione maiorum ambitioſa mulier Tullia L. Tarquinium excitat ad regnum capeſſendum,

Digitized by Google

ſcendum apud Liv.lib.1.*Dii te penates,patriiq;,& patris imago,& domus Regia,& in domo regale ſolium,& nomen Tarquinii creat,vocatq; Regem. Aut ſi ad hæc parum eſt animi,quid fruſtraris ciuitatem? quia vt te regium juuenem conſpici ſinis?*

II. Clarorum virorum egregia facinora.

Excitatur æmulatio propoſitis illuſtrium Heroum facinoribus, quibus nominis immortalitatem conſequuti ſunt. Nam ſimul atque videmus mortales poſſidere gloriam, diuitias,copias amicorum, magiſtratus & ſimilia, quæ probis conueniunt, ſtatim conamur nos ad eorum laudem excitare. Cum enim bona bonis viris debita poſſideant, ad bonorum mores fingere nos debemus,& accommodare: quare non rarò, qui parum morati prima ætate, poſtquàm in eos honores cooptati ſunt, & bonorum fortunæ facta participes, mutant mores in melius: Themiſtocles primum exhæredatus à patre, vt Remp. attigit flagitioſam viuendi conſuetudinem emendauit. Indè Cic. Romanam juuentutem excitat ad virtutem eorum æmulatione, qui gloria factiſque ſuis floruerunt, pro Sextio à n. 136. *Vos adoleſcentes,& qui nobiles eſtis,ad maiorum veſtrorum imitationem excitabo,& qui ingenio,& virtute nobilitatem poteſtis conſequi, ad eam rationem, in qua multi homines noui, & honore, & gloria floruerunt cohortabor. Hæc eſt vna via,mihi credite, & laudis,& dignitatis,& honoris;à bonis viris ſapientibus,& benè natura conſtitutis laudari, & diligi: noſſe deſcriptionem ciuitatis,à maioribus noſtris ſapientiſſimè conſtitutam.*

Phil.8.æmulatione potius, quàm inuidia clarorum virorum induſtriam dignam eſſe contendit,n.30.*Nam illud quidem non adducor vt credam, eſſe quoſdam,qui inuideant alicujus conſtantia,qui laboribus,qui ejus perpetuam in Republi adjuuanda voluntatem,& à Senatu,& à populo Romano probari moleſtè ferant. Omnes id quidem facere debebamus,eaque erat, non modò apud majores noſtros, ſed etiam nuper ſumma laus Conſularium,vigilare, cogitare,adeſſe animo,ſemper aliquid pro Rep. aut facere,aut dicere.*

III. Nominis decus, & ornamentum.

Quoniam non tantùm viri virtute prædicti laudem, & honores adipiſcuntur, ſed etiam ij, qui multis ſunt vtiles,ac benefici; ideò virtutes proponendæ ſunt, ac bona quædam vtilia explicanda, quibus excitetur in animis æmulatio. Proponit illa Tull. pro Sext. vbi docet quæ bona æmulari debeamus, & cùm ait n. 102. *Hæc imitamini per Deos Immort.qui laudem, qui dignitatem, qui gloriam quæritis. Hæc ampla ſunt, hæc diuina, hæc immortalia,hæc famâ celebrantur, monumentis annalium mandantur, poſteritati propagantur. Eſt labor,non nego. Pericula multa fateor;multa inſidia ſunt bonis,veriſſimè dictum eſt.*

Eò ſtudioſius hæc æmulari debemus,quò pluribus vtiliora ſunt, quippe quæ majorē gloriam & laudem poſſeſſoribus ſuis acquirunt. Propones igitur ad imitandum ſapientiæ laude perfectos homines,fortudine præſtantes, bellica laude claros,& rebus diuinè geſtis nobiles. Horum meminit Tull. pro Mur. dum artes commendat quæ cæteris antecellunt, hoc eſt,Imperatoriam, & forenſem Eloquentiam.nu.30.*Duæ ſunt artes, quæ poſſint locare homines in ampliſſimo gradu dignitatis,vna Imperatoris,altera Oratoris boni:ab hoc enim pacis ornamenta retinentur;ab illo belli pericula repelluntur.*

De re militari, poſt longam contentionem, rem inter vtrumque habitam ſic loquitur,n. 22. *Ac minimum (dicendum eſt enim quod ſentio) rei militaris virtus præſtat cæteris omnibus.Hæc nomen pop. Rom. Huic vrbi æternam gloriam peperit:Hæc orbem terrarum parere huic imperio coëgit, omnes vrbanæ res, omnia hæc noſtra præclara ſtudia, & hæc forenſis laus, & induſtria latent in tutela, ac præſidio bellicæ virtutis: ſimul atque increpuit ſuſpicio tumultus: artes illicò noſtræ conticeſcunt.*

De Eloquentia verò ſic Orat,1.n.32. *Quid eſt enim aut tam admirabile quàm ex infinita multitudine hominum exiſtere vnum, qui id quod omnibus natura datū ſit,vel ſolus,vel cum paucis facere poſſit aut tam jucundum cognitu, atque auditu, quàm ſapientibus ſententiis, grauibuſque verbis ornata*

Oratio,& perpolita?aut tàm potens,tamq; magnificum,quàm populi motus,Iudicum religiones,Senatus grauitatem,vnius Oratione conuerti? quid tàm porrò Regium,tàm liberale,tàm munificum,quàm opem ferre ſupplicibus,excitare afflictos,dare ſalutem, liberare periculis:retinere homines in ciuitate? quid autem tàm neceſſarium, quàm tenere ſemper arma, quibus vel tectus ipſe eſſe poſſit,vel prouocare improbos,vel te vlciſci laceſſitus?

Quæ quidem æmulationis motiua debent à parentibus ipſis deduci,vel majoribus, vel ciuitatibus ,'aut etiam nationibus. Nam vt teſtatur Cic.de Off. 1. *Quorum verò partes,aut maiores in aliqua gloria præſtiterunt,eorum pleraq; in hoc genere laudis ſtudent excellere.* Et pro Flacco,cùm de virtutis eius æmulatione loquitur,n. 27. *Quod maximè florere in generis ſui gloria viderat,laudem patriæ in libertatem vindicandæ Prætor adamarat.*

Qui ſunt eiuſdem ciuitatis , ſuos ciues potius æmulantur , quàm externos , vt apud Rom, & Gallos tot belli duces eximii,propter æmulationem extiterunt.Nimirum illa bona jam propria, atque ſua exiſtimant,& ſe illis dignos conantur præſtare. Is eſt Cic. animus,dum per oſtentationem ſuis blanditur,& ait nationes reliquas pati poſſe ſeruitutem,populi verò Rom.propriam eſſe libertatem.

Illam maximè probo , quæ incendit virtutis imitandæ cupiditatem, ad quod negotium magnis,& ingentibus animis opus eſt.

Ite nunc fortes,vbi celſa magni
Ducit exempli via,cur inertes
Terga nudatis?ſuperata tellus
Sydera donat.

Monetur æmulatio facilè,ſi primùm inijcias hãc mentem illi, quem concitabis, vt arbitretur virum ſe magnum eſſe , multum poſſe,debere laudem ſuſcipere;inuitari à parentibus , à populis, ab amicis. Secundùm , oſtendendum eos quos imitari debeat bonis abundare illis, quæ laudabilia diximus.Tertiùm, laudem illam non eſſe mediocrem, ſed tamen facilè poſſe obtineri.

* * *

LECTIO XLIV.

Tollitur æmulatio

IVxta diuiſionem ſuperius allatam ex Tull. ſubdit iſta 4 Tuſc.nu.56 *Obtrectare verò alteri, aut illa vitioſa æmulatione,quæ riualitati ſimilis eſt,æmulari,quid habet vtilitatis,cùm ſit æmulantis ,angi alieno bono, quod ipſe non habeat:Obtrectantis autem,angi alieno bono,quod id etiam alius habeat.*

Pvnctvm I.

Laudis contemptus.

SEdatur æmulatio, cùm inducitur quis ad laudis contemptum , vtpote rei volaticæ, & inanis ex vulgi errore in tribuenda laude , de qua Cic 2. Off.31.hæc habet *Summa igitur,& perfecta gloria conſtat ex tribus his,ſi diligit multitudo, ſi fidem habet , ſi cum admiratione quadam,honore nos dignos putat:* quàm ſolida laus & vera,quæ pendet ex multitudinis errantis arbitrio,judicióque.

II. Perſonarum contemptus.

Si qui nobis ad imitandum proponuntur, nihil habeant magnoperè cõmendatione dignum, moribuſque diſſimiles , & vita ſint alii ab eo, quod putabamus,facilè deſiderium æmulandi ponimus.Hinc Cic. 2.de Off. *Deſpiciunt eos, & contemnunt, in quibus nihil virtutis , nihil animi,nihil neruorum putant.* Non enim omnes eos contemnunt,de quibus malè exiſtimant. Nam quos improbos maledicos , fraudulentos putant , & ad faciendum injuriam inſtructos , eos haud contemnunt quidem , ſed de iis malè exiſtimant. Quamobrem vt ante dixi , contemnuntur ii,qui nec ſibi,nec alteri proſunt, vt dicitur , in quibus nullus labor,nulla induſtria,nulla cura eſt.

Vt igitur bonis,ac virtutibus ſuperiùs laudatis inſtructos æmulamur;ſic iiſdem carentes , aut etiam contrariis vitiis laborantes , & inquinatos deſpicimus,ſæpè contumeliis excipimus,alloquio etiam & conſuetudine noſtra judicamus indignos,quod facit in Vat.num.1.

Non

Digitized by Google

Non poſſunt bonorum æmulatores eſſe, quin ijdem ſint etiam malorum contemptores. Nam qui rem aliquam ſuſcipit, atque miratur in alio: contrariam illi facilè deſpicit; nempe qui eruditorum hominum ſtudioſus eſt, imperitos plerumque negligit, quantò magis ſi nullum bonum in illis deprehendat, quod æmuletur. Facit ad hanc rem Oratio Numani tàm cõtumelioſa Troianis, quàm Italis glorioſa. 9. Æn. Vbi cùm ſuos pluribus laudaſſet, quòd in perpetuis nutriti laboribus, etiam in ſenectute vires, & animum eundem ſeruarent; Troianos deinde molles, fractos, ignauia ſimul, & voluptate diffluentes ita contemnit:

Caniciem galeá premimus ——
Vobis picta croco, & fulgenti murice veſtis
Deſidia cordi, iuuat indulgere choreis.
Et tunica manicas, & habent redimicula mitræ.
O verè Phrygiæ (neq; enim Phryges) ite per alta
Dyndima, vbi aſſuetis biforem dat tibi cantum.

III. *Rerum externarum deſpicientia.*

Facilè contemnimus fortunatum hominem, nec eum putamus dignum, quem æmulemur, cùm propter improbitatem malo dignum iudicemus, non proſpera fortuna, qua præter dignitatem, & meritum fruitur. Hoc exprimit Tull. in Oratore nu 232 *Neque me diuitiæ mouent quibus omnes Africanos, & Lælios, multi venalitij, mercatoresq; ſuperarunt: neque veſtis, aut aurum cælatum, quo veteres Marcellos Maximosq; multi Eunuchi è Syria, Ægyptóque vicerunt. Neque verò mouent me ornamenta illa villarum.*

Denique docendum æmulos fruſtrà quærere laudes, ac delectari populari aura, quæ nihil habeat commodi, certi nihil, aut iucundi Cic. pro Plan. 15. *Si campus atque vada illa comitiorum, vt mare profundum, & immenſum, ſic efferueſcunt quodam quaſi æſtu, vt ad alios accedant, ab aliis autem recedant, in tanto nos impetu ſtudiorum, & motu temeritatis, modum aliquem, & conſilium, & rationem requiramus: quis igitur æmulationis ardore feratur in ea quæ non virtuti, ſed temeritati adſcribuntur?*

LECTIO XLV.

Deſcribitur Æmulatio.

Iiſdem ferè characteribus Æmulatio, quibus Inuidia deſcribitur Martialis importunum imitatorem ſuis coloribus adumbrat. Lib. 12. epiſt. 82.

Scribebamus opes, cepiſti ſcribere: ceſſi
Æmula ne ſtarent carmina noſtra tuis.
Tranſtulit ad tragicos ſe noſtra Thalia cothurnos,
Aptaſti longum tu quoque Syrma tibi
Fila Lyra moui doctis exculta Camœnis,
Plectra rapis nobis ambitione noua.
Audemus Satyras; Lucilius eſſe laboras.
Ludo leues elegos; tu quoque ludis idem.
Quid minus eſſe poteſt? epigrammata fingere cœpi
Hinc etiam petitur iam mea fama tibi
Elige quid nolis: quis enim pudor omnia velle?
Et ſi quid non vis, Tucca, relinque mihi.

Qui æmulatur, magna ſibi polliceri ſolet, præſertim adoleſcentes, & quia bonam ſui conceperunt opinionem, eorum quos mirãtur imitatores eſſe ſolent. Claud. 4. Conſul. Honorij.

Per ſtrages equitare libet: da protinus arma,
Cur annos obicis? pugna cur arguar impar?
Æqualis mihi Pyrrhus erat, cùm Pergama ſolus
Verreret & patri non degeneraret Achilli.
Denique ſi Princeps caſtris hærere nequibo,
Vel miles veniam.

Qui æmulatur dolet ſibi præripi laudem, vel nullam gloriæ materiam, ac ſegetem relinqui, pergit idem Vates,

—— Veſtigia magna
Indolis agnoſco. Fertur Pellæus Eoüm
Qui domuit Porum, cùm proſpera ſæpè Philippi
Audiret, lætos inter fleuiſſe ſodales,
Nil ſibi vincendum patris virtute relinqui.
Hac video motus, fas ſi promittere patri
Tantus eris.

Eandem æmulationem oſtendunt illa Virg. l. 5.

Intenti expectant ſignum; exultantiáq; haurit
Corda pauor pulſans, laudumq; arrepta cupido.
Hi proprium decus, & partum indignãtur honorẽ

Ni teneant, vitámq; volunt pro laude paciſci.
Sic veram gloriam, quæ eſt fructus virtutis, quærunt, vt mortem non adire recuſent intrepidi, dùm illâ potiantur, quam ſibi præreptam dolet Salius Virgil.

——— & ora
Prima patrum, magnis Salius clamoribus implet,
Ereptumq; dolo reddi ſibi proſcit honorem.
Tutatur fauor Euryalum, lacrymæq; decoræ.

Sic ille teſtatur dolorem ſuum lacrymis, egregius laudis æmulus, & virtutis auidus, apud Stat. 6. The.

Parthenopæus humo, vultúque oculosq; madentes
Obruit, acceſſit lacrymarum gratia formæ.
Pectora nunc mœrens, nunc ora indigna cruento
Vngue ſecat, meritámque comam.

DE PVDORE, ET VERECVNDIA.

MOTVS hic frequentem habet vſum in genere deliberatiuo, præſertim apud bonos, & prudentes, erectiſque ac liberalibus ingeniis præditos, vt pote qui magis pudore, & verecundiâ, dedecoris & infamiæ metu, quàm rebus aliis affici ſoleant.

Pudor autem eſt dolor quidam, & animi perturbatio, ex malis aut præſentibus, aut præteritis, aut futuris, quæ infamiam inferant. Ex illis quidem: nam ſi quid turpiter olim geſtum eſt, ex illius recordatione pudor enaſcitur: ex præſentibus, ſi quis in re minus honeſta deprehendatur: ex futuris verò, ſi alicuius conſilia propalentur, quæ ad ſordidam actionem, & homine libero indignam, tendant.

LECTIO. XLVI.

Concitatur Pudor.

CApita quibus incitatur hic affectus petenda ſunt à Cic. quæ plurima paſſim in Orationibus eius deprehenduntur. Verecundari autem ſolemus, cùm nobis accidit aliquid, aut noſtri turpe quod ſit in vitiis.

I. Timiditas.

Ariſtot. 2. Rhet. de pudore diſſerens, vbi docuit pudorem exiſtere, ob ea mala, quæ turpia videri ſolet, inter cętera turpitudinis exempla ponit ἀποβάλλειν ἀσπίδα, φεύγειν, abiicere clypeum, vel fugere. De ſe fatetur Horatius Odor. 2. cârm 7.

Tecum Philippos & celerem fugam
Senſi relicta non bene parmula,
Cùm fracta virtus, & minaces
Turpe ſolum tetigere mento.

Et illa verecundiam excitant, quæ Turnus in Trancem eſt eloquutus, apud Virgilum 11. Æn.

—— Méque timoris
Argue tu Drance, tot quando ſtragis aceruos
Teucrorum tua dextra dedit, paſſimq; tropheis
Inſignis agros.
Imus in aduerſos? quid ceſſas? an tibi Mauors
Ventoſa in lingua, pedibuſq; fugacibus iſtis
Semper erit.

Lacedæmonij verò Poëtam neſcio quem ſolum vertere coëgerunt, quòd ſcripſiſſet ſatius eſſet clypeum abiicere quàm vitam amittere. Hùc refert metuentes periculorum, vt milites & nobiles quorum præcipua ſit audacia: quem metum, & fugam reprehendunt, & damnant armorum duces, vt pudorem ſuis iniiciant & animos. *Sic* apud Virg, res Æneæ perditas Tarchon reficit, Tyrrhenos ad bellum acuens contra Camillam, vtiturque ad illos concione, quæ tota eſt ad pudorem, dum liberè meticuloſos, inertes, & ſtupidos appellat. 11. Æn.

Quis metus, ô nunquam dolituri! ô ſemper inertes.
Tyrrheni, quæ tanta animis ignauia venit?
Fœmina palantes agit, atque hæc agmina vertit;
Quo ferrum? quidue hæc gerimus tela irrita dextris?
An non in Venerem ſegnes, nocturnaq; bella?
Aut vbi curua choros indixit tibia Bacchi?
Expectare dapes; & plena pocula menſæ?

II. Lenitudo & Negligentia.

Pudorem facit Senatui Rom. Tullius quòd iniurias lentè nimis, ac remiſſè ferre videatur: Phil.

Digitized by Google

num. 20. *Quàm heſternus dies, nobis conſularibus dico turpis illuxit? iterùm legatos; quid ille faceret inducias ante Conſulis, occulosque legatorum tormentis Mutinam verberauit: opus oſtendebat, munitionemque legatis: ne punctum quidem temporis, cùm legati adeſſent, oppugnatio reſpirauit.* Et inferius num. 28. *Hac tu manda Philippe, & tu L. Piſo, Principes ciuitatis non dico animo ferre, verùm auribus accipere potuiſtis; ſed vt ſuſpicior terror erat quidam; nec vos, vt legati apud illum fuiſtis nec vt conſulares: nec veſtram, nec Reip. tenere dignitatem potuiſtis. Et tamen neſcio quo pacto, ſapientiâ quadã credo, quod ego non poſſum, non nimis irati reuertiſtis* Phil. 11 n. 21.

Huius etiam meminit. Lin. l. 3. Vbi Mamercus Æmilius Dictator Romanis turpe fore dicit, ſi facibus hoſtium ardentibus velut apes terreri ſe ſinant. *Fumóne victi, velut examen apum, hoc loco veſtro exacti, inermi cedetis hoſti? non ferro extinguitis ignes? non faces has ipſas pro ſe quiſque, ſi igni, non telis pugnandum eſt, ereptas vltrò inferetis?*

Lib. 5. App. Claudius Trib. Mil. exemplo Græcorum in ſuorum animis pudorem excitat. *Decem quondam annos vrbs oppugnata eſt ob vnam mulierem, ab vniuerſa Græcia, quàm procul domo: quot terras, quot maria diſtans? non intra vigeſimum lapidem in conſpectu propè vrbis noſtræ oppugnationem annuam perferre piget? Scilicet quia leuis belli cauſa eſt: nec ſatiſ quicquam iuſti doloris eſt, quod nos ad perſeuerandum ſtimulet. Septies rebellarunt, & in pace nunquam fidi fuerunt: agros noſtros millies depopulati ſunt. Fidenates à nobis deficere coëgerunt, colonos noſtros ibi interfecerunt; auctores fuerunt contra ius impiæ cædis legatorum noſtrorum: ac Etruriam omnem aduerſus non concitare voluerunt, hodiéque id moliuntur res repetẽtes legatos noſtros. Haud procul abfuit quin violarent. Cum his molliter, & per dilationes bellum geri opporteat.*

III. Temeritas & Impudentia.

Pudorem excitat in animis audax temeritas, & nimia ſecuritas, quæ notam impudentiæ relinquat. Tull. Verr. 6. Mamertinos pudore ſuffundit quòd conſcij ſupplicij, quo ciuis Ro. conſpectum venire auſi fuerint, num. 26. *In populi quidem Rom. conſpectũ quo ore vos commiſiſtis? nec prius illam crucem, qua etiam nunc ciuis Rom. ſanguine redundat: quæ fixa eſt ad portum, vrbemque veſtram, reuelliſtis, neque in profundum abieciſtis, locumque illum omnem expiaſtis, quam Romam, atque in horum conuentum adiretis? In Mamertinorum ſolo fœderato, atque pacato, monumentum iſtius crudelitatis, conſtitutum eſt. Veſtrane vrbs abiecta eſt, ad quam cùm adirent ex Italia crucem ciuis Rom. priùs, quam quemquam amicum Pop. Rom. viderent?*

IV. Ingrati animi labes.

Ob ingrati vitij notam, ac turpitudinem erubeſcimus, pudorem ſuum fatetur Cic. pro Sextio, cùm pro tanto, talique viro de Rep. benè merito laborat. n. 46. *An ego in hac vrbe eſſe poſſum his pulſis, qui me huius vrbis compotem fecerunt? non ero: non potero eſſe, Iud. neque hic vnquam puer, qui his lacrymis, qua pietate ſit, declarat, amiſſo patre ſuo propter me, meipſum incolumem videbit: nec quotieſcũque me viderit; ingemiſſet, ac peſtem ſuam, & patris ſui ſeſe dicet videre,*

Pari ſenſu pro Mil. num. 103. *O miſerum, ô infelicem! reuocare tu me in patriam Milo potuiſti per hos: ego in patria per eoſdem retinere non potero; quid reſpondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi Q. frater, qui nunc abes, conſorti mecum temporum illorum? me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eoſdẽ, per quos noſtram ille ſeruaſſet?*

V. Contemptio.

Verecundamur ob contemptum; propter vitiorum turpitudinem deſpicatui haberi Piſonem, & etiam ab inferioribus deſerti concludi. Cic. n. 86. *An ego expectem, dùm de te quinque, & ſeptuaginta tabellæ diribeantur: de quo iampridem omnes mortales omnium generum, ætatum, ordinum, iudicauerunt? Quis enim te aditu quis vllo honore, quis denique communi ſalutatione dignum putet? Omnes memoriam conſulatus tui, facta, mores, faciem denique ac nomen à Reip. deteſtantur. Legati qui vna fuere, alienati; Tribuni mil. inimici: centuriones, & ſi qui ex tanto exercitu reliqui milites exiſtunt, non dimiſſi abs te, ſed diſſipati te oderunt: tibi peſtem exoptant: te execrantur.* Grauius num. 98. & Phil. 14. num. 19.

6. Leuit.

VI. Leuitas & inconſtantia.

Cauſa verecundiæ leuitas & inconſtantia. Cic. Phil. 12. *Senatus* pudorem iniicit ob mutationem decretorum & iudiciorum, quæ prius de Antonio fecerat. n. 12. *Senatuſconſulta falſa delata ab eo iudicauimus: num ea vera poſſumus iudicare? leges ſtatuimus per vim contra auſpicia latas, iiſque nec populum, nec plebem teneri; num eas reſtitui poſſe cenſetis? Seſtertium ſepties millies auertiſſe Antonium pecuniæ publicæ iudicauiſtis, & num fraude poteſt carere peculatus? Immunitates ab eo, ciuitates, ſacerdotia, regna venierunt: num figentur rurſus eæ tabulæ, quas vos decretis veſtris refixiſtis?*

VII. Iniuſtitia.

Si Quis non reddat depoſitum, hoc enim factum furto peius eſt. Glaucus Spartanus à Mileſio aurum creditum acceperant, ſed repetentes filios, poſt mortem paternam iuſſit redire poſt quartum menſem certus retinendæ ſummæ, interea adit Delphos ſciſcitaturus num poſſit interpoſito iureiurando retinere ſibi aurum, cui Pythia reſpondit, id quod ex Iuuen. *Sary.* 3. Satis intelligitur.

Veturia Coriolano filio patriæ bellum, exitiumque inferre volenti cum Volſcis, pudorem facit rei turpitudine ob oculos conſtituta Liui. l. 1. *Potuiſti populari hanc terram quæ te genuit & aluit? non tibi, quamuis infenſo animo, & minaci peruenerat ingredienti fines ira cecidit? non, cùm in conſpectu Roma fuit, ſuccurrit: intra mœnia illa domus, ac penates mei ſunt? mater, coniux, liberi? Ergo ego niſi peperiſſem Roma non oppugnaretur: niſi filium haberem, libera in patria mortua eſſem? ſed ego nihil iam pati, nec tibi turpius, quam mihi miſerius poſſum: nec, vt ſim miſerrima, diu futura ſum.*

VIII. Auaritia.

Auaritiæ ſordes pudorem afferunt, præſertim ſi fuerit illis aliquid admixtum intemperantiæ in Verr. 7. Cic. grauiter rem exaggerat & pudorem excitat, cùm auarè, atque ſordidè, eum etiam iniquè occiſorum funera locaſſe commemorat. nu. 120. *Feriuntur ſecuri, lætaris tu in omnium gemitu & triumphas: teſtes auaritiæ tuæ gaudes eſſe ſublatos. Errabas, Verres, & vehementer errabas, cùm te maculas furtorum, & flagitiorum tuorum ſociorum innocentium ſanguine, eluere arbitrare: præceps amentia ferebare, qui te exiſtimares auaritiæ vulnera crudelitatis remediis poſſe ſanare.* Et paulò ante n. 19. Palam viuorum funera locata fuiſſe probat.

Sordidum eſt ex rebus minus honeſtis quæſtum facere, quod dedecori Veſpaſiano datum eſt aliiſque permultis per ſummam infamiam, & auaritiæ ſordes, ex re qualibet lucri bonum odorem eſſe dicentibus.

Sordidum eſt ex miſeriis, & crudelitate diuitias quærere, quod Achiles, qui cadauer Hectoris vendebat. apud Virg.

Exanimumque auro corpus vendebat Achiles.

Quod Verres, qui tàm crudelis fuit in eos, quos vltimo ſupplicio afficeret, vt parentes celeritatem mortis liberorum redimere cogerentur, ſepeliendique corpora poteſtatem, pretio. 7. in Verr. num. 117. *Patres hi quos videtis, iacebant in limine, matreſque miſeræ pernoctabant ad oſtium carceris ab extremo compexum liberûm excluſæ: quæ nihil aliud orabant, niſi vt filiorum extremum ſpiritũ excipere ſibi liceret. Aderat ianitor carceris, carnifex prætoris, mors terrórque ſociorum, & ciuium lictor Sextius: cui ex omni gemitu, doloréque certa merces comparabatur, vt adeas, tantum dabis; ve cibum tibi intrò ferre liceat, tantum nemo recuſabat. Quid, vt vno ictu ſecuris afferam mortem filio tuo, quid dabis? ne diu crucietur? ne ſæpius feriatur: ne cum ſenſu doloris aliquo, aut cruciatu ſpiritus auferatur? Etiam ob hanc cauſam pecunia lictori dabatur, O magnum atque intolerãdum dolorem! O grauem accerbamque fortunã! non vitam liberûm, ſed mortis celeritatem pretio redimere cogebantur parentes. Atque ipſi etiam adoleſcentes, cum Sextio de eadem plaga, & de vno illo ictu loquebantur, idque poſtremùm parentes ſuos liberi orabant, vt leuandi cruciatus ſui gratia, lictori pecunia daretur. Multi & graues dolores inuenti parentibus, & propinquis, multi Verumtamen mors ſi extrema, non erit. Eſt ne aliquid vltra quò progredi crudelitas poſſit? reperiẽtur. Nam illorum liberi cùm erunt ſecuri percuſſi, ac necati, corpora feris obiicientur. Hoc ſi luctuoſũ eſt parenti, redimat pretio ſepeliendi poteſtatẽ.*

Sordidum eſt facere lucrum ex parcimonia, qui

Digitized by Google

qui diues, & abundans, vel malè habet familiam qualis apud Perſium Vectidius ille quondam Satyr. 4.

—— Noſtri Vectidi prædia? cuius
Diues arat Curibus, quantum non miluus oberret:
Hunc ais? hunc, Diis iratis, genióque ſiniſtro
Qui quandòque iugum pertuſa ad compita figit.
Seriola veteris metuens deradere limum,
Ingemit, hoc benè ſit: tunicatum cum ſale mordens
Cepe, & Sarratà pueris plaudentibus ollâ,
Pannoſam fæcem morientis ſorbet aceti.

Velut illiberales agentibus aut nunquam ſubueniunt, aut non tantùm, quantùm ſatis eſt, tales duri homines ſũt, qui miſeriis aliorum non tanguntur, præcipuè ſi cauſa parentum agitur, aut neceſſariorum, qui nonnunquam humanis commodis vexentur.

Sordidum ex abiectione auara quæſtum facere; eum potẽtiores auxilium potuit, aut pecunias à tenuioribus, quod cum faciunt, excuſare fortunam ſolent, ſic Æneas dum ab Euandro poſtulat auxilium Æn. 8.

Optime Graiugenum, cui me fortuna precari,
Et vittâ comptos voluit prætendere ramos.

Sordidum ex aſtutia auara, cum callidè, & veteratoriè quis occupat, & penuriam ſimulat, cum ſentit petiturum ab ſe quempiam, aut petendo anteuenit, aut reperit, cum amicum intelligit petiturum rurſus: ad has artes accedunt, qui animo laudant eo, vt proſperi videantur atque adeò eliciant, quidquid optauerint; huius erat animi Verres cum argentea vaſa, & cãdelabrum Regis Antiochi miris laudibus prædicabat Ver. 6. num. 63. *Ille vnum quodque vas in manus ſumere, laudare, mirari. Rex gaudere, Prætori populi Rom. ſatis iucundum & gratum illud eſſe conuiuium.*

Sordidi & nimium egentis animi ab adulatione captare lucrum, dum laudamus coràm, & in os; hoc quidem intelligebat neſcio quis apud Terent.

Vereor apud hos te laudare amplius

Hoc vitio Græcia laborauit, ita ſcriptor Saty. Iuu. 3.

Quidquod adulandi gens prudentiſſima? laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici:
Et longum inualidi collum ceruicibus æquat
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis,
Miratur vocem anguſtam, quo deterius nec
Ille ſonat, quo mordetur gallina marito.

Qui in omnibus aſſentantur, & cum dolente dolent, rident cum ridente, ſed tamen maiorem fletum, maioremque lætitiam præ ſe ferunt, quàm qui verè flet aut lætatur. Idem Iuu. Saty. 3.

Natio Comœda eſt rides? maiore cachinno.
Concutitur: flet, ſi lacrymas aſpexit amici.
Nec dolet igniculum brumæ ſi tempore poſcas
Accipit Endromidem: ſi dixeris æſtuo, ſudat

IX. Imbecillitas animi.

Turpes ſumus, ſi ferre labores non poſſimus adulti, quos ſeniores, aut pueri, vel naturæ delicatioris homines, aut qui eum imperio ſunt, aut denique nobis imbecilliores, preferunt. Hæc enim omnia mollitudinis, & ignauiæ ſunt certiſſima argumenta; Itaque ſi effugiam eadem adire pericula, non vitant ignominiæ notam? quo fit vt hinc ſæpè ducantur ab exemplo virtutem argumenta, ad excitandos hominum animos, quin & duces in bello, ſi ſenes, in opere præeunt exemplo, in laboribus & periculis, aut iuniores eadem non obeunt, turpitudinem in ſe ſuſcipiant. Appius Claudius dedecore & infamiâ explicata, continendos in hybernis milites remiſſos oſtendit, apud Liuium l. 5. *Adeóne effæminata corpora noſtrorum militũ eſſe putamus, adeò molles animos, vt hyemem vnã durare in caſtris, abeſſe ab domo nõ poſſint? vt tanquam nauale bellum tempeſtatibus captandis, & obſeruando tempore anni gerant: non æſtus, non frigora pati poſſint? erubeſcant profectò, ſi quis eis hoc obiiciat; contendantque & animis, & corporibus ſuis virilem patientiam ineſſe, & ſe iuxta hyeme, atque æſtate bella gerere poſſe: nec ſe patrocinium molliciæ, inertiæq; mandaſſe Tribunis; & meminiſſe hanc ipſam poteſtatem, non in vmbra, nec in tectis maiores ſuos creaſſe.*

Denique verecundiam, ac pudorem excitant quæcumque dedecus, & infamiam afferunt; cum pudor nihil ſit aliud, quàm metus infamiæ. Clarum hoc eſt in Cic 6. in Verr. Vbi monet qualis è Verri infami vita turpitudinis nota Romano

nomini hærere debeat apud exteras nationes.n. 68. *Quemadmodum hoc accepturas nationes exteras: quemadmodũ huius tui facti famã in regna aliorum, atque in vltimas terras peruẽturã putaſti, cùm audierint à Prætore Populi Rom. in prouincia violatũ Regẽ, ſpoliatũ hoſpitẽ, eiectũ ſociũ Pop. Rom atque amicũ nomẽ veſtrũ Populique Rom. odio atque acerbitati ſcitote nationibus exteris Iud. futurũ: ſi iſtius hec, tãta iniuria impunita diſceſſerit: ſic omnes arbitrabũtur, præſertim cùm hac omninò fama, de noſtrorum hominum auaritia, & cupiditate percrebuerit, non iſtius ſolius hoc eſſe facinus, ſed eorũ etiã qui approbarũt.*

Hinc Orator pro lege Man. populum hortatur, vt ſuſceptam Mithridatico in bello maculã, delere conetur. nu. 7. *Et quoniam ſemper appetẽtes gloriæ præter cæteras gẽtes, atque auidi laudis fuiſtis, delẽda vobis eſt illa macula Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta: quæ penitùs tã inſedit, atque inueterauit in Populi Rom. nomine: quod is, qui vna die, tota Aſia, tot in ciuitatibus, vno nuntio, atq; vna litterarũ ſignificatione ciues Rom. necandos, trucidandosque denotauit, non modò pœnam nullam ſuo dignam ſcelere ſuſcepit, ſed ab illo tempore annum iam tertium, & vigeſimum regnat; & ita regnat vt ſe non Ponto, neque Cappadociæ latebris; occultare velit, ſed emergere è patrio regno, atque in veſtris vectibus hoc eſt in Aſia luce verſari.* Et 1. in Cat. n. 16. in Vatinium 39.

X. *Turpitudo.*

In pudore quoties ea tractamus, quæ honeſtati, boniſque moribus aduerſantur, ſi plena ſint impietatis, ac turpitudinis, magnam indignationẽ teſtari debemus, & illa tàm cautè, timidéque proferre, vt ab eis toto animo, atque omni cogitatione abhorrere videamur, quo maiorem ſceleratis, libidinibuſque perditis hominibus, inferamus. Hoc artificium paſſim adhibet Cic. 3. in Verr. n. 78. *Tantane tua, Verres, libidines erunt, vt eas capere, ac ſuſtinere, non Prouinciæ Populi Rom. non nationes exteræ poſſint? Tũne, quod videris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris niſi id ad nutum tuum præſtò fuerit, niſi libidini tuæ, cupiditatique parueris, immittentur homines? expugnabuntur domus? ciuitates non modò pacatæ, verùm etiam ſociorum, atque amicorum ad vim, atque ad arma confugient vt ab ſe, atque ab libris ſuis. legati Populi Rom. ſcelus atque libidinem propulſare poſſint.*

Eandem in verbis verecundiam pollicetur 3. in eundem num 32. *Itaque primum actum illum iſtius vitæ turpiſſimum, & flagitioſiſſimum prætermittam: nihil à me de pueritia ſua flagitiis audiet; nihil de illa impura adoleſcentia ſua. Omnia præteribo, quæ mihi turpia dictu videbuntur: neque ſolùm quid iſtum audire, verùm etiam quid me deceat dicere, conſiderabo. Vos quæſo date hoc, & concedite pudori meo, vt aliquam partem de iſtius impudentia reticere poſſim.*

Rem eandem tractauit Poëtæ majori quidem indignatione, ſed cautela minore: quàm inimicis, & atrocibus verbis Herculi verecundiam facit & pudorem Deïanira Ouid.

Hoc tu Sidonio potes inſignitus amictu
Dicere? num cultu lingua retenta ſilet?
Se quoque Nympha tuis onerauit Iardinis armis,
Et tulit è capto, nota trophæa viro.
I nunc tolle animos, & fortia facta recenſe.
Quòd tu non eſſes iure vir, illa fuit.
O pudor hirſuti coſtis exuta leonis,
Aſpera texerunt vellera molle latus.
Falleris. & neſcis Non ſunt ſpolia iſta leonis;
Sed tua, tuque fera victorres, illa tui.
Fœmina tela tulit Lernais atra venenis
Ferre grauem lana, vix ſatis apta colum.

Quod idem paulò liberiore ſtilo, multis exaggerat, & fracto deliciis Herculi pudorem & infamiæ notam inurit, quod vt libidiuis inſeruiat, ſuos deſerat. nec opituletur laborantibus in Briſſeide.

Modeſtè magis & prudenter amico parum fideli verecundiam iniicit Ouid. l. 2. de Ponto Eleg. 6.

Turpe erit in miſeris, veteri tibi rebus amico
Auxilium nulla parte tuliſſe tuum.
Turpe referre pedem, nec paſſu ſtare tenaci;
Turpe laborantem deſeruiſſe ratem.
Turpe ſequi caſum, & fortunæ cedere, amicum
Et niſi ſit felix, eſſe negare ſuum.

Digitized by Google

LECTIO XLVII.

Diluitur.

NOn eſt mihi conſilium hîc monita ſuggerere, quibus omnis verecundia demi poſſit, quod indignum eſt Oratore bono facinus, impudentiæ via aperire, quæ nulla opinione boni ducitur, nec proborum exiſtimatione qualis Verres fuit, quem & flagitia publicè inſpectante Rep. non pudebat admittere. Nam quid verecundia pulchrius, quam virtutis colorem licet appellare: quid eadem honeſtius, quam Cic dicit honeſtatis veram, ac ſpirantem imaginem? quid vtilius illâ, quæ ſit mortalium Pædagogus? quid verò turpius impudentiâ? quid ad omne facinus, & intemperantiam proiectius? itaque non ſum ego tàm perfrictæ frontis, vt impudentiæ concitandæ methodum doceam. Verùm qui linea honeſti egreditur plerumque verecundia, & ex optimo affectu in peſſimum degenerat, dum nos etiam rerum bonarum pudet; verecundiæ modum aliquem adhibendum puto, ne quis fortè hiſce præceptis, vltra quàm oportet, exiliat.

Non hi impudentes loquor, ſeruos potiſſimùm, & abiectiſſimos quoſque innutritos plagis & contumeliis, qui honoris nullam vnquam opinionem animo conceperunt, neque Scurras, Comicos, Moriones, qui iampridem faciem perfricarunt, & os: viuunt enim & lucrum ex impudentia faciunt, & ſordibus. Talem impudentiam exprobrat Simo pater Pamphilo in Andria:

Nunc cogitat quid dicat? num facti piget?
Num eius color pudoris ſignum vſquam indicat?
Adeon, impotenti eſſe animo?

Talem obiicit victo Eutropio Claudianus l. 1.

Ille tamen quid enim ſeruum mollemq; pudebit?
Aut quid in hoc poterit vultu flagrare ruboris?
Pro victore redit peditum vexilla ſequuntur.
Obuiusue cliens, defenſoremq; reuerſum
Complecti ipſe ſibi laxaq; laborat
Diſtendiſſe genas fictumq; inflatus anhelat.

Sed ingenuos ac benè moratos adoleſcentes intelligo, quos aliquando virtutem profiteri pudet. ſi quando rideantur à perditæ vitæ ſociis.

PVNCTVM PRIMVM.

Incentiuum Primum, Commendatio.

ALiquem à pudore vitioſo dehortaberis, ſi ordiaris ab eius commendatione, cui ſpinam hanc velut ex optimo ſolo, ſit euulſurus; inde namque tentandum morbum hunc primo canaru puto deindè quædam in eius laudem afferenda, tùm imprimis verecundiam extollendam, vt virtutum cuſtodem, cui tamen modum adhibeas, quod de Catone pro Muræ. Tull. n. 60. *At ego te veriſſimè dixerim peccare nihil, neque vlla in re te eſſe eiuſmodi, vt corrigendus potius, quàm leniter inflectendus videare, finxit enim te ipſe natura ad honeſtatem, grauitatem, temperantiam, magnitudinem animi, iuſtitiam; ad omnes denique virtutes magnum hominem & excelſum, acceſſit his tot, doctrina non moderata, nec mitis, ſed vt mihi videtur, paulò aſperior, & durior quàm veritas, aut natura patiatur.*

II. Damna.

Amplificanda ſunt huius affectus detrimenta plurima, pudor eſt enim, comem & vrbanum quam grauem & virtutis amantem dici malle. Quod fiet per effectorum congeriem, quæ à vitioſo pudore inferũtur. Peſſima ſanè cuſtos pueris ætatis verecundia talis: auctore Plutar. l. de malo pudore, ſicut & Brutus aiebat, malè ſibi videri eum florem ætatis collocaſſe, qui nihil negare vel poſſet, vel auderet. Seneca Conſol. ad Martiam, c. 24. *Filius eius amiſſe nunquam à conſpectu tuo receſſit; ſub oculis tuis ſtudia formauit, excellentis ingenij, & æquaturus auum, niſi obſtitiſſet verecundia, quæ multorum profectus ſilentio preſſit.*

III. Exempla.

Vtendum eſt eorum exemplis, quibus imbellis iſte pudor obfuit. Ita Græcos omnes ſer-

uitutem ſeruire dictitabat Græciæ lumen, & ornamentum Demoſthenes, quòd impediti verecundia, vocem vnam trium litterarum proferre non auſi fuiſſent.

Cùm à Calippo Dion ad mortem quæreretur, licet huius rei non ignarus, ne tamen diffidere videretur, eius ſocietate carere noluit. Quid mirum ſi perniciem vltimam ei pudor attulerit? ſic petit Antipater Caſandri frater, cùm cœna lauta ſatis excepiſſet Demetrium, vocatis ab eo poſtridiè, quod puderet fidem non habere ſibi prius habitam, iuit, & à cœna miſerandum in modum eſt interfectus ſic dediſcendus eſt vitioſus pudor.

In ijs colligendis mali pudoris exemplis commorandum, ex quibus ille ipſe, ex huiuſmodi pudore perniciem traxerit. Sicut enim viatores ait Plutar. vt in ſaxum impegerunt aliquod, & nautæ ad promontorium alliſam nauem fregerunt, memores ſui caſus, non illa modò, ſaxa & ſcopulus, ad quos offenderunt, ſed & horum ſimilia perpetuò ſtudioſéque refugiunt, atque deuitant: Itaque quibus vitioſus pudor pœnitentiæ morbum attulit, non facilè eodem relabuntur.

IV. *Audax libertas & prudens.*

Acriter inſtandum, quid tum demum facturi ſimus, cum ſe difficilius aliquid obtulerit. Tempeſtiuum eſt hoc loco Demoſthenis illud commemorare: Is cum Athenienſes ad ferendam Harpalo opem ſe, & aduerſus Alexandrum arma capeſſenda incitarent, ac ſubitò adueniente Thiloxeno copiarum Alexandri maritimarum Præfecto metu impeditus conticuiſſet: quid faciet: inquit, ſole conpecto, qui aduerſus lucernam oculos attollere non audent? quid enim facies magnis in rebus, rege, vel populo pudorem incutiente, ſi Garruli penſationem effugere non audes?

Hoc vitium vtpotè multorum cauſam malorum emendabimus, ſi minoribus pudoris victoriis aſſueſcamus: ſic non difficulter naſcenti malo reſiſtitur. In cœna tibi ſaturo neſcio quis præbibit; noli præpoſtera verecundiâ ductus, vim tibi facere, ſed depone poculum. Alius inter calices poſcit, vt teſſeris ſecum ludas; pudorem inanem abiice; Incidiſti in Garrulum, qui te importunis ſermonibus detinet; noli vereri, ſed præciſo colloquia propera, & perfice quod incepiſti: hæc minima nos ad maiora præparant. Sanè Diogenes in Ceramico ſtatus circumibat, ab iiſque ſtipem petebat, quod mirantibus id reſpondebat, ſe repulſam meditari.

Addendus animus, vt non minus denegare audeat, quod petulanter poſtulatur, quàm alius impudenter exigeret: Illudque Zenonis in promptu habendum, qui cum obuiam factus eſſet adoleſcenti cuipiam familiari ſuo, ad muros remotis arbitris obambulanti, interrogauit, quare ſolus curas agitaret, ille fugâ ſeſe ſubduxiſſe, ne amici gratia poſtulatus, falſum teſtimonium diceret reſpondit. Tùm Zeno, ſtultè, inquit, agis adoleſcens, illum enim improbè, & injuſtè petere non pudet, te verò pudeat honeſtè rem ipſi turpem denegare,

Denique ſi res glorioſa ſuſcipienda ſit, nec in ea ſit quidpiam, aut turpitudinis, aut vitij, pudor abeſſe debet; ſic exul Ouid. Vxorem ſuam à ſubruſtico, vitioſóque pudore reuocat Eleg. 2. Triſt, 4.

Me miſerum ſi turpe putas mihi nupta videri,
Me miſerum ſi te iam pudet eſſe meam.
Tempus vbi eſt illud, quo te iactare ſolebas
Coniuge? nec nomen diſſimulare viri?
Nunc quoq; ne pudeat, quod ſis mihi nupta, tuum q;,
Non debet dolor hinc; debet abeſſe pudor.
Cùm cecidit Capaneus ſubito temerarius ictu:
Non legis Euadnem erubuiſſe viro.
Nec quia Rex mundi compeſcuit ignibus ignes:
Ipſe ſuis Phaëton inficiendus erat.
Nec tibi quod ſaeuis ego ſum Iouis ignibus ictus:
Purpureus molli ſiat in ore rubor.

LECTIO XLVII.

Deſcribitur pudor.

VAriis adiunctis deſcribitur Verecundia, de qua ſic Romanus Sapiens ep. 11. *Quibuſdā conſtan*

Digitized by Google

conſtantiſſimis in conſpectu populi ſudor erupit, non aliter quàm fatigatis,& æſtuantibus ſolet, quibuſdam tremunt genua dicturis:quorundam dentes colliduntur,lingua titubat,labra concurrunt.Inter hæc & ruborē eſſe ſcio,qui grauiſſimis quoq; viris ſubitus effunditur. Magis quidem in Iuuenibus apparet,quibus & plus caloris eſt, & teſtera frons:nihilominus veteranos & ſenes tangit. Quidam nunquam magis quàm cùm erubuerint,timendi ſunt:quaſi omnem verecundiam effuderint. Sulla tunc erat violentiſſimus cùm faciem eius ſanguis inuaſerat. Nibil erat mollius ore Pompeii,nunquā non corā pluribus erubuit. Fabianum, cùm in Senatum teſtis eſſet inductus, erubuiſſe memini;& hic mirè illum pudor decuit.

PVNCTVM I.

Oculorum demiſſio.

PVdorem Didonis Virg. commendat ab oculorum modeſta demiſſione 1.

Tùm breuiter Dido vultum demiſſa profatur.

Eſt quod Trajanum imperatorem mireris, verè factis & ingenio nobilem,ab eloquente viro panegyrica Oratione laudatum:in quo cum eximia multa corporis animique ornamenta prædicat, tùm virtutis hanc colorem verecundiam dignam humanitate,& ingenuæ mentis excellentia, in hunc modū.*Vidimus demiſſum gaudio vultum,tātumq; ſanguinis in ore,quantùm in animo pudoris.*

II. Rubor.

Reprehenditur rubore, totiuſque vultus mutatione. Talis Virgo Lauinia deſcribitur ſuis coloribus. 12.Æneid.

Accepit vocem lacrymis Lauinia matris,
Flagrantes perfuſa genas,cui plurimus ignem
Subjecit pudor,& calefacta per ora cucurrit,
Indum ſanguineo veluti violauerit oſtro
Si quis ebur,vel miſta rubent vbi lilia multa
Alba roſa;tales Virgo dabat ore colores.

Pari forma,non ingenio multum diſſimili hæc conjunxit omnia Claud. 1.Rapt.

—— *Niueos infecit purpura vultus,*
Per liquidas ſuccenſa genas,caſtiq; pudoris
Illuxere faces,

Andromache ſola inuenta ab Ænea,dum ipſa libaret inferias ad tumulum Hectoris Æn. 3.

Vt me conſpexit venientem,& Troica circum
Arma amens vidit;magnis exterrita monſtris
Diriguit viſu in medio,calor oſſa reliquit
Labitur,& longo vix tandem tempore fatur.

III. Silentium.

Præcludit os verecundia,quo minus ea proferantur,quæ ruborem afferre poſſunt. Hæc initio 4. Æn. ſubiicit in Didone Virg. quæ vulnus acceptum, ipſi etiam Annæ ſorori Arcanorum conſciæ aperire non audet.

At Regina graui jamdudùm ſaucia cura
Vulnus alit venis,& cæco carpitur igni
Multa viri virtus animo,multuſq; recurſat
Gentis bonos,hærent infixi pectore vultus
Verbaq;.

IV. Orationis ſubmiſſio.

Interdùm deſcribitur Orationis ſubmiſſione. Quod facit pluribus Statius lib. 11.Theb.

—— *Hic demum victus ſuprema fateri*
Exclamat.Fluuione pudet? Mars inclyte merges
Hanc animam?ſeneſq; lacus,& ſtagna ſubibo.
Seu pecoris cuſtos,ſubiti torrentis iniquis
Interceptus aquis? adeóne occumbere ferro
Non merui?

V. Imprecatio.

Pudoris ſtudium profitetur Dido. 2.Æn.

Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiſcat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras Erebi,noctemq; profundam,
Ante pudor quàm te violem,aut tua jura reſoluā

DE GRATIA.

NOn minoris eſt vtilitatis hic affectus, & neceſſitatis,quàm reliqui; ſiquidem tùm in genere deliberatiuo,vt impetretur ali-

quid ſæpius oſtendere debet Orator, illos non eſſe negligendos, qui ſua in nos, noſtroſque beneficia contulerunt: tùm in demonſtratiuo, cùm videlicet illis habendæ ſunt gratiæ, qui de nobis de noſtris, deque Rep. benè meriti ſunt. Hunc quidem affectum omiſit Tullius in ſuis de Oratore lib. cuius tamen vſum in aliorum beneficiis cùm amplificandis, tùm eleuandis, retinuit.

LECTIO XLIX.

Conciliatur.

HIc duo gratia ſignificat, beneficii collocationem gratis factam: grati animi teſtificationem, & beneficium redditum. Priore ſenſu definitur ab Ariſt. gratia, per quam qui habet; dicitur egenti gratis aliquid facere, non pro aliquo indè accepto, neque vt ſibi quicquam, ſed vt alteri comparetur. 3. Rhet. cap. 7. Hoc Terentiana Thaïs ſe facere profitetur.

Hanc tibi do, neque repeto pro illa quicquam abs te pretii.

PVNCTVM I.

Accipientis indigentia.

IAm capita quibus potiſſimùm excitatur hic affectus, ſunt iſta. Perſona accipientis; nam quò majori quis inopiâ, & egeſtate premitur, apud quem beneficium ponitur: eò major eſſe ſolet gratia, vt qui fame laboranti cibum ſuppeditat, aut nudo veſtem, aut captiuo libertatem, vel obærato pecuniam procurat. Ab iſtis capitibus Didoni beneficium commendat gratus Æneas 1. Æneid.

O ſola infandos Troiæ miſerata labores,
Quæ nos relliquias Danaûm terræq; mariſq;
Omnibus exhauſtos jam caſibus, omnium egenos:
Vrbe, domo ſocias. Grates perſoluere dignas
Non opis eſt noſtræ, Dido, nec quidquid vbique eſt
Gentis Dardaniæ, magnum quæ ſparſa per orbem
Dii tibi, ſi qua pios reſpectant numina: ſi quid
Vſquam iuſtitia eſt, & mens ſibi conſcia rectè
Præmia digna ferant. Quæ te tam læta tulerunt
Sæcula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dùm fluuii current, dùm montibus vmbræ
Luſtrabunt, conuexa polus dùm ſydera paſcet,
Semper honos, nomenq; tuum, laudeſq; manebunt.

Nihil magnificentius, illuſtrius nihil, quàm de miſeris benémereri Tragicus in Medea Act. 2.

Confide regnis, cum leuis magnas opes
Huc ferat, & illuc caſus, hoc Reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiet dies,
Prodeſſe miſeris, ſupplices fido Lare
Protegere.

II. Res

Ex ipſa rei vrgentis conditione gratia petitur quæ tùm magnitudine, tùm difficultate æſtimatur. Quò enim majora ſunt, ac difficiliora, quæ ab amicis præſtantur, eò major ipſa gratia judicatur. Vt ſi captiuus aliquis, & morti jam adjudicatus vitæ reſtituatur; quia res ipſa pretioſa, ſalus & vita. Cic pro Flacco, cuius in detegenda, & opprimenda Catilinaria coniuratione beneficium recenſet, & ab ipſa re, more ſuo gratiam amplificat, n. 102 *O nox illa quæ penè æternas huic vrbi tenebras attuliſti, cùm Galli ad bellum, Catilina ad vrbem, coniurati ad ferrum, & flammam vocabantur: cùm ego te Flacce, cœlum noctémq; conteſtatus, flens flentem obteſtabar, cùm tuæ fidei optimæ, & ſpectatiſſimæ ſalutem vrbis, & Ciuium commendabam. Tu tu Flacce, Prætor communis exitii nuntios cepiſti, tu incluſam in litteris Reip. peſtem deprehendiſti; tu periculorum indicia: tu ſalutis auxilia ad me, & ad Senatum attuliſti. Quæ tibi tum gratia à me acta? quæ ab Senatu? quæ à bonis omnibus*

Id quoque conſilio & incredibili ſapientia nobilis ſcriptor Liuius tractat, apud quẽ Rex Eumẽtes in Senatu Rom. ſua in illũ, populũque beneficia recenſet, gratiamque ſibi referri, ſed modeſtè poſtulat, lib. 38. *Non gloriabor eo, quod nihil in vos deliquerim, illa potiùs quæ vetuſtiſſimæ domus noſtræ vobiſcũ amicitiæ digna ſunt referam. Terreſtribus naualibuſq; copiis, vt nemo veſtrorũ ſociorum me æquipare poſſit imp. veſtros adjuui commeatus terra mariq; ſuppeditaui, naualibus præliis, quæ multis locis facta ſunt, omnibus adfui; nec labori meo, nec periculo*

Digitized by Google

periculo vſquam peperci: quod miſerrimum eſt in bello obſidionẽ paſſus ſum, Pergami incluſum cum diſcrimine vltimo ſimul vitæ, regnique. Liberatus deindè obſidione, cum alia parte Antiochus, alia Seleucus circa Arcem regni mei caſtra haberẽt relictis omnibus meis tota claſſe ad Helleſpontum L. Scipioni Conſuli veſtro occuri, vt eum in traijciendo exercitu adiuuarẽ. Poſteaquàm in Aſiam exercitus veſter eſt tranſgreſſus nunquã à conſule diceſſi; nemo miles magis aſſiduus in caſtris veſtris fuit, quàm ego fratreſque mei. Nulla expeditio, nullũ Equeſtre prœliũ ſine me factũ eſt: in acie vbi ſteti eam patrẽ ſum tutatus, in qua me Cõſul eſſe voluit.

III. Temporis conditio.

Expendenda diligenter temporis conditio, quæ non rarò facit, vt ſua natura non magnum beneficium, eſſe tamen maximum videatur, propter egeſtatem, aut temporis opportunitatem. Hoc præcipit, & obſeruat Cic. Phil. 3. vbi Cæſaris Aug. beneficium cum aliis modis, tùm maximè temporis notatione exaggerat, num. 3. *C. Cæſar adoleſcens penè potius puer, incredibili ac diuina quadam mente, atque virtute tùm cùm furor arderet Antonii, cùmque eius à Brũduſio crudelis, & peſtifer reditus timeretur, nec poſtulantibus, nec cogitantibus, nec opinantibus quidem nobis (quia fieri nõ poſſe videbatur) firmiſſimum exercitum inuicto genere veteranorum militum comparauit, patrimoniũque ſuum effudit. Quanquam non ſumus vſi verbo, quo decuit. Non enim effudit, ſed in ſalute Reip. collocauit. Cui quamquam gratia referri tanta non poteſt, quanta debetur habenda tamen tanta eſt, quantam maximam animi noſtri capere poſſunt.*

Clarius idem per hypotypoſim ſubijcit Phil. 5. num. 42. *Venio ad Cæſarem, qui niſi fuiſſet, quis noſtrum eſſe potuiſſet? aduolabat ad vrbem è Brunduſio, homo impotentiſſimus ardens odio, animo hoſtili in omnes bonos, cũ exercitu Antonius. Quid huius audaciæ, & ſceleri poterat opponi? Nondum vllos duces habebamus, non copias; nullum erat conſilium publicũ nulla libertas, dandæ ceruices erant crudelitati nefariæ; fugam quærebamus omnes, quæ ipſa exitum non habebat.*

IV. Dantis perſona.

Quia nimirum auget non parum, & amplificat meritum; ſi quis primus, ſi ſolus, ſi cum paucis, ſi magna quis auctoritate præditus, beneficium conferat. Hanc notam vidit, & expreſſit Cic. cum beneficia Ligarii in Cæſarem in collata breuiter expendit, num. 36. *Equidem cùm tuis omnibus negotiis intereſſem memoriâ teneo qualis T. Ligarius Quæſtor Vrbanus fuerit, erga te dignitatem tuam, ſed parum eſt hoc meminiſſe: ſpero etiam te qui nihil obliuiſci ſoles niſi injurias, quoniam hoc eſt animi, quoniam etiam ingenii tui, te aliquid de huius Quæſtoris officio cogitantem etiam de aliis quibuſdam Quæſtoribus reminiſcentem recordari.*

Pro Plancio fatetur ſe non poſſe non eſſe in illum gratum, & memorem ob merita, quæ dantis perſonæ ſimul, & accipientis conditione tàm multis exaggerat, vt longè maiora dicat, quàm re ipſa fuerint: vndè non æqui iudices illum, arcem ex cloaca facere dixerunt, ſaxumque è ſepulchro venerari pro Deo: magna tamen eſſe beneficia, quæ in exilio à viro magno conferuntur nemo negauerit, num. 99. *Nam ſimul ac me Dyrrachium attigiſſe audiuit, ſtatim ad me lictoribus dimiſſis, inſignibus abjectis, veſte mutata profectus eſt. O acerbam mihi Iud. memoriam temporis illius, & loci, cùm hic in me incidit, complexus eſt, conſperſitque lacrymis, nec loqui præ mœrore potuit. O rem cùm auditu crudelem, tùm viſu nefariam!*

V. Modus.

Modus valet ad concitandam gratiam. Multus in hoc fuit Tull. Phil. 5. Cæſaris à modo beneficia commendat, & amplificat. num. 43. *Quis tùm nobis, quis populo Rom. obtulit hunc diuinum adoleſcentem Deus? qui, cùm omnia ad perniciem noſtram peſtifero illi ciui paterent, ſubitò præter ſpem omnium exortus, prius confecit exercitum, quem furori M. Antonij opponeret, quàm quiſquam hoc eum cogitare ſuſpicaretur.*

Iterum ſe benè memorem, & gratum probat in Orat. poſt reditum in Senatu, reſtitutioniſque beneficiũ, indicatione modi pluribus exaggerat, n. 36. *Pro me non, vt pro P. Popilio nobiliſſimo homine, adoleſcentes filii, non propinquorum multitudo pop. Rom. eſt deprecata, non vt pro Q. Metello ſummo & clariſſimo viro, ſpectata jã adoleſcentia filius; non L. & Q. Metelli conſulares, nõ eorũ liberi, non Scipiones, nõ*

Metel-

Metellorum filij flentes, ac ſordidati, pop. Rom ſupplicauerũt; ſed vnus frater, qui in me pietate filius, conſiliis parẽs, amore vt erat frater inuẽtus eſt, ſqualore & lacrymis, & quotidianis precibus, deſiderium mei nominis renouari, & rerum geſtarum memoriam vſurpari coëgit,

Tantum hic modus Tullio placuit, vt illum non ſemel vſurpauerit 2. in Rullum populi Rom. beneficia gratus memorat, num. 2. *De me autem ipſe vereor, ne arrogantis ſit apud vos dicere: ingrati tacere: Nam & quibus ſtudiis hanc dignitatem conſequutus ſim; memeptipſum commemorare per quàm graue eſt: & ſilere de tantis veſtris beneficiis nullo modo poſſum. Nam ſi recordari volueritis de nouis hominibus reperietis eos, qui ſine repulſa conſules facti ſunt diuturno labore, atque aliqua occaſione eſſe factos, cum multis annis poſt petiſſent, quâm Prætores fuiſſent, aliquantò ſerius, quàm per ætatem, ac per leges liceret: qui autem anno ſuo petierint, ſine repulſa non eſſe factos: me eſſe vnum ex omnibus nouis hominibus, de quibus meminiſſe poſſumus, qui conſulatum petierim, cùm primum licitum ſit; Conſuli factus ſim, cùm primum petierim: vt veſter honos ad mei temporis diem petitus, non ad alienæ petitionis occaſionem interceptus, nec diuturnis precibus efflagitatus, ſed dignitate impetratus eſſe videatur.*

V I. *Locus.*

Facit etiam locus ad gratiam; nam Cic. loci notatione legionis Martiæ beneficium commendat, Phil. 3. num. 6. *Atque ea legio conſedit Albæ. Quàm potuit vrbem eligere, aut opportuniorem ad res gerendas, aut fideliorem, aut fortiorum virorum, aut amicorum populi Rom. Ciuium.*

VII. Finis.

Conſiderandus etiam finis eſt ad gratiam. Cic. M. Lepidi merita in Remp. cauſæ finalis notatione commendat. Phil. 5. nu. 38. *Atque etiam M. Lepido pro ejus egregiis in Remp. meritis decernendos honores quâm ampliſſimos eſſe cenſeo. Semper ille pop. Rom. liberum eſſe voluit, maximumque ſignum illo die dedit voluntatis, & judicii ſui cùm Antonio diadema Cæſari imponente ſe auertit, gemituque, & mæſtitiâ declarauit, quantum haberet odium ſeruitutis, quàm populum Rom. liberum cuperet, quàm illa quæ tulerat temporum magis neceſſitate, quàm judicio tuliſſet.*

LECTIO L.

Remouetur gratia.

FAcilis eſt methodus & ratio, vel eleuandæ vel etiam remouendæ gratiæ. Si probes eum qui beneficium confert in alterum, priuatum commodum, non alterius vtilitatem, ſpectare: nempe ſi quis ei ſubueniat, à quo longè plura ſe reportaturum eſſe ſperat; neque enim ille tàm beneficium dare, quàm fœnerare dicendus eſt.

Gratia corrumpitur, ſi detur fortuitò. Quis carcerem fregit, quo patrem liberaret & ſimul cum parente multos liberauit: nemo in beneficiis numerat, quod ſibi fortuitò accidit, aut neceſſitate, non voluntate; vicinum quis incendium extinguit, ne ipſe cum tota familia conflagret, vicino quidem profuit, ſed quia coactus, ab eo nihil beneficii loco repetere poteſt, aut debet.

Minuitur gratia ſi non vtilis, ſed pernicioſa oſtendatur. Hinc acutè Tull. 2. in Rullum beneficium ejus nullum probat, cùm legem Agrariam populo pernicioſam demonſtrat, num. 15. *Sic confirmo Quirites hac lege Agraria pulchra atque populari, dari vobis nihil condonari certis hominibus omnia: oſtentari pop. Rom. agros, eripi etiam libertatem, priuatorum pecunias augeri, publicas exhauriri; denique, quod eſt indigniſſimum, per Tribunum plebis, quem maiores præſidem libertatis cuſtodemque eſſe voluerunt, Reges in ciuitate conſtitui.*

Non datum, ſed redditum beneficium gratiam remouet, Sic filij, licèt multis in rebus parentibus opitulentur, non beneficium dare dicuntur, quibus debent omnia, neque parem vnquam gratiam referre poſſunt.

Non dicitur is conferre beneficium, qui res abjectas, & viles tribuit, cuiuſmodi ſunt hoſpitis Calabri munera, de quibus Horat. Epiſt. primo ep. 7.

Non quo more piris veſci Calaber iubet hoſpes,
Tu me feciſti locupletem veſcere ſodes,
Iam ſatis eſt, at tu quantum vis tolle benignè.
Non inuiſa feres pueris munuſcula paruis,

Tàm

Digitized by Google

Tam teneor dono, quàm ſi dimittar onuſtus,

Vt lubet hæc hodie, Græcis comedenda relinques. Non eſt putandus dediſſe beneficium nobis, qui vel eadem, vel majora conceſſit inimicis. Sic negat Cicero benè de ſe meritum eſſe Antonium, quòd ſibi vitam conceſſerit, quàm & hoſtibus ſæpè dediſſet, 2. Phil num. 4. *Auguratus petitionem mihi te conceſſiſſe dixiſti. O incredibilem audaciam ô impudentiam prædicandam! quo enim tempore me augurem à toto collegio expetitum Cn. Pompejus, & Qu. Hortenſius nominauerunt, tu nec ſoluendo eras, nec te vllo modo, niſi verſa Rep. incolumem fore putabas. Poteras autem eo tempore auguratum petere, cùm in Italia Curio non eſſet? aut tùm cùm eſt factus, vnam tribum ſine Curione ferre potuiſſes? cujus etiam de vi familiares condẽnati ſunt, quòd tui nimis ſtudioſi fuiſſent. At beneficio ſum vſus tuo. Quo? quamquam illud ipſum, quòd commemoras, ſemper præ me tuli, malui me tibi debere confiteri, quàm cuiquam minus prudenti non ſatis gratus videri. Sed quo beneficio? quod me Brunduſij non occideris? quẽ ipſe victor, qui tibi, vt tute gloriari ſolebas, detulerat ex latronibus ſuis principatum, ſaluum eſſe voluiſſet, in Italiam ire juſſiſſet, eum tu occideres? fac potuiſſe. Quod eſt aliud beneficium latronum, niſi vt commemorare poſſint, iis ſe dediſſe vitam, quibus non ademerint.*

LECTIO LI.

De Leni motu; ſiue de locis Oratoris.

NON immeritò Pindarus Oly, cantu quinto Mineruam λιπάοχον, ductricem motricemque ciuitatum appellat cui etiam Cynicæ ſectæ princeps Antiſthenes virgam attribuit, vt plerique omnes Mercurio, juſtoque volumine celebrat, quâ Pallas hos mulceret, illos flecteret, illis torporem excuteret, iſtis etiam vitam redderet, ſequutus Homerum, qui adoleſcentis in ſpeciem ex ſene, hac Mineruæ virgula mutatum Vlyſſem fabulatur Odyſſ. ν.

Ὣς ἄρα μιν φαμένη ῥάβδῳ ἐπεμάσσατ' Ἀθήνη.

Vt verò ipſum eſt alloquuta, virga demulſit Minerua.

Hac vti debent viri in eloquentia primarii ad fidem non modò faciendam, ſed ad mouendos flectendoſque in vtramuis partem Auditores ſuos. Et verò non aliam Mercurii virgam eſſe docet Iulianus Imp. in epiſt XL. XLI. ad Iamblicum; in quibus illius eloquentiam his verbis commendat, *ἐπεὶ δ' αὐτὸς ἡμῖν τῷ μέλανι, τὸ ἐνδόσιμον μαστεύεις, καὶ οἷ' Ἑρμοῦ ῥαβδίῳ κινεῖς, καὶ διεγείρεις καθεύδοντας.* Verùm quando tu nobis ad cauendum præis, & tanquam Mercurij virga nos moues atque excitas dormientes.

Satis hactenus de grauioribus affectibus, nunc paucis de leni motu dicendum, quem duplicem faciunt Oratores: vnum qui in vita verſatur, à vita petitur, aut Oratoris, vel Auditorum, vel etiam Rei; alterum qui occupatur in Iocis. Primus dicta, mores, inſtituta, facta continet. Dicta morum præbent lenem, ſi ab alicuius effato præclaro ſapienteque leniamus eius animum, vel etiam aliorum; apud quos dicimus. Tale fuit illud Tullij viri ſubtilis eloquij pro Marcello Cæſarem mirificè mollientis, ab eiuſdem imperatoris effato, quo ſe ſatis diu vel honori, vel naturæ vixiſſe dixerat, dum arguit eum ciuitati maximè neceſſarium, num. 26. *Itaque illam tuam præclariſſimam, & ſapientiſſimam vocem inuitus audiui; ſatis te diu, vel naturæ vixiſſe, vel gloriæ, ſatis ſi ita vis, naturæ fortaſſe, adde etiam ſi placet, gloriæ: at quod maximum eſt, patriæ certè parum. Quare omitte quæſo, iſtam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam noli noſtro periculo ſapiens eſſe. Sæpè enim venit ad aures meas te idem iſtud nimis crebrò dicere, ſatis te vixiſſe. Credo, ſed tùm id audirem, ſi tibi ſoli viueres, aut ſi tibi etiam ſoli natus eſſes.*

A moribus petitur argumentum, & motus lenis, ſi timorem, ſi miſericordiam, ſi clementiam, & alias huiuſmodi affectiones excitemus; maximéque ſi juſtos, innocentes, Religioſos, patientes injuriarum nos oſtendamus; ſi pietatem, amorem, dolorem, & id ejuſdemmodi afferamus. Quod facit Tull. pro Roſc. Amer. num. 9. pro Cœlio. num. 2 pro Mur. 6. *Negat eſſe eiuſdem ſeueritatis Catilinam exitium Reip. intra mœnia molientem, verbis & penè imperio vrbe expuliſſe, & nunc pro L. Murana dicere. Ego autem has partes, lenitatis, & miſericordiæ, quas me natura ipſa docuit*

Sſs ſemper

Hinc magnum Baſilium perfectæ vrbanitatis numeros ſic implentem facit eius vitæ ſocius & amicus Nazian. oratione 20. in laudem illius. Quis in cœtibus adeò iucundus? quantum quidem ipſe cognoſco, qui ipſius maximè periculum feci. Quis in narrando feſtiuior? quod ſi non lepidus quiſpiam, & facetus erat, nec circumforaneus, nec ex eo quod omnibus omnia fieret, pleriſque gratus, & aceptus quid tum? Nonne laudem potius, quàm reprehenſionem hoc nomine mereatur, ſaltem apud mente præditos?

Rideamus ergo dummodo innocenter, vitetur cachinnus qui pleniori ore fieri amat, Quam laudem Nepotiano tribuit D. Hieron. ep. 3. qui beatis mentibus innocentia vitæ ſimilis, pij vultus iucunditatem præferebat. *Gaudium in riſu non cachinnum intelligeres.*

PVNCTVM II.

Sitne Oratoris velle riſum mouere

ORatoris eſſe mouere riſum ſatis arguunt vtilitates, quæ ex illo percipiunt. Sex enumerat Cic. 2. de Orat: n. 236. Beneuolentiam, admirationem, & plauſum ingenij, læſum aut fractum aduerſarium, eruditionis & vrbanitatis ſignificationem, triſtitiæ delinitionem, odij denique diſſolutionem. ***Eſt planè oratorum mouere riſum inquit orator; vel quod ipſa hilaritas beneuolentiam conciliat ei per quem excitata eſt; vel quod admirantur omnes acumen vno ſæpè in verbo poſitum, maximè reſpondentis, nonnunquam etiam laceſſentis: vel quod frangit aduerſarium, quod impedit, quod eleuat, quod deterret, quod refutat; vel quod ipſū oratorem politum eſſe hominem ſignificat, quod eruditum, quod vrbanum, maximéque quod triſtitiam, ac ſeueritatem mitigat, ac relaxat, odioſaſque res ſæpè, quas argumentis dilui non facilè eſt, ioco riſuque diſſoluit.***

Huius vtilitatis affert exemplum Demadis Sextus Empiricus contra Mathematicos qui ſubiratum Philippum poſt Cherſonenſe prælium ioco penitus mollierit, libertatemque ciuium exorarit, dum inuitatus ad conuiuium dixit.

Nā quis homo meritā qui laude ornādus habetur
Antea ſuſtineat, potuque, ciboque repleri,
Seruitio eſſe ſuos quàm videat ipſe ſolutos.

Nec omittendum Democratis factum ſanè elegans. Is accuſatus impietatis Athenis petituſque ad necem, hoc ioco non modò ſe præſenti periculo liberauit, ſed & honorem conſequutus eſt: caput cinxit coronis, floribuſque, tum in circum publicum aduolauit, ſicque cœpit. Impietatis accuſor, quod myſteria contempſerim, non ego contempſi, ſed initiari nolui; quia ſi bona vidiſſem, ſacra dediſſem omnibus; ſi mala iam initiatos ab iis deterruiſſem Hoc ſi malum eſt, ecce me victimam coronatam, mactate me: populus illum plauſu excipiens, deinceps ſummis honoribus coluit, veneratuſque eſt.

Veruntamen adhibenda eſt in ioco moderatio, metiendumque ex adiacentibus rerum, & perſonarum totum hoc negotium ex Cic. 2. de Orat. 237. Quia nec accuſatorem atroci in cauſa, nec patronum in miſerabili iocantem ferēt quiſpiam, ait Quintil. Inſignis quippe improbitas ſupplicio non riſu digna eſt, & præter miſerationis ingenium riſui adverſum inhumana videtur fortunæ iacentis inſectatio; vel quia culpâ caret; vel quia recidere etiam in eos, qui obiecerunt, poteſt.

Sunt quidam præterea ita receptæ auctoritatis, & notæ verecundiæ, vt nocitura ſit in eos dicendi petulantia; iis ergo parcendum, quos publica charitas complectitur.

PVNCTVM III.

Quotuplex iocandi genus.

IAm verò cum duplex ſit omnino iocandi genus; alterum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum: alterum elegans vrbanum, ingenioſum, facetum; hoc ſi tempore, & remiſſo animo fiat, homine libero dignum eſt: Illud eſt ſcurrile, & ad piſtrinum cum comico damnandum, quod ſic deſcribit in Trinummo Act. 1. Sc. 2.

Digitized by Google

Nil eſt profectò ſtultius, neque ſtolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque periurius,
Quam vrbani aſſidui ciues, quos ſcurras vocant.
Atque egomet me adeò cū illis vnà ibidem trabo
Qui non illorum verbis falſis acceptor fui?
Qui omnia ſe ſimulant ſcire, nec quidquā ſciunt,
Id quod in aurem Rex Regina dixerit
Sciunt. Quod Iuno fabulata eſt cum Ioue.
Quæ neque futura, neque facta ſunt, tamē ſciunt.
Falsène an verò laudant, culpent quem velint?
Non flocci faciunt, dum illud quod lubeat ſciant.

Ex his facilè colligitur modum iocandi ſeruandum Oratori, comicorumque præpoſteram agendi rationem abiiciendam eſſe, quæ eſt inimica verecundiæ, ſine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum. Et quidem nimium riſus pretium eſſet, ſi probitatis impendio conſtaret.

Procul ſit igitur agreſtis aſperitas, ac obſcœnitas omnis, in ludicris verò modeſtia ſit, quæ lucis ac iocis rationis modum imperet. Nam ſicuti ſal modicè cibis aſperſus, condit & gratiam ſaporis addit; Ita ſi paululum antiquitatis, aut ioci admiſcueris, oratio fiet venuſtior, ſi plus ſatis nihil inſuauis.

Qui riſum mouent nimium, aut peccant modo, aut genere verborum; qui modo peccat, nihil penſi ducit, in quos, apud quos, quo tempore, quo loco, qua cauſa iocetur, vſque adeò ridiculorum cupiditate tenetur, licet verbis turpibus abſtineat, ſcurra eſt nihilominus, illiberalis & petulans: qui genere verborum ſeruilis, minimèque ingenuus, Ciceroni flagitioſus.

Itaque de re videndum eſt, an eam dicere integro pudore, ſaluóque officio poſſimus: tùm ſi dici poſſit, an eam à nobis dici non dedeceat. Maxima vis eſt loci, temporiſque; nam eadem res alio, atque alio loco, ſeu tempore laudem merètur, & in reprehenſionem incurrit.

Videndum inſuper quibus præſidiis, aut laceſſere poſſimus aut laceſſentibus reſpondere cum lepóre, & venuſtate. Refert etiam plurimùm quomodo dictum iocoſum, ſiue ridiculum proferatur; ſine ira, ſine obſcœnitate, cum hilaritate vultus, & ſuauitate vocis. Sed nihil eſt omnium, quod plus, quàm cauſa obſeruari debeat in ſalibus, ſiquidem in hoc potiſſimum Tull. Oratoris & Scurræ diſcrimen collocat: quòd ſcurra ſine cauſa riſum captet, Orator vt proficiat.

Si ducem atque monitorem egregium Cic. ſequatur Orator in dicendo, non errabit. Præceptum eſt huiuſmodi in Orat. perfecto. n. 88. *Illud admonemus, ridiculo ſic vſurum Oratorem, vt nec nimis frequenti, ne ſcurrile ſit: nec ſubobſcœno, ne mimicum: nec petulanti, ne imbrobum; nec in calamitatem, ne inhumanum; nec in facinus, ne odij locum riſus occupet: neque aut ſua perſona, aut tempore alienum. Hæc enim ad illud indecorum referuntur. Vitabit etiam quæſita, nec ex tempore ficta, ſed domo allata, quæ plerumque ſunt frigida, parcet & amicitiis, & dignitatibus, vitabit inſanabiles contumelias; tantummodo aduerſarios figet, nec eos tamen ſemper, nec omnes, nec omni modo.*

PVNCTVM IV.

An de iocis & facitiis ars inſtitui poſſit aliqua.

FAcetè Martialis ac eruditè lib. 1. epigr. 35.
Non cuique datum eſt habere naſum.
Hoc eſt argutè, vrbanè, ingenuéque jocari: plerique enim dùm argutias leporeſque affectant, vel in ſcurilitatem, vel procacitatem, obſcœnitatemque incidunt. Proindè quæretur cum vtiles iam facetias eſſe conſtet, an vlla arte comprehendi earum ratio queat. Cæſar apud Cic. 2. de Orat. num. 217. *Ego verò omni de re facetius puto poſſe ab homine non inurbano, quàm de ipſis facetiis, diſputari. Inueni ridicula, & falſa multa: ſed qui eius rei rationem quandam conati ſunt, artemque tradere, ſic inſulſi extiterunt: vt nihil aliud niſi ipſa inſulſitas rideatur.*

Affirmandum tamen cum Fabio hoc quidquid eſt præcipuè poſitum in natura, quæ non tantum in hoc valet, vt acutior quis, atque habilior ſit ad inueniendum; ſed ineſt proprius quibuſdam decor in habitu, atque vultu, vt eadem illa minus dicente alio videantur vrbana eſſe. Tum in occaſione in qua tanta vis, vt ſæpè

Digitized by Google

ſæpè ea adiuti, non indocti modò, ſed etiam ruſtici ſalſa dicant in eum quiſquis aliquid dixerit prior. Sed cùm notari poſſint nonnulla, quæ ſequi aliquis, & fugere in hoc genere poſſit, efficitur, vt ſi ridiculum nõ ſit ars propriè dicta, certè obſeruatio quædam exiſtat, qua n ex Cæſare Ciceroniano, Fabio, cæteriſque haurire quiuis poſſit. Ita viſum Agricolæ l. 3, cuius hæc ſunt. Conſtat hæc facultas natura primùm, quæ in omni re multum, in hac plurimum poteſt: deinde quod proximum eſt crebro vſu; ſunt tamen etiam tradita præcepta, quatenùs tradi præceptis poteſt.

PVNCTVM V.

Quid ſit Riſus.

GRegorius magni Baſilij frater in libro de homini, nouũ de riſu dogma proponit, dùm ait audita, vel conſpecta re ſuaui poros corporis dilatari, & introrſum aërem recipi, qui naturam titillat, & omnia viſcera, quò fit vt corpus ſuauitate quadam moueatur, naturáque tandem expellat illum aërem diducto oris rictu.

Scaliger in Gardanum exercitatione 317. Riſum communem dicit ori, & pectori quatuor de cauſis. Prima, nomen nondum habet, ſed ridiculè dictum, factúmue præter morem communem, aut expectationem, ſententiamque ſapientum. Altera cauſa lætitia eſt; tertia rerum etiam ſeriarum admiratio, quarta contemptus, aut Indignatio ſoluens os; ab illo dicti irriſores, ab hac riſus Sardonius.

PVNCTVM VI.

Quotuplex Riſus.

MVlta verò ſunt riſus genera, quæ reiici debeant ab Oratore, ſcurrilitas procax, & petulans dicacitas, quæ ſales inſulſos, nugas aniles, facetias inuenuſtas, ſultã vrbanitatem, & frigidam, dicta ſordida miſcet vomitque largo ſpiritu.

Scurra.

Scurræ ſunt, qui modum excedũt in ridiculis, vel non ſalua dignitate perſonæ riſum mouent, indignum Oratore. Cæcilium ab hoc inſectatur Mart. lib. 1. epigr. 45.

Vrbanus tibi Cæcili videris.

Non. Crede mihi. Quid ergo? verna es.

Hoc eſt Scurra, Romani quippe nobiles vernas olim alebant, qui ſcurrilitate ſua eos oblectarẽt 2. de Orat. num. 239. Demonax apud Lucianum Scurram egit, cùm Senatori elegantulum filium offerenti dixit. Dignus te eſt puer, & matris ſuæ ſimillimus; quo grauiter Senatorem læſit.

Mimus.

Mimica dicacitas Ethologorum: ſeu Mimus dictorum, vel factorũ impudens imitatio, quam reiicit ab Oratore Cic. longè verò dicacitas aliter ſumitur, nimirùm pro breui & acuto dicto, quale eſt eius qui Philippo dicenti, quid latras? reſpondit furem video. Sic conuicium conuicio repreſſum eſt: Ille hunc vocat canem: hic illum notat furem.

Tale fuit illud Q. Optimij viri conſularis, qui non adeò benè audiit adoleſcens: hic Ægidio homini feſtiuo, ſed qui mollior videbatur, ac factior, mores fœmineos ſic exprobrauit. Quid tu Ægilia mea, quando ad me venies, cum tua lana & colu? lepidè hoc retorquens Ægidius. Non Pol, inquit, audeo; Nam me ad famoſas accedere mater vetuit.

Sanna.

Sanna eſt irriſio quæ non ſimplicibus verbis, ſed cum geſtu fit, ore diſtorto, vultu ad riſum compoſito, labris contractis, anteriorum dentium oſtentatione. Sannio vel ſubſannator qui, ore, vultu, voce, toto, denique corpore, dum mores imitatur, ridetur. Eſt que in dictis, in motibus in ſcenis fatuus, cuius lingua, vel agi em manũ, vel caperatam frontem, aut ſubductum vultum conducit, vt quem ſibi deſignauit, efficacius cauilletur. Manus igitur, frons, oculi, nates, ſub-

ſannantis linguæ ſunt veluti Satellites. Omnium optimè nebulo Satyricus ſubſannantem linguam videtur expreſſiſſe Satyra 1.

O Iane à tergo quem nulla Cyconia pinſit;
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis, albas,
Nec lingua, quantum ſitiat canis appula, tantum
Occipiti cæco, poſtica occurrite Sanna.

Tres Sannarum modos aperit, quibus veteres vtebantur. Primus erat cum indice digito in eum, quem ridebant, directo, crebra eiuſdem curuati motitatione Cyconiam roſtro pinſentem imitabantur.

Alter ſubſannandi modus auriculas aſininas imitari manu; quos enim aſinos arguere volebant, oppoſito temporibus pollice, & manu commotâ, Sannam eis faciebant. Huic Sannæ affine eſt, quod ad contemptum rei alicuius exprimendum, caput mouebant, quia aliter aures non poterant.

Tertius Sannæ modus erat, linguam inſtar ſitientis canis exertare, ad contumeliam alicuius. Ita Gallus miles apud Gellium l.9. Att, noct. c.13. Inuſitæ magnitudinis homo Romanos exertante lingua, vt imbelles irridebat, quod illorum nullus ſe duello ſiſtere auderet, ob formidandam viri molem.

Iam ſi lingua ſubſannans hoc vnum agat, vt ſugillet, & omnibus quos non amat proteruè illudat, inter vitioſiſſimas cenſenda eſt, & ab oratione remouenda: Tùm noxis vacua, quando nō tàm vitioſos, quàm vitia irriſu plectit, neque lædere vult, ſed corrigere.

Ludouicus XI. Galliarum Rex, modeſtè non minus, quàm acutè potuit irridere Paulinum Burgundiæ Cancellarium; intellexerat ab illo valetudinarium publicum recipiendis exteris eſſe conditum; quod non ſine aculeo notans Ludouicus, *hoc rationi admodum conſentaneum eſt*, inquit, *vt qui plures pauperes effecit, tandem iis excipiendis domum exædificandam curauerit*. Quo dicto ſimul Iudicum in exigendis mulctis rigorem, & in pauperibus premendis ſeueritatem, illorumque cauſis agendis ignauiam ac torporem accuſabat.

Huius animi fuit vir integerrimus Thomas Morus, qui nouerat eruditè vitioſis moribus illudere. Matrona quædam nitidiore cultu, quàm animo, faſtúque turgida, & induta veſte, cui bonam fundi, agrorumque partem impenderat, præſente Moro conquerebatur, ſe indumentorum nimio pondere prægrauari; falsè Morus irridens. Non eſt mirum ô bona te veſtium onere laborare cum amplis quàm quatuor terræ iugera veſte circumferas.

Non aliter. Lacedæmonius ille, quem Herodotus lib.7. Deiocem appellat, de quo Tull.1. Tuſcul. n. 10: *Cùm Perſes hoſtis in colloquio dixiſſet glorians. Solem præ iaculorum multitudine, & ſagittarum non videbitis. In vmbra igitur*, inquit, *pugnabimus.*

Hic acutè ſapienterque dicta Henrici magni faciunt, quæ Regij planè ingenij ſagacitatem arguunt, & aliorum ſtuporem notant. Ineptum quendam ſcriptorem, qui librum emiſerat in lucem vir apprimè nobilis excuſabat, quòd litteras non didiciſſet: *Hæc excuſatio* ait, Rex ſapientiſſimus, *gemina accuſatio eſt, ignorantiæ & temeritatis Satius eſt tacere, quàm ineptè loqui, & meliori conditione mutus eſt, quàm futilis loquuleius.*

Medici quidam inter ſuos doctrina, & auctoritate, præcipui, ab hæreticis defecerant ad Catholicos: quod cùm audiſſet, Rex Chriſtianiſſimus. *Illane* inquit, *depoſitares eſt Hugonotorum, quæ relinquitur à Medicis.*

Sororem Regis laudabat nobilis Caluiniſta quòd ſola pro hæreticis acerrimè pugnaret, tùm Rex ſubridens; *peſſimè ſe habet veſtra religio, cui colus telum; & dux fœmina.*

Alias vir minimè malus, ſed non ſatis prudens ſub finē prandij accedit moleſtus interpellator, clamat, quiritatur, & fidem, & iuſtitiam implorat. Ego tibi Rex inuictiſſime, rem dictu fœdam, & deteſtabilem narraturus venio: *Caue*, inquit, *his auribus dixeris, ſi fœda eſt, ac deteſtabilis.* Pergit homo, vt erat commotior; plagiarij Ieſuitæ filium mihi annos quindecim natum ſurripuerunt. Quę mens? Quod iudicium puero ad vitæ genus eligendum; tùm Rex, *minimum*, inquit *nam patri penè nullum eſt*,

Mordacitas.

Ἀστεϊσμός eſt exprobratio directa ad contumeliam, quæ mordacitas nominatur 2. de Orat. nu. 240.

Digitized by Google

140 Inſpecimen eſt illud Theocriti, qui vt ad oculos veniret Antigoni, cum amici dicerent, ſi ſaluus eſſe veller. *Nunquam igitur* ait *ſaluus ero; quia nunquam ad ejus oculos veniam*: quippe qui carebat oculorum altero.

Tale eſt illud Sannazarij vatis

Sacra ſub extrema ſi fortè requiritis hora,
Cur leo non potuit ſumere; vendiderat.

Scomma.

Eſt morſus figuratus, ſeu tecta mordacitas. Vnum dictum de dictis melioribus eſt illud ejuſdem Sannazarij de Ferrando rege.

Ex ferro nomen tibi ſit licet, aurea condis
Sæcula, nam ſub te Principe nemo metit.

Virtute ſapientiâque magnus Princeps olim acerbiore oculo iuuenem facetias ſpargentem, nec geſtu ſemper decoro ventrem conſpicatus, imò etiam nonnihil vitulantem, moreſque tàm ſolutos acero ſtringendos cenſens, libera voce, *videor*, inquit, *mihi noſſe cui ſtomacho cibus foret aptiſſimus*: cuinam ait ille? mox Princeps, vt erat excellentis ingenij vir, *meorum leonum. Nam multum carnis vitulinæ habes*. Satis mordaciter dictum ad modeſtiam reuocandam. Ille iuueniliter exultans non propterea calidum os compreſſit, ſed lingua iam concitatiore *Videor &c*, inquit, *mihi noſſe ad quam non tua celſitudo mirè foret opportuna; ſi liceret id proferre*. Licet: tum promptiſſimè: *tua celſitas mirè opportuna eſſet ad educandas adoleſcentes Simias, quo perfidiam celerius addiſcerent*. Hi verborum morſus reciproco dente infixi, ſeminarium immortalis odij ſunt; proinde longè ſunt ab oratione remouendi, qui ludendo feriunt, ridendo ſauciant.

Amarum fuit illud dictum in Domitianum Romanas vineas demoliri parantem, apud Suetonium in ejus vita c. 14. Etſi me comederis ad radicem, tamen adhuc fructum producam, quantum infundi Cæſari immolato ſufficiat. Quod videtur ex Ouid. deſumptum 1. Faſt. dum ſacrificandi ritum expendit, in quo vinum, aut oleum, quibus condiri quodammodo videantur victimæ, effundebant.

Rode caper vitem, tamen huic cum ſtabis ad aram,
In tua quod ſpargi cornua poſſit, erit.

Hinc petuntur irriſiones è vitiis corporis. Tale Palladę dictum ſatis acutum epigram. lib. 2.

Χωλὸν ἔχεις τὸν νοῦν, ὡς τὸν πόδα, καὶ γὰρ ἀληθῶς.
Εἰκόνα γὰρ ἐν τοσο φῦσις ἔκτος ἔχει.

Claudam habes mentem, vt pedem, nam verè imaginem eorum quæ ſunt intus, natura tua habet extra.

Tale Martialis illud lib. 12. epigr. ad Phœbum, in quo caluum comatum? imò à calua calciatum irridet.

Hædina tibi pelle contegenti
Nuda tempora verticemq; caluæ,
Feſtiuè tibi Phœbe, dixit ille,
Qui dixit caput eſſe calciatum.

Diogenes hac in re mirus artifex, à quodam caluo conuiciis appetitus, reſpondit. Tibi contumeliam non dico, ſed capillos tuos laudo, quòd malam effugerint caluam. Quæ dicta parum modeſto & graui Oratori conueniunt.

Cauillatio.

Ad Oratorem pertinet, opponiturque dicacitati 2. de Orat. n. 218. Eſt locus æquabiliter fuſus per omnem ſermonem; quale genus Orationis ſæpius inuenitur apud Plautum, Chryſippus ab improbo quodam multis conuiciis oneratus. Optimè inquit, feciſti quod nihil eorum tacueris, quæ in te ſunt. Hoc eſt ſalſam potionem propinanti, ex eodem poculo iterum propinare.

Anacharſis cuidam ſalſo Attico exprobranti, quod natus eſſet in Scythia: mihi ait probo eſt, patria, tu patriæ. Leuis plaga, ſed grande vulnus.

PVNCTVM VII.

De Iocis ad Oratorem pertinentibus.

Singularis eloquentiæ doctor Cic. hæc de faceetiis præcipit 2. de Orat. num. 239. Quærimus idem quod in cæteris rebus quærendum eſt, quatenus. In quo nòn modò illud præcipitur; ne quid

quid inſulsè, ſed etiam ſi quid perridiculè poſſis, vitandum eſt Oratori vtrumque, ne aut ſcurrilis iocus ſit, aut mimicus. Quæ cuiuſmodi ſint hactenùs à nobis dictum eſt. Iam de iis quæ ad oratorem pertinent, videndum eſt.

Ioci nomine facetias intelligimus, vrbanitatem, venuſtatem, ſalſitudinem; quæ omnia vnico nomine Græcis, γελοῖα Latinis iocis, facetiæ, riſusque & ridicula nominantur, differunt tamen inter ſe, quidem.

Vrbanitas.

Eſt ſermo præ ſe ferens in verbis, & ſono, vſuque proprium vocis guſtum, & ex conuerſatione doctorum tacitam eruditionem, quale Catonis illud, cum rideret hominem, qui poſt funus factum facultatibus, etiam domicilii faces admouiſſet, protcruiam, inquit, facit.

Maiori cum lepôre & gratia Martialis lib. 1 epigramm. 86 Vbi Diodorum auarum notat, eleganter quidem in voce Chyragra, & podagra ludens.

Litigat, & podagrâ Diodorus Flacce laborat.
Sed nil patrono porrigit, hac chyragra eſt.

Qui morbus manus captat, vt officio fungi nequeant, parci, ſordidi, auari laborant. Chyragrâ, ſcilicet inuiti largiuntur, quod manu fit.

Ruſticitas.

Huic opponitur Ruſticitas, qualis eſt illa verè paſtoris ingenui, cum Rege ſimpliciter, & parum verecundè agentis, qui rogatus quanti emiſſet, quod manu ferebat, diuina, inquit, Domine. Tanti Rex, ait, profectò reſpondet alter tantùm es mentitus duobus aſſibus. Apage mihi dura ruſticitate trucem bubulcum,

Venuſtum.

Quod cum lepôre, gratia, & ſuauitate quadam dicitur, Sic politus Martiali luſit in Attalum lib. 1. epigramm. 65. qui vt ſemper occupatus aliquid agere videretur apta, inepta agebat: ita vt, ſi quod ageret deeſſet, ageret aſinas.

Semper agis cauſas, & res agis Attale ſemper,
Eſt, non eſt, quod agas Attale ſemper agis.
Si res & cauſæ deſunt agis Attale mulas,
Attale ne quod agas deſit, agas animam.

Non minori Venuſtate, ſed acumine majori Cinnamum ridet, qui vt ſe oriundum ab antiqua illa Cinnarum ſtirpe doceret, detraxit vltimam ſyllabam, ut pro Cinnamo Cinna diceretur,

Cinnam Cinname te jubes vocari.
Num eſt dic rogo, Cinna barbariſmus?
Tu ſi furius modo dictus eſſes,
Fur iſta ratione diceretis.

Quam inanem nominis apocopem ridet exemplo furii, & furis.

Salſum.

Eſt ſimplex quoddam Orationis condimentum, quod latente indicio, velut palato ſentitur, & à tædio defendit Oratorem. Sic Linum ridendo pungit, cui nihil credendum monet, quod nihil reddat. lib. 1. epigr. 62. Martial.

Dimidium donare Lino, quàm credere totum
Qui mauult, mauult perdere dimidium.

Similis eſt Locus in Sextum lib. 2. ep. 4

Sexte nihil debes, nil debes Sexte, fatemur.
Debet enim ſi quis ſoluere, Sexte, poteſt.

Felicitatem, & fortunas Sexti laudare ſe ſimulat, cùm inopiam ejus ridet; felix enim qui nihil debet.

Huc refer Themiſtoclis, & Antigoni ſapiens effatum; quorum iſte dùm fugeret, nequaquam fugere ſe, ſed à tergo poſitam utilitatem ſequi, diceret, Alter poſt exilium ad ſocios exclamaret. Perieramus niſi periiſſemus.

PVNCTVM VIII.

Quotuplex ſit Iocus.

MArſus apud Quintilianum Ioca ſeria partitus eſt in tria genera, Honorificum, Contumelioſum, Medium. Honorifici exemplum eſt illud ex Cic. pro Ligario de Cæſare, num. 36. *Qui nihil obliuiſci ſoles niſi injurias.*

Con-

Contumelioſi ex eodem ad Atticum de Pompeio & Cæſare. *Habeo quem fugiam, quem ſequar*

Medij, ſiue apophtegmatici, cùm Cic. dixit, *Mortem neque grauem accidere poſſe viro forti, neque immaturam Conſulari, neque miſeram ſapienti.*

Cicer. partitur Iocos in eos qui in re, verbo, vtroque. Primus cùm res ipſa per ſe riſum mouet, vtcumque dicatur, qualis eſt Diogenis ingredientis Gymnaſium auerſis veſtigiis, cùm alios rectis videret incedentes.

In verbo ridiculum eſt, cum perit Iocus, ſi verbum tollas: Sic Cato Fuluium non nobiliorem, ſed mobiliorem dicebat. Sic Otacilius apud Macrobium Saturn. 2. cum Remilius vno tantum die Conſul fuiſſet. Antea, inquit, flamines, nunc Conſules Diales ſunt. Sic admodum falsè Martialis de Diaulo Medico non Æſculapio.

Nuper erat Medicus, nunc eſt Veſpillo Diaulus,
Quod Veſpillo facit, fecerat & Medicus.

Diaulus enim cùm eſſet Medicus imperitus, multos ægros occidebat, efferebátque, factus Veſpillo idem facit, quod fecerat ante, hoc eſt effert mortuos, quos occidit, quod eſt Veſpillonis.

In re & verbo, cùm & verba ſimul, & res mouent riſum. Ita Tracalus Suellio cuidam dicenti, ſi hoc ita eſt, is in exilium: per Iocum reſpondit, ſi hoc ita non eſt, iam redij Ita Cic. cum ad Pompeium veniſſet dicentibus ſerò eum veniſſe, reſpondit, *Minimè ſerò veni; nam nihil hic paratum video.* In eo videlicet Iocus fuit quod tanquam ad epulas inuitatus reſponderit, Orationémque à bello ad conuiuia traduxerit.

Fabula.

Superius de Apologo, narratione rei fictæ dictum eſt, vt de Fabula Oratione ficta, ſed quæ ad veritatem referatur. Cic. pro Sextio iocatur, n. 19. *Alter, ô Dij boni teter incedebat, quàm truculentus! quàm terribili aſpectu! vnum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperij veteris, imaginem antiquitatis, columen Reipubl. diceres intueri. Veſtitus aſper noſtrâ hac purpurâ plebeia, ac penè fuſca, capillo ita horrido, vt Capua, in qua ipſe tùm imaginis formandæ cauſa duumuiratum gerebat, ſeplaſiam ſublaturus videretur. Nam quid ego de ſupercilio dicam: quod tùm hominibus non ſupercilium, ſed pignus Reip. videbatur. Tanta erat grauitas in oculo, tanta contractio frontis, vt illo ſupercilio Reſp. tanquam Athlante cœlum niti videretur.*

Inde ſanè lepidiſſimus iocus eſt in Martiali lib. 3. epigram. 50. ad Caſſianum, vbi Cannium Sirenem omnibus præfert Sirenibus. Tàm ſuauiter ſcilicet Cannius, ac nequiter garriuit, vt vel ipſum Vlyſſem tenere potuerit ſuauitudine cantus, quem non potuere Sirenes mollibus cantilenis.

Sirenas hilarem nauigantium,
Blandáſque mortes, gaudiúmque crudele,
Quas nemo quondam deſerebat auditas,
Fallax Vlyſſes dicitur reliquiſſe.
Non miror illud, Caſſiane, mirarer
Si fabulantem Cannium reliquiſſet.

Hiſtoria.

Cauillatur ab Hiſtoria Cic. pro Roſc. num. 56. *Anſeribus cibaria publicè locantur, & canes aluntur in Capitolio, vt ſignificent ſi fures venerint. At fures internoſcere non poſſunt, ſignificant tamen ſi qui noctu in Capitolium venerint.* Concludit autem Iocum, n. 57. *Crura quidem vobis nemo ſuffringet, ſed ſi ego hos benè noui, litteram illam, cui vos vſque eò inimici eſtis, vt etiam eas omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt poſteà neminem alium niſi fortunas veſtras accuſare poſſitis.*

Illa verò eſt C, vel K, nota condemnationis. Hinc apud Suetonium,

Aurea mutaſti Saturni ſæcula Cæſar,
Incolumi nam te ferrea ſemper erunt.

Imitatio.

Fit cùm mores eius exprimuntur, vultus & ſermo ſubiicitur illius de quo loquimur. Macrob. lib. 4. cap. 2. Saturn. Cic. 1. Phil. ex imitatione jocum trahit num. 25. Quas tu mihi inquit, interceſſiones, quas religiones nominat? eas ſcilicet, quibus Reip. ſalus continerdr. Negligimus iſta, & nimis antiqua, & ſtulta ducimus. Omnis ſermocinatio, & effictio, imò & εἰκὼν ad hunc jocum pertinent.

Digitized by Google

Inuerſio.

Cùm poſteriora, priora facimus,& coniuncta diſſoluimus,ordinemque rei naturalem commutamus. Adriani Iocus eſt in Florum Lepidus. Cùm enim ille dixiſſet.

Ego nolo Cæſar eſſe,
Ambulare per Britannos,
Scythicæ pati pruinas.
Reſpondit Cæſar,
Ego nolo Florus eſſe,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Similis Iocus eſt Camilli Querni Poëtæ non ignobilis,& Leonis ſummi Pontificis.Cùm enim Quernum juberet ex tempore, ſuper menſam verſus effundere.

Sic ille cœpit.
Archipoëta facit verſus pro mille Poëtis.
Subiecit Pontifex.
At pro mille aliis Archipoëta bibit.
Inſtitit Quernus.
Porrige quod faciat mihi carmina docta Falernum.
Subdidit Pontifex.
Hoc etiam eneruat,debilitatque pedes.

Dolebat enimuerò articulari morbo Quernus potator.

Huc reuocari poſſunt Antiſtropha omnia. Titius hoc habet ingenioſum lib.3.Controuerſ.cap. 22. quidam in alterius laudem ſcripſerat.

Laus tua,non tua fraus, virtus,non copia rerum
Scandere te fecit hoc decus eximium.

In eiuſdem vituperium alius,nullâ voce immutatâ,leui declinatione,hos verſus reddidit.

Eximium decus hoc fecit te ſcandare, rerum
Copia,non virtus,fraus tua,non tua laus.

Irriſio.

Cùm præter opinionem ex aliquo ; quod non ita ridiculum videatur,ridemus quempiam , vt à Cic. ridetur Vatinij Conſulatus 2. Satur. apud Macrob.2.Conſul enim vno die tantùm cùm fuiſſet magnum oſtentum anno Vatinij factum eſt: quod illo Conſule nec Bruma, nec Ver, nec Æſtas, nec Autumnus fuit. Ita de Seuero idem Quis, inquit, alligauit generum meum gladio ? nempè Lentulum ſtaturæ valde mediocris hominem longo gladio accinctum viderat.

Stultitia.

Non vt Orator ſe ſtultum fingat, ſed vt non ſtultus,quaſi ſtultè,de ſtulto aliquo facto cum ſale dicat ſtultitiam alienam derideat. Ita præclarè quondam irriſus fuit Antonius à Martia , cum ambitus poſtulatus ſe tuererur. Aliquando, inquit,Martia,tuum tibi negotium Antoni agere licebit.

Non intellecta ad hunc locum pertinent,quorum eſt illud Cicer. petenti quando occiſus eſſet Milo, reſpondit ſerò Auguſtus Iocos affectabat , ſaluo tamen maieſtatis, pudoriſque reſpectu ne caderet in Scurram. Aiacem tragœdiam ille ſcripſerat,eamque, quod ſibi diſplicuiſſet,deleuerat ; cui Lucius. Tragœdiarum ſcriptor interroganti, quid agerer Aiax ſuus in ſpongiam,ait,incubuit.

Expectatio.

Fit cum animos Auditorum ſuſpendimus, & inſpectatum ſubdimus:vel cum aliud exponitur, aliud dicitur,vt ſit. 1. Satur.cap.6 Macrob.Cornellius collocata filia, cùm ab eo ſolemniter poſcerentur ſponſores & iuſſiſſet ille paulisper expectare , Aſinum cum pecuniæ onere produxit in forum,vnde Aſina dictus eſt.

Exemplum eſt 2.de Orat. Apij & Lucilij ſatis elegans. Cùm enim pecus incuſtoditum vagaretur,& læderet agros,nulluſque non conquereretur de Lucilio. Non eſt , inquit, Lucilij pecus illud, erratis:ego liberum puto eſſe, quâ lubet paſcitur. Sic cùm diceret Lælio quidam malo genere natus. Indignus es tuis maioribus. At Hercule tu tuis dignus.

Deprauatio.

Fit cum ex corruptis nominibus, & re immutata jocus trahitur, vnde & in re eſt,& in nomine. In re, vt in Gallo Diogenis quem dixit hominem Platonis eſſe,& in Scropha de qua Macrob. 1.Sa-

1. Satur cap. 6. in nomine ſi oratorem, Aratorem dicas.

Suſpicio.

Fit cùm fingentes nos ſuſpicari aliquid, riſum ab abſurdo, quod inferunt, excitamus. 2. de Orat. num. 285. Hoc Craſſe nihil facetius, cum læſiſſet teſtis Silus Pisonẽ, quod ſe in eum audiſſe dixiſſet: poteſt fieri inquit, Sile, vt is, vnde te audiſſe dicis, iratus dixerit: annuit Silus: poteſt etiam, vt tu rectè non intellexeris; id quoque toto capite annuit, vt ſe Craſſo daret. Inſtat Craſſus, poteſt etiã fieri, vt omninò quod te audiſſe dicis: nunquam audieris. Hoc ita preter expectationem accidit, vt teſtem omnium riſus obrueret.

PVNCTVM IX.

De locis in re ſimul, & in verbo.

Ambiguum in verbo ſatis acutũ à Cicer. luſum in Cocum, quando dixit, optimo iure Magiſtratum eſt adeptus: nimirum conuiuio oppiparè comparato ſuffragium emerat. Acutum eſt illud Oratoris reſponſum per amphibologiã apud Fab. lib. 6. cùm obiiceret Miloni accuſator, quòd bouillas ante horam nonam diuertiſſet, vt expectaret, dum Clodius à villa ſua exiret, & idẽ tidem interrogaret quo tempore Clodius occiſus eſſet, reſpondit *ſerò*.

Pari ratione de quodam Iudice, cui nomen erat Cocus, ludens in lubrico nominis lepidè dixit non nemo,

Neſcio concoquere hoc iuris doctiſſime, quod te
Iudice vix vnquam ius liquidum fuerit.

Scilicet quod minus ad æquitatem iuſtitiam miniſtraret.

Abſolutum ambiguum eſt, perfectum: abſoluere namque perficere interdum ſignificat. Hinc ille locus Auguſti Cæſaris, qui cùm multi Seuero Caſſio accuſante abſoluerentur, & Architectus fori ipſius expectationem operis diu traheret, ita iocatus eſt. Vellem & Caſſius meum forum accuſaſſet.

Paronomaſia.

Quæ niſi ſubſit acumen, leuis ac puerilis eſt. Fit autem adiectis, detractis, mutatis litteris, ſic Tiberius Nero, Biberius mero; hunc decet amari, in quo nihil eſt amari; ſic non malè quidam cùm videret Oratorem ſeſe iactantem, ac commouentem frequentius, non agere dixit, ſed ſatagere.

Etymologia.

Nominis interpretatio, quo ex loco facetum illud Siculorum extitit, cum ambiguo permixtum, Malum ſacerdotem fuiſſe, qui tum nequam Verrem reliquiſſet. Cic. Sacerdoti ſucceſſerat Verres in Prouincia, quem non immeritò Verrea inſtituiſſe dicit Cic. cùm nullum locum adiſſet, quem non euerriſſet.

Exuperatio & Hyperbole iocandi præbet argumentum, ex quo iocatus eſt Scipio de Metello 2. de Orat. cum diceret, ſi quintum mater eius peperiſſet, aſinum fuiſſe parituram.

Collatio.

Fit cum re, quæ ferè in deformitatem, aut in aliquod vitium corporis ducitur, cum ſimilitudine turpioris riſum excitat 2. de Orat. nu. 266. in Manciam, qui cùm diceret eiuſmodi me eſſe putas? iam oſtendam inquit, & monſtrauit digito pictum Gallum in Mariano ſcuto cimbrico ſub nobis diſtortum, eiecta lingua, buccis fluentibus.

Abiectio.

Abiectio eſt cum aliquid lepidè ſatis deprimitur: ſic in Piſo. Cic. dum Gabinum ſaltatricem tonſam appellat. Auſonius Poëta Gallus & bonus Orator Marcum Scarabeum.

Pythagora Euphorbi reparas qui ſemina rerum,
Corporibusq; nouis das reduces animas.
Dic quid erit Marcus, iã fata nouiſſima functus
Si redeat vitam rurſus in aëriam?
Non taurus, non mulus erit, non hyppocamelus,
Non caper, aut aries. Sed Scarabeus erit.

Similitudo.

Iocos etiam ſuggerit. Pulchrum illud eſt Sene-

Ttt 2 cæ

cæ de anu incurua; & bibit ingens arcus. Auguſti ad libellum timidè porrigentem. Tu mihi tanquam aſſem das Elephanto. Si jungatur amphiboliæ ſimilitudo, tum perridicula fit Lucius Galla pilam negligenter petenti Peris tamquã Cæſaris candidatus. Hi verò non prenſabant, nec niſi Principis auctoritate nitebantur, quam ad honores conſequendos ſufficere credebant.

A diſſimilibus riſit ciuis Auguſto dicenti. Si prandere volo, domum eo. Tum alter non times ne perdas locum?

A contrario jocatus eſt Auguſtus in adoleſcentem, quem ignominia notabat. Cùm enim ille diceret, quid reſpondebo patri meo? dic inquid, tibi me diſplicuiſſe.

Cauſa.

A cauſa ſunt innumeri propè joci. Bellus eſt ille Mart. in Selium epigram. 8. lib. 2.

Quod fronte Selium nubila vides Rufe;
Quod ambulator porticum terit ſerus;
Lugubre quiddam quod tacet piger vultus;
Quod penè terram tangit indicens naſus;
Quod dextrâ pectus pulſat, & comam vellit.
Non ille amici fata luget, aut fratris,
Vterque natus viuit, & precor viuat.
Salua eſt & vxor, ſarcinaque ſeruique;
Nihil colonus, villicusque decoxit.
Mæroris igitur cauſa; quod domi cœnat.

Verſus interpoſitus facetè, ſiue ex tempore factus, ſiue ab alio deſumptus, & vel totus in locum, vel ex parte dictus placet. Quo modo quærenti qui ſe haberet in matrimonio is qui moroſam nuper ac perdifficilem vxorem duxerat.

— Furiarum maxima iuxta
Me cubat.

Partitio lepida, qualis illa Galbæ, à quo quis penulam poſtulabat. Si non pluit. Quid tibi illà opus eſt ſi pluit, cur non vtar?

Refutatio iucunda. Fabius Dolabellæ dicenti, triginta ſe annos natum. Enimuerò hoc iam viginti annis ex te audio Multus eſt in his Cic. 2. de Orat. à num. 233.

EXER

EXERCITATIO VII.

COELVM ELOQVENTIÆ,

Siue

DE FIGVRIS VERBORVM & ſententiarum.

PROOEMIVM.

NON plus ſplendoris, & ornamenti cœlum à ſyderibus latè lucentibus accipit; quàm ſpeciem, & pompam à Figuris Eloquentia. Stellæ quidem diuinis, vt ita dicam, animatæ mentibus, circulos, orbéſque ſuos grata celeritate conficiunt, ſed alieno motu: lucent, ſed alieno lumine: Eloquentia verò ſplendore proprio, non emendicato ſplendeſcit. Verè namque dixit Hermogenes lib. de Formis c. 21. παρισώσεις aliáque σχήματα pulchram & ſuauem efficere Orationis dictionem, quorum vſum vocat Philoſtratus de Sophiſtis. Splendorem, & venuſtatem Orationis, quæ triumphantis Eloquentiæ decora cùm adhibentur, auditorem, vt ait Iſocrates in Panathe. Compellunt, ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν plauſu & clamore dicentem proſequi. Quare pompam hanc, & ornatum Eloquentiæ Figuris illuſtrem, vt Cicero feſtiuitates, vt Philoſtratus ἡδονάς, ſplendidiſſimi cœli velut effigiem auratis luminibus intermicantem, nominamus.

LECTIO PRIMA.

De Tropi.

NEGAT Craſſus apud Cic. 2. de Orat. num. 124. Boni parentis eſſe, atque liberalis, quem procrearit, & eduxerit, eum non & veſtire, & ornare. Hactenus Oratoris quaſi cunas inſtruximus in cauſis eloquentiæ pettractandis, ipſum aluimus, inhumanum ſit nudum abiicere. Itaque veſtis Oratori ſimul, & orationi quærenda, quæ ſi Tullio credimus alia non eſt, quàm Eloquutio, pars Eloquentiæ potiſſima, à qua videlicet ipſa nomen accepit. Veſtis omninò regia, ſine qua veluti plebeia, in ſitu & ſqualore verſatur. Definitur idoneorum verborum, ac ſententiarum ad inuentionem accommodatio. Quam vbertatem

Digitized by Google

& copiam duplicem facit Orator, alteram verborum in Tropis, rerum alteram in congerendis dilatandiſque argumentis. illa conſiſtit in variandis verbis ſingulis, ideóque pertinet ad Tropos, quorum eſt excolere verba ſingula. Porrò Tropus eſt Eloquutio, quâ propria verbi ſignificatio mutatur in aliam minus propriam: quorum extant quatuor genera.

PVNCTVM I.

Metonymia.

QVatuor modis efficitur hic Tropus. Primus ex cauſis effecta ſignificat Scilicet cùm inuentorem, & rerum auctorem pro rebus ipſis adhibet Orator. pro Marcello. nu. 17. Martem pro bello vſurpat. *Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam, gladium vaginâ vacuum in vrbe non vidimus: quos amiſimus ciues, eos Martis vis perculit, non ira victoria.*

Alter modus eſt, cùm ex effectis cauſæ ſignificantur in Rull, n. 8. *Iam illa omnibus in prouinciis, regnis, liberis populis, quàm acerba, quàm formidoloſa, quàm quæſtuoſa concurſatio decemuiralis futura ſit, non videtis?* Triplex epithetum immutatur vt concurſatio dicatur; acerba, quia dolorem; formidoloſa, quia metum; quæſtuoſa, quia luctum allatura ſit.

Tertius modus eſt, cùm nomen proprium rei ſubiectæ ad rem ſignificandam adjunctam traducitur, vt cùm ponitur res continens pro contenta. Nomina locis accommodata, pro ipſius incolis vſurpantur. Sicilia pro Siculis, carcer, pro vinctis. Tull. 1. in Verr. nu. 19. *Sicilia tota ſi vna voce loqueretur, hoc diceret.* Ideſt, omnes Siculi. Fusè pro lege Man. per elegantem Anaphoram. num. 30 *Teſtis eſt Italia, quam ille ipſe victor Sylla, huius virtute, & conſilia confeſſus eſt fuiſſe liberatam. Teſtis eſt Sicilia, quam multis vndique cinctam periculis, non terrore belli, ſed celeritate conſilij explicauit. Teſtis eſt Africa, quæ magnis oppreſſa hoſtium copiis, eorum ipſorum ſanguine redundauit. Teſtis eſt Gallia, per quam legionibus noſtris in Hiſpaniam iter Gallorum internecione patefactum eſt.* Vbi Italiam pro Italis. Africa pro Afris vſurpat,

Sic Athenas diſciplinarum inuentrices, pro Athenienſibus idem vſurpat primo de Orat. *Atque ut omittam Græciam, quæ ſemper Eloquentiæ Princeps eſſe voluit, atque illas omnium doctrinarum inuentrices Athenas, quibus ſumma dicendi vis & inuenta, & perfecta eſt, in hac ipſa ciuitate profectò nulla vnquam vehementius, quàm Eloquentiæ ſtudia viguerunt.*

Quarta ſpecies eſt, cùm ex adjunctis, res ſubjectas intelligimus. Ita virtutum ipſarum nomina pro viris bonis, & vitiorum pro malis, multarumque rerum pro perſonis, quibus adjunctæ ſunt, vſurpantur. 1. in Verr. n. 5. *Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in ſuppliciis, auaritia in rapinis, ſuperbia in contumeliis, efficere potuiſſet: eas omnes ſeſe hoc vno Prætore per triennium pertuliſſe:* vbi pro crudeli, crudelitas, pro ſuperbo, ſuperbia ponitur.

PVNCTVM II.

Ironia.

ALterum Tropi genus eſt Ironia, quam Latini ſimulationem, & illuſionem vocant, quâ facetè nonnunquam ludimus aduerſarium, & illius argumentorum tela eludimus, inque riſum vertimus omnia Verr. 6. n. 86. *Erat hyems ſumma, tempeſtas præfrigida, imber maximus; cùm iſte imperat lictoribus, vt Sopatrum de porticu, in qua ipſe ſedebat, præcipitem in forum deiiciant, nudumque conſtituant. Vix erat hoc etiam imperatum, cùm illum ſpoliatum, ſtipatum lictoribus videres. Omnes ideò putabāt, vt miſer atque innocens virgis caderetur; feſellit hac homines opinio, virgis iſte caderet ſine cauſa, ſocium Populi Rom. atque amicum? Non vſque eò eſt improbus; non omnia in eo vno ſunt vitia: nunquam fuit crudelis, leniter hominem, clementerq́; accepit.* Simulatio quidem tota fit in ſingulis verbis, à ſua ſignificatione in contrariam mutatis. Multæ ſunt huius Tropi ſpecies, intelligitur aliquando vel perſonnæ aut rei, quâ de agitur, natura, vel pronunciatione. Prioris generis eſt illud pro Rabir. Perd. n. 13, *Namq; hæc tua, quæ te clementem popularemq; delectant. I, lictor, colliga manus: quæ non modo huius libertatis, manſuetudiniſque non ſunt, ſed ne Romuli quidem, aut*

Numa

Digitized by Google

Numæ Popilii. Sed Tarquinij ſuperbiſſimi atque crudeliſſimi regis iſta ſunt cruciatus carmina. Quæ tu homo lenis, ac popularis libentiſſimè commemoras. Caput obnubilato, arbori infelici ſuſpendito.

Poſterioris eſt iſtud Cic. pro Quint. vbi jocatur in Nævium, vafrum hominem, atque fraudulentum. n. 40. *Credamus hoc Sext. Nævium, cuius caput oppugnat, eius auribus pepercisse.*

Sic Catilinæ ruinæ patriam perniciemque molientis copias ridet, ac contemnit 2. in eundem. n. 24. *O bellum magnoperè pertimeſcendum cùm hanc ſit habiturus Catilina Scortatorum prætoriam cohortem. Inſtruite nunc contra has tàm præclaras copias veſtra præſidia* Hic præclaras dixit ironicas. Nam cùm natura rei, pronunciatióque diſcrepent à verbis, apparet diuerſam eſſe Oratori voluntatem.

Vt in jocis, & ſalibus, ſic etiam cùm mordere volumus auditorem, Ironiæ vſus eſt frequens, & adhibetur interdum in Exordio, quod ſecuritatem cauſæ demonſtrat. Pro Ligarr. Tull. ab diſſimulatione totius voluntatis orditur. *Nouum crimen Caii Cæſar, & ante hunc diem inauditum propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuiſſe.*

Nonnumquam riſum facit, & ſeverè propoſita vafré excutit, rerum aut perſonarum comparationem eludens. Quaſi verò ego de facie tua Catamitæ dixerim, vel aliàs potuiſſet contumelioſius facere, ſi tibi hoc Parmeno per aliquem, ac non ipſe Parmeno nunciaſſet.

Aliàs fit exercitatis aliis ingenua feſtiuitas. Sic pro Cluen. n. 58. *Cùm calliďiſſimè dicere reputaret, & cùm illa grauiſſimè ex intimo artificio deprompſiſſet: Reſpicite Iud. hominum fortunas, reſpicite dubios, varioſque caſus, reſpicite Caij Fabricij ſenectutem. Cùm hoc reſpicite, ornandæ orationis cauſa ſæpè dixiſſet, reſpexit ipſe. At C. Fabricus à ſubſelliis, demiſſo capite, diſceſſerat. Hic Iudices ridere ſtomachari, atque accerbè ferrè: patronus cauſam ſibi eripi.*

Modò feſtiua dictio, cum amœnitate mordax pro Cluen. n. 111. *Facite enim vt, non ſolùm mores eius, & arrogantiam ſed etiam vultum atque amictũ, atque illã vſque ad talos demiſſam purpurã recordemini. Is quaſi non eſſet vllo modo ferendũ, ſe ex Iudicio diſceſſiſſe victũ, rem ad ſubſelliis in Roſtra detulit.*

Aliquando fit, cum rem aliquam, aut perſonam eleuamus 1. Verr. n. 58: *Sed repentè veſtigio ex homine tanquam ex aliquo Circæo poculo factus eſt Verres: rediit ad ſe, atque ad mores ſuos.* Et pro Quinti. *Quid ad hæc Næuius? ridet ſcilicet noſtram amentiam, qui in vita ſua rationem ſummi officij deſideremus, & inſtituta bonorum virorum requiramus.*

Aliàs rem extenuamus, & contemptum facimus Cic. pro Cæcin. n. 38. *Iſne apud vos obtinebit cauſam ſuam, qui ſe ita defenderit? eieci ego te armatis hominibus, non deieci, vt tantum facinus non in æquitate defenſionis, ſed in vna litera latuiſſe videatur.* Phil. 2. 76. Redditum ſuum diſſimulat per remotionem jocularem. *Nam quod quærebas quomodo rediiſſem; primùm luce, non tenebris, deindè cùm calceis & toga, nullis nec caligis nec lacernâ. At etiam aſpicis me, & quidèm, vt videris, iratus.*

Magna vis erit Ironiæ ſi reſeratis jam, atque patefactis quodammodo leniori vrbanitate auditorum animis, aſperiorem continuò, grauioremque orationem in intimos eorum ſenſus ingeràmus. Qualis eſt ille locus in Piſon. n. 62. Vbi poſtquam hominem qui ſe triumphi honorem aſpernari dicebat in grauiſſimorum hominum conſpectum facetè traduxiſſet; repentè in ſeueram, ac inflammatam exclamationem ex indignitate erumpit, quâ ſuperior Ironia temperetur. *At audiſtis Philoſophi vocem, negauit ſe triumphi cupidum vnquam fuiſſe. O ſcelus! ô peſtis! ô labes! cùm extinguebas Senatum, vendebas auctoritatem huius ordinis, addicebas Tribuno plebis Conſulatum tuum, Remp. euertebas, prodebas caput, & ſalutem meam, vna mercede prouinciæ. Si triumphum non cupiebas, cujus tandem rei te cupiditate arſiſſe defendes?*

Eximia eſt illa pro Mil. cum aliqua ſpe correctionis lepidè coniuncta, per quam vim objectionis eludit. n. 20. *Sed ſtulti ſumus qui Druſum, qui Africanum, Pompejum, noſmetipſos, cum P. Clodio conferre audeamus: tolerabilia fuerunt illa, P. Clodij mortem æquo animo nemo ferre poteſt. Luget Senatus, mœret equeſter ordo; tota ciuitas confecta ſenio eſt; ſqualent municipia, affligantur coloniæ, agri denique ipſi, tàm beneficium, tàm ſingularem, tàm manſuetum ciuem deſiderant.*

* * *

PVNC

PVNCTVM III.

Metaphora.

TErtium tropi genus metaphora dicitur, in qua ex ſimili ſimile ſignificatur, hanc Latini tranſlationem nominant. Vt lumen in Sole proprium, ad ingenij lumen & orationis per ſimilitudinem transfertur.

Huius tropi velle certa quædam genera proſequi, atque recenſere, hominis eſt intemperanter abutentis, & otio & litteris, præſertim cùm hic ex tot rebus ſumi poſſit, ex quot omninò ſimilitudo duci ſolet.

Primò quidem quæ propria ſunt in rebus diuinis, interdùm hanc elegantiam accipiunt, cùm ad homines transferuntur. Pro Sext. num. 144. *Video P. Lentulum cuius ego patrem Deum ac parentem Statuo fortunæ: ac nominis mei.*

Ducitur ex elementis Tuſ. 1. num. 4. *Honos alit artes, omnéſque incenduntur ad ſtudia gloriæ.* Sic illud corporis facibus inflammari, & incendi ad cupiditatum illecebras.

Ex aquis pro Marcello, num. 4. *Nullius eſt tantum flumen ingenij, nulla dicendi, aut ſcribendi tanta vis, tantáque copia, quæ non dicam exornare, ſed enarrare Cæſar res tuas geſtas poſſit.*

Ex ſtirpibus 4. Phil num. 13. *virtus eſt vna altiſſimis defixa radicibus, quæ nunquam vi labefactari poteſt, nunquam dimoueri loco.*

In Piſonem ab equo libidinem eius præpoſteram notat, qui in armentum equarum ad fœturam admittitur. numero 69. *Itaque admiſſarius iſte, ſimulatque audiuit à Philoſopho voluptatem tantopere laudari, nihil expiſcatus eſt: ſic ſuos ſenſus voluptuarios omnes incitauit, ſic ad illius hanc orationem adhinniit, vt non magiſtrum virtutis, ſed auctorem libidinis, à ſe inuentum arbitraretur.*

A ſenſibus in Rull. numero 11. *Nunc quiſnam tàm abſtruſus vnquam nummis videtur, quem non architecti huiuſce legis olfecerint? prouincias, ciuitates liberas, ſocios, amicos, reges denique exhauriunt.*

PVNCTVM IV.

Allegoria.

INterdùm multiplicari ſolet atque continuari tranſlatio, quam Græci ἀλληγορίαν vocant, Latini pérmutationem Metaphoræ ſpeciem, non tamen ab illa tropum diſtinctum. Huius generis eſt illa Piſon. n. 20. *Neque tàm fui timidus, vt qui in maximis turbinibus, ac fluctibus Reip. nauem gubernaſſem, ſaluamque in portu collocaſſem frontis tuæ nubeculam, aut Collegæ tui contaminatum ſpiritum pertimeſcerem. Alios ego vidi ventos, alias proſpexi animo procellas, aliis impendentibus tempeſtatibus non ceſſi, ſed vnum me, pro omnium ſalute obtuli.*

Inſignis eſt illa Ode 14. 1. Car. Hor.

O nauis referent in mare te noui
Fluctus. O quid agis fortiter occupa
Portum, nonne vides, vt
Nudum remigio latus?

Nouum non eſt Remp. cum naui, populum cum fluctibus, ſeditiones cum procellis, magiſtratus cum nautis, remigibus & gubernatoribus componi. De fluctibus concionum Mil. n 5. de procellis. Cœl. 59.

Illud longè ſpecioſiſſimum, ſi quando in Allegoria duo reperiantur nempe ſimilitudinis gratia, & tranſlationis lepos. Pro Mur n. 35. *Quod fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tàm varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes; & quantos æſtus habet ratio comitiorum? Dies intermiſſus vnus; aut nox interpoſita ſæpè perturbat omnia: & totam opinionem parua nonnunquam commutat aura rumoris.*

Hoc in primis obſeruandum eſt in Allegoria, vt quo genere cœperis tranſlationis, eodem deſinas. Quis enim non improbet initium à tempeſtate ſumptum, ruinâ, vel incendio concludi?

Suauior eſt oratio cum à rebus corporeis ad animum, & ſagacitatem mentis transfertur. 2. Verr. n. 191. pro Cluentio, n. 6. Feſtiua è muribus, ſiue nitedulis, aut vepreris ad rodendam ſegetem prodeuntibus, qua Numerij generis obſcuritas denotatur, Pro Sextio n. 72.

A feris

Digitized by Google

A feris quæ quò arctius in cauea conſtrictæ fuerint, eò nonnunquam ferocius erumpunt. Sic voluptatum inſolentem captum ait Cœlium. n.75. *In hoc flexu quaſi ætatis fama adoleſcentis paulùm hæſit ad metas notitia noua mulieris, & infelici vicinitate, & inſolentiâ voluptatum, quæ cùm incluſa diutius, & prima ætate compreſſa, & conſtrictæ fuerunt, ſubitò ſe nonnunquam profundunt, atque eijciunt uniuerſa.*

Ab arboribus eſt illa Mil.n.32. quæ dùm teneræ ſunt, facilè flectuntur, corrobotatæ ne frangi quidem poſſunt. *Cujus illi conatus, ut ille ratiocinabatur, nec, ſi cuperent, reprimere poſſent, cùm tãtum beneficium ei ſe debere arbitrarentur: & ſi vellent, fortaſſe vix poſſent frangere hominis ſceleratiſſimi corroboratam jam vetuſtate audaciam.*

Tranſlationes & Epitheta, hoc eſt ad nomen addita, illuſtrem faciunt orationem, Sic pro Mur. cùm dicere poſſet; Non enim potuiſtis virtutem veſtram oſtendere, duobus verbis translatis ita rem illuſtrauit n.18. *Nullum enim vobis ſors campum dedit, in quo excurrere virtus, cognoſcique poſſet.*

Epitheta verò multum afferunt orationi decus & ornamentum ſi rebus ac nominibus accommodata fuerint.

Plurimum refert vtrum tranſlatio noſtros magis, aut minus afficiat; in voce quidem pulchritudo, cùm rebus ita voces accommodantur, ut res aſpera, verbis aſperis, iucunda ſuavibus. 1. de Orat. n.2. *Nam qui locus quietis, & tranquillitatis pleniſſimus fore videbatur, in eo maxima moleſtiarũ moles; & turbulentiſſimæ tempeſtates extiterunt,*

In poteſtate, videlicet quando ſignificantius vocabulum ponitur, ut *inflammatum eſſe cupiditate, furentem libidinibus*, longè majorem vim, & grauitatem habet, quàm cupere vehementer.

In aſpectu, quoniam ſenſus oculorum eſt acerrimus, ideo venuſtiſſimæ ſunt illæ tranſlationes, quæ ad aſpectum referuntur, quales ſunt ſplendor generis, claritas familiæ, lumen Reip. ciuitatis ornamentum, flumen aureum orationis fundens, &c.

Illa etiam numerantur illuſtria, quæ ſignificatiorem efficiunt orationem. Pro Mil 5. *Et quidem cæteras tempeſtates, & procellas, in illis dumtaxat fluctibus concionum, ſemper putaui Miloni eſſe ſubeundas.* En vt fluctus, huc illuc ventorum flatibus agitatus commouetur? ita ſeditioſorũ orationibus, in varias cupiditates & motus, iram odium, indignationẽ, inuidiam concitantur. Vbi non rem dumtaxat, ſed rei ſimilitudinem velut ob oculos poſitam cernimus, & procellas irati maris videre videmur.

Paria ſunt illa 7. in Verr n.160. *Ipſe inflammatus ſcelere in forum venit, ardebant oculi, totoque ex ore crudelitas emicabat.* En vt verbis iſtis cogitatio quædam quaſi flammæ, & ardoris ex oculis Verris, homminis furioſi erumpentis, ſenſus noſtros ferit?

Synecdoche.

Poſtremum tropi genus: cùm ex parte totum colligitur, idque duobus modis; alter ubi membrum pro re integra ſumitur, tectum pars domus, pro tota æde Phil. 2.n.104. *O tecta ipſa miſera: quàm diſpari domino tenebantur?* Mucro pro enſe 14 Phil.n.6. *Quouſq; igitur is, qui omnes hoſtes ſcelere ſuperauit, nomine hoſtis carebit? ni ſi mucrones etiam noſtrorum militum tremere vultis, & dubitare vtrum in ciue, an in hoſte figantur.*

Alter modus eſt cum ex ſpecie ſignificatur genus, vt parricida pro interfectore hominum ponitur. 1. in Cat. n.29 *Etenim ſi ſummi viri complurium ſanguine, non modò ſe non contaminarunt, ſed etiam honeſtarunt: certè verendum mihi non erat, ne quid hoc parricida ciuium interfecto, inuidiæ mihi in poſteritatem redundaret,*

Vel è conuerſo genus pro ſpecie. In Piſon. n. 21. *Cùm omnes boni abditi, incluſiq; mœrerent, templa gemerent, tecta ipſa urbis lugerent, complexus es illud funeſtum animal ex nefariis ſtupris, ex ciuili cruore, ex omnium ſcelerum importunitate, & flagitiorum impunitate concretum,* Vbi animal pro Clodio, & impuro homine ponitur.

LECTIO II.

De Verborum luminibus.

SIc illorum præſtantiam & utilitatem propoſuit Tull. 3. de Orat. n.204. Orationis autem

Digitized by Google

tem ipſius, tanquam armorum eſt, vel ad vſum comminatio, & quaſi petitio, vel ad venuſtatem ipſa tractatio. Nam & geminatio verborum habet interdùm vim, lepôrem aliàs. De quibus paucis, quia vel pueris nota ſunt, tribus modis potiſſimum fiunt adjectione, detractione, ſimilitudine.

Ad ſuauitatem & aurium delectationem adhibetur hic numerus, ſic cum de magni Pompeii felici fortuna per prætermiſſionem loquitur Cic. n. 48. *Non ſum prædicaturus quantas ille res domi, militiæq́, terra marique, quantâque felicitate geſſerit: ut eius ſemper voluntatibus nō modò ciues aſſenſerint, ſocii obtemperarint, hoſtes obedierint, ſed etiam venti, tempeſtateſq́, obſecundarint.*

PVNCTVM I.

De figuris Verborum per additionem. Epizeuxis.

NVmerus eſt quo idem ſonus continenter, in eadem ſententia repetitur, cum impetu pronunciationis. Act. 7. in Verr. n. 161. *Crux, crux inquam, infelici & ærumnoſo.*

Pro Ligario n. 15. *Dicam planè Cæſar quod ſentio. Si in hac tanta tua fortuna lenitas, tanta non eſſet, quanta tu per te inquam, obtines (intelligo quid loquor) acerbiſſimo luctu redundaret iſta victoria.*

Interdum ad vehementiam conjunctio quædam interponitur 1. Cat. n. 4. *Ex Senatus conſulto confeſtim interfectū te eſſe conuenit. Viuis, & viuis non ad deponendam, ſed ad confirmadam audaciam.*

Aliàs parenthesis, res tamen eò recidit, quia tanquam non interponatur illa, geminatio continuatur. 2. Phil. n. 64. *Haſta poſita pro æde Iouis ſtatoris, bona (miſerū me, conſumptis enim lacrimis, tamen infixus animo hæret dolor) bona inquam, C. Pompei magni, voci acerbiſſimæ ſubiecta præconis.*

Tale pro Marcello n. 7. *At verò eius gloriæ Cæſar, quā paulò ante es adeptus, ſocium habes neminem: totum hoc quantumcumq́, eſt (quod certè maximum eſt) totum eſt inquam tuum.*

In diuerſis etiam locum habet hic numerus, cùm in eodem ſono continenter efferuntur. Delectant enim plurimum ſimiliter cadentia, propter numeroſam quandam ſoni ſimilitudinem. De Haruſp. n. 6. *Etenim ut Pub. ille Scipio natus mihi videtur ad interitum, exitiumq́, Carthaginis, qui illam à multis imperatoribus obſeſſam, oppugnatam, labefactatam, penè captam aliquando quaſi fatali euentu ſolus euertit. Sic T. Annius ad illam peſtem comprimendam, extinguendam, funditùs delendam natus eſſe videtur.*

II. Anaphora.

Hæc exornatio cùm multùm venuſtatis habet, tùm grauitatis plurimum. Eam ob rem adhiberi ſolet ad ornatum Orationis, & ad motus animorum ciendos, cui præcipuè muneri videtur inſtituta. Eſt autem numerus, quo vox eadem, aut ſonus in principiis auditur, vel inciſorum, vel membrorum, vel periodorum, Tullio familiaris, cuius tria potiſſimùm genera recenſentur.

Primum ſpectatur in principiis ſingulorum verſuum ſimiliter ſonantibus, quod magnam vim Orationi ſuperaddit, atque vehementiam, ſi adjunctam habeat interrogationem, alterumque inſectemur, aut laudemus. 1. Cat. num. 1. *Nihilne te ne nocturnū præſidium Palatii nihil vrbis Vigiliæ? nihil timor populi? nihil conſenſus bonorum omnium? nihil hic munitiſſimus habendi Senatus locus nihil horum ora vultuſq́, mouerunt?* Vox, *nihil*, ſexies iterata ſuauem, & numeroſam Orationem efficit, quæ ideo nos delectat, quia ſonus idem ſæpius ferit aures.

Pro Quintio, num 82. *Quid hæc amentia, quid hæc feſtinatio, quid hæc immaturitas tanta ſignificat? nō vim, non ſcelus, non latrocinium, non denique omnia potius, quàm ius, quàm officium, quàm pudorem?*

Altera ſpecies eſt cùm ſimilis ſonus in membrorum initiis repetitur Ciceroni familiaris. Pro Cluent. num 145. *Legum Magiſtri Magiſtratus, legum Interpretes, Iudicii; legum denique idcirco ſerui ſumus ut liberi eſſe poſſimus.*

2. Phil. num. 19. *Accuſa Senatum accuſa Equeſtrem ordinem, qui cum Senatu copulatus fuit: accuſa omnes ordines.*

Diuinat. in Q. Cæcil. n. 21. *Cur velint etiāſi taceant, ſatis dicunt. Verùm nō tacet; tamē his inuitiſſimis te offeres? tamen in aliena cauſa loqueris? amen, eos de-*

eos defendet, qui ſe ab omnibus deſertos potius, quàm ex te defenſos eſſe malunt? tamen his operam tuam pollicebere?

Sic Diu. Bernard. characteres miniſtrorum Dei per antitheſim Eugenio Pontifici deſcribit 4 de Conſid. cap. 6. *Vacuum prorſus à ſollicitudine rerum minorum, & vilium oportet eſſe animum, tàm magnis, & tàm multis intentum rebus: oportet liberum eſſe quem nulla ſibi vendicet violenta occupatio oportet ingenuum, quem nulla deorſum trahat indigna affectio: oportet rectum, quem nulla ſeorſum auertat ſiniſtra intentio: oportet cautum, quem nulla ſubeat furtiua ſuſpicio: oportet vigilem, quem nulla ab ſeſe abducat peregrina, & curioſa cogitatio: oportet firmum, quem nulla concutiat repentina turbatio oportet inuictum quem nulla fatiget, vel continua tribulatio: oportet amplum, quem nulla coarctet temporalis amiſſio.*

Delectat.

Alternis verſibus ad delectationem variati poteſt, quod pulchrè facit Ouid. 4. Triſt. eleg. 6.

Tempore ruricola patiens fit taurus aratri,
Præbet, & incuruo colla terenda iugo.
Tempore paret equus lentis animoſus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore Pœnorum compeſcitur ira leonem,
Nec feritas animo quæ fuit ante, manet.

Manet.

Tertia ſpecies eſt, cùm vox eadem in periodorum principiis reperitur, quæ tunc eleganter duplicatur, ſi res opponantur. Nullus fuit in iſtis Cic. pro Roſc. Amer. n. 13. *Accuſant ii qui fortunas eius inuaſerunt; cauſam dicit is cui nihil præter calamitatem reliquerunt. Accuſant ii, quibus occidi patrem Sex. Roſcii bono fuit: cauſam dicit is, cui non modò luctum mors patris attulit, verùm etiam egeſtatem. Accuſant ii qui hunc ipſum ſummè iugulare cupierunt: cauſam dicit is, qui etiam ad hoc iudicium, cum præſidio venit, ne hic ibidem ante oculos veſtros trucidaretur. Denique accuſant ii, quos populus poſcit; cauſam dicit is, qui vnus relictus ex nefaria illorum cæde, reſtat.*

Non minus elegantem habet, & ad motus animorum excitandos efficacem in. 2. contra Rull. n. 9 *Quid enim eſt tàm populare, quàm pax: quâ non modò ii, quibus natura ſenſum dedit: ſed etiam tecta, atque agri mihi lætari videntur. Quid tàm populare, quàm libertas? quam non ſolùm ab hominibus, verùm etiam à beſtiis expeti, atque omnibus rebus anteponi videtis. Quid tàm populare quàm otium? quod ita iucundum eſt, vt & vos, & maiores veſtri, & fortiſſimus quiſque vir maximos labores ſuſcipiendos putet, vt aliquando in otio poſſit eſſe, præſertim in imperio, & dignitate.*

Amplificat.

Amplificandæ periodi facilem, & expeditam rationem aperit, & ad permouendos affectus, auditorumque delectationem facit repetitio. Pro Quint. n. 52. *Ad Vadimonium non venit: Quis propinquus. Si res iſta grauiſſima ſua ſponte videretur, tamen eius atrocitas neceſſitudinis nomine leuaretur. Ad Vadimonium non venit: quis? ſocius. Etiam grauius aliquid ei deberes concedere; qui tum te aut voluntas congregaſſet, aut fortuna coniunxiſſet. Ad Vadimonium non venit: quis? is, qui tibi ſemper præſto fuit. Ergo in eum qui ſemel hoc commiſit, vt tibi præſtò non eſſet, omnia tela conieciſti, quæ parata ſunt in eos, qui per multa malè agendi cauſâ, fraudandique fecerunt.*

Sic Diu. Ambroſ. de Iacob. *Quàm continens erat parſimonia, qui cibum ſibi paratum non expetiuit, ſed petenti fratri ſine dilatione cõceſſit, à quo primatus benedictionis accepit? quàm pius erga parentes, vt præferri Germano ſeniori materno affectu mereretur, & paterna benedictionis munere ſacraretur? quàm religioſus, vt fratrem recuſaret lædere? quàm verecundus, vt patrem timeret fallere? quàm honorificus, vt matri quod iubebat negare?*

In repetitione nihil intereſt, an idem verbum repetatur, an verò diuerſa eodem modo ſonantia, vtrobique enim numerus percipitur, ex iucunda, vocum ſimilium auditione. 1. in Rull. n. 23. *Etenim vt circumſpiciamus omnia, quæ populo grata, atque iucunda ſunt, nihil tàm populare, quàm pacem, quàm concordiam, quàm otium reperiemus. Sollicitam mihi ciuitatem ſuſpicione, ſuſpenſam metu, perturbatam veſtris legibus, & concionibus, & ſeditionibus tradidiſtis; ſpem improbis oſtendiſtis, timorem bonis inieciſtis, fidem de foro, dignitatem de Rep. ſuſtuliſtis.*

Digitized by Google

Vno verbo ſi concludatur tota repetitio velocitatem facit, ad animorum & aurium gratam delectationem. Pro Pomp Tull. n. 40. *Hæres quæ cæteros remorari ſolent, non eum retardarunt. Non auaritia ab inſtituto curſu ad prædam aliquam reuocauit: non libido ad voluptatem; non amœnitas ad delectationem; non vobis nobilitas ad cognitionem: non denique labor ad quietem.*

Hæretici ciuitatibus bellum, Regibus bellum, ſacris bellum, ſuperis bellum, omnibus bellum ſacrilegi intentarunt.

Repetitio vocis eiuſdem in clauſulis non eſt ingrata, quæ ad vim grauitatemque pertinet. Auctor ad Heren. *Quem Senatus damnarit, quem populus Rom. damnarit, quem omnium exiſtimatio damnarit, eum vos ſententiis veſtris abſoluetis?*

Chriſtianus Orator Arnob. lib. 2. hanc repetitionis ſpeciem vſurpat in hunc modum. *Quando eſt genus humanum diluuiis interemptum? non ante nos: quando mundus incenſus? non ante nos: quando vrbes ampliſſimæ maris cooperta ſunt fluctibus? non ante nos; quando pernicies populis, venenatis ab anguibus data eſt? non ante nos; quando cum feris animantibus bella, cum leonibus prælia geſta ſunt? non ante nos.*

III. Complexio.

Connexum repetitionem & conuerſionem complectitur, non hanc Orator in ſeueritate debet vſurpare, ſed in illudendo tantum, quod facit pro Milo. Cicer. vbi fidem quæſtionis deſeruis, eleuat, ac illud, num. 40. *Sed quæſtiones vrgent Milonem, quæ ſunt habitæ nunc in atrio libertatis. Quibuſnam de ſeruis? rogas? de P. Clodii. Quis eos poſtulauit? Appius. Quis produxit? Appius. Vnde? ab Appio.*

Celebris eſt illa Diui Ambroſii Martyrem probantis eum, hoc eſt teſtem, qui CHRISTVM operibus confiteatur. *Tentatus es ſpiritu fornicationis, ſed veritus futurum* CHRISTI *judicium, temerandam mentis & corporis caſtimoniam non putaſti? Martyr es* CHRISTI. *Tentatus es ſpiritu auaritiæ, vt poſſeſſionem minoris inuaderes, indefenſæ viduæ iura temerares, & tamen contemplatione cæleſtium præceptorum, opem magis ferendam, quàm inferendam iniuriam judicaſti? Teſtis es* CHRISTI. *Tentatus es ſpiritu ſuperbia, ſed vi lens inopē, atque egenum pia mente compaſſus es, humilitatem magis, quàm arrogantiam dilexiſti? Teſtis es* CHRISTI; *& quod eſt amplius non ſermonis tantummodo, ſed operis etiam teſtimonium præbuiſti.*

Valet potiſſimum in exaggerandis virtutibus, aut vitiis, ſed quia ſtatim in ſenſus incurrit hic numerus, continuari non debet, ſed aliis figuris variari, talis eſt ille 2. in Aull. n. 22.

Quæ interſecantet ad grauiores motus faciūt pro domo n 25. *Sed excitatus aliquando (dicam audiente ipſo quod ſentio) exci a us inquam, aliquando, Pompeii nimium reconditus, & penitus abſtruſus animi dolor,*

Ad repetitionem complexam reuocari poteſt ille modus figuratè loquendi, quo ſententiam vnam, quaſi quoddam carmen in e calare, pluribus interjectis rationibus, aut amplificationibus, repetimus. Vt ſi quis Eccleſiaſtes Deiparæ Virgini in Cœlos Aſſumptæ, velit aptare voces illas 6. Canticorum: *Reuertere, reuertere Sunamitis reuertere intueamur te.* Non inferioris huius orbis partes intueris, ô diua parens, quæ tuo deſtitutæ contubernio deſolatæ in luctu, & ſqualore verſantur; Reuertere Virgo, reuertere: quid ſine matre filiis errantibus fiet reuertere? habeant ſibi cœli ciues ſolem ſuum, cuius ſuauiſſima luce perfundantur; quid nobis interea miſeris in hac cœca noctis caligine viuentibus lumen noſtrum inuident? Reuertere. Diuitiæ ſi tecum abeant, ſi corporis & animi dotes ſequantur, orphani, derelicti, pauperes quid agemus? quò confugiemus? cuius opem ſperabimus? Reuertere. Si nos petant ignita tentationum iacula, quis eludet? ſi nos inermes inuadant hoſtes armati, quis tuebitur? ſi in alto mari cum vndis luctantes naufrago proximi periclitemur, quis naufragos eripiet atque liberabit? quis ad portum perducet ſaluos & incolumes? Reuertere.

IV. Conuerſio.

Numerus eſt quo ſimilis dictionem ſonus, ſæpius in eoſdem extremos fines conuertitur, nec tamen nouum genus conſtituit, & à præcedentibus diuerſum, ſed duæ figuræ vſu ipſo conjunctæ, atque

Digitized by Google

atque idcirco gratiores auribus. Tull. in Vatin. n 37. *Atque etiam illud à te audire cupio, quare, cùm ego legem de ambitu tulerim, ex S. C. tulerim, ſine vi tulerim, ſalutis auſpiciis tulerim, ſalua lege Ælia, & Fuſia, tu eam eſſe legem non putes.*

Frequentes huiuſmodi, nec ingratas habet repetitionis Martialis lib. 2. epigr. 17. quo Maximi ſeruilem animum, aut ouarum & tenacem, vel vtrumque reprehendit.

Capto tuam pudet heu, ſed capto Maxime cœnam,
Tu captas alias iam ſumus ergo pares.
Mane ſalutatum venio, tu diceris eſſe
Ante ſalutatum: iam ſumus ergo pares.
Sum comes ipſe tuus, tumidique ante ambulo Regis:
Tu comes alterius: iam ſumus ergo pares.

X Epanalepſis.

Eſt verbi ſententiam inchoantis, eiuſdemque finientis repetitio, qui numerus mouendi vim habet, atque delectandi. 2. Phil. num 88. Vbi de ementitis auſpiciis in comitiis Dolabellæ. *Suſtulit diem fortuna populi* Rom. *num etiam tuum de auſpiciis iudicium interitus Cæſaris ſuſtulit?* Pro Marc. num. 17. *Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam; gladium vaginâ in vrbe vacuum vidimus.* Pro Sextio num. 6. *Ademit Albino ſoceri nomen mors filiæ, ſed charitatem illius neceſſitudinis, & beneuolentiam non ademit.* Pro Milo num. 96. *Negat enim ſe, negat ingratis ciuibus feciſſe, quæ fecit, timidis, & omnia circumſpicientibus, non negat.*

Poëtis familiaris & elegans, ſi à qua voce incipit, eadem terminetur, pulchrè 4. Faſtor. Ouid.

Qui bibit inde furit, procul hinc diſcedite, queis eſt
Cura bonæ mentis: qui bibit inde furit.

Extat eruditi Poëtæ ſapientium carmen in Martyrem IGNATIVM charitatis ardore totum igneum.

Ignis erat, dabat ore rogos dabat ore fauillas.
Frigora depulerat mentibus, ignis erat.
Ignis erat, quamuis liquidis aqui arct in vndis,
Demerſuſque freto creſceret, ignis erat.
Ignis erat, fugit obiectum Leo territus ignem,
Quem tetigiſſe negat dentibus, ignis erat
Ignis erat, tandemque feras accendit in ignem
Puluere in exiguo deſiit, Ignis erat.

VI. Regreſſio.

Numerus eſt ſimili voce, vel in principio, & medio, vel medio, & clauſula reſonans; quæ quidem regreſſio, & Ordinis mutatione, & ſimilitudinis gratia delectat. Pro Cæcin. num. 8. *Quia res indigna ſit, ideo turpem exiſtimationem ſequi; quia turpis exiſtimatio ſequatur, ideo indignam non vindicari.*

Interdum ſoni tantum, non etiam dictionis repetitio iteratur. 3 Verr *Habuit honorem, vt proditori, non vt amico, fidem.*

Hoc ornatu Diu. Chryſoſt. in Pſal. homil. 7. Homines feris crudeliores, & naturæ facit immemores. Abſalon erat adeò crudelis, & immitis, & bellua potius quàm homo, vt ipſius naturæ inſultaret legibus. Nam etſi uolebat Danidem reuereri vt patrem, ſaltem reuereri oportebat vt ſenem; quod ſi canos negligebat, certè vt benefactorem; quod ſi nec ſic quidem; vt eum certè, qui nullam fecerat iniuriam. Sed amor principatus hanc omnem eiecit reuerentiam, & ex fure feram eiecit.

VII. Gradatio, ſiue augmentum.

Aſcenſus à Latinis dicitur, cuius quatuor omninò ſpecies ab Oratoribus aſſignantur, I. vocatur gradatio, cùm ad ſummum aliquod aſcenditur, aut deſcenditur ad infimum per gradus quoſdam. Itaut prima ſemper repetita, poſterioribus quaſi gradus quidam ſubſternantur. Pro Roſc. Am. 75. *In vrbe luxuries creatur; ex luxuria exiſtat auaritia neceſſe eſt: ex auaritia erumpat audacia; inde omnia ſcelera, ac maleficia gignuntur.*

Verborum eſt incrementum nobile cum grauiora poſtremò ponuntur. *Contemni ſe putat, deſpici, illudi.* Lib. de ſeneƈt.

Pro Mil. Probat hoc incremento illius conſilio non fuiſſe factas Clodio inſidias, nu. 62. *Quod ſi nondum ſatis cernitis, cùm res ipſa tot, tam claris argumentis, ſigniſque luceat, pura mente, atque integra Milonem, nullo ſcelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conſcientia examinatum Romam reuertiſſe, recordamini per Deum immortal. quæ fuerit celeritas reditus eius, qui ingreſſus in forum ardente curia: quæ magnitudo animi qui vultus? quæ Oratio?*

Digitized by Google

Neque verò ſe populo ſolum, ſed etiam Senatui tradidit; neque Senatui modò, ſed etiam publicis præſidiis, & armis: neque his tantũ n verùm etiã eius poteſtati.

Quanti ſi mo nenti iuuentutis recta inſtitutio clarum eſt, cùm per illam integræ ſimul familiæ excolantur, in familiis ciuitates; in ciuitatibus prouinciæ; in prouinciis vniuerſa regna.

Nam quæ reliqua ſpes manet retinendæ libertatis, ſi nefariis ciuibus, & quod libet, licet, & quod licet poſſunt, & quod poſſunt, audent, & quod audent perficiunt ad multorum perniciem, & interitum.

Hinc Poëta bonus incendium quantochyus opprimendum monet.

Parua prius iacuit tectis ſcintilla fauillis,
Scintillam mora, flamma moras, incendiam flammam.
Iſta ſequuta; dedit tantos ſcintilla dolores.

Altera ſpecies eſt, quæ leuiora quidem initio ſubijcit, ſed grauioribus ad ſummum aſcendit, abſque eo tamen, quod priora repetat Nota ſunt illa Cic pro Quintio num. 95. *Miſerum eſt exturbari fortunis omnibus; miſerius iniuriâ: accerbum eſt ab aliquo circumueniri; accerbius propinquo: calamitoſum eſt bonis euerti; calamitoſius cum dedecore: funeſtum eſt à forti, atque honeſto viro iugulari, funeſtius ab eo, cuius vox preconio quæſtu proſtit.t: Indignum eſt à pari vinci, aut ſuperiore; indignius eſt ab inferiore: luctuoſum eſt tradi cum bonis; luctuoſius inimico.*

Sic Chriſtianus Orator & Martyr. Campianus Ciceronem ſequitur, Oratione de ſancto Wenceſlao. *Præclarum eſt amare in Chriſto pauperes; præclarius cum Chriſto eſſe pauperem: liberale eſt tribuere facultates, liberalius ſeipſum: generoſum eſt colligere mendiculos; generoſius velle viuere mendicato: Rarum eſt de ſolio pannoſos, & laceros paternè reſpicere, rarius eſt ſolium, & ſceptrum pannis, & inopiâ cõmutare. Hùc volauit ſpiritus expeditus, ac feruidus.*

Aliud eſt pueris notum 7. Verr. num. 169. *Facinus eſt vinciri ciuem Romanum, ſcelus verberari, propè parricidium necare: quid dicam in crucem tollere?*

Tertia ſpecies, cùm ſenſim per ſuppoſitiones quaſdam, res in maius quidpiam aſcendit. Vt ſi quis voluerit excitare commiſerationis affectum ex CHRISTI patientis doloribus, hunc in modum arguet. Diuam CATHARINAM Senenſem memorant, vt parentem ſuum purgantibus flammis eximeret, perpetuo dolore hepatis vexatam fuiſſe. Quid ſi tàm piam, & ardentem amore diuino Virginem, alieno malo contabeſcentem, & afflictam deprehendes: num te illius aliqua tangeret miſeratio? ſed quid ſi eandem videres totius vicinæ morbos, multis à Deo precibus, ſibi ipſi depoſcentem? quid ſi totam ciuitatem obambulantem, vt omnes, omninò calamitates in ſuum corpus converteret; atque exoneraret; cóne fores animo, vt ipſi noua vulnera inferres? quæ omnia CHRISTO patienti poſſunt aptari,

Quarta ſpecies. Cùm noſmet interrogamus, vtrùm ſatis res excreuerit, aut oſtendimus necdum ſatis aſcendiſſe. Vt ſi dicas, Quid tandem de illorum animi peruerſitate dicam, qui diuinum amorem contemnunt, ac pro nihilo ducunt eſſe ne illos feris animantibus immaniores, quæ beneficiorum ſenſu non carent? leue eſt. Profitear communi ſpiritu, quem trahunt, imò vitâ, quam Dei beneficio, ducunt indignos? nedum ſatis. Atrociſſima quæque ipſis imprecer: ſed quid ſi iam ipſi ſua capita diris omnibus deuouerunt.

Non parum venuſtatis habet hic numerus, quia tamen nonnihil affectam artem, & apertam continet, ideò magni ſcriptores rarius vſurpant, nec ferè niſi res ſucceſſionem habeat, aut certos gradus: quod notat Fab. lib. 9, cap. 3. Africano virtutem induſtria, virtus gloriam, gloria æmulos comparauit.

Pro Archia Cic. num 4. *Pòſt in cæteris Aſiæ partibus, cũctaque Græcia. ſic eius aduentus celebrabatur, vt famam ingenij, expectatio hominis, expectationem ipſius aduentus, admiratioque ſuperaret.*

Hac in re magnus eloquentiâ Cic. artem ſuam prudenter diſſimulat Verr. 7. num. 65. *Verùm eſto: ſi tibi illud liberum omne tempus, quoad cum imperio fuiſti. Etiamne priuatus? etiamne reus? etiamne penè damnatus, hoſtium duces priuata in domo retinuiſti? vnum alterum menſem propè annum, denique domi ſuæ pirata, à quo tempore capti ſunt, quod per me licitum eſt, fuerunt.*

Eadem actione, n. 170. *Sic hæc non ad ciues Rom. non ad aliquos amicos noſtræ ciuitatis, non ad eos qui populi Rom. nomen audiſſent: denique ſi non ad homines, verùm ad beſtias, aut etiam vt lõgius progrediar, ſi in ali-*

In aliqua deſertiſſima ſolitudine, ad ſaxa & ſcopulos conqueri, & deplorare vellem: tamen omnia muta, atque inanima, tam & tàm indigna rerum atrocitate cõmouerentur, Nunc verò cùm loquar apud Senatores populi Rom. legum iudiciorumq; & iuris auctores timere non debeo.

Pro Sextio num. 32. cùm vellet probare per gradus quantæ eſſet crudelitatis prohibere ne amicus amici calamitatem lugeret, ne ſuam ipſius, ne communem, ſic artificiũ ſimulat. *Quis vnquam Conſul Senatum ipſius decretis parere prohibuit? quis tyrannus miſeros lugere vetuit? parùmne eſt, Piſo, quod tantùm homines ſefelliſti, vt negligeres auctoritatem Senatus? optimi cuiuſq; conſilia contemneres? Remp. proderes? conſulare nomen affligeres? etiamne edicere audeas, ne mœrerẽt homines meã, ſuam, Reip. calamitatem? néue hunc ſuum dolorem veſte mutata ſignificarent? ſiue illa veſtis mutatio ad luctum ipſorum, ſiue ad deprecandum valebat, quis vnquam tàm crudelis fuit, qui prohiberet, quenquam aut ſibi mœrere, aut cæteris ſupplicare?*

VII. Polyptoton.

Quam Latini traductionem nominant, eſt variata caſibus eiuſdem nominis iteratio, vel Oratio caſuum varietate diſtincta. Cic. de Haruſp. nu. 38. *Tibi verò ſi diligenter attẽderis, intelliges hominũ pœnas deeſſe adhuc, non Deorũ. Homines te in re fœdiſſima defẽderũt: Homines turpiſſimũ nocẽtiſſimumq; laudarunt: homines propter pecuniã iudicio liberauerunt: hominibus iniuria tui ſtupri illata in ipſos dolori non fuit. Homines tibi arma, alij in me: alij poſt in illũ inuictũ Ciuẽ dederunt: hominũ beneficia prorſus concedo tibi, ac maiora non eſſe quærenda.*

Vos in omnium odio perduelles eſtis, veſtri nemo eſt Gallorum quem non pudeat, vobis exteri etiam infenſi ſunt, vos palam noſtra tempora accuſant, ô vos feliciores ſi numquam fuiſſetis!

Caſus intelligo, non tàm anguſtè, quàm Grammatici definiunt, ſed quemuis exitum, quo verbum definit. Cicer. pro Cœl nu 58. *ipſius autem veneni quæ ratio fingitur? vbi quæſitum eſtque quemadmodum paratum? quo pacto? cui quo in loco traditum eſt?*

Phil 13. Huic cedamus? huius conditiones audiamus? cum hoc fieri pacem poſſe credamus?

Ad venuſtatem ſunt illi verſus non ineruditi Poëtæ ſtudio quæſiti, quibus idem nomẽ per caſus omnes ordine ſuo variauit,

Cum vanitas ſit vanitatis filia,
Et vanitati vanitatem procreet,
O vanitas, quid vanitate vanius?

Plerumque vehementiam adfert Orationi. Sic Tull. pro Archia, num. 14. *Sed pleni ſũt omnes libri, plenæ ſapientũ voces, plena exemplorũ vetuſtas.*

Interdum genus commutatur. 7. in Ver. num. 78. *Certus locus, certa lex, certum tribunal quo loco reſeruetur,*

VIII. Synonymia.

Communio nominis & verbi, ſiue numerus, quo verba eandem habentia ſignificationem cõgregantur. 2. Catil. nu. 1. *Tandem aliquando Catilinam furentem audaciã, ſcelus anhelantẽ, peſtẽ patriæ nefariè molientem ex vrbe, vel eiecimus, vel emiſimus, vel ipſum egredientem vrbe proſequuti ſumus. Abijt, exceſſit, euaſit, erupit.*

Vſurpamus hoc genus eloquutionis, quoties vno verbo ſatis videmur rei dignitatem demonſtraſſe, eapropter quod vno dictum fuerat, illud idem alijs verbis eiuſdem ſignificationis repetimus: magnus tamẽ dictionis delectus eſſe debet, ne Orationem oneret potius, quàm ornet pro Mil. nu. 33. *An verò vos ſoli ignoratis, vos hoſpites in hac vrbe verſamini? veſtræ peregrinantur aures, neque in hoc peruagato ciuitatis ſermone verſantur?*

Magnam Orationi grauitatem addit, & acrimoniam. Prò Mur. num 1. *Quæ precatus ſum à Diis Immortalibus, more inſtitutoque maiorum, illo die, quo auſpicato comitiis cẽturiatis Mur. Conſulem renuntiaui, vt ea res mihi, magiſtratuique meo, plebique Rom. benè, atque feliciter eueniret.*

Acrimoniam verò 1. Catil. *Non feram, non patiar, non ſinam.*

In Piſon. num. 47. *Ego te non vecordem, nõ furioſum, non mẽte captum, non tragico illo Oreſte, aut Athamante dementiorem putem, qui ſis auſus.*

Neque verba ſolum, ſed ſenſus quoque idem facientes accumulantur. Pro Mil. *Perturbationẽ iſtam*

mentis,

Digitized by Google

mentis, & quædam ſcelerum offuſa caligo, & ardentes furiarum faces excitarunt.

IX. Polyſyntheton.

Fit hic numerus cùm frequentantur coniunctiones, vt magis inſtemus, & Diuos, & homines, & ſacra, & profana omnia contempſerunt. Et 1. Off. num 109. *In ſermonibus alium quidem videmus, quamuis præpotens ſit efficere vt vnus de multis, eſſe videatur: quod in Catullo. & in patre, & in filio, itemque in Quintil. Mutio vidimus.*

Huc refer Emphaſim quæ altiorem præbet intellectum, quàm ipſa verba declarent. Tull. 2. de Orat. *Tu lucem aſpicere audes? tu hos intueri, tu in foro, tu in vrbe, tu in ciuium eſſe conſpectu.* Et 5. Tuſc. de Philoſophiæ laudem n 5. *Tu vrbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatē vitæ conuocaſti, tu inuētrix legū, tu magiſtra morū & diſciplinæ fuiſti.*

Pvnctvm. II.

De Figuris per detractionem.

SYnecdoche Latinis intellectio, cùm ex vſu communi vox ſubauditur. Tùm ille muſſitare inter ſe, impiè coniurare, arma tandem capere. *Cæcit.* ad Brutum Cic. *Sermo nullus, ſcilicet niſi de te.* Subtractum verbum ſatis ex cæteris intelligitur *Habetur.*

Non alia reticētia niſi quod dictis quibuſdam reliquum, quod cœptum eſt dici, relinquitur audientium, indicio, idque non ſine cuiuſdam affectus grauioris ſignificatione. O perditi ciues quidni vos ô impij! ô ſcelerati quid dicam? ſic ob affectus vehementiam, partem orationis abrumpimus.

II. Adiunctio.

Fit cum pluribus verbis vnum reſpondet. Quę indignatio temeritati, quæ tantæ impietati execratio. Virgil. 3. Æn.

Troiugena interpres Diuûm, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarij lauros, qui ſydera ſentis.

III. Diſiunctio

Sine coniunctionibus ſententiæ afferuntur ad Emphaſim, redditque orationem concitatiorem, vt coniunctio grauiorem. Turbatis in regno ciuili bello cunctis, vt venit, vidit placauit Cic. pro Arch. n. 16. *Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutē oblectāt, ſecundas res ornant, aduerſis perfugium, ac ſolatiū præbent, delectant domi, nō impediūt foris, pernoctāt nobiſcū, peregrinātur, ruſticantur.*

Pvnctvm III.

De Figuris per ſimilitudinem.

Annominatio.

CVm voci vox alia penè ſimilis diſſimili ſenſu ſubiungitur, & mutatione literæ, quæritur venuſtas, quæ delectet, pungat, ac vulneret, de Antonio Tull. *Cùm in gremio mimarū, mentum, & mentum deponeres.*

Ea multis variiſque rationibus conficitur 1. Commutatione litterarum. 1. Cat. num. 9. *Hic, hic ſunt in noſtro numero, in hoc orbis terræ ſanctiſſimo grauiſſimoque conſilio, qui de meo noſtrumq; omnium interitu, qui de huius vrbis, atque adeò orbis terrarum exitio cogitant.*

Alluſio non infrequens Cic. pro Rabir. perdu. num. 7. *Niſi fortè de locis religioſis, ac de lucis, quos ab hoc violatos eſſe dixiſti pluribus verbis tibi reſpondendum putas.*

Adiectione pro Cluent. *Veſtri auxilij eſt Iud. huius innocentiæ, ſic in calamitoſa fama, quaſi in aliqua pernicioſa flamma, atque in communi incendio ſubuenire*

In compoſitis 1 Cat n. 10. *Hoc autem interfecto intelligo hanc Reip. peſtem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi poſſe, vt abs te non emiſſus ex vrbe, ſed immiſſus in vrbem eſſe videatur.*

Tranſlatione litterarum 1 ad Attic. ep. 10. *Conſul ipſe paruo animo, & prauo, tamen cauillator ille genere moroſo, quod etiam ſine dicacitate ridetur, facie magis, quàm facetiis ridiculus nihil agens in Rep. ſeiunctus ab Optimatibus.*

Aliàs

Digitized by Google

Aliàs nomina primis ſyllabis inter ſe conſonant. 2. in Verr. 5. *Nam vt apertus fuit in corripiendis pecuniis,ſic in ſpe corrumpendi iudicij.*

Aliàs mediis 3. Phil.n.22. *En cur magiſter eius ex Aratore Orator factus.*

Modò primis & extremis de Haruſp. n.6. *Non modò vincere,ſed etiam vincire oporteret.*

Primis & mediis pro Quint. 12. *Qui ab adoleſcentulo quæſtum ſibi inſtituiſſet ſine impendio, poſteaquàm neſcio quid impendit.* In Piſonem n, 99. *Nec minus lætabor cùm te ſemper ſordidum, quàm ſi ſemper ſordidatum viderem.*

Mediis & extremis pro Roſ.Am. Tametſi non modò ignoſcendi ratio,ſed etiam cognoſcendi conſuetudo,de medio ſublata eſt.

Pro Fonteio n.30. Frugi hominem videtis poſitum in veſtra fide ac poteſtate. Atq;ita vt commiſſus ſit fidei,permiſſus poteſtati.

Ad iocum adhibetur Paronomaſia,quæ ſi conglobetur maiorem vim affert atque delectationem,ſic licet hæreſim & eius Sectatores verborum aculeis carcere.Faceſſant hinc Lutheri diſcipuli, Caluini aliorumque ſectæ fidei noſtræ contrariæ, quæ non tàm fori ope, quàm ferri, non tàm legibus, quàm legionibus,nec tàm deciſionibus,quàm ſeditionibus in animis errantium defixæ ſunt;quas Chriſtiani Doctores non tàm telo,quàm ſtylo peremerunt,nec tàm exquiſitæ facundiæ luminibus quàm fulminibus inuicta,ac indefeſſà concertatione debellarunt.

II. *Similiter cadens.*

Exornatio in qua verba in eadem tempora, & nomina in eoſdem caſus cadunt, Pro Roſc.n.72. *Quid tàm commune,quàm ſpiritus viuis,terra mortuis,mare fluctuantibus,littus erectis?* Pro Marcello n.5. *Soleo ſæpè ante oculos ponere,idque libenter crebris vſurpare ſermonibus omnes noſtrorum Imperatorum,omnes exterarum gentium, potentiſſimorumq; populorum, omnes clariſſimorum regum res geſtas cum tuis,non contentionum magnitudine,nec numero præliorum,nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec diſſimilitudine bellorum conferri poſſe.*

Nec in fine tantùm deprehenditur,ſed etiam media primis,aut ſumma mediis accommodantur.Cic.pro Cæcin.nu.1. *Si quantùm in agro,locisq; deſertis audacia poteſt,tantùm in foro,atq; in iudiciis impudentia valeret:non minus in cauſa cederet Cæcinna,Sex.Æbutij impudentiæ, quantum in vi facienda ceſſit audaciæ*

III. *Similiter deſinens.*

Figurata loquutio, in qua ſiue caſus ſint in verbis,ſiue non,ſimiles tamen ſunt exitus, talis illa Cic.non modò ad ſalutem eius, extinguendam,ſed etiam gloriam per tales viros infringendam,Et 3.Verr.n.9 *Quis hoc perſpicit,præclarè nobiſcum actum iri,ſi populus Rom. iſtius vnius ſupplicio contentus erit,ac nō ſic ſtatuerit,non iſtum maius in ſeſe ſcelus concepiſſe,cùm fana ſpoliarit, cùm tot homines innocentes necarit,cùm ciues Rom. morte,cruciatu affecerit,cùm prædonum Duces, acceptâ pecunia, dimiſerit.*

IV. *Compar.*

Habet orationis membra quæ conſtant ex pari ferè numero ſyllabarum,pro lege M num. 35. *Tantum bellum,tàm diuturnum,tàm longè latèque diſperſum Cn.Pompeius extrema hyeme apparauit, ineunte vere ſuſcepit,media æſtate confecit.*

Tale eſt illud. Nequaquam mihi cum eo res eſt,qui neque finem habet cupiendi, neque modum ſtatuit vtendi,&multa deſideria egentis eſt regnum,& nihil parcere egeſtatis eſt initium.

Aliquando fit per inciſa.Pro Syll.n. 14. *Conſilio inueſtigaſſet,virtute aperuiſſet,magnitudine animi vindicaſſet.*

Aut membra iunguntur penè paria.5.Phil. nu. 44 in Var.5. *Non legem aliquam Cornelius contra auſpicia tulerit?non Æliam,non Fuſiam legem neglexerit?non Conſuli vim attulerit?non armatis hominibus templa tenuerit?*

Hæc commendantur in ſententiis præſertim, quia & ſuauius influunt in animum, & diùtius habent infixa;ſed ijs parcè, prudenterque vtendum Oratori,quia faſtidium citò audienti afferunt,fidemque abrogant orationi.

LECTIO TERTIA.

De Figuris ſentiarum.

Magnum Eloquentiæ præſidium in motibus eſſe non diffitemur,& vim ingentem in amplificatione non ignoramus, ſed quæ ſine figuris,orationis ornamentis, ac luminibus languida ſint,& tantùm non mortua:ab iſtis quippe virtus omnis,ac dignitasEloquentiæ que maieſtas effloreſcit.In qua parte qui non profecerit , haud ſcio,an vnquam nomen Oratoris ſit habiturus , cùm ſine his,nullus in omnem partem hominum animos impellat,voluntateſque ad arbitrium moderetur.

Eſt exornatio quædam orationis à communi rationi dicendi remota , quæ non in verbis,ſed in rebus ipſis quandam habet dignitatem.

Porrò figuras ſententiarum varij diuersè partiuntur,breuitatis memor ſequar eum ordinem quem aſſignat. Orator , ſecundùm tria eiuſdem officia,& alias quidem ad dicendum,docẽdumque comparatas,alias ad delectandum,tertias ad permouendum accommodatas,in ordinem colligemus;ac primò quidem de ijs agemus,quæ ad docendum aptiores videntur.

PVNCTVM PRIMVM.

Occupatio.

Fit cùm ea que vel ab aduerſariis obiici poſſent ipſi præuertimus,vel ſcrupulum dubirationis,aut offẽſionem,quæ ex oratione relinqui poſſet,euellimus,aut placamus.Habet locum in Exordiis,refutationibus,& probationibus;denique cùm eſt aliquid dicendum, quod minus iucundumfore videatur;quo in genere exornationis magno iudicio omninò eſt opus:præuidendi enim ſenſus auditorum , penituſque noſcendi ſunt,ne quid Orator afferat,quod ab eorum iudicio diſcrepet.Idea.pro Roſc.Am.num. 1. *Credo ego vos Iud.mirari quid ſit,quod cùm tot ſummi Oratores,homineſq; nobiliſſimi ſedeant,ego potiſſimùm ſurrexerim,is qui neque ætate,neque ingenio, neque auctoritate ſim cum iis,qui ſedeant comparandus.*

Diuinat in Verr.contra Cæcil.n.1.*Si quis veſtrum aut eorum qui adſunt fortè miratur , me qui tot annos in cauſis,iudiciiſq; publicis ita ſim verſatus,vt defenderim multos,læſerim neminem, ſubitò nunc mutata voluntate,ad accuſandum deſcenderim,is ſi mei conſilij cauſam,rationẽq; cognouerit, vnâ & id quod facio probabit,in hac cauſa profectò neminem præponendum eſſe mihi actorem putabit.*

Confeſſio.

Aliàs per confeſſionem , quando fatetur libere Orator, quod obiici poterat Pro Rabirio Poſth quem in primo cauſæ aditu ſua quoque ſentẽtiâ reprehendẽdũ fatetur n.3.*Si quis eſt qui C. Rabirium quod ſua fortuna ſundatas præſertim atq; optimè conſtitutas opes poteſtati regia,libidiníque commiſerit, reprehendendum putet , adſcribat ad iudicium ſuum non modò meam,ſed huius,etiam ipſius,qui commiſit,ſententiam,neq; enim cuiquam eius conſilium vehementius,quàm ipſi diſplicet.*

Emendatio.

Tùm per emendationem priuſquam dicat Orator pro Sextio.n 3.*Atq;ego ſic Statuo,Iud à me in hac cauſa,atq; hoc extremo dicendi loco pietatis potius,quàm defenſionis,querelæ,quàm eloquentiæ, doloris,quàm ingenij, partes eſſe ſuſceptas.Itaque ſi aut acrius egero,aut liberius,quàm qui ante me dixerunt,peto à vobis , vt tantum orationi meæ concedatis , quantum & dolori , & iuſtæ iracundiæ concedendum putetis.*

Prædictio.

Modò per prædictionem,qualis eſt illa. 6.in Verr.n.2 .*Magnum videor dicere,attendite etiam quemadmodum dicam : non enim verbi neque criminis cauſa augendi complector omnia , cùm dico nihil iſtum eiuſmodi rerum,in tota prouincia reliquiſſe , latinè me ſcitote , non accuſatoriè loqui.*

Præ

Præſumptio.

Commendatur etiam præſumptio in aliis Orationis partibus, quæ interdum conciſa eſt, aliquando magnifica. Conciſa eſt pro lege Ma.n.22. *Requiretur fortaſſe nunc: quemadmodum cùm hæc ita ſint reliquum poſſit eſſe bellum. Cognoſcite Quirit. nõ enim ſine cauſa quæri videtur.*

Multò elegantior eſt illa pro Cœlio.nu.39. *Dicet aliquis; hæc igitur eſt tua diſciplina: ſic tu inſtituis adoleſcentes, ob hanc cauſam tibi hunc puerum parẽs cõmendauit, & tradidit, vt in amore, & voluptatibus adoleſcẽtiã ſuam collocaret, & hanc tu vitã, & ſtudia defẽderes; ego ſi quis, Iud. hoc animi robore, atque hac indole virtutis, ac cõtinẽtia fuit; vt reſpueret omnes voluptates, omnẽq; vitæ ſuæ curſũ, in labore corporis, atque in animi cõtẽtione conficeret; quem non quies, non æqualiũ ſtudia, non ludi, non conuiuia delectarẽt: nihil in vita expetendũ putaret, niſi quod eſſet cum laude, & cũ dignitate coniunctũ, hunc mea ſententia diuinis quibuſdam bonis inſtructũ, atq; ornatũ puto. Ex hoc genere illos fuiſſe arbitror Camillos.*

Magnifica verò eſt 7. Verr. occupat enim ibi Cic. quod reſpondere poſſet Hortenſius pro Verre, idque vehementer infirmat. Quod genus depulſionis habet, cum roboris, tum gratiæ plurimum. nu.2. *Quid agam Iud.? quò accuſationis meæ rationem conferam? quò me vertam? ad omnis enim meos impetus, quaſi murus quidã boni imperatoris opponitur. Noui locũ, video vbi ſe iactaturus ſit Hortenſius: belli pericula, tempora Reip. imperatorũ penuriã commemorabit: tũ deprecabitur à vobis, tùm etiã pro ſuo iure contendet, ne patiamini talem Imperatorem Populo Rom. Siculorũ teſtimoniis eripi: ne obteri laudẽ imperatoriã criminibus auaritiæ velitis.*

Depulſio.

Obiectionis eſt vna, depulſionis altera occupatio, vtramque ſubiicit in exemplo Tull. & aduerſæ partis intentionem, & Actoris depulſionem. Pro Archia nu.15. *Quæret quiſpiam, quid? illi ipſi ſũmi viri, quorũ virtutes literis proditæ ſunt, iſta ne doctrina, quã tu effers laudibus, eruditi fuerũt? Difficile eſt hoc de õnibus cõfirmare, ſed tamẽ eſt certũ, quid reſpondeam. Ego multos homines excellẽti animo, ac virtute fuiſſe, & ſine doctrina, naturæ ipſius habitis propè diuino per ſeipſos, & moderatos & graues extitiſſe fateor; atque illud adiungo ſæpius ad laudem, atque virtutem naturam ſine doctrina, quàm ſine natura valuiſſe doctrinam: atque idem ego contendo, cùm ad naturã eximiã, atque illuſtrẽ acceſſerit ratio quædã, conformatioq; doctrinæ, tùm illud neſcio quid præclarum, ac ſingulare ſolere exiſtere.*

Videndum eſt Oratori diligenter quæ tacita ſint hominum iudicia, quò propendeant animi, quid intendant aduerſarij, quid animos præparet auditorum, idque per præmunitionem. Id præſtat ingenioſè Cic. 7. Ver. nu.140. *At quam ob cauſam Dij Immort. tametſi iniuriã facio communi cauſæ, & iuri ciuitatis: quaſi enim vlla poſſit eſſe cauſa, cur hoc cuiquã ciui Rom. iurè accidat: ita quæro, quæ in Seruilio cauſa fuerit. Ignoſcite hoc verò Iud. in cæteris enim nõ magnoperè cauſas requirã*, loquutus erat liberius de iſtius improbitate atque nequitia.

Huius exornationis ſũt iſtæ ex Tullio formæ pro Roſc. Am.5. *Forſitan quæretis*

Diuinat. in Verr. n.40. *Fortaſſe dicet quid?*

Et 47. eiuſdẽ Orat. *Eſto. Ipſe nihil eſt, nihil poteſt*

7. Verr. n.135. *Etiam dicere audebis.*

1. Cat. n.12. *Quid eſt Catilina num dubitas?*

2. In eundem. n.12. *At Etiam ſunt qui dicant.*

4. Cat. n.14. *Sed quæ exaudio diſſimulare.*

Pro Plancio. n.45. *Atque etiam calamitas*, quam per Anaphoram tractat.

Pro Archia n.2. *Ac ne quis à nobis* Et n.28. *At domicillum Romæ non habuit.*

Pro Rabirio. n.7.8.9. Pro Ligar.20. *Reprehendo igitur? minimè vero: neque enim.*

Pro Sextio. n.135. *Sed habet defenſiones duas.*

Phil.8. n.16 *Dura vox: multo illa durior.*

Phil.14. num.53. *Tu igitur ipſe de te dixeris quiſciam.*

PVNCTVM II.

Compenſatio, ſiue ſubiectio.

IN ea aliquid concedimus, aut fatemur; ſed ita tamen, vt aliud non minus firmum opponamus

namus. Vel in qua multa, quæ pro aduerſariis dici poſſunt, breuiter, ac per partes proponuntur, tum ad ſingula reſpõdetur, & omnibus repudiatis, totum melius concluditur. Tantò eſt autem illuſtrior quòd ex tribus conflata videatur Confeſſione, Anthitheſi, Subiectione..

Ornat.

Eſt igitur compenſatio ad exornandum aptiſſima. Sic in laudem D. Agnetis. Quid obſecro vos ex illis laudibus omittendum eſt, vt vulgare? quid eximium, & ſingulare potiſſimum eligendum? Iuſtitiamne præferendam putem? eſt illa quidem in Agnete præſtantiſſima: ſed fortitudo videtur excellere: fortitudinem anteponam? at illi iuſtitia non cedit; an temperantiam? prorſus id ampliſſimum ornamentum eſt? ſed ſapientia videtur illuſtrior. Sapientiam? hæc ipſa temperantiæ ſocietate laudabilor exiſtimatur: ancius tranquillitatem & otium laudem? nihil actuoſius An negotium & occupationes? nihil ſedatius. Religionem? humaniſſima eſt. Humanitatem? religioſiſſima eſt; parcimoniam? cum liberalitate diſceptat. Liberalitatem; cum parcimonia dimicat. At ſubmiſſionem animi proponã? quæ magnificentiam nunquam deſerit? ergo magnificentiam; quæ nunquam ab animi demiſſione diſtrahitur. Quid ſi taciturnitas ante ponatur? hæc conſideratam Agneti peperit quidem in dicendo curam, & omnis eius Oratio tacendi ſtudium præcipuè commendabat. Nam ſeueritatem aſſumam? hæc cum Clementia cohæret. Clementiam. Cum ſeueritate ſociatur. Qnid pluribus opus eſt? omnis in Agnete virtus omnis laus ita videtur alteram altera complexa, ſic inuicem implicata ſunt, atque complexa, omnia vt ſine magna ſui diſtractione ſegregari non poſſint. Summa ſunt in hoc Virgine, præſtantiſſima omnia, quocumque oculos animumque conuerto, nihil in ea niſi præclariſſimum, ac ſingulare reperio

Sic hominem virtute conſpicuum ſubiicias. Inconſtanti leuitate non fluctuat: contumaci ſuperbia non indoleſcit: in rebus proſperis æquè, ac in aduerſis eandem animi ſeruat æquabilitatẽ, nec illis attollitur: nec iſtis deprimitur, Honor aut infamiæ nota proponitur; non ambitione incenditur, nec ignominiæ metu commouetur. Spes quæſtus inuitat; non ſuis plus commodis, quàm aliorum vel neceſſitati ſeruit, vel vtilitati: offenditur; non excandeſcit iracundiâ: læditur; nemini ſe vlciſcendi cauſa machinatur inſidias: verbis improborum excitatur ad nocẽdum; nullus iniuriâ vel incõmodo delectatur: ad fallendum impellitur; veritate mirabiliter gaudet: dura, ẽcerba, aſpera proponuntur; illa tam inuicto animi robore tolerat, vt nihil à ſtatu naturæ, nihil à dignitate ſapientis diſcedat: formidoloſum, & terribile occurrit aliquid; ſuſtinet præſens, vel adueniens pari mẽte excipit. Imitatrix boni voluptas, malorũ venera mater omniũ ſuis illecebris hominẽ inuitat, & impellit, Scyllam præternauigat, nec abripitur: Cyrces poculum bibit, nec mutatur: ad Lotophagos accedit, nec remanet; Syrenum cantus audit, neć capitur; nempè vim mentis omnem in vnam virtutem coniecit. Hoc eſt pugnare, hoc vincere, hoc triumphare.

Egregio animi robore ſeptum hominem & in aduerſis conſtantem victoremque docto penicillo venuſtè deſcribit Petrus Cellenſis lib. 7: ep. 2. *Ecce caminus; ſed non timet aurum: Ecce mare; ſed ſupernatat folium: Ecce malleus; ſed non confringitur Adamas: Ecce ventus; ſed mons Sion non commouetur; Ecce prælium; ſed miles tenet gladium.*

Hortatur.

Adhiberi poteſt in cohortationibus, cùm eſt excitanda audacia, ſic militem Imperator, vt verbis Cic. vtar, Difficilis eſt ratio belli gerendi; at plena fidei, plena pietatis; magnus labor, magna pericula proponuntur at quanta ex ijs gloriæ ſeges colligitur.

Quem non excitaret illa D. Cypriani ſententia; p. 77. *Non fouetur in culcitris corpus molliter; ſed refrigerio & Chriſti ſolatio fouetur. Humi iacẽt feſſa laboribus viſcera; ſed pœna non eſt cum Chriſto iacere; ſqualent ſine balneis membra, ſitu & ſorde deformia: ſed ſpiritaliter intus abluitur, quod foris carnaliter ſordidatur. Panis illis exiguus: at non in ſolo pane viuit homo. Veſtis algentibus deeſt: ſed qui Chriſtum induit, & veſtitus abundanter, & cultus eſt.*

Quem

Quem non delectat ſolitariæ vitæ tranquillitas cum D.Hieron. ep. 11. ad Rufin. *Quid agis frater in ſæculo, qui major es mundo? paupertatem times? beatos pauperes Chriſtus appellat, pauore terreris? at nemo Athleta ſine ſudore coronatur: de cibo cogitas? ſed fides famem non timet: ſuper nudam metuis humum exeſa ieiuniis membra collidere? ſed Dominus tecum iacet: ſqualidi capitis horret inculta Cæſaries? ſed caput tuum Chriſtus eſt, Te terret infinita Eremi vaſtitas? ſed tu Paradiſum mente deambula: delicatus es, ſi & vis gaudere cum ſæculo, & regnare cum Chriſto.*

Blandè ſed efficaciter S.Ambroſ. ad vitæ melioris ſortem Virginem vocat. l.1. de Virg. *Bonum ſi Virgini ſtudia parentum quaſi flacra pudoris aſpirent. Sed illud glorioſius, ſi tenera ignis ætatis, etiam ſine veteribus nutrimentis ſpontè ſe rapiat in fomitem caſtitatis. Dotem negabunt parentes? ſed habes diuitem ſponſum, cuius contenta theſauro, patriæ ſucceſſionis emolumenta non quæras. Quantò dotalibus præſtat compendiis caſta paupertas? Et tamen quam audiſtis aliquando propter ſtudium integritatis, legitima factam ſucceſſionis extorrem? Contra dicunt parentes; ſed volunt vinci. Reſiſtunt primò, quia credere timent, indignantur frequenter; vt diſcas vincere: abdicationem minantur; ut tentent, ſi potes damna ſæculi non timere; quæſitis eblandiuntur illecebris; vt videant, ſi variarum mollire te non queant blãditia voluptatũ: Exerceris Virgo, dum cogeris: Et hæc tibi prima certamina, anxia parentum vota proponunt. Vince prius puella pietatem, ſi vincis domum, vincis & ſæculum.*

Sic exarmat ſæuientem, & dura minantem fortunam Plutarchus in mutilo libello. Quo pacto miſerum efficies hominem? paupertatem minaris? te deridet Etheocles, qui hyemis perfrigida tempeſtate, inter oues, maximis caloribus æſtuantis Caniculę, in templorũ veſtibulis dormiens, ſine cibo ſemi-nudus Perſarum Regem ad certamen de felicitate prouocat, Babylone hyemantem, æſtiuo tempore in Media degentem: ſeruitutem, vincula & haſtam inducis? ſpernit te Diogenes; qui cum à prædonibus venderetur præconis voce, admonuit, ecquis ſibi Dominum emere vellet: Venenatum temperas potulum? Nónne iam Socrati præbuiſti, quod tamen placido, ſedatóque vultu conſtanter obbibit: Infamem minatis crucem? audi Theodorum, nihil intereſt, humine, an ſublime putreſcam.

Suauiter Bernar. mutuæ dilectionis neceſſitatem confirmat ep.42. *Venuſtate ſui caſtitas eminere appareat: ſine charitate tamen, nec pretium habet, nec meritum, Nec mirum. Quod enim abſque illa bonum ſuſcipitur? fides? ſed nec ſi montes transferat. Scientia? ſed nec illa quidem quæ lingua loquitur Angelorum, Martyrium nec abſque illa quodlibet bonum ſuſcipitur, nec cum illa quamlibet exiguum reſpuitur. Caſtitas ſine charitate, lampas ſine oleo. Subtrahe oleum; lampas non lucet? tolle charitatem, caſtitas non placet.*

Dehortatur.

Ad dehortandum valet plurimùm. Generosè Minutius Felix *Abſque notitia Dei quæ poteſt eſſe ſolida felicitas, cùm ſit ſomnio ſimilis? antequam tenetur, elabitur. Rex es? tàm times, quàm timeris, & quamlibet ſis multo comitatu ſtipatus, ad periculum tamen ſolus es. Diues es? ſed fortuna malè creditur, & magno viatico breue vitæ iter non inſtruitur, ſed oneratur: faſcibus & purpuris? vanus error hominis, & inanis cultus dignitatis, fulgere purpurâ, mente ſordeſcere. Nobilitate generoſus es? parentes tuos laudas, omnes tamen pari ſorte naſcimur, ſola virtute diſtinguimur.*

Hinc pauperes longè diuitibus feliciores probat D.Ambroſ. lib.6.c.8. *Fortè doles quod nullum tibi Auratorum Lychnorum lumen refulgeat? ſed multo illuſtrior tibi lumen circumfuſo Luna reſplendet: De hyeme forſitan quereris: quia tibi nulla hypocauſta anhelantibus ignibus vaporentur? ſed habes ſolis calorem, qui tibi orbem terrarum temperet, & hyberno te defendat à frigore. An illos beatos putas, qui ſeruitiorum ſequentium ſtipantur cateruis? ſed qui alienos pedes requirunt, ſuis uti neſciunt. Miraris quod abundat auro & pecuniis? quantis abundant vides, quantis egeant, non vides, Sed eburneis lectis accumbere pretioſum putas? & non conſideras pretioſiorem eſſe terram, quæ pauperi toros graminum ſternit, in quibus dulcis requies, ſuauis eſt ſomnus, quem ille aurea cõpoſitus ſponda, tota peruigil nocte quærit, nec capit, ô quanto ille beatiorem iudicat vigilans quieſcentem*

Docet ac refellit.

Eius maxima vis eſt in contentione, cùm aliquid docere, aut probare ſtudet Orator, aut verò etiam refellere, præcipuè cùm argumentum tractat, à partium enumeratione vel à comparatis. Benè Seneca epiſt. 16 Ita probare quis poteſt Oratori omnes ingenij facultates eſſe neceſſarias. Quid enim eſt ex omnibus ingenij facultatibus, quod perfectum Oratorem efficere poſſit, ſi à reliquis partibus diuidatur? an felicitas fantaſiæ? hæc quidem in verborum fabrica feliciter laborabit, ſed ſi abſit intelligendi celeritas, quid eſt quam inanis volubilitas verborum, nulla ſubiecta ſententia? An igitur expedita vis intelligentiæ? ſuppeditabit illa quidem vberrimam dicendi copiam, ſed quæ in indigeſtam molem excreſcat, ac tumultuoſo quodam rerum inter ſe pugnantium concurſu fatiſcat, niſi prudentia diſpenſetur: fortè igitur prudentia temperabit? illa ſane totum Orationis corpus, & quid quemque deceat, quo tempore, loco, ratione dicendum ſit, demonſtrabit, ſed cùm erit agendum ad populum, cùm ſe auribus, cùm oculis probare volet Orator, quid ab iis omnibus adiumenti capiet, ſi vel memoria vacillet, vel prauitate corporis in oculos Auditorum incurrat? quid ergo? non poſſum diſſimulare mentem meam, omnes ita me Deus amet, ingenij virtutes conſummata dicendi facultas exhaurit.

Rectè Socratem feciſſe Tyrius arguit, quod accuſatus non reſpondiſſet. Diſſertatione 39. Τίνος δ' ἂν καὶ εἵνεκα ἀπελογήσατο Σωκράτης τῶν ἐκείνων τῶν Ἀθηναίων; ὡς ἐπὶ δικαστῶν; ἀλλὰ ἄδικοι. ὡς ἐπὶ φρονίμων; ἀλλὰ ἀνόητοι. ὡς ἐπὶ ἀγαθῶν; ἀλλὰ μοχθηροί. ὡς ἐπὶ εὐμενῶν; ἀλλὰ οἱ ὀργιζόντο. ὡς ἐπὶ ὁμοίων; ἀλλὰ ἀνομοιότατοι. ὡς ἐπὶ κρειττόνων; ἀλλὰ χείρους ἦσαν. ὡς ἐπὶ χειρόνων; καὶ τίς κράττων χείροσιν ἀπολογήσαιτο, τί δ' ἂν καὶ εἶπεν ἀπολογούμενος; ἆρα ὡς οὐκ ἐφιλοσόφει; ἀλλὰ ἐψεύδετο ἄν. ἢ ὅτι ἐφιλοσόφει; ἀλλὰ ἐπὶ τούτῳ ἐχαλέπαινον. Quare verò Athenienſibus illis cauſam ſuam probare conatus eſſet Socrates? Tanquam iudicibus? at iniuſti erant. Tanquam viris bonis? at erant improbi. Tanquam beneuolis? at ſuccenſebant Socrati. Tanquam ſimilibus? at erant diſſimillimi. Tanquam melioribus? at deteriores erant. Tanquam deterioribus? at quando vnquam deteriori cauſam probare conatus eſt melior? Quid autem pro ſe attuliſſet? Philoſophum ſe negaſſet? mentitus eſſet. Philoſophum ſe confeſſus eſſet? hoc ipſum erat quod ſuccenſerent. Concludit totam rem hoc effato ſingulari. ἀρετῆς δὲ καὶ καλοκαγαθίας ὁ ἴτεος εἷς ἡ πρὸς ταῦτα αἰδώς. Virtus probitaſque vnum habet, quo ſe tueatur, ſui Reuerentiam.

Eleganti ſubiectione Polybium conſolatur Seneca, quod Democriti felicitas ea fuerit, vt omnem effugerit inuidiam, quod per Anaphoram & diſtributionem vrget. *Quid illi faceres? pecuniam erigeres? nunquam illi obnoxius fuit, & ab ea nullum maiorem fructum, quàm contemptum eius petit. Eriperes illi amicos? ſciebas tam amabilem eſſe, vt facilè in locum amiſſorum, poſſet alios ſubſtituere. Eriperes illi bonam opinionem? ſolidior eſt hac apud eam, quàm vt à te quoque ipſa concuti poſſet. Eriperes bonam valetudinem? ſciebas animum eius liberalibus diſciplinis, quibus non innutritus tantùm, ſed innatus eſt, ſic eſſe fundatum, vt ſupra omnes corporis dolores emineret. Eriperes ſpiritum? quantulum nocuiſſes? longiſſimum illi æuum ingenij fama promiſit. Id egit ipſe, vt meliore ſui parte duraret, & compoſitis eloquentiæ præclaris operibus, à mortalitate ſe vindicaret.*

Aliam perfectam, imperfectam aliam reperio, illam tribus conſtantem partibus, propoſitione ſcilicet, enumeratione, ſiue remotione, & concluſione. Hanc præcipit, & illuſtrat Tull. pro Quinctio, num 41. *Dubitabitur vtrum ſit probabilius, Sext. Nauium ſtatim, ſi quid deberetur, petiturum fuiſſe, anne appellaturum quidem bienniò? appellandi tempus non erat? at tecum anno plus vixit. In Gallia agi non potuit? at & in Prouincia ius dicebatur, & Romæ iudicia fiebant. Reſtat, vt aut ſumma negligentia tibi obſtiterit, aut vnica liberalitas: ſi negligentiam dices, mirabimur; ſi bonitatem, ridebimus: neque præterea quid poſſis dicere, inuenio. Satis eſt argumenti, nihil eſſe debitum Nauio, quod tandem nihil petiuit.*

Patres etiam omnes agnoſcis in hac ſubiectio-

ne pro Ameri num. 41. *Rurſus igitur eódem reuertamur, & quæramus, quæ tanta vitia fuerint in vnico filio, quare is patri diſpliceret. At perſpicuum eſt nullum fuiſſe. Pater igitur amens, qui odiſſet eum ſine cauſa, quem procrearat. At is quidem fuit omnium conſtantiſſimus. Ergo illud iam perſpicuum profectò eſt, ſi neque amens pater, neque perditus filius fuerit, neque odii cauſam patri, neque ſceleris filio fuiſſe.*

Poſterioris exemplum eſt. 1: Catil. num, 28. *Nónne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non ſummo ſupplicio, mactari imperabis? quid tādem impedit te? moſne maiorum? at perſæpè etiam priuati in hac Repub. pernicioſos ciues morte multarant, An leges quæ ciuium Romanorum ſuppli io rogatæ ſunt. At nunquam in hac vrbe ii, qui a Republicam defecerunt, ciuium iura tenuerunt. An inuidiam poſteritatis times? præclaram verò populo Roman. refers gratiam, qui te hominem per te cognitum, nulla commendatione maiorum tàm, maturè ad ſummum imperium, per omnes honorum gradus extullit: ſi propter inuidiam aut alicuius periculi metum, ſalutem ciuium tuorum negligis.*

Grauiter, & prudenter adhiberi video hanc figuram ab Oratore in Cluentio, cum deprecatur inuidiam, & reo beneuolentiam conciliat, atque æquitatem Iudicum, numero. 4. *Equidem quod ad me attinet, quò me vertam neſcio. Negem fuiſſe illam infamiam iudicii corrupti? negem eſſe illam rem agitatam in concionibus? iactatam in iudiciis? commemoratam in Senatu? euellere ex animis hominum tantam opinionem? tàm penitus inſitam? tàm vetuſtam? non eſt noſtri ingenii; veſtri auxilii eſt huius innocentia ſubuenire.*

Imperfecta ſubiectio eſt, in qua vel propoſitio, vel concluſio, vel vtraque deeſt. Talis eſt illa Cic. pro Planc. 11. *Malè iudicauit populus? at iudicauit. Non debuit? at potuit. Non fero? at multi clariſſimi, & ſapientiſſimi ciues tulerunt.*

Et pro Quinct. *Mittis iuſſu prætoris; Quo conſilio? iniuriam ſciebas quid? cùm iuſſiſſes, tùm mittere nónne poteras?*

In neutram partem cadit interrogatio. Cic. parad. 5. *Vocat veniendum: poſcit dandum: eiicit, abeundum: minatur, extimeſcendum.*

Antequàm iret in exilium, num. 21. *Vim volunt afferre præſtò ſum, eiicere, volūt ex eo indictâ cauſâ: nolunt audire; cauſam non dico: aliud quidpiam conantur, agant.*

Multum in eſt grauitatis, & acrimoniæ in hac exornatione, ſi modò per repetitionem, ſimiliter cadentia, vel interrogationem inſtituatur. De Haruſp. num. 33 *Tu meam domum religioſam facere potuiſti? ecqua mente? quâ inuaſeras, quâ manu? quà diſturbaras. Qua voce? qua incendi iuſſeras. Qua lege? quam non in illa quidem impunitate tua ſcripſeras. Quo puluinari? quod ſtupraras. Quo ſimulachro? quod ereptum ex meretricis ſepulchro, in Imperatoris monumento collocaras.*

Verr. 4. num. 192. *Nunc verò quid facias Hortenſius.*

3. in eundem, num. 150. *Nam quid argumentamur, quò iſta pecunia peruenerit?*

2. Philipp. num. 2. *Quid putem contemptúmne me?*

6. Verr. num. 27. *At quomodo abiecit, non poſſum dicere planius.*

Pro Roſc. Amer. numer. 54. *Quid igitur affers.*

PVNCTVM. III.

Communicatio.

EST exornatio, quâ cauſæ noſtræ confidentes, vel ipſos aduerſarios conſulimus; aut cum Iudicibus, quid faciendum ſit, quídue factum opportuerit, deliberamus Pro Cæcin. 32. *Eſt hæc reſpoſita, quæ ab aduerſario non negatur: Cæcinam cùm ad conſtitutam diem, tempuſque veniſſet, vt ius ac deductio moribus fieret, pulſum prohibitumque eſſe vi, coactis hominibus & armatis. Cùm hoc conſtet, ego homo imperitus iuris, ignarus negotiorum ac litium, hanc puto me habere actionem, vt per interdictum, meum ius teneam, atque iniuriam tuam perſequar. Fac in hoc errare me, nec vllo modo poſſe per hoc interdictum id aſſequi, quod velim, te vs in hac re magiſtro volo. Quæro ſit ne aliqua huius rei actio, an nulla, conuocari homines propter poſſeſſionis controuerſiam non oportet, armari multitudinem iuris retinendi cauſa, non conuenit?*

Cum

Cum auditoribus deliberat, & iudices rogat. Pro Rabir. perdu. num. 22. *Tu denique Labiene. Quid faceres tali in re, ac tempore? cum ignauia ratio te in fugam, atque in latebras impelleret: improbitas & furor Lu. Saturnini in Capitolium arceſſeret, Conſules ad patriæ ſalutem, ac libertatem vocarent: quam tandem auctoritatem, quam vocem, cuius ſectam ſequi, cuius imperio parere potiſſimum velles?*

Eſt elegans illa pro Sextio, quá demonſtrat ſummam cauſæ fiduciam, dum iudicum ſententia ſtat, quos in eos velut aduerſarios habuerat. num: 43.

2. in Verr. num. 51. *Nunc ego vos Conſulo, quid mihi faciendum puteris: id enim conſilii perfectò taciti debitis, quod egomet mihi neceſſario capiendũ intelligo.*

Interdum communicationi coniuncta eſt Reſponſio, & Expeditio propoſitæ debitationis. Pro Quinct. num. 54. *Ego pro te nunc hoc Conſulo, poſt tempus in aliena re, quòd in in tua re, cùm tempus erat conſulere oblitus eſt. Quæro abs te Aquili, Luculle, Marcelle: Vadimonium mihi non obiit quidam ſocius, & affinis meus, qui cum mihi neceſſitudo vetus: Controuerſia de re pecuniaria recens intercedit poſtulone à Prætore, vt eius bona mihi poſſidere liceat? an cum Romæ domus eius, vxor, liberi ſint, domum potius denuntiem: quid eſt quod hac tandem in re vobis poſſit videri? profectò ſi rectè veſtram bonitatem; atque prudentiã cognoui, nõ multum me fallit, ſi conſulamini quid ſitis reſponſuri: primum expectare: deinde ſi latitare, ac diutius ludificare videatur amicos conuenire, quærere quis Procurator ſit, domum denuntiare: dici vix poteſt quàm multa reſpondeatis ante fieri oportere, quàm ad hanc rationem extremam, neceſſariam deuenire.*

Venuſtè ſatis pro Cæcinna, num. 35. *Quæro ſi te hodie domum tuam redeuntem coacti homines & armati, non modò limine, tectóque aditum tuarum: ſed primò aditu, veſtibulóque prohibuerint, quid acturus ſis. Monet amicus te L. Calpurnius, vt idem dicas quod ipſe, antea dixit, iniuriarum. Quid? ad cauſam poſſeſſionis. Quia? ad reſtituendum eum, quem oporteret reſtitui: quid denique? ad ius ciuile, aut ad actoris notionem, & animaduerſionem ages iniuriarum? plus tibi ego largior.*

Refellit.

Vtilis eſt hæc figura confidenti, vel refellenti. Nam ſi cum aduerſario communicemus, valebit ad vrgendum, atque extrorquendum confeſſionem: ſi verò cum Iudicibus, prodeſt ad eorum animos mouendos, dum vident nos in ipſorum æquitate fiduciam noſtram collocare, hoc artificio, ferè tota pro Ligar. vſus eſt Cic. à n. 6. & deinceps.

Cum hac detrectatio conuenit, quâ criminis eius, quod negari non licet, aut conſilii participem facimus aduerſarium.

Dicitur etiam læſio, quod graui ſuſpicione vulneret aduerſarium; nec multum abeſt compenſatio, ſeu retributio Phil. 2. nu. 34. *Quamquam ſi interfici Cæſarem voluiſſe crimen eſt, vide quæſo Antoni, quid tibi futurum ſit: quem & Nabone hoc conſilium cum G. Trebonio cepiſſe notiſſimum eſt, & ob eius conſilii ſocietatem, cùm interficeretur Cæſar, tum te à Trebonio vidimus ſeuocari.*

Diuinatione in Verr. num. 57. *De te, Cæcili, iam mehercule hoc extra hanc contentionem, certamenque noſtrum familiariter tecum loquar.*

Pro Quintio, num. 53. *Si de prædiis tuis ageretur Sex. Næui.*

Fidem facit.

Plurimum valet ad faciendam fidem, ſiue purgandum, ſit crimen, ſiue probandum conſilium. Ratio facilis & magnifeſta; quia ſcilicet permittitur arbitrio tum Iudicis, tum aduerſarii ſuum de re, qua de agitur iudicium interponere: quod eſt argumentum magnæ fiduciæ, quæ rem probabilem, & veriſſimilem efficit. Pro Rabir. num. 22.

Sedat iracundiam.

Facit ad ſedandam iracundiam, ſi quis læſum ſe eſſe putet: Ita Sulpitium mitigat Orator ſibi ſubiratum, quod Muſæniæ defenſionem ſuſcepi ſſer, n. 9. *Quod ſilicet deſinere, ſi te auctore poſſum, ſi nulla inertia, nulla ſuperbia turpitudo, nulli inhumanitatis cauſa ſubijcitur: ego verò libẽter deſino. Sin autem fuga laboris deſidia, repudiatio ſupplicum, ſuperbiam: amicorum neglectio improbitatem, coarguit: nimirum hæc cauſa eſt huiuſmodi, quam nec induſtrius, nec miſericors, nec officioſus deſerere poſſit. Atque huiuſce rei coniecturam de tuo ipſius ſtudio, Serui, facillimè*

Digitized by Google

limè ceperis Nam ſi tibi neceſſe putas, etiam aduerſariis amicorum tuorum de iure conſulentibus reſpondere: & ſi turpe existimas, te aduocato, illum ipſum, quem contra veneris, cauſa cadere; noli tàm eſſe iniuſtus, vt cùm tui fontes, vel inimicis tuis pateant, noſtros riuulos etiam amicis putes clauſos eſſe oportere.

Excitat commiſerationem.

Valet ad commiſerationem, cauſa eſt, quod alienam calamitatem, cuius ſenſum imprimere conatur Orator, transferat quodammodo ad ipſos Auditores, & eorum propriam faciat, quod eſt ad ſenſum commiſerationis acerrimum. Ita ſi quis hortari velit diuites ad miſericordiam erga pauperes, hac communicatione vti poteſt. Per Deum Immort. oro vos, atque obteſtor And. quibus ampliſſimas opes fortuna conceſſit, videte quid ſuauiſſimo diuini numinis amori debeatis. Poterat ſupremus ille rerum omnium moderator abiicere vos ad conditionem vitæ ſordidiſſimam, poterat in hunc orbem, tanquam in theatrum prouidentiæ ſuæ cæcos, infirmos, membris omnibus mancos, ac debiles, his ipſis miſerrimis hominibus, quos ad pedes veſtros iacere, & lacrymari cernitis, egentiores immittere Id ſi igitur vobis contigiſſet, quod prohibere nullo modo poteratis, quis quæſo veſter ſenſus fuiſſet? Ob eandem cauſam valet ad concitandam iracundiam, vel gaudium.

Efficax ad ſtuporem.

Ad ſtuporem & admirationem eſt efficax, preſertim vbi cum ſuſtentatione iungitur; Id autem euenit cum præclarum alicuius conſilium, aut factum, quod propter inſolentiam mirabile ſit, commendamus: Tum enim Communicatio magnam vim habet, cum ſciſcitamur Auditorum iudicium atque mentem. Si quis Diui Paulini Nolani charitatem illam prædicare velit, quâ ſe addixit ſeruituti, vt captiui adoleſcentis repræſentaret libertatem. Exponat primum oportet matris lacrymas filium ſuum deflentis ad pedes Diui Paulini, eiuſdemque commiſerationem ex amore, & charitate natam, tum per ſuſtentationem petat quid conſilii capturus ſit vir ſanctiſſimus deficiente pecunia, exhauſtis rebus domeſticis; tum res ad Auditores transferat. Quid vos ipſi Auditores feceretis? quid in ea re vobis agẽdum cenſeretis? quàm multi ex hoc ipſo cœtu diuites & fortunati abſterrerent miſeram mulierem: pauci fortaſſe verbis amicis ſolarentur mœrentem: vix vllus pecunia, tametſi magna copia ſuppeteret, calamitatem eius ſubleuaret. Audite verò audite ſanctiſſimi Præſulis ſtupendum planè conſilium: poterat commemorare conſumptas opes ac pecunias, hæc omnia prætermittit; poterat ad amicos certè confugere, ne id quidem ſatis ardentiſſimæ eius charitati eſſe poteſt. Quid ergo? ſeipſum homo alienæ ſalutis amantiſſimus, propriæ vitæ negligens, ſeipſum inquam ſeruituti addicit, & ſua libertate redimit alienam.

Pvnctvm IV.

Conceſſio.

EST exornatio quâ videmur etiam aliquid iniquum vel pati, vel aduerſario concedere, fiduciæ cauſâ, eſtque vel ſeria, quæ videnti conuenit. Nam hac vtimur cum parte conceſſa, nos tamen ſuperiores fore confidimus, & particulis, *eſto, ſit ita, fac.* frequẽter exprimitur. Pro Quinct. n. 56. *Hac ille ſi verbis non audet, re quidem vera palam loquitur. Etenim ſi vult virorum bonorum inſtituto viuere, multa diſcat oportet, atque dediſcat: quorum illi ætati, vtrumq; difficile eſt. Non dubitaui, inquit, cùm Vadimonium deſertum eſſet, bona proſcribere. Improbe. Verùm, quoniam tu id tibi arrogas, & concedi poſtulas; concedamus.*

Pro Roſc. Amer. n 73. *Vtrum quid agatur non vides? aut apud quos agatur? agitur de parricidio quod ſine multis cauſis ſuſcipi non poteſt. Apud homines autẽ prudentiſſimos agitur, qui intelligunt neminẽ, ne minimũ quidem maleficiũ, ſine cauſa admittere. Eſto, cauſam proferre non potes tametſi ſtatim viciſſe debeo, tamen de meo iure decedam: & tibi quod in alia cauſa non concederem, in hac concedã fretus*

Digitized by Google

huius innocentia. Non quæro abs te quare patrem Sext. Roſcius occiderit; quæro quomodo occiderit Et num,54.

Eſt etiam Ironica Conceſſio, quæ inuidiam conflare poteſt aduerſario, præſertim congeriem habet variorum criminum, quæ concedi non poſſunt. Hanc frequenter adhibet Cicer. 4. Verr. n. 46. *Quæ eſt iſta Prætura? eripis hereditatem, quæ venerat à propinquo, venerat teſtamento, venerat legibus; cuius hereditatis cùm ille aliquanto ante te Prætorē eſſet mortuus, controuerſia fuerat nulla, mentionē fecerat nemo Verùm eſto, eripe hereditatem propinquis, da palæſtritis: prædare in bonis alienis nomine ciuitatis; euerte leges, teſtamēta, voluntates mortuorum, iura viuorum. Num etiam Heraclium bonis exturbare oportuit? qui ſimul ac profugit, quàm impudēter, quàm palam, quàm acerbè, Dii Immort. illa bona direpta ſunt!* Et n. 150.

Feſtiua eſt etiam illa conceſſio ironica. 5. Verr. num. 16. *Qua in re illud primum reprehendo, & accuſo, cur in re tàm veteri, tàm vſitata quidquā novi feceris, ingenio aliquid aſſequutus es? tot homines ſapientiſſimos, qui illam Prouinciam ante tenuerunt, prudentia conſilioq; viciſti? Eſt tuum, eſt ingenii prudentiaq; tuæ. Hoc do tibi, & concedo. Scio te Romæ cùm Prætor eſſet, edicto tuo poſſeſſione hereditatem à liberis ad alienos, à primis heredibus, ad ſecundos, à legibus ad libidinem tuam tranſtuliſſe: ſcio te edicta ſuperiorum omnium correxiſſe, & poſſeſſiones hereditatum, non ſecundùm eos, qui proferrent, ſed ſecundùm eos, qui dicerent teſtamentum factum dediſſe: eaſq; res nouas à te prolatas, & inuentas: magno tibi quæſtui fuiſſe ſcio.*

Sunt qui conceſſionem dictorum eſſe velint, vt permiſſionem factorum, & ſic illam Tullii fictam Verris defenſionem interpretentur. 7. Actione. num. 4. *Hæc eadem nunc ab illis defenſionis ratio, viaq; tentatur: idem quæritur, ſit fur, ſit ſacrilegus, ſit flagitiorum omnium, vitiorumq; princeps, at eſt bonus Imperator, at felix, & ad dubia Reip. tempora reſeruandus.*

Permiſſio conceſſioni non diſſimilis, niſi quod illa multo grauior eſt & amarulentior. Priore in Catil. num. 10. *Catilina perge, quò cœpiſti, egredere aliquando ex urbe: patent portæ, proficiſcere. Nimium diu te Imperatorem illa tua Manliana caſtra deſiderāt: educ tecū etiam omnes tuos, purga vrbem.*

Fit autem permiſſio cum cauſæ bonitate freti, quædam iudicibus, aut aduerſariis æſtimanda permittimus, & ſtatuendi facultatem largimur. De Prouinc. conſ. n. 8. *Lateant libidines eius tenebricoſæ, quas fronte, & ſupercilio non pudore, & temperantiâ contegebat.*

In Vatin. n. 11. *At illud tenebricoſiſſimum tempus ineuntis ætatis tuæ patiar latere: licet impunè per me parietes in adoleſcentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris; habeat hoc præmium tua indignitas, vt adoleſcentiæ turpitudo, obſcuritate, & ſordibus tuis obtegatur.*

Delectat maximè conceſſio, cùm id concedimus, quod ei, cui conceditur, nocet: vt ſæpè fit in contentionibus, & controuerſiis. Pro Ligar. n. 2. *Habes igitur Tubero, quod eſt accuſatori maximè optandum, confitentem reum; ſed tamen ita confitentem, ſe in ea parte fuiſſe, quâ te Tubero, quâ virum omni laude dignum, patrem tuum. Itaque prius de veſtro delicto confiteamini neceſſe eſt, quàm Ligarii vllam culpam reprehendatis.*

Multò ſuauior eſt illa, cùm aliqua, quæ negari non poſſunt, concedimus vt alia maioris momenti deeſſe dicamus aut meliora ſubiungamus quæ nos eligimus. Prioris exemplum eſt elegans apud Cic pro Flacco, n. 9. *Hoc dico de toto genere Græcorum. Tribuo illis litteras, do multarum artium diſciplinam, non adimo ſermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: denique etiam ſi qua ſibi ſumunt alia, non repugno, teſtimoniorum religionem, & fidem nunquam iſta natio coluit, totiuſq; huiuſce rei, quæ ſit vis, quæ auctoritas, quod pondus ignorant.*

Poſterioris eſt illud Diui Paulini epiſt. ad Aprum. *Sibi habeant litteras ſuas Oratores; ſibi ſapientiam Philoſophi; ſibi diuitias ſuas diuites; ſibi Regna ſua Reges; nobis gloria & poſſeſſio, & regnum Chriſtus eſt: nobis ſapientia in ſtultitia prædicationis: nobis virtus in infirmitate carnis: nobis gloria in Crucis ſcandalo, quo mihi mundus occiditur, & ego mundo.*

Plurimæ conceſſionis formulæ. Cic. 4. Verr. n. 150. 3. in eundem, n. 13.

5. Verr. n. 59. *Eſto falſam de illis habuit opinionem.*

6. Verr. 19 *Verùm fac te impetrauiſſe, fac aliquid grauius in Heium ſtatuiſſe.*

in I.

Digitized by Google

1 in Rullum,num.15.*Verùm eſto nihil eſt quod emi non poſſit, ſi tantum des, quantum velis venditor.*

2.Agraria,num.54.*Patior non moleſtè tàm ſtultos eſſe, qui hæc ſperent, tàm impudentes qui conentur.*

Pro Cluentio,num.146. *Vt tibi concedam hoc indignum eſſe,tu mihi concedas neceſſe eſt,multò eſſe indignius.*

Pro Ligario,num.36.*Sed ierit ad bellum,diſſenſerit non à te ſolùm,verùm etiam à fratribus.*

Pro Deiotaro,num.30.*Sint ſanè inimicitiæ quæ eſſe non debebant.*

Pro Muræna,num.41. *Sed hæc ſanè ſint paria omnia;ſit par forenſis opera militari:ſit par militari ſuffragatio vrbana;ſit idem, magnificentiſſimos, & nullos nunquam fuiſſe ludos:quid?in ipſa Pratura nihilne exiſtimas inter tuam, & iſtius ſortem interfuiſſe?*

Conceſſio Ironica,pro Domo,n.37. *Cur ergo adoptatur?Probate genus adoptionis. Iam omnium ſacra interierent,quorum cuſtodes vos eſſe debetis.*

Pro Milone,num.92.*Excitate, excitate eum,ſi poteſtis ab inferis. Frangetis impetum viui, cuius vix ſuſtinetis furias inſepulti.*

Pro Flacco,num 96. *Litemus igitur Lentulos, parentemus Cethego, reuocemus eiectos:nimia pietatis,& ſummi amoris in patriam viciſſim nos pœnas,ſi ita Diis placet,ſufferamus.*

3.in Verrem de Prætura, num.23. *Confringat iſte ſanè vi ſua,conſilia Senatoria: quæſtiones omnes perrumpat:euolet ex noſtra ſeueritate.*

2 Agraria,n.46.*Non eſt ſatis:Cùm ſeſe ſociorum, cùm exterarum nationum,cùm Regum ſanguine impleriut:incidant neruos populi Rom,adhibeant manus vectigalibus veſtris,irrumpant in ærarium.*

PVNCTVM V.

Suſtentatio.

INter hæc ornamenta præcipuum in narrando locum obtinet ſuſtentatio.Quâ ſuſpenſum tenemus aliquandiu auditoris animum,antequàm rem ipſi,quam veluti conditam animo ſeruamus, exprimamus.Valet ad exaggerandum,idque tum ad laudem,tum ad vituperium,cùm minora multa recenſemus,eaque deinde reiicimus,& eorum loco magnum aliquid ſubiicimus, quod vix cogitatione concipi poterat.

Vituperat.

Tull.multis in locis Verr.7. cuius crudelitatem amplificat.n.10. *Res delata ad iſtum ſtatim vt par fuit,iuſſu eius homines qui nominati fuerant comprehenſi ſunt adductique Lilybæum,Domino denunciatum eſt,vt adeſſet,cauſa dicta damnati ſunt. Quid deinde?quid cenſetis?furtum fortaſſe,aut prædam expectatis aliquam; Nolite vſquequaque eadem quærere, in metu belli furandi qui locus eſſe poteſt?*

Tum multis interiectis n.11. *Etiamnum mihi expectare videmini Iud.quid deinde factũ ſit:quod iſte nihil vnquã fecit, ſine aliquo quæſtu,atque præda. Quid in eiuſmodi re fieri potuit. Quod cõmodũ eſt?expectate facinus quàm vultis improbum,vincã tamen expectationẽ omnium. Nomine ſceleris,coniurationiſq; dãnati,ad ſupplicium traducti,ad palum alligati, repentè multis millibus hominum inſpectãtib.ſoluti ſũt,& Leonidæ illi Domino redditi.*

Inſigne prorſus eſt illud Ph.2.n.2.*Quid puttem contemptumne me?non video,nec in vita,nec in gratia,nec ic rebus geſtis,nec in hac mea mediocritate ingenij,quid deſpicere poſſit Antonius An in Senatu facillimè detrahi poſſe credidit?qui ordo clariſſimis ciuibus benè geſta Reip.teſtimonium multis mihi vni conſeruata dedit. An decertare mecum voluit contentione dicendi?hoc quidem beneficium eſt. Quid enim plenius,quid vberius,quàm mihi & pro me,& contra Anton. dicere?Illud profectò eſt, non exiſtimauit ſui ſimilibus probari poſſe,ſe eſſe hoſtem patriæ,niſi mihi eſſet inimicus.*

Pro Quinctio.n.66 *Quid deinde fit?Alphenus, vt omnes intelligere poſſent,iudicio defendi.*

4. Verr.n.160. *Cognitorem adſcribit Sthenio. Quem?cognatum aliquem aut propinquum?*

Pro Comœdo,n 39. *Atenim forſan hoc tibi rediat in mentem.*

3.Verr.142 *Quod igitur eſt remedium? quod; ne liceat pupillo redimere.*

5. In eundem.n.122. *Quid vultis amplius num expectatis dum Metellus.*

3.in Rullum.n.11.*Nam attendite quantas conceſſiones agrorum.*

Digitized by Google

Pro Deiotaro, nu. 26. *Quid deinde furciſer? quò progreditur?*

Elegans eſt, cum dubitationem habet adiunctam talis eſt illa perfecti Oratoris de certaminum ſingulari, atque nefario genere. Sic enim. De qua tàm importuna, tàm inueterata, ac domeſtica labe quid dicam, aut quemadmodum appellem neſcio. Furorem & inſaniam nominem? leue illud eſt. An belluæ, in hominis figura, immanitatem & rabiem? ne iſtud quidem ſufficit. An florentiſſimi huius regni, adeóque Chriſtiani nominis fœdiſſimã maculam; imò exitium, flammam atque perniciem? quàm vultis atrocia, ac deteſtanda nomina concipite: Vincit omnia ſceleris horrendi grauitas, ac ne cogitatione quidem capi, nedũ Oratione ſatis exprimi, explicarique poteſt.

Laudat.

Prudens conſilium Ioſephi pluribus dilaudat, & interpretationem ſomnii Regis commendat per ſuſtentationem communicationi adnexam D. Ambroſ. 2. Offic. c. 16. *Quæ gratia proſpiciendum admonuit, vt uberioribus annis congregaretur ſubſidium frumentarium, quod ſuſtentare poſſit inopiam futuræ infœcunditatis. Quid primum mirer? ingenium; in quo ipſum veritatis cubile deſcendit. An conſilium, quò tam graui atque diuturnæ proſpexit neceſſitati? an vigilantiam, atque iuſtitiam; quarum alterâ impoſito ſibi tanto numero congregauit; tàm multiplices commeatus? alterâ æqualitatem per omnes ſeruauit? Nam de magnitudine quid loquar? quod venditus à fratribus, in ſeruitutem non retulit iniuriam; ſed famem depulit? quid de ſuauitate, quâ dilecti fratris præſentiam piâ fraude quæſiuit, quem ſimulatio pèr elegantiam furto reum ſtatuit repentino, vt obſidem teneret gratiæ.*

Ex hoc Lycurgum Spartanorum Principem Deum, ex Appollinis oraculo propter Clementiam, vocatum eſſe confirmat Themiſtius, dùm Oratione 5. Theodoſii Imp. ſingularem humanitatem commendat. Cur Deum illum potius Apollo nominamus? An quod celeberrimas victorias Princeps ille reportarit? an quod occiſorum ab ſe hoſtium cadauera cumularit? an quod haſtatorum ac ſpiculatorum auro ſplendentium Satellitio cingeretur? aut quoniam ante eum curruum aureorum Niſæis equis trahentibus pompa præcederet? ſiue quod torquibus idem & tiara, ac purpurea veſte fulgeret? Ego tamen parui iſta facienda eſſe ſcio, reſponderet Apollo, vt quæ pleriſque nequiſſimis, & ſtolidis principibus obtineamur, quos non modò Deos, ſed ne quidem homines appellare deceat. Quæ cùm ita ſint, quid in Lycurgo tandem animaduerti, cuius gratia Deum potius, quàm hominem appellandum cenſerim? facilitatem nimirum, iuſtitiam, atque pietatem, harumque Principem omnium humanitatem, cuius vnius beneficio Reges ad Dei ſimilitudinem accedunt. Adeóque miti ac placato fuit ingenio, vt eum, qui ſibi in concione oculum effoderat, cum lapidibus obruere vellent Lacedæmonii, ſeruarit atque à ſupplicio vindicarit, quem cùm ſecum in domum ſuam adduxiſſet, ita informauit, ac manſuetum reddidit, vt pro nefario ciue, bonum illum virum efficeret.

In rebus creatis non eſſe poſitam felicitatem piè Philoſophatur Boëtius per ſuſtentationem communicationi iunctam, *Nihil dubium eſt, quin hæ ad beatitudinem viæ, deuia quædam ſint; nec perducere eò quemquam valeant, ad quod ſe perducturas eſſe permittunt, Quantis verò implicitæ malis ſint, breuiſſimè monſtrabo. Quid enim? pecuniámne congregare conaberis? ſed eripies habenti. Dignitatibus fulgere velis? danti ſupplicabis: & qui cæteros praire honore cupis, poſcendi humilitate vileſces. Potentiámne deſideras? ſubiectorum inſidiis obnoxius, periculis ſubiacebis. Gloriam petis? ſed per aſpera quæque diſtractus, ſecurus eſſe deſiſtis. Voluptuariam vitam degas? ſed quis non ſpernat, atque abiiciat viliſſimæ, fragiliſſimæque rei, corporis ſeruitium? Iam verò qui bona præ ſe corporis ferunt quàm exigua, quàm fragili poſſeſſione nituntur? Num Elephantes mole, tauros robore ſuperare poteritis? num tygres velocitate præibitis? reſpicite cœli ſpatium, firmitudinem, celeritatem, & aliquando deſinite vilia mirari.*

Minuit.

Aliàs valet ad minuendum, cùm expectationem alicuius rei grauiſſimæ Orator concitauerit, ad aliquid quod leue ſit, aut nullo modo cri -

Digitized by Google

do criminoſum deſcendit, & tunc commotioni ſeruit & delectationi. Pro Roſ. Am. n. 39. *Patrem occidit Sex. Roſcius qui homo? adoleſcentibus corruptus, & ab hominibus nequam inductus, annis natus magis quadraginta, Vetus videlicet Sicarius, homo audax, & ſepe in cade verſatus. Ad hoc ab accuſatore ne dici quidem audiſtis. Luxuries igitur hominem nimirum, & aris alieni magnitudo, & indomita animi cupiditates ad hoc ſcelus impulerunt: de luxuria purgauit Erucius, cùm dixit, hunc, ne in conuiuio quidem vllo ferè interfuiſſe. Nihil autem vnquam debuit. Cupiditates porrò qua poſſunt eſſe in eo, qui vt ipſe accuſator obiecit, ruri ſemper habitarit, & in agro colendo vixerit? qua vita maximè deſiuncta eſt à cupiditate, & cum officio coniuncta. Qua res igitur tantum iſtum furorem Sex. Roſcio obiecit? patri, inquit, non placebat.*

Iocatur.

Captatur interim Iocus ſimulata ſuſtentationis ſpecie, vbi aliquid maius veluti promittitur, dicitur autem minus, quàm expectetur, aut aliud omninò. Facetè Martial. 1. epigr. 6.

Quod coniurasis ſine me tàm ſæpè Luperce,
Inueni, noceam quâ ratione tibi.
Iraſcar, licet vſque; voces, mittaſque rogeſque:
Quid facies? inquis: quid faciam? veniam.

Alia ſuſtentationis ſpecies èſt, cùm per varios auctores rem aliquam circumducimus, & inquirimus, cui ſit tribuenda, vt initio ſuſpenſus hæreat auditor, & dubius ſit, vbi gradum figat. Si de Chriſti patientis doloribus ac tormentis agas: inprimùm quidem grauiter increpes licet carnificum immanitatem, qua ſuppliciis vltimis agnum mitiſſimum lacerarunt. Reſpondebunt id Romani præſidiis iuſſu factum cui obtemperandum fuit: aditur ad ipſum Prætorem, quid hoc tandem ſeueritatis, quid ſæuitiæ, quid crudelitatis? Victum ſe profitetur Hebræorum proteruiâ & improbitate: Hebræos interroget quid tandem impulerit eos, nihil malè meritum, imò & Regem ſuum innocentiſſimum ita perſequi? Audio quid obtendant, deditum ſibi ab ipſius diſcipulo profuga, ac perfido; poſt hæc adoriére ſceleſtum illud diſcipuli proditoris caput. Et ô peſtis linquies, ô labes! ô portentum! ô nefarium Dæmonem, imò furiis omnibus immaniorem! quid tandem potuit agnus ille mitiſſimus? Tenè cùm ſordes è pedibus tuis abſterſit, quid oſtendit? cum te ex puluere ad tantum honoris culmen vexit? cùm tibi tot amoris ſigna dedit.

PVNCTVM II.

Interpretatio.

HOc ornatu dictum, aut factum alicuius, iuxta ſententiam, & mentem noſtram interpretamur. Tull. 6. num. 45. *Superbum eſt enim Iud. & non ferendum dicere, Pratorem in prouincia homini honeſto locupleti, ſplendido, vende mihi vaſa calata. Hoc eſt enim dicere, non eſt dignus tu qui habeas, qui tàm benefacta ſint: mea dignitatis iſta ſunt. Tu dignior Verres, quàm Culidus.* 3. in eundem n. 6. & 9.

Pro Sextio num. 16. *Hanc terram immacemque belluam, vinctam auſpiciis, alligatam more maiorum, conſtrictam legum Sacramentarum catenis, ſoluit ſubito legum cura Conſul; vel vt ego arbitror, exoratus, vel, vt non nemo putaret, mihi iratus; ignarus quidem certè, & imprudens imprudentium tantorum ſcelerum, ac malorum, qui Trib. plebis felix in euertenda Rep. fuit nullus ſuis neruis. Qui enim in huiuſmodi vita nerui eſſe poterunt hominis fraternis flagitiis, ſororiis ſtupris, omni in audita libidine infamis.*

Præclarè Seneca Phil. de Tranq. animi cap. 8. Diogeni ſeruus vnicus fugit, nec eum reducere, cum monſtraretur, tanti putauit. Turpe eſt inquit Manem, ſine Diogene, viuere poſſe, Diogenem, ſine Mane non poſſe, videtur mihi dixiſſe. *Age tuum negotium Fortuna, nihil apud Diogenem, iam tuum eſt, fugis mihi ſeruus, imò liber abiit.*

Idem c. 14. *Canius Iulus, vir imprimis magnus, cuius admiratione ne hoc quidē obſtat, quod noſtro ſæculo natus eſt, cum Caio diu altercatus, poſtquam abeunti Falaris ille dixit. Ne forte inepta ſpe tibi blandiaris, duci te iuſſi: Gratias ago, inquit, optime Princeps quid cenſeris dubito, multa enim occurrunt mihi. Contumelioſus eſſe voluit, & oſtendere quanta crudelitas eſſet, in qua mors beneficium erat. An exprobrauit illi quotidianam dementiam? agebant enim illi gratias, & quorum liberi occiſi, & quorum bona erãt ablata.*

Digitized by Google

ablata. An tanquam libertatem libenter accepit? quid-qui d eſt magno animo reſpondit.

Longè elegantior ſi duas partes habuerit, hic ornatus, quarum altera deterius interpretetur, altera melius, omninò benè Plutarchus priore tractatu de Alexandri fortuna. vbi in illo dicto ſic exultat. Niſi Alexander, eſſem, Diogenes eſſe vellem. Non dixit, inquit niſi Rex eſſem, Diogenes eſſem, non dixit niſi Diues eſſem, aut Argeades; rationem ſtatim ſubdit, neque enim præhabebat ſapientiæ fortunam, aut vlli lacernæ diadema ſed dixit, niſi Alexander eſſem, Diogenes eſſem, id eſt, niſi opere potius, quàm verbis certum eſſet philoſophari, niſi vniuerſum continentem, non tàm paſſibus, quàm victoriis circuire, niſi barbaras gentes Græcis inſtitutis excolere, non equidem in otio deſidens potentiam meam ad luxuriandum contuliſſem, ſed frugalitatem Diogenis æmulatus fuiſſem.

Huc reuocanda dictorum atque factorum, quæ breuia ſint, prolixior interpretatio, quæ his, aut ſimilibus notis conficitur *quaſi dicat, id eſt, hoc eſt, vel vt ego arbitror* Exornet aliquis illud D. Auguſtini dictum aureum. Ama, & fac quod vis. Quid eſt, inquit, ama & fac quod Vis? hoc eſt amandi & amori leges nullæ poſitæ ſunt nulli præſcripti termini, ſibi enim ipſe lex eſt. hoc non metuendum, vt nequiter admittat aliquid, ſi rectè tamen amauerit; In oculis amor, in auribus, in verbis, & operibus maximè dilectio, vt infinitum tantum intueatur, nullos agnoſcat limites.

Talis eſt illa ſermonis interpretatio D. Ambroſij, de obitu Satyri fratris, Raptus eſt ne malicia mutaret cor eius. Quantò magis nunc iure dicendum eſt, cùm ad ſæculi lubricum vitæ accedat ambiguum. *Raptus eſt ne in manus incideret barborum; raptus eſt ne totius orbis excidium, mundi finem, propinquorum funera, ciuium mortes, ne poſtremò ſanctarum virginum, atque viduarum, quod omni morte accerbius eſt, colluuionem videret. Ego verò te fratrem, cùm vita tua flore, tùm mortis commoditate beatum arbitror, non enim nobis ereptus es, ſed periculis; non vitam amiſiſti, ſed ingruentium acerbitatium formidine caruiſti.*

Talis & hæc. Cic. pro milone, cùm ad ſingula quæque membra Clodij voluntatem, & conſilia in Remp. nefaria diligenter inueſtigat, cuiuſmodi eſt illud inter cætera num. 24 *Pub. Clodius, cùm ſtatuiſſet omni ſcelere in pratura vexare Rempublicam videreque ita tracta eſſe comitia anno ſuperiore: vt non multos menſes Praturam gerere poſſet; qui non honoris gradum ſpectaret vt cæteri, ſed & Luc. Paulum collegam effugere vellet, ſingulari virtute ciuē, & annum integrum ad dilacerandam Rempublicam quæreret: ſubitò reliquit annum ſuum, ſeque in proximum tranſtulit, non religione aliqua, ſed vt haberet, quod ipſe dicebat, ad praturam gerendam, hoc eſt, ad euertendam Rempublicam plenum annum atque integrum.*

Sic formare licet interpretationem, per definitiones conglobatas, in duos hæreſeos monſtra Caluinum, & Lutherum, quos infamiæ cauſa nomino. Collige animum Caluine, reſpira tantiſper, vide quid loquaris, quàm multa duabus voculis portenta comprehendas *Eccleſia corruit*, hoc eſt, ſi quid ſentis Caluine, ſi quid adhuc intelligis, extincta eſt lux gentium, collapſum Chriſtianæ veritatis Præſidium, arx ſempiternæ ſalutis euerſa, afflictum atque proſtratum ſanctiſſimæ fidei columen, innumerabilis ſapientiſſimorum patrum, caſtiſſimarum virginum multitudo, ſuperioribus illis ætatibus, in communis huius parentis gremio ſuſcepta enutrita vberibus, præceptis, ac legibus informata; tot tamque illuſtria vitæ ſanctiſſimæ, puritatis integerrimæ, virtutis conſtantiſſimæ documenta dedit; illa, inquam tanta, tot retrò ſeculorum multitudo, quia fidei charitate caruit, hoc eſt (ſi Superis placet) quia Caluinum non vidit non conſuluit, audiuit, perpetuos inferorum, cruciatus, nullius criminis damnata, ſuſtinebit: hoc denique, nec enim hic tua ſtabit impietas, hoc eſt Chriſtus ipſe, æterna veritas, patris æterni ſapientia, humanæ ſalutis reparator, ac noſtræ libertatis aſſertor Deus, cùm Eccleſiæ ſuæ conſtantiam pollicitus, quæ nullis vnquam Dæmonum tempeſtatibus, ac procellis quateretur, cùm id Chriſtus diceret; cùm id ſanctiſſimè confirmaret, tum idem, ſi Luthero credimus turpiſſimè atque indigniſſimè mentiebatur. Quis ad hanc vocem non perhorreſcat? quis non in illum hoſtili odio incitetur? quis ab illo manum abſtineat? quis illum aditu, congreſſu, ſocietate, luce, dignum putet?

Mentit-

Mentis Interpretatio.

Eſt alia mentis alterius interpretatio, ex qua ſumimus occaſionem plurima tùm dicta, tum exempla eruditè referendi, quæ multas rationes colligat, & plerumque bonam orationis partem complectatur. Amædeus Dux Allobrogum rogatus à quibuſdam Oratoribus, qui tum aderant an canes venaticos haberet, annuit vt poſtera die redirent: Interim in pergula, è latere ædium, ingentem mendicorum multitudinem diſcumbentium eis oſtendit. Atqui hi ſunt, inquit, Canes mei, quos alo quotidie, & quibus cœlum venaturum me confido. Quod ſic interpretari licet. Meminerat ſcilicet ſumma pietate vir quantopere commendata eſſet in diuinis litteris miſericordia; intelligebat quiſnam eſſet ille, qui dixerat, date eleemoſinam; & ecce omnia munda ſunt vobis: Audierat Chriſti verba, ſicut lauacro aquæ ſalutaris gehennæ ignis extinguitur; ſic eleemoſynis delictorum flamma ſopitur. Cum animo ſuo repetebat identidem verbum illud Salomonis magna res & pretioſa vir miſericors: Non ignorabat ſingularem Nazianzeni commendationem; Nihil tàm diuinum habet homo quàm de aliis benemereri, tametſi hic maiora, ille minora beneficia conferat: legerat atque deguſtarat diuerſos miſericordiæ fructus eſſe, quòd hominem ad diuinæ gratiæ ſatus excipiendos diſponeret, peccatorum pœnas exolueret, fiduciam excitaret, &c.

P V N C T V M VII.

Correctio.

Dvplex eſt correctio, altera retractatio verbi, altera ſententiæ. Illa modò verbũ emendat nullo alio ſubiecto meliore, pro Mur. n. 80. *Atque hæc ciues, ciues; inquam, ſi hoc nomine eos appellari fas eſt, de patria cogitant, & cogitarunt.*

Modò verbum pro verbo reponit. Ciceroni frequens pro Cælio 32. & n. 71. *O ſtultiam, ſtultitiamne dicam, an impudentiam ſingularem?*

Pro Ligario n. 26 *Quæ fuit igitur in illa homine tanta conſtantia? conſtantiam dico: neſcio an melius patientiam poſſem dicere.* Ibid. n. 22.

Pro Roſc. Amer. n. 134. *In hac vita, quos ſumptus quotidianos, quas effuſiones fieri putatis? quæ vero conuiuia? honeſta credo, in huiuſmodi domo: ſi domus hæc habenda eſt potius, quàm officina nequitiæ, & diuerſorium flagitiorum omnium.*

Pro Sextio n. 110. *Ecquæ ſeditio vnquam fuit, in qua non ille Princeps? ecquis ſeditioſus, cui non familiaris? ecqua turbulenta concio, cuius ille non concitator? cui benedixit vnquam bono? benedixit? imò quem fortem & bonum ciuem non petulantiſſimè eſt inſectatus?* Et n. 53.

Verr. 5. n. 29. *Cedo mihi vnũ ex triennio Præturæ tuæ, qui octupli damnatus ſit. Damnatus? imò verò in quem iudicium ex edicto tuo poſtulatum ſit.*

Multum leporis habet, quando in Paronomaſia luditur. *Tum iſte vir optimus; optimum volui dicere.*

Non ad vituperandum modò valet, ſed etiam ad laudandum. 3. in Anto. Cic. n. 3. *C. Cæſar adoleſcens, penè potius puer, incredibili, ac diuina quadam mente, atque virtute, tùm cùm maximè furor arderet Antonij, cumq; eius à Brundiſio crudelis & peſtifer reditus timeretur, nec poſtulantibus, nec cogitantibus, nec opinantibus quidem nobis (quia fieri non poſſe videbatur) firmiſſimum exercitum inuicto genere veteranorum militum comparauit, patrimoniumq; ſuum effudit. Quanquam non ſumus vſi eo verbo, quo decuit. Non enim effudit, ſed in ſalute Reip. collocauit.*

Sic de perpetua in bono ſuſcepto conſtantia, ſiue de timore Dei per definitionem, & correctionem, dicas. Hæc eſt cœleſtium donorum conciliatrix; hæc cæterarum virtutum procreatrix eſt, expultrixque vitiorum. Hæc diuinæ illius ſtructuræ, quàm in pectoribus noſtris excitare ſanctiſſimus ille ſpiritus ſolet, velut ſedes ac fundamentum ſubſternitur. Quamquam non eo ſum vſus verbo quo decebat: non enim inchoati iam fundamentum operis eſt, ſed abſoluti, conſummati atque perfectio.

Eſt & illa retractatio verbi de felici obitu D. Ludouici. Iam æternitatis deſiderio incenſus, quam alij mortem alij reformidant, illã Ludouicus, vt ſalutis anchoram, ac beatæ vitæ portum ſuauiſ-

ſuauiſſimè venientem amplexatur:neque cineribus rimet,ſoli animæ timet.Quamquam non eo ſum vſus verbo,quo debui.Non enim timet,ſed gratulatur,& amat.

Ignorantia.

Tertia ſpecies retractationis eſt Ignorantia; cum de induſtria omittimus aliquid,& aduerſarium quaſi monitorem interrogamus.6.Verr. n. 5.*Erant anea praterea duo ſigna nō maxim,a verùm eximia venuſtate, virginali habitu, atque veſtitu que manibus ſublatis ſacra quadam more Atheniensium Virginū repoſita in capitibus ſuſtinebant. Canephora ipſa vocabantur. Sed earum artifcem quemnam?rectè admones. Polycletum eſſe dicebant.*

Optima eſt retractatio,cum per ambages, & ſigna quędam fingimus reduci nos in memoriā rei,quæ videbatur excidiſſe.Quid fortiſſimus ille Romanorum propugnator?nomen mihi ſentio excidiſſe,hoc vnum ſcio eum fuiſſe,qui vulgò Romanorum gladius dicebatur, qui Hannibalem toties Nolā prohibuit, qui libertatem eum periculo ſaluris ſuæ conſeruauit. Nunc in memoriam redit,Marcellus is fuit.

Sententiæ Correctio.

Eſt alia correctio propoſitæ ſententiæ reprehenſio, & emendatio, quæ iucunda fit,cum id quod prius dictum eſt,acutè,ſubtiliterque corrigi videtur Cic. 2. Off.nu *Italiam ornare,quàm domum ſuam maluit:quamquam Italia ornata, domus ipſa mihi videtur ornatior.*

Item pro Ligario. n. 24. *Veniebatis igitur in Africam prouinciam,vnam ex omnibus huic victoria maximè infeſtam,in qua erat Rex potentiſſimus inimicus huic cauſa,aliena voluntas,conuentu firmi atque magni:quæro quid facturi fuiſſetis? quamquā quid facturi fueritis non dubitē,cùm ideā qui dfeceritis.Prohibiti eſtis in prouincia veſtra pedem ponere,& prohibiti,vt perhibetis ſumma cum iniuria,*

In Anton.14.n.22.*Suplicationem modo qui decreuit,idem imprudeas hoſtes indicauit.Nunquam enim in ciuili belli ſupplicatio decreta eſt. Decretam dicoіно victoris quidem litteris poſtulata eſt.*

Reuocatio.

Huc pertinet reuocatio ſui ipſius,& correctio mentis.Priore in Catil. 22.*Quamquam quid loquor?te vt vlla res frangat?tu vnquam te corrigas, tu,vt vllam fugam meditere? vt vllum tu exilium cogites?vtinam tibi iſtam mentem Dij Immort.donarent?tame:ſi video,ſi mea voce perterritus ire in exilium animum induxeris,quanta tempeſtas inuidiæ nobis,ſi minus in præſens tempus recenti memoria ſcelerum tuorum,at in poſteritatem impendeat.* Et n 24.

Pro Rege Deiotaro.n 16.*At,credo hæc homo inconſultus,& temerarius,non videbat; quis conſideratior illo?quis rectior?quis prudentior? quamquam hoc loco Deiotarum,non tàm ingenio, & prudentia, quàm fide & religione vita defendendum puto.*

Pro Comœdo.n.18.*Sed quid ego ineptius de Roſcio apud Piſonem dico?ignotum hominem ſcilicet pluribus verbis commendo Eſtne quiſquam omnium mortalium de quo melius exiſtimes tu? Eſtne quiſquam,qui tibi purior,prudentior, humanior, officioſior,liberaliorque videatur.*

Vlt.Ver.108 pro Rabir.Poſth.n.27.Pro Mil. n. 106.

Vltima ſpecies eſt,quando dictum alicuius ita corrigimus, vt aliquid in ſententiam noſtram ſubſtituamus aptius;Sicut ad arandum boues,ad currendum equos, ad volandum aues:ita ad laborem natum eſſe hominem melius dixiſſes, natum ad cœleſtium rerum contemplationem,imò ad Deum laudandum,&c.

Pvnctvm VIII.

Congeries.

GRaue genus exornationis in omnem partem vnde amplificandi vis petitur. Eſt autem rerum,aut verborum, aut argumentorū collecta multitudo,quæ præcipiti quadam volubilitate, ſic incitat Orationem,vt torrentis inſtar auditorum animos abripiat. Huius figuræ tractandæ ratio varia eſt,vſuſque multiplex.

1. *Vt*

Digitized by Google

I. *Verborum.*

Eſt quædam verborum idem ſignificantium conglobatio, quæ ingenioſam in ea ſimilitudine varietatem deſiderat. 1. Catil 1. Sic in Manlium acerbiſſimum filij ſui iudicem, imò & carnificem quis poſſet inuehi. Aderas auctor, aderas ſpectator, exactor hoc ſpectaculo, quod vel in theatris horremus, paſcebas oculos: hac innocenti victima tuæ crudelitati litabas. Hæc ſcilicet tàm multa verba idem omninò ſignificant, ſed in eadem ſignificatione jucundam habent varietatem.

Pro Cœlio. num. 36. *An vos aliam cauſam eſſe vllam putatis, cur in tantis præmiis Eloquentiæ tãta voluptate dicendi, tanta laude tãta gloria, tãto honore, tàm ſint pauci ſemperque fuerint, qui in hoc labore verſantur? Omittendæ ſunt omnes voluptates, relinquenda ſtudia delectationis, ludus, iocus, conuiuium, ſermo etiam penè omnium familiarum deſerendus.*

Eſt illa expolitio pro Mil. num. 70. *Vide quàm ſit varia vita, commutabiliſque ratio, quàm vaga, volubiliſque fortuna, quantæ infidelitates in amicis, quàm ad tempus aptæ ſimulationes, quanta in periculis fugæ proximorum, quantæ timiditates.*

II. *Rerum.*

Eſt alterum frequentationis genus in quo res plurimæ congeruntur, ſi laudare velis ſcientiam ducis militarem, vti hac congerie potes: Nec ea tantum militiæ decora putabat, equum flectere, tela ſpargere, caſtris habendis aptare locum, locorum diſtantiam oculorum dimenſione finire, vallum iacere ſcienter, ad certum locum deſtinata librare tormenta, opportunè vineas agere, pubem in aciem educere, inſtructa iam acie ſub ſignis habere paratum militem, ordines diſtribuere, cæſim, punctim ferire, gladiis cominus, eminus iaculis rem gerere, producere, collatare, percurrere, ſubſiſtere, circuire, reſiſtere, inſtare, diſſimulare, mutare in cornua, pugnam demum faceſſere, fundere, vincere.

Pro Cœlio, de Catilinæ moribus congeriem habet, vbi multa ſimul colligit per contrariorum conflictionem quæ velut facto agmine, ſimul in auditorum animos irrumpunt, num. 12. *Erant apud illum illecebræ libidinem multæ; erant etiam induſtriæ quidam ſtimuli, ac laboris, flagrabant vitia libidinis, apud illum etiam vigebant ſtudia rei militaris. Neque ego vnquam fuiſſe tale monſtrum in terris vllum puto, tàm ex contrariis, diuerſiſq; inter ſe pugnantibus naturæ ſtudiis, cupiditatibuſque conflatum. Quis clarioribus viris quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis ciuis meliorum partium aliquando? quis tetrior hoſtis huic ciuitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate auarior? quis in largitione effuſior? Illa verò in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, tueri obſequio, cum omnibus communicare quod habebat, ſeruire temporibus ſuorum omnium, pecunia, gratia, labore corporis, ſcelere etiam, ſi opus eſſet, & audacia; verſare ſuam naturam, & regere tempus atque huc & illùc torquere & flectere: cum triſtibus ſeuerè; cum remiſſis, iucundè; cum ſenibus, grauiter; cum facinoroſis audacter; cum luxurioſis libidinosè viuere.*

III. *Collectio rerum.*

Eſt etiam tertium genus, cum per diſtributionis figuram multa ſimul colliguntur, vt ab aliquo Poëta verſus illi in Herodem ſcripti ſatis oſtendunt.

Sunt duri ſcopuli, ſunt dura, & marmora, durum eſt
Ferrum, in ſummis robora dura iugis.
Sunt dura rupes, ſunt antra, & cornua dura,
Atque Adamas durus, durum hyemale gelu.
Durior at ſcopulis Herodes, marmore, ferro,
Robore, rupe, antro cornu, adamante, gelu.

IV. *Argumentorum.*

Ingenioſiſſimum quidem frequentationis genus eſt, ſi minus artem ſaperet: cùm ſcilicet argumenta congeruntur, hoc eſt, cum ex variis, aut effectibus, aut cauſis, aut circũſtantiis conglobatis varia argumenta concludimus. Quid eſt Oratio? Sol quidã eſt, quo animus circundatur, præcipua nobilitas hominis; canalis, per quem omnia in mortales commoda deriuantur; peregrinantium baculus, morborum modela, ſpiritalis

Digitized by Google

quædam panoplia. Quid ergo ſperas miſer, qui huius ſtudio non accenderis & ardore;nimirum ſine Sole in tenebris ambulas,ſine hac nobilitate viuis inglorius ; abſque hoc canali, in omnium rerum mendicitate viuis; hoc adminiculo deſtitutus impinges aſſiduè ; amotâ hac cœleſti panacæâ graui periculoſoque morbo laborabis.

Quid putas eſſe pacem?hæc eſt quæ ſimultates tollit,hanc habe,ſincerus es,ac ſecurus,omnibus gratus,nulli inuiſus. Bella compeſcit,ſeditiones componit, atque diſcordias:Hac fruere, quietus es.Sedat grauiores animi motus,huic ſtude,manſuetus es. Superbiæ faſtu nimium elatos deprimit,hac eleuaris.Humiles ac de ſe nihil ſentiẽtes ornat;hac extolleris. Inimicos & hoſtes conſociat;ad hanc inquietus accede,docet amare,quæ odiſſe neſcit;neſcit extolli, inflari neſcit. Hanc ergo qui accepit, teneat, qui perdidit repetat, qui amiſit exquirat; quoniam qui in eadem non fuerit inuentus,abdicatur à Patre, exheredatur à Filio, à Spiritu ſancto alienus efficitur.

Sic Poëſim commendabis. Quid eſt quod de eloquentiæ laude concedat Oratori Poëta, aut quæ pars illius laudis abeſſe poſſit ab ornato Poëta,& perfecto ? delectat audientium multitudinem eleganti Oratione, atque numeroſa, tu Orator, quid quæris ampliùs ? erigit aſtantium mentes magnifica verborum,& ſententiarũ grauitate, percellit admiratione, ſtupore defigit, in eo commotus Auditor exhorreſcit, applaudit, gaudet,ridet,dolet,probat,fauet, audet, contemnit, iraſcitur, inuidet, ad miſericordiã inducitur, ad pudendum ad pigendũ,miratur, ſperat,timet; hæc eò accidunt quòd numeroſi carminis,quàm ſolutæ Orationis cantus acriores, & vehementiores afferre animis perturbationes videntur. Iactet ille ſanè Gorgias lampades ſuas, quibus in hominum mentes non motus, ſed flammas ſpargebat; inſtrumenta naturæ,atque ingenij venditet Prodicus, doctrinæ ſuppellectilem Hyppias oſtentet: efferat ſeſe Licias exaggerata magnitudine dicendi, lepore ac ſuauitate luxurier Pericles, ſectetur Nicetes ille Smirnæus *τραζόλε ἐννοίας*, quibus ſtuporem auribus afferat,animos ipſos hauriat admiratione; Calliditatem Æolus ad habeat,anſas,retia,laqueos,nexus,nodos,vncos,labyrinthos paret quibus Auditores capiat, illiget, trahat, rapiat in aduerſas, pugnanteſque ſententiarum errores, det pedes Orationi Traſimachus,quo magnificentius ingrediatur; glorietur Themiſtius diuino ſe furore afflatum ad dicendum accedere contendat ardore dicendi tantum Philager, vt vis iracundiæ in fauces ardore nimio ſeſe inſinuantis,oppleto pectore vocem & Orationem includat ; Porrigat Antiphon *νηπενθεῖς ἀκροάσεις*, & amuleta mitigandi luctus & dolores. Ego verò nihil optimo Poëta,vel ad naturæ indolem ingenioſius vel ad motuum ardorem vehementius, vel ad numerum numeroſius, vel ad voluptatem iucundius, vel ad dolorem miſerabilius, vel mirabilius ad ſtuporem, vel ad doctrinam vberius, vel denique ad furorem diuinius eſſe profiteor.

V. Exemplorum.

In hac poſtrema parte videre eſt quintum quoddam frequentationis genus, in quo ſcilicet congeſta ſimul exempla inducuntur. Tale Cic. illud in Piſon. num. 58. *O ſtultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, ô amentem Paulum, ruſticum Marium, nullius conſilij Patres iſtorum amborum Conſulum.* Et 62 *Tu eruditior quàm Piſo: prudentior quàm Cotta, abundantior conſilio, ingenio, ſapientiâ, quàm Craſſus.* Ex tam varia multiplicis huius figuræ tractãdæ ratione cognoſci poteſt, quis ſit illius apud Oratores vſus

In perorationibus præcipuum habet locum,vt quæ tota Oratione ſparſa ſunt, ſub finem colligantur,& innumera bona, vel mala ſimul congeſta, acri & vehementi Oratione, oculis Auditorum ſubiiciãtur,quam & ornat diſtributio & diuiſio, qualis hæc : Omnes corporis partes ad nequitiam ſunt aptiſſimæ, oculi ad petulantem laſciuiam, manus ad rapinam, venter ad auiditatem,pes ad fugam,prorſus vt,ex hoc vitia,ipſe ex vitiis omnibus ortus videatur.

Valet in narrationibus ad breuitatem;in inductionibus, cùm exempla plurima congerenda ſunt:in exornationibus;denique ad omnem ex æquo motum,ſed ita tamen,vt quæ plus habẽt artificij figuræ huiuſmodi magis delectent,quæ natura.u

Digitized by Google

tutam potius, quàm artem ſequantur, acriores motus excitent, Metum, Iracundiam, Audaciam, Spem inuidiam.

PVNCTVM IX.

Antitheſis.

ILluſtre omninò genus exornationis, in quo vel verba verbis vel ſententiæ ſententiis oppoſitæ referuntur. Eſt autem in eo poſita figuræ natura, & virtus, vt res, atque ſententias oculis mentis ſubiiciat, commendetque. Subiiciat quidem, quia contraria, contrariis oppoſita maiorem vim ſplendoremque referunt: commendat autem, quòd illa contentio, vt in vocem concentu, aut varietate colorum, ſic in Orationis ſtructura iucunditatem habet, ex cuius naturæ cognitione deducitur figuræ vſus.

Delectat.

Primò valet in exornationibus, non modò ad delectationem, ſed etiam fauorem & beneuolentiam colligendam. Sic Eumenius pro Scholis reſtit. *Inter hanc aciem fori, & noſtra illa ſecreta ſtudiorum exercitia, diuerſitas. Ibi armantur ingenia, hic præliantur: ibi præluſio, hic pugna committitur: hic plerumque velut ſudibus & ſaxis; illic ſemper telis ſplendentibus dimicatur.*

Sic laudabis Cyrum adoleſcentem in paſtore Regem agentem, nobilem ſcilicet puerum, quem hereditario iure principem natura, deſtinarat, mancipium auus, p[illegible] tum parens, fortuna bubulcum fecit; vt ſurculus ille Regiæ ſtirpis ignobili trunco adoptatus, adulterinum imbiberet ſuccum, & malo diſciplinæ cultu generoſa planta degenerans in ignauam arborem, infœlicemque decreſceret. Nihil agis Aſtiages, Fortuna nihil moliris: quæratur obſcuritas generis, nemorum ſolitudines, conſortia belluarum, & quod ingentes animos facit, Regem ſe ipſe neſciat; egregia tamen indoles præſtabit, errorem, ſanguinem natura diſcernet, fortunæ calumniam virtus ipſa refutabit, & ſui magis, quàm conditionis memor, in ipſa paſtoris perſona maximi dominatus rudimentum ponet. Pro ſolo ceſpitem, pro ſceptro pedum, pro diademate petaſum, pro ſatellatio nactus paſtoritium gregem, victor fortunæ puer, reis ſeueritatem, bonis clementiam, parentibus indolem maximi Principis approbabit.

Odium excitat.

Valet ad excitandum Odium, ſeu faſtidium rei, cauſa eſt quòd graphicè depingat vitia, quibus conciliari ſolet odium. Pro Cœlio, num. 12. Ver. 6. num. 115. *Conferte hanc pacem cum illo bello, huius Prætoris aduentum, cum illius Imperatoris victoria; huius cohortem impuram, cum illius exercitu inuicto: huius libidines, cum illius continentia: ab illo, qui cœpit conditas, ab hoc, qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas.*

D. Ambroſ. 3. de Virgin. *Non eſt* CHRISTVS *circumforaneus, eſt enim pax in foro lites:* CHRISTVS *iuſtitia eſt in foro iniquitas:* CHRISTVS *operator eſt in foro inane otium* CHRISTVS *charitas eſt; in foro obtrectatio:* CHRISTVS *fides eſt; in foro fraus atque perfidia.*

Vides excitari lenem motum; at quam fodit grauiter Traianum Tertullianus? qui edicto vetuerat in Chriſtianos inquiri, oblatos tamen puniri volebat, ſic igitur. *O ſententiam neceſſitate confuſam! negat inquerendos vt innocentes, & mandat puniri vt nocentes: parcit, & cadit, diſſimulat, & animaduertit. Quid temetipſum cenſura circumuenis? ſi damnas, cur non & inquiris? ſi non inquiris, cur non & abſoluis?* quid vehementius.

Commiſerationem ciet & dolorem.

Valet ad commiſſerationem, ſi præſentis fortunæ miſerabilem formam, cum florente comparas: quis enim cùm flectatur propoſit Beliſarij ſtipem emendicantis imagine? Hiccine eſt Belliſarius tot populorum domitor, tot expugnator vrbium? ſtipem petitis, cuius armis vitã Principes precariam debent? qui fortunas Regum atque diuitias ſuperbo quodam pede calcabat, obolum non habet? ſpectat orbis vniuerſus Belliſariũ infœlicem, cuius laboribus ſtat imperij felicitas,

ſpectat nudum & inopem, quem modò militum infinita multitudo cingebat vndique effuſa lateribus? Ille ille Belliſarius imperij gloria, Imperatorum deliciæ,ciuium amor,hoſtium terror,ac decus hæret mendicus ad oſtium, turpis,ſqualore obſitus,exhauſtus fame,dedecore oppreſſus,atque infamia; ſine re,ſine lare,ſine nomine, ſine fortunis exul orbis terrarum, penè à communi vſu ſpiritus animalis excluſus. O fortunæ temeritatem! Itane ludis in capita Principum?modò blanditiis,modò ſæuis,modò arrides,inuides, erigis,deprimis quoſque ante muneribus tuis obrueras,momento temporis,ex deliciis ad egeſtatis anguſtias,ex triumphis ad funera, ex victoriis ad clades,ex honoribus ad infamiam traducis.

Stuporem facit & admirationem.

Ad excitandum ſtuporem, & admirationem confert plurimum, eſt enim rerum admirabilium,cùm in eadē perſona coaleſcunt. Sic vagientem in cunis CHRISTVM infantem vſque ad ſtuporem mirantur Patres. O dignum cœlo ſpectaculum conquieſcit in ſinu Virginis infantilibus faſciis illigatus puer, quæ in ſinu æterni Patris vbertimo lucis ſplēdore circumfuſum cœlites venerantur. O mirificum diuinæ pariter, ac humanæ naturæ commercium! hic puer quem intueris Deus eſt?Deus quem adoras,puer eſt paruus in fœno, immenſus in cœlo,vilis in pannis, in ſtellis glorioſus:manus illæ imbecillæ orbem torquent:tàm anguſti oculorum orbes Solem illuminant:tàm exigui pedes tenebricoſum Dæmonis imperium calcant. Sidon.Apoll.lib.1.epiſt.8.

Ad facetias.

Valet ad ſales & facetias:habet enim ſuum acumen contrariorum contentio. Si hæc idea: Delicata poſſeſſio felicitas ingenij,qua ſe inopem nemo libenter audiat, nemo dicenti facilè credat;cùm & ij qui abundant ingenio diuitias ſuas ignorare non poſſint,& qui hebetes à natura facti,ne illam quidem egeſtatem mentis agnoſcant, ideóque ipſe ſtupor(quod mireris,an rideas neſcio,ſit ſtolidè plerumque ſolers, vt quos teneat is impleuerit vſque ad delicias imaginaria luce fallat ingenij,planè vt ſe putent ſolem in capite gerere homines copioſè inopes,ingenioſè ſtupidi, feliciter infelices.

Vſus.

Porrò in hoc vſu figuræ obſeruandum multis modis fieri poſſe ſimplices Antitheſes, quæ tamen duo membra complectuntur, inſepulta ſepultura:Compoſita verò quæ plurium verborum, aut ſententiarum contentionem habent.

Simplices frequentiſſimas adhibet Cic. & habent tum acumen, tum grauitatem. Quid enim grauius illa Cypriani? *Philoſophi factis & verbis ſumus,nec magna loquimur,ſe viuimus.*

In antithetis aliquando tantum verba verbis opponuntur, & quidem ſingula ſingulis Mil. n. 10 *Eſt enim hæc conſcripta,ſed nata lex, quam non didicimus,accepimus,legimus:verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti,ſed facti:non inſtituti,ſed imbuti ſumus,&c.*

8. Phil.num.10. *Antonij promiſſa,cruenta,tetra, Dii hominibuſque inuiſa, nec diuturna, nec ſalutaria:noſtra verò contra,integra,honeſta,glorioſa,plena lætitiæ,plena pietatis.*

2. in Catil.10. *Quod ſi in vino & alea commeſſationes ſolùm,& ſcorta quærerent;eſſent illi quidem deſperandi, ſed tamen eſſent ferendi. Hoc verò quis ferre poſſit, inertes homines fortiſſimis viris inſidiari, ſtultiſſimos prudentiſſimis,ebrioſos ſobriis,dormientes vigilantibus?*

Membra contentionis aliquando contraria ſunt,atque pugnantia, aliquando verò non ſunt. Iſta per anaphoram & inciſa, ſine vlla inter ſe connexorum varietate, ſed continuata geminorum oppoſitione nimis aperta; quæ tamē variantur & ad pugnam apta redduntur,cum plura præmittuntur ſimilia,quibus deinde contraria pari num.reſpondent. 2. Catil. num. 25. *Sed ſi omiſſis his rebus omnibus,quibus nos ſuppeditamus,eget ille, ipſas cauſas,quæ inter ſe confligunt, contendere velimus:ex eo ipſo,quàm valdè illi iaceāt intelligere poſſumus. Ex hac parte pudor pugnat; illinc petulantia: hinc fides,illinc fraudatio:hinc pietas,illinc ſcelus:hinc honeſtas,illinc turpitudo;denique æquitas,tēperantia, fortitudo,*

Digitized by Google

fortitudo, prudentia, virtutes omnes certat, cum iniquitate, cum luxuria, cum ignauia, cum temeritate, cum vitiis omnibus: Poſtremo copia cum egeſtate, bona ratio cum perdita, mens ſana cum amentia, bona denique ſpes, cum omnium rerum deſperatione confligit.

Verr.6.n.121. *Conferte Verrem; non vt hominem cum homine comparetis, ne qua tali viro mortuo fiat iniuria: ſed vt pacem cum bello, leges cum vi, forum & iuriſdictionem, cum ferro & armis, aduentum & comitatum cum exercitu, & victoria conferatis.*

Multi ſunt Oratores in iſtis Max.Tyr. Diſſer. 4. & 9. amoris vtriuſque contentionem affert, hoc eſt Veneris, & virtute ſati vim diuerſam ſubiicit. Hic amando amati beneficium intendit: ille & ſibi & amato perniciem ſtruit: ex amore probi oritur virtus, ex improbi furor, contumelioſa efficitur. Probi amor in amicitiam, improbi in odium deſinit: ille gratuitus, hic mercenarius; ille virilis, hic effœminatus: ille laudem incitat, hic inſaniam prouocat.

Tale quid eſt in Seneca de vita beata c.7. vbi virtutem cum voluptate componit. *Altum quiddam eſt virtus, excelſum, regale, inuictum, infatigabile: Voluptas, humile, ſeruile, imbecillum, caducum cuius ſtatio, ac domicilium fornices, ac popina ſunt: Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, puluerulentam, coloratam, calloſas habentem manus: Voluptatem latitantem ſæpius, ac tenebras captantem, circa balnea ac ſudatoria, & loca Ædilem metuentia, mollem, eneruem, mero atque vnguentis madentem, ſqualidam, fucatam, &c.*

27. Sapientis & ſtulti diſcrimen.

Diuerſos viarum ad æternitatem exitus proponit D.Hieron.epiſt.14.ad Celan. *Vide quanta ſit inter has vias ſeparatio, quantumque diſcrimen. Illa ad mortem, hæc tendit ad vitam: illa celebratur, & teritur à multis; hæc vix inuenitur à paucis. Illa enim vitiis per conſuetudinem, quaſi decliuior, & mollior, & velut quibuſdam amœnæ floribus voluptatum facilè ad ſe rapit commeantium multitudinem: hæc verò inſueto calle virtutem triſtior, atque horridior, ab his tantum eligitur, quibus non tam delectatio itineris cordi eſt, quàm vtilitas manſionis.*

Non minus eleganter illas aperit D.Ambr. in pſ.1. *Duæ ſunt viæ; vna iuſtorum, altera peccatorum: vna æquitatis, iniquitatis altera: Iuſtorum via anguſtior eſt: iniquorum latior: illa ſobrietatis anguſtior; hæc ebrietatis laxior, vt poſſit capere fluctuantes: hæc libertas eſt cupiditatum; illic ſeruitutis iniuria: hîc conuiuium, illic ieiunium: hîc intemperantia gaudiorum; illic perſeuerantia lacrymarum: hîc ſaltatio; illic Oratio: hîc cantus dulces, illic graues gemitus.*

Quædam ſunt breuia interualla per contentionem. 4 in Ant.n.8. *Si Conſul Antonius, Brutus hoſtis: ſi conſeruator Reip. Brutus, hoſtis Antonius.*

2. pro Ligario, n.15. *Si in hac tanta tua fortuna, lenitas tanta non eſſet, quanta tu per te, per te inquam, obtines (intelligo quid loquar) acerbiſſimo luctu redundaret iſta victoria. Quàm multi enim eſſent de victoribus, qui te crudelem eſſe vellent, cùm etiam de victis reperiantur? quàm multi, qui cùm à te nemini ignoſci vellent, impedirent clementiam tuam, cùm etiam ii, quibus ignouiſti, nolint te in alios eſſe miſericordem.*

Nonnunquam negationibus adhibitis antitheta conficiuntur, eoque valent plurimum ad amplificandum. Pro l.Man.n.28. *Qui ſæpius cum hoſte conflixit, quàm quiſquam cum inimico concertauit? plura bella geſſit, quàm cæteri legerunt? plures Prouincias confecit, quàm alij concupiuerunt? cuius adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris, non alienis præceptis, ſed ſuis imperiis: non offenſionibus belli, ſed victoriis, non ſtipendiis, ſed triumphis eſt traducta.*

Aliquando fit hæc contentio per comparationem, quæ ſpecies diſtinguitur ab aliis, quia licet diuerſa membra habeat, non tamen omninò oppoſita, imo ſimilitudine quadam nexa. Si quis Porcenæ facinus audax prunis ardentibus manum ſubiicientis, cum inuicta Martyrum conſtantia componat, ſic dicat. Ille manum crepitantibus flammis obiecit; iſti corpora mille ſupplicijs excarnificanda dederunt. Ille ad breuiſſimum temporis ſpatium: Illi multos dies, imo menſes & annos grauiſſima quæque tormenta pertulerunt: ille ſuperbiæ faſtu quodam arcano ſtimulatus, vel æſtuantis animi facibus accenſus; iſti ſolo amore diuino incitati: ille vt ſibi apud poſteros conſtantis viri famam, & nomen compararet: iſti vt Deo ſuperiſque gratioſi haberentur, & accepti.

Aliàs per commutationem, hoc eſt contrarietatem ſenſus cum verborum inuerſione, vel vbi

Digitized by Google

duæ ſententiæ, ſic inter ſe diſcrepantes efferuntur, vt à priore poſterior, contraria priori proficiſcatur. Cic. pro l. Man. n. 31. *Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam latè diuiſum, atque diſperſum, quis vnquam arbitraretur, aut ab omnibus Imperatoribus vno anno, aut omnibus annis ab vno Imperatore confici poſſe?*

Pro Cluentin. n. 5. *Etenim ſi vt in aliis locis parum firmamenti, & parum virium falſitas habet; ſic in hoc loco falſa inuidia imbecilla eſſe debet. Dominetur in concionibus, iaceat in iudiciis: valeat in opinionibus, ac ſermonibus imperitorum, ab ingeniis prudentium repudietur: vehementes habeat repentinos impetus, ſpatio interpoſito, & cauſa cognita conſeneſcat. Denique illa definitio iudiciorum æquorum, quæ nobis à maioribus tradita eſt, retineatur: vt in iudiciis & ſine inuidia culpa plectatur, & ſine culpa inuidia ponatur.* Ibidem, n. 123. pro Comœdo, n. 21. 2 in Rull. n. 3.

Pro Quinctio, n. 51. *Iugulare ciuem, ne iure quidem quiſquam bonus vult, mauult enim commemorare ſe, cum poſſet perdere, pepercisſe, quàm cum parcere potuerit, perdidiſſe.*

Pro l. Man. n. 67. *Ecquam putatis ciuitatem pacatam fuiſſe, quæ locuples ſit? ecquam eſſe locupletem, quæ iſtis pacata eſſe videatur?*

Plin. in Panegyr. Traiani. *Non ideo viciſſe videris, vt triumphares, ſed triumphare, quia vinceres.* Quæ omnia laudanti conueniunt, & reprehendenti.

Obſeruandum in vehementioribus motibus, & in acri contentione argumentorum cauendum eſt, ne artem, & pompam ſapiant antitheta: quare regendum eſt artificium, vt membra membris, non tam religioſè referantur, ſed per congeriem potius miſcantur.

PVNCTVM X.

Prætermiſſio.

REticentiam appellat Cic quæ fit cum profitemur nos præterire, aut non ſcire, aut id nolle dicere, quod tunc maximè dicimus. Obuiæ ſunt & frequentiſſimæ paſſim apud Tull. hæ ſunt illuſtriores 1. in Rull. n. 21 *Non queror diminutionem vectigalium, non flagitium huius iacturæ, atque damni: prætermitto ea quæ nemo eſt, quin grauiſſimè & veriſſimè conqueri poſſit: non caput patrimonij publici, pulcherrimam populi Rom. poſſeſſionem, ſubſidium annonæ, horreum belli, ſub ſigno clauſtriſque Reip. poſitum vectigal ſeruare non potuiſſe: non dico hoc ſolum in Rep. vectigal eſſe, quod amiſſis aliis remanet, intermiſſis nunquam quieſcat in pace niteat, in bello non obſoleſcat, militem ſuſtentet, hoſtem non pertimeſcat: prætermitto omnem hanc orationem, & concioni reſeruo de periculo ſalutis, ac libertate loquor.*

Pro l. Man. n. 25. *Sinite me hoc loco, ſicut Poëtæ ſolent, præterire me noſtram calamitatem, quæ tanta fuit, vt eam ad aures Luculli, non ex prælio nuntius, ſed ex ſermone rumor afferret.*

Pro Sextio, n. 7. *Poſſem multa dicere de liberalitate; de domeſticis officiis, de tribunatu militari, de prouinciali in eo magiſtratu abſtinentia: ſed mihi ante oculos obuerſatur Reip. dignitas, quæ me ad ſeſe rapit, hæc minora relinquere hortatur.*

Diuinat. in Verr. n. 29. *Nec ea dico quæ ſi dicam tamen infirmare non poſſit.* Et ibid. n. 26. *In quo quid eniti, aut quid efficere poſſim, malo in aliorum ſpe relinquere; quàm in oratione mea ponere* Nu. 36. *Intelligo quàm ſcrupuloſo, difficilique in loco verſer, quamobrem nihil dico. Quid ego nunc proferam, quas, concurſiones?* Num. 148. *Sed ineptum eſt de tàm perſpicua iſtius impudentia pluribus verbis diſputare.*

Verr. 5. num. 105. *Sentio moderandum mihi eſſe iam orationi meæ fugiendamque ſatietatem veſtram; non verſabor in vno genere diutius, & ita cætera de Oratione mea tollam, vt tamen in cauſa relinquam.*

5. Verr. num 48. *Hic nolite expectare dum ego hæc crimina agam oſtiatim.* Num. 82.

5. Verr. 106. *Audiſtis hæc quæ nunc ego omnia prætermitto, ac relinquo. Nihil de luxuria Apronii loquor, nihil de inſolentia, nihil de ſingulari nequitia, ac turpitudine, tantum de quæſtu, ac lucro dicam.*

7. Verr. n. 14. *Iam verò cùm in eiuſmodi patientia turpitudinis aliena: non ſua ſatietate obduruiſſet: qui vir fuerit, quot præſidia, quàm munita pudoris, & pudicitiæ, vi, & audacia ceperit, quid me attinet dicere, aut coniungere cum iſtius flagitio, cuiuſquam præterea dedecus? non faciam, omnia vetera prætermittam, vnum illud illuſtre notumque omnib. ponam. Nam illa nimis antiqua prætereo*

Non,

Non ſum prædicaturus, quantas ille res domi, militiæque, terra mariq; quanta felicitate fecerit

Tranſitio nonnunquam adhibetur, vt Orator in verbis verecundiam oſtendat, à ſtudio vitandæ verborum obſcœnitatis, ſine qua non potuiſſet deſcribere maculas adoleſcētiæ Antonij Tullius. 2. Phil. n. 47. *Sed jam ſtupra, & flagitia omittam, ſunt quædam quæ honeſtè non poſſum dicere? tu autem eò liberior, quòd ea in te admiſiſti, quæ à verecundo inimico audire non poſſes*, Pro Cluent. nu. 188. *Mitto illam primam libidinis iniuriam: mitto nefarias generi nuptias; mitto cupiditate matris expulſam ex matrimonio filiam: nihil de Oppianici nuptijs queror. Prætereò quod.*

3. In Verr. n. 32. *Nunc mihi temporis eius, quod mihi ad dicendum datur. Quoniam in animo eſt cauſam omnem exponere, habenda ratio eſt diligenter. Itaque primum illum actum iſtius vitæ turpiſſimum, & flagitioſiſſimum prætermittam. Nihil à me de pueritia ſua flagitijs audiet: nihil ex illa impura adoleſcentia ſua, quæ qualis fuerit, aut meminiſtis, aut ex eo, quem ſui ſimillimum produxit, recognoſcere poteſtis. Omnia præteribo, quæ mihi turpia dictu videbuntur, neque ſolùm, quid iſtum audire, verùm etiam quid me deceat dicere, conſiderabo.*

Elegans & prudens prætermiſſio quâ fingit Orator ſuperbiam, inſignem nequitiam, occultas libidines, aliáque Piſonis flagitia, vt omnibus aperta, prætermittere, vt eum magis in odium adducat. De Prouinc Conſ. n. 8. *Itaque omnia illa quæ & ſæpè audiſtis, & tenetis animis, etiamſi non audiatis prætermitto: nihil de hac eius vrbana, quam ille præſens in oculis veſtris, mentibuſq; defixit, audacia loquor: nihil de ſuperbia, nihil de contumacia, nihil de crudelitate diſputo. Lateant libidines eius illæ tenebricoſæ, quas fronte, & ſupercilo non pudore, & temperantia contegebat: de Prouincia, quod agitur, id diſputo.*

Valet etiam prætermiſſio vt plus in ſuſpicione relinquatur, quàm ſi apertè diceretur 1. in Verr. n. 14. *In ſtupris verò, & flagitijs nefarias eius libidines commemorare deterreor. Simul illorum calamitatem commemorando augere nolo, quibus liberos conjugeſque ſuas integras, ab iſtius petulantia conſeruare non licitum eſt.* 2. in eundem n. 32.

Maiorem vim habet ſi per conceſſionem fiat. In Vat. n. 11. *At illud tenebricoſſimum tempus ineuntis ætatis tuæ patiar latere. Licet impunè per me parietes in adoleſcentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris. Habeat hoc præmium tua indignitas, vt adoleſcentiæ turpitudo, obſcuritate & ſordibus tuis obtegatur.*

3. In Verr. n. 32. *Omne illud tempus quod fuit antequàm iſte ad magiſtratus, Remq; publicam acceſſit habeat per me ſolutum, ac liberum, ſileatur de nocturnis eius bacchationibus, ac vigilijs, lenonum, aleatorum, perductorũ nulla mentio fiat: damna, dedecora, quæ res patris eius ætas ipſius pertulit, prætereantur: lucretur indicia veteris infamiæ, patiatur eius vita reliqua, me hanc tantam iacturam criminum facere.* Verr. item 5. n. 9.

Præcipuum eſt Orationis, & confutationis ornamentum. Valet enim ad argumenta plurima congloбanda, quæ ſi ſolitaria eſſent leuiora videri poſſent, congeſta non minùs proſunt, quàm ſi validiſſima eſſent. In Piſon. n. 87. *Quid ego rerum capitalium quæſtiones, reorum pactiones redemptiones, acerbiſſimas damnationes, libidinoſiſſimas liberationes proferam? quid illam armorum officinam ecquid recordaris?*

Item n. 38. *Nondum commemoro rapinas, nondum exactas pecunias? non captas, non imperatas, non neces ſociorum, non cædem hoſpitum, non perfidiam, non immanitatem, non ſcelera prædico.*

Pœnitentia, prætermiſſionis alias ſpecies, in fine valet, iam recenſitis argumentis, cùmque nos obiurgamus, quòd multa nimis congeramus, vel auſterà nimis agamus, cum imbecilli aduerſario, cuius multa leges apud Tull. 1. Verr nu. 8. *Sed quid ego tàm vehementer inuehor? verbo vno repellat.* Emi. n. 43. *Imprudens hùc incidi. Emit enim, non abſtulit. Nollem, dixiſſe, iactabit ſe, & in his equitabit eculeis. Emi pecuniam ſolui Credo.*

2. In Catil. n. 17. *Sed cur tamdiu de vno hoſte loquimur; & de eo hoſte, qui jam fateatur ſe eſſe hoſtē* Pro Flacco. n. 103. *Sed quid ea commemoro, quæ tùm, cùm agebantur, vno conſenſu omnium, vna voce Populi Ro. vno a bis terra teſtimonio, in cœlum laudibus efferebantur?*

Pro Cœlio. n. 33. *Sed quid ego ita grauem perſonam induxi, vt verear, ne ſi idem Appius repente conuertat, & Cœlium incipiat accuſare illa ſua Cenſoria grauitate.*

Cum

Digitized by Google

Cum pœnitentia maximam habet affinitatem attemperatio, quoties nobis modum facimus, quod aduerſarium ſupra quàm dici poſſit vrgere videamur. 4. Verr. n. 51. *Iam in tanta iſtius impudentia remittendum aliquid videtur, ne omnia contendamus, ne omnia cum dolore agere videamur. Nam me dies, vox, latera deficiant, ſi hoc nunc vociferari velim, quàm miſerum indignumq́; ſit, iſtius nomine apud eos diem feſtum eſſe.*

Pro Flacco. n. 38. *Hic ego ſi vos Æmonenſium decretis, ſi cæterorum Phrygum litteris permoueri putarem, vociferarer, & quantum maximè poſſem, contenderem: teſtarer publicanos, excitarem negotiatores, veſtram etiam conſcientiam implorarem; Cera deprehenſa, conſiderem totius teſtimonii fictam audaciam, manifeſtè comprehenſam, atque oppreſſam teneri. Nunc verò non inſultabo vehementius, nec, volitabo in hoc inſolentius neque in iſtum nugatorem, tanquam in aliquem teſtem, inuehar.*

Pro Ligar. n. 9. *Nimis vrgeo, commoueri videtur adoleſcens, ad me reuertar.*

Pro Cœl. n. 31. *Nunc agam modicè, nec longius progrediar, quàm me mea fides, & cauſa ipſa coget.* 2. Phil. n. 32.

PVNCTVM XI.

Oppoſitio.

VEl auctoritatis eſt, vel rationem, cùm dictum factumué obiectis aliorum ſententiis aut geſtis refellimus, vt ſi quis præpoſteram hominum, in conſectandis honoribus, cupiditatem reprehendat. Sic loquatur. Quiſnam eſſet piorum ſenſus, ſi labores ac pericula pro vaniſſimis honoribus ſuſcepta, liceret intueri? quis eſſet Ambroſii ſenſus, qui ad Mediolanam quæſitus infulam ſemel iterumque delituit, & ad vmbram peccati deſcēdere velle viſus eſt, quò ſe tali dignitate indignum probaret? quæ Gregorii honoris titulo magni mens eſſet, qui cùm faſtigiatum Pontificatus apicem effugere aliter non poſſet, viis omnibus fugæ intercluſis, dolio abditum, in vicinum montem deportari ſe iuſſit, & in illius antro aliquādiu ſatis feliciter delituit? quod Nilamon humilis loqueretur? quid innumerabiles alii?

Cohortationi ſeruit & dehortationi, ſeu velis in auditorum animis verecundiam excitare arte præmiſſa, ſiue ignominiam exquiſita. Fit commonefaciendo pro lege Man. n. 11, *Sed pro veſtri imperii dignitate atque gloria, quoniam is eſt exorſus Orationis meæ, videte quem vobis animum ſuſcipiendum putetis. Maiores veſtri ſæpè mercatoribus ac nauiculatoribus iniurioſius tractatis bella geſſerunt: vos tot ciuium Ro. millibus, vno nuntio, atque vno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? legati quod erant appellati ſuperbius Corinthū Patres veſtri totius Græciæ lumen, extinctum eſſe voluerunt: vos eum regem inultum eſſe patiemini, qui legatum Po. Ro. Conſularem vinculis ac verberibus, atque omni ſupplicio excruciatum necauit. Videte ne vt illis pulcherrimum fuit tantam imperii vobis gloriam, relinquere, ſic vobis turpiſſimum ſit illud quod accepiſtis tueri & conſeruare non poſſe.* Item pro Sext. 40. 1. in Catil.

Huc refer dicendi libertatem, quâ fidem & auctoritatem ſibi conciliari ſtudet Orator. Obiurgando primùm. Cic. 9. Phil. n. 8 *Vos Patres Conſcripti (graue dictu eſt, ſed dicendum tamen) vos inquam Ser. Sulpitium vita priuaſtis. Quem cùm videretis ſe magis morbo, quàm Oratione excuſantem, non vos quidem crudeles fuiſtis (quid enim minus in hunc ordinem conuenit?) ſed cùm ſperaretis mihi eſſe, quod non illius auctoritate & ſapientia efficit poſſet, vehementius excuſationi, atque eum qui ſemper veſtrum conſenſum grauiſſimum iudicauiſſet, de ſententia deieciſtis.*

Secundùm blandiendo. Cic. pro Marcello. n. 26. *Itaque illam tuam præclariſſimam & ſapientiſſimam vocem inuitus audiui: ſatis te diu vel naturæ vixiſſe, vel gloriæ; ſatis ſi ita vis, naturæ fortaſſe: addo etiam ſi places, gloriæ: at quod maximum eſt, patriæ certè parum.*

PVNCTVM XII.

Suppoſitio.

FIt hic ornatus, cùm vt meliùs intelligatur, quàm verum ſit, quod confirmamus, rem

ſtatim

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſtatuimus in contrario, decemuſque quid futurum fuiſſet, ſi res aliter habuiſſent. Præclarè Tyrius Diſſert.39. de Apologia Socratis diſputans hac ſuppoſitione, docet à contrario minimè decoram fuiſſe Socrati Apologiam. Quid ſi ad nos veniret aliquis, qui narraret eſſe virum Athenis, in ætate ſenili conſtitutum, profeſſione Philoſophum, fortunâ pauperem, indole eximium, eloquentiâ magnum, mentis acumine maiorem. Sobrium, qui nihil vnquam temerè egiſſet, dixiſſet nihil, hunc propter inuidiam, propter honeſtatis odium, petitum eſſe ex Theatro ab Ariſtophane, ex Sophiſtis ab Anyto, ex Sycophantis à Melito, ex Oratoribus à Lycone, quorum hic illum in Comœdia luſerit, alius in iudicium capitis traxerit, alius indignè depulerit, alius oratione perſtrinxerit. ὦ καλῶ τῦ νικηφόρυ. ô præclarum victorem! Poſt multa hæc ſubdit. καὶ πῶς ἂν ἠνέχετο φιλοσοφία στεφάνιον τὸ πρὸς ἑαυτὴν τῦλον τὸν ἄνδρα; ἢ μᾶλλον ἢ παιδοτρίβης ἐκ σταδίυ ἀγωνιστὴν μύρῳ κεχρισμένον ἀνιδρωτὶ καὶ ἀκονιτὶ στεφανωθέντα, ἄπληκτον καὶ ἄτρωτον. καὶ μηδὲν ἴχνος ἀρετῆς ἔχοντα. Quomodo autem ferre hunc viri reditum Philoſophia potuiſſet, non magis, quàm Athletam, ſine ſudore, ſine puluere, ſine ictibus aut vulnere, è ſtadio cum corona redeuntem, nec vllum pulchræ virtutis præ ſe veſtigium ferentem.

PVNCTVM XIII.

Deiectio.

VAlet quoties interpretem adhibemus, ac veluti patronum, qui pro alio reſpondeat. En capita propter quæ damnatus Socrates apud Tyrium Diſſert.8. quod iuuentutem corrumperet, quod eius facto Crytias tyrannum ageret, quod Alcibiadem contumelioſè nimis tractaret, quod deteriorem, ſuperiorem, ac meliorem efficeret, quod per Platanum, aut canem iuraret Sed reſpondeat pro Socrate Plato diſcipulus, reſpondeat Xenophon, &c, &c,.

Per hanc aliquid à ſe reiicit Orator, vt minus dignum, & intempeſtiuum nimis; quam purgationem appellare poſſumus. Sic accuſandi munus reiicit Cic. Diuinat. in Verrem n. 3: *Adductus ſum officio, fide, miſericordia multorum bonorum exemplo, veteri conſuetudine, inſtitutoque maiorum, vt onus hoc laboris atque officij, non ex meo, ſed ex meorum neceſſariorum tempore mihi ſuſcipiendum putarem: Quo in negotio tamen illa me res conſolatur, quod res quæ videtur accuſatio mea, non potius accuſatio, quàm defenſio eſt exiſtimanda. Defendo enim multos mortales, multas ciuitates, Prouinciam, Siciliam totam.*

Non aliter pro Ameri..o.n.83 *Deſinamus aliquando ea ſcrutari, quæ ſunt inania, quæramus vbi maleficium, & eſt, & inueniri poteſt. Iam intelliges Eruci certum crimen, quàm multis ſuſpicionibus coarguatur. Tametſi neque omnia dicam, & leuiter vnumquodque tangam: neque enim id facerem niſi neceſſe eſſet, & id erit ſigni me inuitum facere, quod non perſequar longius, quam ſalus, & mea fides poſtulabit.* Et pro Milone.n.36.

PVNCTVM XIV.

Diſtributio ſiue partitio.

VIx vlla figura maiorem amplificandi copiam ſuppeditat, quàm diſtributio. Eſt autem figura quæ res plurimas, aut perſonas, aut negotia diuidit, & quod ſummatim dici poterat, accuratius & fuſius in ſuas partes diſtribuit. Tull. in Piſon.n.64. *An Senatus odit te, quod eum tu facere iure concedis afflictorem, & proditorem, non modò dignitatis, & auctoritatis, ſed omninò ordinis, ac nominis ſui: videre equites Ro. non poſſunt, quo ex ordine vir præſtantiſſimus L. Æmilius eſt, te conſule relegatus: plebs Romana perditum cupit, in cuius tu infamiam, ea quæ per latrones, & per ſeruos de me egeras, contuliſti: Italia cuncta execratur, cuius idem tu ſuperbiſſimè decreta, & preces repudiaſti.*

2. In Catil.n.7. *Quis tota Italia veneficus? quis gladiator? quis latro? quis parricida? quis adulter? quæ mulier infamis? quis perditus inueniri poteſt, qui ſe cum Catilina non familiariſſimè vixiſſe fateatur?*

Frequens eſt illius vſus apud Poetas in deſcriptionibus. 1. Georgico.

Hic ſegetes, illic veniunt feliciùs vuæ:
Arborei fœtus alibi, atque iniuſſa vireſcunt

Aaaa *Gram;*

Digitized by Google

Gramina: nonne vides, croceos vt Tmolus odores,
India mittat ebur, molles ſua thura Sabæi?
At Chalybes nudi ferrum, viroſaque Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epeiros equarum.

Apud ſacros Oratores frequens eſſe debet diſtributio, cùm in publica vitia inuehuntur; qualis eſt illa D. Cypryani, non tam elegans, quàm vehemens figura. Ep. ad Donatum. *Flagrant vbique delicta, & paſſim multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur. Hic teſtamentum ſubiicit, ille falſum capitali fraude ſcribit: Hic arcentur hæreditatibus liberi, illic bonis donantur alieni. Inimicus inſimulat, calumniator impugnet, teſtis infamat, vtrobique graſſatur in mendacium criminum proſtitutæ vocis venalis audacia.*

Ipſa ſuauitate ſuauior Bernardus. *Cogitationum multiplex varietas eſſe cognoſcitur. Aliæ namque cor inflant, aliæ eleuant, aliæ perturbant, aliæ diſſipant, confundunt, diſtendunt, ligant, inquinant, contrahunt, corrumpunt. Inflant vt ſuperbæ, eleuant vt vanæ, perturbant vt inuidæ, diſſipant vt iracundæ, confundunt vt acedioſæ, diſtendunt vt ambitioſæ, ligant vt guloſæ, inquinant vt luxurioſæ, contrahunt vt timidæ, corrumpunt vt malitioſæ.* Lib. de Conſcientia cap. de multiplici varietate cogitationum.

Sed excellit inprimis in genere exornatiuo. De Cæſaris clementia Cic. pro Marcello n. 7. *At verò huius gloriæ Cæſar, quàm es paulò ante adeptus, ſocium habes neminem, totum hoc quantumque eſt, quod certè maximum eſt, totum eſt, inquam, tuum. Nihil ſibi ex iſta laude Centurio, nihil Præfectus, nihil Cohors, nihil Turma decerpit: quinetiam illa ipſa rerum humanarum domina fortuna, in iſtius ſe ſocietatem gloriæ non offert, tibi cedit, tuam eſſe totam, & propriam fatetur.*

Orator ad Brutum diſtributionem hanc habet præcipuam. n. 107. *Quid tam commune quàm ſpiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis? Ita viuunt, dum poſſunt, vt ducere animam de cælo non queant: ita moriuntur, vt eorum oſſa terra non tangat: ita iactantur fluctibus, vt nunquam alluantur: ita poſtremo eiiciuntur, vt ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant.*

In laudem Poeticæ cum Muſica collatæ hæc dicuntur. Excitantur & recreantur mutuò conſpectu Muſica ſcilicet, & Poetica, atque in amoris inter ſe gemini æmulatione creſcunt, neque vnquam ingreditur verſus dedecorè magis, quàm vbi ſublatus in Cytharam ſingulos neruos impoſito pede peruolitat. Tum enim verò quàm acutè ſeſe egerit ad aſcenſum; quàm grauiter deuoluitur in lapſum; quàm leuiter reſilit, quàm tremulè conſiſtit, quam bene, & ſonore incedit; quàm molliter deflectit, quàm variè denique modos ipſos immutat; At vbi è corde in aures deſilit, adlabiturque animis, & per quoſdam gradus imis ſe penetralibus inſinuat, quos vbi motus cier, quos molitur affectus, quomodo intimas medullas ſuauiſſimus prædator permeat, atque peruadit? tantum valet in omnem partem numerorum, & modorum artificioſa concinnitas, quorum celeritate rapiuntur animi, tarditate torpeſcunt, grauitate componuntur, leuitate vaneſcunt, aut læti, aut hilares, aut quieti, pro carminis habitu formaque dicendi. Quid enim Phrygij imperij religioſius? Lydij queſtu languidius? Dorici grauitate ſeuerius? Ionij iucunditate ſuauius? Hippodorij taſtu imperioſius? Æolij tranquillitate pacatius?

Sic Henricum IV. Regem magnum optimus noſtræ memoriæ laudat Orator. Grauiſſimum tanti Regis teſtimonium quid nos attinet exornare verbis, qui ſi militarium rerum ſpectetur ſcientia omnium omnis memoriæ Regum ſcientiſſimus eſt; ſi firmitas animi, conſtantiſſimus; ſi vis ingenij, ſolertiſſimus; ſi certaminum vſus, exercitatiſſimus; ſi conſilium, conſultiſſimus: qui plura bella ſuſcepit, quàm alij geſſerunt, plura confecit, quam cæteri ſuſceperunt, genere maxima, contentione laborioſiſſima, diſcrimine difficillima, complexione partium implicatiſſima, loci propinquitate domeſtica, temporis diuturnitate longiſſima.

Venuſta diſtributio, cùm in ea ſingula ſingulis reſpondent, qualia de Athlante monte, manat fontibus, nemoribus inhorreſcit, rupibus aſperatur.

Et iſta de Protheo in diuerſas ſpecies abeunte In aquam attollitur, in ignem accenditur, in leonem excandeſcit, grunnit in ſuem, ſerpit in draconem, aſſilit in pantheram, aſſurgit in arborem.

Breuius

Digitized by Google

breuius dici potuit,in omnis ſe generis formas effingit.

Iterum illa Plinii, Aquæ ſubeunt in imbres, turgeſcunt in grandines, tumeſcunt in fluctus. præcipitantur in torrentes: quâ dictione, quid ornatius potiſſimum in narrationis amplificatione?

D. Hilarius in Regis verba, Tuus ſum ego. *Quomodo ſe Dei profitebitur in libidinem calens, in iram mobilis,in auaritiam ſollicitus, in ebrietatem ſitiens,in gloriam ſæculi inanis?*

Sed temperiem miram accipit ejuſmodi figura cùm adjunctam habet diuiſionem, Epanodon,Polyſyntheton.Qualis pro Cœlio.n.1. *Sed ego Atratino humaniſſimo atque optimo adoleſcenti, meo neceſſario,ignoſco:qui habet excuſationem vel pietatis,vel neceſſitatis,vel ætatis.Si voluit accuſare; pietati tribuo. Si juſſus eſt; neceſſitati. Si ſperauit. aliquid;pueritiæ.*

Eſt etiam vſus illius in docendo præcipuus: Nam in præceptis ponendis efferendiſque ſententiis non eſt indecorum artificium. Cic. de Prou. Conſ.n.45. *Ecce illa tempeſtas,caligo bonorũ, & ſubita atque improuiſa formido,tenebræ Reip.ruina atque incendium ciuitatis, terror injectus Cæſari de eius actis,metus cædis bonis omnibus,conſulum ſcelus,cupiditas,egeſtas, audacia. Si non ſum adjutus, non debuit. Si deſertus:ſibi fortaſſe prouidit.Si etiam oppugnatus,vt quidam,aut putãt,aut volunt:violata amicitia eſt,accepi imiuriam,inimicus eſſe debui.Nõ nego.Sed,ſi idem ille tùm me ſaluum eſſe voluit,cùm vos me vt cariſſimum filium deſiderabatis nonne vobis videor,& vltimi temporis recordatione,& proximi memoria, medium illud triſtiſſimum tempus debere?ſi ex rerum natura non poſſem euellere,ex animo quidem certè excidere.*

Aliquando congeminantur membra diſtributionis,ac triplici interuallo, nexuque committuntur, de voluptatate ſit hoc exemplum. Quippe funeſta mortis artifex, architecta ſceleris, & mater libidinum, feralis illa fax tantum edidit fumus, tot in adoleſcentum mentibus excitauit incendia, tot portenta fabricata eſt, vt in mediis cupiditatum flammis buſtum innocentiæ, cunabula flagitiis poſuiſſe videatur.

Eſt etiam genus quoddam diſtributionis per remitionem,ſanè validum ad probandum. Pro Marcello,n.30. *Erit inter eos etiã qui naſcentur,ſicut inter nos fuit, magna diſſentio,cùm alij laudibus ad cœlum res tuas geſtas efferent:alij fortaſſe aliquid requirent,idq; vel maximum,niſi belli ciuilis incendium ſalute patriæ reſtinxeris* Pro Arch.28.

Denique ornatiores fiunt diſtributiones,cùm paria membra,paribus conferuntur, vel ſi cum ſubjectione conjungantur, & digeſtio vocatur nõnnunquam ſine ſubjecta ratione qualis illa pro Arch.n.16.*Nam cæteræ neque temporum ſunt,neque ætatum omnium,neque locorũ. Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt,ſenectutẽ oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis perfugium præbent,delectant domi, non impediunt foris,pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.*

Vel ſit ratione adjecta, quando ſingulæ partes,cum ſuis rationibus additis comprobantur. Hujus meminit auctor ad Heren.l.4.n.47. *Qui veſtrum nomen Senatus diligit,hunc ederit neceſſe eſt:petulantiſſimè enim ſemper iſte oppugnauit Senatum. Qui equeſtrem locum ſplendidiſſimum capit eſſe in ciuitate, is oportet iſtum maximas pœnas dediſſe velit, ne iſti ſua turpitudine ordini honeſtiſſimo maculæ ſit ac dedecori. Qui parentes habetis oſtendite iſtius ſupplicio vobis homines impios non placere. Quibus liberi ſunt,ſtatuite exemplum;quantæ pœnæ in ciuitate ſint hominibus hujuſmodi comparatæ.* Poterat breuiter dicere. Qui omnis ordinis, conditioniſué homines cupit eſſe ſaluos, hunc improbum velle debet, non eſſe ſaluum.

Partitio finita hùc pertinet pro Quint.n.1. *Quæ duæ res in ciuitate plurimum poſſunt,hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, & eloquentia,quarum alteram vereor; alteram metuo.* Pro Amerino.n.33.

Subdiuiſio hùc reuocatur. Pro Quinctio.n. 26. *Iuſſit bona proſcribi eius,qui cum familiaritas fuerat,ſocietas erat,affinitas,liberis iſtius viuis,diuelli nullomodo poterat,quâ ex re intelligi facilè potuit, nullũ eſſe officiũ tàm ſanctũ,atque ſolẽne,quod nõ auaritia comminuere,atque violare ſoleat: Etenim ſi veritate amicitia,fide ſocietas,pietate propinquitas colitur:neceſſe eſt iſte, qui amicũ ſociũ, affinẽ,famâ,ac fortunis ſpoliare conatus eſt,vanũ ſe & perfidioſũ,& impium eſſe fateatur.* Cui redditio ſubjungitur

Digitized by Google

pro Cœlio.n.2. Quæ perfecta rùm eſt, cùm ordine mixto fit. Pro Rabir. Perd. n.24. *At qui videmus, hæc in rerum natura tria fuiſſe, vt aut cum Saturnino eſſet, aut cum bonis, aut lateret. Latere mortis inſtar erat turpiſſimæ: cum Saturnino eſſe, furoris & ſceleris, virtus & honeſtas, & pudor cum conſulibus eſſe cogebat.*

Pvnctvm XV.

Definitio.

Licet definitionem inter locos argumétandi ponant Oratores, eadem tamen inter ſententiarum figuras locum habet, quòd non ſolum ad probandum iuuet, ſed etiam ad Orationis ornatum conducat. Minus eleganter, piè tamen D. Cypri. de Oratione Dominica. Euangelica præcepta nihil ſunt aliud quàm magiſteria diuina, fundamenta ædificandæ ſpei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fouendi cordis gubernacula dirigédi itineris, præſidia obtinendæ ſalutis: quæ dùm dociles credentium mentes in terris inſtruunt, ad cœleſtia regna perducunt.

Eſt autem hic definitio quæ rei alicuius proprias complectitur poteſtates, ſed breuiter & abſolutè. Cic. pro Sext. n.96. *Nimirum hoc illud eſt, quod de me potiſſimum tu in accuſatione, qua eſſet noſtra natio Optimatum, de qua pauca dicam, & vt arbitror, nec ab vtili ate eorũ, qui audient, nec ab officio noſtro, nec ab ipſa cauſa Sextij abhorrebit oratio mea Duo genera ſemper in hac ciuitate fuerunt, quorum, qui verſari in Rep. atque in ea ſe excellentius gerere ſtuduerunt: quibus ex generibus alteri ſe populares, alteri optimates & haberi, & eſſe voluerũt. Qui ea quæ faciebãt, queq; dicebãt, multitudini iucũda eſſe volebant, populares: qui autem ita ſe gerebant, vt ſua conſilia optimo cuique probarentur, Optimates habebantur.*

13. Phil. n.6. *Sed quoniã ab hoc ordine non fortitudo ſolùm, verùm etiã ſapientia poſtulatur: quamquam non videntur hæc poſſe ſeiungi ſeiungamus tamen. Fortitudo dimicare iubet, iuſtum odiũ incẽdi, ad confligendum impellit, vocat ad periculũ. Quid ſapientia? cautioribus vtitur conſilijs, in poſterũ prouidet, eſt omni ratione protectior, quid igitur cenſet? parẽdũ eſt enim: atque id optimum iudicandum, quod ſit ſapientiſſimè conſtitutum, &c.*

Lectio IV.

De Figuris ad delectandum appoſitis.

Figura quidem omnis, cùm ſit quidam loquendi modus alienus à communi, & primùm ſeſe offerente dicendi ratione, ad faciendam delectationem maximè idonea eſt. Vt enim illa communis & trita tractandarum rerum ratio, multum affinis eſt faſtidio: Ita remotus ab vſu communi dicendi modus voluptatem ſecum aliquam aduehit. De numero tamen eligendæ ſunt præcipuæ, quæ hoc munus ſuſtineant.

Pvnctvm I.

Comparatio vel ſimilitudo.

Definitur ab Oratore cognata quædam inter res ſimiles affectio, cum ſcilicet res inter ſe ob quandam ſimilitudinem componuntur. Porrò comparationis vſus, quò eſt apud Philoſophos infrequentior, eò magis apud Rhetores familiaris. Etſi enim ad vehementiores motus non admodum valida ſit, vti neque ad ſeueriorem diſputandi rationem, ſi præſertim à pertinaci auditore fides extorquenda ſit; tamen ea ſuauitate audientis animum, ea claritate dicentis Orationem perfundit, vt nihil aptius eſſe videatur; tum ad ſuaues motus, tum ad exornationem, tum ad claram, & perſpicuam docendi methodum. Vt igitur accuratius vſum hujus figuræ expẽdamus, varias illius ſpecies apud Rhetores multum implicatas ſuum in ordinem adducendas eſſe cenſemus.

I. Par.

I. Igitur ſimilitudinem accerſere poſſumus ex rebus penè paribus, vt ſi conferatur Orator cum Oratore, Iudex cum Iudice, Philoſophus cum Philoſopho; cujuſmodi illud eſt apud Senecam epiſt.

Digitized by Google

epiſt. 44. *Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc ſumus nobiles. Nec reijcit quemquam Philoſophia nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit, Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locauit manus. Platonem non accepit nobilem Philoſophia, ſed fecit. Quid eſt quare deſperes his poſſe fieri parem? Omnes hi maiores tui ſunt, ſi te illis geris dignum.*

Cic. contra Piſon. à num 2. ad 9. *Is mihi etiam gloriabitur ſe omnes magiſtratus ſine repulſa aſſequutum? mihi iſta licet de me vera cum gloria prædicare. Omnes enim honores populus Rom. mihi ipſi homini nouo detulit* Pro Marcel. n 8. & 9. vltimo parad.

A comparatis procedit exemplum quod rem illuſtriorem facit, cùm nullius rei dignitatis cauſa ſumitur, de diſceſſu ſuo ſic loquitur Ouid 1. Triſt, el. 3.

Quocumque aſpires luctus, gemituſque ſonabat:
Formaque non taciti funeris intus erat.
Fœmina, virque meo pueri quoque funere mœrent,
Inque domo lacrymas angulus omnis habet.
Sic licet exemplis in paruis grandibus vti.
Hæc facies Troiæ, cùm caperetur, erat.

II. Diſpar.

Similitudinem deducimus ex re diſpari, cùm ſcilicet res alioqui diuerſas, in vna, aut alia re ſimiles eſſe oſtendimus. Redeat in exemplum Seneca, de Ira. *Vt furentium certa indicia ſunt audax, & minax vultus, triſtis frons, torua facies, citatus gradus inquieta manus, color verſus, crebra & vehementius acta ſuſpiria: Ita iraſcentium eadem ſigna ſunt, flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, &c.*

Similis eſt apud D. u. Hieron. F gura epiſt. ad Heliodorū *Et ego non integris rate, vel mercibus moneo, ſed quaſi nuper naufragio eiectus in littus, timida nauigaturis voce denuncio. In illo æſtu Charybdis luxuriæ ſalutem vorat. Ibi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia, Scyllæum renidens libido blanditur. Hic barbarorum littus: hic Diabolus pyrata cum ſociis portat vincula capiendis. Nolite eſſe ſecuri: licet in modum ſtagni fuſum æquor arrideat, licet vix ſumma iacentis elementi ſpiritu terga criſpentur magnos hic campus montes habet. Intus eſt periculum, intus eſt hoſtis. Expedite rudentes vela ſuſpendite. Crux autem figatur in frontibus. Tranquillitas illa tempeſtas eſt.*

Cic. pro Mur. n. 4. *Quod ſi è porta ſoluentibus, ij qui iam è portu ex alto inuehuntur, præcipere ſummo ſtudio ſoleat, & tempeſtatum rationem prædonum & locorum, quod natura affert, vt eis faueamus, qui eadē pericula quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur: quo tandem me animo eſſe oportet, propè iam ex magna iactatione terram videntem, in hunc, cui video, maximas Reip. tempeſtates eſſe ſubeundas?*

III. Ficta.

Tertia ſimilitudo fictis ex rebus trahitur: qualis eſt illa Leonis fabula, qui quidem homini leonum capita viri marmorei pedibus obtriti oſtendenti reſpondiſſe fertur; quantò plures leonibus aduolutos homines liceret intueri ſi natura ſcalpere leones docuiſſet. Sic iſta ſimilitudo referri poteſt ad Cæſarem, qui ſuis in commentariis victorias à Gallis reportatas quam plurimas ſcripſit: at ſi idem illi Galli victorias, quas ſcribere potuiſſent, quàm ſæpè ad Gallorum pedes Cæſar iacuiſſet?

Fictis ex rebus ductæ ſimilitudines pro lege Man: num. 22. *Requiretur fortaſſe nunc, quem admodum cùm hæc ita ſint, reliquum poſſit eſſe magnum bellum. Cognoſcite, non enim ſine cauſa quæri videtur. Primùm ex ſuo regno ſic Mithridates profugit, vt ex eodem Ponto Medea illa quondam profugiſſe dicitur: quam prædicant in fuga fratris ſui membra in ijs locis, quà ſe parens perſequeretur, diſſipauiſſe, vt eorum collectio diſperſa, mœrorque patrius celeritatem perſequendi retardaret: ſic Mithridates fugiens maximam vim auri, atque argenti pulcherrimarumque rerum omnium quas & à maioribus acceperat, & ipſe bello ſuperiore ex tota Aſia direptas, in ſuum Regnum congeſſerat, in Ponto omnem reliquit. Hæc dum noſtri colligunt omnia diligētius, Rex ipſe è manibus effugit. Ita illū perſequendi ſtudio, hos lætitia retardauit.*

Ex illa triplici diuiſione perſpicuum relinquitur qua ratione Parabolæ Apologi, Fabulæ, & Exempla, ad genus hoc exornationis pertineant. Nam exempla ſunt quæ ex hominum vita exprimuntur, continentque dicti, vel facti expoſitionem, cum certi auctoris nomine, atque ita referuntur ad membrum diuiſionis primum.

Parabola eſt rerum collatio alioqui diſparium ob

ob aliquam ſimilitudinem, ducirurque ex omnium natura rerum, quare nihil locupletius, refertur autem ad alterum partitionis membrum. Nam Fabulam & Apologum, tametſi Rhetores quidam ſub Parabola contineri putent, in tertio genere ſimilitudinis reponi debet. Quia verò nihil frequentius in Oratione ponitur, idcirco erit operæ prætium varias rationes afferre, quibus ſcitè, & eleganter inſtitui poſſit.

Simplex comparatio.

I. Nudæ ſunt quædam, & ſimplices comparationes, quæ vnam dumtaxat ſimilitudinem complectuntur, quales infinitæ ſunt apud Oratores. Ex eodem fonte manauit, vt ego quidem arbitror vera nonnunquam, ſed plerumque falſa, & inanis opinio doctrinæ, profundique ingenij, quam nonnulli homines vitio obſcuritatis à nobis extorquent, nimirum dùm illi quædam effata magnifica ad ſpeciem, obſcura ad intelligentiam, mirabilius verbis, ſed ægrè ſequentibus pronunciant, percellunt nos ſtupore quondam inſtar machinatum, quibus lentus inceſſus maieſtatem occulti rotarum lapſus admirationem artis conciliant.

II. Compoſitæ quædam ſimilitudines reperiuntur, quarum duo ſunt genera.

Primum cùm res vna pluribus ſimilitudinibus illuſtratur: alterum cùm res multæ, multis comparationibus exprimuntur. Et primum quidem variis modis fieri poteſt.

I. Cum ſingulis verbis ſingulæ ſimilitudines referuntur; vt morbo defloreſcit pulchritudo, næuo forma corrumpitur; cœlum inobſcuratur nebulis, mare fluctibus inhorreſcit; Ita flos adoleſcentiæ dedecore flagitij, ac turpitudine morum contaminatur.

Quod huic vniuerſitati lux, quod ægro medicina, quod fons ſitienti limpidus, quod diuturnis defatigato laboribus quies idipſum opis indigenti charitas eſt.

Quod in argento ſcoria, caries in ligno, gibbus in humeris, varix in tibiis, ſcabies in capite, grando in vineis, locuſta in pratis, bruchus in floribus, lolium in frugibus, in roſa cantarus, in veſte tinea, næuus in facie, ſpuma in ſalo, in cœlo nebulæ, in ſolo lutum; hoc in adoleſcentium vita morum corruptela.

Sic ille deuotus MARIÆ Virgini pius Vates, teporem à cultu Dei paræ abeſſe debere monet.

Sæpè loqui mecum, quamuis ſit muta, videtur
Et me deſidiæ ſæpè monere mea.
Deſidioſe tuo, ſi vis blandire tepori:
Iuro tibi infelix, fulmina, iuro necem.
Quod ſegeti rubigo, nouis quod floribus auſter.
Blata togæ, ferro luna, teredo rati.
Hoc animo tepor eſt: animi tepor improba peſtis,
Non intellecto vulnera dente facit.

II. Cum ſimilitudines in modum definitionis colliguntur. Sic Roma eſt ſacra Religionis anchora, quam nullus barbarorum turbo, nullus hoſtium conatus, dimouere loco poteſt: propugnaculum firmiſſimum, quod nulla vnquam tormentorum apparatu, nulla machinarum mole concidet: Illa demum eſt pharetra fœta lectiſſimis telis, vndè ſuas Deus ſagittas educit, quibus & nefarias barbarorum incurſiones coërceat, & importunam hæreticæ prauitatis luem conficiat.

III. Cum frequentia adiuncta, ſiue epitheta congeruntur, quæ ſimilitudinem continent; vt ſi quis hominem laudet. Quem illum virum fuiſſe putas? grauitate Catonem, eloquentia Demoſthenem, Hannibalem induſtria, fortitudine Cæſarem, Periclem prudentia quamquam hæc vt nimis vulgaris, minus placet.

Ex hoc Diuus Chryſologus gratulatur ijs, qui ex infidelitatis tenebris, & falſorum numinum infami ſeruitute, ad Chriſtianæ fidei lucem, verique Dei cultum emerſerunt, ſerm 57. *In Deum vos hodie meritò confitemini crediiſſe, quando Deos, Deaſque ſexu diſpares, numero confuſos, turba populares, viles genere, fama turpes, impietate maximos, primos ſcelere crimine ſingulares damnaſtis.*

IV. Cum eadem re ſimilitudinis membra deducuntur, quod fit per deſcriptionem: vt diuinum amorem arbori, ſimilem puta, cuius radix integritas, rami virtutes omnes, frondes exempla virtutum, fructus vitæ immortalitas.

Quid aliud ita quàm Lybica quædam fera, quæ rugit

rugitu terret, truculentia exanimat, dente lacerat, vngue diſcerpit, pedibus diuidit: In hac vitanda eſt ſtyli auſteritas, ſi placere cupis.

Compoſita.

Alterum genus compoſitæ ſimilitudinis, multas res ſingillatim multis comparationib. illuſtrat. Quid affert rerum geſtarum gloria? ſimia eſt, fœtus ſuos dùm amplectitur, ſuffocat. Quid te delectat formæ venuſtas & pulchritudo? laqueus eſt, quo ſuſpenſus ex arbore perfidiæ ſuæ pœnas perſoluit Abſalon. Quid trophæis exultas inaniter? Vide Cæſarem tot victoriis clarum in Romana curia vulneribus ſaucium, Generis nobilitate gloriaris? Ammonis filius humano faſtigio celſior, multos dies inhumatus feris volucribuſque præda iacuit, &c.

Quid turpium librorum lectio? Hamus eſt, quo ineſcantur imprudentium mentes; illum ſi contigeris, lædet; ſi cōpreſſeris, necabit. Scintilla eſt cineri doloſo ſuppoſita; ſi ſolum illam aſpexeris, latet: ſi commoueris, vrit. Caphareus eſt, facem præfert ad morum boneſtatem, vt apparet, tutiſſimam, vt eſt, periculoſiſſimam.

Quod eſt terris verò, hoc miſericordiam ſcimus eſſe ieiunio. Sicut verni flatus tota facit germina florere camporum, ita miſericordia tota ieiunij ſemina producit in florem, in cæleſtem meſſem totam ieiunij facit fruticare virtutem. Quod oleum lucernæ eſt, hoc ieiunio pietas: ſicut lucernæ lumen olei pinguedo ſuccendit, & moderato paſtu facit illud ad totius noctis ſolatium perlucere; ſic pietas facit ſplendere ieiunium, & ad totam radiare continentiæ claritatem. Quod diei Sol eſt, hoc eleemoſyna noſcitur eſſe ieiunio: ſicut iubar Solis clariorem perficit diem, & totam nubium diſpergit obſcuritatem: ſic Eleemoſyna ieiunij ſanctificat ſanctitatem, totamq; cupiditatis mortem lumine pietatis excludit. Ac ne multis immorer, quod eſt anima corpori, ieiunio largitas hoc habetur. Sicut enim mortificatur corpus, a corpore anima cùm recedit, Ita mors eſt ieiunij largitatis abſceſſus, ieiuniū vitiorum mors, vita virtutū, vigor animorum, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas ſanctitatis, ſchola meritorum, inuictus Chriſtianæ militiæ principatus Sed in his virtutibus ieiunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat cum duce miſericordia pugnat. D. Chryſologus ſermone 8.

Obſeruandum breues ſimilitudines plurimum habere ornamenti, ſi per totum Orationis corpus fundantur: longiores aptas eſſe ad docendū & probādum; Apologos & Fabulas infrequentes eſſe debere, ſed plurimum recreare animos & audientiam excitare. Denique totam hanc figuram factam eſſe ad delectationem, & perſpicuitatem Orationis, quâ plurimum mouemur ad fidem.

PVNCTVM II.

Deſcriptio.

Continet rerum conſequentium perſpicuam & dilucidam cum grauitate expoſitionem. Cornific. lib. 4. n. 52. fit collectis rei alicuius proprietatibus, adiunctis, conſequentibus, & rerum naturâ variè deſcribenda, ita tamen vt ad maiorem ſchematis dignitatem, in grauioribus dumtaxar habere debeat Orator, Illam partiri placet in plures ſpecies.

Proſopographia.

Eſt veræ vel falſæ perſonæ deſcriptio; expreſſis animi, corporis, & fortunę attributis, talis eſt illa Catil. in Saluſtio. *Catil. nobili genere natus fuit magna vi & animi corporis, ſed ingenio malo prauoque.*

Dixerim potius Ethopœiam quæ vitam, & indolem quibuſdam ſignis ita deſcribit, vt in morum cognitionem ſaltem aliquam deducat. Cic. pro Sextio. Piſonis mores è Gabinij moribus, habitúque deſcribit, ac demonſtrat quâ frontis & ſupercilij ſeueritate probitatē ſimulans, homines in fraudē induxerit, à n. 18. ad 20. *Quorum ſi nōdum ſcelera, vulneraque inuſta Reipubl. vultis recordari vultū atque inceſſum animae intueamini: facilius facta eorum occurrētibus veſtris, ſi ora ipſa oculis propoſueritis. Alter vnguentis affluens calamiſtrata coma, deſpiciens vexatores ætatulæ ſuæ, puteali & fæneratorū gregibus inflatus, atque perculſus, olim ne Scyllæo illo æris alieni in freto ad colūnam adhæreſceret, in Tribunatus portum perfugerat.*

gerat. Contẽnebat Equites Rom. minitabatur Senatui, venditabat ſe operis, atque ijs ſe ereptum, ne de ambitu cauſam diceret, prædicabat, Alter, ô Dij boni, quàm teter incedebat, quàm truculentus, quàm terribilis aſpectu: vnum aliquem te ex barbaris illis, exemplum imperij veteris, imaginem antiquitatis, columen Reip. diceres intueri.

Tùm à corpore ſit ad corporis ornatum delabitur. *Veſtitus aſper, noſtra hac purpura plebeia, ac penè fuſca, capillo ita horrido, vt Capua, in qua ipſe tùm imaginis formandæ cauſa Duumuiratum gerebat, Seplaſiam ſublaturus videretur. Nam quid ego de ſupercilio dicam, quod tum hominibus non ſuperciliũ, ſed pignus Reipubl. videbatur? tanta erat grauitas in oculo, tanta frontis contractio, vt illo ſupercilio Reſp. tanquã Athlante cœlũ niti videretur.*

Eximium ſanè ornamentum, tùm ad conciliandum animos, tùm etiam ad permouendum, ſiue odium velis, aut amorem, alioſque motus grauiores excitare. 2. Agrar. n. 13. *Iam deſignatus alio vultu, alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur, veſtitu obſoletiore, corpore inculto & horrido, capillatior quàm ante, barbaque maiore, vt oculis & aſpectu denuntiare vim Tribunitiam, & minitari Reip. videretur.*

Poſt reditum in Senatu, n. 12. mollem & effœminatum Gabinum depingit. *Primum proceſſit quâ auctoritate vir? vini, ſomni, ſtupri plenus, madenti coma, compoſito capillo, grauibus oculis, fluentibus buccis, preſſa voce, & temulentâ.*

7. in Verr. n. 85. in Vat. n. 4. in Piſo. 25. pro Muræn. n. 49. *Vultus erat ipſius plenus furoris, ſermo arrogantiæ.* In Piſ. 1. Deterrimi hominis deſcriptio de Haruſp. reſp. n. 56. egentes ſedioſi pro Sext. n. 110. Mulieris perditè amantis, & ſceleratæ, pro Cluentio, n. 12. Diuitis ſplendidi, pro Amer. n. 133.

Frequentes ſunt huiuſmodi perſonæ deſcriptiones apud Poëtas. Polyphemi Cyclopis Virgil. 3. Æn.

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen
ademptum,
Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat;
Lanigeræ comitantur oues, & ſola voluptas
Solamenq; de collo fiſtula pendet.

Brutus à Silio deſcribitur, lib 8.

Læta viro grauitas, & mentis amabile pondus,
Et ſine triſtitia vultus, non ille rigoris.
Ingratas laudes, nec nubem frontis amabat,
Nec famam læuo quærebat limite vitæ.

Nonnunquam characteres ſubiiciuntur ad mores Petr. Damian. copioſè ſatis expreſſit adulatorum mores qui ſe totos componunt, finguntque ad eorum geſtus, ac nutus, quibus blandiuntur. 2. epiſt. 3. *Quis ambigat eum cùm datur occaſio fauorabilius Dominum ſuum verbis obtinere, vt eum blanda poſſit adulatione mulcere, vtq; eius animum capiat, quod ſibi magis placeat callidus obſeruator explorat, oculis gliſcit, geſtibus innuit feſtiuitatem ſereni cordis prætendit, pendet ad nutum, vt ſic Herile præceptum, tanquam Sybillenum os, Phœbi præſtoletur oraculum. Ire iubetur? euolat: ſtare præcipitur? ſilicem repreſentat: ſi Dominus feruet, ipſe ſudat; ſi ille æſtum, hic cauma conqueritur: At ſi vel leuiter frigeat, hic neceſſe eſt tremefactus viſceribus obtorpeſcat: ſi ille dormire vult, hic acediatur: ſi ſatur eſt, hic ructare compellitur; ſicq; non ſuus, nihil aliud loquitur, quàm quod illi placere ſuſpicatur.*

Egregia forma iuuenem deſcribit ridente ac ſuaui ſtylo Tibull. lib. 3. eleg. 4.

Hic iuuenis caſtâ redimitus tempora lauro,
Eſt viſus noſtram ponere ſede pedem.
Non illo quidquam formoſius vlla priorum
Ætas, humanum nec videt illud opus.
Intonſi crines longa ceruice fluebant,
Spirabat Syrio myrrhea rore coma.
Candor erat, qualem præfert Latonia Luna;
Et color in niueo corpore purpureus.
Vt cum contexunt amaranthis alba puellæ
Lilia, & Autumno candida mala rubent.
Ima videbatur talis illudere palla.
Nam hæc in nitido corpore veſtis erat.

Fictæ verò rei fit deſcriptio cùm rei ſenſu aut corpore carenti ſenſum, & corpus affingimus, cuiuſmodi ſunt apud Poëtas innumeræ. Virtutem ſic efformat Plut. lib. de fortuna Romana Virtutis quidã placidus eſt, ac ſedatus ingreſſus, vultus conſtans, facies rubore temperato diſtincta, frons ad hilaritatem ſimul & modeſtiam exporrecta, ex conatu ſtudioque virtutem ſtipant, ac præunt, &c.

Seueritatem eiuſdem quadam virtus lætitiæ temperat Silius Ital. lib. 15.

vnquam

Digitized by Google

Alterius diſpar habitus frons hirta, nec vnquam
Compoſita mutata coma ſtans vultus & ore
Inceſſuque viro propior, lætique pudoris
Celſa humeros niueæ fulgebat ſtamine pallæ.

Ita fictum locum, qui nunquam ſit Ouid. verſibus ſuis exprimit 2. Metam.

Protinus inuidia nigro ſqualentia tabo
Tecta petit: domus eſt imis in vallibus antri
Abdita ſole carens, non vlli peruia vento,
Triſtis & ignaui pleniſſima frigoris, & quæ
Igne vacet ſemper, caligine ſemper abundet,

Talis illa Virgil 6 Æn.

Deuenêre locos lætos, & amæna vireta
Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas:
Largior hic campos æther, & lumine veſtit
Purpureo, ſolemque ſuum ſua ſydera norunt.

Topographia.

Veri loci deſcriptio ſatis obuia 4. Verr. Cic. n. 117. *Vrbem Syracuſas maximam eſſe Græcarum vrbium, pulcherrimamque omnium, ſæpe audiſtis: Eſt ita vt dicitur, nam & ſitu eſt communito: tum ex omni aditu, vel terra, vel mari præclaro ad aſpectum: & portus habet propè in ædificatione, adſpectuque vrbis incluſos, qui cùm diuerſos, inter ſe aditus habeant, in exitu coniunguntur, & confluunt. Ea tanta eſt vrbs, vt ex quatuor vrbibus maximis conſtare videatur: quarum vna eſt ea, quam dixi, inſula, quæ duobus portubus cincta, in vtriuſque portus oſtium, aditumque proiecta eſt, in qua domus eſt, quæ Regis Hieronis fuit, qua Prætores vti ſolent, in ea ſunt ædes ſacræ complures, ſed duæ* Ita Smyrnam imperij decus, & ornamentum Aſiæ terræ motibus contritam deſcribit Ariſtides in Oratione de Smyrna.

Solitudinem torridam deſcribit Curt. l. 4. in hæc verba *Sequenti die tolerabilis labor viſus, nondum tam vaſtis ſolitudinibus aditis, iam tamen ſterili ac moriente terra. Sed vt ſe aperuere campi alto obruti ſabulo, haud ſecus quàm profundum æquorum ingreſſi: terram oculis requirebant. Nulla arbor, nullum culti ſoli veſtigium occurrebat, aqua etiam defecerat, quam vtribus cameli deuexerant, & in arido ſolo, ac feruido ſabulo nulla erant. Ad hæc Sol omnia accendebat, ſiccaque & arida erant omnia.*

Ibidem torridam plagam ſubiicit. *Iter expeditis quoque, & paucis vix tolerabile, ingrediendum erat: terra cœloque aquarum penuria eſt: ſteriles arenæ iacent: quas vbi vapor ſolis accendit, feruido ſolo exurente veſtigia, intolerabis æſtus exiſtit. Luctandumque eſt non tantùm cum ardore, & ſiccitate reginois, ſed etiã cum tenaciſſimo ſabulo, quod præaltum, & veſtigio cedens, ægrè moliuntur pedes.*

Politus Vates Sardiniam pulchrè deſcribit verſu de bello Gildonico.

Humanæ ſpeciem plantæ ſe magna figurat
Inſula Sardiniam veteres dixere coloni:
Diues ager frugum, Pænos, Italoſque petenti
Opportuna ſitu: quæ pars vicinior Afris
Plana ſolo, ratibus clemens: quæ reſpicit Arcton
Immitis, ſcopuloſa, procax, ſubituſque ſonora
Fluctibus: inſanos infamat nauita montes.

Sic vrbem copioſam ac celebrem deſcribas. Quis ille locus eſt Deus ſancte? quàm aptus, quàm commodus, quàm Dei iudicio dignus! quid magis munitum ſitu? quid iucundius viſu? quid vſu vtilius? portum vides ad Orientem magnitudine amplum ædificatione in ipſo aditu conſtituta, quam Sequana præterfluat: hinc paruo murmure deſcendit, deinde quàm leniter, aut ſeparantur, aut coniunguntur: dicas illa animalia, vt Philoſophi quidam ſomniarunt, ditiſſimæ vrbis ad aſpectum feritatem exuere. Hùc frumenta, huc merces, ex omnibus regni partibus importantur. Videre eſt temperatam aeris benignitatem, ita frigidam hyemem, vt ſæuire timeat: Ita calidam æſtatem vt perpetuis Fauoniis mitigetur: melius dicam Ver perpetuum, Autumnum vberem: inuideat Roma facilius, quàm eleuet. Non commemoro ſolis ortum excipientes in vniuerſis collibus vites explicatas: in agris benè pinguibus ſegetes diffuſas, quocumque tuleris aſpectum, ſyluas proceras, in iis arbores tanto ordine quincuncem deſcribentes, vt non naturæ cauſa, non hominis induſtria, ſed Dei alicuius manu poſitæ, & directæ videantur: quarum comæ dulciſſimis Zephyrorum flabellis leniter ventilatæ, placidiſſimo murmure auribus adblandiuntur. Huc accedit vis innumerabilis & copia gratiſſima auicularum, quæ vſque & vſque liquidiſſimos cantus tenui gutture fundirantes, intimos audientium ſenſus incredibili voluptate permulcent. Prætermitto prata perennibus meandris

Digitized by Google

variè intertexta, quarum æquula nitidiſſima, ad diuerſi coloris lapillos molliter fracta, alliſaque ſuſurrum efficit dulciſſimum: non moror in floſculorum gratam ſuauitatem exhalantium commemoratione.

Chronographia.

Dicitur temporis deſcriptio, quâ ſubiiciuntur quæ in tempore dicuntur, & accidunt. Virgilius Æneid. 8.

Non erat & terras animalia feſſa per omnes
Alituum pecudumq; genus ſopor altus habebat.
Poſtera Phœbea luſtrabat lampade terras,
Humentemque Aurora polo dimouerat vmbram.

PVNCTVM III.

Hypotypoſis.

DEſcriptionem nominat Cic. eſt autem propoſita quædam forma rerum, ſic expreſſa verbis, vt videri potius, & geri, quàm audiri videatur. Pro Roſc. Amer. ita clarè, copioſéque res exponitur, vt coram ſpectari videatur, num. 98. *Etiamne in tam perſpicuis rebus argumentatio quærenda aut coniectura capienda ſit? nonne vobis hæc quæ audiſtis, cernere oculis videmini? num illum miſerum, ignarum caſus ſui, redeuntem à cœna videtis? non poſitas inſidias? non impetum repentinum? non verſatur ante oculos vobis in cæde Glaucia? non adeſt ipſe Roſc.? non ſuis manibus in curru collocat Antomedontem illum, ſui ſceleris acerbiſſimi, nefariaque victoria nuntium non orat, vt eam noctem peruigilet? vt honoris ſui cauſa laboret? vt Capitoni quamprimùm nuntiet?*

Sic in Ant. 2. cuius comparationes, & luxum temulentiamq; ſubiicit ad horrorem, & odium. n. 104. *Perſonabant omnia vocib. ebriorũ; natabant pauimenta vino; madebãt parietes; ingenui pueri cum meritoriis, ſcorta inter matresfamilias verſabantur.*

Verr. 6: n. 31. *Quo poſtquam venerunt, mirandum in modum, canes venaticos diceres: ita odorabantur omnia, & peruestigabant.*

Pro Mur. n 88. *Quæ verò miſeranda ſunt, ea & mihi ante oculos verſantur, & vos videre, & perſpicere poteſtis.*

Pro Milone c. 88. dùm egreſſum illius ex vrbe deſcribit, vt illi ſtructas inſidias à Clodio fuiſſe concludat.

Luſtrationem Italiæ Antonij cum impudente mima deſcribit Phil. n. 58.

Non minus ſanctimonia vitæ, quàm facundia nobilis Chryſoſt. Crudelis auari ſpeciem ſubiicit oculis. Hom. 19. in Matth. Fingite videre terrum quendam hominem, qui ab oculis ignem emittat; cui ex vtroque humero Dracones pro manibus dependeant; cuius os cauernæ inſtar magnitudine ſit, in quo pro dentibus acuti enſes ſtent; ex lingua venoſus fons ſcaturiat; vẽter omni fornace ſit ardentior, cuncta quæ immittuntur ſubitò conſumens: pedes alati, ventis quoque ipſis velociores: facies canis ac lupi ſimul faciem oſtẽdat, nec hominis vocem emittat, ſed inſuaue quiddam, atque terribile mugiat. Is ad hæc omnia faces ardentes in manibus teneat, in omnes vt mors inſiliat, omnes vt infernus deglutiat. Quæ non tàm ad Orationis pompam, quàm ad veritatem dicta ſunt: quippe propinquis odioſus eſt, famulis grauis, amicis inutilis, exteris difficilis, vix affabilis, viciniis, moleſtus ſui malignus curator, omnibus inuiſus, & hoſtis.

Voluptatis domum, & eius illecebras aperit D. Ambr. vt ab illa quantocyus recedamus, vel vt ad illum nunquam accedamus. l. 1. de Abel. c. 5. *Illa meretricio procax motu, infracto per delicias inceſſu, nutantibus oculis, & ludentibus iaculans palpebris retia quibus pretioſas iuuenum animas capit, quemcumque viderit ſenſu indignum prætereuntem in angulo, in tranſitu domus ſuæ, ſermonibus adoritur gratioſis, faciens iuuenum volare corda, domi inquieta, in plateis vaga, oſculis prodiga, pudore vilis, amictu diues, genas picta, vitiorum ſuccincta comitatu, & quodam nequitiarum choro circumfuſa, dux criminum talibus verborum machinis murum mentis aggreditur humanæ, domum adusque trahit. Nitebat aula regio luxu ſplendida, cælatis parietibus, & natabant pauimenta vino, flagrabat vnguento humus, ſpinis cooperta piſcium, & marcentibus tam floribus lubrica. Illic comeſſantium vultus, concertantium clamores, litigantium cædes, concentus canentium, ſaltantium ſtrepitus, ridentium Cachinnus, laſciuientium plauſus, confuſa omnia, nihil natura ordine. Saltatrices tonſæ & criſpantes pueri coma, epulãtiũ cruditas, edentium*

Digitized by Google

ructus, ebriorum ſuis heſterna crapula, hodierna temulentia.

Pulchra quæ fit per dialogiſmum, comeſſationis fœdam imaginem, quam horreas, proponit idem D.Ambroſ.cap.8.de Elia. *Quæ non propter ventrem pericula? Obſonator antequam luceat, fores pulſat alienas, & tanquam bellum aliquod immineat, excitat dormientes. Turbatum vides, anhelantem aduertis interrogas quæ cauſa perturbationis ſit? poſcit, inquit, Dominus meus vbi vinũ melius veneat, quærit vbi iecur mollius, vbi Phaſianus pinguior, vbi piſces recentior. Curſitat per diuerſa, & cum inueneret curſu properat, inquietat Dominum ſomnolentum, & auctionatur pretia, &c.*

In maximis affectibus dominatur, fitque ferè ſemper ex conglobatis effectibus, aut ex cumulatis rerum adiunctis vel excomparatione maiorum, minorum, parium. Ex effectis illud eſt Cic. 7.Ver.n.105. *Hæc poſteaquam acta, & conſtituta ſunt, procedit iſte repentè è Prætorio inflammatus ſcelere, furore, crudelitate, in forum venit: Nauarchos vocari iubet, qui nihil metuerent, ſuſpicarentur nihil ſtatim accurrunt. Iſte hominibus miſeris innocentibusq́; injici cathenas imperat: implorare illi fidem Pop.Rom. & quare id faceret regare. Tum iſte hoc cauſa dicit, quòd claſſem prædonibus prodiſſent. Fit clamor, & admiratio populi, tantam eſſe in homine impudentiam,*

Quæ tota deſcriptio fit illuſtris ex factis Verris, tum venientis forum, tùm cathenas imperantis: & Nauarchorum tum accurrentium, tum in medio foro clamantium.

In eadem actione.n.141. *Hæc cùm maximè loqueretur, ſex lictores circumſiſtunt valentiſſimi, & ad pulſandos, verberãdosq́; homines exercitatiſſimi, cædunt acerrimè virgis. Deniq́; proximus lictor Sextius conuerſo bacillo, oculos miſero tundere vehementiſſimè cœpit. Itaque illis cum ſanguis os, oculosq́; cõpleſſet, concidit. Cùm illi nihilominus iacenti latera tũderẽtur, vt aliquãdo ſpõdere ſe diceret, &c.*

Ex hoc lumine vates, Regiæ Priami expugnationem illuſtrauit. Æne.2.

At domus interior gemitu, miſeroq́; tumultu
Miſcetur: penitusq́; caua plangoribus ædes
Fœmineis vlulant: ferit aurea ſydera clamor,
Tùm pauidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexuq́; tenent poſtes, atq́; oſcula figunt.
Inſtat vi patria Pyrrhus; nec clauſtra nec ipſi
Cuſtodes ſufferre valent: labat ariete crebro
Ianua, & emoti procumbunt cardine poſtes.
Fit via vi rumpunt aditus, primosq́; trucidant,
Immiſſi Danai, & latè loca milite complent.

Antonium vrget Cic. & ad concitandos Iudicum animos efficacem Hypotypoſim adhibet. 11.Ph. n.7. *Ponite igitur ante oculos miſeram illam quidem, & flebilem ſpeciem, ſed ad incitandos animos veſtros neceſſariam, nocturnum impetum in vrbem Aſiæ clariſſimam, irruptionem armatorum in Trebonij domum, cùm miſer ille priùs latronum gladios videret, quàm quæ res eſſet, audiſſet: furentis introitum Dolabellæ, vocem impuram atque os illud infame, vincula, verbera, equuleum, carnificem, tortoremq́; Samarium, quæ tuliſſe illum fortiter, & patienter ferunt.*

2.In Catil.n.5. *Hos quos video volitare in foro, quos ſtare ad Curiam, quos etiam in Senatum venire. qui nitent vnguentis, qui fulgent purpura.*

3. In eundem n.13. *Ac mihi quidem cum certiſſima ſunt viſa argumenta, atque indicia ſceleris, tabellæ, ſigna, manus.*

Per hanc etiam geſtus perſonarum exhibentur. Sic Erucij effingit Cic.pro Roſ. Amer.n.60. *Perorauit aliquando, aſſedit. Surrexi ego, reſpirare viſus eſt, quod non alius potiùs diceret. Cœpi dicere. Vſque eò animaduerti eũ iocari, atque alias res agere, antequã Chryſogonũ nominaui. Quem ſimul atque attigi ſtatim homo ſe erexit; mirari viſus eſt. Intellexi quid eum pupugiſſes, iterũ ac tertiò nominaui*

Funambulus ita deſcribi poteſt. Eſt profectò ſpectaculum illud admirabile, vbi vel procera, vel iuſta magnitudine vir, per extenſum funem non graditur modò, ſed vibrato ſurſum corpore, pedibuſque micantibus, citharœdo perſonante ſalit ad numerum: vbi adiunctis ad plantas orbiculis, & mucronibus, tabuliſque ſuppoſitis, ingreditur tamen ac citharæ præeunti molliuſcula ſaltatione reſpondet: vbi muſtelarum, aut anguium modò pectore prono, proiectoque proreptat ad rerum. vbi reſilit, vbi ſuſpenditur, vbi ex ſimulata prolapſione ſeſe refert in gradum.

Neque ſolum quæ facta ſint, aut fiant, ſed etiam quæ futura ſint, aut fuerint euentura dicendo

Digitized by Google

exprimimus. Mirè vehementerque tractat iſta Cic.Mil. 33. *An verò vos ſoli ignoratis, vos hoſpites in hac vrbe verſamini,&c.* Et n.80.

Erit verecundior ſi proponamus illam in hunc modum quo Cic.contra Verr. *Hæc quæ non vidiſtis oculis,animis cernere poteſtis.*

Valet cùm immorandum eſt diutius in loco,in quo cauſæ ſumma continetur. Tull.4.Catil.num. 11. *Videor enim mihi hanc vrbem videre, lucem, orbis terrarum,atque arcem omnium gentium ſubito vno incendio concidentem,cerno animo ſepultam patriam,miſeros atque inſepultos aceruos ciuium.Verſatur mihi ante oculos aſpectus Cethegi, & furor in veſtra cæde bacchantis.*

Sic Miniſtellũ oculis ſubiicias aliquem ignarum, ſi poſſit, in errorem inducentem, ac verbis mendacibus circumuenientem. Si quis fortè noſtrum in vnum aliquem ex iſto nouitiorum grege inciderit:ecce tibi continuò religioſus homo ſcilicet vultu ad modeſtiam compoſito , admotâ pectori manu , oculis in cœlum nonnihil ſuſpicientibus,tremulâ & ad palatum ſubindè hærente lingua. Fuit hoc,inquit,Eccleſiæ cum reliqua mortalium rerum turba commune fatum , collapſa dudum, & extincta ortus ſui dignitate : iacebat illa in tenebris, in ſqualore miſerè volutata:cùm ſanctiſſimus ille hominum parens,(fingite vobis hominem ſemifracto ſingultu,molli & inſiſtente aliquantulum ſpiritu,iſta ſubiicientẽ) ſuauiſſimus,inquam hominum parens , deſperatis iam ac depoſitis omninò rebus Caluinum reſurgẽtis Eccleſiæ prophetam excitauit, qui diuino afflatus lumine priſtinum Eccleſiæ decus longo tandem interuallo intermiſſum renouaret. Hæc verecundorum hominum eſt Oratio , hic ſcopus ad quem permulti cæco, & præcipiti impetu voluntatis impegerunt.

PVNCTVM IV.

Proſopopœia.

MAgnum eloquentiæ decus , & lumen augendi grauiſſimum,quodque tanti eſt,vt in [illegible]ndo , quærendo , obiurgando , laudando, miſerando plurimum proficiat. Eſt autem perſonæ effictio,qua rebus mutis,ac ſenſus expertibus ſermonem accommodamus , aut vita functos tanquam præſentes, ſpirantesque inducimus loquentes. Vt Clodiæ impotentis fœminæ præpoſteram libidinem obiurgat Cic.pro Cœl. Quam continentem,& non interruptam ſermonis continuationem dicimus.num.23. *Exiſtat igitur ex ipſa familia aliquis , ac potiſſimum cæcus ille, Minimum enim dolorem capiet, qui iſtam non videbit, qui profectò,ſi extiterit,ſic aget,& ſic loquetur.*

Hic apparatus eſt ad ſpeciem quandam proluſionis , tùm vox , & Oratio Appij Clodij fingitur,

Mulier quid tibi cum Cœlio? quid tibi cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno? cur aut tam familiaris huic fuiſti , vt aurum commodares; aut tàm inimica,vt venenum timeres, non patrem tuum videras? non Patruum , non Atauum audieras Conſules fuiſſe? non deniq; modò te Metelli matrimonium tenuiſſe ſciebas clariſſimi, & fortiſſimi? qui ſimul ac pedem limine extulerat, omnes propè ciues, virtute,gloria,dignitate ſuperabat? cui cum ex ampliſſimo genere in familiam clariſſimam nupſiſſes, cur tibi Cælius tàm coniunctus fuit?cognatus,affinis? viri tui familiaris? nihil horum. Quid igitur fuit, niſi quædam temeritas, ac libido? nonne te ſi imagines noſtræ viriles non commouebant , ne progenies quidem mea Q. illa Claudia æmulam domeſticæ laudis in gloria muliebri eſſe admonebat? non Virgo illa Veſtalis Claudia,quæ patrem complexa triumphantem ab inimico Tribuno pl.de curru detrahi paſſa non eſt? Cur te fraterna vitia potius,quàm bona paterna, & auita,& vſque à nobis,cùm in viris , tùm etiam in fœminis repetita mouerunt.

Deinceps Oratoria occupatione omnes excuſationes anteuertit,quas illa facto ſuo prætexere potuiſſet , tandemque veram libidinem huiuſce familiaritatis cauſam fuiſſe docet.n.34.

Idcòne ego pacem Pyrrhi diremi , vt tu amorum turpiſſimorum quotidie fœdera ferires? ideo aquam adduxi , vt ea tu inceſtè vterere? Ideo viam muniui? vt eam tu alienis viris comitata celebrares?

Hic eſt Appij fictus ſermo, quem apta correctione concludit , & concinnè ad ipſam cauſam delabitur.n.35.

Sed

Digitized by Google

Sed quid ego ita grauem perſonam induxi, vt verear, ne ſi idem Appius repentè conuertat, & Cœlium incipiat accuſare illa ſua grauitate Cenſoria?

Mortuus ab inferis hic excitatur, eique vox tribuitur pro Balbo. n. 44. *Exiſtat ergo ille vir parumper cogitatione veſtra, quoniam re non poteſt, vt conſpiciatis eum mentibus, quem oculis non poteſtis. Dicat ſe non imperitum fœderis, non rudem exemplorum, non ignarum belli fuiſſe, ſe P. Africani diſcipulum, ſe militem, ſe ſtipendiis, ſe legationibus bellicis eruditum, ſe ſi tanta bella legiſſet, quanta geſſit, & confecit. Si tot cōſulibus meruiſſet, quoties ipſe conſul fuiſſet omnia iura belli perdiſcere, ac noſſe potuiſſet ſibi non fuiſſe dubium, quin nullo fœdere à Rep. benè gerenda impediretur: à ſe coniunctiſſima, atque amiciſſima ciuitate fortiſſimum quemque eſſe delectum.*

Illuſtris eſt, & ad obiurgandum potens, patris Verris perditum filium alloquentis 7. Act n. 135. *Ipſe pater ſi iudicaret, per Deos Immort. quid facere poſſes, cùm tibi hæc diceret? Tu in prouincia Populi Rom. Prætor, cùm tibi maritimum bellum eſſet adminiſtrandum, Mamertinis ex fœdere, quam deberent nauem, per triennium remiſiſti, tu in Prouincia tàm ſplendida, apud ſocios fideliſſimos, ciues Ro. honeſtiſſimos, in metu periculoque prouinciæ, dies cōtinuos complures in littore, cōuiuiiſque iacuiſti: te per eos dies nemo domi tuæ conuenire, nemo in foro videre potuit: tu ſociorum atque amicorū ad ea conuiuia matres familias adhibuiſti: tu inter eiuſmodi mulieres prætextatū tuum filium nepotem meum collocaſti, vt ætati maximè lubricæ, atque incertæ exempla nequitiæ parentis vita præberet. Tu prætor in prouincia cum tunica pallioque purpureo viſus es: tu propter amorem libidinemque tuā imperium nauium legato populi Ro ademiſti. Syracuſano tradidiſti: tui milites in prouincia Siciliæ frugibus frumentóque caruerūt: tua luxuria atque auaritia claſſis Populi Ro. à prædonibus capta, & incenſa eſt. Neque hæc tot tantáque dedecora, diſſimulatione tua, neque obliuione hominum, ac taciturnitate tegere voluiſti: ſed etiam nauium Præfectos, ſine vlla cauſa de complexu parentum luctu, atque lacrimis, te mei nominis commemoratio mitigauit: tibi hominum innocentium ſanguis non modo voluptati, ſed etiam quæſtui fuit. Hæc ſi tibi tuus parens diceret, poſſes ab eo veniam petere? poſſes, vt tibi ignoſceret poſtulare?*

Sen. Ph. Conſol. ad Marciam c. 26. hanc habet. *Puta itaque ex illa arce cœleſti patrem tuum, nō illo ingenio, quo bella ciuilia defleuit, quo proſcribentes in æternum ipſe proſcripſit, ſed tanto clariore, quāto eſt ipſe ſublimior dicere. Cur te filia tàm longa tenet ægritudo? cur in tanta veri ignorantia verſaris, vt iniquè actū iudices cum filio tuo, quod integris vitæ, ipſe ad maiores ſe recepit ſuos? Neſcis quantis fortuna procellis diſturbet omnia? quam nulli benignam facilè ſe præſtiterit, niſi qui minimum cum illa contraxerant? Regéſne tibi nominē feliciſſimos futuros ſi maturius illos mors inſtantibus ſubtraxiſſet malis? An Romanos Duces, quorum nihil magnitudini deerit, ſi aliquid ætati detraxeris. Cur in domo noſtra diutiſſimè lugetur, qui feliciſſimè moritur? Nihil apud vos, vt putatis, optabile, nil excelſum, nil ſplendidum; ſed humilia cuncta, & grauia, & anxia, & quotam partem luminis noſtri cernentia.*

Abſentis ſæpius eſt ſermo. Tindaritanorum eſt ille potens & efficax ad commiſerationis motus 7. Verr. num. 123. *En quo libenter prædicent.*

Pro Milone 78. *Quamobrem ſi cruentum gladium tenens clamaret. Adeſte.*

3 In Rul n. 14. *Habet agros nonullos, inquit, ſocer meus deſertos, vendet eos mea lege.*

Pro Planc. populus Laterenſem alloquitur n. 12. *Qui ſi tecum congrediatur, & ſi vna voce loqui poſſit, hæc dicat. Ego tibi Laterenſis Plancium non antepoſui.*

Vulgi loquentis, & benè de Rep. ſperantis propter futurum Piſonis conſulatum, magnum firmumque Reip. ex Clodii furore, & calamitate laboranti ſubſidium futurum. Pro Sextio 20.

Plurimum dignitatis habet, cûm Remp. ipſam loquentem facit. Cic. 1. Cat. patriam conquerentem fingit. n. 18. *Quæ tecum Catilina ſic agit, & quodammodo tacita loquitur. Nullum iam tot annos facinus, niſi per te: nullum flagitium ſine te: tibi vni multorum ciuium neces, tibi vexatio, direptióque ſociorum impunita fuit, ac libera Tu non ſolùm ad negligendas leges, & quæſtiones, verum etiam ad euertendas, perfringendaſque valuiſti, &c.*

Eandem repetit, & ſecum ipſe miro artificio colloquentem inducit n. 27. *Etenim ſi mecum patria, quæ mihi vitâ mea multò eſt charior, ſi cuncta, Italia, ſi omnis Reſp. loquatur. M. Tulli quid agis? tune eum quem eſſe hoſtem comperiſti, quem Ducem belli futurum vides; quem expectari Imperatorem in ca-*

Digitized by Google

ſtris hoſtium ſentis, auctorem ſceleris, Principem coniurationis, euocatorem ſeruorum, & ciuium perditorum, exire patieris, vt abs te non emiſſus ex vrbe, ſed immiſſus in vrbem eſſe videatur?

Non minus elegans eſt illa Siciliæ Diuit. in Verr.n.19. *Sicilia tota ſi vna voce loqueretur, hæc diceret. Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis vrbibus, ſedibus, delubris, quod in vnaquaq; re, beneficio Senatus Populique, Ro. iuris habui id mihi tu Verres eripuiſti, atque abſtuliſti.*

Lucanus ha c.Proſop. habet patriæ Cæſarem à bellis ciuilibus dehortantis l.1 quæ Idolopœja potius, dici debet.

Ingens viſa mihi patria trepidantis imago.
Clara per obſcuram vultu mæſtiſſima noctem
Turrigero canos effundens vertice crines:
Cæſarie lacera, nudiſq; adſtare lacertis,
Et gemitu permiſta loqui. Quò tenditis vltra?
Quo fertis mea ſigna viri? Si iure venitis,
Si ciues huc vſq; licet.

Cùm igitur ijs, quæ corporis expertia ſunt, corpus tribuimus, tunc appellatur Idolopœja. Sic Tull. in Anton. *Quod ſi nunc ille Brutus reuiuiſcat, & hîc ante pedes veſtros adſit, non hac vteretur Oratione? Ego Reges eieci, vos tyrannos introducitis ego libertatem, quæ non erat, peperi; vos partam ſeruare non vultis: ego capitis mei periculo patriam liberaui, vos liberi ſine periculo eſſe non curatis.*

Interdum hæc conformatio cogitationes alienas, tanquam voces tacitas repreſentat, ac ſubijcit, quale eſt illud Verris Act.7.nu.103. *Occurrebat illa ratio. Quid Cleomeni fiet? poteróne animaduertere in eos, quos dicto audientes eſſe iuſſi? miſſum facere eum, cui imperium, poteſtatemq; permiſi? Poteróne eos afficere ſupplicio, qui Cleomenem ſequuti ſunt? ignoſcere Cleomeni, qui ſecum fugere, & ſe conſequi iuſſit? Poteróne in eos eſſe vehemens qui naues non modò inanes habuerunt, ſed etiam apertas? & in eum diſſolutus, qui ſolus habuerit conſtratam nauem, & minus exinanitam; pereat Cleomenes vnà.*

Licet autem in res mutas, & animâ carentes transferatur, valet plurimum in amplificationis partibus, & commiſeratione. Ingenioſè ficta eſt illa pro Balbo, per dilemma n.13. *Vtrum enim inſcientem vultis contra fœdera feciſſe, an ſcientem? ſi ſcientem. O nomen noſtri imperij! ô Populi Ro. excellens dignitas; ô Cn. Pompeij ſic latè longéque diffuſa laus, vt eius gloriæ domicilium communis imperij finibus terminetur! ô nationes, vrbes, populi, Reges, Tetrarchæ teſtes Cn. Pompeij, non ſolum virtutis in bello, ſed etiam religionis in pace: vos denique mutæ regiones imploro, & ſola terrarũ vltimarum: vos Maria, Portus, Inſulæ litoráque. Quæ eſt enim ora, quæ ſedes, qui locus, in quo non extent huius cùm fortitudinis, tùm verò humanitatis, tùm animi, tùm conſilij impreſſa veſtigia? hunc quiſquam incredibili quadam, atque inaudita grauitate, virtute, conſtantiâ præditum, fœdera ſcientem neglexiſſe violaſſe, rupiſſe dicere audebit?*

Ad ipſas religiones tanquam ſenſu vitali quodam animatas ſermonem conuertit Tull. vt inſinuet eas ſenſum habuiſſe, cùm Clodius necatus eſt, quas omni ſacrilegio violarat. Pro Mil.n. 86. *Non eſt humano conſilio, ne mediocri quidem Deorum Immort. cura res illa perfecta: religiones mehercule ipſæ, cùm illam belluam cadere viderunt, commouiſſe ſe videntur, & ius in illo ſuum retinuiſſe. Vos enim Albani tumuli atque luci imploro.*

PVNCTVM V
Dialogiſmus.

ALterum genus plenæ, & expreſſæ Proſopopœjæ, Dialogiſmus eſt ficta perſonarum colloquutio. Frequenter quidem incidit in Prolepſim, ſub hoc tamen fictionis genere, de quo nunc agitur, potius complexendi debet, quòd Dialogiſmus aliquando ſine quæſtionis occupatione fieri poſſit. Elegantem habet Tull.7. Verr. num.109. *Cathenas habebat hoſpes tuus Ariſteus, Dexionis filius. Quid ita prodiderat claſſem: quod ob præmium? deſeruerat exercitum? Quid Cleomenes ignauus fuerat. At enim tu ob virtutem corona aurea donaras. Dimiſerat nautas. At ab omnibus tu mercedem juſſionis acceperas. Alter parens ex altera parte erat Herbitenſis Eubulida. Homo domi ſuæ clarus, & nobilis: qui quia Cleomenem in defendendo filio læſerat, nudus penè eſt deſtitutus. Quid erat autem quod quiſquam diceret, aut defenderet? Cleomenem nominare non licet. At cauſa cogit. Moriere, ſi appellaris: nunquam enim iſte eſt cuiquam mediocriter minatus. At remiges non erant. Prætorem tu accuſas? frange ceruicem.*

Non

Digitized by Google

Non minus eſt illuſtre illud pro Quinctio.n. 71. *De re pecuniaria cupio contendere non licet. At ea controuerſi eſt. Nihil ad me attinet: cauſam capitis dicas, oportet Accuſa vbi ita neceſſe eſt, Nō inquit, niſi tu ante nouo modo, priore loco dixeris. Dicendum neceſſaria eſt præſtituenda hora ad arbitrium noſtrum: iudex ipſe arceſſetur. Quid tum? tu aliquem patronum inuenies, hominem antiqui officij, qui ſplendorem noſtrum & gratiam negligat.*

Sermocinatio.

Nonnullis Sermocinatio vocatur, cùm verùm ſermonem recitat Orator, ne id vnius tantùm, ſed etiam qui ſe inter & alterum, vel qui inter alios duos quaſi ſequeſter fuit. Sic Roſcij ſermonem & ſuum refert pro Quinct.77. *Differebam mehercule C. Aquili, ſatis animo certo, & confirmato me poſſe in hac cauſa conſiſtere: ſic cogitabam, cùm contradicturus eſſet Hortenſius, & cùm eſſet attentè auditurus Philippus, fore vti permultis in rebus timore prolaberer.*

Feſtiua item eſt illa colloquutio pro Plancio. n.65. *At ego cùm caſu diebus illis itineris faciendi cauſa, decedēs è Prouincia, Puteolos fortè veniſſem, cùm plurimi & lautiſſimi eſſe ſolent in ijs locis, concidi penè Iudices, cùm ex me quidem quæſiſſet, quo die Roma exiſſem, & num quid in ea eſſet noui? cui cùm reſpondiſſem, me è Prouincia decedere: etiam mehercule, inquit, vt opinor ex Africa. Huic ego iam ſtomachans faſtidioſè, imò ex Sicilia, inquā. Tùm quidam quaſi qui omnia ſciret, qui tu neſcis, inquit, hunc Syracuſis Quæſtorem fuiſſe: quid multa? deſtiti ſtomachari & me vnum ex ijs feci, qui ad aquas veniſſent?*

Colloquutio.

Interdum duos inducit colloquentes verbis iſtis pro Quin.n. 18. *Quinctius iſtum porro poſſe facere videbat: debere intelligebat: mentiri, quia cauſa cur mentiretur non erat, non putabat. Quaſi nummos domi haberet, ita conſtituit, ſcapulas ſedaturum. Nauium certiorem facit: rogat, vt curet, quod dixiſſet. Tùm iſte vir optimus (vereor ne ſe derideri putet, quod iterum tam, optimus, dico.) Qui hunc in ſummas anguſtias adductum putaret, vt eum ſuis conditionibus, in ipſo articulo temporis aſtringeret, aſſem ſeſe negat daturum, niſi prius de rebus rationibuſq́; ſocietatis omnibus decidiſſet, & ſciſſet cum Quinctio controuerſia nihil futurum.*

Obſeruandum eſt hîc, quod quemadmodum ornamentum eſt eloquentiæ maximum, cùm in dicēdo conſentanea perſonis vox, & Oratio tribuitur: ita ſummum eſt vitium, cùm à moribus fictæ perſonæ diſcrepat Oratio: Nam ſi quis probam Orationem affingat improbo, ſtultóue ſapientis, ridiculus habetur hoc ipſo, quòd quid quæque perſona poſtulet, minimè viderit.

Mouet.

Valent perſonarum ſermocinationes ad graues animorum motus ciendos, quales ſunt apud D. Ambroſ. de Machabæis, & B. Agnete, cuius affectum exprimit, & amorem in ſponſum. *Fuitne in illo corpuſculo vulneri locus? & quæ non habuit, quò ferrum reciperet, habuit vndè vinceret. Mori adhùc neſcia, ſed parata, vel ſi ad aras inuita raperetur tendere Chriſto inter ignes manus, atque in ipſis ſacrilegis focis, trophæum Domini ſignare victoris: nunc ferratis colla manuſq́; ambas inſerere nexibus: ſed nullus tàm tenuia membra poterat nexus includere. Nouum martyrij genus! nondum idonea pœna, & iam matura victoria: certare difficilis, facilis coronari, magiſterium virtutis impleuit, quæ præiudicium ferebat ætatis. Non ſic ad thalamum nupta properaret, vt ad ſupplicii locum læta ſucceſſit, gradu feſtina Virgo proceſſit, non intorto crine caput compta, ſed Chriſto, non floſculis redimita, ſed moribus, flere omnès, ipſa ſine fletu.*

Iam virgini tenetæ ſermonem tribuit.

Sponſi iniuria eſt exſpectare placiturā. Qui me ſibi prior elegit, accipiet: quid percuſſor moraris? pereat corpus, quod amari poteſt oculis, quibus nolo: ſtetit, orauit, ceruicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quaſi ipſe addictus fuiſſet, tremere percuſſoris dextram, pallere ora, alieno timentis periculo, cùm puella non timeret ſuo.

Delectat.

In narratione potiſſimum ſuauitatem habet, & dignitatem, nec in ea tantum ponitur, ſed frequentiſſima cæteris Orationis partibus commiſce

miſcetur. Carnif lib. 4. n. 66. *Cùm militibus vrbs redundaret, & omnes timore oppreſſi domi continerentur, venit iſte cum ſago, gladio, ſuccinctus, tenens jaculum, irrumpit in ædes; deinde magna voce. Vbi eſt iſte beatus, inquit, ædium Dominus? quin mihi præſto ſit? &c,*

PVNCTVM VI.

Apoſtrophe.

Figura grauis, & vehemens, ſi prudenter adhibeatur. Eſt autem Conuerſio Orationis ad aliquem aut Deum, aut hominem, aut verò etiam res inanimas, quas vti perſonas quaſdam compellamus. Primò igitur conuertit Orationem ad Deum; ita Cic. pro domo ſua. n. 104. *O Dij Immort. vos enim hæc audire cupio, Pub. Clodius veſtra ſacra curat? veſtrum Numen horret? res omnes humanas religione veſtra contineri putat? hic non illudit auctoritati horum omnium, qui adſunt, ſummorum virorum, non veſtra, Pontifices, grauitate abutitur? ex iſto ore religionis verbum excidere, aut elabi poteſt?*

Ab hominibus ad Deum fit auerſio, vt à Catilina ad Iouem 1. Cat. n. 33. *Hiſce omnibus Catilina cum ſumma Reip. ſalute, & cum tua peſte, ac pernicie, cumq; eorum exitio qui ſe tecum omni ſcelere, parricidioque junxerunt, proficere ad impium bellum, ac nefarium.* Inuocatio ſequitur ad Iouem cum Apoſtrophe.

Tùm tu Iupiter qui iiſdem, quibus hæc vrbs auſpicijs à Romulo es conſtitutus quem Statorem huius vrbis, atque imperij verè nominamus: hunc & huius ſocios à tuis aris, cæteriſq; templis, à tectis vrbis ac mœnibus, à vita fortuniſq; ciuium omnium arcebis; & omnes inimicos bonorum, hoſtes patriæ, latrones Italiæ ſcelerum inter ſeſe, ac nefaria ſocietate conjunctos, æternis ſupplicijs viuos mortuoſq; mactabis Pro Cœlio n. 59. *Prô Dij Immortales!*

Deinde ad homines, cuiuſmodi frequentiſſima ſunt. 6. Verr. n. 15. 81. *Repeto abs te Verres, monumentum P. Africani: cauſam Siculorum; quàm ſuſcepi relinquo: judicium de repetundis ecunijs, ne ſit hoc tempore. Segeſtanorum iniuria negligantur: baſis P. Africani reſtituatur: nomen inuictiſſimi imperatoris incidatur: hæc abs te non Siculorum defenſor, non tuus accuſator, non Segeſtani poſtulant: ſed is qui laudem, gloriamq; Africani tuendam, conſeruandamq; ſuſcepit.* Tuſc. 2. n. 29. *Quid me decipis Zeno?*

Apud Virgil. Narrat Anchiſes Æneæ, quæ nepotum futura ſit poſteritas 6. Æn.

Eruet ille Argos, Agamemnoniaſq; Micenas
Ipſumq; Æacidem, genus armipotentis Achillis
Vltus auos Troiæ, templa, & temerata Mineruæ.

In qua narratione ſermonem conuertit ad Principes quoſdam Rom. rebus præclarè geſtis claros, ac virtutibus nobiles.

Quis te magne Cato tacitum, aut te Coſſe relinquat?
Quis Gracchi genus? aut geminos, duo fulmina belli
Scipiadas, cladem Libyæ? paruoq; potentem
Fabricium? vel te ſulco Serrane ſerentem?
Quo feſſum rapitis Fabij? tu Maximus ille es
Vnus, qui nobis cunctando reſtituis rem.

Tùm ad res ſenſu carentes, ſic ad ipſas religiones tanquam ſenſu vitali animatas Orat. conuertit, quaſi ſenſum habuiſſent, cùm Clod. occiſus eſt Cic. pro Mil. n 86. *Religiones ipſæ, aræq; cùm illam belluam cadere viderunt, commouiſſe ſe videntur.*

Vſus.

Hæc figura argumentũ eſt, quo motus eiuſmodi intorqueri poſſunt; ſiue minari, ſiue dolore, ſiue vrgere aduerſarium, ridere, hortari, monere velit Orator, nihil facilius, quàm ingentem cumulum horum congerere.

Vrget.

Grauis eſt ad vrgendum aduerſarium: talis illa petita ex Ligario. n. 9. *Quid enim Tubero, tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?*

Et illa 3. Verr. n. 77. *Nemo jam Dolabellæ neque tui, neque tuorum liberorum, quos tu miſeros in egeſtate, atque in ſolitudine reliquiſti, miſereri poteſt. Verréſne tibi tanti fuit, vt eius libidinem, hominum innocentium ſanguine lui velles? Idcirône exercitũ atque hoſtem relinquebas, vt tua vi, & crudelitate, iſtius hominis improbiſſimi pericula ſubleuares?*

Iacre

Increpat.

vehemens ad increpandum 1. Cat. num. 1. *Quouſque tandem abutére Cat. patientia noſtra, quamdiu nos etiam furor iſte tuus eludet Diuinat.* in Verr. num. 12.

Increpat & indignatur in Piſon qui cùm eſſet indolis planè ſeruilis, & abjectæ, nullumque vel domi, vel foris prudentiæ, ac fortitudinis ſpecimen præbuiſſet tamen virtutis fucata ſpecie, ſeueritatis ſimulatione errore hominum, & commendatione fumoſarum imaginum, ad honores, & magiſtratus adrepſerat. Sic autem hominem increpat? num, 1. *Iamne vides bellua, jámne ſentis, quæ ſit hominum querela frontis tuæ? nemo queritur Syrum neſcio quem de grege nouitiorum, factum eſſe conſulem. Non enim nos color iſte ſeruilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt: oculi, ſupercilia, frons vultus denique totus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, hic in errorem homines impulit: hic eos quibus erat ignotus, decepit, ſe fellit, in errorem induxit Pauci iſta tua lutulenta vitia noueramus: pauci tarditatem ingenij, ſtuporem, debilitatemque linguæ, nunquam erat audita vox in foro, numquam periculum factum conſilii, nullum non modò illuſtre, ſed ne notum quidem factum, aut militiæ, aut domi: obrepſiſti ad honores commendatione fumoſarum imaginum, quarum ſimile habes nihil præter colorem.*

Commendat.

Illuſtris eſt ad commendationem, in funebri laudatione legis Martiæ Cic. Phil. 14. num. 32. *O fortunata mors, quæ naturæ debita pro patria eſt potiſſimum reddita! Vos vero patriæ natos judicio: quorum etiam nomen à Marte eſt, vt idem Deus vrbem hanc gentibus, vos huic vrbi genuiſſe videatur. In fuga fœda mors eſt: in victoria glorioſa. Illi igitur impij, quos occidiſtis, etiam ad inferos pœnas parricidij luent: vos verò qui extremum ſpiritum in victoria effudiſtis piorum eſtis ſedem & locum conſequuti.*

Sic compellat Ciceronem bonus Orator eique optimum Latini ſtyli genus gratulatur. Ita eſt Marce Tulli, tu Romanam eloquentiam, nullam adhuc & impolitam pulcherrimo, & elegantiſſimo ornatu decoraſti: tu repentem illam, ac penè jacentem ad ſummum dignitatis gradum extuliſti: latentem & obſcuram in aperta gentium omnium luce collocaſti. Te perorante Græcia ingemuit, exultauit Italia, Roma ſuis prodè ſedibus emota triumphauit. Multi quidem armis, & ſanguine; tu vnus voce, & eloquentiâ, vnus patriæ ſalutem peperiſti: te denique ſuada illa facundiæ præſes, quem naſcentem exceperat infantem lactauerat, aluerat puerum, adoleſcentem eduxerat poſtremò virum, ac tantum virum confirmarat, te inquam, illa perfectam numeris, & abſolutam omnibus imaginem eſſe voluit: in qua aliquid eſſet in diuina facultate præclarum, non vt monogrāmum quidpiam adumbratum leuiter, ſed animatis, eminentibuſque coloribus tanquam in viua, ac aſpitanti tabula cerneretur.

Cohortatur.

Plena auctoritatis eſt ad cohortandum. Pro Sext. Vbi hortantur adoleſcentes ab ipſa rei dignitate, vt illam, quam à viris clariſſimis Reip. benè gerendæ viam, & rationem ſunt à majoribus edocti, ſequantur, quod tàm eleganter perficit, totque luminibus Orationem ſuam conſpergit, vt illa notari facilius poſſit, quàm explicari, num. 101. *Propugnatores autem Reip, qui eſſe voluerint, ſi leuiores ſunt, deſciſcunt: ſi timidiores deſunt: permanent illi ſoli atque omnia Reip. cauſa perferunt, qui ſunt tales, qualis pater tuus M. Scaure fuit, qui à Gracco vſque ad Caium Marium ſeditioſis omnibus reſtitit, quem nulla vnquam vis, nulla mina, nulla inuidia labefecit. Hæc imitamini per Deos Immort. qui dignitatem, qui laudem, qui groriam quæritis: hæc ampla ſunt, hæc diuina, hæc immortalia, hæc fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, poſteritati propagantur.*

Commiſeratur

Efficax eſt ad commiſerationem. Pro domo ſua Cic. num 113. *O Quinte Catule, patrémne appellem, an filium? recentior memoria filij eſt, & cum rebus meis geſtis conjunctior, tantúmne te feſellit, cùm mihi ſumma, & quotidie maiora præmia in Rep. fore putabas? negabas fas eſſe duos Conſules in hac ciui-*

tate inimicos Reip. duo ſunt inuenti, qui ſenatum Tribuno furenti conſtrictum traderent. qui pro Me Patres Conſcriptos deprecari, & populo ſupplices eſſe edictis atque imperio vetarent. Quibus inſpectantibus domus mea diſturbaretur, diriperetur; qui denique ambuſtas fortunarum mearum reliquias ſuas in domos comportari iuberent. Venio nunc ad patrem, &c.

Hanc locum imitari poterit qui volet, in commendationem linguæ Græcæ, aduerſus ejuſdem contemptores. O defenſores Eccleſiæ fortiſſimi! ô firmiſſima Chriſtianæ fidei columna! vos appello vos obteſtor, cum præſtantiſſima diuinorum ingeniorum monumenta poſteritati traderetis, cum in procuranda caſtiſſimæ religionis amplificatione, non valetudini, non vitæ, non ſaluti parceretis, cum ad iugulandas importuniſſimas hæreſum belluas, illos eruditionis, ac ſapientiæ mucrones acueretis: hoc, ſi quis totius Eccleſiæ cauſâ laborantibus vobis, diceret, fore tempus, quo tempore; homines ex omnium ſcelerum inmanitate conflati, qui nefarium integerrimæ parenti bellum indicerent, qui iura omnia cum diuina, tum humana conuellerent, cum paginas, illas elucubratas vigiliis, tanto elaboratas ſtudio, tanta perfectas ſapientiâ, tanquam iacentem: & addictam furori ſuo prædam immolarent, eoſque velut opima quædam ſpolia, dormientibus iis, qui Catholici dicebantur, repugnante nemine, nemine reclamante diſtraherent, diſtractos in latrones, & ſicarios diuiderent, & ita diuiderent, nemo vt earum in ſeſe partem, ac ſocietatem offerret; imò verò, ſi ad eas nefariorum prædonum manibus recuperandas, id Græcæ linguæ ſtudio cogitaret; ſi Græcam voculam imprudens effunderet, is continuò hæreſim, hoc eſt perfidiam, ſcelus, impietatem ſpirare, anhelare putaretur, nonne reſponderetur nunquam id, niſi euerſa penitus, atque ſublata Religione Chriſtiana euenire poſſe.

Monet.

Valet ad commotionem, 6 Verr. num. 79. *Te nunc P. Scipio, te inquam lectiſſimum ornatiſſimumque adoleſcentem, appello: abs te officium tuum, debitum generi, & nomini requiro, & flagito. Cur pro iſto qui laudem honoremque familiæ veſtræ depeculatus eſt, pugnas, cur defenſum eſſe vis? cur ego tuas partes ſuſcipio, cur tuum munus ſuſtineo?*

Vituperat.

Ad vituperationem ſæpius hac vtitur Cic. 13. phil. num. 22. Pluribus Antonium gladiatorum ducem ferum & immanem vituperat. *O ſporta-ce, quem enim te potius appellem? cuius propter nefanda ſcelera tolerabilis fuiſſe videtur Catilina. Laudandum eſſe auſus es ſcribere Trebonium dediſſe pœnas? ſceleratum Trebonium? quo ſcelere, niſi quod te, Idibus Martiis, à debita tibi peſte ſeduxit?*

Obſeruatio.

In reprehenſionibus obſeruandum eſt ſapientis eſſe Oratoris, cum ad Iudices, & auditores habet dicendum aliquid, quod graue auditu ſit, conuertere Orationem ad alium quempiam, quem ita alloquatur, vt ipſi in aliena perſona quid pecent, quid faciendnm, aut ſentiendum ſit intelligat. In hunc modum Orator à Iudicibus detorquet Orationem ad Chryſogonum pro Roſc. num. 144. *Si hac indigna ſuſpicione careat, animo æquo ſe carere ſuis omnibus commodis dicit. Rogat, oratque te Chryſogone, ſi nihil de patris fortunis ampliſſimis in ſuam rem conuertit: ſi nulla in re te fraudauit: ſi tibi optima fide ſua omnia conceſſit, adnumerauit, appendit: ſi veſtitum, quo ipſe tectus erat, annulumque dedit, os ſuum tibi tradidit: ſi ex omnibus rebus ſeipſum nudum, neque præterea quidquam excepit: vt ſibi per te liceat innocenti amicorum opibus vitam in egeſtate degere.*

Ad varios motus adhiberi ſolitam hanc amplificandi rationem patet ex Cicerone; dùm multis in locis, etiam deſertis ac mutis rebus ſenſum tribuit. Quid enim beatius ad miſerationem illâ Verr 7. num. 170. *Si hac non ad ciues Rom. non ad aliquos amicos noſtræ ciuitatis, non ad eos, qui pop. nomen audiſſent: denique ſi non ad homines, verùm ad beſtias, aut etiam vt longius progrediar, ſi in aliqua deſertiſſima ſolitudine ad ſaxa, & ſcopulos hac conqueri, & deplorare vellem: tamen omnia muta, atque inanima tanta; & tàm indigna rerum atrocitate commouerentur.*

Quid

Digitized by Google

Quid ſuauius ad delectationem illâ pro Archia, n. 19. *Sit igitur ſanctũ apud vos humaniſſimos homines, hoc Poëtæ nomen, quod nulla vnquam barbaria violauit. Saxa & ſolitudines voce reſpondent. beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur, atque conſiſtunt nos inſtituti rebus optimis non Poëtarum voce moueamur.*

Quid grauius ad mixtam indignationi admirationem illa Balbi, n. 13. *Vos denique mutæ regiones imploro, vos ſola terrarum vltimarum: vos maria portus, inſulæ, littoraque.*

Ad virtutis admirationem loca deſerta Brutum & Caſſium affari, atque appetere dicuntur, apud Cic. Phil. 2. n. 33. *Quæ res vnquam, proh ſancte Iupiter omnibus in terris eſt geſta maior? quid beatius illis, quos tu expulſos à te prædicas, & relegatos? qui locus eſt tàm deſertus, aut tàm inhumanus qui illos, quò acceſſerint, nõ affari, atque appetere videatur? qui homines tàm agreſtes, qui ſe cùm eos aſpexerint, non maximum cepiſſe vitæ fructum putent quæ verò tàm immemor poſteritas, quæ tàm ingrata litteræ reperiuntur, quæ eorum gloriam non immortalitatis memoria proſequantur?*

Licet autem apud Oratores frequens eſſe non debeat ad res inanimas ſermo, valet tamen plurimum, tùm in Orationibus panegyricis, tùm quando appellantur loca, in quibus geſtum eſt aliquid inſigne, tùm etiam in aliis quibuſlibet motibus concitandis, in quo excellunt ſanè ſacræ paginæ. Quid enim terrorem vehementius illa Ezechielis 21. *O mucro mucro, euaginate ad occidendum, lima te vt interficias, & fulgeas.*

Quid acrius ad ſtuporem plenum indignationis quàm iſtud Hierem. 2. *Obſtupeſcite Cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer; deo enim mala fecit populus meus.*

Quàm porrò ſuauis illa vox Iſaiæ 45. *Rorate Cæli deſuper, & nubes pluant juſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.*

Notandum inſuper Apoſtrophem ad res inanimas frequentem eſſe apud Poëtas, maximè cùm gaudium exprimunt, & dolorem. Claud. de nuptiis Honorij,

Age cuncta nuptiali
Redimita vere tellus.
Celebra toros heriles.
Omne nemus cum fluuiis,
Omne canat profundum,
Ligures fauete campi,
Veneti fauete montes,
Subitiſq; ſe roſetis
Veſtiat Alpinus apex
Et rubeant pruinæ, &c.

Sic ad commiſerationem inſignis eſt Apoſtrophe recentis Poëtæ in aue paradiſiaca.

Æole ſi quis ineſt ventis fauor, Æoleſique
Ius habet in Superos pietas, ô parce quietos
Sollicitare thoros? Notus hac vt pignora perdat
Crudelis? thalamo iungat ferale ſepulchrum
Atque animum teſta triplicem peſſundet in vna
Crudelis? prolem per amica ſilentia fingit
Alcyone, & media vitam de morte reportat,
Et meruere Apodes, Apodes meruere necari?
Sed ventis loquor, vnde ſciant miſereſcere venti
Ite feri, effractis ruite, exundate cavernis
Vnâ omnes, quatite hirriſonis ſtridoribus alas,
Vos mea ridet Apus, veſtri ſecura furoris
Vincula nectit amor.

Denique obſeruãdum tantam habere vim, quantam accipit ab aliis dicendi luminibus; ea verò nihil eſſe ineptius, ſi vel immodicè vſurpetur vel ſine delectu verborum, vel ſine grauitate ſententiarum, quarum non ſecus, ac motuum capaciſſima eſt.

PUNCTUM VII.

Hyperbole.

EST augendi minuendiue causâ, veritatis ſuperlatio, atque trajectio. Quibus verbis duas aſſignat huius figuræ ſpecies Orator. 3. lib. n. 201. vnam ad augendum quæſitam, alteram ad diminuendum excogitam: augendo ſiquidem res ipſa plerumque naturalem modum excedit: non quidem vt fallat, ſed vt omninò incredibile doceat penè incredibile. Interim videndum, ne ea modum omnem excedat, quod eſſet aſſentatoris, non Oratoris. Sic Pyratam deſcribit Verrem, & eius latrocinia per elegantem allegoriam auget. 7. Act. num. 144 *Verſabatur in Sicilia longo vallo alter non Dionyſius ille, nec Phalaris, ſed quoddam nouum monſtrum, ex vetere illa immanitate, quæ in iiſdem locis verſata eſſe dicitur. Non enim Charybdim tàm infeſtam,*

neque Scyllam nautis, quàm iſtum in eodem freto fuiſſe arbitror. Hoc etiam iſte infeſtior, quod multò ſe pluribus, & maioribus canibus ſuccincerat. Cyclops alter multò importunior

Auget.

Amplificandi ratio grauis, & efficax, cum non contentus orator, quaſi pro rei magnitudine parum dixiſſet ſeipſum retexit, & verbum corrigit, vt aliâ Hyperbole maiore, Orationem ſuam attolat. Tullius in Anton. Philipp. 2. quibus oſtendit quâ nequitiâ helluatus fuerit, & paucis diebus obligurierit bona Pompeij, num. 67. *Quæ Charybdis tàm vorax? Charybdim dico? quæ ſi fuit, fuit animal vnum: Occeanus medius fidius, vix videtur tot res, tàm diſſipatas, tàm diſtantibus in locis poſitas, tàm citò abſorbere potuiſſe. Nihil erat clauſum, nihil obſignatum, nihil ſcriptum apotheca, tota nequiſſimis hominibus condonabantur; alij mimi rapiebant; alia mimæ: domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum; totos dies potabantur, atque id locis pluribus, ſuggerebantur etiam ſæpè damna aleatoria, conchyliatis Pompeij periſtromatis, ſeruorum in cellis, lectos ſtratos videres.*

Talis eſt elatio Maronis. 12 lib. in Turni & Æneæ conflictu,

—— Murali concita nunquam
Tormento ſic ſaxa fremunt, nec fulmine tanti
Diſſultant crepitus: volat atri turbinis inſtar,
Exitium dirum haſta ferens.

Quaſi murale tormentum, & fulmen minora eſſent; ater turbo ſolus par eſſet, id eſt, plagam inflixit tormenti muralis ictu grauiorem. Tormenti dico? imò & fulminis; fulminis autem, imò turbinis atri vehementiam, & impetum expreſſit.

2. in Rull. cum facit hyperbolem, negat eſſe ſuperlationem, num. 35. *Verbum mihi deeſt, cùm ego hanc poteſtatem regiam appello, ſed profectò maior eſt quadam: nullum enim regnum fuit vnquam, quod non, ſi minus iure aliquo, at regionibus tamen certis contineretur. Hoc verò infinitum eſt, quo & regna omnia, & veſtrum imperium, quam latiſſimè patet, & ea quæ partim libera à vobis, partim etiam ignorata vobis ſunt, permiſſu legis continentur.*

Nec in vituperium tantùm, ſed & in laudem valet. Pro Marcello, dùm Cæſaris clementiam commendat, num. 12. *Vereor in hoc vt quod dicam perindè intelligi auditu poſſit, atque ego ipſe cogitans ſentio. Ipſam victoriam viciſſe viderit, cùm ea ipſa, quæ illa erat adepta, victis remiſiſti.*

Hanc frequenter vt elegantem in Poëſi vſurpat Virgil. Camillam Virginem tanta velocitatè pedum, tàm incrdibili celeritate, ac leuitate deſcribit vt ventos præuerteret nec ariſtas læderet, néue fluctus tangeret. 7. Æn.

Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina nec teneras curſu læſiſſet ariſtas.
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Eleuat.

Altera ſpecies eſt, quâ res extenuatur citra fidem Quod fit vel ſimpliciter, vt apud Tull. 2. in Rull. n. 69. *Sullanus ager, à certis hominibus latiſſimè continuatus, tantam habet inuidiam, vt veri ac fortis tribuni pleb. ſtridorem vnum perferre non poſſit.*

Vel comparatè tractatur in Piſon. num. 55. *Sic iſte tanto exercitu, tanta Prouincia triennio pòſt, Macedonicus Imperator in vrbem ſe intulit, vt nullius negotiatoris obſcuriſſimi reditus vnquam fuerit deſertor.*

Atque hæc eſt ratio ementiendæ veritatis. Verùm hic ſuauis eſt, & ſæpè non inutilis jocus, cùm ad condiendum, tùm ad venuſtè conformandum ſermonem, quo rei alicuius deformitas, non turpiter, nec inſulsè deridetur. Huius duo genera reperiuntur, facetiæ ſcilicet, atque dicacitas. Illæ nonnunquã latiùs in oratione funduntur, cum ridiculè ſuis coloribus hominum mores adumbramus, atque ita effingimus; vt quales ſint intelligantur. Pro Cluentio notatur Cepaſius ineptus Orator, qui ad defendendum Fabrium attulerat ſcriptam Orationem, num. 58. *Primo attentè auditur eius oratio, erigebat animum jam demiſſum, & oppreſſum Capronicus, gaudebat ipſe Fabricius, non intelligebat animos judicum non illius eloquentia, ſed defenſionis impudentia commoueri, &c.*

Dicacitas breuior eſt acutior: delectat verò quòd inopinata feſtiuitate feriat animos: facetus admodum fuit Tull. ſic enim jocatur in Fannium Chéream pro Roſc. Com. num. 20. *Oro atque obſecro vos qui noſtis, vitam inter ſe vtriuſque conferte, qui*

te, qui non noſtis faciem vtriuſque conſiderate: nonne ipſum caput, & ſupercilia illa penitus abraſa, olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? nonne ab imis vnguibus vſque ad verticem ſummum ex fraude, fallaciis, mendaciis conſtare totus videtur? qui idcirco capite, ſuperciliis ſemper eſt raſis, ne vllum quidem pillum viri boni habere videatur.

Item pro Flacco num. 41. *Facis iniuſte, Læli, ſi putas pericu'o noſtro viuere tuos contubernales: præſertim quod tua negligentia factum arbitremur. Homini enim Phrygi, qui arborem fici nunquã vidiſſet, fiſtinam ficorum obieciſti: cuius mors te ex aliqua parte releuauit: edacem enim tum hominem amiſiſti.*

LECTIO QVINTA.

De Figuris ad permouendum idoneis.

QVas hactenus Figuras deſcripſimus, non ideò velim quis putet, ſic ad docendum, ac delectandum eſſe factas, quaſi nihil ad ciendos grauiores motus conducant, ſed quia maiorem vſum & apertiorem habent; quod idem dicendum eſt de iis, quæ in hoc ordine conſtituentur.

PVNCTVM PRIMVM.

Exclamatio.

POſt rem aliquam inſignem multis amplificatam, & probatam, excitandus eſt Auditoris animus, figuris ad hoc idoneis cùm iã rei magnitudine incipit commoueri. Inter quas prima eſt exclamatio, & frequentiſſima. Definitur autem Orationis elatio, & contentio ad augendum reperta, quæ interiectione quadam expreſſa, vel interiecta morum vehementiorem efficit, reique magnitudinem exprimit. Qualis illa pro Sex. nu. 27. *O diem illum funeſtum Senatui boniſque omnibus Reip. luctuoſum, mihi ad mærorem grauem, ad poſteritatis memoriam glorioſum.*

Ex graui indignatione in exclamationem erumpit. Tull. & licet exponi debeat indignitas antequam exclames, in rebus tamen atrocibus vim exclamatio maiorem habet, ſi rei declarationem antecedat, 2. Phil. n. 68. *At einſdem ædes etiã, & hortos. O audaciam immanem! tu ingredi illam domum auſus es? tu illud ſanctiſſimum limen intrare, tu illarum ædium Diis Penatibus os importuniſſimum oſtendere?*

Grauis eſt illa vox ab indignatione profecta Tull. in Piſon. n. 41. *O Dij immortl! Tune etiam atque adeò vos gemina voragines, ſcopuliſque Reip. vos meam fortunam deprimitis? veſtram extollitis?*

Pro Cœlio vi indinitatis erumpit, cum dubitatione nominis, quod tantæ indignitati reſpondeat. n. 71. *O ſtultitiam, ſtultitiam ne dicam, an impudentiam ſingularem? audetisne, cùm ab ea muliere veniatis, facere iſtorum hominum mentionem? audetisne excitare tanti flagitij memoriam, non extinctam illam quidem, ſed repreſſam vetuſtate?*

Conceſſam Piſoni, & Gabinio in maximis ſceleribus, & latrociniis impunitatem indignatur, per exclamationem grauiorem pro Sext. 93. *O Dij Immortales! quemnam oſtenditis exitum nobis? quam ſpem Reip. datis? quotus quiſque inuenietur tantâ virtute vir, qui optimam quamque cauſam Reip. amplectatur qui bonis viris deſeruiat? qui ſolidam laudem, veramque quærat, &c.*

Pro Cœlio. n. 59. *Proh Dij Immortl cur interdum in hominum ſceleribus maximis, aut conniuetis, aut præſentis fraudis pœnas in diem reſeruatis?*

Ad miſericordiam motus aptiſſima. Pro Sylla. n. 91. *O miſerum, & infelicem diem illum, quo conſul omnibus Centuriis. P. Sylla renunciatus! ô falſam ſpem! ô volucrem fortunam! ô cœcam cupiditatem! ô præpoſteram gratulationem! quàm citò illa omnia ex lætitia, & voluptate ad luctum, & lacrymas reciderunt? vt qui paulò ante Conſul deſignatus fuiſſet, retineret repentè nullum veſtigium priſtinæ dignitatis!*

Ad iracundiam. *O peſtis! ô labes! ô tenebræ! ô lutum! ô ſordes! ô portentum in vltimas terras deportandum!*

Graui & ſeria exclamatione ſæpè Cicero leporem Orationis, & ironicam feſtiuitatem temperat. Pro Balbo. n. 20. *O præclarum interpretẽ iuris, auctorem antiquitatis, correctorem, atque emendatorem noſtræ ciuitatis!* In Piſõ. n. 58. *O ſtultos Camillos, Curios, Fabritios! ô amentẽ Paulum ruſticum Marium*

Digitized by Google

rium. 3. in Ant. n. 27. *O præclarum cuſtodem ouium vt aiunt, lupum! cuſtoſne vrbis, an direptor, & vexator eſſet Antonius?*

Ironicè verò cùm eleuare dictum & ſententiam alicuius valt Orator, quaſi per cõtemptum, O inauditam ſæculis omnibus ſapientiam! ô nouam & elegantem Philoſophiam; ô magiſtram morum & diſciplinæ Orationem.

Non multum diſcrepat ab exclamatione admiratio, quam ſæpè Cic. confundit. Pro Ligario n. 6. *O dementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, litteris, monumentisq; decorandam!*

Stuporem & animi affectum re aliqua concitatum exprimit Horat l. 1. Od. 24.

Quis deſiderio ſit pudor, aut modus
Tam cari capitis? præcipe lugubres
Cantus Melpomene: cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quintilium perpetuus ſopor
Vrget?

Suauiſſima ſemper viſa eſt illa ſpecies, quæ poſt ſingulas ſententias breuem ſubnectit exclamationem. Sic poſt inciſa ſingula Tertull. dùm Ethnicorum voces refert, quibus fortitudinis quorundam ſpecimen in ſuſtinendo mirè commendabant in Apologetico c. 50. *Mutius dexteram ſuam libens in ara reliquit facere aliquid in caſtris felicius potuit, nihil fortius. O ſublimitas animi! Empedocles totũ ſeſe Catanẽſiũ Ætneis incẽdiis donauit O vigor mentis! aliqua Carthaginis conditrix ergo ſe ſecundum matrimonium dedit. O preconium caſtitatis! Regulus ne vnus pro multis hoſtibus viueret, toto corpore cruces patitur. O virum fortem, & in captiuitate victorem! Anaxarchus cùm in exitium Ptiſanæ pilo contunderetur, tunde, tunde aiebat Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis. O Philoſophi magnanimitatem, qui tali de ſuo exitu etiam iocabatur!*

Vtendum autem exclamatione vbi res magnas perſuaſeris, & graue aliquod factum, ſeu damnum propoſueris, vel illatum, vel acceptum: quare in amplificationibus, & Epilogis locum habet in minutis autem controuerſiis eam adhibere velle; tàm frigidum, quàm puerile ſemper eſt habitum.

Figuram huic omninò non diſſimilem faciunt Oratores, quæ licet exclamatione non fiat, in interrogatione breui iudicium de re poſita ſubnectit, quam propterea meritò iudicium poſſis appellare Dominus omnipotens templum eſt cœleſtis illius domicilij. Quid ſanctius? hæc ciuitas non eget Sole neque Luna; nam lucerna eius eſt agnus. Quid ſplendidius? Plateæ ciuitatis eius aurum, tanquam vitrum pellucidum. Quid pulchrius?

PVNCTVM II.

Acclamatio, ſiue Epiphonema.

SPecies quædam eſt exclamationis, quæ tùm grauitate, tùm opportunitate loci, neſcio an vlli conceſſura ſit. Eſt autem Oratio conſequens qua rei narratæ, aut probatæ velut coronis ſubiicitur pronunciatum ex ſuperioribus expreſſum. Fit hoc per diſtributionem poſtquam enim docuit oportere legibus, & iudiciis vitam tueri, quod ſi fieri non poſſet, vim vi propulſandum pro Sext. Tull. ſubdit. n. 86 *Hoc ſentire prudentiæ, facere fortitudinis, & ſentire vere, & facere perfectæ cumulataq; virtutis.*

Vel par admirationem vti Virg. cauſas expoſuit, quibus irata Iuno Romanos proſequebatur, tandem acclamat poſt pauca 1. Æneid.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

4. Vero Georgic poſtquam apum induſtriam, & in melle conficienda laborem expoſuit, addidit.

Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.

Venuſtum illud Cic. Parad, 1. *O Dij Immort non intelligunt homines, quàm magnum vectigal ſit parſimonia!*

Non inelegans Valerij Max. ductum de Scipione degeneri, è cuius manu propinqui annulum, in quo caput Africani ſculptum erat, dextraxerunt perſummum dedecus, & ignominiam, ſic totum concludit l. 3. c. 5. *Dî boni quas tenebras ex quo fulmine naſci paſſi eſtis!*

Fit aliàs, vt ſummam rei comprehendamus, Virgil. docet animalia ſingula ex re quapiam delectationem capere, & ſubiicit Egl. 1.

Trahit

—— *Trahit ſua quemque voluptas.*

Quid grauius illo Valerij Max. dicto l. 1. c. 35. Poſt bene-longum de neglecta religione, deque repetitis à Numine pœnis, ſermonem, addit; *Lento enim gradu ad vindictam ſui diuina procedit ira; tarditatémque ſupplicij grauitate compenſat.*

Ad commendationem ſingularis pudicitiæ eſt illud quod habet Cic pro Milone. Vbi pudicum adoleſcentem Trebonium deſcribit, qui periculum ſibi capitis ob cædem accerſere maluit, quàm per ſummam turpitudinem pati, vt Tribunus Imperatoris, propinquus licet, ſuæ pudicitiæ labem aliquam inferret, cui ſummam addit. num. 9. *Facere enim adoleſcens periculoſè, quàm perpeti turpiter maluit.*

Denique fit Epiphonema per ſententiam quandam grauiorem, quâ firmantur, obſignanturque ſuperiora. Gradationem graui acclamatione concludit, qua militum in Piſonem odium complectitur. num. 93. Cùm milites domum, in qua iſtam eſſe arbitrabantur obſidere cœperunt, & cum latere hominem putarent, ignes circumdederunt. Quo metu commoti Dyrrachini, profugiſſe noctu crepidatum Imperatorem indicauerunt. Illi autem ſtatuam iſtius perſimilem, quam ſtare celeberrimo in loco voluerat, ne ſuauiſſimi hominis memoria moreretur, deturbant, affligunt, comminuunt, diſſipant. *Sic odium quod in ipſum attulerunt, id in eius imaginem, ac ſimulachrum profuderunt.*

Semper placuit illud hominis non ita quidem noti, ſed eruditi iuxta, ac pij Titelmanni, verbum. Qui cùm in commentariis libri de cœlo, minimæ ſtellæ magnitudinem, terreſtri globo, multis partibus maiorem, oſtendiſſet: ita demum rem concludit. *Teſtor te quiſquis es, vt Chriſtiano pectore etiam, atque etiam perpendas, quàm ſit eorum miſeranda ſors, qui hæc anguſtiſſima terræ graguſtia, immenſa illi regni cœleſtis amplitudini præponenda putant.*

Plinius ad Veſpaſianum Aug. l. 7 c. 7. Vbi probauit leuiſſimis de cauſis fœtum iam animatum, & pene maturum perire, graui Epiphonemate rem totam complectitur *Miſeret atque etiam pudet æſtimantem, quàm ſit friuola animalium ſuperbiſſima origo, cum plerumque abortus cauſa fiat odor à lucernarum extinctu. Tu qui corporis viribus fidis, tu qui fortunæ munera amplexaris, & te ne alumnum eius exiſtimes, ſed partum; tu cuius ſemper in victoria mens eſt? tu qui te Deum credis, aliquo ſucceſſu tumens. Tanti perire potuiſti.*

Cùm Tertullianus dixiſſet eum habere ſibi defenſorem in cœlo, qui humiliter in terris patitur iniurias, reddit ſatis idoneum patriæ ſequeſtrem Deum 1. de patient. c. 15. *Si iniuriam depoſueris penes eum; vltor eſt: ſi damnum, reſtitutor eſt: ſi dolorem medicus eſt: ſi mortem reſuſcitator eſt: quantū patientiæ licet, vt Deum habeat debitori!*

Addo D. Hieronymi graue pronuntiatum, qui poſt vltimam D. Pauli Eremitæ vitam à ſe conſcriptam, in his vocibus pedem figit, & ſtylum. *Oro te quiſquis hæc legis, Hieronimi peccatoris recordare, cui ſi Deus optionem daret, mallet Pauli tunicam cum meritis ſuis, quàm Regum purpuram, cum pœnis ſuis.*

PVNCTVM III.

Reticentia.

PRæciſionem appellat Cic. nonnulli exceptionem, quâ ſic abrumpitur Oratio, vt vix appareat, quid dicturus fuerit Orator. Pro Cœlio Tull hanc adhibet, tum maioris ſuſpicionis mouendæ, tum obſcœnitatis vitandæ cauſa. n. 69. *Hic etiam miramur, ſi illam commentitiam pyxidem obſcœniſſima ſit fabula conſequuta? nihil eſt quod in eiuſmodi mulierem non cadere videatur. Audita & peruulgata ſermonibus res eſt. Percipitis animis iamdudum quid velim, vel potius, quid nolim dicere, quod etiam ſi eſt factum, certe à Cœlio non eſt factum.*

Alij definiunt orationem quâ præcipimus id, quod cœperamus dicere, quaſi pœnitentia ducti; vt ſi dicas. Liceret vtinam vobis æſtuantis iracūdiæ vultum terribilē ſub aſpectum ponere: cerneretis, niſi fallor, immaniorē quauis pantheræ feram ſtimulante fame, curſib. incitatis aduolantem, faucibus ignē ſpirantibus, immani dentium explicato rictu, ſcintillantibus oculis, exerta lingua. Sed parco timori veſtro; expauiſtis enim opinor ad hæc initia feritatis. Quid tādem futurum eſſet, ſi reliqua longè truculentiora proſequerer?

Aliàs

Aliàs præcludi nobis ſermonem fingimus,quominus incœpto poſſimus inſiſtere. Intuemini bonorum omnium auctorem, trabalibus clauis confixum;vultum illum theatrum felicitatis ſcelerati militis dexterâ liuidum, Iudæ proditoris impudentiſſimi oſculo violatum, impiorum Satellitum repetitis alapis, ac ſputis deformatum: caput illud gloriæ ſedem,atque maieſtatis dumetis horrêtibus obrutum,corpus ſanguine cruentatum, ac vulneribus ſuper numerum lacerum, nutantes in media mortè oculos, quibus illas furiarum nocturnas cohortes, non ad vindictam, ſed ad miſericordiam deſignat. Sentio animum mihi colliqueſcere, date hoc pio dolori meo,vt ab hoc ſpectaculo liceat tantillum oculos,cogitationemque auertere. Veſtræ ſit pietatis & amoris reliqua mentis acie contemplari.

In dolore locum habet Cic.epiſt.22. lib.7. ad Att.*De Pompeio ſcio nihil,eumque niſi in nauim ſe contulerit,exceptum iri puto. O celeritatem Incredibilem! huius autem noſtri. Sed non poſſum ſine dolore accuſare eum,de quo angor & crucior.*

In affectibus maximè dominatur. Iræ Virgil. 1.Ænid.

Quos ego.Sed motos præſtat componere fluctus.

Audaciæ.Idem Æneid.9.

Ecquis erit mecum iuuenis qui primus in hoſtem
En ait.

Commotionis grauioris,& minarum Cic ep.vlt. l.9.ad Att. *Sed erit immitiſſimus Seruius,qui filium miſit ad affligẽdum Cn.Pompeium aut certè capiendum cum Pontio Tiriniano. Etſi hic quidem timoris cauſa. Ille verò. Sed ſtomachari deſinamus.*

Pudoris,Egloga 2.

Parcius ista viris, tamen obiicienda memento
Nouimus, & qui te,transuerſa tuentibus hircis
Et quo;ſed faciles Nympha riſére,ſacello.

Sollicitudinis,ac religionis Quod illuſtrat. Fab. l.c.2.Illo Ciceronis pro Mil.non quod extat,ſed quod habuit. An huius ille legis, quam Clodius à ſe inuentam gloriatur, mentionem facere auſus eſſet, viuo Milone, ne dicam Conſule; *De noſtrum enim omnium non audeo totum dicere.* Grauitatis etiam cauſa vſurpatur.Nam grauiora putantur illa quæ latent. Iuuen.

Maiorum primus quiſquis fuit ille tuorum.
Aut paſtor fuit,aut illud quod dicere nolo.

Vt verum ſit quod præclarè Plut.in qq. Platonicis. Ἀποσιωπήσει ἐμφατικώτερον ποιεῖ τὸν λόγον. Facit Apoſiopeſis orationi vim, & emphaſim maiorem.

Modeſtæ ambitionis.Mneſtheus de ſe 5.Æn. apud Virgilium.

Non tam prima peto Mneſtheus,neque vincere certo,
(Quamquam ò?)ſed ſuperent,quibus hoc Neptune dediſti
Extremos pudeat rediiſſe.

Quamquam ô ſi poſſem adipiſci victoriam; quanto gaudio triumpharem?quantus mihi dolor inureretur,ſi ego Mneſtheus cuiquam primas partes conceſſero.

PVNCTVM IV.

Deprecatio & Obſecratio.

DEprecationem ab Obſecratione, & Obteſtatione, aliiſque id genus,verbo tenus differentibus,ſecernere quid attinet? Primus illius vſus eſt in ope imploranda, quale eſt illud pro Rabir. Perduel. n.5. *Quæ cùm ita ſint, primum quod in dimicatione capitis, famæ, fortunarumque omnium fieri neceſſe eſt, ab Ioue Opt.Max.cæteriſque Diis,Deabuſque Immortal. quorum ope,& auxilio multo magis hæc Reſp.quàm hominum & conſilio gubernatur,pacem ac veniam peto, precorque ab iis,vt hodiernum diem,& ad huius ſalutem conſeruandam, & ad Remp conſtituendam illuxiſſe patiantur. Deinde vos Quirit. quorum poteſtas proxime ad Deorum Immort. Nomen accedit, oro atque obſecro, quoniam vno tempore vita Rabirij hominis miſerrimi, atque innocentiſſimi, ſalutis Reip.veſtris manibus,ſuffragiiſque permittitur,adhibeatis in hominis fortunis miſericordiam,in Reip. ſalute ſapientiam quam ſoletis.*

Hanc adhibet prudenter Virg.6.Æn.

Quod te per cœli iucundum lumen,& auras,
Per genitorem oro,per ſpem ſurgentis Iuli,
Eripe me his inuicte malis.

Timorem incutit.

Obſeruandum huiuſmodi imploratione opis atque

atque obteſtatione, ſi potiſſimum à Deo petatur auxilium,& cauſæ metus, ac timoris efferantur, grauem concitari poſſe timoris motum in auditoribus,eò magis,quòd non tam in aliorum moribus, animiſque velle timorem imprimere, quàm in ſuis exprimere videatur Orator. Hùc refer Poëtarum inuocationes, quas prætexere operibus ſolent.1.Æn.

Muſa mihi cauſas memora,quo Numine læſo,
Quidue dolens Regina Deum,tot voluere caſus
Inſignem pietate virum,tot adire labores
Impulerit.

1.Geor.

—— Vos ô clariſſima mundi
Lumina,Latentem cœlo quæ ducitis annum
Liber,& alma Ceres.

Alter vſus eſt in concitanda miſericordia ſic in Orat.pro Mil.num.93. *Quid reſtat niſi orem, obteſtérque vos, vt eam miſericordiam tribuatis fortiſſimo viro.quam ipſe non implorat: Ego autem repugnante hoc, & imploro., & expoſco. Nolite ſi in noſtro omnium fletu nullam lachrymam adſpexiſtis Milonis: ſi vultum ſemper eundem: ſi vocem, ſi orationem ſtabilem, ac non mutatam videtis, hoc minus ei parcere: atque haud ſcio, an multò etiam ſit adiuuandus magis.*

Peroratio plena motibus vehementiſſimis, quibus probauit Orator, quid poſſet in ſublimi genere dicendi Idem habet pro Flacco,ad num. 106.

Remittit audaciam.

Tertius vſus eſt in remittenda audacia, vel placanda ſeueritate:pro Deiotaro.n.8. *Quamobrem hoc nos primum metu C.Cæſar, per fidem & conſtantiam, & clementiam tuam, libera, ne reſidere in te vllam partem iracundiæ ſuſpicemur. Per dexteram te iſtam oro, quam Regi Deiotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti: iſtam, inquam dexteram non tam in bellis, & in prælijs, quàm in promiſſis, & fide firmiorem. Tu illius domum inire, tu vetus hoſpitium renocare voluiſti: te eius Dii Penates acceperunt amicum, & placatum Deiotari Regis aræ, focique viderunt. Cùm facilè exorari Cæſar, tum ſemel exorari ſoles.Nemo vnquam te placauit inimicus qui vllas reſediſſe in te ſimultatis reliquias ſenſerit.*

Hortatur & monet.

Quartus in præceptis,& admonitionibus adhibetur pro Mur.n.86. *Quæ cùm ita ſint,primum Reip.cauſa,quâ nulla res cuiquam potior eſſe debet, vos pro mea ſumma,& vobis cognita in Remp.diligentia,moneo: pro auctoritate conſulari, hortor;pro magnitudine periculi,obteſtor,vt otio, vt paci, vt ſaluti,vt vita veſtra,& cæterorũ ciuium conſulatis.*

Ex quibus exemplis ſatis colligi poteſt, obſecrationem,& adhortationem valere ad omnem motum; impellere enim poſſumus & hortari modò ad gaudium, modò ad beneuolentiam, quod ſit in commendationibus;modo ad odium, aliàs ad fiduciam, imò ad omne genus virtutis. Sed intereſt magnopere, vt ornatè tractetur.Eſt enim omnium penè Schematum capax. Fiet igitur ornatè.

I.Si per repetitionem petamus aliquid identidem ſubiectis diuerſis rationibus. Ita D.Cipri. Si minus cultus,certè vehemens Orator. *Credite illi qui omnino non fallit: credite illi, qui hæc omnia futura prædixit: credite illi qui credentibus præmium vitæ æternæ dabit:credite illi qui incredulis æterna ſupplicia gehennæ ardoribus irrogabit.* Contra Demetrium.

II. Fiet ornatè per ſuſtentationem.Non peto, te continuis vt vigiliis exhaurias,vt vitæ vel capitis periculum adeas, vt te multis laboribus conficias, quamquam id meo iure petere poſſem; ſed tamen id non peto, fruere deliciis vitæ,modò honeſtatem,& innocentiam animi ne violes.Quid ergò?Chriſtum ama.

III.Per congeriem præceptis permultis conglobatis, vel certè rationibus, quibus id quod volumus impetrare poſſimus:.Rationes autem ſæpe conditionibus quibuſdam exprimimus, idque eleganter.Talis eſt Poëtæ obſecratio.

Turne per has ego te lacrymas,per ſi quis amatæ
Tangit honos animum.

Hùc refer adhortationes militares,quæ frequentes ſunt,& obuiæ paſſim apud Poëtas,& hiſtoricos.Refer item dialogiſmos in tragediis, cùm vel crudeles homines, ac barbari ad miſericordiam flectuntur, qua re vti nihil vehementius, ita nihil vulgarius.

Digitized by Google

PVNCTVM V.

De Optatione, & Salutatione.

EST vehementis alicuius deſiderij ſignificatio, quâ, quod nobis, aut aliis proſit, optamus. Pro lege Man.n.27. *Vtinam virorum fortium, atque innocentium tantam copiam haberemus, vt hac deliberatio vobis difficilis eſſet, quoniam potiſſimum tantis rebus, ac tanto bello præficiendum putaretis*

Non aliter pro Rabitio Perd.n.18. *Vtinam hanc mihi facultatem cauſa concederet, vt poſſem hoc prædicare, C. Rabirij manu C. Saturninum hoſtem populi Rom. interfectum.*

Conuenit dolenli, timenti, ſperanti Ouid. in Heroid.

O vtinam tum cùm Lacedæmona claſſe petebat,
Obrutus inſanis eſſet adulter aquis.

Virgil.3. Æn.

Viuite felices quibus eſt fortuna peracta
Iam ſua, nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies, nullum maris æquor arãdum,
Arua neque Auſoniæ ſemper fugientia retro
Quærenda, effigiem Xanti, Troiamque videtis,
Quam veſtræ fecere manus, melioribus opto
Auſpiciis, & quæ fuerint minus obuia Graiis.

Timenti. Cic.5. Verr.n.81. *Vnus adhuc fuit poſt Romam conditam, Dij Immort. faxint ne ſit alter, cui Reſp. totam ſe tradidit temporibus coacta, & malis domeſticis, C. Sylla.*

Pro Mur. *Dij faxint, vt meus Collega vir fortiſſimus hoc Catilinæ nefarium latrocinium armatus opprimat.*

Tum demum huius figuræ ſplendor elucet, cùm in argumentando, id per optationem efferimus, quod indicantis modo poterat efferri, in quauis parte; ſiue propoſitio ſit, ſeu complexio, vel aſſumptio. O ſi nunquam à vera virtutis via aberraſſes! vellem Deus Immortalis feciſſet, vt quanta ſit eximia virtus, caſtimonia mentis, & corporis intelligeremus. O vtinam omnes illam amplecterentur.

Diuus Chryſologus feliciter infeliciſſimam arborem deſcribit per optationem, de qua parentes noſtri ſortem omnium miſerrimam decerpſerunt. O ſi tunc vel leuis turbo mortiferam arborem deieciſſet! ô ſi nebulæ fumus illius mulieris tenebraſſet aſpectum! ô ſi terræ nubes lethalis pomi ſpeciem caligaſſet! ô ſi manus tangẽs inconceſſa tremuiſſet! ô ſi peccati diẽ tenebraſſet nox iniuſta! & lamenta mundi, & incrementa mortis, & creatoris iniuriam tunc tuliſſet, ſed viriis ſemper ſeruiunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis, virtutibus verò auſtera, & fortia ſunt amica.

Non infeliciter cecinit vates, qui ſocietatis Ieſu Patres Æthyopas lauantes facit: per optationem, & cohortationem.

O quibus expoſitum Luna ſub montibus orbem
Contigit, ac Libyci Solis inire vias.
Vos & cæleſtes populis ſitientibus vndas,
Et noua de cælo flumina diuitis.
Non vos Æthyopum vaſtiſſima regna fatigent,
Terreat aut nigri credita cura gregis.
Spargite felices vndas: ô ſpargite, deinceps
Non lauat Æthyopem, qui lauat Æthyopem.

Multis modis explicari poteſt hoc deſiderium, Poëtis familiare, atque Oratoribus frequens, quibus ſibi beneuolentiam conciliant.

Sic pater ipſe Deûm faciat, ſic altus apollo.

Tibull.l.2. El.6.

Annue: ſic tibi ſint intonſi Phœbe capilli.
Sic tua perpetuo ſit tibi caſta ſoror.

Et ea quidem precari ſolent ac optare, quæ ſciunt illis eſſe gratiſſima. Virg. Egl.8.

— *En erit vnquam*
Ille dies: mihi cùm liceat tua dicere facta?
En erit vt liceat totum mihi ferre per orbem,
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

En hoc optationis genere ſalutatio ſumitur, quæ teſtatur verbis beneuolentiam aliquam. Talis eſt illa ſalutatio Carmentæ 1. Faſtor. voti & deſiderij pleniſſima Ouid.

Diique petitorum, dixit ſaluete locorum,
Tuque nouos cælo terra datura Deos.
Fluminaq; & fontes, quib. vtitur hoſpita tellus.
Et nemorum Syluæ Naïadumque chori.

PVN

PVNTVM VI.

Comminatio.

ADmonitio cum prædictione futuri mali, qualis illa Cic. pro Mil. cùm amicè Pompeium monet, ne vanis, & incertis ſuſpicionibus Milonem amicum fideliſſimum alienet: ne ſi eum modo damnari patiatur, poſtmodum eius fidem, & beneuolentiam requirat. nu. 70. *Eris, erit illud profectò tempus, & illuceſcet aliquando ille dies, cùm tu ſalutaribus, vt ſpero, rebus tuis, ſed fortaſſe motu aliquo communium temporum immutatus (qui quàm crebrò accidat, experti debemus ſcire) & amiciſſimi beneuolentiam, & grauiſſimi hominis, & vnius poſt homines natos, fortiſſimi viri magnitudinem animi deſideres.*

Hoc idem præſtat in Orat. pro Mur. ſed maius periculum prædicit; proindè obuiam malo diligentius eundum monet. n. 85. *Sed quid tandem fiet, ſi hæc elapſa de manibus noſtris, in eum annum, qui conſequitur, redundarint? Illa peſtis immanis, importuna, Catilinæ prorumpet, qua poterit, & iam Populo Rom. minatur, in agros ſuburbanos repentè aduolabit, verſabitur in caſtris furor, in curia timor, in foro coniuratio, in campo exercitus, in agris vaſtitas, omni autem in ſede, ac loco ferrum flammamque metuemus.*

Huc pertinent omnia quæ terrorem incutere poſſunt, & ciues nimium ſui ſecuros incitare, ad honoris & vitæ defenſionem, propoſitis calamitatibus plerumque ex tali negligētia emergentibus, ad metum grauiorem facit illud. 3. Phil. n. 30.

Fit per deſcriptionem, quæ rerum conſequentium continet perſpicuam, & dilucidam cum grauitate expoſitionem. Cornific. l. 4. n. 52. *Quòd ſi iſtum Iud. veſtris ſententiis liberaueritis, ſtatim ſicut è cauea leo emiſſus, aut aliqua teterrima bellua ſoluta ex catenis volitabit & vagabitur in foro acuens dentes multos in cuiuſque fortunas, in omnes amicos, atque inimicos, notos atque ignotos incurſans aliorum famam depeculans, aliorum caput oppugnans, aliorum domum ac familiam perfringens, Remp. funditus labefactans.*

* *

PVNCTVM VII.

Imprecatio.

EST execratio, quædam, quâ malum alicui imprecamur Ph. 6. n. 12. *Igitur eſt patronus. L. Antonius? malam quidem illi peſtem. Clamori enim veſtro aſſentior, non modò hic latro; quem clientem habere nemo velit. Sed quis vnquam tantis opibus, tantis rebus geſtis fuit, qui ſe Populi Rom. victoris, Dominiq; omnium gentium tutorem dicere auderet.*

Hanc adhibet cum graui ſtomacho & indignatione Ph. 13. n. 48. *Quin tu abis in malam peſtem, malumque cruciatum? ad te quiſquam veniat, niſi Ventidij ſimilis? Oriens incendium qui reſtinguerent, ſummos viros miſimus: repudiaſti: nunc in tantam flammam, atque inueteratam mittamus, cùm locum tibi reliquum non modò ad pacem, ſed ne deditionem quidem feceris.*

Satius eſt Oratori Chriſtiano ſanam mentem, aut id genus aliud depoſcere, quàm diras in cuiuſquam caput conicere, niſi fortè deſperata fuerit eius ſalus, aut ſceleratus parricida iam inferis addictus. O Vltimum inferorum portentum, cuius meminimus, vt execremur, de quo loquimur vt deteſtemur; vltrices iam ſentiat pœnas horrendi criminis admiſſi: ſit Dæmonum pœnæ ſocius, qui malitiæ illorum, dum viueret, adminiſter eſſe voluit.

Non aliis tantum malum imprecamur, ſed etiā nobis, ſi quid fidei datæ contrarium egerimus, qualis eſt illa Dydonis Virgilianæ imprecatio.

Sed mihi vel tellus optem, prius ima dehiſcat,
Vel pater omnipotēs adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras Erebi, noctemq; profundam:
Ante pudor, quàm te violē, aut tua iura reſoluā.

PVNCTVM VIII.

Admonitio.

FIT quoties placidè quempiam, aut beneuolē cōmonemus officij, vt ſi aliquem à vitæ turpitudine, morumque prauitate reuoces, his aut ſimilibus vtaris. Non hic ex perpetuis inferorum latebris vltrices furias tædis ardētibus ad exitiū tuum armatas, producam: non libratum iuſtitiæ

Digitized by Google

diuinæ gladium denunciabo:non parata ſceleratis hominibus ſupplicia proponam,non ſempiternos ignium illorum vortices,nec habitantem In arroſis medullarum fibris conſcientiæ vernẽ excitabo:alium agendi modũ tua iſta indoles. alium neceſſitudo noſtra requirit. Intuere per Deum Immortalem animi tui nobilitatem , cui tu inſignem contumeliam facis:redeat in mentem illa dies,quâ te mœror acerbiſſimus ob hæc, quibus nunc indulges,ſtudia,conficier : Subeat animum infamiæ nota,quam tibi generique tuo inurere pergis;natus ad virtutem,verumque decus,cur tuæ dignitatis oblitus,ad infimum , hoc eſt ad vitium te demittis?

Quàm elegantius Cic pro lege Man.n.11,*Sed pro veſtri imperij dignitate,atque gloria , quoniam is eſt exerſus Orationis mea,videte quem vobis animum ſuſcipiendum putetis. Videte,ne vt maioribus pulcherrimum fuit,tantam vobis imperij gloriam relinquere:ſic vobis turpiſſimum ſit,illud,quod accepiſtis,tueri,& conſeruare non poſſe.*

PVNCTVM IX.

Licentia.

TVnc vtitur Orator,cùm ea,quæ grauia dictu ſunt,aut periculoſa præſideri animo,& magna libertate dicturum ſe profitetur. Valet primò ad remittendam facti inuidiã , cùm res geſta alioquin odioſa,liberè prædicatur.Pro Sylla Cic. nu.33.*Itaque attende iam Torquate , quam ego non defugiam auctoritatẽ conſulatus mei,maxima voce, vt omnes exaudire poſſint,dico ſẽperq; dicam:adeſtote õnes animis,qui adeſtis corporibus,quorũ ego freqũtiâ magnopere lætor:erigite mẽtes aureſq; veſtras, & me de inuidioſis rebus vt ille putat,dicẽtẽ attẽdite.Ego Conſul cùm exercitus perditorũ ciuiũ clandeſtino ſcelere conflatus,crudeliſſimũ,& luctuoſiſſimũ exitium cõparaſſet,cùm ad occaſum interitũq; Reip. Catilina in caſtris,in his autẽ tẽplis,atq; tectis,dux Lentulus eſſet cõſtitutus,meis cõſiliis,meis laboribus, mei capitis periculis ſine tumultu ,ſine delectu ,ſine armis,ſine exercitu,quinq;hominibus cõprehenſis,atq; confeſſis,incẽſione vrbem,internetione ciues, vaſtitate Italiã,interitu Rẽp.liberaui. Ego vitã omniũ ciuiũ, ſtatum orbis terræ,vrbẽ deniq; hanc ſedem omniũ noſtrum,arcem Regum,ac nationum exterarum,lumen gentium,domicilium imperij, quinq; hominũ perditorum,atq; amentium pœnâ redemi.*

Definitur Orationis libertas,atque fiducia liberius affectum mentis exprimens.

Minatur

II.Valet ad communicandum item pro Sylla n.46.*Fero ego Torquate,iamdudum fero,& nonnunquã animũ incitatum ad vlciſcendam Orationem tuam,reuoco ipſe,& reflecto,permitto aliquid iracũdia tua,do adoleſcẽtia,cedo amicitia, tribuo parẽti,ſed niſi tibi aliquem modũ vita,conſtitueris:coges oblitũ me noſtra amicitia,habere rationẽ mea dignitatis.*

Fiduciam oſtendit.

III. Ad oſtendendam fiduciam 1.in Rull.n. 23.*Erraſtis Rulle vehementer,& tu,& nonnulli Collega tui;qui ſperaſtis vos contra Conſulem veritate non oſtentatione,popularẽ poſſe in euertẽda Rep.populares exiſtimari , laceſſo vos , in concionem voco, Populo Rom.diſceptatore vti volo.*

Inſultat.

IV. Ad inſultandum aduerſario pro domo ſua n.99.*Quare diſrumpatur licet iſta furia,atque audiat hæc ex me , quoniam laceſſiuit,bis ſeruari,vt Conſul togatus armatos vicerim,priuatus Conſulibus armatis ceſſerim. Vtriuſque tẽporis fructũ tuli maximũ:ſuperioris,quod ex Senatus auctoritate,& Senatũ , & õnes bonos meæ ſalutis cauſa,mutata veſte vidi:poſterioris quod & Senatus,& populus Rom.& omnes mortales,& priuatim , & publicè iudicarunt, ſine meo reditu Remp.ſaluam eſſe non poſſe.*

Obiurgat.

V.Ad obiurgandum 10.Phil.nu.8 .*Vos P.C. graue dictu eſt,ſed dicendum tamẽ,vos,inquam Seruium Sulpit.vitâ priuaſtis. Quem cùm videritis,ſe magis morbo,quàm Oratione excuſantẽ,nõ vos quidẽ crudeles fuiſtis,(quid enim minus in hunc ordinẽ conuenit?)ſed cùm ſperaretis nihil eſſe,quod nõ illius auctoritate , & ſapientia effici poſſet, vehementius accuſationi eius obſtitiſtis:atque eum,qui ſemper veſtrum conſenſum grauiſſimum indicaſſet, de ſententia deieciſtis.*

Mont.

Digitized by Google

Monet.

VI. Ad commonendum, Phil. 10. num. 19. *Poſtremò (erumpat enim aliquando vera, & me digna vox) ſi veteranorum mentes huius ordinis gubernantur, omniaque ad eorum voluntatem, dicta factaque noſtra referuntur: optanda mors eſt, quæ ciuibus Rom. ſemper fuit ſeruitute potior. Omnis enim miſera ſeruitus; ſed fuerit quædam neceſſaria: ecquodnam principium putatis libertatis capeſſendæ? an, cùm illum neceſſarium & fatalem penè caſum non tulerimus, hunc feremus voluntarium? Tota Italia deſiderio libertatis exarſit: ſeruire diutius non poteſt ciuitas. Sed ut concedam exitus incertos eſſe belli, Martemque communem; tamen pro libertate vitæ periculo decernendum eſt. Non enim in ſpiritu vita eſt, ſed ea nulla eſt omnino ſeruienti. Omnes nationes ſeruitutem ferre poſſunt: noſtra ciuitas non poteſt.*

Adulatur.

VII. Ad aſſentationem valet pro Marcello num. 26. *Itaque illam tuam præclariſſimam, & ſapientiſſimam vocem inuitus audiui: ſatis te diu, vel naturæ vixiſſe, vel gloriæ. Satis, ſi ita vis, naturæ fortaſſe: addo etiam ſi placet, gloriæ: atque hoc maximum eſt, patriæ certè parum.*

PVNCTVM. X.

Addubitatio.

DEfinitur Oratio quæ præ ſe fert ſolliciti hominis, & in conſilii perturbatione hæſitantis affectum: magnam vim habere dicitur, ad rem exaggerandam, atque attentionem parandam auditoris. Et quia pendet animus, ac neſcit quid dicendum, agendumue ſit, duplicem faciunt Oratores, vnam verborum, alteram rerum. Verborum ſic exprimit pro Quinct. Tull. num. 56, *Si iſta cauſa abs te tota per ſummam fraudem, & malitiam facta eſt? ſi Vadimonium omninò tibi cum Quinctio nullum fuit? quo te nomine appellemus? improbum? at etiamſi deſertum Vadimonium eſſet, tamen in iſta poſtulatione, & proſcriptione bonorum, improbiſſimus reperiebare. Num malitioſum? negat. Fraudulentum? jam id quidem arrogat tibi, & præclarum putat. Audacem? cupidum? perfidioſum? vulgaria & obſoleta ſunt, res autem noua & inaudita.* Pro Sext. num. 17.

Dubitationis ideam illuſtrem habet Scipio apud Liuium lib. 8. Dec. 3. *Apud vos quemadmodum loquar nec conſilium, nec Oratio ſuppeditat, quos, nec quo nomine quidem appellare debeam ſcio. Ciues? qui a patria veſtra deſciuiſtis: an milites? qui imperium, auſpiciumque abnuiſtis. Sacrati? Religionem rupiſtis. Hoſtes? corpora, ora, veſtitum, habitum ciuium agnoſco: facta, dicta conſilia, animos hoſtium video.*

Per contentionem.

Non hæc auctore ſuo indigna dubitatio. Hæreſis pietatis aduerſaria, quam te potiſſimum appellem concordem? quæ ſanctiſſimum nouis in dies edictis regnum dilaceras. Diſcordem? quæ deſiunctiſſimos religione populos legibus, atque inſtitutis coniungis. Crudelem; quæ fatigata nonnunquam ſeueritatem intermittis. Mitem? quæ teipſam innocenti Martyrum ſanguine toties coloraſti. Sed quocumque te dici nomine conueniat, adhuc appellate fas ſit, vnicum tibi modò, cum antiquitate commune nomen audeo confirmare. Etenim quis Neſtorio quodam tempore vulgo gratioſior? quis Ario aliquando etiam potentior? quis Dioſcoro populatior? quis Montano ſectatorum copiis munitior? quis Apollinari juniore, vel in differendo acutior, vel in ſacrorum librorum lectione diligentior, vel principum in Rep. virorum amicitiis illuſtrior?

Rerum autem dubitationis multa ſunt apud Cic. exempla, 6. Verr. num. 88. *Vnum hoc crimen videtur eſſe, & à me pro vno ponitur de Mercurio Tyndaritano. Plura ſunt; ſed ea quo pacto diſtinguere, ac ſeparare poſſim, neſcio. Eſt pecuniarum captarum, quod ſignum à ſocijs pecunia magna ſuſtulit. Eſt peculatus, quod publicè populi Rom ſignum de præda hoſtium captum, poſitum Imperatoris noſtri nomine, non dubitauit auferre. Eſt maieſtatis, quod imperij noſtri gloriæ, rerumque geſtarum monumenta euertere, atque aſportare auſus, eſt ſceleris, quod religiones maximas violauit. Eſt crudelitatis quod in hominem innocentem, in ſocium noſtrum, atque amicum, nouum ac ſingulare ſupplicij genus excogitauit. Illud verò quod ſit jam non queo dicere, quo nomine appellem, neſcio. quid in Marcelli ſtatua. Quid eſt hoc? patronúſne quod erat? quid tùm? quò id ſpectat?*

Laudat.

Laudanti conuenit Cic.Pro Roſc.Amer.n.29. *Hoc conſilio,atque adeò hac amentia impulſi, quem ipſi,cùm cuperent,non potuerunt occidere,eum iugulandum vobis tradiderunt. Quid primum querar? aut vndè potiſſimum exordiar? aut quod, aut à quibus auxilium petam? Deorúmne immortalium? populine Rom.veſtrámne,qui ſummam poteſtatem habetis,hoc tempore fidem implorem?*

Timet.

Timenti Phil.11 n.19. *Quam ambitionem L. Cæſar in Senatum introduxit? clariſſimo viro decreuit imperium,priuato tamen,in quo maximum nobis onus impoſuit. Aſſenſero? ambitionem induxero in curiam. Negauero? videbor ſuffragio meo tanquam comitiis honorem homini amiciſſimo denegaviſſe.*

Queritur.

Dolenti & conquerenti conuenit dubitatio, cui aptè ſubiungitur electio, atque expeditio. Virgil.4.Æn.ſuſpenſam in deliberatione Didonem ſic inducit.

En quid agam? rurſúſne procos irriſa priores
Experiar? Nomadumq́; petam connubia ſupplex,
Quos ego ſum toties jam dedignata maritos?
Iliacas igitur claſſes,atque vltima Teucrûm
Iuſſa ſequar? quia ne auxilio iuuat ante leuatos?
Et benè apud memores veteris ſtat gratia facti?
Quis me autem (fac velle) ſinet? ratibuſq; ſuperbis
Irriſam accipiet, neſcis heu perdita; necdum
Laomedonteæ ſentis periuria gentis?
Quid tum? ſola fuga nautas comitabor ouantes?
An Tyrijs,omniq; manu ſtipata meorum
Inſequar? & quos Sidonia vix vrbe reuelli,
Rurſus agam pelago,& ventis dare vela iubebo?

Tandem ſequitur electio, cum quâ concludit malè amans,

Quin morere,vt merita es,ferroq; auerte dolorem.

Quæ multa paucis contrahi poterant in hunc modũ. Quid agam infelix? an hic manendum eſt? at gentes Libycæ ferocientes inſtant: egóne fœmina procax connubia requiram? egóne Regina ſupplex ad Nomadum pedes accidam, qui barbari, qui toties à me contempti ſunt? hoc Regiæ dignitati repugnat,illud caſtitati. An cum Troianis abeundum? ingrati me, vel in regno meo contempſerunt? quid in ſuo facient? illos ſequar ſupplex,an irata bello perſequar? tàm turpe, ac ſordidum illud eſt,quàm hoc periculoſum atque difficile. Moriamur.

Hortanti denique dubitatio conuenit, cùm expeditione,pro Cluentio,n.4. *Equidem quod ad me attinet,quò me vertam neſcio: negem fuiſſe illam infamiam corrupti iudicij? negem illam rem agitatam in concionibus,iactatam in iudicijs,commemoratam in Senatu? euellam ex animis hominum tantam opinionem,tàm penitus inſitam? tàm vetuſtam? Non eſt noſtri ingenij; veſtri auxilij eſt huius innocentiæ,ſi in hac calamitoſi fama,quaſi in aliqua pernicioſiſſima flamma,atque in communi incẽdio ſubuenire.*

PVNCTVM XI.

Commoratio ſiue expolitio.

INſignis ad motus, & amplificationes, ad inſtandum, premendumque. Fit autem cùm eadem ſententia, tamdiu commutatis verbis verſatur, donec ſub oculos demum ſubijciatur. Hic exultat, triumphantemque facit eloquentiam Verr.1.n.2.Pro Ligario,num.9.

Fit non tantùm commutatione ſententiarum verùm quandoq; bonam Orationis partem amplectitur,& vnam eandemque rem varijs figuris dicendique modis amplificat Cic. Verr.7. num. 10.2.in Anton.n. 54. rem eandem variis modis effert, vt plagam repetitis ictibus vehementius infligat. *O miſerum te ſi intelligis: miſeriorem ſi non intelligis,hoc litteris mandari, hoc memoriæ prodi,huius res ne poſteritatem quidem omnium ſæculorum vnquam immemorem fore.*

Pro Sextio, num,47. *Tàm eram rudis? tàm ignarus rerum, tàm expers conſilij, aut ingenij? nihil audieram? nihil videram; nihil ipſe legendo quærendoque cognoueram? neſciebam vitæ breuem eſſe curſum,gloriæ ſempiternum? cùm eſſet omnibus definita mors, optandum eſſe, vt vita, quæ neceſſitati deberetur, patriæ potius donata, quàm reſeruata naturæ videretur: neſciebam inter ſapientiſſimos homines hanc contentionem fuiſſe. &c.*

Per commorationem perturbatum Reip.ſtatum deſcribit,2.in Rull. num.8. *Ego qualem Kal.Ianuariis acceperim Remp.intelligo plenã ſollicitudi-*

nis,

nis,plenam timoris,in qua nihil erat mali,nihil aduerſi,quod non boni metuerent,improbi expectarent.

Pro Cœlio ſeuerioris adoleſcentis, & caſti mores deſcribit pluribus,n.39. *Ego ſi quis hoc robore animi,atque hac indole vir tutis & continentia fuit,vt reſpueret omnes voluptates.*

Pro Roſc. Amer. auaritiæ commoda proſequitur,n.112.

Pro Cluent. cenſorium Iudicium contemnendum oſtendit,n.123. *Videamus quid tandem Cenſores de illo iudicio corrupto iudicaſſe videantur.*

Pro Archia,de gloria quæ ex litterarum ſtudiis percipitur,n.20. Hac vtēdum maxime,cùm prodeſt in aliqua re commorari, & diutius retinere Auditorē;ſcilicet cùm aſſeueramus,indignamur, dolemus,cōmiſeramur,aut exprobramus aliquid Lætitiæ quoque cōuenit;ſed cauendum diligenter,ne in re tenui variāda curioſam potius,quàm neceſſariam operam ponamus. Pro Marcell. n 4. *Eſt vere fortunatus ille, cuius ex ſalute,non minor pene ad omnes, quàm ad illum ventura ſit,lætitia peruenit. Quod ei quidem optimo iure contigit. Quis enim eſt illo,aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium ſtudio,aut innocentia,aut vllo genere laudis præſtantior? nullius tantum eſt flumen ingenij,nulla dicendi,aut ſcribendi tanta vis,&c.*

Pvnctvm XII.

Interrogatio.

REm dubiam non quærit, ſed in laudationibus, vituperiis, votis, deſideriis, aliiſque eiuſmodi motibus exprimendis adhibetur. Pro l.Man.n.61. *Quid tam nouum quam adoleſcentulum priuatum,exercitum difficili Rep. tempore conficere? confecit. Huic praeſſe: præfuit. Remp. optimè ductu ſuo gerere? geſſit. Quid,&c.*

Hac aduerſario per correctionem reſpondemus: primùm quidem quod malè ſubiiciat: deinde quod nos melius. Simile quid habet. Tull. pro Mur.n.73. *Quid enim? Senatus non obuiam prodire crimen putat? non: ſed mercede,conuince. Num ſectari multos? non. Sed conductos: doce. Non locum ad ſpectandum dare? aut ad prandium inuitare? minime; ſed vulgo paſſim. Quid eſt vulgò? vniuerſos. Non igitur, ſi ſummo loco adoleſcens, qui & quo animo iam ſit, & qualis vir futurus ſit videmus.*

Sic imitari licet Ciceronem. Quid? in amore diuino ſummam felicitatem eſſe negas? non. Sed arduum,atque operoſum eſſe,vt qui maxime. Tene difficultas ab illius poſſeſſione retardare debet? non. Sed quis illum aſſequi poſſet? aliquid ei præferendum putas? non. Sed quibus ad hunc peruenitur. Deinde mouebit varias difficultates quibus per ordinem reſpondebit Orator.

Vexatio.

Eiuſdem eſt inſtantia quæ vexatio dici poteſt, quà aduerſarium veluti punctim ferientes, ſic Oratione conciſa, grauiter vrgemus ad reſponſum, vt vix ipſi tempus ad reſpirandum concedatur. In hac vim incitatæ mentis ſuæ, ardorēque exulcerati animi ſæpius exeruit. Cic. pro Comædo,n.13. *Stipulatus es? vbi? quo die? quo tempore? quo præſente? quis ſpopondiſſe me dicit? nemo.*

Quam fortiter inſtat, pro Plancio,n.48. *Eſtne hæc vera contentio? placetne ſic agi? non poſſum magis pedem conferre, vt aiunt, aut propius accedere. Quid taces? quid diſſimulas? quid tergiuerſaris? etiā atque etiam inſto, atque vrgeo: inſector, poſco, atque adeo flagito crimen, quācumq; tribum inqam, delegeris, quā tulerit Plācius, tu oſtēdito, ſi poteris vitiū.*

Grauis ſemper fuit illa interrogatio, quà vehementer vrgetur aduerſarius. Pro Cœlio.n.71. Pro Sextio.n.17. *Quid dicam Conſules? hoccine vt ego appellem nomine euerſores huius imperij? proditores veſtræ dignitatis? hoſtes bonorum omnium? qui ad delendum Senatum, affligendum equeſtrem ordinem, extinguenda omnia iura, atque inſtituta maiorum ſe illis facibus, cæteriſque inſignibus ſummi honoris, atque imperij ornatos eſſe arbitrabantur.*

Sibi ſemper æqualis Tull. 7. Verr.n.15. *Quid hoc in Apollonienſi Ariſtodamo? quid? in Leonte Megarenſi non idem feciſti? quid? iſte motus ſeruorum, bellicaque ſubita ſuſpicio vtrum tibi tandem diligentiam cuſtodiendæ prouinciæ, an nouam rationem quæſtus attulit?* Et.n 140. *Quid eſt? quid ad hæc cogitas reſpondere? num mentiri me? num fingere aliquid? num augere crimen? num quid horum dicere iſtis defenſoribus tuis audes?*

Occupatio.

Valet ad occupandum quod ab aliis proponi poſſet, ita tamen, vt per interrogationem obiiciamus,

Digitized by Google

ciamus, vel quaſi dubitantes varia proponamus quæ ſingula confutentur, ſi quis vehementem illum Pauli motum vrgeat. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? an fames? an gladius?* Et hoc ſchemate velit informare ſubiecta vnicuique membro ſua ratione. Quid enim auocet generoſum pectus ab amore diuino? forte gladius; ille quidem ſæuire poteſt in corpus, animum diſſoluere non poteſt, mortem obiicis? neſcis amantem interire non poſſe? famem? corporis nuditatem? deliciæ ſunt, & ornamenta Chriſtum amantibus; exilia? carceres? vincula? liber eſt quiſquis amat, &c.

Addubitatio.

Variatur addubitatione, cùm aliquid dubitanter proponimus. Quem te eſſe dicam, qui vitæ, ſalutiſque tuæ non auctorem modò, ſed pium conſeruatorem non amas? omni bono ſenſu deſtitutum te credam? an ab omni pietatis ſtudio derelictum? an flagitiis, libidinibuſque æſtuantem? an in cœno turpitudinum, ac ſordibus iacentem? an potius tanti Numinis impium contemptorem? pro Quinctio. n 56.

Submiſſio.

Alter eiuſdem interrogationis modus eſt ſubmiſſio, quando poſt ſingula membra petimus à nobis ipſis rationem rei allatæ: imo nonnunquam vnius eiuſdemque cauſas proponimus. Semper optimus quiſque Deum coluit, & amauit. Quid ita? quoniam eſt ipſe ſummum hominibus bonum, ſummaque felicitas. Qui hoc tandem intelligi poteſt? quoniam habet, vnde vota ſua expleat affatim, qui hunc amorem poſſederit; quoniam ipſi nihil ad felicitatem deeſſe poteſt: quoniam inde bibit, vnde ardentiſſima beatarum mentium ſitis accenſa reſtinguitur, & reſtincta rurſus ad maiorem delectationis ſenſum accenditur: quoniam, &c.

Pax, ait Tul. Ph. 7. n. 9 *cum Ant. eſſe non poteſt. Quia turpis, quia periculoſa; quia eſſe nō poteſt.*

Deriſio.

Valet ad iocum & deriſionem. Pro Roſc. Amer. n. 54. *Quid ergo affers, quare id factum putemus? vere nihil potes dicere. Finge aliquid ſaltem commodè: vt ne plane videaris id facere, quod apertè facis, huius miſeri fortunas, & horum virorum talium dignitati illudere. Exhæredare filium voluit: quam ob cauſam? neſcio: exhæredauit ne? non. Quis prohibuit? cogitabat: cui dixit? nemini.*

Subiectio.

Aliàs fit per ſubiectionem interrogatio. Talis eſt illa Cic. pro Quinct. n. 43. *Quid igitur pugnas? an quod ſæpe multis in locis dixiſti, ne in ciuitate ſit? ne locum ſuum, quem adhuc honeſtiſſimè defendit, obtineat? ne numeretur inter viues? decernat de vita, & ornamentis ſuis omnibus? apud cauſam priore loco dicat, & eam cùm orarit, tum denique vocem accuſatoris audiat. Quid? hoc quò pertinet? vt ocyus ad tuum peruenias? at ſi id velles, iampridem actum eſſe poterat. Vt honeſtiore loco confligere? at ſine ſūmo ſcelere Quinctium propinquum tuum, iugulare non potes. Vt facilius iudicium ſit? At neque Cat. Aquilius de capite alterius libenter iudicat. Quid à nobis autem Aquili, refertur? pecuniam petit? negamus deberi. Iudicium fiat ſtatim: non recuſamus.*

Sponſio.

Modò fit per ſponſionem, cum nobis mulctam imponimus ſi quid poſſit aduerſarius ad noſtra reſpōdere 7. in Verr. n. 153. *Hîc vide quàm meſis vſurus æquo. Cùm ego P. Granium teſtem produxero, qui ſuos libertos à te ſecuri percuſſos eſſe dicat: qui à te nauē ſuā, merceſq; repetat, refellito, ſi poteris meū teſtē, deſerā, tibi fauebo te inquā, adiuuabo*

Monitio.

Per interrogationem ſæpe monemus, & ad terrorem incutiendum efficaciter. Animæ Deo deuotæ ſocietatem hominum fugiendam eſſe monet D. Ambr. ad Virg. deuotam c. 1. *Quid tibi cum mortalibus? quid in illis deſideras, ac requiris; caſtimoniam quam non habent? quid? fidem, quam non inueniunt? doctrinam, quam non ſequuntur, niſi ſæculi ſapientiam, ieiunium, quod oderunt? abſtinentiam, quam indicant? humilitatem, quam opprimunt? ſobrietatem, quam negligunt? ſynceram mentem, quam non habent? verecundiam, quam à ſe proiiciunt?*

Admiratio.

Denique per interrogationem admirationi iunctam vis additur Orationi, ſine qua langueret. Phil. 2. n. 65. *At quàm inſolenter ſtatim helluo inuaſit in eius viri fortunas, cuius virtute terribilior erat Populus Ro. exteris gentibus, iuſtitia carior?*

EXER

Digitized by Google

EXERCITATIO VIII.

TEMPLVM ELOQVENTIÆ,

Siue

EPIDICTICA ELOQVENTIA.

PROOEMIVM.

SVvm eſt etiam Eloquentiæ Templum, in quo virtus, animæ purpura, ſummumque decus, regnat atque dominatur; ſi modo cupiditatibus imperet, ac incitatos aduerſus rationem effuſæ libidinis impetus, inſigni quadam victoria ferendo, feriendoque coërceat, tunc dicetur a Seneca Philoſopho, Domicilium ac Templum veræ ſolidæque gloriæ, in quo Virorum Illuſtrium eximia facinora pro concione celebrare ſolitos fuiſſe Oratores nemo neſcit, tam ad vitâ functorum laudes & gloriam, quam ad ſuperſtitum animos generoſá virtutum æmulatione permouendos. Eam ob rem, cùm demonſtratiuum Genus totum occupetur in laudanda virtute, vitio vituperando, Exercitationem hanc Eloquentiæ Templum nominamus.

LECTIO PRIMA.

De Cauſarum generibus in vniuerſum.

HActenvs de præceptis Orationis fuſè ſatis dictum in genere, ſequitur vt ſingulas Orationum formas, ac ſpecies aggrediamur. Et quidem quæ prior occurrit, dicitur Epidictica Eloquentia, ad pompam quàm ad pugnam aptior, in qua verborum numeroſè molliterque fluentium illecebris, & figurarum ſparſis vbique luminibus diſtincta, aures & animos audientium ſuaui delectatione perfundit. Eſt illa quaſi nutrix eius Oratoris quem informare volumus, & de quo molimur aliquid exquiſitiùs dicere, ait ſcienter Cic. Oratione 37 Imo eiuſdem educata nutrimentis Eloquentia ſe poſtea colorat, & roborat in aliis generibus. Proinde cum genus hoc ἐπιδεικτικὸν, prima præparet Oratori incunabula, non immeritò Tullius Exercitationem hanc iuuentuti commendat.

Digitized by Google

PVNCTVM I.

Triplex cauſæ genus.

QVia verò vix cognoſcet aliquis laudatiuum genus, niſi ſciat plura eſſe Orationum genera, neque in vnam formam cadere omnia, ideo de iis præmittendum aliquid cum Cic partition. n. 69. *Earum quidem forma duplex eſt, quarum altera delectationem ſectatur aurium: Alterius vt obtineat, probet, & efficiat quod agit, omnis eſt ſuſcepta contentio, Itaque illud ſuperius exornatio dicitur; quod cùm latum genus eſſe poteſt ſaneque varium, vnum ex eo delegimus, quod ad laudandos claros viros ſuſcepimus, & ad improbos vituperandos. Genus enim nullũ eſt Orationis quod aut vberius ad dicendum, aut vtilius ciuitatibus eſſe poſſit, aut in quo magis Orator in cognitione virtutum, vitiorúmque verſetur. Reliquum autem genus cauſarum, aut in prouiſione poſteri temporis, aut in præteriti diſceptatione verſatur; quorum alterum deliberationis eſt, alterum iudicium; ex qua partitione tria genera cauſarum extiterunt. Vnum quod à meliori parte laudationis eſt appellatum, deliberationis alterum: tertium iudiciorum.*

PVNCTVM II.

Generis demonſtratiui materia.

QVoniam totum hoc genus ad laudem & vituperationem refertur, perſpicuum eſt illud tam latè patere, quàm ea quæ laudari poſſunt, aut vituperari. Ideóque materiam eius eſſe virtutem & vitium, quæque ſunt cum illis coniuncta. Hanc præſcribit ac definit Cic. partic. n. 71. *Omnia ſunt profectò laudanda quæ coniuncta cum virtute ſunt; & quæ cum vitiis vituperanda.*

Rerum ergo laudandarum & vituperandarum ſeries in duas partes diuiſi ſolet: quarum prima res complectitur; altera rerum attributa. Rerum ſeriem explicat Ariſt. 1. Rhet. cap. 9. συμβαίνει δεῖ ἐπαινεῖν οὐ μόνον ἄνθρωπον, ἢ θεὸν, ἀλλὰ καὶ ἄψυχα, καὶ τῶν ἄλλων ζώων τὸ τυχόν. Laudare conuenit non tantùm hominem, aut Deum, ſed & inanimata, & quodlibet aliorum animalium accidens, ſeu attributum, quibus res vniuerſas comprehendit.

Præclarè quidem eximiis ingenij dotibus inſtructus Philo, ſolius Dei laudem eſſe pronuntiauit nominis autem opus, ἄριστον καὶ τελειότατον, τὸ εὐχάριστον. Secundum verò Deum laudari Diuos, Heroas, reges, aliaque deinceps omnia, dummodo boni ſpeciem aliquam præ ſe ferant, vt benè monet Epictetus l. 1. c. 16. τὸ ἰδεῖν ἡμᾶς ποιεῖ. ἢ ὑμεῖν τὸ θεῖον, καὶ εὐφημεῖν. καὶ ἐπεξέρχεσθαι τὰς χάριτας.

Attributa rerum vocamus earum proprietates, & quæcumque his contingunt, vitioque vel laudi verti poſſunt: Ideo huc pertinent vitia, virtutes, bona corporis, & fortunæ dona, cæteraque generis eiuſdem; quæ tamen vt poſtrema, quod ἀδιάφορα ſint, atque vt videtur indifferentia, ſuapte natura laudis, aut vituperationis materia eſſe non poſſunt, ſed tantum quatenus inſtrumenta virtutum in bonis, & vitiorum, in malis ſunt.

PVNCTVM III.

Epidictici generis finis.

CVm ex Auditorum genere formas eloquentiæ partitur Ariſtot. 2. Rhe. capite 3. θεωρῶν ait eſſe genus aliquod abditorum, qui ſcilicet ſolùm ad contemplandum, & ſpectandum conueniant, voluptatis percipiendæ gratiâ ex ſpectaculo, videtur innuere voluiſſe, generis huius, quod tales haberet Auditores, finem eſſe delectationem, quam ſolam affectant ſpectatores. Neque videtur ab eo diſcedere Tull. cum ἐπιδεικτικὸν dixit genus eſſe quaſi ad incipiendum delectationis causâ comparatum.

Duo tamen hîc veniunt obſeruanda. Primum delectationem non eſſe finem vltimum vituperationum, vel laudationum, alioqui totum hoc genus caſſum quiddem & inane foret, ſed ex vtroque illo genere inſignem aliquam oriri virtutis commendationem, aut vitij deteſtationem, quæ in Auditorum animis honeſtatis amorem, odium turpitudinis infigat altius. Et id ex mente

te Ciceronis laudatiui generis finem honeſtum indicantis, quòd Orator laudando, & vituperando velit oſtendere, quid honeſtum, quid turpe ſit, atque ad illud inuitare, ab hoc Auditores deterre contendat.

Alterum ex priore colligendum, remotum finem harum Orationum eundem eſſe, qui totius Rhetorices, nempe perſuaſionem. Hæc enim opera ſunt eloquentiæ. Proindè non alium finem ſpectare debent.

LECTIO II.

Generis demonſtratiui Inuentio.

TRIPARTITA locorum ſeries, ſuam cuilibet generi partem aſſignat; demonſtratiuo perſonarum locos; Iudiciali factorum, & aſſumptos; Deliberatiuo rerum inſitos, non quod omnes ad omnia genera non pertineant; certum quippe eſt quodlibet genus omnibus hiſce locis, non tantùm vti poſſe, ſed etiam indigere; proindè videndum quî ſit vtendum locis ad quodlibet genus. In quauis igitur perſona, natura ſimul & fortuna laudatur, aut vituperatur: natura corpus & animum complectitur: fortuna verò conditionem & facultates. Hinc clarum eſt triplicem eſſe bonorum partitionem à Philoſophis receptam, corporis, fortunæ, animi. Côditio genus comprehendit, vel quod infame eſt, cùm propter ſcelus aliquod graue, tùm propter conditionem abiectam: vel illuſtre maiorum virtutibus, & nobilitatis inſignibus, vel humile & obſcurum. Quia verò non ſolum à parentibus generis nobilitas petitur, ſed ab alijs ornamentis, ideò natiuitatis modus & tempus, nomen & educatio, cæteraque eiuſdemmodi hùc reuocari poſſunt.

Facultates alteram bonorum fortunæ partem implent, diuitias, honorum gradus, famam nominis & exiſtimationem loquor, ſæpè fortunæ dominâtis arbitria, non ſêper argumēta virtutis.

In bonis corporis præcipuæ ſunt eiuſdem affectiones, forma, robur, valetudo, nec-non ſexus: accedunt facta, quæ licet à corpore ſimul & animo pendeant, coniunguntur tamen cum bonis corporis, quòd vtraque ſint; quaſi ſpeculum, in quo animi bona cognoſcuntur. Nam facta certa ſunt Iudicia virtutum, aut vitiorum, ex quibus proficiſcuntur.

Animi bona ſunt in affectibus voluntatis & intellectus, ſeu rationis. In voluntate quidem virtutis ſitæ ſunt, in ratione habitus ad virturem recta ſcilicet in illis ſtudia côſiderantur, Cognitio primum, deindè actio: Cognitionis duæ partes aſſignantur. Prudentia domeſtica ſcilicet, atque publica, ſeu ciuilis, vtrumque comitatur calliditas, in qua ſunt vafrè dicta, fraudes occultæ. Sapientia quæ rerum diuinarum humanarumq; ſcientiam amplectitur, ad quas Regina ſcientiarum Theologia, indagatrix naturæ Philoſophia, victrix animorum Eloquentia, cæteræ denum diſciplinæ liberales reuocantur.

Actionis, quam in uirtutibus ſecundam diximus, caput eſt Temperantia; quæ vel eſt in rebus priuatis, vel in communibus. In illis eſt continentia rerum abſentium, & abſtinentia præſentium tùm liberalitas & animi celſitudo, in periculis & iniurijs tolerandis, habetque fortitudinem contra venientia, conſtantiam ad præſentia patientiam denique in obitis iam malis In iſtis eſt Iuſtitia, erga Deum ſuperoſque Religio, pietas erga parentes, in rebus creditis fides, in animaduertendi moderatione lenitas, in beneuolentia amicitiæ; quæ ſingula virtutes ſpectant.

Habitus in ratione ponuntur, qui vel in rebus priuatis reperiuntur, quales ſunt exercitia, liberalium artium ſtudia, honeſtarumque, puta venandi, equitandi, tractandorum armorum peritia, &c. aut in communibus, in religione, doctrina, alijs erudiendis & informandis ad virtutem, cæteriſque exercitiis quibus iuuamus omnes, nobiſque prometemur, horum agmen ducit verecundia, reliquarum virtutum compendium.

Iam ſi mala ſingula bonis opponas, vitiaque virtutibus: quot ad laudem hæ, fontes aperuerunt, tot ad vituperationem illa ſuggerent. In animi bonis, prudentiæ temeritatem, ſapientiæ ſtuporem & ignoranriam, temperantiæ libidinē, animi magnitudini timiditatem, pietati ſcelus &c. impietatē, Iuſtitiæ, & æquitati, iniquitatē & iniu-

riam, quæ ſingula theſauri ſunt, ex qu bus inuentio generis epidictici coaleſcit.

P V N C T V M I.

Laus à patria.

PRima ſi nobilis,& multas inter maximaſque ciuitates primum celebritatis locũ obtineat. Simonidis PoëtæLyrici ſentẽtia ſatis audax hæc eſt,oportere eum qui beatè vult viuere,partiam habere glorioſam. Hanc ob cauſam, vt habet Æmilius Probus,Mneſtheus Iphicratis filius Athenienſis ex Coti Thracum Regis filia natus, quem pluris è parentibus faceret interrogatus, matrem reſpondit,quod pater, quantum in illo fuit ſe Thracem genuiſſet, mater Athenienſem. Cuius rei conſcius Alexãder Seuerus Syrus cùm eſſet,originẽ à Romanis traxiſſe videri volebat.

II. Celebrata virtutibus.

Si patria propter inſignem aliquam virtutem celebretur. Nam ſi mores plerumque trahuntur à patria,quis non laude dignum dicat eum, qui laudatam patriam conſecuutus ſit. Et ſanè ſi Vulpianus voluit, vt qui Mancipia vendebant, nationem cuiuſque nominarent in venditione, quod vt ait, præſumptum ſit quoſdam malos videri, quoniam ex ea ſunt oriundi natione, quæ magis infamis eſt quantò magis in laude meminiſſe debemus glorioſæ patriæ, ad illius commendationem,qui ex ea natus eſt?

III. Viris illuſtribus inſignis.

Si multos illuſtres viros tulerit, aut diuinos fundatores habuerit àliquos,vel Legiſlatores benè pios ac ſapientes. Hinc Ariſtides in Orat.funeb. pro Alexandro μέγα γὰρ καὶ πόλει καὶ ἔθνει ἕνα τῶν πρώτων παρέχεσθαι, magnum eſt & vrbi & genti primum aliquem virum protuliſſe. Portô laus ab hoc capite talis eſt, vt ille clarus & illuſtris dicendus ſit qui fuerit oriundus à patria virorũ illuſtrium parente. Huius meminit Cic. pro Archia n.19. *Homerum Colophonij ciuem eſſe dicunt ſuum, Chij ſuum vendicant, Salamina repetunt, Smyrnei verò ſuum eſſe confirmant; Itaq; etiam delubrum eius in oppido dedicauerunt, permulti alij preterea pugnant inter ſe, atque contendunt.*

IV. Adminiſtratione ſingularis.

Quarta laus ab illius adminiſtratione petitur. Nam quò melior erit, eò laus etiam maior exiſtet. D.Chryſoſt. Orat. 5. de regno pluribus Monarchiam commendat Bodinus 2. de Reg. ſingularum commoda perſequitur,& incommoda recenſet. Ex quibus facile laus colligitur, quales enim adminiſtratio mores formabit, tales cuique tribuentur.

V. Fertilitate ſituque nobilis.

Omnium minima laus, propriè tamen in commendatione patriæ vſurpanda, quæritur à ſitu, commodis, amœnitate loci. Cic. pro lege Man. 14. *Aſia vero tàm opima eſt & fertilis, vt & vbertate agrorum, & varietate fructuum & magnitudine paſtionis & multitudine earum rerum quæ exportantur, facilè omnibus terris antecellat.* Pro Siracuſis 4 in Verr n.11[illegible].

Totum hoc laudationis caput eleganter expreſſit Pacatus in Orat. Theodoſio dicta, dùm Hiſpaniam deſcribit. *Primùm tibi mater Hiſpania eſt, terris omnibus terra felicior, cuì excolendæ, atque adeò ditandæ impenſius, quàm cæteris gentibus ſupremus ille rerum fabricator indulſit, quæ nec auſtrinis obnoxia æſtibus, nec arctois ſubiecta frigoribus, media fouetur axis vtriuſq; temperie, quæ hinc Pyrenæis montibus, illinc Oceani æſtibus, indè Tyrrheni maris littoribus, coronata, naturæ ſolertis ingenio velut alter orbis includitur. Adde tot egregias ciuitates, adde culta incultaq; omnia, vel fructibus plena, vel gregibus, adde auriferorum opes fluminum, adde radiantium metalla gemmarum.*

Scio fabulas Poëtarum auribus mulcendis repertas, aliqua nõnullis gẽtibus attribuiſſe miracula, quæ dum ſint vera, ſint ſingula, nec jã excutio veritatẽ, ſint ve ſcribitur, Gargara prouentu læta tritico, Meuania memoretur armento, Cãpania cẽſeatur mõte Gaurano, Lydia prædicetur amne Pactolo, dùm Hiſpaniæ vnũ quidquid laudatur, aſſurgat. Hæc duriſſimos milites,

hæc experientiſſimos duces, hæc fœcundiſſimos Oratores, hæc clariſſimos Vates parit: hæc Iudicum Mater, hæc Principum eſt, hæc Traianum illum, hæc deinceps Adrianum miſit Imperio. Huic te debet Imperium, cedat, his terris, terra Cretenſis partus Iouis gloriata cunabulis, & geminis Delos reparata numinibus, & alumno Hercule nobiles Thebæ fidem conſtare neſcimus auditis, Deum dedit Hiſpania, quem videmus,

Ad oſtentationem dicta potius, quàm ad veritatem. De Italiâ Orbis Sole facilè credet hæc, & longè plura, qui quanta ſit illa, quàm fertilis & glorioſa nouerit: ea certè, cui facilius maiorum vetuſtas vetus inuideat, quàm eleuet. Adeo illic omnis Regio aut intertexta vineis, aut floſculenta pratis, aut diſtincta culturis, aut conſita pomis, aut amœnata lucis, aut irrigata fontibus, aut interfuſa fluminibus, aut crinita meſſibus eſt, vt ſe poſſeſſores terræ illius, non tàm ſoli huius portionem, quam paradiſi veram imaginem poſſidere videantur.

Certè quod de triumphante Roma Claudianus lib.3. de laud. Stiliconis, ad rem hanc mirificè facit.

Quâ nihil in terris complectitur altius æther,
Cuius nec ſpatium viſus, nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit, quæ luce metalli
Æmula vicinis faſtigia conſerit aſtris,
Armorum legumq; parens; quæ fundit in omnes
Imperium, primiq; dedit cunabula iuris,
Hæc eſt exiguis quæ finibus orta tetendit
In geminos axes, paruaq; à ſede profecta
Diſperſit cum ſole manus: hæc obuia fatis
Innumeras vno gereret cum tempore pugnas
Hiſpanas caperet, Siculas ſubmitteret vrbes,
Nunquam ſuccubuit damnis, & territa nullo
Vulnere.

Ad laudem igitur faciunt Conditores, Heroës, Dij, Principes, Cœli, ſolique clementia, mœniorum, ædificiorumque deſcriptio, Templa, Fora, Leges, Arma, Mores, Viri rebus benè geſtis illuſtres, nationum decora: qualia poſſunt eſſe Galliæ inuicta fortitudo, humanitas, litteræ, gentiumq; omnium victoria. Dabunt exempla panathenaicum Iſocratis, Romam ſuam Ariſtides, Dion Rhodiacam, Corinthiacam: Lucianus patriæ Encomium, Plinius Italiæ laudem Nicetas Bizantiũ.

VI. Ex ignobili patria nobiles.

His cõtraria facient ad vituperationem; quod præſtabit Orator, ſi patriæ nobilitatem nihil aut parum homini conferre doceat, neque ſemper ab illuſtri patria generoſos oriri, probe, nec poſſeſſiones viros, ſed viros poſſeſſiones nanciſci, vt eſt in Theucydide lib.4. Quid obſtitit Anacharſi quominus eſſet in admiratione apud Græcos, genere licet barbaro, qui vocatus à quodam Scytha parum honorificè, verbo de patriæ ſplendore natalibuſque glorioſum repreſſit. Mihi quidem patria probro eſt, tu verò patriæ.

Glorioſè Themiſtocles apud Ciceronem in Catone, Seriphio cuidam ſibi exprobranti quòd non propter ſe, ſed propter Athenas fuiſſet honoratus, reſpondit neque tu ſi Athenienſis eſſes, clarus extitiſſes, neque ego ſi Seriphius, eſſem ignobilis, Quibus docuit, quàm parum ad gloriæ decus, & famam nominis patrium ſolum conferat. Quam ob cauſam Zenonem virum ſapientẽ dicere ſolitum accepimus, non quærendum, an ex illuſtri ciuitate oriũdi fuerint homines, ſed an ea digni vixerint. Eſto tu nobilis, ſi patria ſit ignobilis, & obſcura. Magnæ vrbes plerumque paruos ciues habent, paruæ magnos. In ſyluis relictus, & enutritus Romulus omnium vrbium Reginam Romam cõdidit quam euertere voluit in maxima vrbe genitus Catilina. Quis illuſtrior Romulo? virtute rebuſque geſtis ad inuidiam, nemo non poteſt illuſtrem ex obſcura patriam reddere. Scimus Biantem Prienæum; Pythagoram Samium; Anacharſim Scytham, Democritum Abderitem, Ariſtotelem (qualis vir) Stagiritum, Tullium eloquentiæ parẽtem, Arpinatem vnum. Si rectè ratiocinari velimus, non homines factos illuſtres ex Ciuitatibus, ſed per viros bonos & eruditione præſtantes, patrias fuiſſe nobilitatas comperiemus.

PVNCTVM II.

Fons laudis à parentibus.

QVoniam ſeminis vim & naturam referre ſolet arbor, quæ ex ſemine exiſtit, inſtituerunt homi-

Digitized by Google

homines credere ſemina quædam virtutis, aut ſatu ipſo, & temperatione corporis, aut morum imitatione, & diſciplina liberis à parentibus innaſci, ex quibus idonea ætate, vitæ dignitas & honeſti ratio ad eos dimanaret.

Origo laudum igitur ab hoc loco deſumitur ab illa communi opinione, quâ creduntur filij parentibus ſimiles, moribus illorum non diſſimiles; indeque ſæpius ad honeſtè iuſteque viuendum cauſæ fluere dicuntur: quam ſimilitudinem parentum filiorumq; celebrarunt ſcriptores cõmendati. Tull. pro Sext. num. 21. vtile Reip. dixit nobiles homines eſſe dignos maioribus ſuis. Ad cuius mentem Sen. 4. de benef. c. 30. *Non ſine ratione ſacra eſt magnarum virtutum memoria, & eſſe plures bonos iuuat: ſi gratia bonorum non cum ipſis cadat.* Nullus Philoſopho melius. 3. Polit cap. 13. *Nobilitas apud ſingulos eſt domi pretioſa, præterea par eſt meliores eſſe, qui ſunt è melioribus oriundi. Nobilitas quippe virtus generis eſt:* Polit. 1. c. 4. concludit. *Sicut ex hominibus hominem, ex beſtiis beſtiam, ſic ex bonis bonum generari.* Iuxta decantatum Illud Lyrici carminis 4 Od 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis,
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Pergenerant Aquilæ columbam.

Quæ cauſa fuit cur Martialis ad Catullum lib. 6. filiam Ebrij aquam potare miretur.

Miror quod Baſſi filia potat aquam.

Iam ſi verum eſt quod ſapientiæ Doctor ſingularis poſuit, eſſe naturæ conſentaneum ex melioribus ortos eſſe meliores, quanta laudum ſeges ex hac ſimilitudine, ſi quem celebrandum nobis propoſuimus, paternæ virtutis æmulum, & laudis imitatorem, ſimilem patri, matri non diſſimilem probare poſſimus: quàm incredibiliter excellet ille, qui parentes regiis notis claros & inſignes, diuinis muneribus ornatos, gloriæ monumentis illuſtres, ore finget, animo referet, imitatione ſequetur.

I. Idea.

Quod igitur Rhetori conuenit oſtendendum, ſcilicet quomodo laudes ab hac ſimilitudine ducantur. In Paneg. Maximiano & Conſtantino Auguſtis dicto, ſic ex hoc loco triumphat Orator, *O diuinum tuum Maximiane iudiciũ, qui hunc tibi iure adoptionis nepotem, maieſtatis ordine filium: etiam generum eſſe voluiſti! Diui inquam Conſtantij filium, in quem ſe prima illius iuuenta transfudit, in cuius ore cæleſtes illius vultus natura ſignauit: qui aſpectum illius ad Deorum concilia tranſlati adhùc deſiderantibus nobis ſufficit pro duobus. Neque enim fortuna tantum in te patris Conſtantine, ſed etiam continentia, fortitudo, iuſtitia, prudentia ſeſe votis gentium præſentant.*

II. Idea.

Alterum exemplum ex Eumenij Panegyrico Conſtantino dicto, ſumitur. *Te tantum ille, & imperator in terris, & in cœlo Deus in primo ætatis ſuæ flore generauit, toto adhuc corpore vigens, illa præditus alacritate, & fortitudine. Inde eſt quod tanta ex illo in te formæ ſimilitudo tranſiuit, vt ſignante natura vultibus tuis impreſſa videatur. Idem enim eſt, quem rurſus in te colimus aſpectus, eadem in frõte grauitas, eadē in oculis, & in ore trãquillitas. Sic eſt index modeſtiæ rubor ſic teſtis ſermo iuſtitiæ. Accipe noſtrorum ſenſuum confeſſionem. Dolemus quod Conſtantius exceſſit à nobis, ſed dum te cernimus illum exceſſiſſe non credimus.*

III. Idea.

Tertium ex Nazario de Conſtantino Imp. petitur. *Si quid intactũ aut parens, aut frater reſeruet, declarat mox victorem futurum, qui animo iam vincit ætatem. Rapitur quippe ad ſimilitudinem ſuorum excellens quæq; natura, nec ſenſim, aut lentè iudiciũ promit boni, cum inuolucra infantiæ viuidum rumpit ingeniũ. Vnde enim Principis maximi tàm effuſius in liberos animus, niſi quod in illis iam ſimulacrum ſui conſpicit? Commendet inferioribus ſuos ſola neceſſitudo naturæ, & qualeſcumq; diligant, cum illi quod ex ſe deſiderent, non habent, præſtantiſſimum Principem hoc maximè iuuat, quod in annis primoribus iam ſunt ductæ lineæ, quibus virtutum ſuarũ effigies poſſet includi, & pater optimus, ſed melior imperator, nõ tàm ſibi, quàm Reip. gaudet, cùm liberos ſibi ſimiles intuetur, quibus ad perficienda quæ ingenerata ſunt bona, non ſegnis virtutum opifex diſciplina coniungitur.*

Hæc faciunt ad laudem quę à ſimilitudine ducitur. Quæ autem habet Latinus Pacatus in Panegyrico Theodoſij, ad abſolutam, quæ à claris paren-

Digitized by Google

parentibus ducitur ad filios. Poſt multa ſic concludit. *Sed quid neceſſe eſt miſti in præteritũ diligentiam curioſam? patrẽ Imp tuum de te exiſtimem, nec difficilis cõiectatio eſt. Nã cùm duo ſint quæ claros duces faciant, ſũma virtus, ſũmaq; felicitas, ſcire obuiũ eſt quâ præditus fuerit: virtute, qui te docuit, quâ fuerit felicitate, qui te genuit. O digna Imp. nobilitas eius eſſe filium Principem, qui Princeps eſſe debueris!*

Neque tantum iſta ſimilitudo deſumitur à natura, ſed ab innato illo filiis parentum imitandorum ſtudio. Saluſt. in procœmio belli Iugur. *Sæpè, inquit, audiui ego Q. Max. Publium Scipionem, præterea ciuitatis noſtræ præclaros viros ſolitos ita dicere, cùm maiorum imagines intuerentur, vehementer animum ſibi ad virtutem accendi.*

Cic. 2. Vert. n. 52. *Circumſtant te ſumma auctoritates, quæ te obliuiſci laudis domeſticæ nõ ſinãt: quæ te dies noctesq; commoueant, fortiſſimum tibi patrẽ, ſapientiſſimum auum, grauiſſimum ſocerum fuiſſe.*

Eſt illud Andromachæ Virgilianæ de Aſcanio filio rogantis Æneam.

Ecquid in antiquam virtutem, animosq; viriles,
Et pater Æneas & auunculus excitat Hector?

PVNCTVM III.

Vituperatio.

QVæ de hac ſimilitudine dicta ſũt, non adeò certa volunt Oratores, quin poſſint in vtrãque partem eleuari: vt & mali parentis bonus filius, & boni malus inueniatur. Quis enim non illud toties repetitum audiit peiores ſemper eſſe parentibus liberos, ex lyrico carmine 3 Od. Cantu 4.

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior Auis tulit,
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Quam ob cauſam quærere ſolebat Princeps Orator Demoſthenes, quod fieret fato quodam, vt vitia in poſteros mãnent, virtutes verò cum parentibus obruantur.

Ex eodem fonte fluxit Ælij Spartiatæ querela, neminem propè magnorum virorum optimũ, & vtilem filiũ reliquiſſe; denique vel ſine liberis interiiſſe, vel tales habuiſſe pleroſque, vt melius fuerit, ſine poſteritate rebus humanis diſceſſiſſe.

In his gemina laus, aut vituperatio, ſi parẽs vterque nobilis, ſi virtute rebuſque fortiter geſtis charior, vel contra, ſi fuerit obſcurus, aut improbus. Hinc Ouid 4. de Ponto Eleg 16. nobilitatem te ingeminatam vocat, quæ ab vtroque parente nobili ducitur.

Maternos Cottas cui Meſſalosq; paternos,
Maxima nobilitas ingeminata dedit,

Addit Ariſtides in Oratione funebri Æteonei. ἡμῖν τοῦ γε πρὸς πατρὸς, τὸ πρὸς μητρὸς ἰσάμιλλον· αὐτοὶ δ' οἱ γονεῖς, ὁ μὲν, ἀνδρῶν γνωριμώτατος, ἡ δὲ, γυναικῶν σωφρονεστάτη. Iam verò cum genere paterno certat maternum: ex parentibus enim ille quidẽ inter viros nobiliſſimus; hęc verò mulierum omnium probiſſima.

Contrà, Piſoni degeneri ignobilitatem obiicit Cic. n. 72 *O vilitas animi lucem ſplendoremq fugientis! ò lutum! ò ſordes! ò paterni generis oblite materni vix memor! Ita neſcio quid iſtud fractum, humile, demiſſum, ſordidum inferius eſt, quàm vt mediolanenſi præcone auo tuo dignum eſſe videatur.*

PVNCTVM IV.

Laus in genere à nobilitate.

POſtquam Ariſt. 1. Rhet. c. 5. nobilitatem fecit priuatam vnam, publicam alteram: illam à parentibus, hanc à patria gẽte, ſeu ciuitate trahi aſſerit, vnde clarum fit, quibus è fontibus laus duci poſſit à nobilitate.

1. Virtutum parens & origo laudum.

Primùm quod ea per ſe non tantum laudanda ſit, ſed etiam fundamentum laudum Claud. in Serena.

—— Nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atq; omnes redeunt in ſemina cauſæ.

Eumenius Orator in Conſtantino, vel ſola nobilitate, ſine adiumento aliarum virtutum Principem

cipem imperium aſſequi debuiſſe contendit. *Inter omnes participes maieſtatis tuæ, hoc habes Conſtantine præcipuum, quod Imperator es, tantaque eſt nobilitas originis tuæ, vt nihil tibi addiderit honoris imperium, nec poſſit fortuna Numini tuo imputare quod tuum eſt, omiſſo habitu, & ſuffragatione; non fortuita hominum conſenſio, non repentinus aliquis euentus te Principem fecit, imperium naſcendo meruiſti.*

Parens quædam eſt, & nutricula virtutum maximarum nobilitas, vt Nazianz. Auguſtæ mentis Pontifex Orat. 36. Nobiles, inquit, & generoſæ animæ, ſi ratione gubernentur; & coërceantur μέγα τι χρῆμα πρὸς ἀρετὴν, magnum ad virtutem pondus afferunt. Nam, vt præclarè notat Eumen. in Conſt. *Fama virtutis certa munitio eſt. Inde eſt igitur Imperator pax iſta qua fruimur. Neque enim Rheni iam gurgitibus, ſed nominis tui terrore munimur; quamlibet ille aut accreſcat æſtu, aut reſiſtat gelu, neutro hoſtis audebit vti vado, Nihil enim inſuperabili vallo nos præcluſit, quod non penetret audacia, ac aliqua conandi ſpes relinquatur, ille eſt inſuperabilis murus, quem extruit fama virtutis.*

II. *Antiqua.*

Maximè commendatur nobilitas ab antiquitate; hinc illa veterum cura ſollicita in conſeruandis maiorum imaginibus, vt ex earum numero antiquiorem nobilitatem oſtentarent. Ariſtides in Apælleo Genethliaco Orat 10. ἐπεὶ καὶ τοῦτ' οὐ μικρὸν ἔστ' οἶμαι πρὸς ἀλλήλοις ὑμῖν, τὸ μὴ σὲ φῦναι μόνον αὐτὸν ἐπὶ ταυτησὶ τῆς πόλεως λέγω, προγόνοις δ' ἀλλαχόθεν ἀριθμεῖν ἔχειν. Ἀλλ' ἄνωθεν ἀρξαμένην διαδοχὴν ὅθεν οὐδ' εὑρεῖν ἦν ἂν διὰ χρόνου μῆκος, εἰ μὴ προσέκειτο ἡ λαμπρότης μέχρι σοῦ προχωρῆσαι, διὰ σοῦ πλήρη τὸν αἰῶνα τὸν ἑξῆς ἀναπλήσεται. Ἀπὸ γὰρ τοι Κοδράτου, δῆλον δ' ἐστιν οἶμαι καὶ φθεγξαμένου πᾶσιν ὁμοῖος τοὔνομα, ἔξεστιν ἀριθμεῖν κατιόντι τὸ γένος εἰς τοῦτον ὁρᾶν ἅπαν καθαρόν τε καὶ γνήσιον τῆς δὲ τῆς γῆς βλάστημα ποιητὴς ἄν τις εἴποι, καὶ μάλ' ἐπαινοῦσιν ἑαυτῶν, καὶ μᾶλλον ἀνθηρόν, ὥσπερ ἀρχόμενον ἀεὶ καὶ μηδέποτε λῆγον, ἕως ἂν ἡ τρέφουσα γῆ τουτοὶ τὸν καρπὸν ἀθάνατος ᾖ. Nam nec hoc paruum inter vos intercedit, quod non tantum in hac vrbe natus es maioribus aliunde oriundis, ſed altiſſimè repetita ſeries, vnde præ temporis diuturnitate niſi taceret fidem nominis ſplendor, peti vix poſſet

ad te vſque proceſſerit, per te in poſterum complenda, ſiquidem à Quadrato, cuius nomen vel memoratum, ab omnibus agnoſcitur, gradatim ad hoc genus deſcendit, totum genuinum huius terræ germen, vt Poëticè loquar, egregiè ſibi ipſum ſuper efflorefcens, & magis etiam ad id. enitens, quippe quod oriatur perperuò, nec vnquam intereat, donec huius fructus ferax terra perduret.

Vt verum ſit eò nobilitatem illuſtriorem eſſe, quò fuerit antiquior. Sic latini carminis Princeps de Camerte 12. Æn. Qui non contentus propriam ipſius fortitudinem, & patris virtutem commemoraſſe, quæ res eum maxime nobilem probabant, originem quoque maiorum adduxit, anguſtiorem ex eo maioremque declaraturus.

Cui genus à proauis ingens, clarumque paterna
Nomen erat virtutis, & ipſe acerrimus armis.

Sic Archades de ſuis antiquis glorioſuli ſe προσελήνους, ante Lunam ortos iactitabant, ait Statius 4. Thebaidos.

Arcades hinc veteres aſtris, Lunâque priores.

Sic Æthiopes αὐτόχθονας ſe dicebant, hoc eſt aborigines, ſeu manus ex terra, quam incolebãt, procreatos, itaque Cicadas in cono verticis geſtabant ad oſtentationem antiquæ nobilitatis Iulius Cæſar ſuam originem à Venere repetebat, Triumuir Antonius ab Hercule, denique multi ſui generis exordium cùm neſcirent, tot maiores ſibi effingebant, quot eſſe Deos audierant.

III. *Virtus.*

Si virtuti boniſque moribus coniuncta ſit generis dignitas, & ſplendor nominis. Vt enim benè Symmachus epiſt. 15. lib. 9. Non ſolus vultus, aut color aſſerit poſteros in honorem Parentum; quid ergo? nihil ſane melius, quàm virtus ipſa, vel teſte Phalari ſcelerato, ſed docto, qui ab Axiocho rogatus, quid de nobilitate ſentiret, reſpondit. ἐγὼ δὲ μίαν εὐγένειαν ἀρετὴν οἶδα, τὰ δ' ἄλλα πάντα τύχην. Solam virtutem nobilitatem puto, cætera fortunam. Quintilianus autem lib. 5. cap. 11. Quis generoſiſſimus, nonne qui optimus? non claritate naſcendi, ſed qui virtute maximè excellit.

Per contemptum nouus Arpinas appellatus Cic.

Digitized by Google

Cic ita generis ſui ſplendorem docet Saluſtium.

Ego meis maioribus virtute mea præluxi , vt ſi prius noti non fuerint , à me accipiant initium memoriæ ſuæ. Tu tuis vitâ quam turpiter egiſti, magnas offudiſti tenebras vt etiamſi fuerint egregij ciues , certè venerint in obliuionem. Quare noli mihi viros antiquos obiectare. Satius eſt enim me meis rebus geſtis florere , quàm maiorum opinione niti ; & ita viuere , vt ego ſim poſteris meis nobilitatis initium , & virtutis exemplum. Tiraquellus de nolitate cap.4.num.5.Cic. pro Mur.num.16.

IV. Illuſtris honoribus.

Si multis honoribus & dignitatibus illuſtrata ſit. Eam ob cauſam maiorum ſuorum imagines ornabant inſignibus dignitatum,quas geſſerant, vt eorum magiſtratus illuſtrarent,ita Iuuen. Sat. 2. hùc ſpectat quod munera publica nobilibus debeantur , tanquam proprium patrimonium, adeo ut in obtinendis magiſtratibus , aut etiam beneficiis cæteris præferantur , quod Cic. docet 7.in Verr.cùm ſic ait.*Sed non idem mihi licet,quod iis,qui nobili genere nati ſunt , quibus omnia Populi Rom.beneficia dormientibus deferuntur.*

Pro Muræna verò magiſtratibus, & cætera id genus munera deferri ſolita nobilibus magis quàm quibuſuis aliis declarat in Sulpicio. num. 15. *Summam video in te eſſe Sulpici dignitatem generis , integritatis , induſtriæ , cæterorumque ornamentorum omnium, quibus fretum ad Conſulatus petitionem aggredi par eſt. Paria cognoſco eſſe iſta in Lu.Muræna, atque ita paria, vt neque dignitate vinci potuerit , neque te dignitate ſuperarit. Contempſiſti Murænæ genus,extuliſti tuum.*

Denique ſi verum eſt dignitates nobilitare, geminata illius erit nobilitas, qui ſplendori natalium , honoris adiunxerit nobilitatem. Ab hoc capite ſe commendat Cicero,nouitium licet hominem , 3. in Catil. cùm geſto Conſulatu ad faſtigium vltimæ nobilitatis ſe dicit perueniſſe n. 28. *Mihi quidem ipſi quid eſt , quod iam ad vitæ fructum poſſit acquiri , cùm præſertim neque in honore veſtro , neque in gloria virtutis quidquam videam altius , quò quidem mihi libeat aſcendere.*

Hùc referri poſſunt facinora tanquam propria nobilitatis inſignia,de quibus aliàs.

V. Liberalium artium diſciplinis exculta.

Non eſt minima nobilitatis commendatio, ſi liberalium artium diſciplinis exculta fuerit , & innutrita. Vera quidem Q.Mutij ſententia ; *Turpe eſt Patricio , & nobili viro ignorare Iuriſconſultorum ſcientiam*, addamus & nos ingenuas facultates, quas nobilem decere probat. Am.Marcellinus cùm de Orphito ſummæ nobilitatis viro loquitur. *Vir* , ait , *prudens & forenſium negotiorum oppidò gnarus , ſed ſplendore liberalium doctrinarum minus , quàm nobilem decuerat , inſtitutus.*

Neque deſideratur hìc ſæculorum, & totius antiquitatis iudicium. Ægyptij referente Diodoro Siculo.lib.1. cap. 2. Suam Rempubl.in tres ordines diuidebant; primum aſſignabant iis,quos nobiles dicebant, ſcilicet eruditionis & doctrinæ ſtudiis deditos ; quos eam ob rem ſummis laudibus , & honore ſingulari excipiendos eſſe cenſebant.

Neque nobiles tantum,ſed Reges etiam ipſos & Imperatores hoc eruditionis ornamento coronas illuſtraſſe ſcimus ex Tiraquello , quorum Catalogum recenſet de Nobilit.cap.5.

Quid quod Plutar. in vita Iulij Cæſaris putat feliciorem Iubam Mauritaniæ Regis filium, quòd Romæ captiuus hiſtoricus factus fuerit, quàm ſi liber ſuos inter barbaros, barbarus ipſe regnaſſet. *Fortuna fuit illi captiuitas* , ait *qui inde ex barbaris Numidis, inter eruditiſſimos Hiſtoriographos recenſetur.*

Nullis Athletis ſic conuenit exercere corpus, vt Regibus animum , aiebat olim Iſocrates ; neque enim Princeps ſubitò fit , ſed multa rerum cognitio requiritur ad eius perfectionem. Hinc nullo ſtudio, nulla gubernationis exculto diſciplina Verri prudēs inſultabat Cic.4. Act.in eundem, *Tu ſine vlla bona arte , ſine humanitate , ſine ingenio ſine literis intelligis, & iudicas.* Oraculum militare Vegetius edidit his verbis. *Neminem decere vel meliora ſcire, vel plura, quàm Principem , cuius doctrina omnibus poteſt prodeſſe ſubiectis.* Vnde porro Princeps commodius, faciliusve, diſcat, intelligat, ſapiens fiat, quàm ab hiſtoriarum attenta frequentique lectione? ab illa

diſcet,

Digitized by Google

diſcet quomodo Regno idoneus, patriæ vtilis, ſubditis charus ſit, omnibus amabilis: quid in vita fugiendum, quid expetendum ſit: cum illa prudens hoſtium clandeſtina conſilia explorabit, ducet exercitum, continebit in officio ciues, militum animos acuet, ordinabit acies, pugnabit, vincet, triumphabit: quam qui nouerit omnia quodammodo noniſſe cenſendus eſt. Ad eam vitæ magiſtram ſic Principem allicit Liuius. l. 1. *Hoc eſt illud præcipuè in cognitione rerum ſalubre, ac frugiferum, omnia te exempli documenta in illuſtri poſita intueri, vt inde tibi, tuæque Reip. quod imitere capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.*

Quid amplius, aut certius è tota litterarum cognitione Princeps excipiat? *Ibi etenim prudens inuenit vnde ſapientior fiat; ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur; inde Princeps accipit, quomodo ſubditos ſub æqualitate componat* Caſſiod. l. 8.

Quid Principi glorioſius fuerit, quàm ex ſermonis inueſtigatione nouum, & ſingularem oculum conſequi, quo rerum faciem, non ex aliorum ſolùm oculis, ſed à ſeipſo videat, earumque præcipua norit. Certè non illæ Principis dignæ laudes fuerint, ſi formoſus videatur; muliercularum laus eſt: non ſi robur, & vires efferantur; Athletarum eſt: non ſi diuitiæ prædicantur ab omnibus; negotiatorum eſt: ſed illa Principis laus eſt, ſi plurima ſapiat, præterita reſpiciens, futura proſpiciens.

Monitum eſt egregium Baſilij Imperatoris ad Leonem filium optimæ ſpei adoleſcentem, quem ſic inſtituit, & ad litteras capeſſendas exhortatur, maximè verò ad hiſtoriã, vt ad multorum hominum mentem in vnum collectam. *Per hiſtorias veteres ire ne recuſa; ibi enim reperies ſine labore, quod alij cum labore collegerũt, atque illinc hauries, & bonorum virtutes, & improborum vitia, humanæ vitæ mutationes varias, & rerum in ea conuerſiones, mundi huius inſtabilitatem, & imperiorum præcipites caſus, & vt vno verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia; quorum illa fugias, ne in iuſtitia diuinæ manus incidas: hæc complectaris, vt præmiis, quæ illa comitantur, potiaris.*

Tandem ad rei cuiuslibet excitationem hiſtoriarum lectionem & ſcientiam eſſe Principi ſummè neceſſariam, & vtilem docet Max. Tyrius cùm quidquid boni eſt, ſiue honeſtum, vel vtile aut iucundum ſit, eius cognitioni debeat adſcribi. Diſſertat. 12 περιελιώες γδ ἡ ἱϛορία καὶ τὸ μηδὲν καμόντα πανταχοῦ περιπολεῖν, πάντα μὲν χωρία ἐποπτεύοντα, πᾶσι δὲ πολέμοις ἐκ τῶν ἀσφαλοῦς παραγινόμενον, μῆκος δὲ ἀμήχανον χρόνου ἐν βραχεῖ ἀναλεγόμενον, πλῆθος δὲ ἄπειρον πραγμάτων ἐν ὀλίγῳ μανθάνοντα, &c. *Nihil eſt iucundius, quàm in hiſtoria verſari, quàm ſine labore vllo paſſim diuagari, omnes ſimul locos intueri, omnibus bellis ſine periculo intereſſe, infinitum temporis ſpatium contrahere, reſque geſtas ſimul cognoſcere, quæ ab Aſſyriis, quæ ab Ægyptiis, quæ à Perſis, quæ à Medis & Græcis factæ ſunt. Bello nunc terreſtri, nunc marino, nunc concionis mediæ videri intereſſe conſiliis. Cum Themiſtocle in mari, cum Leonide in terra pugnare, cum Ageſilao traiicere, cum Xenophonte incolumen redire, amare cum Panthea, venari cum Cyro, regnare cum Cyaxari. Quòd ſi ſapiens ea de cauſa Vlyſſes dicitur quòd multorum hominum mores, & vrbes luſtraſſet, quantò ſapientior eſt, qui extra periculum hiſtoriæ lectione ſeſe explet, Charybdin videbit; ſed ſine naufragio: Sirenas audiet; ſed ſine vinculis: cum Cyclope aget; ſed miti & pacato.*

Debent ergo plurimum hiſtoriæ Principes, quam de manibus ponere vel nunquam, vel ratò ſolent, quibus imperium datum eſt, cùm in ea virorum illuſtrium dicta factaque commendatione digna ediſcere liceat, vt illis & ad virtutes Principe dignas animus inflammetur, & à vitiis remoueatur, nihilque in iis ſiue doctrinæ ad cognitionem, ſiue exercitationis ad prudentiam adipiſcendam deſideretur, qui frequentes in ea fuerint & aſſidui; nihil autem ab eo ſperare poſſimus, qui multiplici rerum, hiſtoriarumque cognitione non fuerit inſtructus. Pulchrè Cic. in Orat. n. 120. Principem inſtituit his verbis: *Cognoſcat etiam rerum geſtarum, & memoriæ veteris ordinem, ſed & imperiorum, populorum & Regum illuſtrium. Neſcire autem quid, antea quàm natus ſis, acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum. Quid enim eſt ætas hominis, niſi cùm ea memoria rerum veterum, cum ſuperiorum ætate contexitur.*

Vt verum ſit hiſtoriæ lectionem Principibus eſſe vtilem ac neceſſariam: quæ iuuenis etiam mentem nondum inſtructam formet, atque ca-

nam

Digitized by Google

nam reddat, dùm multarum rerum vſum ante annos, ex ſummorum hominum factis colligit. Si modò non id attendat ſolùm vt animum recreet,& curarũ faſtidio grauem reficiat,& quoslibet rerum euentus cognoſcat,ſed mentem etiã optimis exemplis ad egregias virtutum actiones informet & accendat. *Parum mihi placent,* aiebat Marius apud Saluſtium in Iugurtha.*ea litteræ,quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt.*

Nobilitas eleuatur.

I. Inane Nomen.

Occurrit ſæpius in Orationibus,aut eleuanda Nobilitas aduerſariorum,aut excuſanda noſtrorum obſcuritas: ſcilicet cùm obeſſe cauſæ poteſt alterutrius familiæ ſplendor,aut ignoratio.Tunc ergo debebit Orator oſtendere I. Nobilitatem in ſe nihil aliud eſſe,quàm inanem verbi ſonitum ſanguinem,non virtutem ſanguiniſe propagari,titulos,& honores eſſe plerumque arbitria fortunæ, non argumenta virtutis: improbos habere cum bonis in nobilitate conſortium:ſtatuas&ſimulachra Principum virorum ſpectari quidem in aulis,ſed tandem fuligine violari: non poſſe virtutis effigiem marmore, ſed animo tantum exprimi,in illa proinde generis decus, nominis commendationem, monumenta gloriæ collocanda:hinc Oratores fumum hunc gloriæ fugiẽtis in laudatione facilè contemnunt, ſola ſapientia nunquam moriente,& ſemper renaſcẽte contenti. Quid enim? ordiantur ab eo,qui non animum,ſed oculos rapit,ſplendore natalium?quorſum memorent, quod vel ipſi Principes viri, ſi viuerent,neſciri mallent?quid ſuſpiciant, quod deſpexerunt?quid prædicent,quod audiri leuiſſimum duxerunt?

II. Sine virtute Titulus in trunco & ſtipite.

Si Nobilitatis decus dicatur nihil homini prodeſſe, nec et quidquam conferre,cui vera Nobilitas virtus non adſit,ſine qua generis ſui ſplendorem non ſuſtinet,nec illuſtrat, ſed ignobilem reddit & obſcurum.Hinc illa fortis exprobrandi ratio, quam Marius adhibet in Iugurtha. *Cùm apud vos,aut in Senatu verba faciunt, maiores ſuos extollunt, & fortia facta memorando clariores ſe putant,quod contra eſt. Namquantò vita illorum præclarior, tanto horum ſocordia flagitioſior. Ita ſe res habet. Maiorum gloria poſteris quaſi lumen eſt; neque bona eorum,neque mala in occulto eſſe patitur.*

Propriam ergo, non alienam magnitudinem nobis gratulemur:nam quæ tandem eſt illa commendatio, à perenni conteſtataque maiorem virtute ſic degenerem animum habuiſſe, vt imbellis ex forti,pauper è diuite,ignauus e ſtrenuo, fatuus à ſapiente, deiectus à generoſo,factis obſcurus, è rebus geſtis clariſſimo natus videaris? quam præſtat cum illuſtri Mario nobilitatem peperiſſe,ſuſtinuiſſe, illuſtraſſe, quam acceptam à maioribus corrupiſſe; magnæ mentis,ac virtutis in ſpeciem Seneca veram nobilitatem non hæreditate,ſed laboribus, ſed periculis,ſed rebus benè geſtis,ſed ipſa virtute parari Lucilium de natura, deque fortuna conquerentem ſuum docet epiſt 44. *Quis ergo generoſus? ad virtutem benè à natura compoſitus.Hoc vnum eſt intuendum:alioqui ſi ad vetera reuocas,nemo non inde eſt,ante quod nihil eſt,A primo mundi ortu,vſque in hoc tempus,perduxit nos ex ſplendidis ſordidiſq; alternata ſeries. Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus.Nemo in noſtram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione,ſupra fortunam licet ſurgere.*

III. Vanum honoris nomen, crimen nouum.

Nobilitas crimen admiſſum grauius facit, quod turpe ſit ac ſordidum à maiorum virtute deflectere,in quam Iuuenalis ſtylum acuit, & armat.Satyr.8.

Quod ſi præcipitem rapit ambitus,atq; libido,
Si frangis virgas ſociorum in ſanguine,ſi te
Delectant hebetes laſſo lictore ſecures.
Incipit ipſorum contra te ſtare parentum

Digitized by Google

Nobilitas claramq; facem preferre pudendis,
Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò maior qui peccat, habetur.

Subdit nimis vera, quæ velim nobiles animo meditentur, ne degeneres audiant, quod olim Africani filius. *Proh Dij Immort. quantas tenebras ex quo fulminaſci, paſſi eſtis!* Sic enim maioribus ſuis indignos pungit, & vrget acriter. ibid.

—— *Quis enim generoſum dixerit hunc, qui*
Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Inſignis: miſerum eſt aliorum incumbere famæ,
Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis.
Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis
Æacidæ ſimilis, Vulcaniaq; arma capeſſas,
Quàm deus herſitæ ſimilem producat Achilles.

IV. *Variantis fortunæ commune donum.*

IV. Si res diligenter, & ex natura ſuâ potius, quàm ex hominum opinione æſtimetur, æqualis eſt omnium nobilitas; eam ob rem Ægyptij veteres ſapientiæ laude commendati non patiebātur aliquem â parentibus, aut maioribus celebrari, rati parentum virtutem cum vita non poſſe in filios transfundi. Sic eum affatur Seneca qui nobilitatis ſuæ, Sāguiniſque claritatem inſolentius efferret, & modeſtè minus de maiorum virtutibus gloriantem ridet 3. de benef. c. 28. *Eadem omnibus principia, eademq; origo. Nemo altero nobilior, niſi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptius. Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine, ac multis ſtemmatum illigata flexuris, in parte prima adium collocant: noti magis, quàm nobiles ſunt. Vnus omnium parens mundus eſt, ſiue per ſplendidos gradus, ad hunc prima cuiuſque erigo perducitur. Non eſt quod te iſti decipiant, qui cùm maiores ſuos recenſent, vbicumque defecit nomen illuſtre, illicò Deum fingunt.*

Ex omnibus ludentis fortunæ, communiſque naturæ donis nullam mentis elationem capiendam eſſe ſapienter monet Boëtius l. 3. de conſol. metro.

Omne hominum genus in terris
Simili ſurgit ab ortu:
Vnus enim rerum pater eſt,
Vnus cuncta miniſtrat.
Mortales igitur cunctos
Edit nobile germen.
Quid genus & proauos ſtrepitis?
Si primordia veſtra
Authoremq; Deum ſpectes.
Nullus degener exſtat,
Ni vitiis peiora fouens,
Proprium deſerat ortum.

V. *Ambitioſa vitiorum parens. & nutrix.*

Ex vna nobilitate oriri mala plurima Socratem dicere ſolitum prodit nuncia veritatis antiquitas, eandem verò Diogenem vocare *περικόσμημα κακίας* velamentum malitiæ. Quæ vitiorum ſuſpiciones magis audacter fortaſsè, quàm verè in nobiles coniiciuntur. *φιλοτιμότερον* vocat Ariſt. 2. Rhet. cap. 15. honoris appetentiorem, nec tàm genere inſignē quàm vitiis, cum nobilitas nihil ſit aliud, quàm cognita virtus, contemptorem animum, & ſuperbiam commune nobilitatis malum Saluſtius nominat.

Inimici popularium dicuntur à Cic. 7. in Verr. nu. 181 *Hominum nobilium non ferè quiſquam noſtræ induſtriæ fauet: nullis noſtris officiis beneuolentiam illorum allicere poſſumus: quaſi natura & genere diſiuncti ſint: ita diſſident à nobis animo ac voluntate.* Quod nolim de ijs intelligi, quos vera virtus nobilitat: cum noſtra tempeſtate nobiliſſimos quoſque cæteros facilitate, & humanitate ſuperiores eſſe videamus, illius Tull. dicti memores officiorum. 1. n. 90. *Vt quantò ſuperiores ſumus tanto nos ſummiſſius geramus.*

Denique faciles ſunt ad offenſionem nobiles, difficiles ad iniuriarum obliuionem, ad vltionem, vbi ſe dederit occaſio, tàm prompti, tàm ardentes, vt leniſſimis iurgiis, ad iram, ad contumelias, ad funeſtas cædes accendantur. Non plura nec in calamum traham veterem nobilitatem, non aſſuetam vera patienter audire, doceri difficilem, moneri impatientem.

PVN.

P V N C T V M V.

Laus à natiuitate.

NOn dubium eſt id quidem, quin natiuitas (quam in fortunæ muneribus ponimus cùm & à patria, parentibuſque pendeat) ad laudem & vituperationem plurimùm conferat. Sunt enim aliorum ortus nobiles, aliorum obſcuri: nec tantum propter generis ſplendorem atque familiæ decus & ornamentum, ſed propter tempus etiam, & modum, ordinemque nobilitatis. Quæ quidem adiuncta valent in vtramque partem, proindè diſcutienda paucis.

I. Tempus in natiuitate obſeruandum.

Tria ſunt in natiuitate conſideranda; primum Tempus ipſum; & in eo dies, hora, menſis, annus, ſæculum obſeruatur. Clarum eſt ex antiquorũ diſciplina dies alios atros & infauſti ominis, felices alios albaque notandos cretâ fuiſſe: in menſibus etiam religionis aliquid poſuiſſe veteres ſcimus, cum in rebus gerendis aliquos feliciores eſſe deprehenderunt, ita Plutarch. in Camillo, de pugna Albienſi, quâ fracti fuerunt à Gallis Romani.

In ſæculis item fortunam fatumq; poſuit Plato, cum in his tribus, pro quibus meritam Dijs gratiam iuſtis honoribus & memori mente perſoluere ſolitus erat Natalis ſui diem numerauerit in Socratis incidiſſe.

In horis, vel in momentis ipſis Aſtrologiæ periti, quamuis ineptè, ne dicam impiè, tantum religionis eſſe voluerũt, vt ab aſtris cuiuſlibet fortunam pendere dicerent, illiſque diuinitatem omnem tribuerent. Quam temporis religionem ex faſtis, nefaſtiſque collectam obſeruauit in Panegyrico Conſtantino Conſt. filio Rhetor Eumenius. *De te igitur mihi, Cæſar inuicte, hodiernæ gratulationis exordium diuinus ille veſtræ majeſtatis ortus, ipſo quo illuxit auſpicio veris illuſtrior, cui dies ſerenus, atque (vt celebrantes ſenſibus) vltra rationem temporis Sol æſtiuus incaluit, auguſtiore fulgens luminis claritate, quàm cùm originem mundi naſcentis animauit, ſiquidem tunc inter illa rerum tenera primordia moderatus dicitur, ne Maieſtate veſtrâ videretur obſcurior. O felix beatumque ver nouo partu, iam non amœnitate florum, nec viriditate ſegetum, nec gemmis vitium, nec ipſis tantum Fauonijs, & luce ſerena lætum, atque venerabile, quantùm ortu Cæſarum! ô tempus quo meritò quondam omnia nata eſſe credantur, cùm eodem nunc confirmata eſſe videamus! ô Kalendæ Martiæ ſicuti olim annorum voluentium, ita nunc æternorum auſpices Imperatorum!*

II. Diei natalis Virorum Illuſtrium concurſus.

Secundum in tempore conſideratur natalis dies cum altero concurſus; nempè ſi natus ſit aliquis eodem die, quo vir illuſtris non parum facit ad eius commendationem: Ita Plutarchus, qui cum in Sympoſiaco quæſt. 25. dixiſſet ſexta die Targelionis menſis natum Socratem, ſeptima Platonem, ſubdit. *Non malè iam de fortuna pronunciabitur, eam, cùm à ſapientia plurimum diſſerat, hoc quidem caſu effeciſſe, vt horum Philoſophorum natales dies, non modò contigui eſſent, ſed prior etiam, qui gloria & ætate anteiuiſſet, doctorq; alterius fuiſſet:* Idem obſeruat Carneadem Academicæ Philoſophiæ nobiliſſimum Antiſtitē, eodem cum Platone natum Apollinis feſto die, quocirca creditus fuit à quibuſdam Apollinis filius.

Iam verò ſi in eum diem concurſus rerum felix incidat, in omen futuræ felicitatis adduci poteſt. Plutarch. in vita Numæ Regis, obſeruat illum eo die natum, quo Roma fuit à Romulo condita, vndè regni ſumpſit omen.

Horas & ſingula momenta curioſius obſeruant in Aſtrologia principes, & ex aſtrorũ coniunctione conijciunt, vt ipſi audacter mentiuntur, futuram cuiuſlibet ſortem. Abſit vt has delirantis animi nugas admittamus: Quid enim poſſunt in liberas hominum voluntates aſtra? poterit tamen Orator hâc nobilitatis prærogatiuam, ac felicitatis ortus ad cumulum adferre, non quod velit his habendam eſſe fidem aliquam, ſed vt oſtendat ei nihil deeſſe, quem commendat ad laudem, vel ex eorum iudicio, qui prorſus ineptè felicitatem ab aſtris auſpicantur.

Digitized by Google

III. Natiuitatis modus.

Si beatus & ſalutaris alicui fuerit natalis dies Obſeruatum eſt à Rhodigino Alexandrum, dies ſuo natali, Darium ſuperaſſe, eodemque mortuum fuiſſe. Plinius autem lib: 7. c. 17. tradit Pompeium de Oriente deque Mythridate, ac Iudæis triumphaſſe. Sic in Traiani panegyrico Plinius ſecundus omnium ore celebris Orator, vtitur hac laude, quòd natali ſuo die Conſulatum iniſſet. *Nam quod eum potiſſimum menſem attribuiſti, quem tuus natalis exornat, quàm pulchrum nobis? quibus edicto, quibus ſpectaculo celebrare continget, diem illum triplici gaudio latum? qui principem abſtulit peſſimum, Domitianum: dedit Optimum, Neruam; meliorem Optimo genuit, Traianum.*

IV. Pracedentia natiuitatem.

Faciunt ad laudem quæ natiuitatem ipſam antecedunt admiranda, puta diuina quædam oracula, ſeu portenta, ſiue ſomnia. Nota eſt illa Troiana fax, quam vtero ſe geſtare ſomniauit Hecuba, dùm prægnans Paridem aluo contineret. Sit ſanè illud commentitium, At ſi quidem licet profanis ſacra iungere, pia D. Dominici mater viſa ſibi in ſomniis vterum gerere cane grauem, quo futura tàm ſancti viri vigilantia; concionandiq; vis acerrima portendebatur. Quod item de matre ſancti Bernardi clariſſima fœmina dicitur.

Hùc reuocantur ea, quæ in tempore acciderunt Ælius Spartianus; & alij complures Antonini Imperium, & mortem referunt præuiſam fuiſſe, quòd eodem tempore, die, ac hora, quâ ille natus eſt. Mediolani nata ſit Ouis purpureũ vellus in fronte geſtans, in villa Antonini viri plebeii, qui cum accepiſſemt à Paſtore hoc oſtẽto Imperium Antonino cuidam promitti, ſtatim id de ſeipſo non perperam interpretatus, ne prodigium diuulgaretur, ouem occidit: atque vt ouis naſcens imperium; ita etiam ei mors illata ab Antonino, mortem indicauit.

Euſdem generis etiam illud eſt, ait Tullius 1. de diuinat. n. 1 21. quod ſcribit Herodotus: *Crœſi filium, cum eſſet infans, loquutum; quo oſtenſo Regnum patris, & domũ funditus concidiſſe, caput arſiſſe Tull. Seruio dormienti, quod Hiſtoria non prodidit.*

V. Quæ propius infantem ipſum attingunt obſeruanda.

Nempe, ſi vt Zoroaſtes alius, quo die lucem vidit, ſolutus in riſum fuerit. Ferunt ea nocte, q. à conceptus eſt Conſtantinus, parentem eius magni exercitus Imperatorem mirabile quidpiã vidiſſe, quo portento ſingularis dignitas, & egregii fœtus claritudo, communeque decus imperii ſignificaretur; nimirum cum eſſet in tabernaculo ſuo Caſtrenſi, præter naturæ curſum & ordinem animaduertiſſe ab occidentali Oceano Solem exorientem enaſci; ex quo ſtudioſius operam dediſſe, vt filius ad res magnas Superis annuentibus, fauente Cælo, ridente natura creatus, ſapientùm præceptis inſtitueretur.

Quo die Plato Philoſophorum Sol ortus eſt, aureum imbrem de Cælo cecidiſſe veterum monimenta teſtantur,

Rex Pyrrus maternis adhuc appenſus vberibus, ludens in gremio εὔχομαι primum dixit, quæ vox tranſiit in omen futuræ felicitatis, & audaciæ.

Si facilè, vel difficulter in lucem prodierit. Hinc Herculi videtur prędicta magnitudo: quod duabus noctibus vix natus ſit, quaſi in Heroë tanto producendo, plus ſolito natura laboraret.

VI. Ordo natiuitatis.

Neque enim parum facit ad laudem, & commendationem natu prior; ſiquidem omnium conſenſu conſtitutum eſt, vt liberorum primus principatum obtineret. Vndè ſe Iuno commendat, & ſuperbè gloriatur, apud Ouidium 6. Faſtorum.

Si genus aſpicitur Saturnum prima parentem
Feci: Saturni ſors ego prima fui.

De quibus multa Tiraquellus de iure primigeniorum 32. §.

Cæterum quæ de hominum natiuitate dicuntur, non ſolum cadunt in ipſum diem natiuitatis ſed in dies etiã quoſuis natales, qui more veterum in magnis principibus celebrari ſolent. De quibus

quibus Cenſorinus, & de Roa. Imò vero de natalitiis vrbium, Regnorum, & cuiuſlibet magiſtratus idem intelligendum eſt. Vt obſervat in Romulo Plutarchus natalem vrbis fuiſſe 1. Kal. Maij 3. anno 6. Olymp. quo die Sol Eclypſim paſſus eſt.

PVNCTVM VI.

A nomine laus & vituperatio.

MAgnus dicendi Magiſter Fabius Inſtitutionum lib. 5. cap. 10. nõ negat ad laudem aſſumi poſſe in alicuius perſona, nomen, ſi præſertim ex cauſa datum ſit, nimirum ob virtutem, aut ipſum cauſa ſit alicuius cognationis; Ideo ſi ſua ſignificatione, vel Omine fauſto, vel propter illum cui additum eſt, excitet hominem ad aliquid obeundum. Si quis fortè vocatus eſt, ad imitationem Alexandi ſeſe provocet, ac impellat, vt hortabatur aliquãdo è militibus ſuis ſibi cognominem, Animoſè aiebat Commilito aggredere facinus nomine quod geris dignum. Tertullianus vir magni nominis Apologetici 3. cap. Satis innuit in turpi nomine, aliquid eſſe vituperatione dignum. *Nunc igitur ſi nominis odium eſt, quis nominum reatus? quæ accuſatio vocabulorum, niſi ſi aut barbarum ſonat aliqua vox nominis, aut infauſtum, aut maledicum, aut impudicum.*

Hinc maiores ſapientiæ nomine commendati non exiſtimabant, ait Halicarnaſſenſis lib. *5.* nomen inuidioſum, & moleſtum imponendum Magiſtratui, qui Ciuitati liberæ præeſſet; tùm ipſorum ſubditorum causâ, ne odioſis appellationibus perturbarentur; tùm etiam ut cauerent, ne iis, qui Magiſtratus acciperent, vel per imprudentiam ab aliis iniuria fieret, vel ipſi aliis facerent.

Eapropter Iuris interpretes vt obſeruat Petrus Gregoras Syntag. Iuris lib. 33. cap. 4. dicunt hæredem cui teſtator teſtamento nomen ſuum gerendum tradiderit à Prætore poſſe liberari eâ obligatione, ſi nomen turpe ſit, quaſi indecorum ſit eiuſmodi nomini appellationẽ admittere. Quæ fuit cauſa cur Porphyrius ille nequam Malchi nomen in Porphyrium mutauerit; quod ut ait Euuapius, hoc ſuo nomine ponendo vellet omnem videri poſuiſſe barbariem.

Neque mouere quemquam debent illa, quæ diſputat egregiè Socrates apud Platonem in Cratilo, contra nominum impoſitionem, ſignificationemque, quòd plerumque homines in rebus appellandis fallantur. Etenim vel in hoc laus aut vituperatio maior erit, ſi qui in ceteris falli ſolẽt in hoc aut illo nomine imponendo, quo dignus ſit is, quo de agimus, decepti non fuerint. Videndum itaque paucis quomodo quis poſſit à nomine celebrari: quatuor his capitibus; à quo, quâ causâ, quod nomen, cui imponitur.

A quo.

Eò laus eſt illuſtrior, quò ab illuſtriore nomen datum fuerit: ad quod obſeruandum venit, quod eſt in Codice lib. 9. tit. 25. ſicut in initio nominis, cognominis, prænominis impoſitio libera eſt priuatis; Ita eorum mutatio innocentibus periculoſa eſt. Itaque vel prænomen, ſine cognomen, ſine aliqua fraude licito iure mutari licet, ſi liber eſt.

Secundum, *ea quæ ſic trita ſunt minimè prohibebis*, nullo ex hoc præiudicio futuro: quorum hic eſt ſenſus, licere quidem cuilibet in principio ſe quo volet nomine nominare, non tamen licere cuilibet nomine ſuum mutare, maximè propter ſuſpicionem fraudis, unde facilè colligi poteſt in nominis obſeruatione, præſertim cùm aut mutatur, aut non additur eſſe opus alicuius auctoritatis. Commodi meminiſſe nolo, qui omnibus deterior fuit, quod cum illis moribus Antonini nomen obtinuit, vt vniuerſus Populus Rom. contra Heliogabalum, qui nomen idem vſurparat vnâ voce clamabat, hunc non rectè Antoninum dici, & per hanc peſtem tantum violari nomen. Vt enim illa inſignia nomina violantur ab improbis; ita etiam à probis illuſtrantur. Quare eidem Alexandro acclamatum eſt à Senatu, nomen Antonium tu reddis in integrum, &c.

Ex hoc loco Plinius Iunior Traiani modeſtiam commendat *Nonne his tot tantiſq; meritis nouos aliquos honores, nouos titulos merebare? ac tu etiam nomen patris patriæ recuſabas. Quam longa nobis cum modo*

modeſtia tua pugna, quā tardè vicimus? Nomē illud, quod alij primo ſtatim principatus die, vt Imperatoris, & Cæſaris, receperunt: Tu vſque eò diſtuliſti, donec tu quoque beneficiorū tuorum parciſſimus æſtimator, jam te mereri fatereris. Itaque ſoli omnium contingat tibi vt pater patriæ eſſes, antequam fieres. Eras enim in animis, in iudicijs noſtris, nec publicæ pietatis intererat quid vocarére, niſi quod ingrata ſibi videbatur, ſi te Imperator rem potius vocaret, & Cæſarem, cùm Patrem experiretur. Quod quidē nomen quâ benignitate, quâ indulgentia exerces, vt cū ciuibus tuis, quaſi cum liberis parens viuis? Vt reuerſus Imperator, qui priuatus exierat, agnoſcis, agnoſceris. Eoſdem nos, eundem te putas: par omnibus, & ob hoc tantum cæteris maior, quô melior.

PVNCTVM VII.

Fons laudis ab Educatione, & inſtitutione.

BOnus & locuples Auctor Seneca lib. 2. de Ira cap. 18. docet Educationem maximam diligentia, plurimumque profuturam deſiderare. Facilè eſt enim teneros adhuc animos componere. difficulter reciduntur vitia, quæ nobiſcum creuerunt. Adde naturam factam eſſe proniorem ad malum, & ad vitia, quàm ad virtutes propenſiorē *Ad deteriora faciles*, pergit Sapiens, *quia nec dux poteſt, nec omnes deeſſe, & res etiam ipſa ſine duce, ſine comite procedit, non pronū iter eſt tātū ad vitia, ſed præceps.* Quod & repetit vt monitum ſingulare 3. naturalium qq. c. 30. *Citò nequitia ſubrepit, virtus difficilis inuentu eſt, rectorem ducemq; deſiderat, etiā ſine Magiſtro vitia diſcuntur.* Ex his fontes laudis & vituperationis faciles aperiūtur.

Cura Cuſtodiæ liberorum & Inſtitutionis in parente laudabilis.

Multum eſt ſi quis educatus dicatur à proprijs parentibus; in ſinu caſtæ Matris & in oculis grauiſſimorum virorum enutritum commendat Etheonæum Ariſtides Oratione funebri. *τροφὴ δὲ καὶ οἵα ἀξία τῆς γενέσεως, ὥς γε τροφεὺς μὲν καὶ φύλαξ ἡ μήτηρ, σῶμα δὲ καὶ ψυχὴ πρέποντα ἀλλήλοις.* Indoles ac inſtitutio pro dignitate natalium ipſi contigerunt, cui nutrix quidem, & cuſtos fuerit mater, corpus autem & animus inuicem ſe deceant.

Illud idem laudat in Honorio Claudianus:

Ipſi Quirinali primùm ſuccinxit amictu
Mater, & ad primas docuit reptare Curules
Vberibus ſanctis.

Gloriatur Antonius Philoſophus lib. 1. vitæ ſuæ ſe à Matre pietatem & liberalitatem edoctū eſſe *παρὰ τῆς μητρὸς τὸ θεοσεβὲς καὶ μεταδοτικόν.*

Etenim dici vix poteſt quātū valeat in vtramque partem à prima pueritia inſtitui ad virtutis eximiæ ſatus excipiēdos, & præſtātis gloriæ laudem conſequendam. Hinc Philoſophi orbis terrarum monitores, & magiſtri docuerunt patrum proprium eſſe *παιδεύοντας* liberos erudire, & ad magna natos ſic honeſtis moribus ſtudiiſque eius formare, vt in ætate iuuenili præbeant ſpecimen *διαβεβηκότος* ciuilis viri, naturi, ſapientis cuius educationis defectu non liberorum cultores, ſed hoſtes, non cuſtodes, ſed proditores, non parentes, ſed patricidæ ſunt iudicādi, qui quorum corpora ad hanc mortalem vitam produxerunt, eorum animis ſempiternam mortem accerſant.

Vir prudens, ſi pater eſt opportunè curat filij mitigandam in ætate prima manſuetudine Iram, libidinem continentia frænandam, minuendam libertatem verecundiâ, temperandum dolorem patientiâ, fortitudine timiditatem exſtimulandam, omneſque perturbationes & commotiones inſultantes in rationem, eiuſdē rectæ rationis mediocritate aurea virtutum habenis vel adductis, vel remiſſis, pro rei neceſſitate manu prudentiæ moderandas.

Plutarchus morum Magiſter egregius Catónem maiorem laudat, quòd nō tantum filiorum ſuorum præceptor eſſe voluerit ac Magiſter, ſed etiam intereſſe quoties nutrix illos faſciis vinciret, aut in cunis exponeret, vel alio quouis modo tractaret. Hanc ob cauſam Tacitus Germanorum mores probat quòd quæque mater infantem ſuum vberibus alat, nec ancillis aut nutricibus id committat, quippe lac & ſpiritus maternus longè magis ingenij & corporis auget incrementa; Adde quod maiori cum amore & beneuolentia nutriunt matres: nutrices verò ſuppoſititam duntaxat beneuolentiam habent.

Digitized by Google

Aureliano quondam Auguſto felix ac benefortunatum portendiſſe Imperium teſtantur Annales, quòd puerum adhuc in cunis vagientem Aquila innoxiè aureis è cunabulis extulerit, in aramque portarit, quæ propè ſacellum erat ornatiſſima: qualem augurati par eſt fore N. Galliæ ſpem & ornamentum, quem non auium præpes Aquila, ſed parens virtute ſingularis, puerilibus annis exceptum, ad aras, ad auitam Religionem, ad omne genus pietatis applicuit, & inſtruxit, à quo non ſemel laudiuit virtute nihil eſſe præſtabilius, in ea decus & propriã dominantiũ gloriam ſitam eſſe, eam omnibus rebus anteponendam, in ea viuendũ, in ea denique moriendum.

Ita pius Orator in ſancti Nicolai Myrenſis educationem. Atque vt in horto, aut nemore regio, natiua vberis glebæ ſolerter exculta fœcunditas, ſuppoſita præſertim læto ſyderi generoſam arboris ſpeciem, quam complexa ſit, ſpectabili in dies prouentu in Cælum effert; ſic exetentem ſe in N. pueritia mirificam ſanctimoniç indolem, vtriuſque parentis integerrimi domeſtica inſtitutio magnis incremẽtis ad perfectionẽ deduxit.

Inter bonos educatio.

Iàm ſi parentum cura minus ſollicita non id præſtiterit, ſanè proximum, erit primæ laudi, ſi quis inter bonos & à bonis, longè autem ab improborum conſortio fuerit educatus. Prudenter monet Stoïcus, cum his verſare, qui te meliorem facturi ſunt, illoſque admitte, quos tu potes facere meliores: mutuò iſta fiunt: homines dùm docent, diſcunt.

Parentum ſanctos oportet eſſe Penates, & modeſtiæ, honeſtatiſque officinam, quibus id morati Poëtæ verbum occinere non verebor. Iuuenal. Satyr. 14.

Nil dictu fœdum, viſuq; hac limina tangat
Intra quæ puer eſt, procul hinc procul indè puellæ
Lenonum, & cantus peragentes Paraſiti.

Optimus Iuuentutis Magiſter Plato præcipit enixè ne fabulas turpes, atq; inanes pueris nutrices enarrent, néue quidpiam obſcœni, vel in verbis audiant, vel in factis videant, vel in picturis intuantur, vndè turpitudine flagitioſa poſſit iuuenilis animus inquinari.

Romani vete.
l·s adhibuerũ ,ren.. *us ex Diuitiis.*
riles ſanctitate quadat.
rãtes, vt ſyncera & integ.. diuitiis rectè vtatur
tiis, nulliſque fœdata macul.. eam in rem multa
re ſtatim acciperet laudatas artı docet rationem
omninò conſeruare excultamque ı ..m eſſe libe-
tibus beatitudinis eſt tyrocinium. ..ò quem-
..us quo-
..bus

A bonis educatio.

In monitis ſapientum continetur, magnam parentibus adhibendam eſſe diligentiam in eligendo præceptore, & teneræ menti præficiendo, ne labẽ Reipublicæ res illa conciliet. Vocem olim Chriſtiano orbis terrç moderatore digniſſimam Theodoſius Imperator hanc eddidit, cum Arcadium ſuum Arſenio maturæ ſapientiæ viro erudiendum committeret. *Tunc prolem ſuam verè dignam imperio fore, ſi cum ſcientia aquè fuiſſet pietate conſpicua.*

Quintilianus Dialogo de cauſis corruptæ Eloquentiæ cap. 29. pluribus cõmendat Romanos, quòd ad liberorum educationem eligerent aliquam maiorem natũ, cuius probatis ſpectatiſque moribus omnis cuiuſdam familiæ ſoboles committeretur, coram quâ neq; fas erat dicere, quod turpe dictu, neq; facere, quod factu inhoneſtum videretur. *At nunc* pergit *non ſine ſtoma. bo, infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adiungitur vnus aut alter ſeruus plerũq; viliſſimus, nec cuiquam ſerio miniſterio accommodatus: horum fabulis & erroribus teneri ſtatim ac rudes imbuuntur animi, nec quiſquã in tota domo penſi quidquam habet, quid coram infante aut dicat aut faciat, quando & ipſi parentes nec probitati, nec modeſtiæ paruulos aſſuefaciunt, ſed laſciuiæ, ac libertati, per quæ paulatim impudentia irrepit, & ſui alienique contemptus.*

Non ſic Imperator Auguſtus, quem ex Suetonio c. 24 Nepotes ſuos Caium & Lucium literas notare, aliaque rudimenta per ſe docere ſolitum fuiſſe ſcimus.

Prudenter Iuuenalis ab exempli noxii diſcrimine remouendam monebat Iuuentutem.

Magna debetur puero reuerentia. ——

Quantam toti familiæ deberi credimus, ſi vni duntaxat adoleſcenti? diuinè prorſus Antiſtes

homines credere ſemina quædam virtutis, aut ſatu ipſo, & temperatione corporis, aut morum imitatione, & diſciplina liberis à parentibus innaſci, ex quibus idonea ætate, vitæ dignitas & honeſti ratio ad eos dimanaret.

Origo laudum igitur ab hoc loco deſumitur ab illa communi opinione, quâ creduntur filij parentibus ſimiles, moribus illorum non diſſimiles; indeque ſæpius ad honeſtè iuſteque viuendum cauſæ fluere dicuntur: quam ſimilitudinem parentum filiorumq; celebrarunt ſcriptores cõmendati. Tull. pro Sext. num. 21. vtile Reip. dixit nobiles homines eſſe dignos maioribus ſuis. Ad cuius mentem Sen. 4. de benef. c. 30. *Non ſine ratione ſacra eſt magnarum virtutum memoria, & eſſe plures bonos iuuat: ſi gratia bonorum non cum ipſis cadat.* Nullus Philoſopho melius. 3. Polit cap. 13. *Nobilitas apud ſingulos eſt domi pretioſa, præterea par eſt meliores eſſe, qui ſunt è melioribus oriundi. Nobilitas quippe virtus generis eſt:* Polit. 1. c. 4. concludit. *Sicut ex hominibus hominem, ex beſtiis beſtiam, ſic ex bonis bonum generari.* Iuxta decantatum Illud Lyrici carmininis 4 Od 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis,
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Pergenerant Aquilæ columbam.

Quæ cauſa fuit cur Martialis ad Catullum lib. 6. filiam Ebrij aquam potare miretur.

Miror quod Baſſi filia potat aquam.

Iam ſi verum eſt quod ſapientiæ Doctor ſingularis poſuit, eſſe naturæ conſentaneum ex melioribus ortos eſſe meliores, quanta laudum ſeges ex hac ſimilitudine, ſi quem celebrandum nobis propoſuimus, paternæ virtutis æmulum, & laudis imitatorem, ſimilem patri, matri non diſſimilem probare poſſimus: quàm incredibiliter excellet ille, qui parentes regiis notis claros & inſignes, diuinis muneribus ornatos, gloriæ monumentis illuſtres, ore finget, animo referet, imitatione ſequetur.

I. Idea.

Quod igitur Rhetori conuenit oſtendendum, ſcilicet quomodo laudes ab hac ſimilitudine ducantur. In Paneg. Maximiano & Conſtantino Auguſtis dicto, ſic ex hoc loco triumphat Orator. *O diuinum tuum Maximiane iudiciũ, qui hanc tibi iure adoptionis nepotem, maieſtatis ordine filium: etiam generum eſſe voluiſti! Diui inquam Conſtantij filium, in quem ſe prima illius iuuenta transfudit, in cuius ore cæleſtes illius vultus natura ſignauit: qui aſpectum illius ad Deorum concilia translati adhùc deſiderantibus nobis ſufficit pro duobus. Neque enim fortuna tantum in te patris Conſtantine, ſed etiam continentia, fortitudo, iuſtitia, prudentia ſeſe votis gentium præſentant.*

II. Idea.

Alterum exemplum ex Eumenij Panegyrico Conſtantino dicto, ſumitur. *Te tantum ille, & imperator in terris, & in cælo Deus in primo ætatis ſuæ flore generauit, toto adhuc corpore vigens, illa præditus alacritate, & fortitudine. Inde eſt quod tanta ex illo in te formæ ſimilitudo tranſiuit, vt ſignante natura vultibus tuis impreſſa videatur. Idem enim eſt, quem rurſus in te colimus aſpectus, eadem in frõte grauitas, eadẽ in oculis, & in ore trãquillitas. Sic eſt index modeſtiæ rubor ſic teſtis ſermo iuſtitiæ. Accipe noſtrorum ſenſuum confeſſionem. Dolemus quod Conſtantius exceſſit à nobis, ſed dum te cernimus illum exceſſiſſe non credimus.*

III. Idea.

Tertium ex Nazario de Conſtantino Imp. petitur. *Si quid intactũ aut parens, aut frater referuet, declarat mox victorem futurum, qui animo iam vincit ætatem. Rapitur quippe ad ſimilitudinem ſuorum excellens quæq; natura, nec ſenſim, aut lentè iudiciũ promit boni, cum inuolucra infantiæ viuidum rumpit ingeniũ. Vnde enim Principis maximi tàm effuſus in liberos animus, niſi quod in illis iam ſimulacrum ſui conſpicit? Commendet inferioribus ſuos ſola neceſſitudo naturæ, & qualeſcumq; diligant, cùm illi quod ex ſe deſiderent, non habent, præſtantiſſimum Principem hoc maximè iuuat, quod in annis primoribus iam ſunt ducta lineæ, quibus virtutum ſuarũ effigies poſſet includi, & pater optimus, ſed melior imperator, nõ tàm ſibi, quàm Reip. gaudet, cùm liberos ſibi ſimiles intuetur, quibus ad perficienda quæ ingenerata ſunt bona, non ſegnis virtutum opifex diſciplina coniungitur.*

Hæc faciunt ad laudem quę à ſimilitudine ducitur. Quæ autem habet Latinus Pacatus in Panegyrico Theodoſij, ad abſolutam, quæ à claris paren-

Digitized by Google

parentibus ducitur ad filios. Poſt multa ſic concludit. *Sed quia neceſſe eſt mitti in præteritũ diligentiam curioſam? patrẽ Imp tuum de te exiſtimem, nec difficilis cõiectatio eſt. Nã cùm duo ſint quæ claros duces faciant, ſũma virtut, ſũmaq; felicitas, ſcire obuiũ eſt quâ præditus fuerit: virtute, qui te docuit, quâ fuerit felicitate, qui tegenuit. O digna Imp. nobilitas eius eſſe filium Principem, qui Princeps eſſe debuerit!*

Neque tantum iſta ſimilitudo deſumitur à natura, ſed ab innato illo filiis parentum imitandorum ſtudio. Saluſt. in procœmio belli Iugur. *Sæpè*, inquit, *audiui ego Q. Max. Publium Scipionem, præterea ciuitatis noſtræ præclaros viros ſolitos ita dicere, cùm maiorum imagines intuerentur, vehementer animum ſibi ad virtutem accendi.*

Cic. 2. Verr. n. 52. *Circunſtant te ſumma auctoritates, quæ te obliuiſci laudis domeſticæ nõ ſinãt: quæ te dies noctesq; commoueant, fortiſſimum tibi patrẽ, ſapientiſſimum auum, grauiſſimum ſocerum fuiſſe.*

Eſt illud Andromachæ Virgilianæ de Aſcanio filio rogantis Æneam.

Ecquid in antiquam virtutem, animoſq; viriles,
Et pater Æneas & auunculus excitat Hector?

PVNCTVM III,

Vituperatio.

QVæ de hac ſimilitudine dicta ſũt, non adeò certa volunt Oratores, quin poſſint in vtrãque partem eleuari: vt & mali parentis bonus filius, & boni malus inueniatur. Quis enim non illud toties repetitum audiit peiores ſemper eſſe parentibus liberos, ex lyrico carmine 3 Od. Cantu 4.

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior Auis tulit,
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Quam ob cauſam quærere ſolebat Princeps Orator Demoſthenes, quod fieret fato quodam, vt vitia in poſteros trãſmeent, virtutes verò cum parentibus obruantur.

Ex eodem fonte fluxit Ælij Spartiatæ quærela, neminem propè magnorum virorum optimũ, & vtilem filiũ reliquiſſe; denique vel ſine liberis interiiſſe, vel tales habuiſſe pleroſque, vt melius fuerit, ſine poſteritate rebus humanis diſceſſiſſe.

In his gemina laus, aut vituperatio, ſi parẽs vterque nobilis, ſi virtute rebúſque fortiter geſtis charior, vel contra, ſi fuerit obſcurus, aut improbus. Hinc Ouid 4. de Ponto Eleg 16. nobilitatem te ingeminatam vocat, quæ ab vtroque parente nobili ducitur.

Maternos Cottas cui Meſſaloſq; paternos,
Maxima nobilitas ingeminata dedit,

Addit Ariſtides in Oratione funebri Ætheonei. ᾗ μὲν τῷ γε πρὸς πατρὸς, τὸ πρὸς μητρὸς ἐφάμιλλον· αὐτοὶ δ' οἱ γονεῖς, ὁ μὲν, ἀνδρῶν γνωριμώτατος, ἡ δὲ, γυναικῶν σωφρονεστάτη. Iam verò cum genere paterno certat maternum: ex parentibus enim ille quidẽ inter viros nobiliſſimus; hæc verò mulierum omnium probiſſima.

Contrà, Piſoni degeneri ignobilitatem obiicit Cic. n. 72 *O viltas animi lucem ſplendoremq fugientis! ô lutum! ô ſordes! ô paterni generis oblite materni vix memor! Ita neſcio quid iſtud fractum, humile, demiſſum, ſordidum inferius eſt, quàm vt mediolanenſi præcone auo tuo dignum eſſe videatur.*

PVNCTVM IV.

Laus in genere à nobilitate.

POſtquam Ariſt. 1. Rhet. c. 5. nobilitatem fecit priuatam vnam, publicam alteram: illam à parentibus, hanc à patria gẽte, ſeu ciuitate trahi aſſerit, vnde clarum fit, quibus è fontibus laus duci poſſit à nobilitate.

I. Virtutum parens & origo laudum.

Primùm quod ea per ſe non tantum laudanda ſit, ſed etiam fundamentum laudum Claud. in Serena.

—— Nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atq; omnes redeunt in ſemina cauſæ.

Eumenius Orator in Conſtantino, vel ſola nobilitate, ſine adiumento aliarum virtutum Principem

cipem imperium aſſequi debuiſſe contendit. *Inter omnes participes maieſtatis tuæ, hoc habes Conſtantine præcipuum, quod Imperator es, tantaque eſt nobilitas originis tuæ, vt nihil tibi addiderit honoris imperium, nec poſſit fortuna Numini tuo imputare quod tuum eſt, omiſſo habitu, & ſuffragatione; non fortuita hominum conſenſio, non repentinus aliquis euentus te Principem fecit, imperium naſcendo meruiſti.*

Parens quædam eſt, & nutricula virtutum maximarum nobilitas, vt Nazianz. Auguſtæ mentis Pontifex Orat. 36. Nobiles, inquit, & generoſæ animæ, ſi ratione gubernentur; & ſoëiceantur μέγα τι χρῆμα πρὸς ἀρετὴν, magnum ad virtutem pondus afferunt. Nam, vt præclarè notat Eumen. in Conſt. *Fama virtutis certa munitio eſt. Inde eſt igitur Imperator pax iſta qua fruimur. Neque enim Rheni iam gurgitibus, ſed nominis tui terrore munimur; quamlibet ille aut accreſcat æſtu, aut reſiſtat gelu, neutro hoſtis audebit vti vado, Nihil enim inſuperabili vallo nos præcluſit, quod non penetret audacia, ac aliqua conandi ſpes relinquatur, illic eſt inſuperabilis murus, quem extruit fama virtutis.*

II. *Antiqua.*

Maximè commendatur nobilitas ab antiquitate; hinc illa veterum cura ſollicita in conſeruandis maiorum imaginibus, vt ex earum numero antiquiorem nobilitatem oſtentarent. Ariſtides in Apælleo Genethliaco Orat 10. ἐπεὶ καὶ τοῦτ' οὐ μικρὸν ἐστ' οἶμαι πρὸς ἀλλήλοις ὑμῖν, τὸ μὴ σὲ φῦναι μόνον αὐτὸν ἐπὶ ταυτηί τῆς πόλεως λέγω, προγόνοις δ' ἀλλαχόθεν ἀριθμεῖν ἔχειν. Ἀλλ' ἄνωθεν ἀρξαμένην διαδοχὴν ὅθεν οὐδ' εὑρεῖν ἦν ἂν διὰ χρόνου μῆκος, εἰ μὴ προσῄκειτο ἡ λαμπρότης μέχρι σοῦ προχωρῆσαι, διὰ σοῦ πλήρη τὸν αἰῶνα τὸν ἑξῆς ἀναμένυται. Ἀπὸ γὰρ τοι Κοδράτου, δῆλον δ' ἐστιν οἶμαι καὶ φθεγξαμένου πᾶσιν ὁμοίως τοὔνομα, ἔξεστιν ἀριθμῷ κατιόντι τὸ γένος εἰς τοῦτον ὁρᾶν ἅπαν καθαρόν τε καὶ γνήσιον τῆς δὲ τῆς γῆς βλάστημα ποιητὴς ἄν τις εἴποι, καὶ μάλ' ἐπιεικῶς ἑαυτῷ, καὶ μᾶλλον ἀνθηρόν, ὥσπερ ἀρχόμενον ἀεὶ καὶ μηδέποτε λῆγον, ἕως ἂν ἡ τρέφουσα γῆ τουτοὶ τὸν καρπὸν ἀθάνατος μένῃ. Nam nec hoc paruum inter vos intercedit, quod non tantum in hac vrbe natus es maioribus aliunde oriundis, ſed altiſſimè repetita ſeries, vnde præ temporis diuturnitate niſi taceret fidem nominis ſplendor, peti vix poſſet ad te vſque proceſſerit, per te in poſterum complenda, ſiquidem à Quadrato, cuius nomen vel memoratum, ab omnibus agnoſcitur, gradatim ad hoc genus deſcendit, totum genuinum huius terræ germen, vt Poëticè loquar, egregiè ſibi ipſum ſuper effloreſcens, & magis etiam ad id enitens, quippe quod oriatur perpetuò, nec vnquam intereat, donec huius fructus ferax terra perduret.

Vt verum ſit eò nobilitatem illuſtriorem eſſe, quò fuerit antiquior. Sic latini carminis Princeps de Camerte 12. Æn. Qui non contentus propriam ipſius fortitudinem, & patris virtutem commemoraſſe, quæ res eum maximè nobilem probabant, originem quoque maiorum adduxit, anguſtiorem ex eo maioremque declaraturus.

Cui genus à proauis ingens, clarumque paternæ
Nomen erat virtutis, & ipſe acerrimus armis.

Sic Archades de ſuis antiquis glorioſuli ſe προσελήνους, ante Lunam ortos iactitabant, ait Statius 4. Thebaidos.

Arcades hinc veteres aſtris, Lunáque priores.

Sic Æthiopes αὐτόχθονας ſe dicebant, hoc eſt aborigines, ſeu natos ex terra, quam incolebãt, procreatos, itaque Cicadas in cono verticis geſtabant ad oſtentationem antiquæ nobilitatis Iulius Cæſar ſuam originem à Venere repetebat, Triumuir Antonius ab Hercule, denique multi ſui generis exordium cùm neſcirent, tot maiores ſibi effingebant, quot eſſe Deos audierant.

III. *Virtus.*

Si virtuti boniſque moribus coniuncta ſit generis dignitas, & ſplendor nominis. Vt enim benè Symmachus epiſt. 15. lib. 9. Non ſolus vultus, aut color aſſerit poſteros in honorem Parentum; quid ergo? nihil ſane melius, quàm virtus ipſa, vel teſte Phalari ſcelerato, ſed docto, qui ab Axiocho rogatus, quid de nobilitate ſentiret, reſpondit. ἐγὼ δὲ μίαν εὐγένειαν ἀρετὴν οἶδα, τὰ δὲ ἄλλα πάντα τύχην. Solam virtutem nobilitatem puto, cætera fortunam. Quintilianus autem lib. 5. cap. 11. Quis generoſiſſimus, nonne qui optimus? non claritate naſcendi, ſed qui virtute maximè excellit.

Per contemptum nouus Arpinas appellatus Cic.

Digitized by Google

Cic ita generis ſui ſplendorem docet Saluſtium.

Ego meis maioribus virtute mea præluxi, vt ſi prius noti non fuerint, à me accipiant initium memoriæ ſuæ. Tu tuis vitâ quam turpiter egiſti, magnas offudiſti tenebras vt etiamſi fuerint egregij ciues, certè venerint in obliuionem. Quare noli mihi viros antiquos obiectare. Satius eſt enim me meis rebus geſtis florere, quàm maiorum opinione niti; & ita viuere, vt ego ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum. Tiraquellus de nobilitate cap. 4. num. 5. Cic. pro Mur. num. 16.

IV. Illuſtris honoribus.

Si multis honoribus & dignitatibus illuſtrata ſit. Eam ob cauſam maiorum ſuorum imagines ornabant inſignibus dignitatum, quas geſſerant, vt eorum magiſtratus illuſtrarent, ita Iuuen. Sat. 2. hùc ſpectat quod munera publica nobilibus debeantur, tanquam proprium patrimonium, adeo ut in obtinendis magiſtratibus, aut etiam beneficiis cæteris præferantur, quod Cic. docet 7. in Verr. cùm ſic ait. *Sed non idem mihi licet, quod iis, qui nobili genere nati ſunt, quibus omnia Populi Rom. beneficia dormientibus deferuntur.*

Pro Muræna verò magiſtratibus, & cætera id genus munera deferri ſolita nobilibus magis quàm quibuſuis aliis declarat in Sulpicio. num. 15. *Summam video in te eſſe Sulpici dignitatem generis, integritatis, induſtriæ, cæterorumque ornamentorum omnium, quibus fretum ad Conſulatus petitionem aggredi par eſt. Paria cognoſco eſſe iſta in Lu. Murena, atque ita paria, vt neque dignitate vinci potuerit, neque te dignitate ſuperarit. Contempſiſti Murenæ genus, extuliſti tuum.*

Denique ſi verum eſt dignitates nobilitare, geminata illius erit nobilitas, qui ſplendori natalium, honoris adiunxerit nobilitatem. Ab hoc capite ſe commendat Cicero, nouitium licet hominem, 3. in Catil. cùm geſto Conſulatu ad faſtigium vltimæ nobilitatis ſe dicit peruenisse n. 28. *Mihi quidem ipſi quid eſt, quod iam ad vitæ fructum poſſit acquiri, cùm præſertim neque in honore veſtro, neque in gloria virtutis quidquam videam altius, quò quidem mihi libeat aſcendere.*

Hùc referri poſſunt facinora tanquam propria nobilitatis inſignia, de quibus aliàs.

V. Liberalium artium diſciplinis exculta.

Non eſt minima nobilitatis commendatio, ſi liberalium artium diſciplinis exculta fuerit, & innutrita. Vera quidem Q. Mutij ſententia; *Turpe eſt Patricio, & nobili viro ignorare Iuriſconſultorum ſcientiam*, addamus & nos ingenuas facultates, quas nobilem decere probat. Am. Marcellinus cùm de Orphito ſummæ nobilitatis viro loquitur. *Vir*, ait, *prudens & forenſium negotiorum oppidò gnarus, ſed ſplendore liberalium doctrinarum minus, quàm nobilem decuerat, inſtitutus.*

Neque deſideratur hîc ſæculorum, & totius antiquitatis iudicium. Ægyptij referente Diodoro Siculo. lib. 1. cap. 2. Suam Rempubl. in tres ordines diuidebant; primum aſſignabant iis, quos nobiles dicebant, ſcilicet eruditionis & doctrinæ ſtudiis deditos; quos eam ob rem ſummis laudibus, & honore ſingulari excipiendos eſſe cenſebant.

Neque nobiles tantum, ſed Reges etiam ipſos & Imperatores hoc eruditionis ornamento coronas illuſtraſſe ſcimus ex Tiraquello, quorum Catalogum recenſet de Nobilit. cap. 5.

Quid quod Plutar. in vita Iulij Cæſaris putat feliciorem Iubam Mauritaniæ Regis filium, quòd Romæ captiuus hiſtoricus factus fuerit, quàm ſi liber ſuos inter barbaros, barbarus ipſe regnaſſet. *Fortuna fuit illi captiuitas*, ait *qui inde ex barbaris Numidis, inter eruditiſſimos Hiſtoriographos recenſetur.*

Nullis Athletis ſic conuenit exercere corpus, vt Regibus animum, aiebat olim Iſocrates; neque enim Princeps ſubitò fit, ſed multa rerum cognitio requiritur ad eius perfectionem. Hinc nullo ſtudio, nulla gubernationis exculto diſciplina Verri prudẽs inſultabat Cic. 4. Act. in eundem, *Tu ſine vlla bona arte, ſine humanitate, ſine ingenio ſine literis intelligis, & iudicas.*

Oraculum militare Vegetius edidit his verbis. *Neminem decere vel meliora ſcire, vel plura, quàm Principem, cuius doctrina omnibus poteſt prodeſſe ſubiectis.* Vnde porro Princeps commodius, faciliusve, diſcat, intelliget, ſapiens fiat, quam ab hiſtoriarum attenta frequentique lectione? ab illa

Digitized by Google

diſcet quomodo Regno idoneus, patriæ vtilis, ſubditis charus ſit, omnibus amabilis: quid in vita fugiendum, quid expetendum ſit: cum illa prudens hoſtium clandeſtina conſilia explorabit, ducet exercitum, continebit in officio ciues, militum animos acuet, ordinabit acies, pugnabit, vincet, triumphabit: quam qui nouerit omnia quodammodo nouiſſe cenſendus eſt. Ad eam vitæ magiſtram ſic Principem allicit Liuius. l. 1. *Hoc eſt illud præcipuè in cognitione rerum ſalubre, ac frugiferum, omnia te exempli documenta in illuſtri poſita intueri, vt inde tibi, tuæque Reip. quod imitere capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.*

Quid amplius, aut certius è tota litterarum cognitione Princeps excipiat? *Ibi etenim prudens inuenit vnde ſapientior fiat; ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur; inde Princeps accipit, quomodo ſubditos ſub æqualitate componat* Caſſiod. l. 8.

Quid Principi glorioſius fuerit, quàm ex ſermonis inueſtigatione nouum, & ſingularem oculum conſequi, quo rerum faciem, non ex aliorum ſolùm oculis, ſed à ſeipſo videat, earumque præcipua norit. Certè non illæ Principis dignæ laudes fuerint, ſi formoſus videatur; muliercularum laus eſt: non ſi robur, & vires efferantur; Athletarum eſt: non ſi diuitiæ prædicantur ab omnibus; negotiatorum eſt: ſed illa Principis laus eſt, ſi plurima ſapiat, præterita reſpiciens, futura proſpiciens.

Monitum eſt egregium Baſilij Imperatoris ad Leonem filium optimæ ſpei adoleſcentem, quem ſic inſtituit, & ad litteras capeſſendas exhortatur, maximè verò ad hiſtoriã, vt ad multorum hominum mentem in vnum collectam. *Per hiſtorias veteres ire ne recuſa; ibi enim reperies ſine labore, quod alij cum labore collegerũt, atque illinc hauries, & bonorum virtutes, & improborum vitia, humanæ vitæ mutationes varias, & rerum in ea conuerſiones, mundi huius inſtabilitatem, & imperiorum præcipites caſus, & vt vno verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia; quorum illa fugias, ne in iuſtitiæ diuinæ manus incidas: hæc complectaris, vt præmiis, quæ illa comitantur, potiaris.*

Tandem ad rei cuiuſlibet excitationem hiſtoriarum lectionem & ſcientiam eſſe Principi ſummè neceſſariam, & vtilem docet Max. Tyrius cùm quidquid boni eſt, ſiue honeſtum, vel vtile aut iucundum ſit, eius cognitioni debeat adſcribi. Diſſertat. 12 περιττῶς γὰρ ἡ ἱστορία καὶ τὸ μηδ' ἐν κάμνοντα πανταχοῦ εἶναι τὸν ἐπιόντα, ἄντα μὲν χωρία ἐποπτεύοντα, ταῖς δὲ πολέμοις ἐκ τῶν ἀσφαλοῦς παραγινόμενον, μῆκος δὲ ἀμήχανον χρόνου ἐν βραχεῖ ἀναλεγόμενον, πλῆθος δὲ ἄπειρον πραγμάτων ἐν ὀλίγῳ μανθάνοντα, &c. *Nihil eſt iucundius, quàm in hiſtoria verſari, quàm ſine labore vllo paſſim diuagari, omnes ſimul locos intueri, omnibus bellis ſine periculo intereſſe, infinitum temporis ſpatium contrahere, reſque geſtas ſimul cognoſcere, quæ ab Aſſyriis, quæ ab Ægyptiis, quæ à Perſis, quæ à Medis & Græcis factæ ſunt. Bello nunc terreſtri, nunc marino, nunc concionis mediæ videri intereſſe conſiliis. Cum Themiſtocle in mari, cum Leonide in terra pugnare, cum Ageſilao traiicere, cum Xenophonte incolumen redire, amare cum Panthea, venari cum Cyro, regnare cum Cyaxari. Quòd ſi ſapiens ea de cauſa Vlyſſes dicitur quòd multorum hominum mores, & vrbes luſtraſſet, quantò ſapientior eſt, qui extra periculum hiſtoriæ lectione ſeſe explet, Charybdin videbit; ſed ſine naufragio: Sirenas audiet; ſed ſine vinculis: cum Cyclope aget; ſed miti & pacato.*

Debent ergo plurimum hiſtoriæ Principes, quam de manibus ponere vel nunquam, vel ratò ſolent, quibus imperium datum eſt, cùm in ea virorum illuſtrium dicta factaque commendatione digna ediſcere liceat, vt illis & ad virtutes Principe dignas animus inflammetur, & à vitiis remoueatur, nihilque in iis ſiue doctrinæ ad cognitionem, ſiue exercitationis ad prudentiam adipiſcendam deſideretur, qui frequentes in ea fuerint & aſſidui; nihil autem ab eo ſperare poſſimus, qui multiplici rerum, hiſtoriarumque cognitione non fuerit inſtructus. Pulchrè Cic. in Orat. n. 120. Principem inſtituit his verbis: *Cognoſcat etiam rerum geſtarum, & memoriæ veteris ordinem, ſed & imperiorum, populorum & Regum illuſtrium. Neſcire autem quid, antea quàm natus ſis, acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum. Quid enim eſt ætas hominis, niſi cùm ea memoria rerum veterum, cum ſuperiorum ætate contexitur.*

Vt verum ſit hiſtoriæ lectionem Principibus eſſe vtilem ac neceſſariam: quæ iuuenis etiam mentem nondum inſtructam formet, atque ca-

nam reddat, dùm multarum rerum vſum ante annos, ex ſummorum hominum factis colligit. Si modò non id attendat ſolùm vt animum recreet,& curatū faſtidio grauem reficiat,& quoslibet rerum euentus cognoſcat,ſed mentem etiā optimis exemplis ad egregias virtutum actiones informet & accendat. *Parum mihi placent*, aiebat Marius apud Saluſtium in Iugurtha.*ea litteræ,quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt.*

Nobilitas eleuatur.

I. Inane Nomen.

Occurrit ſæpius in Orationibus,aut eleuanda Nobilitas aduerſariorum,aut excuſanda noſtrorum obſcuritas: ſcilicet cùm obeſſe cauſæ poteſt alterutrius familiæ ſplendor,aut ignoratio.Tunc ergo debebit Orator oſtendere I. Nobilitatem in ſe nihil aliud eſſe,quàm inanem verbi ſonitum ſanguinem,non virtutem ſanguine propagati,titulos,& honores eſſe plerumque arbitria fortunæ, non argumenta virtutis: improbos habere cum bonis in nobilitate conſortium:ſtatuas&ſimulachra Principum virorum ſpectari quidem in aulis,ſed tandem fuligine violari: non poſſe virtutis effigiem marmore, ſed animo tantum exprimi,in illa proinde generis decus, nominis commendationem, monumenta gloriæ collocand' :hinc Oratores fumum hunc gloriæ fugiētis in laudatione facilè contemnunt, ſola ſapientia nunquam moriente,& ſemper renaſcēte contenti. Quid enim ? ordiantur ab eo,qui non animum,ſed oculos rapit,ſplendore natalium?quorſum memorent, quod vel ipſi Principes viri, ſi viuerent,neſciri mallent?quid ſuſpiciant, quod deſpexerunt?quid prædicent,quod audiri louiſſimum duxerunt?

II. Sine virtute Titulus in trunco & ſtipite.

Si Nobilitatis decus dicatur nihil homini prodeſſe, nec et quidquām conferre,cui vera Nobilitas virtus non adſit,ſine qua generis ſui ſplendorem non ſuſtinet,nec illuſtrat, ſed ignobilem reddit & obſcurum.Hinc illa fortis exprobrandi ratio, quam Marius adhibet in Iugurtha. *Cùm apud vos,aut in Senatu verba faciunt, maiores ſuos extollunt, & fortia facta memorando clariores ſe putant,quod contra eſt. Nam quantò vita illorum præclarior, tantò horum ſocordia flagitioſior. Ita ſe res habet. Maiorum gloria poſteris quaſi lumen eſt, neque bona eorum,neque mala in occulto eſſe patitur.*

Propriam ergo, non alienam magnitudinem nobis gratulemur:nam quæ tandem eſt illa commendatio, à perenni conteſtataque maiorem virtute ſic degenerem animum habuiſſe, vt imbellis ex forti,pauper è diuite,ignauus è ſtrenuo, fatuus à ſapiente, deiectus à generoſo,factis obſcurus, è rebus geſtis clariſſimo natus videaris? quam præſtat cum illuſtri Mario nobilitatem peperiſſe,ſuſtinuiſſe, illuſtraſſe, quam acceptam à maioribus corrupiſſe; magnæ mentis,ac virtutis in ſpeciem Seneca veram nobilitatem non hæreditate,ſed laboribus, ſed periculis,ſed rebus bene geſtis,ſed ipſa virtute parari Lucilium de natura, deque fortuna conquerentem ſuum docet epiſt 44. *Quis ergo generoſus? ad virtutem benè à natura compoſitus. Hoc vnum eſt intuendum:alioqui ſi ad vetera reuocas,nemo non inde eſt,ante quod nihil eſt. A primo mundi ortu,vſque in hoc tempus,perduxit nos ex ſplendidis ſordidiſq; alternata ſeries. Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus. Nemo in noſtram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione,ſupra fortunam licet ſurgere.*

III. Vanum honoris nomen, crimen nouum.

Nobilitas crimen admiſſum grauius facit, quod turpe ſit ac ſordidum à maiorum virtute deflectere,in quam Iuuenalis ſtylum acuit, & armat.Satyr.8.

Quod ſi præcipitem rapit ambitus,atq; libido,
Si frangis virgas ſociorum in ſanguine,ſi te
Delectant hebetes laſſo lictore ſecures.
Incipit ipſorum contra te ſtare parentum

Digitized by Google

Nobilitas claramq; facem præferre pudendis,
Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò maior qui peccat, habetur.
Subdit nimis vera, quæ velim nobiles animo meditentur, ne degeneres audiant, quod olim Africani filius. *Proh Dij Immort. quantas tenebras ex quo fulminaſci, paſſi eſtis!* Sic enim maioribus ſuis indignos pungit, & vrget acriter ibid.

—— Quis enim generoſum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Inſignis: miſerum eſt aliorum incumbere famæ,
Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis.
Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis
Æacidæ ſimilis, Vulcaniaq; arma capeſſas,
Quàm deus herſit a ſimilem producat Achilles.

IV. *Variantis fortunæ commune donum.*

IV. Si res diligenter, & ex natura ſuâ potius, quàm ex hominum opinione æſtimetur, æqualis eſt omnium nobilitas; eam ob rem Ægyptij veteres ſapientiæ laude commendari non patiebãtur aliquem â parentibus, aut maioribus celebrari, rati parentum virtutem cum vita non poſſe in filios transfundi. Sic eum affatur Seneca qui nobilitatis ſuæ, Sãguiniſque claritatem inſolentius efferr, & modeſtè minus de maiorum virtutibus gloriantem rider 3. de benef. c. 28. *Eadem omnibus principia, eademq; origo. Nemo altero nobilior, niſi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptius. Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine, ac multis ſtemmatum illigata flexuris, in parte prima ædium collocant: noti magis, quàm nobiles ſunt. Vnus omnium parens mundus eſt, ſiue per ſplendidos gradus, ad hunc prima cuiuſque erigo perducitur. Non eſt quod te iſti decipiant, qui cùm maiores ſuos recenſent, vbicumque defecit nomen illuſtre, illicò Deum fingunt.*

Ex omnibus ludentis fortunæ, communiſque naturæ donis nullam mentis elationem capiendam eſſe ſapienter monet Boëtius l. 3. de conſol. metro.

Omne hominum genus in terris
Simili ſurgit ab ortu:
Vnus enim rerum pater eſt,
Vnus cuncta miniſtrat.
Mortales igitur cunctos
Edit nobile germen.
Quid genus & proauos ſtrepitis?
Si primordia veſtra
Authoremq; Deum ſpectes.
Nullus degener exſtat,
Ni vitiis peiora fouens,
Proprium deſerat ortum.

V. *Ambitioſa vitiorum parens. & nutrix.*

Ex vna nobilitate oriri mala plurima Socratem dicere ſolitum prodit nuncia veritatis antiquitas, eandem verò Diogenem vocare προκάλυμμα κακίας velàmentum malitiæ. Quæ vitiorum ſuſpiciones magis audacter fortaſsè, quàm verè in nobiles coniiciuntur. φιλοτιμότερον vocat Ariſt. 2. Rhet. cap. 15. honoris appetentiorem, nec tàm genere inſignẽ quàm vitiis, cum nobilitas nihil ſit aliud, quàm cognita virtus, contemptorem animum, & ſuperbiam commune nobilitatis malum Saluſtius nominat.

Inimici popularium dicuntur à Cic. 7. in Verr. nu. 181 *Hominum nobilium non ferè quiſquam noſtræ induſtriæ fauet: nullis noſtris officiis beneuolentiam illorum allicere poſſumus: quaſi natura & genere disiuncti ſint: ita diſſident à nobis animo ac voluntate.* Quod nolim de ijs intelligi, quos vera virtus nobilitat: cum noſtra tempeſtate nobiliſſimos quoſque cæteros facilitate, & humanitate ſuperiores eſſe videamus, illius Tull. dicti memores officiorum. 1. n. 90. *Vt quantò ſuperiores ſumus tanto nos ſummiſſius geramus.*

Denique faciles ſunt ad offenſionem nobiles, difficiles ad iniuriarum obliuionem, ad vltionem, vbi ſe dederit occaſio, tàm prompti, tàm ardentes, vt leuiſſimis iurgiis, ad iram, ad contumelias, ad funeſtas cædes accendamur. Non plura nec in calamum traham veterem nobilitatem, non aſſuetam vera patienter audire, doceri difficilem, moneri impatientem.

PVN.

Digitized by Google

PVNCTVM V.

Laus à natiuitate.

NOn dubium eſt id quidem, quin natiuitas (quam in fortunæ muneribus ponimuscùm & à patria, parentibuſque pendeat) ad laudem & vituperationem plurimùm conferat. Sunt enim aliorum ortus nobiles, aliorum obſcuri: nec tantum propter generis ſplendorem atque familiæ decus & ornamentum, ſed propter tempus etiam, & modum, ordinemque nobilitatis. Quæ quidem adiuncta valent in vtrumque partem, proindè diſcutienda paucis.

I. Tempus in natiuitate obſeruandum.

Tria ſunt in natiuitate conſideranda; primum Tempus ipſum; & in eo dies, hora, menſis, annus, ſæculum obſeruatur. Clarum eſt ex antiquorũ diſciplina dies alios atros & infauſti ominis, felices alios albaque notandos cretâ fuiſſe: in menſibus etiam religionis aliquid poſuiſſe veteres ſcimus, cum in rebus gerendis aliquos feliciores eſſe deprehenderunt, ita Plutarch. in Camillo, de pugna Albienſi, quâ fracti fuerunt à Gallis Romani.

In ſæculis item fortunam fatumq; poſuit Plato, cum in his tribus, pro quibus meritam Dijs gratiam juſtis honoribus & memori mente perſoluere ſolitus erat Natalis ſui diem numerauerit in Socratis incidiſſe.

In horis, vel in momentis ipſis Aſtrologiæ periti, quamuis ineptè, ne dicam impiè, tantum religionis eſſe voluerũt, vt ab aſtris cuiuſlibet fortunam pendere dicerent, illiſque diuinitatem omnem tribuerent. Quam temporis religionem ex faſtis, nefaſtiſque collectam obſeruauit in Panegyrico Conſtantino Conſt. filio Rhetor Eumenius. *De te igitur mihi, Cæſar inuicte, hodiernæ gratulationis exordium diuinus ille veſtræ majeſtatis ortus, ipſo quo illuxit auſpicio veris illuſtrior, cui dies ſerenus, atque (vt celebrantes ſenſibus) vltra rationem temporis Sol æſtiuus incaluit, auguſtiore fulgens luminis claritate, quàm cùm originem mundi naſcentis animauit, ſiqi idem tunc inter illa rerum tenera primordia moderatus dicitur, ne Maieſtate veſtrâ videretur obſcurior. O felix beatumque ver nouo partu, iam non amœnitate florum, nec viriditate ſegetum, nec gemmis vitium, nec ipſis tantum Fauonijs, & luce ſerena lætum, atque venerabile, quantùm ortu Cæſarum! ô tempus quo meritò quondam omnia nata eſſe credantur, cùm eodem nunc confirmata eſſe videamus! ô Kalendæ Martiæ ſi.uti olim annorum voluentium; ita nunc æternorum auſpices Imperatorum!*

II. Diei natalis Virorum Illuſtrium concurſus.

Secundum in tempore conſideratur natalis dies cum altero concurſus; nempè ſi natus ſit aliquis eodem die, quo vir illuſtris non parum facit ad eius commendationem: Ita Plutarchus, qui cum in Sympoſiaco quæſt. 25. dixiſſet ſexta die Targelionis menſis natum Socratem, ſeptima Platonem, ſubdit. *Non malè iam de fortuna pronunciabitur, eam, cùm à ſapientia plurimum diſſerat, hoc quidem caſu effeciſſe, vt horum Philoſophorum natalei dies, non modò contigui eſſent, ſed prior etiam, qui gloria & ætate anteiuiſſet, doctorq; alterius fuiſſet:* Idem obſeruat Carneadem Academicæ Philoſophiæ nobiliſſimum Antiſtitẽ, eodem cum Platone natam Apollinis feſto die, quocirca creditus fuit à quibuſdam Apollinis filius.

Iam verò ſi in eum diem concurſus rerum felix incidat, in omen futuræ felicitatis adduci poteſt. Plutarch. in vita Numæ Regis, obſeruat illum eo die natum, quo Roma fuit à Romulo condita, vndè regni ſumpſit omen.

Horas & ſingula momenta curioſius obſeruant in Aſtrologia principes, & ex aſtrorũ coniunctione conficiunt, vt ipſi audacter mentiuntur, futuram cuiuſlibet ſuorem. Abſit vt has delirantis animi nugas admittamus: Quid enim poſſunt in liberas hominum voluntates aſtra? poterit tamen Orator hãc nobilitatis prærogatiuam, ac felicitatis ortus ad cumulum adferre, non quod velit his habendam eſſe fidem aliquam, ſed vt oſtendat ei nihil deeſſe, quem commendat ad laudem, vel ex eorum iudicio, qui proſus ineptè felicitatem ab aſtris auſpicantur.

III. Natiuitatis modus.

Si beatus & ſalutaris alicui fuerit natalis dies Obſeruatum eſt à Rhodigino Alexandrum, die ſuo natali, Darium ſuperaſſe, eodemque mortuum fuiſſe. Plinius autem lib. 7. c. 27. tradit Pompeium de Oriente deque Mythridate, ac Iudæis triumphaſſe. Sic in Traiani panegyrico Plinius ſecundus omnium ore celebris Orator, vtitur hac laude quòd natali ſuo die Conſulatum iniſſet. *Nam quod enim potiſſimum menſem attribuiſti, quem tuus natalis exornat, quàm pulchrum nobis? quibus edicto, quibus ſpectaculo celebrare continget, diem illum triplici gaudio lætum? qui principem abſtulit peſſimum, Domitianum: dedit Optimum, Neruam; meliorem Optimo genuit, Traianum.*

IV. Præcedentia natiuitatem.

Faciunt ad laudem quæ natiuitatem ipſam antecedunt admiranda, puta diuina quædam oracula, ſeu portenta, ſiue ſomnia. Nota eſt illa Troiana fax, quam vtero ſe geſtare ſomniauit Hecuba, dùm prægnans Paridem aluo contineret. Sit tanè illud commentitium, At ſi quidem licet profanis ſacra iungere, pia D. Dominici mater viſa ſibi in ſomniis vterum gerere cane grauem, quo futura tàm ſancti viri vigilantia, concionandiq; vis acerrima portendebatur. Quod item de matre ſancti Bernardi clariſſima fœmina dicitur.

Hùc reuocantur ea, quæ in tempore acciderunt Ælius Spartianus; & alij complures Antonini Imperium, & mortem referunt præuiſam fuiſſe, quòd eodem tempore, die, ac hora, quâ ille natus eſt. Mediolani nata ſit Ouis purpureū vellus in fronte geſtans, in villa Antonini viri plebeii, qui cum accepiſſemt à Paſtore hoc oſtēto Imperium Antonino cuidam promitti, ſtatim id de ſeipſo non perperam interpretatus, ne prodigium diuulgaretur, ouem occidit: atque vt ouis naſcens imperium; ita etiam ei mors illata ab Antonino, mortem indicauit.

Euſdem generis etiam illud eſt, ait Tullius 1. de diuinat. n. 121. quod ſcribit Herodotus: *Crœſi filium, cùm eſſet infans, loquutum; quo oſtento Regnum patris, & domū funditus concidiſſe, caput arſiſſe Tuli. Seruio dormienti, quod Hiſtoria non prodidit.*

V. Quæ propius infantem ipſum attingunt obſeruanda.

Nempe, ſi vt Zoroaſtes alius, quo die lucem vidit, ſolutus in riſum fuerit. Ferunt eâ nocte, quâ conceptus eſt Conſtantinus, parentem eius magni exercitus Imperatorem mirabile quidpiā vidiſſe, quo portento ſingularis dignitas, & egregii fœtus claritudo, communeque decus imperii ſignificaretur; nimirum cum eſſet in tabernaculo ſuo Caſtrenſi, præter naturæ curſum & ordinem animaduertiſſe ab occidentali Oceano Solem exorientem enaſci; ex quo ſtudioſius operam dediſſe, vt filius ad res magnas Superis annuentibus, fauente Cælo, ridente natura creatus, ſapientum præceptis inſtitueretur.

Quo die Plato Philoſophorum Sol ortus eſt, aureum imbrem de Cælo cecidiſſe veterum monimenta teſtantur,

Rex Pyrrus maternis adhuc appenſus vberibus, ludens in gremio εὔλομαι primum dixit, quæ vox tranſiit in omen futuræ felicitatis, & audaciæ.

Si facilè, vel difficulter in lucem prodierit. Hinc Herculi videtur prędicta magnitudo: quod duabus noctibus vix natus ſit, quaſi in Heroë tanto producendo, plus ſolito natura laboraret.

VI. Ordo natiuitatis.

Neque enim parum facit ad laudem, & commendationem natu prior; ſiquidem omnium conſenſu conſtitutum eſt, vt liberorum primus principatum obtineret. Vndè ſe Iuno commendat, & ſuperbè gloriatur, apud Ouidium 6. Faſtorum.

Si genus aſpicitur Saturnum prima parentem
Feci: Saturni ſors ego prima fui.

De quibus multa Tiraquellus de iure primigeniorum 32. §.

Cæterum quæ de hominum natiuitate dicuntur, non ſolum cadunt in ipſum diem natiuitatis ſed in dies etiā quoſuis natales, qui more veterum in magnis principibus celebrari ſolent. De quibus

Digitized by Google

quibus Cenſorinus, & de Roa. Imò vero de natalitiis vrbium, Regnorum, & cuiuſlibet magiſtratus idem intelligendum eſt. Vt obſervat in Romulo Plutarchus natalem vrbis fuiſſe 1. Kal. Maij 3. anno 6. Olymp. quo die Sol Eclypſim paſſus eſt.

PVNCTVM VI.

A nomine laus & vituperatio.

MAgnus dicendi Magiſter Fabius Inſtitutionum lib. 5. cap. 10. nō negat ad laudem aſſumi poſſe in alicuius perſona, nomen, ſi præſertim ex cauſa datum ſit, nimirum ob virtutem, aut ipſum cauſa ſit alicuius cognationis; Ideo ſi ſua ſignificatione, vel Omine fauſto, vel propter illum cui additum eſt, excitet hominem ad aliquid obeundum. Si quis fortè vocatus eſt, ad imitationem Alexandri ſeſe provocet, ac impellat, vt hortabatur aliquādo è militibus ſuis ſibi cognominem, Animosè aiebat Commilito aggredere facinus nomine quod geris dignum. Tertullianus vir magni nominis Apologetici 3. cap. Satis innuit in turpi nomine, aliquid eſſe vituperatione dignum. *Nunc igitur ſi nominis odium eſt, quis nominum reatus? quæ accuſatio vocabulorum, niſi ſi aut barbarum ſonat aliqua vox nominis, aut infauſtum, aut maledicum, aut impudicum.*

Hinc maiores ſapientiæ nomine commendati non exiſtimabant, ait Halicarnaſſenſis lib. 5. nomen inuidioſum, & moleſtum imponendum Magiſtratui, qui Ciuitati liberæ præeſſet; tùm ipſorum ſubditorum cauſâ, ne odioſis appellationibus perturbarentur; tùm etiam ut cauerent, ne iis, qui Magiſtratus acciperent, vel per imprudentiam ab aliis iniuria fieret, vel ipſi aliis facerent.

Eapropter Iuris interpretes vt obſeruat Petrus Gregoras Syntag, Iuris lib. 33. cap 4. dicunt hæredem cui teſtator teſtamento nomen ſuum gerendum tradiderit à Prætore poſſe liberari eâ obligatione, ſi nomen turpe ſit, quaſi indecorum ſit eiuſmodi nomini appellationē admittere. Quæ fuit cauſa cur Porphyrius ille nequam Malchi nomen in Porphyrium mutauerit; quod ut ait Eunapius, hoc ſuo nomine ponendo vellet omnem videri poſuiſſe barbatiem.

Neque mouere quemquam debent illa, quæ diſputat egregiè Socrates apud Platonem in Cratilo, contra nominum impoſitionem, ſignificationemque, quòd plerumque homines in rebus appellandis fallantur. Etenim vel in hoc laus aut vituperatio maior erit, ſi qui in ceteris falli ſolēt in hoc aut illo nomine imponendo, quo dignus ſit is, quo de agimus, decepti non fuerint. Videndum itaque paucis quomodo quis poſſit à nomine celebrari: quatuor his capitibus; à quo, quâ cauſâ, quod nomen, cui imponitur.

A quo.

Eò laus eſt illuſtrior, quò ab illuſtriore nomen datum fuerit: ad quod obſeruandum venit, quod eſt in Codice lib. 9. tit. 25. ſicut in initio nominis, cognominis, prænominis impoſitio libera eſt priuatis; Ita eorum mutatio innocentibus periculoſa eſt. Itaque vel prænomen, ſiue cognomen, ſine aliqua fraude licito iure mutari licet, ſi liber eſt.

Secundum, ea *quæ ſic trita ſunt minimè prohibebis*, nullo ex hoc præiudicio futuro: quorum hic eſt ſenſus, licere quidem cuilibet in principio ſe quo volet nomine nominare, non tamen licere cuilibet nomine ſuum mutare, maximè propter ſuſpicionem fraudis, unde facilè colligi poteſt in nominis obſeruatione, præſertim cùm aut mutatur, aut non additur eſſe opus alicuius auctoritatis. Commodi meminiſſe uolo, qui omnibus deterior fuit, quod cum illis moribus Antonini nomen obtinuit, vt vniuerſus Populus Rom. contra Heliogabalum, qui nomen idem vſurparat vnâ voce clamabat, hunc non rectè Antoninum dici, & per hanc peſtem tantum violari nomen. Vt enim illa inſignia nomina violantur ab improbis; ita etiam à probis illuſtrantur. Quare eidem Alexandro acclamatum eſt à Senatu, nomen Antonium tu reddis in integrum, &c.

Ex hoc loco Plinius Iunior Traiani modeſtiam commendat *Nonne hus tot tantiſq; meritis nouos aliquos honores, nouos titulos merebare? ac tu etiam nomen patris patriæ recuſabas. Quam longa nobis cum mode-*

Digitized by Google

modeſtia tua pugna, quā tardè vicimus? Nomē illud, quod alij primo ſtatim principatus die, vt Imperatoris, & Cæſaris, receperunt: Tu vſque eò diſtuliſti, donec tu quoque beneficiorū tuorum parciſſimus æſtimator, jam te mereri fatereris. Itaque ſoli omnium contingit tibi vt pater patriæ eſſes, antequam fieres. Eras enim in animis, in iudi ijs noſtris, nec publicæ pietatis intererat quid vocarére, niſi quod ingrata ſibi videbatur, ſi te Imperator rem potius vocaret, & Cæſarem, cùm Patrem experiretur. Quod quidē nomen quā benignitate, quā indulgentiâ exerces, vt cū ciuibus tuis, quaſi cum liberis parens viuis! Vt reuerſus Imperator, qui priuatus exieras, agnoſcis, agnoſceris. Eoſdem nos, eundem te putas: par omnibus, & ob hoc tantum cæteris maior, quò melior.

PVNCTVM VII.

Fons laudis ab Educatione, & inſtitutione.

Bonus & locuples Auctor Seneca lib. 2. de Ira cap. 18. docet Educationem maximam diligentia, plurimumque profuturam deſiderare. Facilè eſt enim teneros adhuc animos componere, difficulter reciduntur vitia, quæ nobiſcum creuerunt. Adde naturam factam eſſe proniorem ad malum, & ad vitia, quàm ad virtutes propenſiorē *Ad deteriora faciles*, pergit Sapiens, *quia nec dux poteſt, nec omnes deeſſe, & res etiam ipſa ſine duce, ſine comite procedit, non pronū iter eſt tātū ad vitia, ſed præceps.* Quod & repetit vt monitum ſingulare 3. naturalium qq. c. 30. *Citò nequitia ſubrepit, virtus difficilis inuentu eſt, rectorem ducemq; deſiderat, etiā ſine Magiſtro vitia diſcuntur.* Ex his fontes laudis & vituperationis faciles aperiūtur.

Cura Cuſtodiæ liberorum & Inſtitutionis in parente laudabilis.

Multum eſt ſi quis educatus dicatur à propriis parentibus, in ſinu caſtæ Matris & in oculis grauiſſimorum virorum enutritum commendat Etheonæum Ariſtides Oratione funebri. τροφὴ δὲ ἡ πρὸς ἀξία τῆς γενέσεως, ὥς γε τροφὸς μὲν ἡ φύλαξ ἡ μήτηρ, σῶμα δὲ ἡ ψυχὴ πρέπουσα ἀλλήλοις. Indoles ac inſtitutio pro dignitate natalium ipſi contigerunt, cui nutrix quidem, & cuſtos fuerit mater, corpus autem & animus inuicem ſe deceant.

Illud idem laudat in Honorio Claudianus:

Ipſi Quirinali primum ſuccinxit amictu
Mater, & ad primas docuit reptare Curules
Vberibus ſanctis.

Gloriatur Antonius Philoſophus lib. 1. vitæ ſuæ ſe à Matre pietatem & liberalitatem edoctū eſſe παρὰ τῆς μητρὸς τὸ θεοσεβὲς καὶ μεταδοτικόν.

Etenim dici vix poteſt quātū valeat in vtramque partem à prima pueritia inſtitui ad virtutis eximiæ ſatus excipiēdos, & præſtātis gloriæ laudem conſequendam. Hinc Philoſophi orbis terrarum monitores, & magiſtri docuerunt patrum proprium eſſe παιδεῦσαι liberos erudire, & ad magna natos ſic honeſtis moribus ſtudiiſque eius formare, vt in ætate iuuenili præbeant ſpecimen διαβεβαιωτ̃ ciuilis viri, maturi, ſapientis cuius educationis defectu non liberorum cultores, ſed hoſtes, non cuſtodes, ſed proditores, non parentes, ſed patricidæ ſint iudicādi, qui quorum corpora ad hanc mortalem vitam produxerunt, eorum animis ſempiternam mortem acceſſant.

Vir prudens, ſi pater eſt opportunè curat filij mitigandam in ætate prima manſuetudine Iram, libidinem continentia frænandam, minuendam libertatem verecundiâ, temperandum dolorem patientiâ, fortitudine timiditatem extimulandam, omneſque perturbationes & commotiones inſultantes in rationem, eiuſdē rectæ rationis mediocritate aurea virtutum habenis vel adductis, vel remiſſis, pro rei neceſſitate manu prudentiæ moderandas.

Plutarchus morum Magiſter egregius Catonem maiorem laudat, quòd nō tantum filiorum ſuorum præceptor eſſe voluerit ac Magiſter, ſed etiam intereſſe quoties nutrix illos faſciis vinciret, aut in cunis exponeret, vel alio quouis modo tractaret. Hanc ob cauſam Tacitus Germanorum mores probat quòd quæque mater infantem ſuum vberibus alat, nec ancillis aut nutricibus id committat, quippe lac & ſpiritus maternus longè magis ingenij & corporis auget incrementa; Adde quod maiori cum amore & beneuolentia nutriunt matres: nutrices verò ſuppoſititam duntaxat beneuolentiam habent.

Digitized by Google

Aureliano quondam Auguſto felix ac benefortunatum portendiſſe Imperium teſtantur Annales, quòd puerum adhuc in cunis vagientem Aquila innoxiè aureis è cunabulis extulerit, in aramque portarit, quæ propè ſacellum erat ornatiſſima: qualem augurati par eſt fore N. Galliæ ſpem & ornamentum, quem non auium præpes Aquila, ſed parens virtute ſingularis, puerilibus annis exceptum, ad aras, ad auitam Religionem, ad omne genus pietatis applicuit, & inſtruxit, à quo non ſemel laudiuit virtute nihil eſſe præſtabilius, in ea decus & propriã dominantiũ gloriam ſitam eſſe, eam omnibus rebus anteponendam, in ea viuendũ, in ea denique moriendum.

Ita pius Orator in ſancti Nicolai Myrenſis educationem. Atque vt in horto, aut nemore regio, natiua vberis glebæ ſolerter exculta fœcunditas, ſuppoſita præſertim læto ſyderi generoſam arboris ſpeciem, quam complexa ſit, ſpectabili in dies prouentu in Cælum effert; ſic exeuntem ſe in N. pueritia mirificam ſanctimoniȩ indolem, vtriuſque parentis integerrimi domeſtica inſtitutio magnis incremẽtis ad perfectionẽ deduxit.

Inter bonos educatio.

Iàm ſi parentum cura minus ſollicita non id præſtiterit, ſanè proximum, erit primæ laudi, ſi quis inter bonos & à bonis, longè autem ab improborum conſortio fuerit educatus. Prudenter monet Stoïcus, cum his verſare, qui te meliorem facturi ſunt, illoſque admitte, quos tu potes facere meliores: mutuò iſta fiunt: homines dùm docent, diſcunt.

Parentum ſanctos oportet eſſe Penates, & modeſtiæ, honeſtatiſque officinam, quibus id morati Poëtæ verbum occinere non verebor. Iuuenal. Satyr. 14.

Nil dictu fœdum, viſuq; hac limina tangat
Intra quæ puer eſt, procul hinc procul indè puellæ
Lenonum, & cantus peragentes Paraſiti.

Optimus Iuuentutis Magiſter Plato præcipit enixè ne fabulas turpes, atq; inanes pueris nutrices enarrent, néue quidpiam obſcœni, vel in verbis audiant, vel in factis videant, vel in picturis intuantur, vndè turpitudine flagitioſa poſſit iuuenilis animus inquinari.

Romani veteres eam cautionem priſcis ſæculis adhibuerũ, remiſſiones etiam ludoſque pueriles ſanctitate quadam, & verecundia temperãres, vt ſyncera & integra, & nullis detorta vitiis, nulliſque fœdata maculis natura toto pectore ſtatim acciperet laudatas artes, quam illæſam omninò conſeruare excultamque reddere virtutibus beatitudinis eſt tyrocinium.

A bonis educatio.

In monitis ſapientum continetur, magnam parentibus adhibendam eſſe diligentiam in eligendo præceptore, & teneræ menti præficiendo, ne labẽ Reipublicæ res illa conciliet. Vocem olim Chriſtiano orbis terrȩ moderatore digniſſimam Theodoſius Imperator hanc edidit, cum Arcadium ſuum Arſenio maturæ ſapientiæ viro erudiendum committeret. *Tunc prolem ſuam verè dignam imperio fore, ſi cum ſcientia æquè fuiſſet pietate conſpicua.*

Quintilianus Dialogo de cauſis corruptæ Eloquentiæ cap. 29. pluribus cõmendat Romanos, quòd ad liberorum educationem eligerent aliquam maiorem natu, cuius probatis ſpectatiſque moribus omnis cuiuſdam familiæ ſoboles committeretur, coram quâ neq; fas erat dicere, quod turpe dictu, neq; facere, quod factu inhoneſtum videretur. *At nunc* pergit *non ſine ſtoma. ho, infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adiungitur vnus aut alter ſeruus plerũq; viliſſimus, nec cuiquam ſerio miniſterio accommodatus: horum fabulis & erroribus teneri ſtatim ac rudes imbuuntur animi, nec quiſquã in tota domo penſi quidquam habet, quid coram infante aut dicat aut faciat, quando & ipſi parentes nec probitati, nec modeſtiæ paruulos aſſuefaciunt, ſed laſciuiæ, ac libertati, per quæ paulatim impudentia irrepit, & ſui alienique contemptus.*

Non ſic Imperator Auguſtus, quem ex Suetonio c.24 Nepotes ſuos Caium & Lucium literas notare, aliaque rudimenta per ſe docere ſolitum fuiſſe ſcimus.

Prudenter Iuuenalis ab exempli noxii diſcrimine remouendam monebat Iuuentutem.

Magna debetur puero reuerentia. ——

Quantam toti familiæ deberi credimus, ſi vni duntaxat adoleſcenti? diuinè profsus Antiſtes

Digitized by Google

Lugdunenſis Euſebius Homilia 7. per antitheſim ſuos hortatur. *Quæ ad ædificationem pertinent, ea in medio poſiti agere ſtudeamus, ne vitia noſtra aliorum virtutibus noceant, ne aliorum feruorem tepor noſter debilitet, ne aliorum patientiam ira noſtra violet, ne aliorum humilitatẽ ſuperbia noſtra deprauet; ne aliorum ſanitatem infirmitas noſtra corrumpat, ne aliorum pulchritudinem fœditas noſtra contaminet, ne aliorum ardentes extinguamus lampades, ſi noſtras illuminare non poſſumus.*

Denique Plato non linguæ ſolum, ſed etiam animi ac virtutis magiſter educationem eam eſſe cenſet optimam, quâ ſic inſtituuntur homines ab adoleſcentia, vt iis gaudeant, & doleant, quibus gaudere & dolore oportet. Quod ego ſic interpretor honeſtiſſimis virtutum actionibus delectentur, & turpiſſimas vitiorum deteſtentur.

Pvnctvm VIII.

Laus à facultatibus.

Qvàm incerta ſint, & fluxa fortunæ dominantis non tàm bona, quàm dona nemo non intelligit, ſed vel hominum cœca libide, vel certè ſapientum, qui diuitiis ad honeſtos fines vſi ſunt, virtus fecit, vt laudes ab hoc capite petantur.

Sciò quàm meritò grauiterq; Seneca paupertatis laudator egregius exclamet in ſollicitam ſemper, & anxiam diuitum vitam ep. 15. *O quantũ lacrymarum! ô quantum laborum exigit! quàm miſera deſideratis, quàm miſera paratis? adiice quotidianas ſollicitudines, quæ pro modo habendi quemque diſcruciãt. Maiore tormẽto pecunia poſſidetur, quàm quæritur? quantum damnis ingemiſcunt, quæ & magna incidunt, & maiora videntur! denique vt nihil ipſis fortuna detrahat, quidquid non acquiritur, damnum eſt.*

Scitè quidem Tertullianus de habitu mulierum c. 7. cùm dixiſſet apud barbaros quoſdam, quia vernaculum eſt aurum, & copioſum, auro vinctos in ergaſtulis habent, & diuitiis malos onerant, tantò locupletiores, quantò nocentiores, ſubdit aliquando. *Reuera inuentũ eſt, quomodo, & aurum non ametur.*

Magnificè Tullius 1. Offic. n. 68. *Pecunia fugienda cupiditas, nihil enim eſt tàm anguſti animi tã; parui, quàm amare diuitias; nihil honeſtius magnificentiuſq;, quàm pecuniam contemnere, non habeas: ſi habeas, ad beneficentiam, liberalitatemq; conferre.*

Quod monitum ſic Principibus viris accommodat 2. Off. n. 77. *Nullum eſt tetrius vitiũ quàm auaritia, præſertim in Principibus & Rẽpub. gubernantibus. Habere enim quæſtui Remp. non modo turpe eſt, ſed ſceleratum etiam & nefarium.*

De ſe autem laudabiliter, ſi verè, pro Sylla n. 35. *Quare neque me peregrinum poſt hac dixeris, ne grauius refutere; neque Regẽ, ne derideare, niſi fortè Regium tibi videtur, ita viuere, vt non modò homini nemini, ſed ne cupiditati quidem vlli ſeruias; contemnere omnes libidines; non auri, non argenti, non cæterarum rerum indigere, ſi hoc putas eſſe regium, me regem confiteor.*

Hinc de ſũmis vnus Imperator Baſilius Leonem filium ad excelſitatem animi Rege dignam, ex contemptu diuitiarum ſic vrgebat admonitione 14. *Excelſum atque inuictum Principis animum non adeo magnitudo dignitatis oſtendit, ac pecuniæ contemptus, in eo enim generoſitas animi eluceſcit maximè: ſi ergo tu excelſo animo eſſe vis, eſto præcipuè in mentis inductione pecuniæ contemptor.*

Diuitum vitam laborioſam prorſus atque ſolicitam, deſcribit Propertius l. 3. Elegia 6.

Ergo ſollicita tu cauſa pecunia vitæ es:
Per te immatura mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo.

Quid mercatores ſuo iudicio profugi, qui ne certiſſima quidem capitis pericula metuunt? quorum patientem animum in aduerſis caſibus ferendis admiratus vates Lyricus 1. Carm. Cantu. 14 ſic ait.

—— Neque feruidis
Pars incluſa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus,
Durataq; ſolo niues
Mercatorem abigunt. Horrida callidi
Vincunt æquora nautæ.

Eſt tamen quod laudet in illis Orator, ſi modò quis

Digitized by Google

quis ad virtutem vtatur. Primo quidem ex antiquorum opinione, qui diuitias abſolutè bonas eſſe laudabileſque cenſuerunt. Poſt Horatium Sermonum 2. Satyra 2.

— Omnis enim res
Diuitiis paret, quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, iuſtus, ſapiens, etiam Rex.

Eaſdem ambit & ampl. ctitur hominum vulgus, quòd ad honores conducant, doctum ab Ariſtotele 1. Ethicor. c. 3. Vbi monet felicitatem diuitiis indigere, fierique vix poſſe, vt is præclarè res agat, cui facultates deſint. Cuius opinioni videntur ſubſcripſiſſe, qui diuitibus honores, & magiſtratus deferri voluerunt, vt Solon apud Plutarch. Indi apud Solinū; Cartaginenſes apud Ariſtotelem, 3. Politic. c. 9. quibus adde Naſonem.

Curia pauperibus clauſa eſt, dat cenſus honores,
Inde grauis Iudex, inde ſeuerus Eques.
In pretio pretium nunc eſt. —

Me delectat illud Scipionis Æmiliani, qui togatus à Sulpicio Galba, & ab Aurelio in Senatu contendentibus, vter aduerſus Vitriatum in Hiſpaniam mitteretur, quid ſentiret. Neutrum reſpondit, mihi mitti placet: quòd alter nihil habeat, alteri nihil ſatis ſit, æquè malam licentiſimperii magiſtram iudicans inopiam & auaritiam.

Cum virtute coniunctæ.

Potiſſima cōmendatio diuitiarum eſt, ſi cum virtute coniungantur: Nam ſi verum eſt quod apud Laërtium habet Chiron, diuitias eſſe Lydium lapidem, vir certè bonus ille dicetur, quē à virtutis tramite non deducent opes; quippe ſine prudentia, vt benè Pythagoras, non ſecus quàm equus ſine fræno, diuitiæ gubernari nequeunt: vnde pulchrè Antiſthenes, ex Fauorino, dixit, neque ſympoſion ſine colloquio, & ſocietate, neque diuitias ſine virtute voluptatem habere vllam: Quamobrem, ſi quis pluris ſemper veras animi diuitias fecerit, quam fluxas & arbitrio dominantis fortunæ ſubiectas opes, laudabitur. *Verè nemo alius eſt Deo dignus, quàm qui opes contempſit*, Senecâ iudice.

Liberalitas ex Diuitiis.

Si ex virtutis illius arbitrio diuitiis rectè vtatur vir bonus, ſcilicet liberalis ſit, eam in rem multa Seneca de Benefic. 6. c. 3. Vbi docet rationem ſolam aſſerendarum diuitiarum vnam eſſe liberalitatem: vndè paradoxum enaſcitur, eò quemlibet eſſe ditiorem, quò liberalior eſt. *Quæris quomodo illa tua facias? donando, Conſule ergo rebus tuis, & certam tibi earum, atque inexpugnabilem poſſeſſionem para; honeſtiores illas non ſolum, ſed tutiores facturus. Illud quod ſuſpicis, quo te diuitem ac potentem putas, quamdiu poſſides ſub nomine ſordido iacet. Domus eſt, ſeruus eſt, nummi ſunt: cùm donaſti, beneficium eſt.*

Quod item vrget cap. 2. *Poteſt eripi domus & pecunia, & mancipium, & quidquid eſt, in quo haſit beneficij nomen: ipſum verò ſtabile, & immotum eſt. Nullanis efficiet, ne hic dederit, ne ille acceperit.*

Plinius Iunior, quo vix fuit ſuauitate dicendi maior, in Traiano ſuo liberalitatem hanc in diuitiis laudauit. *Nihil magis tuum credis, quàm quod per amicos habes.* Alter verò non in Oratoribus vltimus de ſuo Conſtantino ſic laudabiliter loquitur in hanc rem. *Nec miranda in te eſt animi mangnitudo, inquam Dij Immortales tanta coniecerunt natura bona, & ornamenta fortuna, vt quamuis maxima largiaris, ita penes te ſint omnia, quaſi ea ſolus obtineas.* Hùc facit Martialis grauis & morati Poëtæ dictum velut Oraculum hac in quæſtione fundentis.

Quas dederis ſolas ſemper habebis opes,

Nec non & iſtud Alphonſi Regis Aragonum, qui roganti cuidam, quid ſibi ſeruaret, qui tàm multa multis daret, quæ dono reſpondit: adeò verum eſt quod aiebat Diogenes apud Tyrium Sermone 12, non diuitem, ſed diuitiis, benè vtentem eſſe beatum.

Cum ſcientia iunctæ.

Si modo liberalium artium adiunctam habeant cognitionem, alioqui Plutarch. in Mario ſcientiæ defectu diuites innumerabiles habere cupiditates ait, & inexplebiles. Meritò, inquit,

Digitized by Google

inquit, illis accidit, vt neglectis rebus, quas poſſident, immemoreſque acceptorum à fortuna beneficiorum, inhient ſemper ad noua, & incerta ſomni, & tanquam pleni timarum nihil retineant: prius enim quàm literis & doctrinæ ſedem ac fundamentum jaciant bonis externis, colligentes & accumulantes, eo non valent immenſam animi ſitim explere.

Illa verò trita ſunt Diogenis, diuitem ſine literis Arietem eſſe in aureo, vellere, ex quo mutuatus eſt Alciatus Emblema 74. Phrixum ariete aureo tranantem Helleſpontum, quod ita concludit.

Hæc quid id eſt, vir ſenſu hebeti, ſed diuite Gaza
Coniugis, aut ſerui, quem regit imperium.

Contemptus opum virtutis ſpecimen egregium.

Nullum veræ virtutis, & cæleſtis ſemitæ certius indicium eſt quàm opes contempſiſſe, non habitas nunquam ambiuiſſe, conceſſas ſpreuiſſe, oblatas neglexiſſe. Humanitatis & Philoſophiæ lumen Seneca, non ceſſat amicum monere ſuper hanc rem, blandè ſatis.. Subduc ceruicem iugo. Semel illam incidi, quàm ſemper premi ſatius eſt Si te ad priuata retuleris, minora erunt omnia, ſed affatim implebunt, at nunc plurima, & vndique ingeſta non ſatiant: vtrum autem mauis ex inopia ſaturitatem, an ex copia famem? pergit ſapienter. Ille ingentis animi eſt, quid diuitias circumfuſas ſibi multum diuque miratus, quòd ad ſe venerint, ridet ſuaſque audit magis, quàm ſentit: multum enim non corrumpi diuitiarum contubernio. Magnus ille eſt, qui diuitis pauper eſt, ſed ſecurior, qui caret diuitiis. Si vis diuitem facere non pecuniæ adijciendum, ſed cupiditatibus detrahendum, multis paraſſe diuitias non finis miſeriarum, ſed mutatio fuit.

Ex quibus perſpicuum eſt, quàm iucundum ſit nihil poſcere, quàm magnificum plenum eſſe, nec ex volubili infidaque fortuna pendere: ſed ſe ſibi fortunam ſuam ſtatuere. Nam quanto glorioſius eſt, à ſe petere quod ſatis ſit quàm à fortuna; tanto vilius dubia illius dona expectare Quid quòd diuitiæ ſunt propter quas ſtabimus tremuli conſcientia pulſante, Dæmone minitante, Angelo accuſante, Iudice damnante. Proindè ad altiora mentem erige, quo tibi nunc auri argentique ſummæ ingentes? quid additi nemoribus colles, propugnacula fluminibus, vineta paſcuis? fuerunt. Quid hortorum fontiumque ludi? quid amicorum & famulorum exercitus: perierunt. Permitto, ſi meliorem faciunt diuitiæ, ſed faciunt ſæpè deteriorem, cùm explicatam ſecum omnium ſcelerum materiam trahunt: benè Diogenes in opulenta domo locum virtuti deeſſe; benè Socrates diuitem aureum eſſe mancipium. Et habentur à diuitiis diuites, non habent, ſapit ille quiſquis cœlo reponendas aliquando diuitias magno labore conquirit.

Pvnctvm IX.

Laus ab honoribus & conditione vitæ.

Conditionis & ſtatus quæſtio eſt, num clarus aliquis; an obſcurus, Magiſtratus, an priuatus, Pater, an filius, Ciuis, an peregrinus, Liber, an ſeruus, Maritus, an cælebs, parens liberorum, an orbus ſit. Fabius l. 5. c. 10 ex quibus colligimus quàm multa ſint in conditione tractanda, ſed honores dumtaxat hoc loco proponere nobis certum eſt, tametſi reclamet Cicero, dùm audit nos in fortunæ bonis honores numerare. *Is,* inquit 10 epiſtolarum 11. *Qui verè appellari poteſt bonus, nec in vita, nec ad tempus, ſed perpetuæ virtutis eſt præmium;* Eiuſdẽ eſt partiri honoris ex Plutarch. in Lycurgo quibus ſatisfacere non eſt operoſum ei, qui duplex honorum genus admiſerit. Alterum quod in gloria, ſplendore nominis, omniumque celebratione conſiſtit, de quo loquuntur laudati; neque velim illud in fortunæ bonis ducere, ſi verum ſit, quàm enim eſt illis conſtantius: vel ex Cic. pro Milone. nu. 97. quam velut eminentem effigiem virtutis ait, & in conſentiente bonorum laude conſiſtentem. *Ex omnibus præmiis virtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorum ampliſſimum eſſe præmium gloriam: eſſe hanc vnam, quæ breuitatem vitæ poſteritatis memoriâ*

Digitized by Google

riâ conſolaretur: quæ efficeret, vt abſentes adeſſemus, mortui viueremus, hanc denique eſſe, cuius gradibus etiam homines in cœlum videamur aſcendere, quam ſublimis: Togatæ Philoſophiæ decus Seneca ep. 39. Neminem excelſi ingenij virum humilia delectant & ſordida: magnarum rerum ſpecies ad ſe vocat, & extollit: quam vehemens? vel ex Xonophonte pulchra quædam res eſt honos cuius amore mortales incitati, quæ non pericula prouocarent? quas non ſorbuerunt difficultates, quæ bella, quas dimicationes non ſuſceperunt? quæ facinora, quos plauſus, quam admirationem, quos triumphos non ab illorum manibus, virtutibuſque impetrauit, expreſſit, extorſit veræ gloriæ cupiditas?

Alterum quod indignitatibus, & magiſtratibus eſt, & hoc à fortuna pendere dicimus; cur enim alioqui finxiſſent veteres fortunam denſa nube obſeſſam, effundentem theſauros, ſceptra, coronas aliaque dignitatum inſignia, quæ ex illa nube in eius ſinum defluebant? aut cur ceciniſſet magnus in Satyra ſuum illud.

Si fortuna volet, fies de Rhetore Conſul.

Quid ergo magnopere laudandum in illis?

I. Præclarum à Principe laudari & honoribus affici.

Prima laus peti poteſt à perſona, quæ dignitatis gradum aliquem confert in alterum, ſi nempe ſit eiuſmodi, quæ dignos tantum promoueat: hoc in Traiano commendat Plinius, qui veterum Oratorum laudem ingenio dicendique ſuauitate, aut vicit, aut æquauit. *Priores quidem Principes excepto patre tuo, præterea vno aut altero & minus dixi, vitiis potius ciuium, quàm virtutibus lætabantur: primum quod in alio ſua quemque natura delectat: deinde quos potentiores ſeruitutis arbitrantur, quos non deceret eſſe niſi ſeruos, horum in ſinum omnia congerebant: bonos autem otio, aut ſitu abſtruſos, & quaſi ſepultos, non niſi delationibus, & periculis in lucem, ac diem proferebant. Tu amicos ex optimis legis; & æquum eſt eos eſſe chariſſimos bono Principi, qui inuiſi malo fuerint.*

In eo prædicat Iulianum Mamertinus Rhetor egregius, & ad conciliandam ſibi Principum virorum beneuolentiam ſatis eruditus. *Nam primùm cùm Cæſar eſſes, marcentem iam cupiditatis meæ flammam ſpei bonæ flatibus excitaſti: cùm verò te Aug. mirificum innocentiæ, ac virtutum ſpectatorem viderem, tunc mecum dixi, Mamertine huc uſque non fruſtrà vixiſti, habes idoneum fidei, ac induſtriæ iudicem, memento in magno res tuas eſſe diſcrimine. Scietur non meruiſſe te Conſulatum, ſi tibi eum non detulerit hic Imperator. Habes Auguſte proditionem ſilentij mei, & rem à me non breuis cuitaciturnitate celatam.*

Vt vero clarius appareat quanta laus inde colligatur, audiendus eſt Caſſiodorus vir moratus & prudens, qui 1. variarum ep. 3. ſic ait. *Nam ſi æqualis credendus eſt, quem iuſtus elegerit: ſi temperantia præditus, quem moderatus adſcinit, omnium profectò capax poteſt eſſe meritorum, qui iudicem cunctarum meruit habere virtutum. Quid enim maius quæritur, quàm hic inueniſſe laudum teſtimonia vbi gratificatio non poteſt eſſe ſuſpecta? regnantis quippe ſententia de ſeliis actibus ſumit indicium, neblandire dignatur animus Dominij poteſtate munitus. Nam indigno deferre gloriam & honores, quid eſt niſi eò deformiorem illum reddere, quò fuerit illuſtriori dignitatis gradu præter meritum affectus?*

II. A Meritis.

Si dignitatem conceſſam virtutibus ſuis meritus eſſe dicatur, aut aliis honorum gradibus ad illius faſtigium euaſiſſe, qui ſcilicet, vt eſt apud eundem Caſſiodorum lib. 1. ep. 4. *Non fragili felicitate prouectus, fortunæ lude ad apicem faſcium repentinis ſucceſſibus reuolabit, ſed vt creſcere virtutes ſolent ad faſtigiũ præconij, conſcendit gradibus dignitatum.* Quod laudat Eumenius Orator in Cõſtãtino. *Magna & admirãda eſt felicitas, quæ in ordinẽ militis, & militiæ aſcendit, & ſolis vi tutis nixa radicibus, ad tantum potentiæ robur inualui, quod etiam tu, quantum per ætatem licuit, conſequutus es.*

Alioqui monet Caſſiodorus ſæpè laudandus lib. 12 variarum ep. 2. *Claras ſuas maculas reddunt ſi illi, ad quos multi reſpiciunt, aliqua reprehenſione ſordeſcunt, cæteroqui expedit non videri, quàm cunctorum irriſione ſignari.*

Venuſta ſatis imagine Plutarchus infamiæ labem hanc ex meditata ſolum gloria natam ſubiicit.

cit. Siquis paruulus ſtatuas, atque ridiculas pedamentis, & baſibus magnificis, atque ſublimibus imponeret, multò minores ad aſpectum proponeret, multóque magis ridendas ita ſanè qui indignos dignitate, meritóque virtutis puſillos in ſublime extollit. Vacuum honore titulum ſapienter appellat Saluianus 4. de prouidentia. *Quid eſt aliud principatus ſine meritorum ſublimitate, niſi honoris titulis ſine homine? aut quid eſt dignitas indigno, niſi ornamentum luto?*

III. Non ſollicita dignitatis cupiditas

Si non ambitioſus nimium in petendis honoribus fuerit, imò dignitatē oblatam coactus admiſerit Hanc in Traiano celſitatem animi commendat Plinius Oratione maximè limatus atque ſubtilis. *Credentne poſteri patricio & Conſulari, & triumphali patre genitum, cùm fortiſſimū, ampliſſimum, amantiſſimum ſui exercitum regeret, Imperatorem non ab exercitu factum? eidem cùm Germaniæ præſideret, Germanici nomē hinc miſſum? nihil ipſum, vt Imperator fieres, agitaſſe: nihil feciſſe niſi quod meruit, & paruis paruiſti enim Cæſar, & ad Principatū obſequio perueniſti, nihilq; magis à te ſubiecti animi factum eſt, quàm quod imperare cœpiſti.*

Illud idem paucis & acutè Pacatus Orator in Theodoſio notauit. *Illud præ cæteris mirum, quod cum omnia faceres vt imperare debebas, nihil tamen faciebas vt imperares.*

Ambitioſè gloriatur Mamertinus Rhetor in Panegyrico Iuliani ſe nec prenſaſſe, nec magnopere de Conſulatu fuiſſe ſollicitum vbi nonnulla cum aliquo mentis acerbæ ſenſu dixit in Candidatorum ambitum. *At verò ego nullius fauorem turpi aſſentatione promerui, nihil feci ineptum, nihil egi quod ſpectare Mucium nollem, non modò nullum popularium deprecatus ſum, ſed ne te quidē ipſum Imper. quē orare præclarum, cui preces adhibere pleniſſimum dignitatis eſt, verbo ſaltem adij.*

IV. Humilis & modeſta ſublimitas.

Eximium Principis ornamentum ab humilitate modeſtiaque ſumitur, ſic honoris laudem ex humilitatis virtute conſecutum eſſe Traianum profitetur Plinius. *At quo temperamento Dii boni poteſtatem tuam, fortunamq́; moderatus es? Imperator titulis & imaginibus, & ſignis: Cæterum modeſtia, labore, vigilantia dux & legatus, & miles, cùm iā tua vexilla, tuas Aquilas, magno gradu anteires. Neque aliud tibi ex illa adoptione, quàm filij pietatem, filij obſequium adſereres, longamq; huic nomini ætatem, longam gloriam in precarere.*

Quantus humili ac modeſto Principi decor, quàm pulchra maieſtas, ſi non ob honores acceptos inſolens fiat! Is fuit Traianus, quem modeſtiâ ſingularē & amabilem facit Plinius. *Non tu ciuium amplexus ad pedes tuos deprimis; nec oſculum manu reddis; manet Imperatori quæ prior humanitas ac pietas. Incedebas pedibus; incedis: lætabaris labore, lætaris eodemque omnia illa circa te nihil ipſa te fortuna mutauit Liberū eſt ingrediente per publicum Principe ſubſiſtere, occurrere, comitari, præterire. Ambulas inter nos, non quaſi contingat, & copiam tui, non vt imputes, facis: hæret lateri tuo, quiſquis acceſſit, finemq́; ſermoni ſuus cuique pudor, non tua ſuperbia facit.*

Animi modeſtiam verè ſublimem & excelſam agnoſcit in Germanico Principe Tacitus, & in Traiano Plinius: prior l.2. annalium. *Tanta illi comitas in ſocios, manſuetudo in hoſtes. Viſu & auditu iuxta venerabilis, cùm magnitudinem & grauitatem ſummæ potentiæ retineret, inuidiam & arrogantiam effugeret.*

Plinius verò totus in Principis ſui laudibus celebrandis. *Iam quo aſſenſu Senatus, quo gaudio exceptum eſt, cùm candidatis, vt quemque nominaueras, oſculo occurreres deuexus quidem in planum, & quaſi vnus ex gratulantibus.*

Deinde quàm grata ſit mortalibus humiliata ſublimitas, non ad aſſentationem compoſita Oratione, ſed ipſa veritatis voce expendit. *Contigit ergo oculis noſtris inſolita facies, princeps & Candidatus æquales, & ſimul ſtantes, intueriq́; parem accipientibus honorem qui dabas. Quod factum tuum à cuncto Senatu, quam verâ adclamatione celebratum eſt.*

Benè de Ioſepho imperium Ægypti conſequuto Peluſiota, l.4. epiſt.79. Imperauit denique & ipſemet ſibi, quod eſt imperij genus omnium maximum, quando in humilibus ſublimis conſpectus eſt, & in ſublimibus humilis.

Non

Digitized by Google

Non facile dici poteſt quantum valeat in vtramque partem morum blanda ſuauitas in conſuetudine cum hominibus vſurpata, quæ potiſſimum in vultu, geſtu, ſermone conſiſtit & agnoſcitur, dum ſubditis Princeps facilem aditum, hilarem vultum, aures benignas cum verbis humanitatem loquentibus aperit. Comem in ingreſſu commodum alloqui ſe volentibus, blandum & expoſitum depingit Alexandrum ſeuerum Lampridius. *Tantæ moderationis fuit, vt nemo vnquam ab eius latere ſubmoueretur, vt omnibus ſe blandum affabilemque præberet, vt amicos non ſolùm primi, ac ſecundi loci, ſed etiam inferiores ægrotantes viſeret. In iocis dulciſſimus fuit: in fabulis amabilis, in conuiuiis comis, ita poſceret quiſque quod vellet.*

Naturæ morumque ſuauitatem Conſtantini reminiſcēdo non ſine voluptate recognoſcit Nazarius. *Quid? faciles aditus. Quid? aures patientiſſimas. Quid? benigna reſponſa. Quid? vultum ipſum Auguſti decoris grauitatis hilaritate permixta.*

Eam in optimi Principis faciem & ingenium volunt ad laudem Oratores, vt in ipſo Regiæ ſublimitatis faſtigio faſtum ac ſupercilium deponat, necnon ſubditis ſeſe benignum exhibeat, ſermone affabilem, acceſſu facilem, vultu amabilem, & quod paucis abſoluit Sidonius Apoll. l. 7. epiſt. 4. *Qui faſtigium comitate non frangat, ſed flectat.*

Talem amat Traianum Plinius. *Reuerſus Imperator, qui priuatus exieras, agnoſcis, agnoſceris: eoſdem nos, eundem te putas, par omnibus: & hoc tantùm cæteris maior, quo melior.*

Talem Theodoſium miratur Pacatus & alloquitur. *Tu amicitiam, nomen ante priuatum non ſolum intra aulam vocaſti, ſed indutam purpura, auro gemmiſque redimitam ſolio recepiſti, neque non verbis aſſeruiſti, Principis mentem tanto in ſuos benigniorem eſſe debere, quanto ſit fortuna præſtantior, cum fide ac facultate paribus agas, & familiaribus tuis Imperator tribuas, quod priuatus optaras.*

Talem in Honorio Claudianus virtutem agnoſcit & commendat 6. Conſulatu.

—— Cum ſe melioribus addens
Exemplis, ciuem gereret terrore remoto
Alternos cum plebe iocos, dilectaque paſſus
Iurgia, patriciaſque domos, primataque paſſim
Viſere, depoſito dignatus lumina faſtu.

V. Exemplum virtutis in Principe honorato.

Si præeant exemplo cæteris, vt dignitate, qui modus compendioſus eſt & expeditus ad legum obſeruationem imperandam. Nam vt ait doctè Caſſiodorus epiſt. 4. lib. 1. *Facilis eſt recti perſuaſor index, ſub cuius prædicabili conuerſatione pudet mores probabiles non habere.* Sapienter D. Bernardus monebat ſuos in hæc verba: *Non tranſeunt opera noſtra vt videntur, ſed ſemina ſunt æternitatis.* Quod potiſſimum de Principibus viris dicendum eſt, quippe qui non ſolum præſentes, ſed etiam poſteros ad imitationem ſui fortiter impellunt.

Magni nominis Rhetor Plinius Traianum ex hoc capite commendat. *Alioquin neſcio an plus moribus conferat Princeps, qui bonos eſſe patitur, quàm qui cogit. Flexibiles quamcunque in partem ducimur à Principe, atque vt ita dicam ſequaces ſumus. Perge modò Cæſar & vim effectumque cenſuræ tuum propoſitum, tui actus obtinebunt: Nam vita Principis cenſura eſt, eaque perpetua. Ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur, nec tam imperio nobis opus eſt, quàm exemplo.*

PVNCTVM X.

Laus à felicitate ſeu ridentis fortunæ fauoribus.

QVoniam vt bene magnus Eloquentiæ Pacatus in Theodoſio, duo ſunt quæ viros illuſtres faciunt, ſumma virtus, & felicitas, quæ ex hominum opinione, poſita eſt in felici rerum euentu, fauoreque fortunæ, hanc omittere non debuimus, quæ reliquas omnes complectitur. Monendum tamen breuem & ludicram tantum eſſe laudem iſtam, ſi ſoli fortunæ felicitas adſcribatur: ſolidiorem ſi totum Dei regentis prouidentiæ acceptum referatur.

Verum quidem eſt rerum noſtrarum euentus à Deo pendere, quod Tullius ipſe confirmat pro

Scauro, apertéque pronuntiat poſſe virtutem ſine præſidio fortunæ, quò contendiſſet, laboré, & conſtantia peruenire. Quod idem Lucilium ſuum docet Seneca epiſt. 98. *Errant, mi Lucili, qui aut boni aliquid nobis, aut mali iudicant, tribuere fortunam, materiam dat bonorum, aut malorum, & initia rerum apud nos in malam, bonumve exiturarum. Valentior enim omni fortuna animus eſt, in vtramque partem res ſuas ducit, beataque ac miſera vita ſibi cauſa eſt.*

Alibi tamen ex ſuo ſenſu virtutem fortuna tantiſper indigere affirmauit; ſic enim libro de vita beata, cap. 16. ***Quid enim deeſſe poteſt extra deſiderium omnium poſito? quid extrinſecus opus eſt ei, qui omnia ſua in ſe collegit? ſed ei qui ad virtutem tendit, etiamſi multum proceſſit, opus eſt tamen aliqua fortunæ indulgentia, adhuc inter humana luctanti, dum nodum illum exſoluit.***

Primum igitur in his laudibus erit, ſi quis in rebus tum priuatis, tum publicis, felicem exitum conſequatur: itaut nihil ipſi præter expectationem, mentemque accidat: quo in genere numerandæ ſunt ſingulares illæ laudes, quas deinceps illuſtrabimus.

Secundum, ſi talis fortuna ſit æqualibus ac perpetua, qualis Romana pingitur à Plutarcho, quæ poſtquam innata ſua leuitate, per orbis partes vniuerſas decurraſſet, nunc has nunc illas attollens, deprimenſque nationes; dein' Romam ſe recipiens Alas, Rotam, Globumque abiecit in Tyberim, atque in media vrbe Roma conſedit, vt æternum aliquod decus Romanis rebus polliceretur: ex his facilè ſingularia laudum capita colligentur.

I. *Felicitas conſtans.*

Si tam facilè quam celeriter, quæ voluerit conſequatur, ſi hoſtes vidiſſe, viciſſe fuit, ſi Principem ſic armet virtus, ſi amet fortuna, vt vrbes eodem tempore obſidione intercludat, & labefactatione recludat, arces oppugnet ſimul & euertat. Hanc felicitatem in Iuliano Imper. Mamertinus Orator agnoſcit. *Vidimus felices illius comites via ſtupentes, vrbium populos dubitaſſe credere quæ videbant. Non aliter conſternatas arbitror gentes, quæ prima lapſum Cælo excepére Palladium.*

De Theodoſio verò Pacatus. *Sermo iſte prolixior eſt, quàm illa res fuerit. Vix fluuium manu inuicta tranſierat; iam locum belli tenebat: vix hoſtem inuenerat; iam vrgebat: vix pectora viderat; iam terga cædebat.*

II. *Tranquilla & pacata felicitas.*

Si non tantùm multa acquirat, ſed etiam his placidè potiatur, cuius felicitatis defectu minus felicem arguit Alexandrum Ariſtides in ſua Roma, quem hoſtes quidem omnes viciſſe, multis periculis perfunctum fuiſſe, ſæpius triumphaſſe, regnum compoſuiſſe dicit, laboribus tamen finem imponere nequaquam potuiſſe, ſed in medio rerum curſu non ſatis feliciter interiiſſe, nec vllum fere fructum artis percepiſſe. ὥσπερ ἂν εἴ τις τὸν Ὀλυμπικὸν ἀγῶνα ἀγωνιζόμενος, καὶ κρατήσας τοὺς ἀντιπάλους εἶτα, ἐναποθάνοι τῇ νίκῃ, πρὶν εὖ καὶ καλῶς τῇ κεφαλῇ τὸν στέφανον ἁρμόσαι. Veluti ſi quis, quùm Olympico certamine viciſſet aduerſarios, deinde antequam coronam probè capiti imponeret, immoreretur victoriæ.

La hoc verò laus erit illuſtrior, quò felicior atque pacatior erit illa comparatarum rerum poſſeſſio, quod idem Orator de Romanis celebrat, eius verò contrarium in Perſis vituperat. Deſultorij quidam Reges, quique hoc à Scythis Nomadibus diſtabant, quod non plauſtris, ſed eſſedis circumuehebantur. Νομάδας τινὰς βασιλεῖς καὶ πλανήτας διὰ τὴν ἀπιστίαν καὶ τὸν φόβον τῆς ἐν ταὐτῷ καθέδρας, παίζοντας ὡς ἀληθῶς· ὥσπερ τινὰ βύρσαν τὴν ἑαυτῶν χώραν, καὶ ταύτῃ κατῶσι. νῦν μὲν Βαβυλῶνα, πάλιν δὲ Σοῦσα, εἶτα Ἐκβάτανα, οὐχ ὅπως ἂν ἀεὶ κατέχειν εἰδότες, οὐδ᾽ ἐπιμελούμενοι, ὥσπερ νομεῖς. Vagi quidam & errones Principes, quique propter incredulitatem & metum, ne in eodem loco diu ſuſtinerent, regionem ſuam tenera vt vtrem aliquem premerent. Itaque nunc Babylonem, aliàs Suſa occuparent, rurſum Ecbatana paſtorum inſtar, nec perpetuo aliquid obtinere poſſent, neque verò id ſtuderent.

III. *Singularis ac propè diuina facilitas.*

Tertium complectitur inſolita quædam felicitatis, fauentiſque fortunæ indicia qualis celebrat in Theodoſio Pacatus, dum Numen aliquod diuinum

Digitized by Google

uinum illi in bellis adfuiſſe memorat, alacritatem autem & animos ſolito maiores militibus additos, tamque ardentes in aciem deſcēdiſſe, vt non ad pugnam, ſed ad victoriam, non ad certamen, ſed ad triumphum duci viderentur. Neque quia ſe diuina mortalibus dedignantur fateri, idcirco, quæ viſa non fuerint dubitauimus facta, cùm facta videamus, quæ dubitauerimus eſſe facienda. *Auguſte fortunam tuam Imperator expendit, quiſquis id de te tantum quod fieri poteſt, credit. An ego cùm ab Alpibus Iuliis otioſo feriatoq; ferro, non prælium fuiſſe videam, ſed triumphum dubitauerim illam ſpecialem quandam felicitatis tuæ dixiſſe militiam? Scimus quidem Imperator ita te cuncta adminiſtraſſe, vt non poſſint ſe tibi impugnare ſucceſſus ſed fatearis neceſſe eſt, quantum te in bello, tantum fortunam tuam egiſſe poſt bellum: cui ſi vocem demus & iudicem, nonne prolixè ſuam enumerabit operam, & vt virtutibus tuis multa concedat ſibi aliqua vendicabit? Et cur quæſo, non demus, vt accipiamus vtriuſque partis aſſerta, cùm ſit qua vicerit tua?*

Tum pugnam virtutes inter & fortunam inducit, vtra plus illarum ad victorias, & triumphos Imperatoris contulerit. *Audio Conſtantiam dicere, bellum atrox periculoſumq; ſuſcepi, memorare Patientiam immenſum iter, tempus anni graue, ſemper armata, ſemper ieiuna toleraui: Tenere prudentiam, partita ſum militem, & multiplicaui arte terrorem: Aſſerere Fortitudinem; bis conflixi cum hoſte, bis vici: Omnes poſtremò clamare, quid tibi debemus fortuna quam fecimus? ſed ſi illa dicat ego properationem Militum iuui, ego Hoſtium prepediui, ego Maximum in muros coëgi, & quem vos cogebatis mori, viuum Domino reſeruaui. Non video quod poſſit eſſe iudicium, quin cum iſta pars imputet Tyranni fugam, illa cuſtodiam Reip. quæ vtriq; pariter obnoxia eſt, ita vtramq; coniungas, vt fateatur vni ſemet victoriam, alteri debere vindictam. Sed nec tu debitam gratiam beneficij infitiator abiuras, nam etſi per te conſeceris quæ volebas, perfortunam tamen plus adeptus es, quàm volebas.*

Adde quæ Plutarchus in vita Timoleontis obſeruauit, cui tam propitiam florentemque fortunam ſemper in omnibus fuiſſe dicit, vt Corintho ad Siculum bellum proficiſcenti comites eſſe voluerint Ceres & Proſerpina: ſacrificanti verò Delphis vitta victoriis diſtincta è tholo cadens, caput eius amplexa fuerit inſtar coronæ triumphātis: pugnanti contra Carthaginenſes omnia elementa, fulgetris frequentibus, tonitruis, caligine imbre, vento, grandine fulminumque iactu, ad terrorem hoſtium adfuerint.

Ampliſſimis fortunæ muneribus ornatum celebrat Maximinum Mamertinus Rhetor. *Nec fefellit opinio veſtra felicitatis, ſiquidem ad tempus ipſum tātæ ſe dorſo maris nebulæ miſcuerunt, vt inimica claſſis apud Vectoum Inſulam in ſpeculis & inſidiis collocatam, ignorantibus omnino hoſtibus præteriretur.*

Nec minus elegānter in einſdem Genethliaco laudatus Orator, cuius felicitati vix parem reperit. *Neque ſolùm ad perficiendas naues certatim homines laborarunt, ſed etiam ad excipiendas flumina repente creuerunt. Toto ferè anno Imp. quo tibi opus erat ſerenitate, vt naualia texerentur, vt trabes cæderentur, vt artificum animi vrgerent, ne manus torpeſcerent, nullus ferè dies imbre fœdatus eſt. Hiēs ipſa temperiem veris imitata eſt. Iam non Septentriones nos putauimus, & quaſi trans latis ſyderibus, aut terris, meridiani Cœli clementiam ſenſimus. Fluuius hic noſter, diu pluuiarum, pabulo carens, impatiens erat nauium, ſolam naualibus tuis materiā deuehebat. Ecce autem ſubitò, cùm iam deduci liburnas oporteret, tibi vberes fōtes terra ſubmiſit, tibi largos imbres Iupiter fudit, tibi totis fluminum alueis Oceanus redundauit. Ita in aquas ſpontè ſubeuntes impetum nauigia fecerunt, leui modo cōmota nixu ducentiū, quorum ad feliciſſimum illud exordiū magis opus erat nautico carmine, quàm labore. Facile itaq; quiuis intelligit Imperator quàm proſperi te ſucceſſus in re maritima ſequuturi ſint, cùm iam ſic tempeſtatum opportunitas obſequatur.*

Sic meto ſuo Plinius Traiani ſui felicitatem cōmēdat. *Quod ſi quis barbarus Rex eò inſolētia furorisq; proceſſerit, vt irā tuā indignationemq; mereamur; Na illa, ſiue interfuſo mari, ſeu fluminibus immenſis, ſeu percipiti mōte defēditur, omnia hæc tam prona, tāq; cedentia virtutibus tuis ſentiet, vt ſubſediſſe mōtes, flumina exaruiſſe, interceptū mare, illatasq; ſibi non eſſe claſſes, ſed terras ipſas arbitretur.*

IV. Publica felicitas.

Si adeò felix ſit ac fortunatus, vt reliquis etiam felicitatem impertiatur, quo in genere nihil ma-

Sylla morata eſt vrbs Roma. Nam illa ſic fauente fortuna vtebatur, vt ſcriberet aliquando ea ſibi melius accidiſſe, quæ magis inconſultè temeréque feciſſet, diceretque ſe potius ad fortunam, quàm ad bellum paratum; vnde ſe filium Fauſtum, & filiam Fauſtam nominauit. Sed quod præcipuum atque optimum eſt, ſic à Romanis fortunatus credebatur, vt qui eum tangerent, vel aliquid ab illo accepiſſent felices ſe fore putarent. Eam ob rem Valeria nobilis fœmina ſedens in ludis veſtem eius apprehendit, & exilia filamina quædam euulſit, quæ ab Imperatore interrogata. Cur id feciſſet, vt tuæ felicitatis, inquit, ſim particeps. Hinc Principes commendantur, qui felices auream ætatem regnis ſuis attulerint, quòd ſub illorum Imperio florerent omnia, nullus inopiâ laboraret, omnes venirent in partem regiæ felicitatis, &c.

V. Modeſta felicitas.

Si res ſecundæ animum eius, & mores non mutauerint, niſi fortè in melius, hoc in Iuliano Mamertinus celebrat. *At mutant ſecundæ res animos? noſtrum Principem ſi nondum mutauerint, quando mutabunt? cuius inquam diuinior felicitas fuit? paulò ante in laceratis Galliæ Prouinciis lapſus inimicorum capitalium appertis armis, & occultis inſidiis petebatur. Quæ maiora expectabimus Dei præmia, quæ vberiora dona fortunæ? Videte num ſecundis rebus elatus, aliquid prioris vitæ manſuetudine & moderatione mutauerit. Mutauit planè, mutauit: nam ciuilior factus, proſperorum infregit inuidiam.*

Tum demum eſt fortunata felicitas cùm pietati moribuſque egregiis adſcribitur, vt de Theodoſio dormienti refert Cyrillus l. 1. de recta Fide. Et Antonino pio, cuius in obſequio tantus erat omnium gentium conſenſus, vt vel ipſa fortuna (cùm abſens per legatos cuncta gereret feliciter) ipſi obſequi videretur. Hùc pertinet illud Numiſma, cuius eſt hæc inſcriptio, FORTVNA OBSEQVENS, SC. Icon eſt fortunæ in nauis prora temonem molientis. Quam tamen rerum felicitatem fortunæ nequaquam tribuo, ſed ſummo numini, quod in Chriſtianos non mitis modò, ſed Adriano mitior fuerit Antoninus. Conſtat, ait Xiphilinus, inter omnes Anton. probum virum, & bonum fuiſſe: nec cæteris ſubditis grauis, nec Chriſtianis infenſus fuit, quos vehementer obſeruauit, ac honori, quo Adrianus eos perſequebatur acceſſionem fecit, οὔτε Χριστιανοῖς ἐπαχθής, ἀλλὰ πολλήν τινα τούτοις νέμων αἰδῶ, καὶ τῇ Ἀδριανοῦ τιμῇ ἣν ἐκεῖνος ἐτίμα Χριστιανοῖς προστιθείς.

Qui vellet eleuare felicitatem hanc in aliquo ſatis amplam dicendi materiam ſubminiſtraret ipſa fortunæ dominantis inconſtãtia, quæ vitrea cum ſit, dum ridet, nocet; dum ſplendet, frangitur. De qua pluribus in locis ex ingenio ſuo Seneca Conſolat. ad Polybium. *Quò melior eſt quiſque, hoc ſæpius ferre te conſueuit, ſine vllo delectu furentem, & inter ipſa beneficia metuendam.* Ad Marciã vero c. 10. *In regnum fortunæ & quidem durum atque inuictum peruenimus, illius arbitrio digna atque indigna paſſuri. Vt varia & libidinoſa, mancipiorumque ſuorum negligens domina, & pœnis & muneribus errabit.* Illam porro ludos facientem ſic inducit epiſt. 74. *Hanc imaginem animo tuo propone, ludos facere fortunam, & in hunc mortalium cœtum honores, diuitias, gratiam excutere.*

Operæ maioris eſt & artificij ad laudem, quomodo celebrari poſſit aliquis, quòd infauſta inimicáque fortuna ſit vſus, aut eiuſdem iniuria deiectus è florẽti felicitatis ſtatu ad miſerias, maximè tamen, ſi poſtea priſtinæ reſtituatur, aut ampliori dignitati reddatur; quam in rem hæc breuiter obſeruari poſſunt quaſi laudum argumẽta.

Caſus communis.

I. Quòd caſus aduerſus ſit ex hominum communi fortuna, quam vix vllus euadit; Inſtauratio verò fortunæ potius priuatæ tribuenda ſit, vt habet Ariſtides in pa'ynodia de Smyrna poſt euerſionem inſtaurata. τὸ γὰρ ἔμελλεν ἡ πεσοῦσα κεῖσθαι, οὐδ' ἀνθρώπου τελευτῇ παραπλησίως πράξειν, ὥσπερ ἄλλαι τινὲς ἤδη πρότερον πόλεις, ἀλλ' ἐπὶ κρειττόνων κρηπίδων ἀναστήσεσθαι τηλικαῦτα ὑπαλλάξειν, πῶς οὐκ εὐτυχίας μέρει θείη τις ἂν εὖ φρονῶν. Quod enim cecidit, cum non erat iacere permittenda, nec inſtar hominis mortui, vt aliæ olim vrbes, futura, ſed ſuper melioribus fundamentis reſtituenda, id verò quicumque rectè ſapiunt, in felicitatis parte ponent.

Felix

Digitized by Google

Felix infelicitas.

I I. Si dicatur infortunium illud fortunatum fuiſſe, quod idem Ariſtides de Smyrna ſua aſſerit, cui terræ motum vtilem etiam fuiſſe probat. περὶν μὲν γὰρ ἐν τῷ τῷ γένεσθαι τύχης, οὔπω δῆλον ἦν ὅσον τιμᾶται, ἀλλ᾽ ὅπως δέοι πρὸς ἰᾶσθαι τὴν ἔχειν τοῖς ἄλλοις. Nam antea quidem nondum apparebat quanti ab aliis vel fieret, vel fieri deberet. Quod ait in illius ciuitatis caſu accidiſſe, vt omnes ad excitandam de nouo accurrerent, id in hominis abiectione dicemus enituiſſe; nempe falſum eſſe, quod vulgo iactatur in aduerſis naſci amicorum obliuionem, cum etiam inter ipſas clades tantum dignitatis & gloriæ fortuna reſeruauit, vt omnes ad eum ſubleuandum properent.

De qua ſic ſapienter Boëtius; de conſol. 2. Proſa 8. *Plus reor hominibus aduerſam, quàm proſperam prodeſſe fortunam. Illa enim ſemper ſpecie felicitatis cùm videtur blanda, mentitur. Hac ſemper vera eſt, cùm ſe inſtabilem mutatione demonſtrat. Illa fallit; hæc inſtruit? Illa mendacium ſpecie bonorum mentes fruentium ligat; hæc cognitione fragilis felicitatis abſoluit. Itaque illam videas ventoſam, fluentem, ſuique ſemper ignaram: hanc ſobriam ſuccinctamque, & ipſius aduerſitatis exercitatione prudentem.*

Infelicitas opportuna.

I I I. Sumi poteſt à tempore, quo ille caſus aduerſus accidit, quod fortuna non ante cepetit occaſionem lædendi, quam cum eſſent, qui iacentem minimè deſpicerent, vt ait in gratulatione Smyrnæa Ariſtides. Cuius grauem caſum deſcribit, vt ipſo ſuperior non tam aduerſam, quàm fauentem fortunam experta fuiſſe videatur, ὥστε ὁ τοῦ πένθους αὐτῷ καιρὸς, ἑορτή τις ἐγεγόνει. Quocirca luctus illi populo tempus, quidam factus eſt feſtus dies. πᾶς τις ὥσπερ ὀφθαλμὸν ἐζήτει σώματος Smyrnam velut corporis oculum vnuſquiſque quærebat. Sed lapſus quidem per communem omnium hominum fortunam, & naturam huic vrbi contigit: quæ autem deinceps ſequuta ſunt, ea bonæ & primigeniæ vrbis fortunæ debent accepta referri. ὅτε γὰρ ἦν καιρὸς, πρὸς χεῖρα ὤρεξε τοιούτους ἔχων τοὺς τῶν ὅλων προστάτας, οἳ πάντων μὲν ἥκιστα ἔμελλον περιόψεσθαι κειμένην. πάντων δὲ μάλιστα προθυμήσεσθαι οὐκ ἀναστῆναι μόνον. ἀλλὰ καὶ πρὸς ὑπερβολὴν ἆραι. Poſtquam enim extitit occaſio, manum arripuit, cum tales haberet vniuerſi præfectos, qui iacentem cum minimè deſpecturi erant, tum maximè vt non erigerent modò, ſed & inſigniter extollerent, operam daturi.

Fortis infelicitas.

I V. Ab animi celſitate, quâ fortiter patienterque tulit aduerſam fortunam: nempe ſagaci ingenio vir, altâque mente præditus rerum fluxarum vanitatem nouit, & dubiæ ſortis inconſtantiam, Deæque volubilis fallaces ludos pridē expertus, in malis ſapere didicit. Neque enim ſapiens caſibus humanis excipitur, ſed erroribus, cedunt quippe omnia non vt voluit, ſed vt cogitauit. Benè Seneca de Tranquilitate cap. 11. *Non tanta rerum ſurſum ac deorſum euntium variatione, ſi non quidquid fieri poteſt pro futuro habes, das in te vires rebus aduerſis, quas infregit quiſquis prior vidit.* Adde quod non multum ei poreſt obeſſe fortuna, qui ſibi firmius in virtute, quàm in caſu præſidium collocauit.

Infelicitas ad gloriam via.

V. Si poſt lapſum ad altiores dignitatis gradus aſcendat, quaſi de induſtria domina rerum fortuna, quæ amica varietati conſtātiam reſpuit, eum percuſſiſſet, vt ſolito pulchriorem videret, vt illi contigiſſe videatur, quod olim Pelopidi, cuius corpori membratim diſcerpto, & cocto, cum deeſſet humerus, loco carnei, datus eſt Eburneus longè melior ac pulchrior. Denique dicere poſſit is verè cum feliciter infelici Themiſtocle, *Perieramus niſi periiſſemus.*

Et certè nulla tutior, nec compendioſior ad res magnas via, quàm per aduerſa. Quod in Theodoſio Pacatus animaduertit. Neque tua illa præterita bellicæ rei gloria, quam per tot laborum experimenta quæſiſti, adſcribenda fortunæ eſt, cui hoc nomine etiam ſuccenſeri poteſt, quod quem ſceptro & ſolio deſtināuerat, nunquam indulgenter habuit. Sed vt ſeueri patres his quos plus diligunt, filiis triſtiores ſunt; ita illa te plurimis bellis, & difficillimis Reip. temporibus exercuit, dum aptat imperio.

Digitized by Google

Quod ſi tarda nimis,& ſera fortuna redierit, dicendum quod idem Orator. *Prius fortaſſe imperium inire dubueras, vt diutius imperares; ſed ſine exempli periculo prouidebitur,ne quid amiſeris vitâ longiore penſandum,quod ex præterito perdidiſti. Paruin intereſt quando cœperit quod terminum non habebit.*

LECTIO TERTIA.

A bonis corporis laus & vituperatio.

HActenus de bonis quæ extrinſecùs adueniunt homini; quorum tria referuntur ad corpus ipſum, Nobilitas, proles,diuitiæ: ad animum duo,bonum nomen & honor. Iam breuiter expendenda, quæ inhærentia dici debent: ex illis quædam inſunt in ipſo corpore, bona valetudo,formæ venuſtas & pulchritudo,vires,decertandi robur,& alia quædam inhærent animo putà virtutes,vera illius ornamenta.

PVNCTVM PRIMVM.

Laus à forma ſeu pulchritudine.

PLato iuris ciuilis cuſtos egregius bifariã bona diuidit,aliaque dicit eſſe diuina, humana alia;horum primum ſanitatem nominat,aliud ab illo pulchritudinẽ, tertium,vires & robur,quartum denique diuitias & opes eſſe confirmat. Quia tamen de ſanitate non eſt nobis propoſitu agere,pulchritudini primum locum aſſignamus quæ vt benè Tull. offic. 1. ſecerni non poteſt à valetudine;quam idem Orator de Officiis 2. tradit ſuſtentari notitia ſui corporis,& obſeruatione earum rerum, quæ vel prodeſſe ſoleant, vel obeſſe,continentia in victu, & prætermittendis voluptatibus, poſtremò arte eorum,ad quorum ſcientiam hæc pertinent.

Scio non paucos reperiri, qui corporis venuſtatẽ pro nihilo putent,vtpote quæ flagitio inanitatique potius,quàm virtuti ſeruiat,Sed illi nimus auſteri,minus mihi videntur animo comprehendiſſe ſapientum hominum ſententias,qui nõ negant eximium bonum eſſe formæ dignitatem ſed tantùm non conſtans ac perpetuum illud affirmant;imò vultus amabilem honeſtatem,& liberalem illam humanitatem affuſam oculis,& emicantem in ore toto gratiam commendant. Quantus vir Nazianzenus? Cyprianum laudans ipſa ſpecie magnificum ac decorum vocat τὸ τῆς φύσεως ἄγαλμα. Opes naturæ perfectum.

Primùm abſolutè pulchritudo laudari poteſt. Sic de Melamcoma Dio Chriſoſtomus Orat. 2. Πρῶτον δὲ δαιμονίζω τοῦ κάλλους αὐτόν· ὃ δὴ τῶν ἀνθρωπίνων ἐστὶ ἀγαθῶν ἀριδηλότατον, καὶ ἥδιστον μὲν θεοῖς, ἥδιστον δὲ ἀνθρώποις, ἀλλ' ὑπέρτατον δὲ τῷ ἔχοντι δὲ ἀπογνωσθῆναι ῥᾷστον, τὰ μὲν γὰρ ἄλλ' ἀγαθὰ, κἂν λάθοι τινὰ προσόντα, καὶ ἀνδρεία, καὶ φρόνησις, εἰ μὴ τύχοι ἔργου τινὸς ἀποδεικνῦντος. τὸ δὲ κάλλος οὐχ οἷόν τε λανθάνειν. ἅμα γὰρ τῷ ἔχοντι φαίνεται, εἶπε δὲ αὖθις ὅτι καὶ πρότερον, ὅμως ὀξεῖαν αἴσθησιν αὐτοῦ παρέχει. Εἰ δὲ τοῖς μὲν ἄλλοις ἀγαθοῖς οἱ πλεῖστοι φθονοῦσι καὶ δυσμενεῖς γίνονται τὸ δὲ κάλλος τοῖς αἰσθανομένοις αὐτοῦ φίλους ποιεῖται, καὶ οὐδένα ἐχθρὸν ἐᾷ γίνεσθαι. Illum ego beatum aio ob pulchritudinem, quæ humanorum bonorum illuſtriſſimum & iucundiſſimum tàm Diis,quàm hominibus,habentique promptu,& cognitu facillimum. Alia quidem bona,cùm cui adſunt ferè latent,vt fortitudo & prudentia, niſi facto quodã demonſtrentur: pulchritudo verò latere non poteſt,ſi quidem habenti,apparet,ac dicere poſſes:quin & aliis prius acutum ſui ſenſum præbet alia quoque bona præterea inuidioſa ſunt,&inimicos habent, pulchritudo autem ſui ſenſum habentes amicos facit,nullumque ſibi inimicum fieri permittit. Cui Conſideratum hoc & elegans effatum conuenit τὸ κάλον φίλον ἀεί, pulchrum eſſe amabile,

Quanto maior erit iſta laus ſi de virili pulchritudine intelligatur,quam duplicem facit Cicero 1.Off n.103.in vna venuſtatem,in altera dignitatem ponit;hancque viris,illam mulieribus attribuit,quod hæc in colore cutis tantum ſit,illa in omnium membrorũ debita proportione, quæ tunc erit abſolutiſſima,ſi ex ſenſu Philonis allegor.2.decentem formam & habitudinem, bonũ colorem,&membrorum ſymmetriam,qualis videtur illa Demetrij,quã ex Plutarcho nullus artifex exprimere potuit,quòd eadem venuſtatem &

Digitized by Google

& grauitatem,terrorem, & hilaritatem habe:et, confuſaque eſſet cum Iuuenili : & feroci vultus aſpectu pene inimitabilis. Heroïca quædam ſpecies & regia maieſtas ; perinde mores inerant ei pariter formidabiles hominibus,& iucundi.

II. Flos virtutis & animi pulchri Imago.

Quod pulchritudo corporis ſit indicium pulchri animi. Vnde Tertul. de cultu fœm. c. 2. vocat decorem decentem animæ veſtem. In cuius commendetionem hæc habet Sophiſta Tyrius diſſert. 1 x. καὶ ἔστι σωμάτων ὥρα οὐδὲν ἄλλο, ἢ μελλούσης ἀρετῆς ἄνθος, καὶ οἷονεὶ προοίμιον κάλλους ὡραιοτέρου. ὥσπερ γὰρ τοῦ ἡλίου προφαίνει τις αὐγὴ ὑπὲρ ἄκρων ὀρῶν ἀγαπητὸν ὀφθαλμοῖς θέαμα διὰ τὴν προσδοκίαν τοῦ μέλλοντος. οὕτω καὶ τῆς λαμπρᾶς ψυχῆς προφαίνει τις ὥρα ὑπὲρ ἄκρων τῶν σωμάτων, ἀγαπητὸν φιλοσόφοις θέαμα, διὰ τὴν προσδοκίαν τοῦ μέλλοντος. Vt nihil aliud ſit pulchritudo corporis, quàm futuræ flos virtutis, & maioris quaſi pulchritudinis præludium. Vt enim ſolis ortum fulgor quidam in ſummitate montium præcedit, qui, quod longè melioris, & vberioris luminis ſpem afferat, plurimum exhilarat aſpectum : Sic animæ gratus decor, in ſuperficie corporis affulget, quo plurimum recreantur Philoſophi, quod aliud ex eo venturum præcognoſcant.

Eam ob rem Eumenius in Panegyrico Conſtantini laudans eius pulchritudinem eximiam, hoc vſurpauit. *Non fruſtrà viri doctiſſimi dicunt naturam ipſam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis ac decore membrorum colligi poſſe, quantus illos Cæleſtis ſpiritus intrarit habitator. Itaque te cùm ingredientem milites vident, admirantur & diligunt, ſequuntur oculis, animo tenent.*

Hanc eandem in Theod. Imp. commendat Pacat. Orator. *Non fruſtrà opinione ſapientum, qui naturalium momenta cauſarum ſubtilius ſciſcitari, arcanis cæleſtibus nobiles curas intulerunt ; auguſtiſſima quaque ſpecies plurimum creditur trahere de Cœlo, ſiue enim diuinus ille animus venturus in corpus dignum prius metatur hoſpitium, ſiue cùm venerit, fingit habitaculum pro habitu ſuo, ſiue aliud ex alio creſcit, & cùm ſe parua iunxerunt, vtraque maiora ſunt, parcam arcanum cæleſte rimari.*

III. Pulchritudo virtutis indicium.

Tertium pendet à ſuperiore, quod pulchritudo ſit virtutis argumentum, quam in rem multa recenſet Tyrius Serm. 11. Quod pulchrum eſt, id neque exitioſum vnquam, neque flagitioſum quid efficit, neque quemquam ad infortunium ducit, neque in vitium deſinit. οὐδὲν γὰρ καλὸν ὀπλαβὲς, οὐδὲ εἰς ὀφαλερὸν, οὐδὲ εἰς μοχθηρίαν συντελοῦν, οὐδὲ εἰς δυστυχίαν ἄγον, οὐδὲ εἰς συμφορὰν χειραγωγοῦν, οὐδὲ εἰς μετάνοιαν τελευτῶν. Nihil enim pulchrum dicas, quod cum damno & periculo coniunctum eſt, quod flagitia perpetrat, quod in miſeriam, quod in calamitatem hominem deducit, quod in pœnitentia deſinit.

Sic Ariſtides, cuius diuinum & incredibile genus Orationis admirationi olim fuit, Apellæ in vultu colligit manſuetudinem. Θεωρείτω δ' ἐπὶ τῆς βολῆς τῶν ὀφθαλμῶν, εἴ τις ἀπολέλειπται τοῦ μαθεῖν ἔργῳ τὸ λεγόμενον, οὔτε γὰρ ἐπαναστάσιν ἀτενεῖς, οὔτε ὕπτιοι δή τινι καθῃρημένοις ἐοίκασιν ὑπὸ ταπεινότητος, ἀλλ' ἡσυχῇ σεμνότης ἥμερος ἐνείδει τὸ βλέμμα. Καὶ εἰς τοίνυν ἡ παισὶν ἐκ θεῶν δῶρον προτεθεῖσα καθάπερ ἔκ τινος ὁμολογίας οὔτί που γυμνὴ κατὰ τοῖς ζωγράφοις. ἀλλ' αἰδῶ πολλὴν ἐπαμφιασαμένη, πᾶσι τοῖς μέρεσιν ἐντέτηκεν, οὐκοῦν τε ἐμμειδίασιν ἄλλος σὺν Ἀφροδίτῃ τοσαύτῃ, οὔτε μὴν ἔστησεν ἐρυθήματι κινούμενον ἤδη τὸν γέλωτα. Quod ſi quis reipſa non potuit experiri, ex oculorum coniectu colligat; Neque enim illi vel defixi prominent, vel ſomno quodam depreſſi per humilitatem videntur : verùm ſuauis granitas modeſtè fulcit aſpectum. Deinde gratia, quam Dij pueris ex pacto tribuunt, non cernitur in eo nuda, vt in picturis, ſed multo cum pudoris velamine membris omnibus ſuffuſa. Itaque nemo tanta cum venuſtate nec riſit, nec orientem riſum rubore compeſcuit.

Mamertinus item Iuliano inſidenti throno regio gratulabundus ingerebat. *In ipſo tuo vultu videbam omnia ſigna virtutum, in fronte grauitatis, in oculis lenitatis, in rubore verecundiæ, in ſermone Iuſtitiæ.*

Contra deformitas corpotis aſſumitur in argumentum vitij, communiſque ſolet eſſe opinio, corpus inter animumque ſimilitudinem vt plurimum ineſſe. Sic perfidi Iuliani vultum tanquam naturæ contumelia genitum maliciam ſpi-

Digitized by Google

rauiſſe, is qui ſæpe illum viderat, ait Nazianzenus. Sic Velleius lib. 1. Vatinianus nulli homini non poſthabendus, in quo deformitas corporis, cum turpitudine certabat ingenij, adeout animus eius diriſſimo domicilio incluſus videretur.

IV. Pulchritudo virtutis comes.

Iam ſi formæ dignitas atque decor virtutem habeat adiunctam, eò maior erit laus, quò difficilius eſt ineſſe alicui pulchritudinem ſimul, & fortitudinem modeſtiamque: illa quippe vultus & oris venuſtas homines emollit, ſuadetque delicias, ex Ouidio, quem nequitiæ ſchola è patriæ finibus exterminauit.

Lis eſt cum forma magna pudicitiæ.

Vndet patet quanta ſeges ac materia laudis futura ſit, ſi pulcher idem fortis, modeſtus & pudicus fuerit, cùm tantum ſit virtutibus, & pulchritudini diſſidium. Adde ex Dione Chryſoſtomo, ſi comes ei pudor accedat, tantam vim ineſſe, vt vel ipſos impudentes auertat, cogatque pudore ſuffundi. Talem deſcribit Melancomam Oratione prima ὅσπερ οἷος λέγεται ἦν. ᾧ καὶ γένους ὑπῆρξε λαμπροῦ τυχεῖν, καὶ κάλλους, ἔτι δὲ ἀνδρείας καὶ ἰσχύος καὶ σωφροσύνης, ἃ δὴ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν ἐστι. Τό γε μὴν θαυμασιώτατον ἐν ἀνθρώποις ἀήττητον γενέσθαι. Οὐ μόνον τῶν ἀνταγωνιστῶν, ἀλλὰ καὶ πόνου καὶ καύματος καὶ γαστρὸς καὶ ἀφροδισίων. Δεῖ γὰρ πρῶτον τούτοις ἀήττητον εἶναι, τὸν μέλλοντα ὑπὸ μηδενὸς τῶν ἀνταγωνιστῶν ληφθήσεσθαι. Talis fuit qualis dicitur, qui & ſplendidos ſortitus eſt natales, & pulchritudinem, atque inſuper fortitudinem & robur, modeſtiamque, quæ maxima bona ſunt: & quod admiratione digniſſimum eſt inter homines inuictus fuit, non ſolùm ab aduerſariis, ſed etiam à labore, & æſtu, & ventre, rebuſque turpibus, oportet enim primum ab his inuictum eſſe, qui ab aduerſariis noluerit comprehendi.

Cuius virtutem duram facit & auſteram in corporis voluptates, & naturæ blandicias. Εἰωθότι δὲ τοῦ κάλλους εἰς τρυφὴν ἄγειν, καὶ τοὺς μετρίως αὐτοῦ μετειληφότας. Τοιοῦτος ὢν τὸ εἶδος, ἔτι σωφρονέστερος ἦν. Quàm verò pulchritudo ſoleat ad delicias ducere mediocriter pulchros, ipſe cùm talis eſſet ſpecie, adhuc erat modeſtior.

Ad hoc celebrat Eteoneum Ariſtides in eius Oratione funebri. Σῶμα δὲ καὶ ψυχὴ πρέποντα ἀλλήλοις. ἰδεῖν μὲν γε κάλλιστος καὶ μέγιστος καὶ τελειότατος τῶν ἐν τῇ ἡλικίᾳ, καὶ πλεῖστον ἡδονῆς τῷ θεωμένῳ προσβάλλων. τὸν δὲ τρόπον κοσμιώτατος καὶ ἐλευθεριώτατος μεγαλοπρεπείᾳ μετὰ φιλίας ἐμπρέπων. Corpus & animus eius inuicem ſe deceant. Et aſpectu quidem pulcherrimus erat, ac perfectiſſimus æqualium ſuorum, quique multa voluptate ſpectatores perfunderet; mores autem erant ornatiſſimi, & maximè ingenui, atque amabili grauitate decori.

V. Pulchritudo cuiuſdam diuinitatis argumentum.

Quod pulchritudo diuinitatis ſit argumentum; hoc ſatis innuit Virgilius, cùm Didonem de magno Ænea ſic loquentem inducit non ſine admirationis & amoris ſenſu. 4. diuini operis.

Quis nouus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes?
Quàm ſeſe ore ferens, quàm forti pectore & armis?

Subiicit ipſa.

Credo equidem, nec vana fides genus eſſe Deorum.

Cui ſubſcribit Ouidius 2. faſtorum.

Si genus arguitur vultu niſi fallit imago,
Neſcio quem ex vobis ſuſpicer eſſe Deum.

Quod etiam vidit modò laudatus Eumenius Rhetor in Conſtantino. Deo ſe milites obſequi putant, cuius tam pulchra forma eſt, quam certa diuinitas.

Faciem à vera puritate ſerenam; ab animi tranquillitate placidam, à caſtitate & pudicitia decoram, & natiuo colore lucentem, & ad Dei ſimilitudinem propius accedentem fieri docent bonæ mentis auctores in primis Seneca, epiſt. 115. *Si nobis animum boni viri liceret inſpicere. O quàm pulchram faciem! quàm ſanctam! quàm ex magnifico, placidoque fulgenti videremus: hinc Iuſtitia, illinc fortitudine, hinc temperantia, prudentiaque lucentibus! Præter has frugalitas & continentia, & tolerantia & libertas comitaſque, & (quis credat) in homine rarum humanitate bonum ſplendorem illi affunderent. Quantum*

Digitized by Google

tum decoris illi, quantum grauitatis adderent! quanta eſſet cum gratia auctoritas! nemo illum amabilem, qui non ſimul venerabilem diceret, Si quis viderit hanc faciem altiorem, fulgentioremque, quàm cerni in humana conſueuit, nónne velut Numinis occurſu obſtupefactus reſiſtat, & vt fas ſit vidiſſe, tacitus precetur.

VI. Pulchritudo Reges facit.

Etſi priuatis hominibus non magnopere curanda ſit formæ venuſtas & pulchritudo, vel ex Seneca, cui viſus eſt errare, qui dixit.

Gratior eſt pulchro veniens de corpore virtus.

Nullo enim honeſtamento eget: ipſa & magnum ſui decus eſt, & corpus ſuum conſecrat. epiſt. 66. Tamen Principis eſt alia conditio, de quo ſapienter Cic. Phil. 8. n. 29. *O Dij Immort. quàm magnum eſt perſonam in Repub. tueri Principis! qua non animis ſolùm debet, ſed etiam oculis ſeruire ciuium.* Quæ videlicet formæ præſtantia, & oris venuſtate conſpicua regiam maieſtatem impleat & ornet. Hanc ſpeciem perfectam & ſplendore virtutis amabilem, in Theodoſio laudat Pacatus. *Virtus tua meruit imperium, ſed virtuti addidit forma ſuffragium: illa præſtitit, vt oporteret te Principem fieri: hæc vt diceret.* Quam oris maieſtatem illi paulo poſt, totique imperio, non ſine veneratione ſenſuque deuotæ pietatis gratulatur. *O digna Imperatoris nobilitas, qui hunc Romani faſtigij apicem non ſolum fortitudine, atque ſapientia, ſed decore etiam corporis, & dignitate potuerit æquare; velut tua hæc forma venerabilis, quàm fortuna ſua par eſt, quàm longè latéque conſpicua commendat imperium!*

Adeo verum eſt formæ dignitatem eſſe regium ornamentum, quà tam facilè gratus & acceptus ſuis redditur, vt ab illorum animis quidquid Princeps voluerit eblandiatur. De Traiano Plinius. *Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris, ad hoc ætatis indeflexa maturitas: nec ſine quodam munere Deûm feſtinatis ſenectutis inſignibus, ad augendum maieſtatem ornata cæſaries; nonne longè latéque Principem oſtentant? Talem eſſe oportuit, quem non bella ciuilia, nec armis oppreſſa R. P. ſed pax & adoptio, & tandem exorata terris numina dediſſent. An fas erat nihil differre inter Imperatorem, quem homines, & quem Dij feciſſent?*

A quo non iuit Pacatus, qui totus in aſſentationem prolapſus Theodoſio blandicias verbis faciebat, vt dixiſſet nihil eſſe decore fortius ad extorquendum affectum. *Vt plane ambiguo ſit: Vtrum te magis noſtris mentibus virtus in obtutibus vultus inſinuet. Illud dicam quod intellexiſſe hominem, & dixiſſe fas eſt, talem eſſe debere, qui à gentibus adoratur, cui toto orbe terrarum priuata vel publica vota redduntur, a quo petit nauigaturus ſerenum, peregrinaturus reditum, pugnaturus auxilium.*

Qui Regum vitam forte magis ad effigiem iuſti imperij, quàm ad hiſtoriæ veritatem ſcripſerunt, omnes à formæ dignitate, & excellentia commendant. Cæſarem Auguſtum Suetonius cap. 7. forma fuit eximia, & per omnes ætatis gradus venuſtiſſima. Titum cap. 3. *Cui non minus auctoritati ineſſet, quàm gratia.* Domitianum cap. 18. *Staturâ procera, vultu modeſto, ruborisque pleno, grandibus oculis, præterea pulcher, ac decens maximè iuuenta.* Traianum Dio Caſſius. *Generoſa canities & oris maieſtas Principem prodidit, & quis foret in ementito habitu facilè oſtendebat.* Seuerum Spartianus. *Erat corporis.* Iouinianum Nazianzenus *vir vt aliis rebus, ita pietate clarus, & inſignis, atque oris maieſtate.*

VII. Eleuatur forma Pulchritudo.

Cæterùm qui vellet eleuare pulchritudinem in aliquo facilè poſſet ex ſuperioribus, primo colligere formæ præſtantiam carere laude, ſi virtute careat; Cum ex D. Ambroſio 2. de Virg. ſpecies corporis, ſimulachrum mentis eſſe debeat, figuraque probitatis.

Secundo eam eſſe pluribus vitiis obnoxiam maximè verò ſuperbiæ, Propter pulchritudinem formoſi plures malè audiunt. Doctus hac in re ſuperbos dicit Ouidius 1. faſtorum.

Faſtus ineſt pulchris ſequiturque ſuperbia formã.

Martialis laſciuiam pulchritudinis comitem facit.

Inſignis formâ, nequitiâque puer.

Eam ob cauſam Socrates Philoſophiæ ſtudiis nobilis, formæ elegantiam inter illa repoſuit, quæ frangunt ac deprauant animum.

Tertio,

Tertio, ſi poſt Plinium l. 21. c. 10. addas pulchritudine nihil eſſe fragilius, faciaſque floribus & odoribus ſimilem, quos in diem natura parens fœcunda gignit: cum Socrate formam dicas *ὀλιγοχρόνιον τυραννίδα*. Temporis exigui tyrannidem: cum Carneade *Regnum ſine Satellitio*: cum Theophraſto, *tacitam deceptionem*. Cum Eurypide, *rem infelicem*: cum Petrarcha 1. de remedio vtriuſque fortunæ. *Velum oculis, pedibus laqueum, Viſcum alis*; vt non facilè quis vera diſcernat, nec virtutem ſequatur, neque in altum animo poſſit euolare. Hinc Plautus in milite glorioſo.

Nimia eſt miſeria, pulchrum eſſe hominem nimis.

Quarto, ſolam pulchritudinem in virtute poſitam eſſe, itaq; illuſtrius Principem ab hac, quàm ab illa cõmendari. Quod Plinius clarè pronunciat in Traiano, dùm propter virtutem, eum, quàm Domitianum propter formam dicit glorioſius celebrari *Et populus quidem Romanus dilectum Principẽ ſeruat, quantóque paulò ante concẽtu formoſum alium, hunc fortiſſimum perſonat, quibusq; aliquando clamoribus geſtum alterius & vocẽ, huius pietatem, abſtinentiam, manſuetudinem laudat.* Vt verum ſit pulchritudinem donũ eſſe diuini Numinis omnia creantis, in humanis longè maximum, dùm color virtutis adeſt, tanquam ornamentum, purpuráque corporis.

PVNCTVM II,

Laus à Robore ſeu corporis viribus.

INter bona corporis ſecundum locum aſſignat viribus, ſeu firmitati corporis, & vernorum Cic. 1. Tuſcul. cuius laudes ex his capitibus petuntur.

I. Quod ſemper viri magni nominis, aut magna appetentes huius virtutis gloriam, vel certè famam illius & opinionem ambitioſius affectarint. Quam ob cauſam tot inter Antiquos Deorum fulmina, terroreſque mentiti ſũt, aut etiam ſe inſignibus ornauerunt, vt diuinæ cuiuſdam fortitudinis opinionem conſequerentur: qualis ille Salmoneus apud Græcos, Palladius apud Latinos, in quorum vrbe mentitur Herculem Antonius, Iouium Diocletianus. Hinc eſt quod Principum laudatores laudem à corporis viribus in poſtremis non poſuerint. Mamertinus quidem multa de maximiani robore congerit, vt Herculi non diſſimilem oſtendat, Traianum verò Plinius commendat, quòd non humeris hominum, vt alii ſuperbi Principes, veheretur: ſed ſola corporis proceritate elatior, & excelſior, nõ de patientia ciuium, ſed de ſuperbia Principum triumphaſſet.

Hinc nonnulli putant, falsò licet Carolum Magnum, nomen hoc aſſequutum, quòd ingentem vrſum ſtipitis ictu occidiſſet, poſſetque quatuor equi ſoleas ferreas ſimul iunctas, manu frangere. Sic Aiacem & Achillem, ſic Æneam & Turnum, in ferendis armis, iaciẽdis cuſpidibus, vibrandis haſtis & ſaxis fortes dicas; ſic firmitate virium Milonem, in ponderibus ferendis, mittendis, plagis infligendis, &c.

II. Reges facit.

Quòd virtus hæc dicatur homines imperio dignos efficere. Quippe lex naturalis eſt hominibus, volatilibus feris, beſtiis, vt vnuſquiſque cedat potentiori: Taurus Leoni, Ceruus Vrſo, Leopardo Aquila, Aquilæ Accipiter, Accipitri Columba. Quod ex ſententia Platonis dictum eſt, ſcribentis in Gorgia, naturâ comparatum eſſe, vt præſtantior plus habeat, quàm inferior, potentior, quàm debilior. Vndè Brennus Gallorum Rex interrogatus è Legatis Romanorum, cur Cluſium Hetruriæ vrbem obſideret, generosè fortiterque reſpondit. *Iure qui minor eſt, potentiori cedere iubetur.*

Variæ nationes, penes quas olim Principum fuit Electio, Principatus dignitatẽ non deferebãt, niſi iis, qui corporis proceritate, vultus pulchritudine, tota denique externa ſpecie cæteros ſuperarent. Apud Medos nemo ſummum gerebat imperiũ niſi qui viribus, prævalidóq; corpore reliquis emineret apud gentẽ Indicã, niſi qui corporis formâ inſignis omnes anteiret. Plato 7. de Rep. præcipit, vt ad Remp. capeſſendam non ſolùm digniores eligantur, ſed etiam ſpecie & corporis ſtaturâ præſtantiores, vt formæ pulchritu-

Digitized by Google

chritudine ciuium oculis ſeruiret, eoſdem à periculis fortitudine liberaret.

III. *Cum animi fortitudine coniunctum.*

Si robur corporis cum animi fortitudine coniungatur, ſine qua, leuis illa momenti eſt, potiuſque gladiatorum, quàm Heroum fortitudo dicenda, quos egregie Plutarchus in Theſeo vituperat. Inſignes erant illo ſæculo homines, manuum ſtrenuitate, pernicitate pedum, & viribus corporis ſanè eximii, atque inuicti, ſed qui naturæ dotes illas, nullam ad rem bonam conuerterent, imò arroganti improbitate pudorem, Iuſtitiam, humanitatem euerterent, nihilque attinere virtutes ad eos dicerent, qui plus poſſent, quos tandem ab Hercule, Theſeoque expugnatos concludit.

Hanc animi fortitudinem junctam corporis viribus celebrat in Traiano Plinius. *Nec verò laudauerim per ſe magnopere duriciem corporis ac lacertorum, ſed ſi is validior toto corpore animus imperitet, quem non fortuna indulgentia molliant, non copiæ principales ad ſegniciem, luxumque detorqueant. Tunc ego ſeu montibus, ſeu mari exerceatur, & lætum opera corpus, & creſcentia laboribus membra mirabor.* Cuius verba reuocant in memoriam illud effatum nobile Numæ Regis, grandibus literis exarandum, eam ſolam & veram fortitudinem exiſtimantis, quæ cupiditatibus animi ſui rationis frænos imponeret.

Si non arrogantet glorietur ob virium fortitudinem, quæ natura inſolens, & ſuperba eſt, ſed potius acceptum Deo referat quidquid feliciter ceſſerit, non ignarus humanas vires, fluxas, debiles, perituras; nullas, cum diuinis viribus commiſſas: memor illius Nazianzeni Orat. 1. Quippe ſolus ex omnibus rebus Deus eſt, qui nec fugâ vitari, nec ſuperari poteſt, cùm aliquem arripere, ac ſub manum, & poteſtatem arripere voluit, celeres anteuertit, prudentes decipit, fortes ſubuertit, audaciam mitigat, potentiam premit. Partæ ergo victoriæ gloriam ac triumphum Deo non propriis viribus, & robori adſcribat, vt gloriosè cùm illo triumphet, voceſque publicæ gratulationis, & lætitiæ indices audiat, quibus olim Traianus exceptus eſt. *Videor iam cernere non ſpoliis prouinciarum, ſed hoſtilibus armis captorumq; regum catenis triumphum grauem. Videor intueri immanibus anſis barbarorũ onuſta fercula, & ſua quemq; facta victis manibus ſequentem: mox ipſum te ſublimem, inſtantemq; curru domitarum gentium tergo: ante currum autem Clypeos, quos ipſe perfoderis.*

Adde hanc eſſe animi fortitudinem corporeæ coniunctam, quæ fortes imperio dignos efficiat; quare Spartani nec qui ex pernicibus perniciſſimus, nec qui ex robuſtis robuſtiſſimus, ſed qui inter bonos & temperantes, optimus & temperantiſſimus eſſet, hunc toto vitæ tempore, eâ poteſtate donabant, vt arbitrium necis & ignominiæ, rerumque maximarum haberet.

IV. *Militari fortitudini honor & merces reddita.*

Quartum duci poteſt à præmiis, quibus fortes, ac robuſti donati fuerunt olim, quorum exempla recenſet Rodiginus lib. 11. c. 13. quæ tunc eſt perfecta, publiciſque digna laudibus fortitudo, ſi quis ad patriæ laborandis defenſionem hac hominis manu uſus fuerit, Cic. pro Sexto Roſcio n. 137. *Quòd viris fortibus, quorum opera eximia in rebus gerendis extitit, honos habitus eſt, laudo: quæ vt fierent, idcirco pugnatum eſſe arbitror, meque in eo ſtudio partium fuiſſe confiteor.* Et Phil. 14. multis numeris à 30 & deinceps. *Atque vtinam ciuibus omnibus ſoluere nobis præmia liceret! Actum igitur præclarè vobiſcum, fortiſſimi dum vixiſtis, nunc verò etiam ſanctiſſimi milites, quòd veſtra virtus nec obliuione eorum qui nunc ſunt, nec reticentia poſterorum inſepulta eſſe poterit, cùm vobis immortale monumentum ſuis penè manibus S.P.Q.R. extruxerit.*

Eſt illud Heracliti memorabile laudis genus in Clemente Alexandrino, lib. 4. de iis, qui pollentes viribus nullis difficultatibus ceſſerunt Ἀρηϊφάτοις θεοὶ τιμῶσι ϗ ἄνθρωποι. Marte cæſos Dii honorant, atque homines. Eos etiam qui in bello fortiter occubuerunt, eſſe ait Plato χρυσοῦ γένους aurei generis viros. Quibus opinior dabatur vas illud mirandum vbique in expeditione

Digitized by Google

militari circumferri ſolitum, Marte dignum, & forti viro poculum,proindè Ἄρεως φιάλην, Martis Phialam appellatum, non quidem lautioris intemperantiæ inſtrumentum,ſed inſigne virtutis,ac roboris argumentum.

Eius eſt roboris ac virium vt non citius tunicam,quàm paludamentum, nec iſtud, quàm arma,nec arma,quàm dimicationem, neque hanc quàm victoriam,nec iſtam quàm lauream capeſſat: imò quot erunt diuerſoria, tot erunt tentoria, quot tentoria, tot firmata ad obſidionem valla,quot valla tot oppidorum deditiones, vel oppugnationes, quot pugnæ, tot victoriæ, tot triumphi.

V. Vituperatio.

Sed etiam argumentum eſt ac ſeges vitiorum, iræ præcipitis, & elatæ ſuperbiæ fortitudo. Rectè Seneca ſapientiæ candidatus 2. de Ira c. 15. *Fortiora ſolidáque naturâ ingenia antequam diſciplinâ molliantur prona ſunt in iram.* Et paulò poſt. *Itaque & ingenia naturâ fortia iracundiam ferunt, nihilque tenue,& exile capiunt, ignea & feruida.* Hùc facere poſſunt exempla Gygantum, qui Deos etiam laceſſere auſi ſunt, quæ non parum corporis robur, ac firmitatem eleuant. Cacum crudelem, ac notum ſatis prædonem deſcribit Virgil.8.Æn.eundem ingenti mole corporis facit Ouidius.

Dira viro facies, vires pro corpore: corpus
Grande: pater monſtri Mulciber huius erat.

A Poëtis autem fingitur Vulcani filius:quòd totus iræ ſæuitiaque incendiis æſtuaret.

At cur homines non generatione minus,quàm factis infames,tam excelſa corporis proceritate ſint à Deo parente creati? videlicet ne magni penderent illam homines, quam hoſtibus conferret Deus. D. Auguſtinus de Ciuit. Dei. c. 23. *Hos propterea placuit Creatori procero corpore generari,vt etiam oſtenderetur non ſolùm pulchritudines rerum,ſed & fortitudines corporum non magni pendendas à ſapiente.*

Caligulam Romanum Imperatorem crudelitate inſignem Tranquillus,ſtaturâ eminentem, corpore enormem deſcribit. Vitellium alterum crudelitatis portentum,cùm pronus ad cuiuſque & quacumque de cauſa,necem atque ſupplicium eſſet, nobiles viros æquales ſuos vario genere fraudis occidit, enormi proceritati fuiſſe, facie rubida, plerumque ex vinolentia tradit Suetonius. Domitianum non ſolùm magna, & calidâ inopinataque ſæuitiâ, ſed etiam procerâ ſtatura fuiſſe teſtatur idem Suetonius. Maximum quem enormi vaſtitate ac robore fuiſſe refert Herodianus,l,7.eundem addit genere barbarum, & moribus, dediſſe operam vt imperium ſibi ſæuitiâ conſtabiliret: omnes autem ſine virtute fuiſſe, ſatis infelix illorum vitæ exitus docuit.

PVNCTVM III.

Laus ab Ætate.

QVoniam à corpore pendet ætatum diuerſitas,in eius bonis numerari debet: vt autem ex his laus aliqua ducatur, vitia quædam & virtutes vni ætati potiùs,quàm alteri cōuenire monent Oratores, de quibus à nobis actum eſt in Exercitatione de permouendis affectibus. Interim conſulendus Ariſtoteles,qui ſingulos hominum mores,in Rhetoricis ſuis fusè proſequitur, quibus cognitis non erit operoſum intelligere quid in quauis ætate laudare, quid vituperare, quidue in argumentum virtutis, aut vitii poſſit ac debeat Orator.

I. Ducitur ab honeſtis affectibus, ad quos ſuapte naturâ quælibet ætas fertur;contra vituperatio ex vitiis,quibus eſt obnoxia.

II. Si matura quadam virtute præoccupata ætas illa,ſit à vitiis immunis & integra. Quod enim decus adoleſcenti,ſi modeſtus, ſi caſtus & integer,ſi temperans ac verè pius:aut in illa ætate ſatis adhuc fragili,& infirma fortis ac prudens magnarumque rerum capax exiſtat? ſui temporis Oratorum non vltimus Nazarius Cōſtantini Panegyriſtes,ſic eius filios ab ætate tenera,ſed iā egregiis inſtructa virtutum dotibus. *Nobiliſſimorum quoque Cæſarum laudes exequi velle, ſtudium quidē dulce,ſed non & cura mediocris eſt: quorū in annis*

Digitized by Google

annis pubeſcẽtibus non eruptione virtutis tumẽs germẽ, nõ flos precurſor indolis bona latior, quàm vberior apparet, ſed iam facta grandifera, & contra rationem ætatis maximorũq; fructuum matura perceptio. Quorũ alter iam obterendis hoſtibus grauis terrorẽ paternum, quo ſemper barbaria omnis intremuit, deriuare ad nomen ſuum cœpit: alter iã Conſulatũ, iam venerationem ſui ſentient, ſi quid intactum aut parens, aut frater reſeruet, declarat mox victorem futurum, qui animo iam vincit ætatem.

Hunc imitatus Rhetor alter Eumenius ab eadem præmatura virtute Conſtantinum laudauit. *Pulchrum Dij boni, & cœleſte miraculum Imperator adoleſcens, in quo illa, quæ ſumma eſt fortitudo, adhuc tamen creſcit, in quo hic fulgor oculorum, hæc veneranda pariter maieſtas perſtringit ſimul & inuitat affectus.*

III. In eadem prima ætate vſque ad virilem eſſe poteſt: quòd vix vlla ei vitia imputentur. Vt enim ait Symmachus, in ætate iuuenili noxa non admittitur, quippe non ex animo, ſed extra venit delictum. Doctè Cicero pro Cælio ex hoc loco adoleſcentis illius vitia vtcumque excuſat. num. 41. *Multa nobis blandimẽta natura ipſa genuit, quibus ſopita virtus conniueret: & interdũ multas vias adoleſcentiæ lubricas oſtendit, quibus illa inſiſtere, aut ingredi ſine caſu aliquo, aut prolapſione vix poſſet, & multarum rerum iucundiſſimarum varietatem dedit, qua non modò hæc ætas, ſed etiam corroborata caperetur.*

Quod exemplis confirmat, quibus rationem, & viam aperit. quâ poſſint eleuari vitia, quæ huic ætati poſſunt obiici; quamuis præferenda ſit illa ſolida defenſio, & commendatio, quam ibidem in adoleſcentia deſiderat ac miratur, num. 39. *Ego ſi quis hoc robore animi, atque hac indole virtutis, ac cõtinentia fuit, vt reſpueret omnes voluptates, omnemq; vitæ ſuæ curſum in labore corporis, atque in animi contentione conficeret; quem non quies, non remiſſio. non æqualiũ ſtudia, non ludi, non conuiuia delectarent: nihil in vita expetendum putaret, niſi quod eſſet cum laude, & cum dignitate coniunctũ: hunc mea ſententiâ diuinis quibuſdam bonis inſtructum atque ornatum puto.*

IV. Si virtutis quàm ætatis curſus fuerit celerior. Nempe ſi probatum fuerit æui quidem immaturum iuuenem, ſed maturum imperio, qualem Alexandrum olim fuiſſe memorant, qui nuſquam gradum extulit, quin illum vbique gloria quaſi vmbra comitata ſit. Perſarum namque Rex magnus Aſiæ dominator legatos ad Philippum Macedonum Regem miſerat, qui tamen fortè grauiſſimis negotiis occupatus, procul à domo regiaque tunc aberat; Igitur Alexander adhuc adoleſcens, aut penè potius puer, viros ſane graues, & auguſtæ dignitatis, patriis in ædibus conuiuio excepit humaniſſimo apparatu: Neque verò vt ferè fit, pueriliter illos multa interrogauit de vite aurea, ſolioque Cyri Regis, de penſilibus hortis Babyloniæ, Bracciſque Perſarum; ſed de multis grauioris momenti rebus, de amplitudine Perſici Imperii, de copiis, vectigalibus, de militari diſciplina, de varietate Regionum & Prouinciarum: quæ cum peteret, legati in ea pueri grauitate ſimul, & prudentia exhorteſcentes clara voce dixerunt, eum puerum Regem eſſe magnum, ſuum autem dumtaxat opulentum. Qui N. ſermones altæ mentis animique ſapientis indices, vel in pueritia prima audiuit, de illo poteſt, quod olim de Imperatore Romano Vates pronunciauit.

Ingenium cœleſte ſuis velocius annis
Surgit.

Qui verò religionem eius & pudorem, qui perenne pietatis ſtudium, cæteraque Regiæ ætatis ornamenta diligentius examinarit, ſignum ſuſtuliſſe dicet Aulicæ nobilitati, pudoris, modeſtiæ atque commemorandæ pietatis.

Ad hunc modum Pindarus vocat Demophilum annis iuuenem, conſiliis ſenem, Diomedem Homerus inter Argiuos Reges ætate minimum, prudentiâ maximum: Appium Clodium, natu minimum, Senatoribus natu maximis Liuius anteponit. Puer Aſcanius à Virgilio commendatur 9. Æneid.

Ante annos, animumq; gerens, ſenſumq; virilem.

Nec immeritò: nam vt habet Perſius Satyra 4.

Sunt quibus ingenium, & rerum prudentia velox
Ante pilos venit.

Digitized by Google

PVNCTVM IV.

Laus ab honeſtis corporis exercitationibus.

LEuiora ſunt hæc quidem; faciunt tamen ad laudem: quòd in adoleſcentibus nonnunquam ſint futuræ virtutis iudicia: Tùm etiam quòd in Regibus, ac principibus viris ſint honeſta maiorum curarum argumenta, nec non bellica pacis exercitia Parandæ fortitudinis ſubſidium exercitium cēſetur, & velut proluſio quædam ad ſeriam victoriam; ad militatem fortitudinem antiquos aſſueſcere ſolitos diſcimus ex Tertulliano libro ad Martyres cap. 3. *Nemo miles ab bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, ſed de Papilionibus expeditis ac ſubſtrictis, vbi omnis duritia, & inſuauitas conſiſtit. Etiam in pace, labore, & incommodis, bellum pati iam ediſcunt, in armis deambulando, campum decurrendo, foſſam moliendo, teſtudinem deſiccando, ſudore omnia conſtant, ne corpora atque animi expaueſcant: de umbra ad Solem, de Sole ad Cœlum, de tunica ad loricam, de ſilentio ad clamorem, de quiete ad tumultum.*

Ab Equitatione.

I. Quod ad Equitationem pertinet repono tantùm, quæ de Gratiano dicta ſunt ab Auſonio, quibus etiam nonnullas exercitationes comprehendit. *In exercendo corpore quis curſum tàm perniciter incitauit: quis palæſtram tàm lubricus expediuit? quis ſaltum in tam ſublime collegit? nemo abductius iacula torſit; nemo ſpicula crebrius iecit! aut certius deſtinata percuſſit? Mirabamur Poetam qui infrenes dixerat Numidas: & alterum, qui ita collegerat, vt diceret, in equitando verbera, & præcepta eſſe fuga & præcepta ſiſtendi. Obſcurum hoc erat legentibus nobis: intelleximus te videntes, cùm idem arcum intenderes, & habenas remitteres; aut Equum ſegnius euntem verbere concitares, vel eodem verbere in temperantiam coerces. Qui te viſi ſunt hæc docuiſſe, non faciunt: imò qui viſi ſunt docuiſſe, non diſcunt.*

A Venatione.

II. Nulla corporis exercitatio nobilitati magis apta, magiſque conueniens eſt, quàm laborioſa quies, & negotioſa ſpecies otiandi venatio, quæpote ſit idoneum iuſti prælii ſimulacrum; ea propter olim rei militaris gloriâ clariſſimi duces, milites ſuos volebant venationi dare operam, quàm tyrocinium, exercitationis militaris nominabant. Quid enim eſt al ud incredibili celeritare per campos, & nemora volitare, ire, redire, foſſas tranſilire, vbique emicare, Ceruos & Apros omnibus veſtigiis proſequi, quàm hoſtes inſequi fugientes, & vincere? Ire in inuia humanis luſtra paſſibus, obſeptos dumis horrentibus aditus perrumpere, pendentium rupium, montiumque iuga ſupera, excutere cubilibus feràs, hùc illuc diſcurrere, ſurſùm deorsùm, modo hùc, modo illùc generoſo puluere ſordere, quàm ad exercitationes bellicas & magè laborioſas aptū ſe habilemque reddere: Vt benè dixerit Xenophon lib. I. Cyrop. venationem eſſe ἀληθεστάτην μελέτην τοῦ πολέμου veriſſimam bellicarum rerum meditationem. Ariſtoteles 1. Polit. cap. 8. μέρος πολεμικῆς, partem ſcientiæ militaris. Hinc in Lycurggi ratis ſeutentiis legitur id effatum nobile κάλλιστόν ἐστι τὸ θηρᾶν eſſe pulcherrimum venationibus indulgere: quibus lege cauit vt ſui vel à puero aſſueſcerent: quò deinde facilius poſſent militiæ labores celſo & inuicto animo ſuſtinere Quin & Philo lib. de Ioſeph, dicere non dubitauir futuro imperatori bono & præſtanti, qui victrices legiones & exercitus magnos ſit aliquando glorioſè ducturus, omninò eſſe neceſſarias τὰς περὶ τὰ κυνηγέσια μελέτας venaticas exercitationes.

Laborem hunc, & exercitationem Regi non modò decentem, & honeſtam, ſed vtilem etiam & ſummè neceſſariā probat Dio Chryſoſtomus Oratione 3. de Regno. Ὁ δὲ ἀγαθὸς βασιλεὺς κάλλιστον εὕρημα ἡγήσατο κυνηγεσίαν καὶ τούτῳ μάλιστα χαίρει. Διὰ οὗ τὸ μὲν σῶμα γίνεται ῥωμαλεώτερον. ἡ ψυχὴ δὲ ἀνδρειοτέρα, τὰ πολεμικὰ δὲ ἅπαντα ἀσκεῖται. καὶ γὰρ ἱππεῦσαι καὶ δραμεῖν ἀναγκαῖον καὶ ὑφίστασθαι πολλὰ τῶν ἀλκίμων θηρίων, καὶ καῦμα ἀνέχεσθαι, καὶ ψῦχος ὑπομένειν, πολλά

πολλὰ πεῖ δὲ καὶ λιμοῦ καὶ δίψους ποιεῖσθαι. διά τε τῶν θήρων ἐπιθυμίας ἐθίζοντα καρτερεῖν μεθ' ἡδονῆς. Bonus Rex optimum inuentum putat venationem,& hac maxime delectatur,per quam corpus fit robuſtius,animuſque fortior, & ad omnes res bellicas exercetur. Etenim equitare,& currere eſt neceſſarium, ſuſtinere incurſum multarum furentium ferarum & æſtum perferre,friguſque tolerare; ſæpe quoque periculum facere & famis & ſitis, omnia perferre cum delectatione. Quippe non de Perſarum, ait, venatione loquimur: Illi ſiquidem in hortis incluſas tanquam in circulo beſtias occidebant,vt nullum haberent laborem, neque periculum in occidendo, vtpote infirmas & in ſeruitutem redactas. Molliores iſta ſunt & ſolam delectationem quærentis.

Mirum quàm frequentem daret operam his exercitationibus Commodus Imperator,tum vt ipſe iaculando,tum certa,vt ſolebat, manu gloriaretur,tum vt populum oblectaret, beſtias in arenam procedens. Fauent verba quæ in eius nummi ambitu ſunt exarata, MVNIFICENTIA AVG.TR.P.COS. III.PP.SC. Cæterum, inquit, Herodianus.beſtiæ conquirebantur vndique, ac tum primum vidimus, quæ antea in picturis mirabantur,quippe ex India Æthiopicaque, itemque à Meridie, & à Septentrionalibus quidquid incognitum prioribus ſæculis fuerat, confecit ille pariter,atque oſtendit, nullo non obſtupefacto, certa illa manu tanquam nuſquam telis oberrantibus.

Laudat Plut.Philopemenem quod à bello vacans, venatione corpus exerceret, & agricultura,ne otio naturæque blandimentis diffflueret, Paulus Æmilius filiis ſuis venandi magiſter, & Auctor eſſe voluit,aut certè ſub aliis rectoribus meditantes,& exercentes ſe ſpectabat, non ſine magno voluptatis ſenſu. Neque inſolens admodum eſt cùm venatricem Pœnorum Reginam dicat Virgil.4.Æn. & venatrices iuuenculas pugnam cum feris exercuiſſe commemoret.

Tandem progreditur magna ſtipante caterua
Sidoniam picto clamydem circumdata limbo:
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum
Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.
Poſtquam altos ventum in montes, atque inuia luſtra
Decurrere iugis: alia de parte patentes
Tranſmittunt curſu campos, atque agmina cerui
Puluerulenta fugâ glomerant, monteſque relinquunt.

Certè nobiliſſimam fœminarum Cœnobiam, & ſtrenuis ducibus fortiorem, tantam bellorum laudem ex venationis ſtudio conſequutam Trebellius aſſeuerat,in 30.Dynaſtis,vt vnà cum marito Odenato capiendis Leonibus & Pardis,Vrſis,cæteriſque ſilueſtribus feris diu in luſtris, & montibus verſata,cùm pluuias,& æſtus,aliaſque tempeſtatis iniurias,quæ venatorias voluptates comitari ſolent,ſuſtineret,durata ſit ad puluerem caſtrorum fortiter,& glorioſè perferendum.

Abſit à Nobilitate,vt languidis frangatur voluptatibus,de Traiano multa Plinius in hanc ré. *Quod ſi quando cum influentibus negotiis paria feciſti,inſtar refectionis exiſtimas mutationem laboris: quæ enim remiſſio tibi niſi luſtrare ſaltus; excutere cubilibus feras; ſuperare immenſa montium iuga,& horrentibus ſcopulis gradum inferre, nullius manu,nullius veſtigio adiutum: atque inter hæc pia mente adire lucos,& occurſare numinibus.*

Olim hæc experientia Iuuentutis,hæc voluptatis erat, his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris, curſu:cum audacibus,robore;cum callidis,æſtu:nec mediocre pacis decus habeatur ſubmota campis eruptio ferarum,& obſidione quadam liberatus agreſtium labor: Vſurpabant gloriam iſtam illi quoq; principes, qui obire non poterant: Vſurpabant autem, vt domitas fractaſque clauſtris feras,ac deinde in ipſorum quidem ludibrium emiſſas mentita ſagacitate colligerent. Hinc par capiendi quærendique ſudor, ſummuſque & idem gratiſſimus labor inuenire. Iam quis adeò diſſolutus, cuius non occupationibus aliqua ſpecies ſeueritatis inſidat? otio prodimur.

Has venationis exercitationes in Auito Imper. Sidonius Apoll. commendat in eius Panegyri.

——— Quis proptior iſto
Tenſa catenati ſubmittere colla Moloſſi.
Et luſtris recubare feras interprete nare
Diſcere non viſas & in aëre quærere plantas,
Iam ſi fortè ſuem latratibus improbus vmber
Terruit albentes nigro ſub gutture lunas
Frangere ludus erat,colluctantiq; lacerto,

Vaſta per aduerſas venabula cogere prædas.
Quàm pulchrum cùm ſorte domum poſt luſtra reuertens
Horrore ſplenderet apri,virtuſq́; repugnans
Proderet intinctum per fortia facta pudorem.

Animi remiſſiones honeſtas Anthemij iuuenis idem exprimit,hanc inter alias.

Inuentæ agitare feras,& fronde latentes
Quærere,deprenſas modo claudere caſſibus arctis
Nunc torto penetrare veru,tùm ſæpe fragore.
Laudari comitum frendens cum bellua ferrum
Ferret,& intratos exirent arma per armos.

III. Ab exercitatione campeſtri.

Porrò quàm laude digna ſit exercitatio campeſtris, non difficulter intelliget, qui hæc apud Senecam magni nominis Philoſophum legeri epiſt. 18. *In ipſa ſecuritate animus ad difficilia ſe præparet,& contra iniurias fortunæ, inter beneficia firmetur. Miles in media pace decurrit ſine vllo hoſte,vallum iacit & ſuperuacaneo labore laſſatur, vt ſufficere neceſſario poſſit. Quem in ipſa re trepidare nolueris,ante rem exerce.*

Ob hanc cauſam Romani præter cæteras gentes bellica laude commendati, quàm plurimis exercitationibus Iuuentutem ſuam ad prœlia præparabant vel in ipſa vrbe,in campo Martio, ita vt ſummi quique duces eò ſe conferrent, ſuo illam exemplo excitaturi ſimul & formaturi. De Scipione Silius Italicus hæc commemorat.Poëmate 8.

Lectos venturo formabat Scipio bello,
Ille viris pilâ,& ferro circumdare pectus
Addiderat,leuiora domo de more parentum
Geſtabant tela,ambuſtas ſine cuſpide cornos:
Alcidis vſus erat,factaq́; ad rura bipennes:
Ille inter medios ventura ingentia laudis
Signa dabat,vibrare ſudem, tranſmittere ſaltu
Murales foſſas,vndoſum frangere nando,
Indutus thoraca vadum:ſpectacula tanta
Ante acies virtutis erant:ſæpè alite planta
Ilia perfoſſum,& campi per aperta volantem
Ipſe pedes præuertit equum,ſæpè arduus idem
C. ſtrorum ſpatium,& ſaxo tranſmiſit,& haſtâ:
Martia frons,facileſq́; comæ,nec pone retroq;
Cæſaries breuior,flagrabant lumina miti
Aſpectu,gratuſq́; inerat viſentibus horror.

Hoc idem magnis ducibus Mario, & Pompeio tribuit Plutarchus. Sed eleganter Plinius in Traiano quem omnibus ad imitandum proponit. *Quid apud milites? quam admiratiqnem quemadmodum comparaſti?cùm tecum inediam, tecum ferrent ſitim.Cùm in illa meditatione campeſtri militaribus turmis, Imperatorium puluerem ſudoremq́; miſceres? Nihil à cæteris niſi robore,ac præſtantia differens,quum libero Marte, nunc cominus tela librares,nunc vibrata ſuſciperes,alacer virtute militum, & lætus quoties,aut caſſidi tuæ, aut clypeo grauior ictus incideret;laudabas quippe ipſe ferientes, hortabariſq́; vt auderent,& audebant iam, quùm ſpectator moderatorq́; ineuntium certamina virorum arma componeres, tela tentares, ac ſi quod durius accipienti videretur,ipſe vibrares.*

Othonem primum inter omnes militaris diſciplinæ labores, & pericula pertuliſſe ſcribit Tacit.hiſtor. lib. 2. *Non Othoni ſegne,aut corruptum luxuria iter,ſed lorica ferrea vſus eſt,& ante ſigna pedeſter,horridus,incomptus,famaq́; diſſimilis.*

Similiter Lucanus lib.8.Catonem ſic milites ſuos alloquentem inducit,cęteroqui belli ducem egregium, moleſtiſſimum iter æſtuantis Africæ via cum exercitu ingredientem.

——— Primus arenas
Ingrediar,primuſq́; gradus in puluere ponam,.
Me calor æthereus feriat,mihi plena veneno
Occurrat ſerpens,fatoq́; pericula veſtra
Prætentare meo,ſitiat quicumq́; bibentem
Viderit,aut vmbras nemorum quicumq́; ſequentẽ
Æſtuet,aut equitem peditum præcedere turmas
Deficiat,ſi quo fuerit diſcrime notum
Dux,an miles eam.

Laus Imperatoris non vltima,caſtris locum capere:illam Meſſalæ Tibullus attribuit eius Panegyrico,

Nam te non alius belli tenet aptius artes,
Qua deceat tutam caſtris praducere foſſam.
Qualiter aduerſos hoſti defigere ceruos:
Quemue locum ducto melius ſit claudere vallo,
Fontibus vt dulces erumpat terra liquores:
Vt faciliſq́; tuis aditus ſit,& arduus hoſti.

Inſtruere aciem armis, & commeatu, rebuſque neceſſariis, vel illam dirigere non minor commandatio,pergit idem Tibullus.

Iam

Iam ſimul audacis veniant certamina Martis
Aduerſiſque parent acies occurrere ſignis,
Tunc tibi non deſit faciem componere pugnæ,
Seu ſit opus quadratum acies conſiſtat in agmen,
Rectus vt aquatis decurrat frontibus ordo,
Seu libeat duplicē,ſeu iunctum cernere Martem,
Dexter vti læuum teneat,dextrumque ſiniſter
Miles ſitque duplex gemini victoria caſus.

Quanti ſit hæc exercitatio ſatis oſtendit Oſorius lib.7.de Regis inſtitutione,dum hæc tria elegantiſſimè proſequitur. Primum nunquam omittendam eſſe maximè in pace armorum exercitationem: quali inquit, ratione hæc præſidia diſponi debeant, dummodo hoc ſummo ſtudio curent Principes, ne vnquam, quamuis per diuturna ſit, armorum ſtudium vlla ratione deſeratur; otio namque, & ſecuritate franguntur vires, langueſcit induſtria, hebeſcit ingenium, vitia creſcunt, ſcelera prorumpunt, animi ſtatus opprimitur, flagitiorum omnium bellum inexpugnabile concitatur, vſque adeo vt quoduis bellum,quamuis durum & periculoſum,huic inſidioſæ pacis nomini longè præferendum ſit.

Secundum armorum contemptum, & negligentiam eſſe Dei punitionem his verbis declarat. Quæ quidem deteſtabilis amentia ad diuinam iram referenda eſt: quoties enim rectiſſimus ille iudex aliquam Rempublicam euertere cogitat, primùm eam armis nudat, & Iuuentutem effœminat, ne ſaltem poſſit honeſtam mortem in armis pro patriæ defenſione ſuſceptis, oppetere. Hiſtorias legite, videbitis omnes propemodum nationes, quæ ad ſummas opes, & imperium peruenere, poſtquam intoleranda ſuperbia, & iniquitas illorum mores inuaſit,præter alias pœnas, quibus à Deo mulctatæ ſunt, hanc etiam dediſſe quod omnes artes militares abiecerint, & ſe luxu deliciiſque corrumpi, & effœminari permiſerint.

Tertium petitur à gloria quam parit. Præterea hanc exercitationem pergit ſummis Regibus ingentem gloriam peperiſſe, eorumque nomen laudibus ſempiternis illuſtraſſe, eamque non mediocrem virtutis & honeſtatis partem continere: magnum enim eſt pro veriſſimæ gloriæ ſtudio voluptates aſpernari, labores immenſos excipere, mortem & dolorem contemnere, & cum periculo pericula omnia à Republica propulſare, ſtudioque publicæ peſtis auertendæ, in peſtem cùm fuerit opus irruere. Hæc igitur qui præſtiterunt, non modò ſummi Principes, ſed diuini quidam homines æſtimandi ſunt.

In quibus deprehendimus multa laudum ſemina, nimirum otij fugam, vitiorum atque libidinum contemptum, imo iuſtum odium. Reipublicæ conſeruationem, vigorem diſciplinæ militaris, nominis immortalitatem, & alia quæ ſatis ambitioſè recenſet Oſorius. Quod idem agunt Lipſius 5.de militia Rom. Dialogo 14. & Tiraquellus cap.8.de Nobilitate.

PVNCTVM V.

Laus ab honeſtatis animi ſtudiis.

Bonorum corporis,& animi pars vna in quibus facilè principem locum habent ſtudia liberalium artium,quæ duobus capitibus abſoluuntur:aut enim celebratur aliquis quod ſit doctus, & abundè his inſtructus diſciplinis, aut quod aduerſus eaſdem diſciplinas & litteratos homines optimè ſit affectus,in quibus omnibus longa reperitur laudum ſeries & copia.

I. A dignitate.

Quod attinet eruditos homines illi ab ipſa laude liberalium artium, atque dignitate commendantur. Quis enim ignorat laudatiſſimas eſſe, quamuis ſuperbè Stoïci reclament, quos reprehendit Seneca licet perpetuus illorum laudator epiſt. 88. *Quare liberalia ſtudia dicta ſint, vides, quia homine libero digna ſunt, Cæterùm vnum ſtudium verè liberale eſt, quod liberum facit, hoc ſapientiæ ſublime, forte, magnanimum, cætera puſilla,& puerilia ſunt.*

Nec audiendus hac in re Cato Senior, qui ſcientiis infenſus hoſtis, Socratem loquacem appellabat acerbius:timebat ſcilicet, ne ſapientiæ ſtudium,& Eloquentiæ noceret Imperij Romani magnitudini, in quo ait Plutarchus apparuit illius malum omen, quod ab eo tempore diſciplinis liberalibus exculta Ciuitas, ad ſummum gloriæ faſtigium aſcenderit.

Adde

Adde quod doctrina præter vnam virtutem reliquis omnibus rebus, vel ipſi nobilitati & diuitiis cæteriſque fortunæ mendaciis ſapientum caculo præponatur: adeòut neque Nobilitas ſine litteris vix vlla eſſe poſſit, aut vtiles diuitiæ ſine iiſdem vllæ æſtimentur. Dicam amplius, haud ſcio an poſt religioſam erga Deum pietatem aliquid maius, aut præſtabilia eſſe poſſit erudione, quam vnam vulgo Numinis illuſtre donum appellant viri ſcientia virtuteque nobiles Nazianzenus Oratione 2. cùm de profanis artibus loquitur, τῶν παρ' ἡμῖν ἀγαθῶν τὸ πρῶτον humanorum bonorum primum ac præcipuum. Quem igitur blandæ voluptatis illecebræ, quem amor inertiæ, vel licentia delicatæ nobilitatis ab hoc cœleſti bono fruendo impediat, ſi modo memor ſit illius ſapientis Ennodij vict.Scho.2. *Inerudita nobilitas cæleſte munus abiurat.* In quo autem adoleſcentiæ tempus honeſtius atque vtilius, addam & iucundius collocare poſſit, quàm in ſcientia perdiſcenda, quæ animam paſcit, & recreat iucundiſſima quadam voluptate.

II. *Ab honeſtate.*

Quod ipſa virtus & morum honeſtas longe nobilior illuſtriorque putetur, ſi litteris coniuncta fuerit, quàm in rem egregiè diſſerit Oſorius de diſciplinâ Regis. Vtrimque opus eſt ad vitæ conſtantiam recta morum inſtitutio, & bonarum artium cognitio: Alterum enim ſine alterius ope imbecillum eſt, vir incontinens, qui ad bonas artes applicat ingenium, intelligit quidem artibus illis nihil eſſe dignitate præſtantius; illud tamen iudicium, vi libidinis victus, diu ſeruare nequit: Qui verò ſine certo iudicio continens eſt, facile poterit falli ac quadam ſpecie voluptatis, aut vtilitatis obiecta, ab honeſtatis ſtudio adduci, μαθήματα τῆς ψυχῆς βρώματα: Diſciplinæ cibi ſunt animi ex Nyſſeno homil.7.in Cant. illa χαλινῦ δ' ἐναυλίῳ ἔχει, fræni inſtar eſt adoleſcentibus, ne in alia re præcipites eant. Præclarè Caſſiodor. lib. 3. epiſt. 2. *Glorioſa eſt ſcientia literarum, quia quod primum eſt in homine, mores purgat; quod ſecundum verborum gratiam ſubminiſtrat: Ita vtroque mirabiliter ornat & tacitos & loquentes.*

III. *Ab Innocentia vitæ.*

Quod docti credantur à vitiis alieni, ideoque virtutibus inſtructi, quare Fabius lib. 12. Inſtit.cap.1. Orationem bonum virum eſſe debere probat, *Adde quod*, inquit, *hîc ſtudio operis pulcherrimi vacare mens niſi omnibus vitiis libera poteſt; primùm quòd in eodem pectore nullum honeſtorum turpiumque conſortium, & cogitare optima ſimul, & deterrima, non magis eſt vnius animi, quàm eiuſdem hominis bonum eſſe ac malum:* Tum illa quoque ex cauſa, quod mentem tantæ rei intentam vacare omnibus aliis etiam culpa carentibus curis oppetet.

Indoctorum eſt qui vim honeſtatis, & pulchritudinem non vident, ferri in vitia, volutari in cœno fœdiſſimæ voluptatis: qui muſis delectatur, ait Caſſiodor. lib. 3. epiſt. 11. *Indocilis eſt animi ad vitia trahi: ædificatus libris locum relinquit vitiis*, nobiliota meditatur.

De virtutibus eſt illud Atalirici Regis apud eundem Caſſiodorum, lib. 9. epiſt. 21. *Si opes noſtras Scanicis pro populi delectatione largimur, ea ſtudioſiſſimè conſequuntur, qui adeo neceſſarij non habentur, quanto magis illis ſine dilatione prabenda ſunt pramia, per quos & honeſti mores proueniunt, & palatio noſtro facunda nutriuntur ingenia? Neque enim credendum eſt, vos inde poſſe minus eſſe ſollicitos, vnde & generi veſtro creſcit ornatus, & cœtui prouenit aſſidua lectione conſilium.* Non alia mens Philonis Iudæi dicentis ſtudia humanitatis ad virtutis conſequutionem momenti plurimum referre; vel vt loquitur S. Greg. Nyſſenus de vita Moſ. iuuare εἰς τεκνογονίαν ἀρετῆς ad virtutum procreationem, quâ nullus fœtus poteſt eſſe præſtantior. Inde Caſſiod. Collegia non ſcientiarum modò, ſed virtutum omnium officinas appellat, ad quas Iuuenes, ſicut ad meſſem bonarum artium conuenire debeant, magnos ex his fructus ad totius Reip. cōmodū & vtilitatē percepturi. A quo nō abhorret Crœſus apud Xenoph. l 7. Cyrop. aſſerētis honeſtiſſimas artes eſſe πηγὰς τῶν καλῶν, fōtes bonorū.

His adde laudes quarumdam virtutum, quibus plerumque putantur inſignes illi, qui ſunt eruditionis & doctrinæ ſtudioſi; prudentia, quæ præſentia ordinat, futura prouidet, præterita recorda

Digitized by Google

cordatur: ſapientia rerumque prouidentia, modeſtia, manſuetudine ac temperantia. Nam vt benè Cic. pro Cœlio, n. 45. *Fieri non poteſt, vt animus libidini debitus, amore, deſiderio, cupiditate, ſæpè nimia copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc quidquid eſt, quod nos facimus in dicendo non modò agendo, verum etiam cogitando poſſit ſuſtinere, &c.*

IV. A Neceſſario.

Quod cum ſcientia ſit inſtrumentum ad magnas res, magnos etiam faciat homines, & ad magna idoneos. *Intelligens gubernacula poſſiderit*, ait ſapiens Prou. 1. Scio M. Aurelium, Antoninum Philoſophum alia ſentire: ſed nec ignoro Plutarchum in huius rei commendationem ſcripſiſſe, multiſque probaſſe ſciẽtiam, in dignitate conſtitutis eſſe neceſſariam: Scio Taciti voces Imperatore dignas, acclamãtis. *Quis melius imperat quàm literatus*? Conſtantini apud Curopalatam. *Vtinam ex eruditione potius commẽder, quàm ex imperio*! Sapienter omninò: Nam ex Poſſidonio benè Seneca Romanus epiſt. 78. *Vnus dies hominum eruditorum plus patet, quàm imperiti longiſſima ætas.*

V. Literarum Parentes.

Altera pars laudum ijs debetur, qui ſingulari quodam affectu Literas, literatoſque proſequuntur, quales fuere maximi quique, omnibus ætatibus & ſeculis Alexander & Pompeius à Ioſepho celebrãtur, quod multa ſcholis Iudæis conceſſerint. Vt nihil dicam de liberalitate, ac ſingulari beneuolentia Romanorum Imperatorum erga liberalium artium profeſſores, in Gallia Principe ſcientiarum quò Rex quilibet potentior fuit ac illuſtrior, eò muſis colendis maiorem impendit operam. Carolos dico, D. Ludouicos, Franſciſcos I. Henricos Magnos, Ludouicos Iuſtos Galliæ vocatos Apollines. Plinius Traianum ex hoc multis dilaudat. *Quid vitam, quid mores iuuentutis quam principaliter formas? quem honorem dicendi magiſtris, quam dignitatem ſapientiæ doctoribus habes: & ſub te ſpiritum & ſanguinem, & patriam receperunt ſtudia, quæ priorum temporum immanitas exiliis puniebat, cùm ſibi vitiorum omnium conſcius Princeps, inimicas vitiis artes, non odio magis, quàm reuerentia relegaret. At tu eaſdem artes in complexu, auribus, oculis habes. Preſtas enim quæcũque præcipiunt; tantumque eas diligis, quantum ab illis probaris. An quiſquam ſtudia humanitatis profeſſus, non cùm omnia tua, tùm vel imprimis laudibus ferat admiſſionum tuarum facilitatem.*

Iulianum Imperatorem Mamertinus immortalitate dignum exiſtimat ob inſtaurata de nouo literarum ſtudia. *Tu Max. Imp. exulantes relegataſque virtutes ad Remp. quodam poſt inimio reduxiſti. Tu extincta iam litterarum ſtudia flammaſti. Tu Philoſophiam paulò ante ſuſpectam, ac necdum ſpoliatam honoribus, ſed accuſatam arcam non modò iudicio liberaſti, ſed amictam purpurâ, auro gemmiſque redimitam in regali ſolio collocaſti, ſuſpicere tam in cælum licet; & ſecuris contemplari aſtra luminibus, qui paulò ante pecorum, atque quadrupedum animantium ritus, in humum viſus trepidos figebamus.*

Diocletianum & Maximianum multis eandem ob causã celebrat Eumenius Oratione pro ſcholis inſtaurandis. *Cui enim*, inquit, *vnquam veterum Principum tanta fuit cura, vt doctrina atque Eloquentiæ ſtudia florent, quanta his optimis & indulgentiſſimis Dominis generis humani? Quos ego quidem quantum ad votum pietatemque pertinet, liberorum noſtrorum parentes appellare non dubito, qui nobiliſſimam iſtam indolem Galliarum ſuarum, interitu ſummi doctoris orbatam reſpicere dignitati, ſuo potiſſimum iudicio Præceptorem ei, moderatoremque tribuerunt. & inter imperatorias diſpoſitiones ſummis Reip. gubernandæ prouiſionibus occupatas literarum quoque habuere delectum.*

Quod olim Camillo feliciter accidit propter inuictam in Rep. ſeruanda diuinamque animi conſtantiam, vt alter Romulus, & fundator Ciuitatis nominaretur: Illud idem euenit, vt amplificata gloria literarum, quaſi quidam bonarum artium parens; inſtaurator, exornatorque ſit Magnum fuit in tanto Imperij ſplendore, tot negotiis ſummis, & operoſis, & quotidianis occupatum, ad ſtudia componenda, & doctrinas liberales diſſeminandas animum adiunxiſſe: ſingulare prorſus per vltimos Galliæ fines, in bonis ſtu-

diis proferendis eluxiſſe. Quid quod ſumma cum laude ſuorumque vtilitate, fontem illum gratiarum, totiuſque ſuauitatis, occluſum penè diuinitus aperuit, & neſcio quo fato iam propè exarentem Muſarum horrum nobilem prorſus recluſit imperuium, roreque ſuæ benignitatis, ita fœcundauit, vt iam è remotis Galliæ finibus, prouinciis, exteriſque nationibus ſplendidiſſimis ingeniis homines eo ſtatim, vt in arcem Palladiam, ſe conferant.

LECTIO IV.

Laus à bonis animi hoc eſt à virtutibus.

Bonorum animi laudes eò maiores ſunt cæteris, quò corpore nobilior eſt, vtriuſque reliquis omnibus ſuperior. Hæc enim propriè laudari debet, quòd ſola rebus decus, & ornamentum conferat. Omnis quippe res, ait Annæus quod habuit decus, à virtute ſumpſit, & qui virtutem habet omnia bona creditur habere, vel Comico teſte in Amphitr. cuius hæc eſt meliori mente digna ſententia.

Omnia aſſunt bona, quem penes eſt virtus.

Denique ſolum hoc bonum conſtans eſt ac perpetuum, reliqua fluxa ſunt fortunæque dominantis imperio ſubiecta, quod aſſerit Chorus in Andromache apud Eurypidem.

> Οὔτοι λείψανα τῶν ἀγαθῶν
> Ἀνδρῶν σεαιρεῖται.
> Χρόνος οἱ δ' ἀρετὴ
> Καὶ θανοῦσι λάμπει.

Nunquam reliquias bonorum virorum aufert Tempus: virtus enim etiam mortuis lucet. Hinc Antiſthenes virtutem armaturam vocat, quæ detrahi minimè poſſit ἄνα φαίρετον ὅπλον. Eam ob rem ſapienter veram hominis felicitatem ex ipſa virtute cenſeri, non ex fortunæ mendaciis, Seneca concludit. epiſt. 76. *Nemo ex iſtis quos purpuratos vides, felix eſt, non magis quàm ex illis, quibus ſceptrum & chlamydem in ſcena fabula aſſignant, cùm præſente populo elati inceſſerunt, & cothurnati ſimul exuerunt, excalceantur, & ad ſtaturam ſuam redeunt. Nemo iſtorū quos diuitiæ honoresque in altiori faſtigio ponunt, magnus eſt: quare ergo magnus videtur? cùm baſi illum ſuâ metiris, non eſt magnus pumilio, licet in monte conſtiterit. Coloſſus magnitudinem ſuam ſeruabit etiamſi ſteterit in puteo. Hoc laboramus errore: ſic nobis imponitur, quod neminem æſtimamus eo quod eſt, ſed adjicimus ei & ea, quibus adornatus eſt. Atqui cùm voles veram hominis æſtimationem inire, & ſcire qualis ſit, nudum inſpice. Ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia: corpus ipſum exuat, animum intuere, qualis quantuſque ſit, alieno an ſuo magnus. Si erectis oculis gladios micantes videt, & ſi ſit ſua nihil intereſſe vtrum anima per os, an per iugulum exeat, beatum voca.* Quibus omnibus euincit vnum id bonum eſſe, quo melior animus efficitur. Virtus eſt, quæ ſibi ſufficiens vel ad inuitam honor accedit. Et Claudiano.

> *Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolàque latè*
> *Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus vllis*
> *Erigitur, plauſuue petit clareſcere vulgi*
> *Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis*
> *Diuitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis*
> *Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.*
> *Attamen inuitam blandè veſtigat, & vltrò*
> *Ambit honor.*

Solidas igitur veraſque laudes, ab his animi bonis, deducamus.

PVNCTVM I.

Laus à Prudentia.

I. Neceſſitas.

In bonorum diſtributione primas prudentiæ deberi nemo negauerit, qui lucernam hanc animæ, vitturumque nutricē, & aurigam viderit, nihilo magis à ſummo abſolutoque Principe abeſſe poſſe, quàm ſolis à cœlo fulgorem, aut ab ea naui, quæ feliciter nauigatura ſit, periti ſapiētiſque gubernatoris induſtriam. Quam viribus corporis ſapienter præpoſuit Valerius Flaccus.

Non

—— Non ſolis viribus æquum
Credere ſæpè acri potior prudentia dextrâ.

Maximè vero in ijs qui cæteris imperant. Nã vt ait Tacitus ann.1. *Plura in sũma fortuna auſpiciis & conſiliis, quàm telis, & nauibus geruntur.* Cuius mentem probant Peripatetici dum Prudentiam aiunt in omnibus virtutib. ἐξάρχειν ὡς ἡγεμονικὸν vt ducem præſidemque omnium, imperatricemque dominari. An hæc igitur exigua laus videri poteſt admirandæ prudentiæ, quòd ab ea Virtutes omnes pendeant, & illius ductu arbitrioque operentur. Verè dicam abſque illa nullum florens, tutum beatumque fore imperiũ, ac ne hominem quidem vllum, qui negotium ex animi ſententia conficiat.

Eleganter Anacreon, natura dat Leoni dentes hiante rictu: Tauro ferire cornu, Equo ferire calce, Lepori valere curſu, τοῖς ἀνδράσι φρόνημα, ſed prudentiam largitur hominibus. Hec hoſtẽ opprimit, ante vertit infortunium, canit triumphũ, diſſipatum animi ſtatum colligit, & componit, fræno concupiſcentiam, & inferioris animæ motiones coërcet, rationis imperium inſtaurat, laudabiles efficit actiones, animum ad Dei nutũ & voluntatem moderatur.

Igitur prima laus erit in hac Principe virtute quâ prudens absolutè commendabitur, quòd eius animus tanquam aliquod Oraculum, aut certè mentem aliquam diuinã habeat; quâ cuncta videat, proſpiciat, perficiat; eò vero laus maior erit, & præſtabilior, quò in nobiliore digniorèque perſona virtus hæc inuenietur: Rerum quippe gerendarum occaſio virtutem eius proferet in medium, quamuis prudentia omnibus in rebus, & priuatis, & publicis reperiri debeat. Nam vt ſapienter Seneca, duce ratione per totã vitam eundum eſt, minima maximaque ex eius conſilio gerenda ſunt, tamen proprius eius locus videtur in rebus publicis, ciuilibus, bellicis, in quibus omnibus verum eſt Sophoclis Oraculum σοφὸν ἂν γὰρ βούλευμα τὰς πολλὰς χεῖρας νικᾷ, mens vna ſapiens plurium vincit manus.

Quæ cum in Traiano ſuo Plinius animaduertiſſet, illum ab hac virtute plurimum celebrauit. *O verè Principis, atque etiã Conſulis recõciliare æmulas Ciuitates, tumentesq; populos non imperio magis, quàm ratione compeſcere, intercedere iniquitatibus Magiſtratuum, infectumque reddere quidquid fieri non oportuerit: Poſtremo velociſſimi ſyderis more omnia inuiſere, omnia audire, & vndecumque inuocatũ ſtatim velut Numen adeſſe, & aſſiſtere. Talia eſſe crediderim, quæ ipſe mundi parens tẽperat nutu, ſi quando oculos demiſit in terras, & facta mortaliũ inter diuina opera numerare dignatus eſt, quibus nunc per te liber ſolutusq; cœlo tantũ vocat, poſtquã te dedit, qui erga omne hominum genus vice ſua, fungereris enim ſufficisque mandanti, cùm ſibi dies omnis ſũma cum vtilitate noſtra, cum tua laude condatur*

Hoc idem agnoſcit & commandet in Conſtãtio laudator egregius *Quid ego de prudentia dicam, quâ te penè credimus fore ipſo patre potiorẽ: qui veteres illos Romanæ Reip. Principes ſuperiorẽ Africanum Põpeiũque magnũ ætatis curſu virtute prouectos, tã maturè ſumpto vincis imperio, tãta ũq; rerũ ſuſtines molẽ incipiẽte virtute. Ex quo colligimus laudẽ hanc augeri, ſi reperiatur in adoleſcente.*

II. Aliorum vti conſilio.

Non alienum è gradu dignitateque ſapientis aliorum audire conſilia confirmat Seneca, epiſt. 109 præſertim qui iis ſunt dotibus, vt meritò conſuli debeant. Quæritur an deliberaturus ſit ſapiens; an in conſilium aliquem aduocaturus; quod illi facere neceſſarium eſt, cũ ad hæc ciuilia atque domeſtica deuenitur, & vt ita dicam, mortalia. In his ſic illi opus eſt conſilio, quomodo medico, quomodo gubernatori, quomodò aduocato & litis ordinatori: proderit ergo ſapiens aliquando ſapienti, ſuadebit enim, ſicque aliena luce collucebit, & ſuã faciet alterius prudentiam. Huius laudis fundamentum indicat Tull. cùm ait Offic, 1. omnis ratio, & inſtitutio vitæ adiuncta hominẽ deſiderat. Saluſtius ad Ceſarem. *Ego*, inquit, *ita comperi omnia regna, cunctas nationes, vſque eò proſperum imperium habuiſſe, dum apud eas vera conſilia valuerunt*: Non erit ergo minima prudentia Principis, ſapienter monẽtibus obtemperare.

Neque enim vel auctoritas inter mi..res ho notata, vel diuina quædam in duce felicitas; ſed induſtria, ſolertia, prudentiaque de victis proſtratiſque hoſtibus trophæa ſtatuit. Vox eſt Alexandri Magni ſapiens & vtilis, qui rogatus, quo nam modo breuiſſimo tempore orbis imperium obtinuiſſet, reſpondiſſe fertur βυλῆ Conſilio.

At enim vrget Seneca, epiſtola 109. *Quid ſapiens ſapienti proderit? impetum illi dabit, occaſiones actionum honeſtarum commonſtrabit. Præter hæc, aliquas ſuas cogitationes exprimet, docebit quæ inuenerit.* Semper enim ſapienti reſtabit quod inueniat, & quò animus eius excurrat.

In propriis autem rebus, atque negotiis periculoſum eſſe ſolet, cùm animam vehementer feriant, & ob metum vel cupiditatem ſæpè inobſcurent, prudentiæ ſuæ inniti. Præclarè Lycæi Princeps Ariſtoteles lib 3. Polit. cap. 9 ferè plurimi de propriis rebus ſuis φαῦλοι κριταὶ, mali ſunt iudices; eum verò qui contemnat aliorum conſilium eſſe ἄχρηον ἄνδρα, imperfectum, & nihili hominem Præceptum eſt ſapiētis longè digniſſimum, *fili, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebit*, Eccl. 32. Hinc Elogium celebratum à multis NIHIL SINE CONSILIO Quod animæ picturam, vitæ decus, memoriæ ſubſidium licet appellare.

Quod monitum ſequuti ſunt viri prudentes, iudicaruntque neminem vnquam fore laude cumulatum hominem, vel priuatim in res ſuas intentum, vel magiſtratu & aliorum curâ pollentem, qui non de rebus conſultationem adhiberet. Nam vt ſapienter Cicero de ſenectute, non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, ſed conſilio ū auctoritate & ſententia.

Homerus quidem vir iudicio mirabili, cùm boni excellentiſque Principis ſpecimen proponit, aſſignat illi conſilarios maturitate graues, prudentia veteranos, negotiorum bene peritos, & notandis quàm nouandis rebus exercitationes. Neque putauit numeris omnibus abſolutum eſſe poſſe Regem ſuum Agamemnonem, niſi haberet apud ſe Honoratum Neſtorem, cuius vti conſilio poſſet, pleno fidelitatis & prudentiæ, ſine quo parum prodeſſe videbatur, vel Achilles a..moſus, vel clypeatus Aiax, vel ſagittator egregius Teucer, vel ſtrenuus Diomedes, vel inſignis ſceptro Menelaus, vel callidus & dolo princeps Vlyſſes. Et verò quid arma fotis, niſi do mi conſiliū? quid procliuius, quàm vt vis conſil j expers mole ruat ſua? quis nauem dirigat ſine ferro, quod affricuit ſiderites? quis Remp. adminiſtret ſine mente, quam affl..uit illa diuina! Vlyſſes ac Diomedes eliguntur veluti conſilium & auxiliū mens & manus, animus & gladius.

Benè Liuius Decadis 5. lib. 4. Eum, qui de ſua vnius ſententia omnia gerat, ſuperbum magis quàm ſapientem iudicat. Hinc modeſtè Antoninus Philoſophus Imper. apud Iulium Capitolinum. Æquius eſt, vt ego tot amicorum conſiliū ſequar, quàm vt tot meam vnius, voluntatem ſequantur. Nam fit neſcio quo pacto, vt magis in alienis cernamus, quàm in nobiſmetipſis, ait Tullius Offic. 1. Et verò natura mortalium hoc quoque nomine praua & ſiniſtra dici poteſt, quod in ſuo quiſque hebetior eſt, quàm in alieno. Curtius lib. 5. de vita Alexan.

III. A quibus conſilium peti poſſit, & debeat.

Ad laudem ſuperiorem tertia refertur, quæ ſumitur ab electione prudenti eorum, quos in conſilium admittimus; quantum porrò Dei beneficium eſt, habere bonos & fideles conſiliarios! nam quibus ait Pruſæus Oratione. 32. Numen beneuolentiæ ſuæ curam & ſingularis prouidentiæ tribuit; iiſdem patat inſtruitque συμβούλους ἀγαθοὺς bonos conſiliarios. Sit ergo non peritus ſolùm & intelligens, ſed vir inſignis probitate, Iuſtitiæ ſtudioſus & retinēs, Numini deuotus & fidelis, & eiuſmodi qui conſcientiæ bonæ cultum, & pietatem magni faciat: Lycæi mens eſt, virtutem efficere προαίρεσιν καλὴν conſilium rectum, cuius meminit Ethicor. 6. Vbi habet illud aureum ſapientię effatum Ἀδύνατον φρόνιμον εἶναι μὴ ὄντα ἀγαθὸν, fieri non poſſe, vt quis ſit prudens, quin idem ſit vir bonus. Hinc adulato-

latores, qui ad voluntatem Principis, nō ad eius vtilitatem, aut veritatem loquuntur, à conſilio remouendos monent ſapientes; illi namque dum commodis propriis indulgent, in alieno periculo nefariè impiéque ludunt. Si falſos teſtes, tanquam ſocietatis humanę peſtes execramur, quod illibata Iudicum probitate, nihilo tamen felicius in errorem inducunt; Adulatores audient Principes, qui non ſolùm eos à quibus audiantur in fraudem impellunt, ſed etiam bona ſui ipſorum exiſtimatione ſuperbiaque corrumpunt.

Hunc virtutes & animorum peſtem ex aula ſua Traianum amandaſſe memorat Plinius Iun. *Iam etiam & in priuatorum aulis exoluerat priſcum mortalium bonum amicitia, cuius in locum migrauerant aſſentationes, blanditia, & peior odio amoris ſimulatio: Etenim in Principum domo, nomen tantum amicitiæ, inane ſcilicet irriſumque manebat. Nam quæ poterat eſſe inter eos amicitia, quorum ſibi alij Domini, alij ſerui ſibi videbantur? Tu hanc pulſam & errantem reduxiſti: habes amicos, quia amicus ipſe es.*

Nullos in conſilium aduocabat niſi benè peritos, & longo rerum vſu exercitatos Alexander Seuerus, vt habet in eius vita Lampridius. Vnde ſi de iure tractaretur, ſolos doctos in conſilium adhibebat, ſi verò de re militari, milites veteres, & ſenes ac benè meritos, & locorum peritos, eoſque qui hiſtoriam callebant requirens, quid in eiſdem cauſis antiquos Imperatores feciſſe hiſtoriæ memorarent. *Corona ſenum multa peritia*, Eccl. Nam quid turpius quàm grandis natu ſenex, qui nullum aliud habet argumentum, quo ſe probet diu vixiſſe, præter ætatem? quis talem in rebus ſuis conſulat.

Multus eſt in iſtis D. Ambr. taleſque conſiliarios Principi quærit, in quibus ſit prudentia, quæ complectatur omnes virtutes. Nam quomodo poteſt vtile conſilium dare, niſi Iuſtitiam habeat, induat conſtantiam, mortem non formidet, nullo terrore, nullo reuocetur metu, nulla adulatione à vero deflectendum putet; Exilium non refugiat, qui nouerit ſapienti patriam mundum eſſe; egeſtatem non timeat, qui nihil deeſſe ſapienti ſciat; quid enim præcelſius illo viro, qui auro moueri neſciat contemptum habeat pecuniarum, & velut ex arce quadam deſpiciat hominum cupiditates? quod qui fecerit, homines ſupra hominem eſſe arbitrantur.

Non ſit ergo pecuniarum auidus ille quem in conſiliarium eligis. Nam, *qui quærit locupletari, peruertit oculum ſuum*, ait ſapiens Eccl. 27.

— Quæ reuerentia legum
Quis metus, aut pudor eſt vnquam properantis auari?

Tam audacter quàm verè clamat Iuuenalis Satyra 14. Nullus fidelior tibi ad conſilium eſſe poteſt, quàm qui non tua, ſed te diligit. Et is optimus eſt, qui ſententiam ſuam non ad gratiam, aut ad priuatas inimicitias, ſed ad communem vtilitatem efferr, monet Halicarnaſſ. l. 10.

Talis eſſe debet Conſiliarius, qui nihil nebuloſum habeat, nihil fallax, nihil fabuloſum, nihil ſimulatum, quod vitâ eius ad mores refellat; nihil improbum ac maleuolum quod auertat conſulentes. Quis enim vtilem alienæ cauſæ iudicet, quem videt inutilem vitæ ſuæ? an verò idoneum eum putabo, qui mihi det conſilium, quod non dat ſibi? & mihi eum vacare credam, qui ſibi non vacet? cuius animum voluptates occupent, libido deuinciat, auaritia ſubiuget, cupiditas perturbet, quatiat metus? quomodo hîc conſilij locus, vbi nullus quieti? 2. Officior. cap. 12. cuius rationem affert, & aperit cui tandem fides habenda ſit. Præſtantior eſſe debet is à quo petitur conſilium, quàm ille qui petit. *Quid enim conſulas hominem quem non arbitreris poſſe melius aliquid reperire, quàm ipſe intelligis?* Quid ſi eum inueneris, qui viuacitate ingenij, & mentis vigore atque auctoritate præſtet, & accedat eò, vt exemplo, & vſu paratior ſit, præſentia ſoluat pericula, proſpiciat futura, denuntiet imminentia, argumenta expediat, remedium ferat in tempore, paratus ſit non ſolùm ad conſolandum, ſed etiam ad ſubueniendum, huic fides habenda, lib. 2. Officior. Ambroſius cap. 8.

Equidem ex Cicer. 1. de legibus Prudentia potiſſimum elucet in præuidendis, præcauendiſque malis, vt euitentur, bonis vt obtineantur. *Quæ multò ante præuiſa ſunt, languidius incurrunt.* Monet Annæus de Conſol. ad Marc. cap. 9. contra verò Ioſephus τὰ παρὰ προσδοκίαν δεινὰ, lib. 3. cap. vlt. longè grauius ſolent afficere, quæ

præter expectationem acci lunt. Quare viri prudentes dicuntur eſſe continuò in ſpecula, vnde futura proſpiciant, ne quid forte nec opinantibus veniat, quod noxium ſibi totique Reip. futurum ſit. Cicero de ſe deque Senatoribus aliis qui prudentia ſingulari rem adminiſtrabant. Idcirco in hac cuſtodia, tanquam in ſpecula collocati ſumus. Phil. 7. In quibus omnibus qui ſemel excelluerit, primus virorum iure dicetur docente Liuio lib. 22. *Rape*, inquit, *audiui primum virum eum eſſe, qui conſulat, quod in rem ſit.*

IV. Docilitas in conſiliis audiendis.

Prudenter aget ille quiſquis depoſita mentis pertinacia, impetuque voluntatis audiet lubens eorum ſententias & opiniones, qui iudicium de re propoſita, mentemque ſuam explicaturi ſunt. Prudentiæ ſiquidem eſt placido, & æquabili animo audire velle, præſertim probos & intelligentes, de quibus cogitare meritò quis poſſit, fuiſſe diuino conſilio miſſos, ad conſilij lucem, dubiis in rebus inferendam: illos verò non admittere, qui conſilium dare poſſunt aliis, & rectè præcipere, ipſi capere non poſſunt, quod contigit vel pertinacia quadam naturali, vel vſu quæſita, vel animi perturbatione, quæ peſtes prudentiæ ſunt, & inimicæ conſilio vtriſque precationem & votum ſapiente dignum facerem, COR DOCILE.

V. Mutatio prudens ſententiæ.

Si loco & tempore ſententiam mutet, ac etiam cum ratione deponat, quod leuitatis non eſt, ſed prudentiæ ſingularis. Arguebat Ciceronem Lentulus, quod ſæpius ſententiam mutaret, doctè ſe purgat Eloquentiæ princeps, ſubditque, lib. 1. epiſt. 9. *Nunquam præſtantibus in Republica gubernanda viris laudata eſt in vna ſententia perpetua permanſio. Sed vt in nauigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiamſi portum tenere non queas, cùm verò id poſſis mutata velificatione aſſequi ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum, quem ceperis, potius quàm eo commutato, quò velis tandem peruenire: ſic cum omnibus nobis in adminiſtranda Republica propoſitum eſſe debeat, id quod à me ſæpiſſime dictum eſt, cum dignitate otium non idem ſemper dicere, ſed idem ſemper ſpectare debemus.* Abſit igitur vt, qui diuerſam ſententiam audit à peritis in cõſultatione propoſitam, dedecori ſibi eſſe putet, ſuam mutare, quam inferiorem eſſe iudicet, nonnunquam etiam minus honeſtam. Mens eſt Senecæ 4. de benef. cap. 38. *Non eſt*, inquit, *leuitas à cognito & damnato errore diſcedere, & ingenuè fatendum eſt: aliud putaui: deceptus ſum. Hæc verò ſuperba ſtultitia perſeuerantia eſt.*

VI. Sagacitas & ſolertia perturbatione vacua.

Si turbidis animi motibus compoſitis, rerumque ordine ſeruato, intentam cogitationem habeat, vt decore prudenterque fiant omnia: ſi rerum curſum intueatur, actioneſque præteritas negotiaque vocet in iudicium, & examen. Conſilio omnia prius experiri quàm armis ſapientem decet, ait Terentius in Eunucho Act. Scen. 7. Melius Cicero Phil. 11. num. 7. *Magna laus, meoque iudicio omnium maxima. Eſt enim ſapientis quidquid homini accidere poſſit, id præmeditari, ferendum eſſe modicè ſi aduenerit: maioris eſt omninò conſilio prouidere ne quid tale accidat, ſed animi non minoris fortiter ferre, ſi aduenerit.*

Si non temerè cuiquam arcana ſui pectoris aperiat, nec leuitate iuuenili prodat animi voluntates, aut committat res ſuas, ſed priuſquam vllum in conſilium aſciſcat, cognoſcat quid velit & intueatur ſagaci mente, num res ſuas acturus ſit, an ardore cupiditatis & inuidiæ cuiuſdam feratur, denique ſapiens Ariſtot. monitum lib. 6. Ethic. c. 10. ſequatur ταχὺ πράττειν, βραδέως βουλεύεσθαι promptè & celeriter agẽdum eſt, quod lentè conſultaueris. Perit ſanè prudentiæ laus deliberando collecta, atque effunditur negligentis animi languore, qui ſine cauſa differt in craſtinum matura conſilia. Graue dictum Saluſtii. *Priuſquam in ipſas, conſulto; & poſtquam conſulueris maturè facto opus eſt.*

VII. Calliditas.

Calliditas larua prudentiæ, vel ex aliquorum opinione falſa, fraudulentáque prudentia, ex qua

Digitized by Google

qua ducendæne ſint laudes, inter ſummos auctores eſt controuerſum, quorum aliqui continuò illam ut improbam, & à Iuſtitia remotam reijciunt, utpote quæ in alterius damnum, & perniciem intendatur: alii ſequuntur illam & amant, nihilque penſi habent, jus & æquum violetur, dummodò ſuæ cupiditati faciant ſatis, & commodis ſuis cōſulant: alii denique duas calliditatis partes conſtituunt, alteram quæ peruersè imitata prudentiam, fraudibus quærit, quod aperta vi, & fortitudine non poteſt aſſequi, idque per fas & nefas: hanc ſequebatur Lyſander cui vir ſapiens, & bonæ mentis cùm probro daret, quòd pleraque fraudibus ac dolis gereret, dixiſſe fertur vbi quis quod veller non aſſequeretur, Leonis exuuio Vulpinum aſſuendum eſſe; nimirum quod honeſtis actionibus non poſſit effici, fraude tentandum eſſe. Hinc illa vox comunis in Virgilio. 2. Æneid.

Dolus an virtus quis in hoſte requirat?

Quæ tanquam licitis, ac juſtis actionibus patrocinctur.

Talis ille Lipidus apud Saluſtium, quando nihil glorioſum, nihil tutum, & omnia retinendæ dominationis gratia honeſta eſſe dicit: Talis veterator callidus fraudum opifex Paulus Notarius præpoſtera crudelitate notiſſimus, qui quòd eſſet in complicandis negotiis dirus artifex, catena fuit cognominatus: Hinc oriuntur in familiis noxæ, in foro malitiæ, in pactis conuentiſque doli, in amicitia præſtigiæ, in bellis cædes, vbique calumniæ, his opponere poſſumus plurimos rei bellicæ peritiſſimos duces, & auctores prudentiâ celebres, qui cum Tullio 3. Offic. clamant, en quid inſidiosè, ne quid fallaciter fiat.

Callidos huiuſmodi cancro ſimiles facit ſanctus Baſilius, homilia 7. Hexam. vbi illius aſtutiam in oſtrei captatione deſcribit. Cancer efflictim oſtrei carnes cupit; ſed perdifficilis ejus eſt ipſi venatio, teſtæ ratione, quâ clauditur ac munitur; perualido namque & infracto ſepto, carnis oſtrei multitudinem natura munit; cumque duæ concauitates exactæ inter ſeſe conjunctæ oſtreum circumplicēt, & ambiant, nihil prorſus cancri denticulati forcipes illi poſſant Quid igitur agit? quid tandem molitur; cū viderit illud tranquillius in locis, tepore ſeſe oblectans; ſuaſque illas valuulas ad ſolis radios aperuiſſe, ac explicaſſe, tum clanculum iniecto calculo circumcluſionem prohibet, atque quod viribus ſuis deerat, id tali aſtu ſibi ſuppler.

Alteram quæ prudentiæ magis affinis eſt, ad quam reuocant in bellis inſidias, quibus aſtutiis bellicis ſuos hoſtes circumueniunt duces armorum non rudes & ignari, quam ſequitur, & probat dux inſignis apud Theucydidem lib 5. Pelop. cùm ait illa belli furta pulcherrimam laudem mereri, per quæ hoſtes maximè decipiuntur, & amici plurimum iuuantur. Eandem conſulit ad fallendum eruditus dux Ageſilaus apud Plutarchum, qui hoſtem dolo fraudibuſque vincere non iuſtum modò, ſed honeſtum etiam, & iucundum putabat. Non is ſenſus erat Euripidi Poëtæ nobilis pronunciātis neminem altæ mentis clanculum velle hoſtem interficere. Non ea mens Alexandri Magni, qui monenti Parmenioni ſuo, vt de nocte hoſtes incautos inuaderet, reſpondit victoriam furari turpe eſſe, manifeſtè atque ſine dolo vincere, glorioſum. Non id conſilium Turni victoriam cum laude publica quærentis apud Virgilium 9. Æn. Vbi deteſtatus Græcorum inſidias, & apertas Latinorum pugnas Troianis comminatus, ſic inſultat glorioſè,

—— Tenebras & inertia furta
Palladij, caſis ſummæ cuſtodibus arcis
Ne timeant; nec equi cæca condemur in aluo
Luce palam certum eſt igni circumdare muros.

Vult Tacitus Annalium 2. eſſe viri non fraude atque occultum; ſed palàm & armatum hóſtes ſuos vlciſci: Nec ab illo diſſentit Florus lib. 1. cap. 13. *Eam vir ſanctus & ſapiens ſciet veram eſſe victoriam, quæ ſalua fide, & integra dignitate parabitur.* Nimirum occultis fraudibus quamuis hoſtium corpora vincantur, non tamen animi, quia ſemper reclamabunt & conquerentur fraudibus ſe non viribus deiectos. Hinc rectè Claudianus libro 6. Conſul. Honorij,

—— Nulla eſt victoria maior.
Quam quæ confeſſos animo quoque ſubiugat hoſtes.

Qualis eſt quæ aperto Marte comparatur, de cujus gloria nihil eſt quod ab hoſtibus derogetur.

Eodem

Eodem animo ſemper fuere Galli nobiles ac generoſi, qui ſcribente Cæſare lib.1. fatentur ſe à patribus maioribuſque ſuis didiciſſe virtute magis, quàm dolo contendere, nunquam inſidiis, aut excogitato artificio ad victoriam vti. Cui ſubſcribit Auctor belli Africani dicentis Francos homines apertos minimeque inſidioſos eſſe, vt qui per virtutem, non per dolum dimicare conſueuerint: ex his clarum eſt Henricum Nagnum Gallicos habuiſſe ſpiritus, cùm interrogatus velletne hoſtes aliquo ſtratagemate illudere, ſe victorias non furari, reſpondit.

Ex dictis in vtramque partem facilè quiuis colligat laudem & vituperationem; ſiue in aliquo nudam illam & apertam prudentiam reiectis fraudibus, ſiue calliditatem & aſtutiam, ſiue demum, quod omnium maximum eſt, prudentiam honeſtæ calliditati iunctam prædicare velit, cuius Ideam habet Nazarius, cum inſignem Conſtantini aſtutiam probat, dilaudata pluribus ſingulari eius prudentia. *Adis barbaros, & diſſimulato Principis habitu, quàm proximè poteteras cum duobus accedis. Nunquam eſt excelſior principatus, quàm cùm ſe publico ſubmittit officio. Facis verba, ſpem illorum agitas, & verſas credulitatem, negas te eſſe præſentem, O verè cæca barbaria! qua in illo vultu ſigna principis non videris, quem nec ſic quidem ſenſeris, cùm intra iactum teli ſecurus ſui ſtaret, Conſtantinum eſſe.*

In bello fidem & iuſtitiam ſeruandam eſſe conſtat ex ſcripturis ſacris; grauiter incuſatur à Deo Sedecias, qui datam iuratamque Nabuchodonoſori fidem violauit. *Numquid proſperabitur, vel conſequetur ſalutem?* Ezechielis 17. Ex quo diſcimus, inquit D. Hieronymus, etiam inter hoſtes ſeruandam fidem, & non conſiderandum cui, ſed per quem iuraueris: multò enim fidelior inuentus eſt ille, qui propter nomen Dei tibi credidit, & deceptus eſt, te, qui per occaſionem diuinæ maieſtatis hoſti tuo, imo etiam amico, es molitus inſidias.

In bellis iuſtis licitas eſſe inſidias nemo non aſſentitur, dummodo neque mendacium dicatur, neque data fides violetur, neque pacta reſcindantur, ſed tantum conſilia per quandam ſolertiam & induſtriam militarem hoſtibus occultentur; de hac prudenti fallacia, deque fraudibus & inſidiis militaribus plura Valerius Maximus lib.7.cap.3. ſententiæ verò multò plures in Lipſio Politicor. 4. & 5. cap. 17.

PVNCTVM II.

Laus à ſapientia.

IN laude ſpectari ſolet, ſitne multis communis, an ſingularis, vt de ſapientia tradit Seneca. Si hanc ait quoque bonum vulgare feciſſet Deus, & prudentes naſceremur, ſapientia quod optimum habet, perdidiſſet: mori quidem cum omnibus conuenit, fortiter verò facere cum paucis.

Quod hæc virtus complectatur docet in Genethliaco Maximini Mamertinus. Ipſa illa quæ videtur omnium rerum domina eſſe ſapientia, perſpectis omnium morib. & exploratis rerum docetur euentis, à quo diſcimus ſapientiam ab experientia rerum & cognitione tum humanarum, tum diuinarum conſtare, itaut vſus & doctrina parentes eius ſint. Vnde fons laudum à ſapientia geminus oritur, alter à longo rerum vſu, & cuiuſlibet ingenij morumque indagatione, de quo Lipſius 4. Politicor. capite 5. & 6. Alter à liberalibus honeſtiſque facultatibus, quas aliquis ſibi cogitatione comparauit.

I. Prima laus eſt, ac ſingularis ſapientiæ nota, ſi credatur aliquis diuinæ mentis particeps, hæc enim origo ſapientiæ pene vnica: quo ſenſu à Cicerone pro Milone dicitur Pompeius alta quadam mente præditus: Theodoſius à Pacato conſors cœleſtis arcani, & naturalium diſpoſitionum: De Gratiano verò Auſonius, *Mens iſta aurea, quam de communi Deo pluſquam vnus hauſiſti* De Conſtantino Nazarius. *Etenim cùm mens tua mortali contagione ſecreta, pura omnis, funditus ſincera, vbique ſe promerendo Deo præſtet, cum gloria tua humanum modum ſupergreſſa ſit, quis eſt hominum quin opitulari tibi Deum credat?*

II. Altera laus ſapientiæ colligitur ex dictis & ſermonibus. Cùm enim Oratio ſit interpres animi, non dubium eſt, quin Oratio Sapiens ab animo ſapiente proficiſcatur: quare laudabitur ille

ille à prudentia ſiue ſapientia, cuius ſermones tanquam Oracula quædam celebrabuntur, quæ ſequi cupiat ventura poſteritas, & ſi rerum natura pateretur, adſcribi ſibi velit antiquitas. Auſonius in Imperatore Gratiano, quem ad omnem ipſe diſciplinam imbuerat, hoc effert pluribus: cùm enim ſcripſiſſet Imperator ei conſulatum deferens, *Soluere ſe quod debebat, & adhuc debere quod ſoluerat*, in voces admirantis & exultantis animi erumpit. *O mentis aureæ dictum bracteatum! ô de pectore candidiſſimo lactei ſermonis alimoniam! Certent huic ſententiæ veteres illi, & Homerici Oratores; ſubtilis deducta oratione Menelaus, & inſtar profundæ grandinis ductor Ithaceſius; & melleo delibutus eloquio iam tertiæ Neſtor ætatis; ſed neque concinnius ille eloquetur, qui ſe Laconicâ breuitate collegit; neque ille contortus, qui cum ſenſibus verba glomerauit: nec iſte dulcius cuius lenis Oratio mulcendo potius, quàm extorquendo perſuaſit.*

Iterum poſt multa eiuſdem epiſtolæ. Verba ſingula non ſine voluptatis ſenſu perpendit, in quibus oſtendit reconditam ineſſe ſapientiam, quam vltimum vitæ inſtrumentum appellat Seneca. *Verba ſunt litterarum tuarum, quibus apud me auctoritatem ſummi Numinis, & tuæ voluntatis amplificas; cùm de Conſulibus inquis in annum creandis: erudita vox, & cura ſolemnis, ſolus mecum volutarem: ô profunda altitudo ſecreti! habes ergo conſiliatorem, & non metuis proditorem. Vt me noſti: quid familiarius? vt facere debui: Quid Conſtantius? vt velle te ſciui: quid à ci bland us poteſt: Conſilium meum ad Deum retuli. Et quemadmodum ſolus, cui præſto eſt tam grande conſil um? an plenius cum Senatu, cum equeſtri ordine, cum plebe Romana, cum exercitu tuo, & prouinciis omnibus deliberaſſes ad Deum retuli: non vt credo, nouum ſumeres, ſed vt ſanctius fieret, quod volebas: eius auctoritati obſequutus: ſcilicet vt in conſecrando patre: in vlciſcendo patruo, in cooptando patre feciſti. Te Conſulem deſignaui, & declaraui, & priorem nuncupaui. Quis hæc verba te docuit, ego tàm propria, & tàm Latina neſciui.*

III. Neque tantùm ex ſapientia colligitur, verum etiam ex Eloquentia vt in partitionibus ait Cicero, copioſè loquens ſapientia. Cuius commendationis idem habet: idem eximius Orator Auſonius, vbi Gratiani pluribus ſapientem Eloquentiam commendat. *Et aliqua de Oratoris virtutibus tuis dicerem, niſi vererer mihi gratificari. Non enim Sulpitius acrior in concionibus, nec maioris Gracchi commendabilior modeſtia fuit, nec patris tui grauior auctoritas, qui tenor vocis cùm incitata pronuntias? quæ inflexio, cùm remiſſa? quæ temperatio, cùm vtraque diſpenſas? quis Oratorum læta iucundius, facunda cultius, pugnantia denſius, denſata glomeratius, aut dixit, aut quod eſt liberum, cogitauit.*

Non peritè minus Ariſtides in oratione quam habuit in Marcum Aurelium Antonium Philoſophum, ſapientiam cum eloquentia coniungit, ſimúlque nouam laudem ſuppeditans illum celebrat, quod ſapientia ſua ſimul, & eloquentia militum mores emendauerit, quæ poſtquam ſatis multis amplificauit. Τούτων οὐκ ἂν γένοιτο μείζω τεκμήρια ἀνδρείας ἅμα καὶ εὐβουλίας καὶ μὴν δεινότητος σοφίας, τὴν ἄν τις τεκμήριον εἰκότως αὐτὸ ποιήσαιτο. Τὸ μὲν γὰρ βιασάμενον καὶ καταναγκάσαντα στέργειν παρασκευάσαι, φόβῳ καὶ οὐ γνώμης ἐλευθερίας ἐστὶν, οὕτως ἔχειν αὐτοὺς πεποιηκέναι. Τὸ δὲ ἀπλήστως πρὸς χρήματα, καὶ τὸ λαμβάνειν διακειμένους πεῖσαι μετριάζειν, οὐκ ἂν οἶμαι ῥᾳδίως ἐδυνήθη εἰ μὴ νοῆσαι καὶ εἰπεῖν ὑπὲρ ἅπαντας ἦν. Hæc autem ſicut fortitudinis & prudentiæ ſunt ſigna maxima, ſic non minus perfectiſſimæ ſapientiæ perhibent indicium. Si enim vi illo, vt his acquieſcerent, coëgiſſet, non tàm prudentiæ, quàm metus incuſſi magnitudine ea videretur effeciſſe: cùm autem eos, qui inſatiabili tenebantur accipiendę pecunię deſiderio, ad moderationem non inuitos redegerit, apparet facilè, id eum nequaquam facere potuiſſe, niſi & ſapientiâ reliquos & eloquentia ſuperaſſet.

IV. Sit vltima quòd ſapientiæ laude commendati ſoli credantur rerum adminiſtratione digni: Quis enim communem illam quidem, ſed veram Platonis vocem non audiit, tùm demum ciuitates, & imperia felicia fortunatáque fore, cùm eorum moderatores optimarum artium, præſertim Philoſophię ſtudiis eſſent exculti, vel eruditos ac ſapientes audirent, atque in conſilium adhiberent. Quo referre licet eorum Principum exempla, qui eam ob cauſam ſapientiæ comparandæ magnam operam nauarunt, quæ videri poſſunt in Lipſio 4. Politic. Proinde audiendus Sapiens

Prouerb.4. *Poſſide ſapientiam, poſſide prudentiam, ne dimittas eam, & cuſtodiet te, dilige eam, & conſeruabit te: cùm eam fueris complexatus, dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclita proteget te.*

PVNCTVM III.

Laus à Temperantia.

TEmperantiæ eſt omnes affectus animi moderari: quòd vt habet Seneca lib. de benef. cap.7. animum continere & trahere ſibi poſſit ac debeat. Quare cum longum ſit eam per totam vitam, & mores diffuſam complecti, atque laudes quæ ab ea duci poſſunt, omnes hunc in locum referre, de illa Temperantia dumtaxat ſermo erit, quæ propriè in abſtinentia & frugalitate quotidiani victus occupatur; in qua prima quædam, & generalis laus eſt, quæ conuenit omnibus, qui ſummam vbique crudelitatem ac parſimoniam retinent, qui res ita ſuas omnes componunt, vt nihil ſuperfluum, aut luxurians domi ſuæ patiantur, de quorum numero Seneca Philoſoph. epiſt.5. quos ſic vult eſſe comparatos; *Vt diſſimiles eſſe nos vulgo ſciat, qui inſpexerit propius: qui domum intrauerit nos potius miretur, quàm ſuppellectilem noſtram. Magnus ille eſt qui fictilibus ſic vtitur quemadmodum argento: nec ille minor eſt, qui ſic argento vtitur quemadmodum fictilibus, infirmi animi eſt non poſſe pati diuitias.*

Atque vt huius laudis verus color appareat, definit idem ſapiens frugalitatem, ſcientiam vitandi ſumptus ſuperuacuos, aut artem, quâ re familiari docemur vti moderate: quo in genere Periclem commendat Plutarchus, quòd ita frugalis eſſet, vt diſtractis locatione annuis bonorum ſuorum fructibus, neceſſaria quæque ex foro in victum quotidianum mercaretur: ita ſumptus ad vnguem circumcidebat, nihil vt in ampla domo difflueret, omnes impenſæ eſſent certo numero conſtitutæ, denique nec inertiâ quadam dilaberentur, nec ipſum moleſtè interpellarent.

Laudatur ab eodem Cato maior, qui ad hanc virtutem filium ſuum exhortatus, negabat eſſe viri, ſed viduæ mulieris aliquid de ſuis fortunis minuere: diuinum autem virum non verebatur illum dicere, qui plus relinquit in rationibus ſuis, quàm quod receperit.

Verùm laus iſta longè maior & illuſtrior cenſebitur, ſi Regi, aut viro Principi tribuatur; idque ex Alexandri Magni, hoc etiam nomine & iure laudandi, ſententia, qui, vt refert Dio Chryſoſt. Oratione de regno 3. interrogatus à patre, num diceret Regem habere palatium ornatum auro, diſtinctum ebore, cæteriſque diuitiis locupletatum, nequaquam, inquit, ſed multò magis hoſtium exuuiis & armis. Nec enim ad Regem pertinent ambitioſi cultus, ſed delicatioris, potius, & cultæ Virginis ſunt, aut petulantis cuiuſdam mulierculæ ludicra. Quare non ſic miror Athenienſes propter ſumptum in ciuitates, & templa, quàm propter enſem Mardonij & ſcuta Laconium.

I. In vitæ cultu modeſtia.

De cultu hoc ſit primum pronunciatum, eum qui modeſtiæ cancellos excedit, non eſſe ſine vitio, quod vſque adeo verum eſt, vt nec Principum, quibus iure maior ornatus conceditur, cultus abire debeat à maieſtate Regis & grauitate. Illuſtris eſt in Principe commendatio, cùm in eius victu cultuque corporis & elegantia nihil profuſum, ſolutum nihil, ac languidum, nec cibi potúſque præcipua, aut exquiſita præ cæteris, ſed vulgaris quotidianáque ratio, ſed veſtitur non tàm ad elegantiam, & oſtentationem pretioſus quàm ad vſum & neceſſitatem factus, vt ex tàm antiqua, tàm illuſtri nobilitate nihil ſit, quod diſcernas illum ab aliis, præterquam animi præſtantiâ, regiâque totius corporis dignitate.

Præclarè Seuerus Imperator gemmas viris vſui non eſſe, imperium in virtute, non in decore conſiſtere pronuntiauit. Sit igitur illorum veſtitus qualis ille Scipionis Africani, non cultus munditiis, ſed virilis ac verè militaris, de quo Liuius lib.28. Auguſtus Imper. vel hoc ipſo nomine auguſtior, quo modeſtior in hoc cultu, apud Suetonium, hic tantus Monarcha non verbis tantùm ſumptuoſas illas veſtium elegantias exagitauit, ſed

ſed exemplis etiam damnauit modeſtiſſimis, vt qui veſte non alia quàm domeſtica vſus ſit, ab vxore, ſorore, filia, neptiſque confecta. Plura ſunt huius exempla temperantiæ in Lipſio monitorum 15. Alioquin ſi ad luxuriem veſtium abeant, quid mi obiiciant ipſis, quod Troianis olim obiectum fuiſſe notat ab Rutulis princeps Poëta?

Et tunicæ manicas, & redimicula mitræ.

In armis & virtute bellica claris hominibus neſcio quid habet amabile veſtium neglectus, & horror quidam ſine ſordibus: hinc commodè Leonis exuuias τῆς ἀρετῆς σῶμα virtutis amictum, cingulum innocentiæ, honoris paludamentum ſapientes nominarunt. Porrò nimium amorem elegantiæ in veſtitu nominat grauem animæ morbum Chryſoſt. 2. ad Olymp. & δυσκαταγώνιστον ad ſuperandum perdifficilem, nec non magnum indicium γνώμης διεφθαρμένης corruptæ mentis, læſi perturbatique iudicij, aberrantis & deluſæ rationis, cuius contagio tàm latè patet dulci quadam licentia nimiùm & impunè lenocinante, vt vix vllus immunis reperiatur.

II. *Vita cultus ciuilis & honeſtus.*

Neque tamen ad aliud extremum, hoc eſt ad ſordes abeundum: Hinc à Philippo patre rogatus Alexander, cur Homerus Agamemnoni pretioſas veſtes daret; Non exiſtimauit oportere ducem apparere abiectum, aut vulgo, vel priuatis eſſe ſimilem, verùm aut ſtolâ vel armatura maiore honeſtioréque, atque altis antecellere, non tamen vt laſciuiat, & ineptè ludat.

Hic etiam totius populi Rom. ſenſus videtur fuiſſe, qui teſte Plutarcho leuiter Catoni fuit infenſus, quod Prætor renunciatus ius diceret in abiectis & laceris veſtibus, quaſi illo quotidiano & nimis obſoleto cultu Præturam deprimeret. Adde quod tales (quantumuis munditiam non affluentem affectent & parſimoniam) frigidam habent & moderationis & frugalitatis gloriam. Quod de Galba ſcribit Suetonius in eius vita.

III. *Ornatus viro non dignus mores arguit.*

De ornatu quid dici poteſt aliud, quàm quod communis fert omnium conſenſus, illum ſcilicet viros dedecere; veriſſimè proclamat Vates ſuo damno Sapiens

Auferimur cultu. ——

Nec in alio magis aſſentior Auguſto Cæſari quàm cùm inſigniorem corporis cultum, & amictum plus æquo nitidiorem, ſuperbiæ vexillum, & luxuriæ nidum vocauit, verè ſic eſt,

Decipit hæc oculos Ægide diues amor.

Atque vti Orexin dormientem licet, excitant odores, ſapores, colores, & exotica ciborum condimenta: ſic libidinem quamuis languentem & ſopitam accendunt hæc mollia corporis ornamenta, & hæc vitæ blandioris lenocinia.

Quis illorum mores approbet vehementer, qui veſtem malunt ornatiorem eſſe, quàm mentem, capillum ordinatiorem, quàm vitam? grauiſſimè quæritur Seneca contra languentes, & otioſos huiuſmodi fucos lib. de breuit. vitæ c. 12. *Quibus apud tonſorem multa hora tranſmittuntur, dùm decerpitur ſi quid proxima nocte ſuccreuit, dum ſingulis capillis in conſilium itur, dùm aut diſiecta coma reſtituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur: quando iraſcuntur ſi tonſor paulò negligentior fuit; tanquam virum tonderes: quando excandeſcunt, ſi quid ex iuba ſua deciſum eſt, ſi quid extra ordinem iacuit, niſi omnia in annulos ſuos reciderunt; Quis eſt iſtorum qui non malit Rempublicam turbari, quàm comam ſuam? qui non ſolicitior ſit de capitis ſui decore, quàm de ſalute? qui non comptior eſſe malit, quàm honeſtior, &c.*

Quid ſperes ab iis, qui corporis venuſtatem; cirròque humeris, & collo illudentes pro Deo venerantur; genus omne difficultatis exhorreſcunt, ita nec in campo ſeren t vnquam laurearum ſegetem atque triumphorum, capillis ſuis molliores. Non erat illa priſcis temporibus Heroûm, neque verò etiam Principum noſtrorum vitæ degendæ ratio, quibus honorificum fuit non alio puluere melius, quàm bellico ſordeſcere, ac vigiliis angoribuſq; pro vera gloria, confici, non liquidis voluptatibus in otio frangi, meretricum in morem. Proinde nihil mirum, ſi qui vias omnes eloquentiæ tenebat Tullius, hinc colores hauſerit ad ſocios Catilinæ pingendos, qui ſe flagitiis omnibus contaminauerant, quorum impia nefandáque conſilia ad extinguendum imperium

lumen orbis terrarum inhumanè ſuſcepta credibiliora ſunt viſa, cùm eos dixit, volitare velis amictos, non togis, barbula comptos, madentibus cincinnorum fimbriis, calamiſtrata coma, ceruſſatos, &c.

Ad hanc rem ſatis eſt referre quod Veſpaſianus Imper. non præliorum modò contentione fortiſſimus, ſed domi quoque ſapientiâ nobilis, egregiè protulit. Cùm enim ad eum veniſſet adoleſcens eximio veſtitu ornatus, & vnguento fragrans, pro impetrata præfectura gratias acturus dulci & compoſita Oratione. Princeps nutu iuuenem aſpernatus, inſuper grauioribus verbis increpuit. *Maluiſſem*, ait, *allium oboluiſſes*, & conceſſerat. Tanti eſt impetum illum ad leuitatem & oſtentationem, quo feruntur venuſtuli nutricis in ſinu molliter educati, ad animi ornamenta deriuare, verúmque & ſolum decorem, mentis ornatum reputare.

IV. Liberalis frugalitas.

Quarta laus in liberali frugalitate ponitur: ſi nempe liberalis & ſimul frugalis ſit aliquis, aut ſibi parcus, in alios liberalis. Quod agnoſcit in Traiano Plinius Iunior. *Interrogandus videris, ſatiſne computaris imperij reditus, an tanta vires habeat frugalitas principis, vt tot impendiis, tot erogationibus ſufficiat: Nam quid eſt cauſa cur aliis quidem cùm omnia raperent, & rapta retinerent, vt ſi nihil rapuiſſent, defuerunt omnia, tibi, cùm tam multa largiaris, & nihil auferas, nulla deſint.*

V. In cibo potúque Temperantia.

Magna laus eſt, ſi quis cibis & vino parcè vtatur: nam vt ebrietas omne vitium & incendit, & detegit, ex mente Senecæ, ita ſine dubio ſobrietas virtutes fouet, ac nutrit. Ab hac virtute Plutarchus Iul. Cæſarem pluribus commendat, quòd cum Mediolani Valer. Leo ipſi apparaſſet aſparagium vnguento, pro oleo perfuſum, iámque ipſe cum aliis guſtaſſet, reliquis indignantibus, & hoſpitis imprudentiam acerbè ſatis damnantibus; *Satis erat*, ait, *abſtinere ab iis, à quibus abhorrebatis, nunc eam ruſticitatem qui reprehendit, ruſticus eſt.*

Hic triumphat Plinius pro Troiano, quem eò temperantiæ progreſſum ait, vt meritò poſſis ambigere, maiórne fuerit in eo bellica fortitudo, rerúmque geſtarum gloria, an victus parſimonia. *Num tibi ſemper in medio cibus, ſemperque menſa communis? num ex conuictu noſtro mutua voluptas? num prouocas reddiſque ſermones? num ipſum tempus epularum tuarum, cùm frugalitas contrahit, extendit humanitas? non enim ante medium diem diſtentus ſolitaria cœna ſpectator, adnotatórque conuiuis tuis immines, nec ieiunis & inanibus plenus ipſe, & ructans non tam apponis, quàm obiicis cibos, quos dedigneris attingere; ægréque perpeſſus ſuperbam illam conuictus ſimulationem, rurſus te ad clandeſtinam ganeam occultúmque luxum refers. Ergo non aurum nec argentum, nec exquiſita ingenia cœnarum, ſed ſuauitatem tuam iucunditatémque miramur, quibus nulla ſatietas adeſt, quando ſincera omnia & vera, & ornata grauitate. Neque enim aut peregrina ſuperſtitionis myſteria, aut obſcœna petulantia menſis Principis oberrat; ſed benigna inuitatio, & liberales ioci, & ſtudiorum honor.*

Hinc attexamus purpureum Latini Pacati Gallici luminis elogium de Theodoſio Imperatore, cuius infantiam non illæ puerilium annorum illecebræ voluptateſque exceperunt: qui neque nutricum blanditiis emollitus in otio, ac iocis elanguerit, nec inter conuiuia, atque epulas garriuerit, nec in ludis ac ſaltationibus frequens eſſe conſueuerit: qui nihil in victu cultúque corporis habuerit, quod luxum atque inertiam redoleret, ſed ſumma vbíque frugalitas, & cibi potioníſque non præcipua, aut exquiſita præ cæteris, ſed vulgaris fuerit quotidianáque ratio. *Et quia vel longo Orientis vſu, vel multorum retro Principum remiſſione, tantus quoſdam luxus infecerat, vt adulta conſuetudo laſciniæ haudquaquam facilè videretur obtemperatura medicinæ, ne quis ſe pati iniuriam putaret; à te voluiſti incipere cenſuram, & impendia palatina minuendo, nec ſolùm abundantem reiiciendo ſumptum, ſed vix neceſſarium vſurpando dimenſum, quod natura difficillimum eſt, emendaſti volentes. An quis ferret moleſtè ad Principis ſemet modum coërceri? aut ſubtractum ſibi doleret ſtipendium priuata luxuria, cùm videret Imperatorem rerum potentem modico*

dico

dico & caſtrenſi cibo ieiunia longa ſolantem? Ad hoc aulam omnes Spartanis Gymnaſiis duriorem, laboris, patientia, frugalitatis exemplis abundantem, neminem vnum inueniri qui auderet ad penum regiam flagitare remotorum littorum piſcem, peregrini aëris volucrem, alieni temporis florem. Num delicati illi ac fluentes, & quales tulit ſæpè Reſpub. parum ſe lautos putabant, niſi luxuria vertiſſet annum, niſi hyberna poculis roſa innataſſent, niſi æſtiuam in gemmis capacibus glaciem falerna fregiſſent: horum gulæ anguſtus erat noſter orbis: namque appoſitas dapes, non ſapore ſed ſumptu æſtuantes, illis demum cibis acquieſcebant, quos extremus Oriens, aut poſitus extra Romanum Colchus imperium, aut famoſa naufragiis Maria miſiſſent, quos inuita quodammodo reluctanſque natura hominum pericla rapuiſſent. Vt taceam infami ſæpè delectu ſcriptos in prouinciis aucupes, ductoſque ſub ſignis venatorum cohortes militaſſe conniuiis. Tuæ Imperator epulæ menſis communibus parciores, locorum ac temporum fructibus inſtruuntur. Hinc certatim in omnes luxuria pudor, parſimonia cultus inoleuit, & quieſcentibus legum minis, ſubiit quemque priuatim ſui pœnitentia. Sic eſt, exaſperat homines imperata correctio, blandiſſimè iubetur exemplo.

Non amantur illi, qui ſe tùm pulchros, ac beatos putant, cùm in poculis mentum atque mentem immerſerint, quod non modò non regium, ſed ne quidem egregium, & communi hominum conditione dignum eſt. Pythagoræ ſapientis dictum, primum eſſe gradum vitæ laudabilis & perfectæ κρατεῖν γαςρὸς abdominis eſſe dominum & appetitionis, Manandri penum virtutis Temperantiam, Socratis vero τὴν κρηπῖδα fundamentum honeſtatis.

Menſam diuitum multorum pauperum ſanguine inſtrui piè luget atque damnat acriter D. Ambroſius de Nabute cap. 5. *Quanti necantur, vt vobis quod delectat paretur? funeſta fames veſtra! funeſta luxuries! Ille de ſummis culminibus ruit, vt frumentis ampla veſtris receptacula præparet: ille de ſublimi arboris cacumine decidit, dùm genera vuarum explorat, quæ deferat, quibus digna Domino ſuo vina fundantur: Ille mari merſus dùm veretur ne piſcis menſæ ſuæ deſit, aut oſtrea: Ille brumali frigore, dùm lepores inueſtigare, aut laqueis ſtudet aues captare, diriguit: Ille ante oculos tuos, ſi quid forte diſplicuit verberatur ad mortem, atque ipſas epulas fuſo reſpergit cruore.*

Modum præſcribit in his expeditum Seneca, epiſt. 122. Vbi poſtquam pluribus docuit eos neſcire quemadmodum viuendum ſit, qui neſciunt quando: eoſdem mortem timere, in qua ſe viui condiderunt, tam infauſti ominis eſſe, quàm ſint aues nocturnæ, denique non conuiuari, ſed iuſta buſtáque ſibi facere, omnes denique contra naturam viuere, ſubdit. *Tenenda Lucili nobis via eſt, quam natura præſcripſit, nec ab illa declinandum. Illam ſequentibus omnia facilia, & expedita ſunt: contra illam nitentibus, non alia vita eſt, quam contra aquam remigantibus.*

Quàm paruis minimiſque natura contenta ſit, docet Boëtius lib. 1. Proſa 2. cuius ſatietatem ſi ſuperfluis vrgere velis, aut iniucundum, quod infuderis, fiet, aut noxium.

——— ——— O prodiga rerum
Luxuries, nunquam paruo contenta paratu,
Et quæſitorum terrâ, pelagoque ciborum
Ambitioſa fames: ô lautæ gloria menſæ!
Diſcite quàm paruo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat.

Lucanus lib. 4.

Iam verò quàm indignum ſit hoc vitium viro Principe, ſatis oſtendit Curtius dùm Alexandri nimiam ebrietatem emendat, lib. 5. *Cæterùm Alexander ingentia animi bona, illam indolem, qua omnes Reges anteceſſit, illam in ſubeundis periculis conſtantiam, in rebus moliendis efficiendíſque velocitatem, in deditis fidem, in captiuis Clementiam, in voluptatibus permiſſis quoque & vſitatis temperantiam, haud tolerabili vini cupiditate fœdauit.*

Denique multa paucis Stoïco ſupercilio Lucilium ſuum in hanc rem docet Seneca, cp. 5. *Aſperum cultum, & intonſum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi poſitum, & quidquid aliud ambitionem peruerſa via ſequitur, deuita. Non ſplendeat toga, ne ſordeat quidem: Non habeamus argentum, in quod ſolidi auri cælatura deſcenderit; ſed non putemus frugalitatis indicium auro, argentóque caruiſſe: hoc primum Philoſophia permittit ſenſum communem, humanitatem & congregationem: à qua profeſſione diſſimilitudo ſeparabit. Nempe propoſitum*

Digitized by Google

tum noſtrum eſt, ſecundùm naturam viuere: hoc contra naturam eſt torquere corpus ſuum, & faciles odiſſe mundicias, & ſqualorem appetere, & cibis non tantum vilibus vti, ſed tetris horridis; quemadmodum res delicatas deſiderare luxuria eſt; ita vſitatas, & non magno parabiles fugere, dementia eſt. Frugalitatem exigit Philoſophia, non pœnam, poteſt autem eſſe incompta frugalitas.

PVNCTVM. IV.

Laus à Liberalitate.

HÆc illa vox communis, & omnium opinio ſemper multum potuit incendendis hominum animis ad liberalitatem amandam, quod qui facerent, proximè ad Dei ſimilitudinem accederent: Inde Clemens Alexandrinus ſapientet ait beneficium hominem, atque liberalem eſſe *εἰκόνα τοῦ θεοῦ*, expreſſa ac ſpirantem Dei viuentis imaginem. Proinde nulla virtus eſt quam facilius elegantiúſq; Panegyriſtæ in ſuis Principibus commendent? eam fortè ob cauſam, quòd vt Princ dixit Orator 1. Offic. *Nihil ſit liberalitate, naturæ hominis accommodatius*: Quippe non prius humanitatem accipimus, hominiſque ſpeciem, quàm ſtudium haurimus, amorémque in humanum genus, & tacitos quoſdam beneuolentiæ igniculos, qui deinde non ſine magno iucunditatis ſenſu, in benignitatem erumpunt & accenduntur.

Benè notat D. Ambroſius in Pſalm. 100. proprium Principis characterem eſſe. *Principale eſt virtutis inchoare à beneficiis, & proſeminare gratiam; eatenus enim ſibi rex eſt, quatenus ſubditis ſuis prodeſt.* Hinc illa Titi vox, nota ſatis, ſed plena Numinis. *Diem perdidi, hodie non imperaui, in nullum beneficus fui.* Et verò nihil in eximia fortuna maius, ſplendidius nihil, atque diuinius, etſi vltra Solis vias & Oceani limites imperium ſuum extenderit, quàm ſubditis bene-velle, benefacere. Quod Alexandro tumenti dictum eſt olim ab Oratore libero. *Nihil in fortuna tua maius habes quàm vt poſſis, nihil melius, quàm vt velis benefacere, ſi Deus es, tribuere beneficia debes, non ſua ab hominibus eripere.*

Quod planè nouerat Rex Theodoricus, & fatebatur apud Caſſiodorum lib. 3. epiſt. 11. non alium eſſe Principis characterem. *Optamus cunctum diem plenum beneficiis noſtris excurrere: optamus vbique præſtita noſtra radiare: quia in animo viuit, quod munificentia principalis indulſit; nimirum melius donatiuo, quàm ſceptro regia manus radiat & ſplendeſcit.*

Iam nihil eſt quod multi ſimus in exhibenda liberalitatis præſtantia, contenti varios ac multiplices laudum riuulos, ex hoc fonte deducere, monereque conſiderandum in hac virtute, quantum quid conueniat, quomodo, quando, quibus item largiri conueniat, quo fine, & vnde detur, in omnibus denique ſeruandam honeſtatem, & compoſitæ rationis lumen, atque prudentiæ conſilium audiendum. Quod poſt Ariſtotelem animaduertit Seneca libro de beneficiis, cap. 12. *Sit in beneficio ſenſus communis, tempus, locum, perſonas obſeruet, quia momentis quadam grata, & ingrata ſunt.* Nam alioqui res bona, niſi benè conuenientérque fiat, perdit gratiam, vt formoſum virginis vultum ſæpè næuus dehoneſtat.

I. Quid. A Congiario.

Primum igitur conſiderandum eſt, quid detur: varia ſcilicet occurrunt, in quæ ſe diffundit liberalitas: aut enim munera publica ſunt, aut priuata, pecuniæ, vel agri: ſi Princeps ille ſit, qui largitur, aut vectigalia remittit, aut certè ex magna parte minuit confert dignitates, aut ædificia publica extruit, vrbes inſtaurat, edit ſpectacula, de ſingulis aliqua. Traianum laudat Plinius à Congiario plebi dato. *Niſi verò leuiter attingi placet, locupletatas tribus, datúmque Congiarium populo, & datum totum, cùm donatiui partem milites accepiſſent. Enimuero quâ benignitate diuiſum eſt? quanta cura tibi fuit, ne quis expers liberalitatis tuæ fieret? Tu ne rogari quidem ſuſtinuiſti.*

Obtuliſti Congiarium gaudentibus gaudens, ſecurúſque ſecuris, quodque ante a Principes ad odium leniendum tumentibus plebis animis obiectabant, id tu tàm innocens populo dediſti, quàm populus accepit. *Paulo minus quinque mil-*

il

Digitized by Google

la ingenuorum fuerunt, quæ liberalitas Principis noſtri conquiſiuit; inuenit, adſciuit. Hi ſubſidium bellorum, ornamentum pacis, publicis ſumptibus aluntur, patriamq; non vt patriam tantùm, verùm vt altricem amare condiſcunt.

Ex hoc Cereris imago cernitur in quodam Numiſmate ſedentis, non in ſella quidem, ſed in gemino cornu copiæ, ſcipionem manu tenentis; cuius emblematis interpretatio continuò ſequitur in alia figura, vbi vas frumentarium ſpicis & papaueribus plenum exhibetur, quibus attinguntur ea, quæ Traiani tempore contigerunt, vt & Romæ nihil ne pauperibus quidem deeſſet, nec extremis in regionibus fames graſſaretur. Hoc idem teſtatur Plinius Orator. *Magnificum Cæſar, & ſuũ diſiunctiſſimas terras munificentia, ingenio velut admouere, immenſaque ſpatia liberalitate contrahere, intercedere caſibus, occurſare fortunæ, atque omni ope adniti, ne quis è plebe Rom. dãte Cõgiariũ te, hominẽ magis ſentiret ſe fuiſſe, quàm ciuem.*

Pueris & puellis alimenta detuliſſe Traianum clarè docet Xiphilinus his verbis. Ciuitatibus Italiæ multa elargitus eſt ad educationẽ liberorum, in quos magna beneficia contulit. Inde nummus in quo Matrona quædam ſiniſtra copiæ cornu, dexterâ ſpicas tenens, eas prætendit ſuper puerum adſtantem cum inſcriptione S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI ALIM. ITAL. Eſt & alius in quo Laureatus Imperator ipſe pueris alimenta diſtribuit, ſedet in ſella ſiniſtra tenet haſtile, dexterâ aliquid ſtolatæ mulieri porrigens, pueri ſunt gemini, quorũ alter in gerulæ læua recumbit, alter dextrâ ducitur, infernè ſcriptum legitur ALIM. ITAL.

Eſt & illuſtris nummus ad Domitiani liberalitatem exprimendam, in illo tanquam in theatro ſedet Imperator, ad cuius pedes accedunt nonnulli aliquid accepturi, gemina hinc & hinc vaſa, leguntur inſcriptiones variæ ſub ſeſſione: Principis FRVG. AC. infrà SC. in ora ad dextram CONS. XIV. ad læuam LVD. SÆC. A. POP. Quas voces interpretantur aliqui fruges acceptas, quòd eo tempore, vel Congiarium populo diuiſum, ſit, vel frumentum, aliquodue edulium, hucque adducunt Tranquilli verba ex cap. 4. ſeptimontiali ſacrorum die Senatui Equitique panariis, plebæiis ſportellis cum obſonio diſtributis. Addit Suetonius. *Initium veſcendi primus fecit, dieque proximo omne genus miſſilia ſparſit: & quia pars maior intra popularia deſiderat, quinquagenas teſſeras in ſingulos cuneos Equeſtris ac Senatorij ordinis pronunciauit.* Quod ſolemne Domitiano fuiſſe conſtat ex Statio 1. Syluarũ, vbi copioſè hæc deſcribuntur.

Vix Aurora nouos mouebat ortus,
Iam bellaria adorea pluebant.
Hunc rorem veniens profudit Eurus
Quidquid nobile ponticis Nucetis
Fæcundis cadit aut iugis Idumes.
Quod ramis pia germinat Damaſcus,
Et quas præcoquit Eboſia cannas
Largis gratuitum cadit rapinis.

Poſt multa verò generis eiuſdem ſic pergit.

Ecce autem caueas ſubit per omnes
Inſignis ſpecie decora vultu
Plebes altera non minor ſedente;
Hi panaria candidaſq; mappas
Subnectant, epulaſq; lautiores.
Illi marcida vina largiuntur,
Idæos totidem putes miniſtros.

Poſtmodum vbi multis hunc verſum commendauit.

Hunc annua diem ſuperba neſcis.

Gloriatur, quòd cum turba Domitianus ad modeſtiæ ſpecimen, & humanitatis accumbat, quod & celebrat in eiuſdem Epulo 4. Syluarum.

Téne ego Regnator terrarum, orbiſq; ſubacti
Magne parens, te ſpes hominum, te cura Deorum.
Cerno iacens? datur hæc iuxta, datur ora tueri
Bina inter menſaſq;, & non aſſurgere fas eſt.

De Commodi Imp. liberalitate multa dicuntur. Adhuc in prætexta puerili Congiarium dedit, ex quibus ait Xiphilinus, fiebat, vt ei pecunia deficeret. Erat enim liberalis; nam & populo ſæpè aureos quinque, denarioſque quindecim dedit. Inde fortè emanarunt ea numiſmata in quibus nimium quantum ijs largitionibus gauderet populus, oſtendebatur. TEMPORVM FELICITAS. Ibi quatuor anni partes ὧραι dictę quatuor puerulis expreſſæ; Aliàs mulier in ſella, ſiniſtra ſpicas, dexterâ vitẽ vuis onuſtã oſtendit,

botros

botros diripiunt ſub vite, in cadis partim intiò, partim extra ſtantes, nudi quidam homines, fortè vinitores inter quæ puer ex quodam vaſe, aut cado eminet: quæ felicitatem temporum loquuntur omnia.

Annonæ Prouidentia.

Magna laus liberalitatis in Principe ſi curam vrbium ſuſcipiat, Nundinarum & Annnonæ, hanc in ſuo Traiano celebrat Plinius eiuſdē. Orator; nam vbi ſumptus & impenſas expoſuit quibus fame laborantes iuuit, cōcludit; *Inſtar ego Congiarij reor affluentiā annonæ. Huius aliquando cura Pōpeio nō minus addidit gloria, quàm pulſus ambitus campo, exactus hoſtis muri, Oriens triūphis Occidensq; luſtratus. Nec veró illo ciuilius quàm parent noſter auctoritate, conſilio, fide rrclusit vias, portus patefecit, itinera terris, littoribus mare, littora mari reddidit, diuerſasq; gētes ita cōmercio miſcuit, vt quod genitum eſſet vſquā, id apud omnes natum eſſe videretur, deuehūt ipſi quod terra genuit, quod ſidus aluit, quod annus tulit.*

Quàm nunc iuuat prouincias omnes in fidem noſtram ditionemq; veniſſe, poſtquam contigit Princeps terrarum, qui fœcunditatem nunc hùc, nunc illùc, vt tempus & neceſſitas poſceret, referretque, qui dirēptam mari gentem, vt partem aliquam populi plebiſque Romanæ aleret, ac tueretur. E cælo quidem nunquam benignitas tanta, vt omnes ſimul terras vberet, foueatque; hic omnibus pariter, ſi non ſterilitatem, at mala ſterilitatis exturbat, hic ſi non fœcunditatem, at bona fœcūditatis importat: hic æternit cōmeatibus Orientem Occidentemq; connectit.

De Ægypto verò ſic, vbi rem totam aperuit. *Refudimus Nilo ſuas copias, recepit frumenta quæ miſerat, deportataſq; meſſes reuexit. Diſcat igitur Ægyptus credatque experimento non alimenta ſe nobis, ſed tributa præſtare. Sciat ſe non eſſe P.R. neceſſariam & tamen ſeruiat.*

Sunt in Nummis variæ tùm notæ, tùm epigraphæ, quæ curam hanc annonæ diligentem commendent: in Claudij figura ſedet altera manu ſpicas, haſtam alterâ geſtans cum hac inſcriptione. CERES AVGVSTA. In alio vas quoddam frumentarium, cum his dictionibus T. I. CLAVDIVS CÆSAR AVGVSTVS. In alio quodam dextera nuda tria papauera ſpicaſque geminas tenens cum voce ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. quæ prouidentiam Imperatoris indicant: quâ famis tempore populo proſpicere, quoad potuit, ſatagere viſus eſt. De quo Sueton. cap. 8 *Vrbis annonæque curam ſollicitiſſimè ſemper egit: nil non cogitauit ad inuehendos etiam in tempore hyberno commeatus.*

Pluribus olim laudata fuit Gallieni liberalitas ac prouidentia. Figuram ſtellatam habuit è cuius ſinu pecuniam effundebat, cum lemmate ABVNDANTIA AVG. Fuit & altera dexterâ crumenam, ſiniſtrâ Caduceum Mercurij gerens, PROVIDENTIA AVG. De quibus hæc habet Trebellius Pollio. *Congiariis Pop. molliuit, Senatui ſportulam ſedens erogauit, Matronas ad Conſulatum ſuum rogauit: iiſdem manum ſibi oſculantibus quaternos aureos ſui nominis dedit. Quæ pecuniarum abundantiam arguebant.*

A vectigalibus remiſſis, aut imminutis.

Nulla re magis ſubditorum animos Princeps ſibi demeretur, quàm in tributis & vectigalibus ab eis exigendis, moderatione quadam, quæ regiis facultatibus ſic conſulit, vt populum ſupra vires grauari nō patiatur. Quid ſi vectigal, quod exigit, vt ab hoſtium incurſibus populū defendat, florentemque conſeruet, atque incolumem, Princeps, aut totum, aut ex parte remittat; quas gratiarum actiones non refert? quos plauſus? quàm feſtos dies agit? quas non preces, & vota, facit ad Deum pro Rege ſuo? quàm libenter pro eius incolumitate ſanguinem & vitam funderet? Altè quidem hæc animo regio bonus Princeps imbiberat Theodoricus, dum apud Caſſiodor. l. 2. epiſt. 25. in vectigalium exactores minus pios iraſcitur. *Deteſtamur miſeros premi, commouemur, & non querentium malis, velociuſque ad nos peruenit, quod diſſimulatio patientis abſcondit. Meritò quando cunctorum nos reſpiciunt auido ore læſiones. Dùm illud pietati noſtræ perire credimus, quod per mediocrium dāna ſentimus.* Quibus verbis iuſtè quidem & Principibus

beni

benignitatem in exigendis tributis, &c. ſubditis in illis exoluendis patientiam, & obedientiam ſuadet.

Adeo ſubditos ſuos tributis premi nolebat Rex vel hoc vno ſatis inclytus; pergit enim pari ſenſu pietatis, epiſt. 38. *Opes noſtras cupimus theſauro pietatis augeri, execrantes commoda quæ nobis vexatorum fuerint calamitatibus adquiſita, moleſta eſt illatio noſtræ clementiæ, quæ deſletur.* Vox plane regia! nam pio Principi non poſſunt non eſſe moleſtæ, graueſque ſuorum lachrymæ, qui de ſiccãdis illis natus videtur, & à Deo datus.

Beneficentiæ ſingularis argumentum eſt in Principe, ſi tributa Ciuitatibus non tantùm & oppidis, vbi neceſſitas cogit, ſed priuatis etiam debita remittat. Eſt inſignis quædam effigies Imperatoris Hadriani dextrâ facem accenſam verſantis, & carthas, ſiue ſchedulas incedentis, coram adſtantibus quatuor, & dextram in cœlum, quaſi in aliquid intenderent, leuantibus, cum epigrammate. Reliqua Vetera Hs. Novies Mill. Abolita & Sc. Quibus ſignificatur auri viginti duos milliones cum dimidio, ciuibus Romanis ab Hadriano remiſſos, ſyngraphis in Traiani foro combuſtis. De his Spartianus in Hadriano. *Statim curſum fiſcalem inſtituit, ne magiſtratus hoc onere grauaretur. Ad colligendam autem gratiam nihil prætermittens infinitam pecuniam, quæ fiſco debebatur priuatis debitoribus in vrbe, atque Italia, in Prouinciis verò etiam ex reliquis ingentes ſummas remiſit ſyngraphis etiam in foro Diui Traiani, quò magis ſecuritas omnibus roboraretur, incenſis.*

Commendationem meretur moderatio Principis, & temperantia quædam, in faciendis ſumptibus, quam virtutem Traianó cordi fuiſſe teſtatur Plinius; cùm enim magnam eius moderationem in longiſſimi itineris, pro bono publico confecti, ſumptibus celebraſſet, ad omnes Principes Orationem conuertit & illos admonet. *Adſueſcat Imperator cum imperio calculum ponere, ſic exeat, ſic redeat, tanquam rationem redditurus, edicat quid abſumpſerit, ita fiet, vt non abſumat, quod pudeat dicere.*

A conferendis Magiſtratibus.

Et in conferendis dignitatibus poteſt eſſe liberalitas aliqua, quæ laudem mereatur, ſi non amore quodam inimico, ſed iudicio ac mente talis eligatur, qui eximia morum probitate puritateque conſpicuus, pro ſuo iure ſedem illam honoris ſibi polliceri poſſit, Traianum Principem imitatus de quo Plinius. *Neminem in vſu habes niſi aut tibi aut patri, aut optimo cuiquam Principum delectum: ſtatimque hos ipſos quotidie deinde ita formas, vt ſe non tua fortuna, ſed ſua metiantur: & tanto magis digni, quibus honor omnis præſtetur à nobis quia non eſt neceſſe.*

Placet ad hanc rem quod habet Theodoricus qui Caſſiodorum ſibi deligens adminiſtrum dicebat, lib. 1. ep. 4. *Hos viros noſtra perſcrutatur intentio, vt morum theſauris gaudemus inuentis, in quibus velut figuratis honorum vultibus, clementia noſtræ ſerenitatis exprimitur.* Quam planè eligendi rationem confirmat idem lib. 9. ep. 22. cùm ait *Electio noſtra de meritis venit, & tantò quis regali animo proximatur, quantò bonis ſtudiis ſocietate coniungitur.* Et dum Eugenium admonet, l. 1. epiſt. 12. *Eſto innocentia templum, temperantia ſacrarium, arx iuſtitiæ: pio Principi ſub quodam ſacerdotio ſeruiatur.*

Sic honoris & magiſtratus appetentem monebat Mamertinus in Panegyrico Iuliani Imp. dicto. *Quiſquis capere magiſtratum voles, auri atque argenti negligens eſto, nullas oſtiatim potentium ædes obito, nullius pedes, nullius genua complectitor. Adhibeto tantum tibi gratuitas, & paratu facillimas comites Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam, atque Prudentiam, vltrò ad te Maximus Imperator accedet, & vt capeſſas Remp. flagitabit. Otioſo tibi atque alia curanti Prouinciæ, Præfectura faſces, ſella Curulis, atque inſignia omnia magiſtratuum preferentur.*

Ab Ædificiis.

Multa nouarum laudum argumenta deduci poſſunt ab ædificiis & vrbibus vel reparandis, vel de nouo excitandis, præſertim ex iis quæ Plutarchus in vita Periclis, de eius ædificiis Athenis conſtructis memorat, in quibus primum oſtendit vtilitatem communem infimæ plebis, quod inutilis ad reliqua multitudo ſic Ærarij fieret particeps, & exerceretur, ne otio diflueret, dum in in illis occupatur. Adde celerita

Mmmm rita

Digitized by Google

ritatem & durationem, quod quæ vix longo æuo abſoluenda videbantur, cuius adminiſtratione paucis annis perfecta fuerint. Eſt apud Dionem celebris Traiani commēdatio propter excitatum Pontem lapideum ſanè mirandum, ſuper Danubium. *Arduum,* inquit; *& maximè laborioſum fuit in ea fluminis parte Pontem ædificare.* Ex hoc ſanè ingens Traiani animus arguitur, atque adeò magis, quòd nullum commeandi vſum pons præbebat. Pilæ etiamnum extant, ceu in oſtentationem potentiæ, & Cæſaris opum fabricatæ. Simul etiam vt poſteris teſtatum maneret nihil eſſe quod hominum manu, & opibus Romani Imperij effici non poſſet; In antiquo marmore reliquit idem Imperator huius rei monumentum.

PROVIDENTIA AVGVSTI VERE
PONTIFICIS VIRTVS ROMANA
QVID NON DOMET? SVB IVGVM
ECCE RAPITVR ET DANVBIVS.

Noua laus erit, ſi fugiatur in his luxus, & tamen ſeruetur magnificentia, quam aſſignat Traiano Plin. *Tam parcus in ædificando, quam diligens in tuendo. Itaque non vt ante immanium tranſuectione Saxorum vobis tecta quatiuntur, ſtant ſecura domus, nec iam templa nutantia. Satis eſt nimiumque cùm ſucceſſeris frugaliſſimo Principi, magis reiicere aliquid, & amputare ex his quæ Princeps tanquam neceſſaria reliquit. At quàm magnificus in publicum es? Hinc porticus, inde delubra occulta celeritate properantur, vt non conſummata, ſed tantùm commutata videantur. Hinc immenſum latus Circi templorum pulchritudinem prouocat, digna populo Victore gentium ſedes, nec minus ipſa viſenda, quàm quæ ex illa ſpectabuntur.*

II *Quibus.*

Poſt rem datam occurrit perſona cui detur, ſiquidem in donando rationem perſonarum habendam eſſe vulgò ſapientes conſentiunt, vt largitas meritam laudem prædicationemque obtineat. Excipit quoſdam Tullius, aitque beneficentiæ fontes minimè patere omnibus oportere, non ingratis & maleficio aſſuetis, ne ſcelus illorum & inopia voluntas beneficiis alatur; tametſi neminem excipere videatur Seneca de benef. 4. cap. 25. *Si Deos imitaris, da etiam ingratis, nam & ſceleratis Sol oritur, & piratis maria patent:* Tamen impiis ac immerentibus nihil tribuendum, niſi ſperetur fore vt ea liberalitate, à flagitioſo vitæ genere, indigniſque facinoribus abducantur. Et de Chriſtiano lubet dicere quod idem de ſuo ſapiente libro de vita beata capite 23. *Donabit aut bonis, aut eis, quos facere poterit bonos.*

Bonis dandum.

Hæc igitur occurrunt laudanda; primò ſi bonis detur, & iuſta petentibus, non adulatoribus ac imprudenter iniuſta rogantibus. Sapienter ille dicebat homines parùm ſibi honeſtè videri florem ætatis collocaſſe, qui nihil denegare valerent, mala malè petentibus. Ad hoc loco mirabiliter Theodoſium commendat Latinus Pacatus. *Cùm leuiter cognitos, aut etiam ſemel viſos his honoribus ſimul ditas, quibus & amici poſſent eſſe contenti, nonne omnibus vis probare amicum tibi eſſe, qui bonus ſit? cuicumque quid publici mandatum fuerit officij, præmium ſpondetur & redditur. Tibi humilitatem & tenebras ſuas imputet iacens virtus, quæ non obtulit ſe probandam. Quod ſcientia tua ſufficit, honoratus eſt qui probatus.*

Afflictis.

Si miſeris & afflictis amicis, maximè verò ſi donis ſplendidiſſimis vſus dicatur, ſi & verbis conſoletur piè: atque hic quod olim vaticinatus eſt Heſiodus, oſtendar magnum quiddam eſſe miſericordiam cum Regno coniunctam, & omnes copias liberaliter ſuppeditare. Nihil magnificentius, illuſtrius nihil, quàm de miſeris benemereri, Tragicus in Med. Act. 2.

Confide regnis, cùm leuis magnas opes
Huc ferat & illuc caſus. Hoc Reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiet dies,
Prodeſſe miſeris, ſupplices fido lare
Protegere.

Contra nihil à Principis conditione magis alienum, quàm in illius oculis ſubditum fame aut alia quauis calamitate conflictari.

Ab omnib. vltima veneratione colendus Princeps

Digitized by Google

ceps qui ſplendorem ſuum contrahit, vt ſubditorum felicitatem augeat, & explicet, benè D. Ambroſ. 2. Offic, cap. 15. *Summa liberalitas captiuos redimere, reddere parentibus liberos, liberis parentes, ciues patriæ reſtituere. Videndus ille qui te non videt, requirendus ille qui erubeſcit videri, ille & clauſus in carcere occurrat tibi, ille affectus ægritudine mentem tuam perſonet, qui aures non poteſt:*

Certè beneficentia longè nobiliſſima eſt, quæ fit in pauperes; quam Chriſtianus Orator Lactãtius in momenta ſua retulit lib. 6. cap. 11. *Vnum certum & verum liberalitatis officium eſt egentes & inutiles adere. In cœleſtes rationes & acta Cœli, in album ipſum æternitatis referũtur hæc opera;* Quàm diuinè Rauennatum Antiſtes ſerm. 14. *In Cœlo prima eſt eſurientis Annona, prima ſtipendia pauperes tractantur in Cœlo, erogatio pauperis prima diuinis ſcribitur in diurnis.* Reperti ſunt magni viri non pauci, ſic ad benè de omnibus merendum proni, vt ſufficeret. ſi tantum egere quemquam ſcirent, de quibus id lubens dico, quod de magno Imperatore vir diſertus in Traiano Plinius. *Iam velox Cæſar, potentia tua eſt, tamq; in omnia pariter intenta bonitas, & accincta, vt triſtius aliquid ſæculo tuo paſſis ad remedium ſalutemq; ſufficiat, vt ſcias.*

Talem fuiſſe Patientem Lugdunenſem Præſulem accepimus, omni commendatione maiorem qui non ab alio, quàm ab ipſa bonitate animi ſui inuitatus, diligenter indagabat, ſi quis egeret: quem ea dè cauſa multis commendat Sidonius Apoll. lib. 6. epiſt. vltima *Prius ſoles indigentium cauſas reſpicere, quàm inſpicere perſonas. Nullus obeſt tenuitati, deuilitatiq; ſi te expetere non poſſit. Præuenis manibus illum, qui non valuerit ad te pedibus peruenire. Tranſit in alienas prouincias vigilantia tua, & in hoc cura tuæ latitudo diffunditur, vt longè poſitorum conſoletur anguſtias. Hinc fit vt ſæpè terſeris eorum lacrymas, quorum oculos non vidiſti.*

Benemeritis.

Nam vt rectè monet Eumenius Rhetor in Conſtantino. Vt omnes homines coram non indigentes iuuare boni Principis ſit, præcipuè tamen benemeritis & afflictis ſubuenire. Vnde Rex Theodoricus ſcitè apud Caſſiod. l. 1. ep 13. dicebat, *Dignitas dum ad incognitum venit, donum eſt; cùm ad expertum, compenſatio eſt meritorum: quorum alter debitor iudicij: alter obnoxius eſt fauori.*

Vt Reip. nihil vtilius, nihil ad eam ſtabiliendam opportunius eſſe poteſt, quam dignos ac benemeritos præficere prouinciis ſuis, ita nihil honorificẽtius Princeps fecerit ad muneium ſplendorem & dignitatem ſuam, quam ſi meritis illa largiatur. Benè Stobæus ſermone 44. ex Iamblico. Omne honorarium augetur, contemptum imminuitur, & hoc eſt ſignum clariſſimi imperij benè adminiſtrati, promouet enim ſubditos ad honeſta ſtudia, dum conuenientem ſingulis dignitatem attribuit. Non alia mente Symmachus l. 10 epiſt. 15. *Ornamentis bonorum incitatur imitatio, & virtutis æmulatio alitur exemplo honoris alieni.* Quid quod Princeps de omnibus bonis optimè meretur, cùm vnum aliquem benemerentem honore debito afficit. Siquidem & virtutem & merita illis omnibus communia cohoneſtat. Conſtantini Imperatoris vox eſt de Themiſtio ſingularis, Nullum beneficium cum ratione, & iudicio datum, illius tantum eſt, qui id accipit, ſed omnibus in vniuerſum tanquam præmium ſimilium laborum proponitur.

Non merentibus.

Quales ſubditis facit animos Princeps omnibus æqualis, dùm ſciunt non pro conditione ſua, quam in manibus non habent, ſiue pro fortunæ volubilis arbitrio, quæ vt *varia & libidinoſa mancipiorum ſuorum negligens domina & pœnis & muneribus errat,* inquit Seneca ad Marciam, ſed pro liberalitate Principis & clementia, ſe muneris aliquid accepturos? Id Principi monitum ſub lucis vmbra dabat olim Symmachus lib. 9. epiſt. 1. *Sicut omnibus in hac vita poſitis, ac locatis communis eſt cœli ſpiritus, lux diei: ita clementiam maximi Principis ſentiant vota, & facta cunctorum.* Idẽ ſuggerebat Traiano Plinius ſub imagine Solis. *Vt Sol dies non parte aliqua, ſed ſtatim totus, nec vni, aut alteri, ſed omnibus in commune profertur.*

Illud ipſum affert in laudem Iuliani Mamertinus, militiſque liberalitatem eius in omnes celebrat. *Habitari ab iuſtis viris terras in Oceano ferũt*

Digitized by Google

quas fortunatorum Inſolas vocant, quod per eas non aratro ſolo frumenta naſcuntur, fortuitis vitibus iuga collium veſtiuntur, ſponte pomis arbor grauatur, ad herbarum vicem olus vulgo eſt; quantula iſta ſunt, ſi Deum auctorem conſideres, munera? Nempe nobis quoque cùm agrum non noſtris manibus excolamus, hæc illaborata naſcuntur: quantò felicior noſtra conditio, quantò beatitudo præſtantior? Non ſpica triticea, non viles vuarum racemi: ſed opes atque diuitiæ: nihil laborantibus ingeruntur, Prouincia præfectura, faſces ſponte proueniunt.

Externis.

Laus creſcit ſi non in ciues tantùm & domeſticos, ſed in exteros etiam, atque remotiſſimos populos ſit liberalis. Quod Traianum fecit omnibus amabilem, de quo ſic Plin. *Quanta cura tibi fuit ne quis expers liberalitatis tuæ fieret? datum eſt his, qui poſt edictum tuum in locum eraſorum ſubditi fuerant æquatiq; ſunt cæteris illi etiam, quibus non erat permiſſum Negotiis aliquis, valetudine alius, hic mari, ille fluminibus diſtinebatur. Expectatum eſt, prouiſumque, ne quis æger, ne quis occupatus, ne quis denique longè fuiſſet, veniret quiſque, cùm poſſet. Magnificum Cæſar & tuum diſiunctiſſimas terras munificentia, ingenio velut admouere, immenſaque ſpatia liberalitate contrahere, intercedere caſibus, occurſare fortunæ, atque omni ope adniti, ne quis è plebe Rom. dante congiarium te, hominem magis ſentiret ſe fuiſſe, quàm ciuem.*

Non poſtulantibus.

Anteuertere verecundiam petentium laudabile eſt. Cteſibium ægrum, & pauperem viſitabat Arceſilaus, & clàm puluino ſacculum ſubiecit: quo inuento nihil minus cogitâti, Cteſibius ludus hic Arceſilai eſt, aiebat, voluit amico ſine probro, & pudore accipientis ſubuenire. Perfecta miſericordia eſt, vt antè occurratur eſurientibus, quàm roget mendicus D. Auguſt. homil. 19.

Magnificus hac in re, ſicut in cæteris Traianus Imp. *Aduentante Congiarij die obſeruare Principis egreſſum in publicum, inſidere examina infantum, futurusque populus ſolebat. Labor parentibus erat oſtentare paruulos, impoſitoſq; ceruicibus, adulantia verba, blandaſq; voces edocere: reddebant illi quæ monebantur, ac plerique irritis precibus ſurdas principis aures adſtrepebant: ignariq; quid rogaſſent quid non impetraſſent, donec planè ſcirent; differebantur. Tu ne rogari quidem ſuſtinuiſti; & quanquam lætiſſimis oculis tuis eſſes, conſpectu Romanæ ſobolis impleri: omnes tamen antequam te viderent, adirentur, recipi, indici iuſſiſti, vt iam inde ab infãtia parentem publicum munere educationis experirentur: creſcerent de tuo, qui creſcerent tibi, alimentiſque tuis ad ſtipendia tua peruenirent, tantumque omnes vni tibi, quantum parentibus ſuis quiſque deberet.*

Puerorum inſtitutioni.

In puerorum educatione liberali, liberalitas potiſſimum efflorеſcit: quam laudem eidem Imperatori tribuit laudatus Orator. *Rectè Cæſar quod ſpem Romani nominis ſumptibus tuis ſuſcipis. Nullum eſt enim magno Principe immortalitatemque merito impendij genus dignius, quàm quod erogatur in poſteros. Locupletes ad tollendos liberos ingentia præmia & pares pœna cohortantur, Pauperibus educandis vna ratio eſt bonus Princeps. Hic fiducia ſui procreatos, niſi larga manu fouet, auget, amplectitur occaſum imperij, occaſum Reipub. accelerat. Fruſtrà Princeps plebe neglecta, vt defectum corpore caput nutaturumque inſtabili pendere tuetur.*

Aeneficio affectis.

Laudem meretur aliquis, ſi eos amet, in quos eſt beneficus & liberalis, quo fuit animo Qu. Flaminius apud Plutarchum, quem adeò conſtanti beneficentia fuiſſe memorat, vt eos quibus benefeciſſet, non minus amare ſe diceret, quàm ſi de ſeipſo benemeriti fuiſſent, vt res chariſſimas amplexus fouenſque meritis ſuis obſtrictos. Hoc idem vrgeret apud Curtium lib. 6. n. 9. in illa verè regia & aurea concione quam habuit Alexander ad milites poſt Parmenionis, & Philotæ detectam in ſe coniurationem nefariam. *Animi pridem alienati à me, & inuidentis gloriæ meæ indicia quamdiu licuit in animo meo preſſi. Videbar enim partem viſcerum meorum abrumpere, ſi in quos tàm magna contuleram, viliores mihi facerem. Sed iam*

non

non verba punienda ſunt, linguæ temeritas peruenit ad gladios.

III. Quantum largiri conueniat.

In liberalitate debet adhiberi moderatio digna conſiderati hominis prudentia, ne alioqui ſit inconſulta largitio, quæ nec rationi conuenit, nec hominibus iudicio prędiis, ne Deo quidem probatur, qui non vult opes effundi, ſed diſpenſari: quorum alterum eſt inconſideratæ temeritatis, alterum maturæ prudentiæ. Tribuendum igitur *μετὰ τὴν ὐσίαν* pro facultatibus, & quantum res ipſa familiaris patitur, ad opum multitudinem attollendi ſunt oculos, indeque lumen hauriendum, ne plus erogetur, quàm domeſtica ratio poſtulet, aut ferre poſſit.

Largitatis duo ſunt genera, liberalitatis vnum. alterum prodigæ effuſionis. Liberalitas niſi adſit modus, in exitium vertitur Tacit. ann. lib. 19. Malè Nero, qui diuitiarum & pecuniæ fructum non alium putabat, quàm profuſionem Sueton. cap. 3. *Tenenda eſt ratio rei familiaris, quam quidem dilabi ſinere flagitioſum eſt, ſed ita vt illiberalitatis auaritiæq; abſit ſuſpicio: poſſe enim liberalitate vti, non ſpoliantem ſe patrimonio nimirum eſt pecuniæ fructus maximus.* Cic. Off. 2. Quid tàm indignum Principe, quàm vt totum tenens non ſit contentus toto, niſi minutias quaſquam atque exiguas portiones ſatagat quomodo adhuc facere ſuas. Diu. Thom. de regim, Princ. lib. 3. cap. 2. Fortiter Ladiſlaus Bohemię Rex ad ſuos, plus auri quàm veræ virtutis cupidos. *Ergo me opulentum magis, quàm pium, quàm iuſtum cupitis? at ego boni nomen cunctis diuitiis antepono.* Æneas Syluius lib. 3. cap. 15

Quid Tiberius? homo videlicet alienus ab auaritia, qui felicitatem in hoc vno reponebat, vt, floreret populus, & omnibus rebus abundaret ſommunem hominum felicitatem præclarum & inuiolatum theſaurum exiſtimans, ait Suidas in Tiberio. Tàm verum eſt quod ſapienter aſſerit Philo Iud, lib. de præm. & pœn. Tribus potiſſimum ſuſtineri Regnum Maieſtate, Grauitate, Beneficentiâ: Nam Majeſtas parit Reuerentiam, Grauitas, Metum, Beneficentia, Beneuolentiam & Amorem.

Scio quod ait Ariſt. Ethic. 4 liberales, qui virtutem non cupiditatem ſequuntur, regios quoſdam atque magnanimos *σφόδρα ὑπερβάλλειν ἐν τῇ δόσει* in donando valde excellere, fluuiorum inſtar munificentiæ ſtudio velut extra ripas diffluere, quod qui faciunt, parentis omnium Dei causâ iuuandorumque mortalium ad felicitatem ne illi clariſſimam hanc virtutem in ampliſſimo honoris perfectioniſque gradu collocant. Hoc expendunt Oratores in Panegyricis Orationibus & reliquis præſtitiſſe Imperatores ſuos contendunt. Diuinè ſuo Gratiano bene gratus & memor accepti beneficii Auſonius. *Quis vnquam Imperatorum hoc Prouinciis ſuis, aut vberiore indulgentia dedit, aut certiore ſecuritate proſpexit, aut prudentia conſultiore muniuit? fecerat & Traianus olim, ſed partibus retentis: non habebat tantam oblectationem concesſi debiti portio, quanta ſuberat amaritudo ſeruati. Et Antonius indulſerat, ſed imperii non beneficii ſucceſſor inuidit, qui ex documentis tabuliſq; populi cōdonata repetit: tu argumenta omnia flagitandi publicitùs ardere iuſſiſti. Videre in ſuis quaq; foris omnes Ciuitates conflagrationem ſalubris incendii. Ardebant ſtirpes fraudum veterum, ardebant ſeminaria futurarum. Quid te Imperator Auguſte indulgentius? quid poteſt eſſe conſultius? quæ bona præſtas; efficis ne caduca ſint: quæ mala adimis; proſpicis ne poſſint eſſe recidiua. Hæc Prouincialibus indulgentia bona: quid illa noſtro ordini: quid illa militibus Antoninorum comitas fuit. Et iam indè Germanicorum cohorti amicorum, & legionibus familiaris humanitas:*

Sed ego nolo beneuolentiam tuam aliorum collatione præcellere. Abundant in te ea bonitatis & virtutis exempla, quæ ſequi cupiat ventura poſteritas: & ſi rerum natura pateretur, adſcribi ſibi voluiſſet antiquitas. Neceſſe eſt tamen aliquid comparare, vt poſſit intelligi bona noſtra quo præſtēt. Ægrotantes amicos Traianus viſere ſolebat; hactenus in eo comitas prædicanda eſt: tu & viſere ſolitus, & mederi, præbes miniſtros, inſtruis cibos, fomenta diſpenſas, ſumptuûm adiicis medelarum: conſolaris affectos, reualeſcentibus gratularis: in quos vias de vna eius humanitate progrederis: legionib. vniuerſis, vt in cōmuni Marte euenit, ſi quid aduerſi acciderat, vidi te circumire tentória; Sacin ſalua, quærere: tractare vulnera ſauciorum, & vt ſalutifera apponerentur medela, atque vt non ceſſaretur, inſtare. Vidi quoſdam

Digitized by Google

aum faſtidientes cibum te commendante ſumpſiſſe audiui confirmantia ad ſalutem verba profari, occurrere deſideriis ſingulorum: huius ſarcinas mulas aulicis, veheretis ſpecialia iumenta præbere: illis miniſteria perditorum inſtaurare lixarum; aliorum egeſtatem tolerare ſumptu: horum nuditatem velare veſtitu: omnia agere indefeſſè, & benignè, pietate maxima, oſtentatione nulla, omnia præbere agris, nihil exprobare ſanatis.

Quod ſi nulla reperiant in terris Oratores, quibus Principum ſuorum liberalitatem adæquent, ad alia recurrunt, & ipſa natura cœloque liberaliores prædicant Egregiè Mamertinus beneficentiam Iuliani ſui hec commendat. *Ecquis Deus in anno multiplices fructus agro vni dedit? num quiſquam in eadem nouali, æſtate vna amplius quàm ſemel meſſuit? num cui vno Autumno, vnoque vineto vindemia triplex fluxit? vna certè vnius eſt hyemis oblimitas. Sed in noſtri Principis beneficiis miraculo caret multiplicata fœcunditas. Vt de optimis viris taceam, qui à priore in aliis proximum Autumnum fructus annorum multipliciter meſſuerunt, mihi certè tertia vnius anni vbertas eſt Conſulatus. Dein, cùm ager aſſiduitate fructuum in maciem decoquatur, Imperatoris noſtri poſterior liberalitas vincit priorem, nec fit effœta gignendo ſed per vices fructuum fæcundatur. Noua prorſus fuit honorum inſerendorum & inſperata congeſtio: nondum ſtatum ſuum ſyderum curricula mutauerant, iam princeps curſum dignitatis alterius commouebat, & iam tum Sol ab eorundem aſtrorum radiabat, iam Auguſtus tertia magiſtratus mei ſigna tranſcenderat.*

Modò fusè plus eos dediſſe dicunt, & voluiſſe, quàm alii auderent, aut ſperare, aut poſtulare. Hoc in Cõſtantino Auguſt. magnus Orator Eumenius agnoſcit & laudat, vbi poſtquam beneficia recenſuit, ſubdit. *Debita emiſſurus, quantum deberemus interrogaſti; quæ interrogatio manifeſta promiſſio fuit, Nam cùm is qui omnia poteſt, quid ſibi videatur, interrogat, non curioſè percontatur vt ſcias, ſed liberaliter cupit audire quantum remittat O nos vtrùmne verecundos dicam nimium, an ſatis gratos? qui reticuimus, haſimus, indulgentiæ tuæ amplè fluenti modum fecimus. Plus adhuc præſtare cupiebas, ſi auſi fuiſſemus expoſcere, &c.*

Magnificè Plinius Iun. ad Fabatum lib. 5. *Neſcit ſemel incitata liberalitas ſtare cuius pulchritudinem vſus ipſe commendas. Iſte Sol alter in terris Princeps liberalis; vt ille cunctis quæ luce colluſtrat ſua, nonnihil caloris impertit: ita Princeps debet omnes ſua dignari miſericordiâ, quos contuetur.* Pulchrè dictum à Philone: Beneficentia ſicut Luna, nunquam pulchrior apparet, quàm cùm plena eſt.

IV. Vnde.

Iam quæritur vndè dederit: nam vt dedecus eſt, & rapina vetus, ex alieno dare: ita de ſuo magna laus eſt. Singularis in eo fuit Traianus Imper. *Nihil magis in tua tota liberalitate laudauerim, quàm quod Congiarium das de tuo, alimenta de tuo, neque a te liberi Ciuium, vt ferarum catuli, ſanguine & cædibus nutriuntur, quodq; gratiſſimum eſt accipientibus, ſciunt dari ſibi, quod nemini eſt ereptum, locupletatiſq; tàm multis pauperiorem eſſe factum Principem tantum.* Quam ad Iuſtitiam liberalem, Cicero 1. Offi. *Qui aliis nocent, vt in alios liberales ſint, in eadem ſunt iniuſtitia, vt ſi in ſuam rem aliena conuertant.*

Hùc liberalitas Zenonis reuocanda eſt, qui prædia ſua, qui viridaria, cæteraque bona patere voluit omnibus, nullumque propterea cuſtodem his adhiberi iuſſit: pediſſequi cum nummis ad erogandum ſequebantur: ſi verò quem vidiſſet minus benè veſtitum, amictum ei, ſuum dabat; inuentos in foro pauperes quotidie vocabat ad cœnam, quin & vitâ functos ſumptibus propriis efferebat. Talis olim fuit vir pius Deus dedit nomine, opificio ſutor, cuius meminit cum ſumma laude Diuus Gregorius, vt noti ciuis Rom, ſibique vicini: hic cùm totam hebdomadam in opere ſuo perquàm aſſiduè poſuiſſet, diebus Sabbati quidquid lucri ſupereſſet, à tenui victu & veſtitu id omne in pauperes diſtribuebat. Non communis eſt ea liberalitas, quæ ſibi nihil reſeruat, vt benignè faciat aliis, Deique nun ẽ demereri poſſit. Pari in laude ſeruulus eiuſdem Diui Gregorii fuit, cenſu pauper, diues meritis, qui quidquid ex Eleemoſynis capere poterat, id totum in mendicos, ipſe mendicus erogabat.

V. Quo

V. Quomodo.

Hilariter & iucundè.

Videndum inſuper qua ratione dederit: Nam inter affectiones liberalitatis ponit Ariſt. 4. Ethicor.cap.1. vt fiat ἡδέως καὶ ἀλύπως prompta & iucunda animi voluntate, ſine vlla modeſtiæ ſignificatione: maiora ſiquidem illius beneficia ſunt, qui exiguum tribuit, ſed libenter, qui non voluntatem tantum iuuandi habuit, ſed cupiditatem, qui accipere ſe putauit beneficium, cùm daret. Vndè vir magnus Seneca libro de benef. capite 7. *Multo gratius venit quod facile, quàm quod plena manu datur.* Et certè plurimum commendat munus ipſa vultus & oris ſignificatio in donante, quæ prodat intimi animi affectum, ac beneuolentiæ ſtudium, quo iuuare cupit alios, & apud eos ponere beneficium aliquod.

Talem deſcribit Pompeium Plutarchus in eius vita. Oſtendebat in beneficiis dandis ſerenitatem, & grauitatem in accipiendis, eò nemo minus importunè rogabat, vel hilarius largiebatur roganti. Non alium facit Artaxerxem Perſarum Regem. Conſiſtebat, inquit, in accipienda gratia, ac ſi daret, quàm ſi acciperet hilarem ſe ac benignum in dando oſtendens, donum erat nullum, quod non illuſtri gratia exciperet. Cùm malum punicum neſcio quis grandius obtuliſſet; per Solem ait, vrbem, ſi puſilla data ſit, ex puſilla citò reddat amplam.

Promptè & celeriter.

Perdit quodammodo nomen ſuum gratia, quæ ab ingrato, & triſtiori animo venit; contra, vt Vates ingenioſus cecinit ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι, celeriter factæ gratiæ dulciores. Imò magni muneris loco habendam eſſe προθυμίαν promptitudinem in donando nemo non fatetur: quæ porro ſit communis hominum opinio, veteri etiam Prouerbio conſignata, ſcilicet eum qui citò dederit, bis dare. Proinde verus liberalis non diu patietur ab ſe beneficium peti, ne videatur potius emi, quàm dari; cùm è communi dicto, nulla res carius conſtet, quàm quæ precibus empta eſt, nam vt proprium eſt libenter facientis, citò facere; ita tardè velle, nolentis eſt. Hinc pronuntiatum nobile Senecæ 1. de Benef.cap.1. *Qui dat, ne tardè det, quia cùm in omni officio magni æſtimetur dantis voluntas, qui tardè fecit, diu noluit.*

Beneficio non mediocre momentum & pretium ab ipſa promptitudine accedit; præcipuum hoc beneficentiæ decus in Conſtantino commendat Orator Flauienſium nomine. Tam prompta eſt in te natura bonitatis, vt quod pia mente conceperas, ſtatim voce declarares: ſic ingenui largique fontes, vt vbique poſſint ire, feſtinant; ſic celeriter in terras cœlo miſſa perueniunt: ſic denique diuina illa mens, quæ totum hunc mundum gubernat, quidquid cogitauit, illud fecit.

Hoc idem argumentum amicæ voluntatis, & celeritatis amat in eodem Conſtantino Rhetor Eumenius. *Neſcis Imperator tua commendare beneficia, præſtanti celeritate tempus occupas optandi. Sedenim indulgentia celeritate viciſti Imp. ipſa clementia quibus annuam viuimus. Diu venturi hominis paratus optatur, diu vagitus inconditi loquuturam differunt vocem, diu fruges hyems cohibet, ver elicit, æſtas flore ſolidat, calor ematurat: tu nobis vitam pariter totam dediſti, tu fructus meritorum tuorum ſtatim nos metere, & inconditis referre iuſſiſti.*

Quoties votiua res repente contigit, pretium de ipſa temporis breuitate ſortitur: quis enim affectum deſiderij repentè ſuſpiciens, non auidè impetrata veneretur? Adhibitam verò muneribus artem difficultatis improbat Martialis.

Inquiris, dubitas, cunctaris têque diebus,
Méque decem crucias, iam rogo Phœbe, nega,

Quam & beneficij gratiæque tarditatem in Cinna reprehendit idem,

Primùm eſt vt præſtes, ſi quid te Cinna rogabo:
Illud deinde ſequens, vt cito Cinna neges.
Diligo præſtantem, non odi Cinna negantem;
Sed tu nec præſtas, nec citò Cinna negas.

Liberè non coactè.

Actum liberalitatis cum deliberata voluntatis ſignificatione elici debere, ſapienter pro more

more ſuo monet Seneca 6.de Benef.cap.7.*Si quis coactus aliquid boni fecit,quin nos non obliget,manifeſtius eſt,quàm vt vlla in hoc verba impendenda ſint.Beneficium nullum eſt,niſi quod ad nos primum aliqua cogitatio defert ; deindè amica & benigna. Itaque nec fluminibus gratias agimus, quamuis aut magna nauigia patiantur & ad ſubuehendas copias largo ac perenni alueo currant, aut piſcoſa & amœna pinguibus aruis interfluant. Neque ventus beneficium dat, licet lenis & ſecundus aſpiret. Nam qui beneficium mihi daturus eſt, debet non tantùm prodeſſe, ſed velle. Et quàm multos è periculo velocitas equi rapuit: nec arboribus. Et quàm multos æſtu laborantes ramorum texit opacitas ? Quid autem intereſt vtrum mihi qui neſcit, profuerit, an qui ſcire non potuit, cùm vtrique velle defuerit ?*

Vltrò & gratuitò.

Beneficium placet, ſi non animo difficili, moroſo, non iracundo conferatur, quod magis eſt eorum proprium, quos auaritia ferreis ſuis vinculis, atque ſæuo dominatu conſtringit, ſed non rogatus, imò liberè & vltrò detur. Nemo melius vno Seneca rem hanc apetit, lib. 2. de Benef. c. 2. *Moleſtum verbum eſt, oneroſum & demiſſo vultu dicendum;* ROGO. *huius facienda eſt gratia amico, & cuicumque quem amicum ſis promerendo facturus. Properet licet: ſerò beneficium dedit, qui roganti dedit. Ideo diuinanda cuiuſque voluntas, & cùm intellecta eſt, neceſſitate grauiſſima rogandi liberanda eſt. Illud beneficium iucundum, victurumque in animo ſcias, quod obuiam venit. Si non contingit præuenire plura rogantis verba intercidamus, ne rogati videamus, ſed certiores facti, ſtatim promittamus, facturoſque nos etiam antequam interpellarentur, ipſa feſtinatione approbemus.*

Hunc liberalem animum in Iuliano Imp. laudat Mamertinus Orator. *Nec ſanè mihi Conſul gratuitò factus viderer, ſi honorem precibus emiſſem. Miſerum enim & laborioſum ſubiiſſem, meliori ani parte tranſacta, tyrocinium rogandi. Neque enim exiſtimo moleſtius eſſe pecuniam, quàm preces frandare. Denique omnes in emendo videmus repenſandi fiducia magno & erecto animo aurum argentumque depromere: eos verò qui preces allegant, humiles atque demiſſos vix cunctabunda verba proferre, neque Orationem ſolùm inclinare, ſed totis corporibus in genua ſubmitti; prorſus vt ex animi ſententia loquar, maximo vendit beneficium, qui preces accipit.*

Ab inſperato denique beneficium augetur, quia magis oblectant nos ea, quæ præter ſpem eueniunt.

VI. Quo fine.

Extremum eſt in liberalitate, quo fine detur: vtputa ſi quis liberalis ſit, ſolo ductus amore honeſtatis, non vt dedecus extinguat, vel ſubditos placet. In Traiano Plinius hanc honeſtam largitionem prædicat. *Aliò me vocat numeroſa gloria tua: aliò autem, quaſi verò jam ſatis veneratus miratuſque ſim, quod tantam pecuniam profudiſti, non vt flagitij tui conſcius ab inſectatione eius auerteres famam: nec, vt triſtes hominum, mœſtoſque ſermones lætiore materia detineres. Nullam Congiario culpam, nullam alimentis crudelitatem redemiſti; nec tibi benefaciendi fuit cauſa, vt quæ malè feceras, impunè feciſſes. Amor impendio iſto non venia quæſita eſt; populuſque Rom. obligatus à tribunali tuo, non exoratus receſſit. Obtuliſti enim Congiarium gaudentibus gaudens, ſecuruſque ſecuris, quodque antea Principes ad odium ſui leniendum tumentibus Plebis animis obiectabant, id tu tam innocens populo dediſti, quàm populus accepit.*

I. Quoſdam reperias qui præ ſe ferant liberalitatem, verum ſpuriam & amiculo tectam alieno, vt theatralem illam Simiam, quæ laruâ veſtitúque virginem pulcherrimam, & elegantem mentiebatur.

Qui donant, ſed pauca, vt plurima recipiant, erogant minuta, vt corrogent grandia & pretioſa: fronte exporrecta & doloſa tribuunt, ſed vt tacitam auaritiam cupiditatemque expleant: Talium dona, non dona ſunt, ſed hamatilia, de quibus acutè Martialis, lib. 5. epigr. 18.

Imitantur hamos dona: namque quis neſcit
Auidum voratâ decipi Scarum muſcâ?

Vbi doloſas munerum & malas artes vocat, venatoreſque improbos, qui ſimulata benefici animi largitate, in fraudem inducunt alios.

Quam agendi rationem multis communem, vt minus honeſtam damnat Plinius Iunior, l. 9. epiſt. 30. dum arguit illos, qui non alio fine tribuunt.

buunt, quàm vt ex donatione quæſtum faciant. *Volo enim eum, qui ſit verè liberalis, tribuere patriæ, propinquis, affinibus, amicis, ſed amicis dico pauperibus: non vt iſti, qui iis potiſſimum donant, qui donare maximè poſſunt, quos ego viſcatis, hamatiſque muneribus, non ſua promere puto, ſed aliena corripere.* Hinc argutè Martialis l. 4.

Qui potes inſidias dona vocare tua.

Pulchrè nimirum inſidias hic, viſcata verò hamatáque munera vocat ille, quaſi hamo, aut viſco ad maiora capienda artificioſè, & inſidioſè inſtructa.

Non alij ſunt ab iſtis, qui munuſculis, & iucundarum rerum largitione circumſcribunt adoleſcentes, ac pupillos, ad quorum bona cupiditatis oculos adiiciunt, quos vt indignæ fraudis architectos & à præcellentium virorum humanitate alienos omni iure deſpui videmus, & communi odio dignos, quod ad ſordes animi inumbrandas, & cupiditatem obnubendam pulcherrimæ rei velo abutantur.

Hoc numero comprehenduntur, qui largitionibus vtuntur ad tenebras offundendas iudicibus, vt ſententias eripiant, non obſcuro iuſtitiæ probo, & iudiciorum infamia, cum lucro ſuo, & aliorum detrimento: nec non & illi qui munificentiam oſtentant ad ciuium ſuorum beneuolentiam emerendam, ad alliciendas voluntates, quò publicos honores, & magiſtratus poſſint adipiſci: hi quia donando, non aliorum bonum, ſed proprium atque ſuum intuentur, tantum abſunt à beneficentiæ luce, quantum ab ipſa honeſtate.

Gratuita liberalitas.

II. Si nulla ſpe retributionis & præmij beneficus ſit ac liberalis, laudandus cum Traiano. *Nihil largiatur Princeps, dum nihil auferat: non alat, dum non occidat: contra largiatur, & auferat, alat & occidat, ne ille tam breui tempore effecerit, vt omnes non poſterorum modò, ſed ſui parentumque pœniteat.*

Alter itaque næuus beneficæ donationis eſt, mercedis vel honoratæ famæ gloriæque fugacis aucupium: Nam videre licet pleroſque non tàm naturâ liberales, quàm inani gloria ductos, vt benefici videantur, facere multa, quæ ab oſtentatione magis, quàm à voluntate proficiſci videantur. Quæ ſimulatio benè Tullio Offic. 1. *Vanitati eſt coniunctior, quàm aut liberalitati, aut honeſtati.* Qui robuſtæ virtutis eſt, aut verè liberalis, non ſplendore volatico laudis percellitur, neque rumuſculis hominum paſcitur, ſed cum Clemente Alexan. conſcientia rectè factorum, & ipſius virtutis honeſtate contentus vanæ gloriæ dicit, ψευδῶς χαίρειν valetr falſa ſomnia.

In dandis beneficiis hanc regulam præſcribit Seneca lib. 2. cap. 11. *Nihil æquè in beneficio dando vitandum eſt, quàm ſuperbia. Quid opus arrogantiâ vultus? quid tumore verborum? ipſa res te extollit; detrahenda eſt inanis iactatio, res loquentur nobis tacentibus.*

Nihil elegantius, verius nihil illo Philonis lib. de Cherub. Nam ſi rectè conſideres inuenies quoſdam vendere magis, quàm donare, qui gratis largiri dicuntur: Qui enim dando captant laudem, aut honorem, dum quærunt ſibi reddi gratiam ſpecioſo donationis nomine venditionem prætexunt. *Periculoſum eſt enim ſibi placere, cui cauendum eſt ſuperbire*, ait ſanctus Auguſt. in Ioan. 38.

Quam ad rem opportunè loquutus mihi videtur Latinus Pacatus in Panegyrico Theodoſij. *Nullam maiorem crediderim eſſe Principum felicitatem, quàm feciſſe felicem. Itaque Imperatori propriam maieſtatem æſtimanti, non tam illud ſuum videri debet, quod abſtulit, quàm quod dedit. Nam cùm intra ipſum voluantur omnia, & vt ille qui cuncta ambit Oceanus, quas ſuggerit aquas terris, recipit è terris: Ita quidquid in Ciues manat à Principe, redundat in Principem.*

PVNCTVM V.

Laus à Munificentia.

MAgnificentia genus eſt quoddam eximiæ largitatis, vna virtus in omnibus, quæ mirificum ſplendorem habet, faciléque gratiam omnium, & amorem conciliat. Nobilium heroumque propria, qui diuinam in terris bonitatem & excellentiam propius referunt, atque

Digitized by Google

imitantur, vtpote animo liberali præditi, & præſtantia quadam humana omnia ſuperante; inſuper diuitiis affluentes, quas ad commune bonum, & ſæculorum ornamentum magnificè impendunt: in quo parentem Deum æmulantur, cuius in omnes bona ſunt communia, nec vllum eſſe vult ſuæ liberalitatis, ac munificentiæ exortem. Diſputat in hanc rem magnificè Diuus Cyprianus de Ope. & Elee. qui poſt hanc de bonitate Numinis ſententiam. Æqualiter dies illuminat, Sol radiat, imber rigat, ventus aſpirat, & ſtellarum ſplendor ac Lunæ communis eſt. Subdit illum videri ſimillimum, qui ſuas opes cum pluribus largè munificéque partitur. Qui dum largitionibus gratuitis communis ac iuſtus eſt, Dei patris imitator eſt. Quid enim beneficium dare? Deum imitari reſpondet Seneca de moribus Antiq. Et verò nihil tam honorificum Regibus imprimis atque glorioſum, quàm eſſe fontes & auctores publicæ felicitatis, quæ in omnes iucundiſſimè deriuatur. *Quid tam Regium quàm feciſſe felicem,* ait Caſſiodorus lib. 3.epiſt. 11 *Et eò vſque praſtare, quò ſe erectus ſtupeat atruiſſe? beneficia quippe ſunt qua regna ſublimant; & liberalitatis Dominus iugiter poteſt creſcere, ſi tibi ſubiectos ſtudeat ampliare.*

Qui verò magnam habet cum libertate Munificentia ſimilitudinem, dicendum dumtaxat eam eſſe virtutem, quæ magnis in rebus, magnos & decoros ſumptus præſcribit: Magnitudo verò in expenſis & operibus cernitur, quæ videlicet ornatu ſuo ſplendorem habeant magnum vnde laus, hominumque fama, & admiratio naſcitur. Quod enim magnificum idem, & admirabile eſt.

Tria porrò ſunt operum ac ſumptuum genera, quæ laudem, & omnium approbationem mereantur. Sacra, quæ maiorem longe ſplendorem requirunt: publica, quæ magnifica; priuata, quæ honeſta ſunt & vtilia.

Sacra.

Communem mundi parentem, & auguſtum Numen religionemque reſpiciunt: donaria in templis dicata, materia vel opificio mirifica, ſacrarum ædium conſtructiones, ſacrificia, ſupplicationum illuſtres pompæ & quæcumque ad diuinum cultum referuntur: quæ verò fiunt in his operibus impenſæ dicuntur τίμιαι amplæ, honoratæ, quæ Principes maximè viros, & in rerum abundantia viuentes decent. Quo in genere omnibus retro ſeculis magni Reges & Dynaſtæ clariſſimi reperti ſunt, qui præſtare vellent. ſiue in eo gloriæ fugientis vmbram, nominiſque famam quærerent, ſeu colendi Numinis ſtudio, & religione ducerentur. In priſca religione bene-fortunatos ſe putabant Aſiæ Reges, ſi ad Epheſinæ Dianæ templum cohoneſtandum, magno ſumptu & opere viſendo, vel columnam vnam adieciſſent.

Is fuit Domitianus, vt crudelitatem ſuam ſub munificentiæ laude, ſimulatæque pietatis vmbra latere voluerit. Nummus eius eſt in quo templum pulcherrimum, & in eius meditullio Numinis cuiuſdam Icon ſedens habetur. In templi aditu hinc & hinc ſigilla quædam, ſeu Icunculæ cum ſolemni vtroque elemento S. C. Hæc autem ab auctoribus paſſim de templis, quæ ille Princeps ædificari curauit, accipiuntur, quorum meminit Tranquillus capite quarto. *Nouam autem excitauit ædem in Capitolio cuſtodi Ioui & forum quod nunc Nerua vocatur. Item Flauia gentis templum, & ſtadium, & Methodium, & Naumachiam è cuius poſtea lapide maximus Circus deuſtis vtrimque lateribus exſtructus eſt.*

Sed & obſeruanda quæ prius dixerat idem. Plurima & ampliſſima opera incendio abſumpta reſtituit, in queis erat & Capitolium, quod rurſus arſerat, ſed omnia ſub titulo tantùm ſuo ac ſine vlla priſtini auctoris memoria.

Cuius ædificandi cupiditas carpitur à Plutarcho, quod non religione ductus, aut vlla pietate, templa; ſacraſque ædes, publicaque opera fieri iuberet; cuius item Sextus Aurelius meminit; ita ſcribens. *Roma multa ædificia vel cœpta, vel à fundamentis conſtruxit.* Laudatur autem pluribus à Martiale ſemper ad aſſentationem erudito, libro 9.

Quantum iam ſuperis Caſar, cœloque dediſti
Si repetas, & ſi creditor eſſe velis,

Grandis

Digitized by Google

Grandis in ætherio licèt auctio fiat Olympo,
Coganturq́; Dei vendere quodquid habent.
Conturbabit Atlas, & non erit vncia tota
Decidat tecum quã pater ipſe Deûm.
Pro Capitolinis quid enim tibi ſoluere templis,
Quid pro Tarpeia frondis honore poteſt?
Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis,
Pallada prætereo? res agit illa tuas.
Quid loquar Alcidem, Phœbumque pioſque Laconas,
Addita quid Latio flauia templa polo?
Expectes & ſuſtineas Auguſte neceſſe eſt:
Nam tibi quod ſoluat, non habet arca Iouis.

Qui verſus ædificia longè plura docent ab ipſo Domitiano conſtructa, quàm quæ ab hiſtoriis recenſentur.

Sumptus ſanè qui ſincero pietatis amore fiunt merita laude celebrantur, ſi ad vnius Dei veri cultum, & honorem impendantur. Hinc Iamblicus in Philoſophia nobilis, excellentium hominum liberalitatem vocat imperii coronam, vt inſigne cultus nobilitatis, vt ſpecimen glorioſi Principatus, vt regalem notam animi auguſtè dominantis. Longum eſſet hîc mirari ſtudium Regum, ac Principum noſtrorum in ea re plane magnificum & Chriſtianum: qui ſanctiſſimas Principis Dei baſilicas, longè domibus & palatiis ſuis, ad ſpeciem & pompam ornatiores, elegantioreſque voluerunt.

Publica.

Ea vocantur quæ ad commune bonum, & ciuium, aut patriæ vtilitatem, atque decus pertinent; qualia ſunt vrbium molitiones, inſtaurationes magnificæ, ſtratæ viæ, porticus, aquæ ductus, Muri, Naualia, Congiaria, Epulum. Donationes, & alia quibus viri clariſſimi ad poſteros nominis ſui famam gloriamque propagarunt. Dùm Alexandria ſtabit, effectorem ſuum, ac velut parentem Alexandrum loquetur. Appius Claudius non tam Populo Rom. carus fuit ob præſtantem ſapientiam, & conſilii vim, nec ob vetuſtam familiæ generiſque nobilitatem, quàm propter viam ſtratam, quæ veterum ſcriptorum monumentis, de ſuo nomine celebratur. Nec tàm eruditione clarus Antoninus philoſophus, quàm munificentià ſingulari fuit, de quo Capitolinus. *Italicis ciuitatibus famis tempore frumentum ex vrbe donauit; vias etiam vrbis atque itinerum diligentiſſimè curauit.* Hùc ſpectat illud numiſma in quo ſedent in ſellis Imperatores, & ciuibus Congiarium dari curant, cuius in ima parte legitur LIBERALITAS AVG. III. Primũ Congiarium à Marco datum populo fuit, quando Commodum filium, virilem togam ſumere voluit: ſecundum quando ei tribunitiam poteſtatem procurauit, tunc enim Collegam habuit in ea dignitate: Tertium cùm eius nuptias celebrauit.

Quæ munificentia tanti fuit vt propter illam etiam Imperatores Dii & dicti & habenti fuerint. Statius 1. Syluar. aſſentatione multa compellit Domitianum, populum imbre aureo perpluentem.

Ducat nubila Iupiter per orbem,
Et latis pluuias minetur agris,
Dùm noſtri Iouis hi ferantur imbres.

Hæc autem opera publica quæ magnificentiam oſtentant, tres habere notas oportet, vt plena commendatione digna cenſeantur: nimirum vt honeſta ſint, vtilia, diuturna: ſi deſit honeſtas, & aurea iudicii ſtatera, nulla virtus conſiſtet. Magnificentia conſiderata ſit & prudens, quam inanis animi perturbatio dedecorat; ſi feratur in profuſione malè ſanam, vt in præcipitium, cui poſteritas illudat. Quam laudem meritus eſt Verus Imp. quod equo ſuo volucri morte extincto, ſepulchrum in Vaticano, & autem ſimulacrum regio ſumptu fecerit? hoc magnificentiæ genus meritò fuit à ſapientibus & damnatum & irriſum, qui potius imminutæ mentis, & impotentis affectionis eſſe dixerunt, quam gloriam conſequutus eſt Adrianus, quod dilectis canibus qui viuere deſiiſſent tumulos regales, atque magnificos inſtruxerit: Ineptus fuit, non magnificus. Quis Hortenſium in eo munificum dicat & non luxurioſum, ac diuitiis abutentem, qui platanos ſuas vino irrigabat? quem morem ad Sybaritas longè melius retuliſſet. Limites igitur honeſti circumponat, qui magnificus audiri velit.

Digitized by Google

Vtilia.

Illa eadem opera debent eſſe vtilia in commune: Neque verò magnificentiæ nomen meretur, aut virtutis, quod eſt inutile, ac propè dicam in hominum genus contumelioſum, dum præterit, & leuioris dumtaxat, errantiſq; animi ſpecimen relinquit. Quàm multos in Chriſtiana luce reperias opulentos & diuites, qui ſuas opes conferant ad inanem quandam largitatis inutilis, ac ſtultæ munificentiæ pompam, quæ multis prodeſſe potuiſſent? quot modi ſuppetunt, ac rationes, quibus locupletes, & fortunis melioribus viri, magno aliorum bono, clariſſimáque nominis ſui gloria ſumptus faciant, & magnificentiæ luce decorentur? hic Xenodochium aut de nouo excitat, aut vetuſtum attributis poſſeſſionibus & pecuniâ ſubleuat, quo puerorum, puellarumque greges ad honeſtam vitæ rationem educantur. Ille multis grauibuſque impenſis ingenuorum adoleſcentum ſeminaria fundat, qui liberalibus ſtudiis eruditi non modò ſibi, ſed etiam Eccleſiæ laboranti prodeſſe poſſint, & communem pietatem illuſtrare. Alii quotannis eximia liberalitate virginibus ob rei domeſticæ tenuitatem impudicitiæ deuotis, dotem aſſignant. Hæc opera munificentiæ laudem, beneuolentiam, cœlum merentur.

Diuturna.

Non exiguus ſplendor accedet ad magnificentiæ laudem illuſtrandam operum longa duratio. Templa ſunt & auguſta Numini ſacratia, quæ ad Diuûm cultum, honoremque exædificantur. Addi poſſunt & mœnia Ciuitatis diuitum largitate conſtructa, quæ luctari cum æuo ipſe videantur. Melius qui monaſteria virtutum officinas, ac religionis ampla quidem & dotata magnificè, conſtruunt, in quibus amici Deo vitæ ſanctimoniâ mirabiles, precibus ac votis Numinis iram auertant, ſi quãdo ad hominum ſcelus vindicandum, puniendum que incumbat. Collegia ſunt ad erudiendam iuuentutem opportuna, florentes Academiæ, quas Principes, Reges ac Magiſtratus inſtituere ſummę laudi eſſe crediderunt, dum bene-moratos haberes ciues, & prudentiâ nobilitatos cupierunt, vt non ſine cauſa Gymnaſiorum ſcholas Rhetor Eumenius, *Templa imperatoriarum gloriarum nuncuparit.* Illos licet munificentiæ laude viros illuſtres, vt Conſtantinum olim Aurelius victor, *nutritores bonarum artium* dicere, qui de communi re bene-mereri poſſunt, & æternum cælo decus adipiſci.

PVNCTVM VI.

Laus à Pudicitia & Caſtitate.

Temperantiæ pars eſt corporis, & animi caſtimonia, quâ neſcio an vlla maior, & præſtabilior ſit virtus, hanc iam indè ab initio mundi totus orbis terrarum ſuſpexit, & propè dicam, adorauit, vt rem ſacram, & Deo dignam. Yndè illud profani vatis oraculum ſacro dignum.

Caſta placent ſuperis.

Quanta ſit pudicitiæ dignitas atque præſtantia, vel ex hoc poteſt intelligi, quòd peſſimi Dæmonis hoc ſtudium eſt, & quotidiana cura noſtram vt carnem contaminet, cuius impia poſtmodum & infanda contagione anima ipſa maculetur. *Ille*, verba ſunt D. Chryſologi Serm. 12. *In hoc vehementer laborat, vt corpus animi domicilium, anima vas, murum ſpiritus, virtutum ſcholam, Dei templum, in ſcenam criminum, in vitiorum pompam, voluptatum redigat in theatrum.* Illius pretium ſatis indicat ſapientis dictum. *Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ*, Eccl: 26.

Caſtitatem eſſe propriam Principis virtutem, & regia dignam maieſtate ſuggerit Zeno de Ioſeph Ægypti Imperium adepto loquens, quem pudoris Regem nominat. *Rex iure ſecundus factus eſt Regni, qui inſignis Rex erat ante pudoris.* Vt non niſi caſto coronam, & puro capiti imponendam cenſeat Chryſoſtomus in hunc modum Hom. 9. in 1. ad Timotheum. Idcirco quippe coronæ imponuntur capiti, vt victoriæ ſigna ſint. Quid ſi libidine ſuperatus quiſquam ſeipſum

ſeipſum ſcortis addixerit, cuius iam rei gratia coronatus incedat: qui tàm fœde libidini colla ſubdiderit; Lactantius verò lib. 6. Inſtitut. cap. 21. Virtutem Dei nominat, quaſi in caſtitate ſuam Deus faciem peculiariter oſtendat, eaque gaudeat, atque glorietur. Qua ſi faſtigium eſt, omniumque conſummatio virtutum, ad quam ſi quis eniti, & eluctari potuerit, hic erit conſimilis Deo, qui virtutem Dei cœpit.

In adoleſcente & pulchro.

Verùm vt illud quod eſt proprium noſtræ inuentionis attingamus, ſingularis ab hac virtute laudes duci poſſunt; quarum prima eſt in adoleſcente, quæ virtus tantò videtur illuſtrior, quò magis in illo flexu ætatis lubrica eſt, & in vitium flecti facilis. Quare meritò celebrat Ariſtides Æteoneum iuuenem in Oratione funebri, quòd quæ alij eius ætatis, noctes dieſque per luſū ſolent ardentius conſectari, pro fabulis & nugis adoleſcenti compoſito, benéque morato eſſent. Nam ex mulieribus ſola viuebat cum illo mater vt ex pueris frater, & amicorum ij, cum quibus erat ſtudiorum, & litterarum commercium, inter quos ille facilè eminebat. ἄγαλμα δ' ἄντις ἔφησα, τῆς αἰδοῦς αὐτὸν ἦν. φθεγξάμενος πολλὰ, σιωπᾶν ἐξήρκει. εἰ δέ τι φθέγξοιτο φλέγεσθαι. οὔκουν ἄλλως γ' ἂν ἤκουσας αὐτοῦ φωνήν. ἀλλὰ χείλη ἢ ἐρυθρὶ ἐσαυτὰ ἐπαινῶν, ἢ εἰπόντα ἐρυθριᾶν. οὕτως ἀθέατος καὶ ἀνήκοος καὶ ἄπειρος ἁπάντων τῶν αἰσχίστων διεβίω. Omninò pudoris eum dixiſſes eſſe ſimulacrum, cùm & plerumque caret, nec niſi erubeſcens loqueretur: nec enim aliàs vnquam vox eius audiebatur, quin vel cum verbis erubeſceret. Quid ſi cum pulchritudine coniuncta ſit caſtitas? quanta meritorum ſeges & laudum materia; nam quò maior eſt illa lis, quæ cum forma eſt pudicitiæ, eò preſtantior inde laus exſurgit.

In fortunato.

Magnam commendationem meretur quiſquis extra Matrimonium, quocumque in ætatis gradu, à voluptatum illecebris, ſeſe continet, potiſſimùm in ampla fortuna collocatus, cui quod libet, licet. Hæc illa laus eſt, quam Conſtātino tribuit Nazarius. *Iam illa vix audeo de tanto Principe commemorare, quòd nullam matronarum cui forma emendatior fuerit, boni ſui piguit, cùm ſub abſtinentiſſimo Imperatore ſpecies luculenta, non incitatrix licentiæ eſſet, ſed pudoris ornatrix.* Quæ ſine dubio magna, ſeu potius diuina laudatio, ſæpè in ipſis etiam Philoſophis, non tàm re exhibita, quàm diſputatione iactata. Sed remittamus hoc Principi noſtro, qui temperantiam omnibus ita ingenerare cupit, vt eam non ad virtutum ſuarum decus adſcribendam, ſed ad naturæ ipſius honeſtatem referendam arbitremur.

Oculorum modeſtia.

Alia commendatio ſumitur â cuſtode virtutis eius modeſtia, quâ caſtus mulieterularum curioſum conſpectum fugit, ac lubricam ſocietatem: quo in genere mirari licet Alexandrum, vel in hoc certè magnum, & omni victoria triumphiſque maiorem, qui ad Parmenionem epiſtola, hęc de ſe glorioſè prædicat. *Ego non ſolùm non vidiſſe inueniar Darij vxorem, aut videre cogitaſſe, ſed nec verba de eius forma facientes audire ſuſtinuiſſe.* Timebat Rex Sapiens ſibi quod Cyrus olim timere ſe dixit, inuitatus ab Araſpo, ad formoſiſſimā contemplandam: ob iſtud, inquit, ipſum maius eſt, vt abſtineam. Etenim, ſi nunc illam adiero, cùm vacat, fortè efficiet, vt adeam etiam cùm nō vacat, eique molliter aſſideam neglectis ſeriis. Idem de Scipione dicendum magna cura puellas egregia formâ tanquam Syranes caſtitatiſque ſcopulos deuitante. Oculos cor nefariè ſequi ſolet, ait Nazianz. proinde caue ne te pulchræ, & elegantis formæ cupiditas ſuperet, ac ne ad leuem quidem fortuitumq; ſi fieri poteſt, aſpectum palpebræ te tranſuerſum agant. Quod quidem aſſequeris ſi Æuam animo tuo propoſueris, dulcem illam illecebram, carum venenum; quonā enim modo aliena atque externa tibi ſaluti erit, quem ſua perdidit; Pergit monere Nanianz. idem *Nemo cum ſerpente ſecurus ludit, nemo cum Diabolo iocatur impune.* Chryſolog. 155.

In nummis Herenniæ Etruſcillæ Traiani filiæ ſcriptū eſt PVDICITIA AVG. ibi pingitur Dea pudicitia haſtam puram tenens Deorum more,

& nunc dextram ori admouens (quòd ſilentium etiam pudicis mulieribus & ornamento, & adiumento) mox peplo (velans faciem), quia quæ omnium oculis obſeruantur, minimè ſua in tuto caſtimoniam retinere creduntur. Inde ſtatuam pudoris dum Emblema comminiſcitur Alciatus hæc de Penelope ſcribit, quæ ſolitaria potius elegit in Ithaca propter maritum manere, quàm ob Icarium patrem, apud quem peramanter & honorificè fuiſſet, Spartam retinere.

Penelope deſponſa ſequi cupiebat Vliſſem,
Ni ſecum Icarius mallet habere pater:
Ille Ithacam, hic offert Spartam, manet anxia Virgo;
Hinc pater, inde viri mutuus vrget amor.
Ergo ſedens velat vultus, obnubit ocellos,
Iſta verecundi ſigna pudoris erant.

Apud Chriſtianos mos iſte potiſſimum inualuit, ſi Tertulliano credimus lib. 16. qui totus eſt de velandis virginibus *Sed enim vera & tota, & pura virginitas nihil magis timet quàm ſemetipſam etiam fœminarum oculos pati non vult, alios ipſa oculos habet: confugit ad velamen capitis, quaſi ad galeam, quaſi ad clypeum, qui bonum ſuum protegat aduerſus ictus tentationum, aduerſus iacula ſcandalorum, aduerſus ſuſpiciones & ſuſurros & amulationem, ipſum quoque liuorem.* de His prudentius pariter 2. contra Symmachum.

Sunt & Virginibus pulcherrima præmia noſtris
Et pudor, & ſancto tectus velamine vultus.

Quot in hoc infido mari voluptatum fœda naufragia paſſi ſunt: Exploratum illud eſt in Hercule quem θεῖον ῥώμην diuinum quoddam robur, & egregiam altitudinem animi inter homines nactum ſcimus ex fabulis. Is ab Omphale ore blando, vibrantibus oculis, emollito ſermone, & totius corporis motu delicatiſſima teneritudine ſoluta, fœdum in morem vinculis aureis irretitus eſt, dum linum carpſit, & non tam colum & filum heræ ſuæ, quàm æternum ſibi dedecus perneuit. Qui Buſiridem in Ægypto ferocientem, Anteum in Mauritania inuictum, in Hiſpania Geryonem, in Thracia Diomedum ſuperauerat, qui Cerberum, Hydraſq; domuerat, vno mulieris alloquio fractus, vno iactu oculorum victus, virtutis omnem memoriam abiecit, vt ſeruiret libidini fœdam ſeruitutem.

Fuga victrix.

Ad hos Syrenum & voluptatis ſcopulos Dauid decem millium victor animoſus, qui non homines modò, ſed Leones & Vrſos inaudito robore confecerat, naufragium eſt paſſus; quāta ſeges laudum, & meſſis erit ei qui ſeruandæ puritatis ſtudioſus puellarum commercium fugerit & corruptos corruptoreſque, vt caſtitatis hoſtes auerſabitur. Fugiet quidem, ſed brauium, non certabit, & triumphum merebitur, cedet, ne cadat. De libidinis certamine dici meritò poteſt, quod de Cannenſi pugna memorauit Plinius, vnde fugiſſe ſummum opus virtutis fuit: Quod æquius de ijs dicetur, qui virtutis & innocentiæ retinendæ causâ fugiunt. Quæ fuga trames eſt innocētiæ, pietatis aſſumptio, via virtutis. In eos bellè cadit, quos laudat Chryſologus ſerm. 150. *Bellicoſus, ait, quod in bello fugis, artis eſt, non timoris; illic ſemina ſæpè iaciuntur palmarum illuſtrium, at felicitatis.* Vellem omnes cum Ænea μήστωρας φόβοιο. peritos fugiendi, vel cum Ioſepho potius.

In Matrimonio adoleſcente.

In argumentum pudicitiæ ſumi poteſt in coniugatis vſus Matrimonij, quod in Maxim & Cōſtant. celebrat Orator bonus, quod adhuc adoleſcens Max. filiam Fauſtam vxorem duxiſſet. *Neque fortuna tantum in te patris Conſtantine, ſed etiam Continentia, Fortitudo, Iuſtitia, Temperantia ſeſe votis gentium præſentant. Quo enim magis Continentiam patris æquare potuiſti, quàm quod te ab ipſo fine pueritiæ illicò matrimonij legibus tradidiſti, vt primo ingreſſu adoleſcentiæ, formares animum maritalem, nihil de vagis cupiditatibus, nihil de conceſſis ætati voluptatibus in hoc ſacrum pectus admitteres? Nouum iam tùm miraculum iuuenis exorius, ſed, vt res eſt mente præſaga omnibus te verecundiæ obſeruationibus imbuebas, talem poſtea ducturus vxorem.*

In Coniugio ſancto.

Laudatur Coniugium ſi ſanctum ſit, & ſacrum pudicitiæ legibus: quā in rem Auſonius paucis,

ſed

ſed reipſa cuncta Gratiano tribuit. *In cibis, cuius Sacerdotis abſtinentior cerimonia? in vino cuius ſenis menſa frugalior? Operto Conclauis tui, non ſanctior ara Veſtalis, non Pontificis cubile caſtius, nec puluinar Flaminis tam pudicum.*

In Cœlibe.

Quid qui vitam Cœlibem agit illibatæ pudicitiæ legib. ſancitam, & ab omnibus voluptatum blandimentis ſeiunctam: laus eò maior, quò rarior. Quàm enim pauci, quos æquus amauit CHRISTVS primus doctor Caſtitatis (quem Epiphanius vocat νυμφίον τῆς ἀφθαρσίας, Sponſum incorruptionis) qui & illam colant, & pro eadem conſeruanda faciant, quod Etruſcus ille Iuuenis, de quo Mamertinus in Panegyrico Iu. Imper. *Nobilem Etruriæ adoleſcentem ferunt, cùm propter eximiam formæ dignitatem multarum in ſe fœminarum amores excitaret, faciem ſuam ad obliterandam pulchritudinem vulneribus fauciaſſe. Sed facilè fuit iuueni dignitati corporis decorem animi præponere, & candorem decolorare, & oris nitorem altè impreſſis cicatricibus dehoneſtare.*

Cuſtodes Caſtitatis.

Res delicata proinde curam ingentem in tuendo tam eximio bono poſtulat ab vnoquoque: inſidiantur ſiquidem multi, in tantæ virtutis perniciem coniurati. Vnde ſibi nimium blanditur, qui ſe putat in hoc tanto tam perpetuo ac domeſtico periculo ſine ſollicita diligentia fore victorem. Verè dicam ſemper in medio, ac multiplici præliorum diſcrimine verſamur, & grauem caſtitas ſortita eſt inimicum, qui quotidie vincitur, & timetur quem tamen cum Deo ſuperabit, quiſquis materiæ flammam ſubtrahet, libidiniſque fomitem abſumet, idque ſi non ſe cupidiùs in luxum deliciaſque ingurgitet, ſi lautitias reſpuat, ac nimiam molliciem, ſi cupiditatem immoderatam comprimat: ſi aliquo pœnitentiæ genere ſibi dolorem inferat, Deum adeat, & precibus aſſiduis interpellet Regem caſtitatis, ac in ſinum magnæ Matris Virginumque Reginæ confugiat, Sacramentorum denique vſum adhibeat in tutelam. Si cum ſceleratis nullam ſocietatem ineat, ſi non minus illos ſeuero vultu, quàm verborum aculeis verberet, qui dicto vel facto pudorem lædunt. Vno verbo cum Seneca epiſt. 72. *Principiis illorum obſtemus, melius non incipient, quàm deſinent.*

Puritatis amantiſſimus ſenſus omnes, vt caſtimoniæ proditores, ad modeſtiam componet, atque occludet tanquam fores, per quas ſæpe mors aſcendit & ingreditur. Nihil patietur in ædibus & cubiculis, quod caſtitatis amantes oculos offendat, procul amandabit turpes hiſtorias picturis illuminatas, vel filis in periſtromatis illuſas, quæ cupidines euentilant, & impuritatis aculeos in animo defigunt; Turpia minorum ſpectacula. comœdiarumque, in quibus fit pudoris ſalutiſque naufragium, vitabit, nec audiet: in illis ſiquidem, vt grauiter monet Minutus felix, *Eneruis hiſtrio amorem dum fingit, infligit.* Procul ab oculis, & à manibus eſſe iubebat, vt inauſpicatum quoddam omen & funeſtum, Poëtas nugarum pleniſſimos, qui amatoria ex profeſſo cecinerunt. Sint illi fortè eloquentes, & ingenioſi, molliterque faceti, & ſubtili nequitia blandi, eò certè fugiendi ſtudioſius, quò venenum artificioſius propinant. Sic coronam Liliis cœleſtibus contextam component, plectentque in cœlis puriſſimæ mentes illis, qui puritatem, quam amant, fuerint æmulati.

PVNCTVM VII.

Laus ab animi magnitudine, ſeu à Fortitudine, Patientia & Conſtantia.

MVltis in locis docet Romanus ſapiens quid ſit animi magnitudine intelligendum, cùm ait magni animi eſſe magna contemnere, iniuriis non ſe ſentire perculſum, nihil accidere poſſe, quo inſtigetur: placidum eum eſſe qui dicat, nihil mihi tecum fortuna: Ex quibus clarum eſt animi magnitudinem quatuor omninò complecti virtutes, Altitudinem animi, Fortitudinem, Patientiam, & Conſtantiam, ex quibus laus colligitur.

Animi

Digitized by Google

Animi Celſitas.

In animi magnitudine laudamus rerum ſublimium, & honeſtarum appetitum, famæ ſcilicet, immortalitatis, & gloriæ. Quo animo qui præditus eſt, nihil paruum molitur, infra ſe poſita facilè contemnit honeſti deſiderio. Sic enim Polybius dicit argentum eſſe communem hominum poſſeſſionem, at honeſtum, & ex eo laudem Deorum eſſe, aut eorum, qui Diis proximè cenſentur. Talis fuiſſe creditur Pompeius alta ſanè mente præditus, qui terrena pro nihilo habuit, vt veram ſolidamque gloriam mereretur. *Vir altus & excellens omnia, quæ in hominem cadere poſſunt, deſpicit*, ait Tull. 3. de finib.

Hanc animi firmitudinem miratur in Traiano Plin. *Non verò laudauerim magnopere duritiem corporis ac lacertorum, ſed ſi is validior toto corpore animus imperitet, quem non fortunæ indulgentia, non copiæ principales ad ſegnitiem luxumque detorqueant. Tunc ego ſeu montibus, ſeu mari exerceatur, & lætum opere corpus, & creſcentia laboribus membra mirabor.*

Quæ laus augetur vel ex eo, quod quſ gloriam, bonamque famam ſtudioſius affectat, magna ſemper præſtare credatur. Neque enim ait Mamertinus in Iuliano, quidquam humile aut abiectum cogitare poteſt, qui ſcit ſemper de ſe loquendum: Contra verò idem parua quæque contemnere putatur: itaut in rebus agendis non præmia, aut vtilitatem, ſed gloriam ſibi proponat.

Magnificè Tullius gloriam eſſe virtutis incitomentum probat pro Milone, num. 97. ſcilicet ex omnibus præmiis virtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorum ampliſſimum eſſe gloriam: eſſe hanc vnam, quæ breuitatem vitæ poſteritatis memoria conſolaretur: quæ efficeret vt abſentes adeſſemus, mortui viueremus, hanc eſſe denique, cuius gradibus etiam homines in Cœlum conſcenderent. Pulchrè Seneca epiſt. 81. *Virtutum omnium pretium in ipſis eſt, non enim exercentur ad præmium. Rectè facti, feciſſe merces eſt.*

Sapienter Ariſtot. Ethicor. 4. videtur animi magnitudo, quaſi virtutum eſſe ornatus, in eoque præcipuè conſiſtere, vt nec honoris aurâ, neque periculorum metu, nec aduerſis aut proſperis rebus ſe facilè moueri patiatur. Subdit verò, cui honor paruus eſt, etiam cætera parua ſunt.

Quis non miretur Catonis animi celſitudinem, de cuius laudibus & ſplendore vitæ Velleius Paterculus egregiè lib. 2. *Homo virtuti ſimillimus, & per omnia ingenio Diis, quàm hominibus propior. Qui nunquam rectè fecit, vt facere videretur, ſed quia aliter facere non poterat.*

Non minus eleganter in Catilina Saluſtius. *Cato non diuitiis cum diuite, neque factioſè cum factioſo, ſed cum ſtrenuo virtute, cum modeſto pudore, cum innocente abſtinentia certabat: eſſe quàm videri, bonus malebat. In quo minus gloriam petebat, eò magis aſſequebatur.*

Fortitudo terroris ac periculi neſcia.

Iam cùm Fortitudo ex Seneca 2. de benef. capite 34 ſit virtus iuſta pericula contemnens, aut ſcientia periculi repellendi, excipiendi, prouocandi, vel vt alibi contemptrix laborum: Terribilia ſub iugum libertatem noſtram mittentia deſpicit, prouocat, frangit; clarum eſt hinc quadruplex laudis genus duci poſſe. Primum debetur animo impauido & omnia contemnenti: ſecundum repellenti, & frangenti pericula: tertium in eadem immittenti ſe, eademque fortiter excipienti, quo nomine dùm Conſtantinum increpat amicè laudabiliterq; Panegyriſtes, maximè cõmendat.

Laudare me exiſtimas Imperator cuncta, quæ in illo periculo feceris? Ego verò iterum queror. Proſpexeras omnia, diſpoſueras vniuerſa, ſummi Imperatoris officia compleueras, cur ipſe pugnaſti? cur te denſioribus hoſtium globis miſcuiſti? cur ſalutem Reipublicæ in pericula tanta miſiſti? an neſcire nos putas? quod dum nimio rapereris ardore, in media hoſtium tela deueneris? & niſi viam tibi cædibus aperuiſſes, ſpem totius generis humani, & vota deceperas? Quid tibi eſt Imperator cum inferiore fortunæ? toto quippe impetu ferebare torrenti ſimilis amni, quem abrupta radicitùs ſylua, & conuulſa funditus ſaxa ſequerentur. Illos pugnare fas eſt, quibus ſuo cuiuſque fato, aut vincendum eſt, aut cadendum; tu cuius ex vita omnium fata pendẽt, ad vllũ diſcrimen accedas? inter tot tela gladioſq; vertere? quis hoc à te exigit: aut quis pati poſſit?

Digitized by Google

ſit, vt quidquam in te belli caſibus licet? Deceat te Imper. hoſtem ferire? imò non decet laborare. Spectans ex edito monte Xerxes nauale certamen. Auguſtus aliquid agens vicit apud Actium. Fuit etiam qui ſublatus in ſcalas inuicem nexas concurrentes eminus vidit exercitus, vt nec intereſſet periculo, & adeſſet euentui. Ignaua ſunt, inquies, hæc exempla, ſed tuta, grauiórque metus eſt periculi tui, quàm lætitia victoriæ.

Annon ipſi cæſis, fugatiſque hoſtibus interfectóque etiam ipſo eorum duce comites, & Tribuni corripuere lacrymantes? amplexique illud tuum anhelum pectus, cruentas manus, & quidquid de ſanguine profunda cadis emerſerat, hinc atque inde clamarunt? Quid egeras nuper, in qua nos fata proieceras, niſi te diuina virtus tua vindicaſſet? quæ hæc eſt impatientia? aut quò tibi manus noſtras, ſi verſa vice pugnas ipſe pro bonis? Hæc ego non dicerem Imper. neque ab aliis dicta memorarem, niſi beneficio tuæ lenitatis tutior eſſet noſtra in verbis, quàm tua in armis audacia.

Fortitudo prouocatrix.

Audax etiam in prouocandis periculis virtus. Quo fuit animo Phocion Athenienſis? Oraculo datum erat Athenis eſſe virum, qui ab concordi ciuitate diſſideret, quærentibus illum omnibus, & verò etiam malum frendentibus, Quæſo, inquit, quieſcite, ego ille ſum quem petitis: nam nihil eorum quæ agitis, placent.

Neque tamen metus honeſtus huic virtuti aduerſatur, quam in ſententiam Plutarchus in Ageſilao & Cleomene. Illi fortitudinem videntur priſci non intrepidum animum, ſed trepidationem, & infamiæ metum exiſtimaſſe; ſiquidem timidiſſimi legum ſunt aduerſus hoſtes infenſiſſimi, pati quiduis minimè timent, qui maximè trepidant malè audire. Quapropter rectè quidam, ſi metus eſt, ſimul eſt verecundia: nam erubeſcere ante illos potiſſimum ſolet vultus, quos metuit: quare iuxta Ephorum Triclinium poſuere Lacedæmones ædem timoris.

Fortitudo conſtans.

Conſtantia licet cum ſuperiore coniungi poſſit, tamen in eo maximè conſiſtit, vt in te ſemel ſuſcepta contineat animum aduerſus omnes minas, ac terrores. Quare Plutarchus Thimoleontem arguens, tanquam inconſtantem, quòd poſt occiſum fratrem Timophanem, in Corinthium remiſſione fuiſſet animo, quaſi facti pœnitentiâ ductus, ſubdit. Debet non actio tantùm, & honeſta eſſe & iuſta, ſed etiam firma, atque immota, ex qua naſcatur opinio, vt cum iudicio agamus. Nam ſicut voraces, qui cibariorum ſaginam acerrima proſequuntur auiditate, ſed citiſſimè ſaturi nauſeant: ita rebus perſpectis, non abiiciamus animum per imbecillitatem, elangueſcente honeſti ſpecie: reddit enim potentiam, vel quod iamdiu factum eſt turpe; profecta ex certa deliberatione ratio, ne ſi impingat quidem, variat actiones. Non aliter Phocion cùm videret Athenienſes lætos ob res Leoſthenis fortiter geſtas, Lætarer, inquit, ſi hæc ego geſſiſſem, ſic, non pœnitet me conſiliorum. Nam vt ſtatua baſi, ſic vir bonus inſtituto nixus honeſto, nullatenus dimoueri debet. Hanc virtutem Stiliconi datam canit Claudianus 2. Panegyrico,

> ——— *Conſtantia futile ne quid*
> *Infirmúmque gerit.*

Eandem prædicat in amico ſuo Lollio Vates Horatius 4. Carm. Ode 6.

> —— *Eſt animus tibi*
> *Rerúmque prudens, & ſecundis*
> *Temporibus, dubiíſque rectus.*

Τετράγωνον diceres Simonidis, qui per omnem ſæuientis fortunæ mutationem firmiter conſiſtat, qualem veteres in libris potius, quàm in rebus gerendis habuerunt. Miratus ſum quod ſapientes olim Ægyptij dicebant, aſtra nimirum in circuitu ſuo perficiendo, modò erigi, modò deprimi, in eáque varietate fieri peiora, aut benigniora, quàm alioqui fuiſſent. At Lollius ipſe ſatis inclytus, quamuis non ſemel pugnantis fortunæ flatu deprimi viſus ſit, aliquando rerum læto ſucceſſu attolli, æqualem tamen mentis curſum tenuit, ſemper conſtans & erectus, vt amica ſuis ſtella cæteríſque benigniſſimum lucem communicauit.

Animum verè nobilem ac generoſum prodit, qui difficultatis obiectu non frangitur, ſed potius fit audacior, nec prius deſiſtit, quàm pertingat ad

Digitized by Google

boni propoſiti conſequutionem. Seneca ep. 104. *Vnus eſt huius vitæ fluctuantis, & turbidæ portus, ſtare confidenter, apertè tela fortunæ aduerſo pectore excipere, non latitantem, non tergiuerſantem. Magnanimos nos natura produxit.*

Poſt multa verò magnanimitatis decus eximium, vt Idam proponit, Catonem fidentis animi, & citra oſtentationem fortis cùm fortunæ locis omnibus obſtitiſſet, oſtendit in morte virum fortem poſſe inuita fortunâ viuere, inuitâ mori. *Nemo mutatum Catonem toties mutatâ Reipubl. vidit; eundem ſe in omni ſtatu præſtitit, qui in Pretura, in repulſa, in accuſatione, in Prouincia, in Concione, in exercitu, in morte. Vides poſſe homines labores pati? per medias Africæ ſolitudines pedes duxit exercitum: Vides poſſe tolerare ſitim? & in collibus arentibus, ſine vllis impedimentis victi exercitus reliquias trahens, inopiam humoris loricatus tulit, & quoties aqua fuerat occaſio, nouiſſimus bibit. Vides honorem & notam poſſe contemni? eodem quo repulſus eſt die, pilâ luſit. Vides poſſe non timeri potentiam ſuperiorum? & Pompeium & Cæſarem, quorum nemo alterum offendere audebat, niſi vt aliorum demereretur, ſimul prouocauit. Vides tam mortem poſſe contemni, quàm exilium? & exilium ſibi indixit & mortem.*

Fortitudo patiens.

Patientia virtus eſt, quæ nullo caſu, nullis rebus aduerſis, nullis iniuriis, aut opprobriis mouetur, verſatúrque non in repellendis ſed inferendis iniuriis. Ex quibus duplicem eius laudem colligere eſt: quarum altera occupatur in tolerandis rebus aduerſis: altera in moderatè ferendis iniuriis, quam in rem, illa ſunt aurea Mecœnatis verba in Auguſto. *Si quis tibi conuiciatus fuerit, aut in occulto detraxerit, neque deferentem audire debes, neque delatum punire. Turpe enim eſt te id facilè credere, cùm cauſam non præbeas.*

Id licuit in Conſtantino cognoſcere, ſic enim ab hoc illum commendat Nazarius, quòd patienter tuliſſet iniurias ſibi à Maxentio illatas, qui Romæ ſtatuas eius omnes per ſummam mentis impotentiam contriuerat. *O quàm acres habet dolorum aculeos contumelia, quam imponit inferior! Ecce enim: (proh dolor verba vix ſuppetunt!) Venerandarum imaginum acerba deiectio, & diuini vultus litura deformis. O manus impiæ! ô truces oculi! ita non caligaſtis? in quo lumen mundi obſcurabatis, meritas ipſi tenebras non imbibiſtis. Commouere tandem conſcia virtus, nec permittas hoc furori, cui de te aliud non licebat. Sed quid tandem aſſequeris cæca dementia? Aboleri hic vultus non poteſt, vniuerſorum pectoribus infixus eſt, nec commendatione ceræ, aut pigmentorum fucis renidet, ſed deſiderio afflorescit amicorum. Vna demum Conſtantini obliuio eſt humani generis occaſus. Nunc verò commendabiliorem iniuria tua faciet, Patientiam eius auidius expetent, quem pictura non reddit. Flagrantiora ſunt amicorum deſideria, cùm oculorum ſolatia perdiderunt. Nihil profectò grauius, nihil miſerius Roma doluiſti. Quamuis recondita altè magis gemeres: & ingeſtos quotidie luctus callo quodam obdurata patientia ſuſtineres, confeſſus eſt ſe inconſultus dolor, nec timuit deprehendi, & malè clauſi ſigna mœroris, per vultus indices exierunt. Hoc enim Roma tot vulneribus ſaucia vindicari volebas, cùm tàm præſtantiſſimus Princeps iniuriæ ſuæ negligens vlciſci tuas mallet.*

Sic Iram frangere ingentis, & patientis eſſe animi credit D. Ambroſ. 1. Offic. cap. 36. *Et vera iure ea fortitudo vocatur, quando vnuſquiſque ſeipſum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur.* Contra nihil tam fortitudini aduerſatur, quàm impatiens Ira, iudice Seneca 1. de Ira c. 12. *Sed aduerſus hoſtes neceſſaria eſt ira; nuſquam minus; vbi non effuſus eſſe oportet impetus, ſed temperatos & obedientes. Quid enim eſt aliud, quod barbaros tantò robuſtiores corporibus, tantò patientiores laborum comminuat, niſi ira infeſtiſſima ſibi? gladiatores quoque ars tuetur, ira denudat. Quid eſt opus ira, cùm idem perficiat ratio? Quid Cimbrorum tot millia ſuperfuſa Alpibus ita ſuſtulit, vt tantæ cladis notitiam, ad ſuos non nuntius, ſed fama pertulerit, niſi quod erat illis ira pro virtute? quæ vt aliquando percutit, ſtrauitque obuia, ita ſæpius ſibi exitio eſt. Germanis quid eſt animoſius? quid ad incurſum acrius quid armorum cupidius? quid induratius ad omnem patientiã: Galli tamen Syriique molles bello viri, antequam legio viſatur, cadunt, ob nullam rem opportunius, quàm ob iracundiã. Quo alio Fabius affectas imperij vires recreauit, quàm quod cũctari & trahere & moderari ſciuit? quæ omnia irati neſciũt. Perierat im-*

perium

Digitized by Google

perium ſi tantum auſus eſſet, quantum ira ſuadebat, in vnam vtilitatem occaſionis intentus, iram ante vicit, quàm Hannibalem,

Idem Philoſophus Alexandrum liberius inſectatur, & tanquam imbecillum, ac debilem reprehendit, quòd vniuerſum penè terrarum orbem armis ſuis ſubegerit, ab ira ſui impotens victus, epiſt. 113. *Id enim egerat, vt omnia potius haberet in poteſtate, quàm affectus.*

Huius virtutis altera laus eſt in tolerandis rebus aduerſis, quo in genere multis celebratur Mytridates, quo regno ſpoliatus, vocem hanc conſtantis animi fortem reddidit, *fortuna Regiam, animum vero Regium vnquam eripere poterit.* Vir erat, qui ſic loquebatur.

Altiorem de ſeipſo cogitationem habet difficultatéſque præſentes deſpicit patiens, ratus non eſſe tantam mali molem, cui facilè cedendum ſit. Seneca epiſt. 82. *Virtus concordi animo decreta peragit; non timet quod facit.*

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito
Quo tua te fortuna ſinet.

Fortitudo glorioſa.

Ex hoc fonte gemino, aliæ laudes enaſci poſſunt, quod qui grauia moderatè tulit, tolerauitque patienter, Regno dignus, & Imperio credatur, quod in Theodoſio politus Orator Pacatus miratur & extollit. *Et prius quidem quam ad illa veniam, quæ ani- maturus egiſti, ſummatim tuum illud attingam cum patre diuina Caſtrenſe collegium, actas ſub pellibus hyemes, æſtates inter bella ſudatas, grauiſſimas pugnas terra marique pugnatas. Non tam patiens Afri- anus rudimenta militiæ, ſub Paulo patre tolerauit, nec pari indole Hannibal puer in tentoria Hiſpana ſucceſſit, nec futurarum ſpe certiore virtutum Philippica caſtra Alexander nondum magnus impleuit. Quos etſi plurima laude dota erit amplificatrix veri vetuſtas, nihil plus tamen blandita præſtitit, quàm vt eos in his annis ſequutos Regum aut Ducum caſtra vulgaret, in quibus tu ita fortiter multa geſſiſti, vt ea non tantum Alexander, aut Africanus, aut Hannibal videre dum diſcerent, ſed parentes atque inſtitutores eorum optaſſent, facere dum docerent, &c.*

Fortitudo moderata.

Hîc etiam alia naſcitur ratio, quod mala experti longè æquius in alios ſe gerant. Quod Traiano tribuit Plinius. *Quàm vtile eſt ad vſum ſecundorum, per aduerſa veniſſe? vixiſti nobiſcum, periclitatus es, timuiſti, quæ tunc erat innocentium vita: ſcis & expertus es quantopere deteſtentur malos Principes, etiam qui malos faciunt: Meminiſti quæ optare nobiſcum, quæ ſis queri ſolitus. Nam priuato iudicio Principem geris, meliorem imo te præſtas, quàm tibi alium precabare.*

Fortitudo voluntaria.

Pono tamen extremo loco inſignem patientiæ laudem, quæ illi debetur, qui non penuriâ coactus, aut alia neceſſitate, ſed vltrò ſubit aduerſa patientérque tolerat, cum ſe illis tam facile poſſit expedire, quàm illa fortiter ferre. Hoc inſigne non omiſit Pacatus ſupra laudatus in Theodoſio, qui de priuatæ eius vitæ laboribus, & ruſticis operibus agens Curiis agreſtibus, Coruncanis, Fabriciis eum prætulit. *Sed illos quidem anguſta res familiaris addicebat labori, vt quibus ipſi ſuburbani horti, præcepſque Ianiculum, & iugera arctata pomerio vomere eſſent, aut ligone verſanda, nec iniuria opus reuertetur ad Dominos, cùm deerant qui iuberent. Detrahit laudem patientiæ inopia, maioris exempli eſt labor ſine neceſſitate. Gaudent profectò diuina perpetuo motu: & ingi agitatione ſe vegetat æternitatis, & quidquid homines vocamus laborem veſtra natura eſt. Vt indefeſſa vertigo cœlum rotat, vt Maria æſtibus inquieta ſunt, vt Sol ſtare neſcit; ita tu Imperator continuatis negotiis, & in ſe quodam orbe redeuntibus ſemper exercitus es, &c.*

PVNCTVM. VIII.

Prima laus à Iuſtitia, Religione in Deum & Superos.

Qvàm neceſſaria ſit homini ad cōmendationem Iuſtitia, clarum eſt ex Ciceronis verbis 2. Offic.

2.Offic. cuius tanta vis eſt, vt nec ij quidem, qui ſcelere & maleficio paſcuntur, poſſint ſine aliqua Iuſtitię particula viuere: vnde improbiſſimis erit improbior, quiſquis illâ carebit, cùm, hæc ſola virtus ſit, quæ magnos & laudabiles reddit homines. Qua in opinione fuiſſe dicitur Ageſilaus, qui cùm audiſſet magnum regem Aſiæ appellari; quid ait ille maior me, niſi iuſtior, ſcilicet omnium virtutum Principem iuſtitiam eſſe credebat. Idem repetit Cic. nullius, inquit, gloria & fides virtutis inuidiam conciliat maiorem, quàm iuſtitia, quod auctoritas eam & fides potiſſimum comittetur: apud alios neque colunt ſolùm vt fortes, neque ſuſpiciunt vt prudentes, ſed diligunt etiam vt iuſtos eiſque fidunt & credunt, illorum ſuperiores metuunt, iis diffidunt, ad hoc illo, natura potius cenſent, quàm voluntate præcellere: adde quod fundamentum perpetui nominis, & famæ iuſtitia eſt, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile.

Verum quia latiſſimè patet hæc virtus, quæ Religionis ſunt, primum reſpicit, cuius eſt Dei cultum & obſeruantiam imperare, tum de illo bene ſentire, quod eſt ſummæ pietatis exordium. Sapienter omninò de ſenſu diuinæ prouidentiæ Nazarius in Conſtantino. *Spectat enim nos ex alto rerum arbiter Deus, & quamuis humanæ mentes profundos gerant cogitationum receſſus, inſinuat tamen ſeſe totam ſernata diuinitas, nec fieri poteſt, vt cùm ſpiritum quem ducimus, cùm tot commoda quibus alimur, diuinum nobis lumen impertiat, terrarum ſe curis abdicauerit, nec inter earum vitas diiudicet, quorum vtilitates gubernat, &c.*

Dei Cognitio.

Arbiter eſt, & inſpector operum, conſiliorum, mentium, vel ipſo Seneca teſte epiſt. 83. *Nihil Deo clauſum eſt, intereſt animis noſtris, & cogitationibus mediis interuenit: ſe verò colentibus omnia proſpera eueniunt, aduerſa ſpernentibus.* Tacit. ann. lib. 11. Fauorem hunc & gratiam Conſtantino factam teſtatur Nazarius. *Illa igitur vis, illa maieſtas fandi, atque nefandi diſcriminatrix, quæ omnia meritorum momenta perpendit, librat, examinat, illa nefariam Maximi fregit amentiam, illa pietatem tuam texit, illa inuictum exercitum tuum, tot victoriarum conſcientia plenis pectoribus ardentem, tantis inſuper viribus iuuit, quantas præſtare, aut Deus potuit, aut amor tuus debuit, vt horrendas acies, vt incognita ferri, & corporum robora fulmineus miles euerteret, vt quidquid inſtruxerat diuturni ſceleris longa molitio, felici congreſſione conſumeres.*

Dei fauor & auxilium in pios.

Cœleſtes ſpiritus in auxilium Conſtantino veniſſe prædicat Nazarius ſæpè nominatus, vt oſtendat quantum in regibus valeat pietas, quidue ſuis amatoribus largiatur. *Flagrabant verendum neſcio quid vmbone coruſci, & cœleſtium armorum lux terribilis ardebat. Tales enim venerant, vt tui crederentur. Hæc ipſorum ſermocinatio, hoc inter audientes ferebant, Conſtantino imus auxilio. Habent profectò & diuina iactantiam, & cœleſtia quoque tangit ambitio: Illi cœlo lapſi, illi diuinitùs miſſi gloriabantur, quod tibi militabant.*

Pugnant Reges, vincit in Regibus ſuis & triumphat Deus: Theodoſius Perſas & Saracenos vicit, terrorem illi incuſſerat Deus: Heraclius in tribus Coſtois ducibus ter victor, non armis ſed precibus ſtetit: vincebatur Clodoueus, vincebat Germanus; proſiliit Rex ad vota, Chriſtianum ſe futurum, ſi vinceret, expleuit victor votum, Chriſtianus factus eſt: quin & è Cœlo Childeberto in Amalaricum victoria venit: de Hunnis Aërius, de Wandalis & Perſis Beliſarius, & Gothorum Regibus Narſes, è Cœlo triumpharunt: Ille Epiphanij, hic Dei matris monitu. Quid non poteſt pietas, cuiúſque veri Numinis? vna hoſtes ac rebelles profligauit, triumphos egit, agétque Rex pietate Iuſtitiáque ſingularis.

Pietas vni Deo refert accepta omnia.

Tunc laudatur, Principis viri pietas, ſi tum corporis & naturæ, tum animi bona ſoli Deo bene gratus accepta referat omnia: quod in Traiani laudem addit Plinius. *Simili reuerentia Cæſar, non apud Genium tuum bonitati tuæ gratias agi, ſed apud Numen Iouis Opt. Max. pateris. Illi debere nos quidquid debeamus, illud quod benefacias muneris eſſe, qui*

te

Digitized by Google

ſe dedit. Ante quidem ingentes beſtiarum greges per Capitolium iter magna ſui parte velut intercepti diuertere via cogebantur, cùm ſæuiſſimi Domini atrociſſima effigies tanto victimarum cruore coleretur, quantum ipſe humani ſanguinis profundebat. Omnia quæ de aliis Principibus à me, aut dicuntur; aut dicta ſunt, eò pertinent vt oſtendam, quàm longa conſuetudine corruptos, deprauatóſque mores principatus parens noſter reformet ac corrigat.

De ſupremos honores non furatur.

Si Rex aut Imperator nihil ſibi diuinum affingat, pietatis & Iuſtitiæ retinentiſſimus dicitur, in quo ſæpè nimis ambitiosè errauerunt antiqui Principes. Nihil opus exempla congerere, cùm pleni ſint huiuſmodi libri. Poſtquam merita Principis ſui recenſuit Plinius, ſubdit. *Horum vnum ſi præſtitiſſet alius, illi iamdudum radiatum caput media inter Deos ſedes auro ſtaret, aut ebore, auguſtioribúſque aris, & grandioribus victimis inuocaretur. Tu delubra non niſi adoraturus intras, tibi maximus honor excubare pro templis, poſtibúſque prætexi; ſic fit vt Dei ſummum inter homines faſtigium ſeruent, cùm Deorum ipſe non adeptus.* Vbi multa de ſtatuis in eis honorem & memoriam erigendis agitur.

Dei cultus & veneratio.

Alterum Religionis munus eſt in cultu, ſeu cogniti Numinis veneratione, quam nemo vnquam niſi ſceleratus, ac impius negauit. Illum dico diuinis in rebus ſenſum pietatis, illam in auguſtiſſimis ſacrorum ceremoniis frequentandis modeſtiam, vſurpandis reuerentiam, commendandis ardorem, atque induſtriam. Verè Cicero 5. in Ver. *Omnes religione mouentur, & Deos patrios, quos à maioribus acceperunt colendos ſibi diligenter, & retinendos arbitrantur; nimirum religione vita conſtat*, ait Plin. lib. 14

Ex hoc munere laudes facilè deduci poſſunt. Hæc prima ſi Deum templis & donariis colat, quod in Maxim. laudat Mamertinus Oratione ſecunda. *Nam primum omnium quanta veſtra erga Deum pietas? quem aris, ſimulacris, templis, donariis veſtris, denique nominibus aſcriptis, adiunctis imaginibus ornaſtis, ſanctioréſque feciſtis exemplo veſtræ venerationis. Nunc enim verè homines intelligunt, ac Dei poteſtas, cùm tàm impensè colitur à vobis.*

Quis Regum noſtrorum incenſum adeò, inflammatúmque propagandæ Eccleſiæ, atque amplificandæ religionis ardorem ſatis miretur? quis inſtauratas templorum ruinas, redditum ciuitatibus priſtini cultus decorem, repreſſam debilitatámque hæreticorum audaciam, Catholicorum fiduciam erectam pro dignitate prædicet?

II. Sæpius illum precibus, ac votis ſupplicem adire. Auſ. Gratiano Imp. pietatem hanc gratulatur. *Nullum tu vnquam diem ab adoleſcentia tua, niſi adorato Dei Numine, & reus voti, & illicò abſolutus egiſti lotis manibus, mente pura, immaculabili conſcientia, & quod in paucis eſt cogitatione ſyncera: cuius autem vnquam egreſſus auſpicatior fuit? aut inceſſus modeſtior? aut habitudo cohibitior? aut familiaris habitus condecentior?*

III. Eſt tueri ſacra religionéſque ſanctiores: ad quod percurrendi tantum ſunt Annales Gallici. Rex ipſa præteritique temporis cuſtos hiſtoria refert Clodoueum Arianorum profligatorem, Romanæ ſedis cultorem eximium, Carolum Martellum de re Chriſtiana optimè meritum, Pipinum Stephano Pontifici Aſylum, Carolum Magnum alterum Conſtantinum, & Eccleſiæ parentem, Longobardorum hoſtem acerrimum, Ludouicos, Philippos, Henricos, Ludouicum integræ fidei Principem ac defenſorem, omnes ſedem Pontificibus, Italiæ pacem, Eccleſiæ dignitatem poſſeſſionéſque reſtituiſſe, conſeruaſſe.

IV. Superiori multum affinis, honore & obſeruantiâ proſequi ſacros Antiſtites, qua veneratione, qua obſeruantiâ coluerunt, quibus officiis demeruerunt, ſummos Pontifices exceperunt, Francorum Reges Chriſtianiſſimi? Carolus Caluus quinque Pontifices ab aliis impiè proſtratos in Galliam ſuam, tutelámque recepit, ſedíſque ſuæ reſtituit. Carolum Magnum aduerſus Longobardos armauit Hadrianus; aduerſus Saracenos Martellum, quo vno die, vno impetu, vna pugna cæcidit. Ioannes VIII. Eccleſiam propè labantem, & ſciſſam diſcordiis excitauit; ſed pugnante Ludouico Pio: Gelaſius II. Frangipanum

Digitized by Google

ſeditionibus agitatus ad Ludouicum Craſſum tanquam in portum confugit, vbi & Innocentius II. innocentiam ſuam, legitimámque electionem aduerſus Antipapam Anacletum comprobauit: In Gallia apud Ludouicum VII. Eugenius III. rebellium Romanorum furore & impotentia vrbe ſacra eiectus, præſidium tutum habuit: Alexander III. furente & orbis Romani gladios in eum acuente Friderico Ænobardo, Galliam & ſinum Ludouici VII. habuit Gregorius IX. auxilium contra vim & impetum Friderici II. poſtulauit à Ludouico IX. Vt verum ſit Galliam ſemper aram Pontificum, arcem bonorum, portum naufragorum, miſeriæ perfugium, præſidium innocentiæ, Eccleſiæque militantis propugnaculum extitiſſe.

Quis omittat inſignem illam obſeruantiam Roberti Regis aduerſus ſacros Deo homines inter quos ſedere, cum ipſis pſallere, hymnóſque componere glorioſum duxit? Neque defuit eius ſummæ pietati Numen, quippe cùm Auallonem vrbem obſideret, cantúſque ſacros cum iiſdem Sacerdotibus, in tabernaculo non ſine diuino pietatis ſenſu caneret, obſeſſæ vrbis mœnia ſponte corruerunt non alio quàm religionis eius ariete euerſa. Sic Deus ſponſæ ſuæ defenſoribus parat triumphos.

Hæc mens erat Theodorico Regi apud Caſſiodorum, lib. 8. epiſt. 24. *Tantò diuinitati plurima debemus, quantò à cæteris mortalibus maiora ſuſcepimus. Nam quid ſimile rependat Deo qui potitur imperio? ſed licet pro tanto munere nihil compenſari poſſit idoneè, ipſi tamen gratia redditur, dum in ei ſeruientibus honoratur.*

Et loca Deo ſacra veneratione colenda. Inſigne ſpecimen huius reuerentiæ poſteris reliquit pius Imperator Theodoſius iunior, cùm vetat, in ædes ſacras arma inferri. *Nam & nos qui legitimi imperij armis non conuenit, Dei templum ingreſſuri foris arma relinquimus, & ipſum etiam Diadema, Regiæ maieſtatis inſigne deponimus, & ſacra altaria munerum tantùm offerendorum cauſa accedimus, quibus quoque oblatis, ad extimum communéque atrium mox nos recepimus.* Tomo 5. Concil. c. 21.

Harum laudum coronidem extremum hoc miraculum facit: Etenim cœleſtis Numinis auxilium, pietatis argumentum eſt: quare Nazarius poſtquam cœleſtes exercitus in auxilium Conſtantino miſſos à Deo contra Maxentium memorauit. *Cedat*, inquit, *tibi non recentium ſæculorum modò, ſed totius memoriæ vetuſtas, quamuis illa recti appetens, & nullo vnquam deprauata in officio, glorietur penes ſe ſanctitatis famam ſtetiſſe. Sed nec leguntur præconia hominum, vbi queruntur indicia diuina: Illi igitur veteres laudati vitæ moderatores, qui refrænandis cupiditatibus reſtrictè comptéque vixerunt, quorum omnis ætas armis conterebatur, quando tantam in prælio diuinam opem pro merito integritatis habuerunt.*

Sic Regis pietatem ac religionem bonus Orator laudabat. Hic mihi quod canibus olim Ægyptiis euenit, qui cùm in montem Ætnam venerint, propter copiam abundantiámque florum, è quibus mirifica vis odoris emanat, hærent & obſtupeſcunt eâ fragrantiâ, prædámque ſuam tacita quadam voluptate recreati, ſagaces licet, perdunt; ſic in Regis religionem meditans, eius virtutum gratus odor memoriam meam obturbat, neque patitur, vt in illa cœleſti vitæ ratione indaganda; notâ viâ communíque veſtigio decurram. Illos in eo vincam, quòd otioſus haberi nolim. Sed enim quid prius dicam? quid poſterius? ſciunt omnes quàm pura ſit in Deum religione, quo vel ab incipientibus annis in diuini Numinis cultum amore fuerit, quàm cœleſti & inuſitata pietate reueritus ſit Superos omnes. Expertus eſt aliàs bono ſuo comatulus quidam vetuſtate familiæ, quàm inſita pietate nobilior; Quem cùm Rex ſumma demiſſione mentis in rem ſacram intentus, genu dumtaxat alterum in ſolo ponere, cum luminibus & molliori ceruice vacuam, & inanem mentem circumducere, modeſtiorem vnum aduocat, moneri hominem iubet, vt vtrúmque flectat genu, ſe Chriſtianum eſſe meminerit, Dei præſentis & omnia ruentis Numen ſanctè veneretur. Quis neget Pontificem in terris Chriſti vicarium, religionis præſidem ac moderatorē ſemper à Rege digniſſimum habitum, cui omnes ſumma demiſſione parere teneantur. Ædes ſacræ, Diuinorúmque Baſilicæ multis & frequentibus locis illius vel auſpiciis, vel etiam ſumptibus, partim è fundamentis excitatæ;

Digitized by Google

tatæ:partim ad tectum perductæ, exædificatæque pietatem eandem teſtantur. Neque verò quiſpiam ad aras me prouocet, ad quas ille idem in genua prouolutus, rerum omnium molitori Deo ſupplicat, & concepta medullis vota ſpirantibus pietatis ſenſum labiis nuncupat. Neque commemoret Athenæa variis in Galliæ ſedibus illius, & auctoritate & liberalitate fundata, ad Gallicanæ iuuentutis animos, non magis ad litterarum, quàm virtutis pietatiſque ſtudium effingendos. Tritum eſt illud ad commendationem A ſacroſanctis Miſſæ ſacrificiis frequentandis non auocari venationis voluptate, feſtis diebus celebrare conciones, adire loca religioni conſecrata, homines vitæ inſtituto, moribuſque religioſos, in oculis ſinúque ferre, poſt ſolis occaſum ponere cum conſcientia ſua rationes, & de ſingulis factis, dictiſque in iudicium venire, quæ magno cum ſenſu doloris pietatiſque confiteatur. Quotidianum. Quid quod mortem prius eligat, quàm diuini Numinis leges infringat? peiuſque omni ſupplicio, lethóque ſcelus reputet. Immortalitate digna vox, in cœlo nata, ab cœlo miſſa.

PVNCTVM IX,

Secunda laus à Iuſticia, charitate in patriam, pietate in parentes, fide in amicitia.

POſt Cœlites primũ honoris locum habere patriam clarè pronuntiat Plato 9. de legibus; Illa enim eſt vt Ciceroni placuit 1. Offic. communis omnium antiquiſſima, & ſanctiſſima parens omnes omnium charitates complexa, Dea quædam mortalium, quam obſeruare magis & colere debeant, quàm matrem, pro qua nemo bonus dubitet mortem oppetere, ſi modò ſit ei profuturus. Vndè facilè patet, quàm multæ, quàm illuſtres à charitate laudes deduci poſſint; quot enim beneficia conferre licet in eam, tot laudes ab eadem colligere iuſtum eſt. Multus eſt in his Valerius Max. l. 5. cap. 6. Sententias & exempla congerit non liber, ſed Bibliotheca Tiraquellus, in legem Connub. 7. n. 650. Lipſius 10. de Conſtantia. c. 9.

Pietas in Patriam.

Nazarius Orator Conſtantinum dicit immortalitate dignum, vel ex eo, quòd ita patriam amaret, vt illatas ei iniurias grauius vlciſci vellet, quàm ſibi factas. Theodoſium verò Pacatus amabilem reddit, quòd ductus amore patriæ, imperij gubernacula ſuſcepiſſet. *Expoſtulari hoc loco tecum Reipublicæ verbis neceſſe eſt, quæ in ſumma cunctatione tua formidinem, à media ſpe relapſa, tali aliqua te profectò, ſed quam ſolus audires voce conuenit. Parumne me Theodoſi hactenus diſtulére fata, vt tu inſuper tentes moras augere fatorũm? an neſcis rem tuam per momenta conſumi? neſcis me tibi tuiſque decreſcere? quidquid atterit Gothus, quidquid rapit Hunnus, quidquid aufert Alanus, id olim deſiderauit Arcadius. Perdidi infortunata Pannonias; lugeo funus Illyrici, ſpecto excidium Galliarum; Tu dubitas excipere collapſam, & vt nihil differas, ſerò reparandam hanc mihi gratiam refers, quòd te etiam felix deſideraui? Quòd cùm me Nerua Tranquillus, amor generis humani Titus, pietate memorabilis Antonius teneret, cúm mœnibus Auguſtus ornaret legibus Hadrianus imbueret, finibus Traianus augeret, parum mihi videbar beata quia non eram tua. Quid tu mihi faceres, ſi iuris tui eſſes? Orat ecce te Dominus meus, imò tuus, & qui poſſet cogere, mauult imperare. Imperium quod ab Imperatore defertur, tàm tibi nolle iam non licet, quàm velle non licuit. Solus igitur Auguſt. omnium qui adhuc imperauerunt, vt Princeps eſſes, præſtitiſti.*

Hoc idem præſtat Rhetor ingenioſus, ſed Anonymus pro Maximiano, quem pluribus effert, quòd precibus adductus, & victus, patriæ gubernacula ſuſcepiſſet. *Imperaſti pridem rogatus à fratre, rurſus imperare iuſſus à matre. O Imperator æterne pietatem tuam, quæ tuum illũ animũ sẽper inuictum ſola vicit! Non potuiſti reſiſtere ſanctæ illius parentis imperio, & inuitus licet paruiſti, & te illis vigiliis, illiſq; curis viginti annis expertus fueras, reddidiſti, &c.*

Pietas

Pietas in parentes.

A patria proximum pietatis gradum ſibi iure ſuo vindicant parentes, neque tam feracior vllus eſſe poteſt campus ſententiarũ & exemplorum. Valerius Max. lib. 5. cap. 4. *Pietas quâ orbem tuum temperas, quamq; in vlciſcendo patruo probas, contuendo in fratre cumulas, in ornãdo præceptore multiplicas*, inquit de Theodoſio magnus in dicendo Rhetor.

Atque vt vna ferè pietas, ad hominum ſocietatem retinendum potiſſima eſt, ita in Nummis frequentior reliquis omnibus, hominum oculis obuerſatur, & manibus attrectatur. Q. Metellus Scipio, ad pietatis, quam profitebatur argumentum, duobus in nummis muliebre caput cudi curauit, vnâ cum Ciconia: ex quo facilè intelligerent poſteri, eum *ἀντιπελαργεῖν*, ſeu legem Pelargicam ſequi. In poſtica quidem parte nummorum eſt lituus: quia Augur, ſimul cum vrnula, quia Pontifex Maximus erat, deinde Elephas, ſubiectis hiſce elementis. Q.C.M.P.I. Quintus Cæcilius Metellus Pius Imperator. Puta in Africa propter Barrim Africæ notam: Cur autem id cognominis obtinuerit, docet Vellejus l. 2. *Q. Metellus Numidici filius qui meritum nomen Pij conſequutus fuerat: quippe expulſum ciuitate, L. Saturnino Tribuno Pleb. quòd ſolus in leges ſuas iurare noluerat pietate ſua, auctoritate Senatus, conſenſu Reip. reſtituit patrem.* Docet iterum Valer. Max. lib. 5. c. 2. *Metellus verò Pius, pertinaci erga exulem patrem amore, tàm clarum lacrymis, quàm aliis victoriis cognomen aſſequutus, non dubitauit Conſul, &c.*

Aliud ejuſdem virtutis ſymbolum in moneta cudi voluit, Sextus Pompeius Magni filius, cùm Siciliam occupauit, & ex ea Pompeium Bithynicum exturbauit. Nam præterquam quod in nummis omnibus Pius vocatur, Catenenſes fratres exprimi voluit Amphinomum ſcilicet atq; Anapiam, pietatis laude claros, quòd ex incendio, imminentibus vndequàque flammis, parentes humeris ſublatos eripuerint; Indè Epigraphe MAG. PIVS IMP. ITER.

Exhibet inſuper in quodam Numiſmate argenteo mulierem, quæ amentatam haſtam ſiniſtrâ teneat, dextrâ Corollam, aut pateram cum hac dictione PIETAS. Inueſtiganti verò tanti nominis cauſam, alia non occurrit, niſi fortè velit aliquis Sextũ ſẽper obſtitiſſe Cæſaribus, idque quod in mãdatis à parẽtibus hoc accepiſſet. Sic enim Cornelia mater apud Lucanũ lib. 9.

Tu pete bellorum caſus, & ſigna per orbem
Sexte paterna moue: namq; hæc mandata reliquit
Pompeius vobis, in noſtra conditur vrna,
Me cùm fatalis letho damnauerit hora,
Excipite ô nati bellum ciuile, nec vnquam
Dùm terris aliquis nota de ſtirpe manebit,
Cæſaribus regnare vacet.

Paulù poſt, apud eundem Sextus Pompeius, ob patris cognomentum magnus etiam vocatus, ſingulari pietate fertur ad repoſcendos patris manes, & vltionem de Ptolemæo ſumendam.

—— Cùm talia magnus
Audiſſet, non in gemitus lacrymaſq; doloremq;
Effudit, iuſtaq; furens pietate profatur.
Præcipitate rates è ſicco littore Nautæ,
Claſſis in aduerſos erumpat remige ventos.
Ite Duces mecum nunquam ciuilibus armis
Tanta fuit merces, inhumatos condere manes
Sanguine ſemiuiri magnum ſatiare tyranni.

A votis pro longiore parentum vita, pietas creſcit, quamuis differatur ſucceſſio ad illorum honores Plinius Traiano iam electo. *At quo temperamento Dij boni poteſtatem tuam fortunamque moderatus es? Imperator titulis & Imaginibus & ſignis: cæterum modeſtiâ, labore, vigilantiâ, Dux & Legatus & Miles; cùm iam tua vexilla, tuas Aquilas magno gradu anteires: neque aliud tibi ex illa adoptione, quàm filij pietatem, filij obſequium adſereres, longamque huic nomini ætatem, longam gloriam precarere. Te prouidentia Deorum primum in locum prouexerat, tu adhuc in ſecundo reſiſtere, atque etiam ſeneſcere optabas. Priuatus tibi videbaris, quamdiu Imperator & alius eſſet. Audita ſunt vota tua, ſed in quantum optimo illi & ſanctiſſimo ſeni vtile fuit: quem Dij cœlo vendicarunt, ne quid poſt illud diuinum & immortale factum mortale faceret, tibi terras, te terris reliquit.*

Ab honoribus eis poſt mortem habitis idem Orator. *Quem tu lacrymis primum, ita ut filium decuit, mox tẽplis honeſtaſti: non imitatus illos, qui hoc idem, ſed alia mente fecerunt, Dicauit Cœlo Tiberius*

Augu

Auguſtum; ſed vt maieſtatis Numen induceret: Claudium Nero; ſed vt irrideret: Veſpaſianum Titus, Domitianus Titum; ſed ille vt Dei filius, hic vt frater videretur. Tu ſideribus patrem intuliſti, non ad metum Ciuium, non in contumeliam Numinum, non in honorem tuum, ſed quia Deum credis.

Pietas in fratres.

Potiſſimum elucet in concordia, quâ viuunt inter ſe, ſummis licet in honoribus, quod pietatis miraculum eſſe poteſt. Mamettinus in Genethliaco Maximiani verba non habes, quibus fratrum concordes animos ſatis pro dignitate commendet. *Quod maximè Deorum Immortalium cum Regione coniunctum eſt, quantâ voſmet pietate colitis? quæ vlla vnquam vidère ſæcula talem in ſumma poteſtate concordiam? qui Germani gemini-ue fratres indiuiſo patrimonio tam æqualiter vtuntur, quàm vos orbe Romano? Ex quo profectò manifeſtum eſt cæterorum hominum animas eſſe humiles & caducas, veſtras verò cæleſtes & ſempiternas. Obtrectant ſibi inuicem artifices operum ſordidorum, eſt inter aliquos etiam canoræ vocis inuidia, nihil denique tàm vile, tàm vulgare eſt, cuius participes malignis æmulationis ſtimulis vacent: veſter verò immortalis animus omnibus opibus, omnique fortuna, atque ipſo eſt maior imperio. Vobis Rhenus & Iſter & Nilus & cum gemino Tygris Euphrate, & vterque qualem accepit, & reddit Oceanus, & quidquid eſt inter iſta terrarum & fluminum, & littorum, tàm facili ſunt æquitate communia, quantum ſibi gaudent eſſe communem oculi diem. Ita duplices vobis diuinæ potentiæ fructum pietas veſtra largitur, de ſuo vterque fruitur, & conſortis imperio.*

Iam de Ciconia veterum Numiſmatum, vt pietatis ſymbolo diſputare, quid aliud eſt, niſi actum agere; nam hæc eadem pietatis cultrix (vt cum Petronio loquamur) volucris gracili-pes, aliis numis eſt non leui ornamento, maximè verò iis quos L. Antonius M. Antonij Trium-viri frater cudi mandauit; Inibi ſcilicet mulier cornu-copiæ geſtans mox vnam, nunc verò geminas habet, ſeque reſpectantes Ciconias. Vt optimus quiſque intelligat, quantum ſit in ſe inuicem ſummo amore, ſtudióque proſequentibus Germanis ad res quaſlibet adipiſcendas, præſidium. *Frater enim qui iuuatur à fratre, vt ciuitas munita.* Hic ergo adeò fratris obſeruans fuit, vt in tribus nummis, quos percuti iuſſit, nunquam fratris imaginem omiſerit: Erat in priori nummuum facie caput illud Craſſiſſimum M. Antonij, in ambitu ANTONIVS IMP. VIR. R.P.C. in altera facie cum matrona quadam Ciconia; leguntur in aliis hæ dictiones PIETAS COS. Ex quibus colligere eſt, non Pij nomine donatum fuiſſe, ſed pietatis ipſius nomine indigitatum. Dio l. 48. rationem reddit, ſcilicet, quòd cùm Fuluia M. Antonij fratris vxore Remp. eo animo tractauit, quaſi cum M. fratre Trium-viro laboraret. Deinde addit διὰ γὰρ τὴν πρὸς τὸν ἀδελφὸν δοκεῖν καὶ ἐπωνυμίαν ἰσοτῷ πῖλαν ἐπέθετο. Quamuis enim vt ait Poëta, poteſtas omnis impatiens conſortis, & fratrum quoque hac in parte gratia rara ſit, legitur tamen apud Fulgoſ. l. 5. c. 5, de Heliodoro Britanno ſcitu non indignum; nam inde Pij cognomen eſt aſſecutus, nec immeritò; Cùm enim frater eius Archigallus ob auaritiam nimiam rebellante populo ſolio deturbatus eſſet, eique ſuccedere coactum ſe videret, paulò poſt in ſylua venationi dans operam, vbi fratrem ſqualidum, laceriſque veſtibus tectum ſolum vertentem offendit, tam moleſtè grauiterque tulit, vt continuò ſimulato morbo, Proceres ſeorſim ad ſe vocatos, minis adhibitis, mortis quoque pœnâ propoſita, eò impulit, vt cunctis volentibus lubentibus, in regnum reſtitueretur: quod & feliciter perfectum eſt, adeò magnam apud omnes vim habet pietas. Ei tamen paucis poſt annis de vita decedenti, iterum ſuffectus eſt Deo, Superis, hominibuſque plaudentibus.

Quæ ſigna pietatis; & Religionis omnia, in Ænea Pio licet agnoſcere, vel etiam in Antonini Commate, vbi Princeps hic altera manu, gratum onus partem arctiſſimè in humeris conſtringendo, retinet, alterâ ductat Aſcanium, cum hac voce PIETAS. Pius autem dicitur ſæpius à Poëta, quòd cùm, vt ait Tullius, non nobis tantùm nati ſimus, ſed ortus noſtri partem patria ſibi vendicet, partem parentes, partem amici, & iis, ſi Deorum cultum adiicias, omnes pietatis numeros contineri videris, nullum huius virtutis officium omiſerit. Deos ſecum vexit, 1. lib.

 Sum

Digitized by Google

Sum Pius Æneas, raptos qui ex hoſte Penates
Claſſe veho mecum.

Vxorem, cùm in via periiſſet in vrbem regreſſus non ſine periculo, multa ſolertiâ quæſiuit, libro 2.

Ipſe vrbem repeto, & cingor fulgentibus armis.
Auſus quin etiam voces iactare per vmbram,
Impleui clamore vias, mœſtuſque Creüſam
Nec quicquam ingeminans, iterumque iterumque vocaui.

Neque deſiſtit donec viſum aliquod, & ſimulacrum de eius morte, deque rebus, quæ obtingere ei debebant, aperiret. In liberos præterea ſeu Iulum pietatem exercuit; quem ſecum vti poterat, ducebat:

——— *Dextra ſe paruus Iulus*
Implicuit ſequiturque patrem non paſſibus æquis.

Pro patria verò quoties in illo Troiæ excidio pugnauit? quoties & ſe & alios ad arma capeſſenda vir patriæ natus hortatus eſt?

——— *Succurritis vrbi.*
Incenſæ? moriamur, & in media arma ruamus.
Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem.

Hæc ille omnia pietatis argumenta poſteris in exemplum reliquit, ſed ex hoc vno decus vnicum, vel Superis inuidendum ſibi comparauit, cum humeris patrem annis grauem, & alioquin Troiæ incendio conſumendum, humeris ſuſtulit meliore flamma incenſus, hinc Emblema cuiuſdam Anonymi.

Per medios hoſtes patriæ cùm ferret ab igne
Æneas humeris dulce parentis onus.
Parcite dicebat: vobis ſene adorea rapto
Nulla erit, erepto ſed patre ſumma mihi.

In Principes amor & veneratio.

Reges ac Principes ex iuſtitia ſumma veneratione colendi ſunt. Seneca 1. de Clem. cap. 3. Vbi Clementiam decere Regem docuit, eſſeque magnis viris decori ac gloriæ virtutes, ſi illis potentia ſalutaris ſit, ſub dit. *Illius magnitudo ſtabilis fundataque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe ſciunt, cuius curam excubare pro ſalute ſingulorum atque vniuerſorum quotidie experiuntur: quo procedente non tanquam malum aliquod, aut noxium animale cubili proſilierit, diffugiunt, ſed tanquam ad clarum ac beneficum ſydus certatim aduolant, obiicere ſe pro illo mucronibus inſidiantium paratiſſimi, & ſubſternere corpora ſua, ſi per ſtragem illi humanam iter ad ſalutem ſtruendum ſit, ſomnum eius nocturnis excubiis muniunt; latera obiecti circumfuſique defendunt, incurrentibus periculis ſe opponunt. Non hic eſt ſine ratione populis vrbibuſque conſenſus, ſic protegendi amandique Reges, & ſe ſuaque iactandi, quocunque deſiderauerit imperantis ſalus.*

Magnæ mentis & ſagacis ingenij Tertull. ad Scapulam c. 2. Principem colendum indicit, vt hominem à Deo ſecundum, & ſolo Deo minorem, quem Dei ſpirantem & animatam imaginem licet appellare. Sic ad eius animum Plin. de Traiano. *Principem dat Deus, qui erga omne hominum genus vice ſua fungitur.*

In Præceptores & ſenes, honor, & obſeruantia.

Præceptores vt animorum parentes obſeruandi ſunt, cuius honoris fundamentum hoc ponit Seneca 6. de benef. c. 16. *In docendo & laborem & tædium tulit, præter illa quæ præcipientibus in commune dicuntur aliqua inſtillauit ac tradidit, hortando bonam indolem erexit, & modò laudibus fecit animum, modò admonitionibus diſcuſſit deſidiam: Tum ingenium latens & pigrum iniecta (vt ita dicam) manu extraxit: nec quæ ſciebat malignè diſpenſauit, quo diutius eſſet neceſſarius, ſed cupiit, ſi poſſet, vniuerſa transfundere. Ingratus ſum niſi inter gratiſſimas neceſſitudines diligo.*

Senibus aſſurgendum, quòd ad Dei ſimilitudinem propius accedant & ob ætatem ingraueſcentem à perturbationibus ſedatiorem veneratione digni, Seneca ep. 64. *Multum egerunt qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt: ſuſpiciendi tamen ſunt & ritu Deorum colendi. Quidni ego magnorum virorum & imagines habeam incitamenta animi & natales celebrem? quidni illos honoris cauſa appellem? quam venerationem præceptoribus meis debeo, eandem illis præceptoribus generis humani, à quibus tanti boni initia fluxerunt. Si Conſulem videro, aut Prætorem: omnia quibus honor haberi ſolet, faciam: equo deſiliam, caput adaperiam, ſemita cedam.* Magnorum fluminum capita veneramur.

Digitized by Google

Ab illis virtute præcellentes honorandi ſunt iuxta eiuſdem ſapientis monitum, ep.41 *Si videris hominem interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter aduerſa felicem, in mediis tempeſtatibus placidum ex ſuperiore loco homines videntem, ex æquo Deos, non ſubibit te veneratio eius? non dices, iſta res maior eſt altiorq́; quàm vt credi ſimilis huic in quo eſt, corpuſculo poſſit? vis iſtuc diuina deſcendit, animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora tranſeuntem, quidquid timemus optamusq́; ridentem cœleſtis potentia agitat, non poteſt res tanta ſine adminiculo Numinis ſtare. Itaque maiore ſui parte illi eſt vndè deſcendit, &c.* *pro paruulis, inſolentibus opponamus*

A fiducia quâ quis verſatur inter amicos, etiam ſuſpectos, qualis Traianus, qui apud Sextum ſocerum ſuum traditionis nomine ad ſe delatum ſolus diuertit ab eius tonſore, & cùm ipſe cœnare voluit. Talis Macedonum Rex Alexander acceptis literis proditionis inſimulantibus medicum ſuæ cuſtodem ſalutis, ab eo potionem medicam recepit, porrigens interim à Parmenione miſſam epiſtolam, quam legendam Philippo tradit, dùm dexterâ poculum haurit intrepidus.

Charitas in omnes.

Ab inuiſendis ægris amicis, atque ipſis ope ferenda, in rebus àduerſis cognoſcitur amica pietas; hanc in Gratiano commendat Auſonius. *Ægrotantes amicos Traianus viſere ſolebat, hactenus in eo comitas prædicanda eſt: tu & viſere ſolitus & mederi, præbes miniſtros, inſtruis cibos, fomenta diſpenſas, ſumptum adiicis medicorum, conſolaris afflictos, reualeſcentibus gratularis: in quot vias de vna eius humanitate progrederis?*

Ab amore, qui nunquam à iuſtitia diſcedat, ne ex Themiſtoclis mente, propter amicos violetur Laudatur Phocion, qui ſemel à Caricle genero ſuo rogatus, vt ipſi reo adeſſet in iudicio. *Ego Caricle ſi neſcis, ad omnia honeſta generum amaui.*

Æqualitatem inter impares aliquam facere iuſti Principis eſt, ne potentior in inferiorem viribus ſuis innixus præualeat: ſic enim quod paruulò deeſt, in fortuna ſua, Princeps è ſua magnitudine impertit. Equidem cùm reapſe nihil ſit inæqualius, quàm pauper & Diues, iure Princeps, cui cordi eſt omnibus paſſim adeſſe, iis, præcipuè manum porrigit, qui ſibi ipſis defuiſſe, & quibus alios obeſſe nouerit, Deum in hoc imitamus, qui tàm potentes quàm tenues, ad æqualitatem reuocat, dùm illorum arrogantiam, & faſtum deprimit, horum verò tenuem fortunam excitat & extollit; hæc mens fuit Theodorici Regis apud Caſſiodor. lib. 1. epiſt. 8. *Cordi nobis eſt cunctos in commune protegere; ſed eos maximè, quos ſibi nouimus defuiſſe: Sic enim æquitatis libra ſeruabitur, ſi auxilium largiamur imparibus, & metum noſtri*

Fidelis Iuſtitia.

A fide in creditis iuſtitia magnam laudem habet. Etenim vt ait Valerius Max, venerabile fidei Numen eſt, quod dexteram ſuam certiſſimũ humanæ ſalutis pignus oſtendat. Et vt verè Seneca, *ſanctiſſimum humani pectoris bonum eſt fides*, quæ potiſſimum elucet in creditis, pactis, cõtractibus, iureiurando, promiſſis, & aliis, quæ humani teſtimonii nomine comprehenſa, inter aſſumptos locos repoſuimus.

Prima eſt quæ datur illi; qui incertè & pacta ſine tabulis, & ſignis fideliter reddit: ſic enim vim habet votum illud Senecæ, 3 de Benef. c. 15. *Vtinam quidem perſuadere poſſemus, vt pecunias creditas, tantùm à volentibus acciperent! vtinam nulla ſtipulatio emptorem venditori obligaret! nec pacta conuentaq́; impreſſis ſignis cuſtodirentur! fides potius illa ſeruaret, & æquum colens animus. Sed neceſſaria optimis prætulerunt, & cogere fidem, quam ſpectare malunt.*

II In promiſſis, vel certo verbo conſiſtit: perilluſtris eſt in hanc rem Theodoſii laus à Pacato *Quis debitor verecundus ita mutuum ad diem reddit, vt tu, quod promittis appendis? nec imponi negligentibus arbitreris, quotidie in beneficia tua quærimus, & memoriam conuenimus, & ne ſingulis inſidietur obliuio, cum altero quiſque conferimus, vnum inuenire non poſſumus cuius ſpem, atque expectationem non dicam fefelleris, ſed quæ delicatior eſt querela, diſtuleris.*

III. Si ſeruetur fides hoſtibus, poſtpoſitis etiam generosè magnis commodis. Vox eſt digna quam Principes audiant Silii vatis.

—— Neu rumpite fœdera pacis
Nec regnis poſt ferte fidem. ——

De præſtantis animi viro ac fideli Regulo Tull. 3. Offic. n. 99. Regulus iuratus miſſus eſt ad Senatum, vt, niſi eſſent redditi Pœnis captiui nobiles quidam, rediret ipſe Carthaginem. Is cùm Romam veniſſet, vtilitatis ſpeciem videbat, ſed eam, vt res declarat, falſam iudicauit. In Senatum venit, mendata expoſuit, ſententiam ne diceret, recuſauit, quamdiu iure iurando hoſtium teneretur, non eſſe ſe Senatorem; ipſe Carthaginem rediit, neque eum charitas patriæ retinuit, nec ſuorum. Neque verò tùm ignorabat, ſe ad crudeliſſimum hoſtem, & ad exquiſita ſupplicia proficiſci, ſed iuſiurandum conſeruandum putabat. Itaque tùm cùm vigilando necabatur, erat in meliore cauſa, quàm ſi domi ſenex captiuus periurus, & conſularis remanſiſſet. Valerius Max. lib. 6. c. 6. Lipſius in politicis, 4.

PVNCTVM X.

Laus à Clementia.

HIc laudandam proponimus Clementem Iuſtitiam, cuius officium pulchrè deſcripſit Tacitus in Agricola. *Omnia ſcire, non omnia proſequi, paruis peccatis veniam, magnis ſeueritatem commodare, nec pœna ſemper, ſed Clementiâ eſſe contentum.*

Vt igitur ab ipſa Clementia & animi facilitate primum ordiamur, ſic de hac principe virtute diſſerit Stoicus in toga ſæpè ſui victor. 1. de Clem. c. 3. *Nullum Clementia ex omnibus magis, quàm Regem decet, Ita enim virtutes magnis viris decori gloriæq; ſunt, ſi illis ſalutaris potentia eſt. Nam peſtifera vis eſt valere ad nocendum. Illius demum magnitudo ſtabilis fundataq; eſt, quem omnes tàm ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe ſciunt.* Quam multis capitibus reperit. Eſt Clementia omnibus quidem hominibus ſecundùm naturam, maximè tamen decora Imperatoribus. In quacumque domum peruenerit, eam felicem tranquillamque præſtabit: ſed in Regia quò rarior, eò mirabilior. Quid enim eſt mirabilius, quàm cum cuius iræ nihil obſtat, cuius grauiori ſententiæ ipſi, qui pereunt, aſſentiuntur, quem nemo interrogaturus eſt, imò ſi vehementius excanduit, nec deprecaturus quidem, ipſum ſibi manum iniicere, & poteſtate ſua in melius placidi uſque vti. Non decet Regem ſæua & inexorabilis ira: non multum enim ſupra eum eminet, cui ſe iraſcendo exæquat. Si dat vitam, ſi dignitatem periclitantibus, & meritis amittere, facit quod nulli niſi rerum potienti licet. Vita enim etiam ſuperiori eripitur, nunquam niſi inferiori datur.

Nullibi melius quàm capite 16. virtutis huius præſtantiam pulchritudinemque demonſtrauit. *Nullum ornamentum Principis faſtigio dignius pulchriuſq; eſt, quàm illa Corona ob ciues ſeruatos. Eius eſt virtutis interdum tranſilire terminos æquitatis, quando ſola eſt miſericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recuſant.* Hac mente fuit Diocletianus Imperator qui rogatus quænam eſſet potiſſima dos Principis? liberalitatem & Clementiam reſpondit. Hæc cùm Aureliano defuiſſet, aſſerebat non ducem eſſe debere, non Principem: in eo verò ſummopere ſtuduit, vt Clementiæ cognomen mereretur, vndè Iouius appellatus: nam qui iuuat largitur & parcit Ius autem à quo clementia diuina virtus abeſt, crucem veteres dixerunt.

Eâdem fuit apud Græcos Pericles, is grauiter decumbens ex morbo, cùm audiſſet amicos trophæa celebrantes. Vos, inquit, laudatis ea quorum partem ſibi fortuna vendicat, & quæ pluribus a liis contigerunt, tacetis autem maximum quòd nemo Ciuium mea cauſâ veſtem pullam ſumpſerit, quòd in tanta potentia nihil iræ motibus & inuidiæ malus indulſerim. Quem ob id Plutarchus vocat Olympium.

Abhorret à ſanguine.

Ex his colligere licet Regiam hanc virtutem, & laudes ab ea deductas; quarum prima eſt abhorrere prorſus à ſanguine, vt quilibet magiſtratus ſit tanquã Plateenſium ille quondam Arcone apud Plutarchum in Ariſtide, qui nunquam ferrum tractabat, nec aliam, quàm veſtem candidã induebat, niſi fortè cum Græcis parentaret ad Plateas cæſis. Sibi delicias humani generis Titum etiam ad imitandum proponat, qui peritu-

tum

Digitized by Google

rum ſe potius, quàm alios perditurum aſſeruit, quin & Pontificatum Max. ob id ipſum ſuſcepit, vt putas manus à ſanguine ſeruare piè cogeretur: Antoninum Philoſophum, qui apud Dionem in Senatu palam hoc Clementis animi ſignum reliquit. *Abſit vt me tenente principatum* inquit, *veſtrum quiſquam meo veſtroque decreto, capite damnetur, quod ſi à vobis non impetraro, ibo celeriter ad mortem.* Deo digna vox, quæ hominis interitum vetat! De quo Capitolinus hæc habet: *Tantum ſanè auctoritatis apud exteras gentes nemo habuit, cùm ſemper amauerit pacem eò vſque vt Scipionis ſententiam frequentarit, qua ille dicebat, malle ſe vnum Ciuem ſeruare, quàm mille hoſtes occidere.* Vnde non immerito ille percuſſum eſt Numiſma, quod ciuicam coronam haberet cum his elementis.

S. P. Q. R.
AMPLIA-
TORI
CIVIVM.

Quid pulchrius de Principis gladio, quin illuſtrius dici poteſt, quàm de Neronis adhuc Clementis à cæde puro ſplendidoque, de quo ſic apud Senecam gloriatur 1. de Clem. cap. 1. *Conditum imò conſtrictum apud me ferrum eſt. Summa parſimonia etiam viliſſimi ſanguinis: nemo non, cui alia deſint, hominis nomine apud me gratioſus eſt: Seueritatem abditam, clementiam in procinctu habeo. Sic me cuſtodio, tanquam legibus, quas ex abdito ac tenebris in lucem euocaui, rationem redditurus ſim.*

Virtutem hanc mirificè commendant in Principibus ſuis Oratores, cùm ex illorum principe Tullio nulla re propius ad Deos accedant homines, quàm ſalutem hominibus dãdo. De Conſtantino Gallicanus; *Quia ſine ſanguine vitam veſtram ſeruare non licuit, pene diſplicuit, ipſa victoria.* Eumenius autem cùm animi ſenſu eandem clementiam in Conſtantij filio miratur. *O ſingularem tuam Conſtant. pietatem & ſua ſemper officia etiam inter arma ſeruantem! ſignum receptui dediſti, vt omnibus tibi liceret ignoſcere ne quid atrocius faceret miles iratus quàm Clementia tua natura pateretur. Nihil eſt enim tam perſpicuum, quàm in pectore tuo bonitas.*

Deuictis ignoſcit.

Aliàs ſumma cũ animi facilitate remittit pœnas omnes victis debitas: Conſtantino Gallicanus hanc ſui victoriam, hoſtiumque triumphum gratulatur. *O tandem felix ciuili Roma victoria! irrupit olim te Cinna furioſus, & Marius iratus, qui non ſolo ſe Octauij Conſulis capite ſatiarunt, ſed luminibus ciuitatis extinctis, exempla, quæ nunc toto ſexennio paſſa es, reliquerunt. Vicis tibi iterum ante portam Cellinam Sylla felix, ſi ſe parcius vindicaſſet, ſed multis capitibus noſtra compleuit. Conſtantinus victoria licentiam fine prælij terminauit, gladios ne in eorum quidem ſanguinem ſtringi paſſus eſt, quos ad ſupplicia poſcebas.*

Paulò antè fuſius hanc eandem Imperatoris clementiam celebrat idem laudatus Orator. *O pulcherrimum, & qui omnium oculis ſubiici debuiſſet triumphum, virtutis & clementiæ tuæ! Cuius enim potentia fuit hoſtibus arma diripere, eius humanitatis deditos ad impunitatem ſuis armis alligare, atque ita vincire; vt eos ferri illius, quod contra ſe geſſerant, quotidie pœniteret? gladius ille quem in te diſtrinxerat hoſtis infeſtus, ipſe domini ſui manus tenuit, & paratus ad cædem, cuſtos factus eſt ad ſalutem. Tibi vincunt gladij, tibi ſeruant, te pugnante feriunt, te ignoſcente cuſtodiunt. Vt Deus ille mundi creator & Dominus, eodem fulmine ſuo nunc triſtes, nunc lætos nuntios mittit: ita eadem ſub numine tuo tela, inimicos, aut ſupplices tuos pernicie, aut conſeruatione diſcernunt. Eripuiſti, Imper. aduerſariis tuis gladios, ne quis incũberet dolori, ſuperaſti, & eoſdẽ manibus ſuis innoxios reddidiſti: vt clementiæ & vindictæ tuæ ſatisfaceres, quorũ ſanguini pepercerat, arma fregiſti. Vita enim hominũ diu parta ſemper ſeruanda eſt. Scilicet ferrum inuentu facile, vſu mutabile; Ideo quæ erant reparabilia, conflaſti, quod rediuiuum non erat, reſeruaſti.*

Seneca cõmendat Auguſtũ, quòd illatas ſibi ſæpius iniurias liberaliter remitteret. 1. de Clem. cap. 10. *Bonũ Principẽ Auguſtũ, & bene illi conueniſſe parentis nomen, fatemur. Ob nullã aliã cauſam, quàm quod contumelias quoque ſuas, quæ acerbiores principibus eſſe ſolẽt, quàm iniuria, nulla crudelitate exſequebatur: quod probroſis in ſe dictis arriſit: hoc eſt ignoſcere, cũ ſcias multos futuros, qui pro te iraſcantur*

cantur, & tibi alieno ſanguine gratificentur, non dare tantùm ſalutem ſed præſtare. Rationem huius ſubiicit. 3 de Ira. *Ingens animus & verus æſtimator ſui, non vindicat iniuriam, quia non ſentit.*

Coactus punit.

Multis à Clementia Princeps commendatur, ſi vix adducatur ad puniendũ, idque coactus faciat, nec per ſe, ſed per aliquem alium. Eo quondam animo fuiſſe Nero creditur: *Animaduerſurus,* inquit Seneca 2. de Clem. cap. 1. *In latrones duos, Burrus Præfectus tuus vir egregius, & tibi Principi natus, exigebat, à te ſcriberes in quos, & ex qua cauſa, animaduerti velles. Hoc ſæpè dilatum, vt aliquando fieret, inſtabat. Inuitus inuito cùm chartam protuliſſet, traderetque, exclamaſti Vellem neſcire literas. O vocem in concionem omnium mortalium mittendã, in cuius verba Princeps, Regesq́; iurent! ô vocem publica generis humani innocentia dignam.*

Sed ornatiſſimè Theodoſium ab hac virtute commendat Pacatus, quòd vix paſſus ſit Maximum indigna morte extinguendum occidi, tàm ſingularis erat eius animi facilitas & manſuetudo. *Habet neſcio quos internos mens ſcelerata carnifices, aut ipſa ſibi carnifex conſcientia eſt, aut quod magis credo, omni ſeuerius eſt quæſ[illegible] è te interrogari, ad primam tuam vocem nefario pectori ex vſſu confeſſio eſt, nec cunctari ſaltem aut muſſitare potuit, quia conſilium omne nudaret, ſe videlicet pauperis tui obtendiſſe prætextum, quòd aliter non potuiſſet allicere militum ſocietatem, niſi auctoramenti ſui te finxiſſet auctorem. Et poſt hanc tu vocem non illum in crucem tolli, non culeo inſui, non diſcerpi in fruſta iuſſiſti, non poſtremo illam tanti ream mendacij linguam radicitus erui præcepiſti, cum eorum parte vitalium quorum fuerat loquuta commentum, quin iam cœperas de eius morte dubitare, & deieceras oculos & vultum rubore ſuffuderas, & cum miſericordia loquebaris. Sed benè eſt, quod non omninò potes, tui te vindicant & inuitum. Rapitur ergo ex oculis, & ne quid dicere poſſet clementiæ inter innumeras manus fertur ad mortem. Ecce iterum Imper. auerteris, & illam exitus relationem grauaris. Iam eſto ſecurus, gerat Clementia tua morem, quod noluiſti videre, non audies.*

Lenitatem ac manſuetudinem eandem amat in Conſtantino Nazarius. *O tuam Imper. non victoriam magis, quàm Clementiam prædicandam! grauatè etiam apud animum tuum malè pereunt. Inuitus pugnaſti, qui tam facilè vincebas. Ferebas illum in tantis malis ludentem, & cum omnia ſcires vota hominum conniuendo, patiendo fatigabas. Qui ne iniuſtè quidem arma caperes, etſi nondum ab homine laceſſitus, iam tamen vitiorum eius inimicus, quod erat conſentaneum Clementiæ tuæ, experiebaris remedia meliora, vt quod leniri, quàm reſecari malles, mitior medicina ſanares. Quia extorques animo tuo conueniendi ſtudium, & concordiæ voluntatem; ſi concordiam, quam veniam appellari fas eſt, cùm qui poteſt vincere, optat ignoſcere.*

Victis vitam & liberalitatem concedit.

Clementiæ ſingularis argumentum eſt, cùm victor offenſus, victis vitam, fortunas, libertatem redonat. Digna ſapiente Seneca vox, 1. de Clem. c. 20. Magni animi eſſe iniurias in ſumma potentia pati, nec quidquam eſſe glorioſius Principe impunè læſo. Quod equidem diuinam mentem ſapit: Is enim Dei mos eſt condonandi iniurias, vt non modò nobis ignoſcat, ſed in ſuam etiam amicitiam recipiat. Quis Cicerone melius opus hoc excelſæ mentis commendauit, dùm Oratione pro Marcello, n. 8. ait. *Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduerſarium nobilitate, ingenio, virtute præſtantem, non modò extollere iacentem, ſed etiam amplificare eius priſtinam dignitatem: hæc qui faciat, non ego cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico.*

Fecit Theodoſius cuius Clementiam his coloribus adumbrat Pacatus. *Vtcumque virtutis tuæ operam curioſa poſteritatis oculis artificum manus reddet, cùm te vel Alpium dorſa ſuperantem, vel flumina obiecta tranãtem, vel agmen hoſtile triumphalibus veſtigiis atterentem pictorum atque fictorum aſſequetur imitatio. Clementia Imper. tua, quo cælo, quo pigmento, quo ære, auróue ducetur? quã tu ipſius victoria victor, ita omnem cum armis iram depoſuiſti, vt ceciderit nemo poſt bellum. Nullius bona publicata, nullius mulctata libertas, nullius præterita dignitas imminuta, nemo affectus, nemo notã, nemo conuitio, aut deniq; caſtigatione perſtrictus,*

pam-

Digitized by Google

pam capitis aurium ſaltem moleſtia fuit. Cuncta domibus ſuis, cuncti coniugibus ac liberis, cuncti denique innocentia, quod eſt dulcius, reſtituti ſunt. Vide Imperator quid hac clementia conſecutus ſis, feciſti vt nemo ſibi victus, te victore videatur.

Cauſam reddit Liuia quæ viros Principes mouet ad diuinam hanc virtutem, quam compellat Auguſt apud Xiphilinum ex Dione. *Plura colligi poſſunt, inquit, humanitate ac benignitate, quam vlla crudelitate: Etenim qui veniam dant, non tantùm cari ſunt his, quibus miſericordes ſunt, itaut meritam illis gratiam referre contendant, ſed etiam à cæteris coluntur, itaut his iniuriam facere nemo audeat.*

Multa commendant in clementia Panegyriſtæ nobiles. Gallicanus Cõſtantinum celebrat, quod tantum vincula victis inieciſſet, vt non ſe redderent indignos Clementia, atque cogerentur eo vti, ſic enim iterum rebellare prohibebantur: Eidem mite ingenium, & animi facilitatem gratulatur Eumenius. *Gratulare Conſtantine natura ac moribus tuis, quod talem te Conſtantinus pius genuerit, talem ſyderum decreta formauerint, vt crudelis eſſe non poſſes.* Cæſari Tullius pro Marcello. numero 19. *Gaude tuo iſto tam excellenti bono: & fruere cùm fortuna & gloria, tum etiam naturâ, & moribus tuis: ex quo quidem maximus eſt fructus, iucunditaſque ſapienti. Cætera cùm tua recordare, etſi perſæpe virtuti: tamen plerumque felicitati tuæ congratulabere de nobis, quos in Republica tecum ſimul ſaluos eſſe voluiſti; quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de ſingulari ſapientia tua cogitabis.*

Idea Principis Clementia ſingularis.

Per me licet Principes alii, quorum nulla re præter crudelitatem nobilitatum eſt imperium, ſe magis ad externorum terrorem, quàm ad ſuorum amorem ac beneuolentiam fingi, pingique curauerint. Iſti fulmen tonantis Iouis in manibus, aut clauam furentis Herculis; alij fulminantis Martis haſtam, alij Neptuni ferocientis Tridẽtem terroris inſignia portauerint. N. qui Principis faciem, quàm perſonam habere mauult, aliâ ac authoritatem graſſatur via, & in oculis amorem, in vultu beneuolentiam, in fronte ſerenitatem, in ore gratiam, gladium in manibus, ſed pacata olea hebeſcentem, in pectore lilium, omnibus denique corporis, & animi votis humanitatem præ ſe ferre gloriatur. Cui ſi Clypeum Alcibiadis, in quo ſimulacrum cupidinis tenera manu fulmen librantis, mira depictum arte dederis, nullius quàm amoris viribus inuicti Principis arma, ſed fulmina, cohiberi poſſe docueris. Hoc videlicet præcipuum eſt N. vitæ totius ac laudis argumentum. Hæc animi facilitas, cætera magnæ mentis argumenta ſic lucis ſuæ ſplendore compleat atque amplectitur, vt contuentium oculos, non quia maior præſtantiorque ſit reliquis virtutibus, ſed quia iucundior, ac gratior, in ſe propemodum conuertat.

Et verò mihi per egregia virorum Principum facinora circumferenti curioſiùs oculos, & apud animum meum reputanti, quibus quiſque rebus clariſſimi viri magnitudinem inueniſſent, compertum eſt, Scipioni laudis aliquantò plus acceſſiſſe, quòd nobilium fœminarum pulchritudinem temerare abſtinuerit, quàm quod vrbes ſolo exæquarit. Illud glorioſè fecit, ſui primùm victor N. & iſtud fortiter exequi potuit. Teſtis Apamea quæ vel hodie gloriatur ſe victam à tanto Principe, nec violatas à militibus virgines, ſed Ducis imperio ſimul & vigilantia intactas remanſiſſe. Plus Marcello quod lachrymis ſupremos Syracuſarum ignes aſperſerit, quàm quod eos iniici ſpargique ſuperbius imperauit. Maluit N. lachrymas interni mœroris, ac pœnitentiæ indices ex oculis obſeſſorum, ac rebellium ſeſe dedentium elicere, quàm ex venis ſanguinem extrahere maluit. Teſtis Gottica Francia, quæ non eſſet, ſi tam clementem, tam manſuetum Principem hoſtem non habuiſſet. Plus gloriæ retulit Pompeius, quòd ſuos ad pedes abiectum Regem Armeniæ Tygranem confeſtim erexerit, & in priſtinam florentis fortunæ dignitatem reſtituerit, quàm ſi belli memor & iniuriarum illum, vel naturæ, vel regni finibus exterminaſſet? Quid ad æternæ laudis cumulum Principi N. deeſſe poteſt? qui ſe ea moderatione

tione geſſit in victoria, vt alterius illa videretur eſſe potius, quàm victoris; ea facilitate, vt deuicti perituros ſe, niſi per illum tam feliciter periiſſent, fateantur; ea dignitate, vt ne vnus ſe victum conqueratur, omnes verò triumphatos ſe palam glorientur; hæc Franciæ vox vna eſt N. humanitatem deprædicantis, qui dum beneuolentia demeretur omnes, dumque ſub iugum mittit nocendi ſæuiendique cupiditatem, in arce victoris animi trophæum erigit, non ad caducam hominum commendationem, ſed ad memoriam Dei Angelorumque ſempiternam.

Vellem vt quam ſemel manſuetudinis ſuæ præconem nactus eſt Cæſar Eloquentiam, ſuæ ſemper Clementiæ, Cæſare maior haberet N. noſter. Plus inerat in illo manſuetudinis, quàm vt contemni deberet, fateor: minus tamen quàm vt ei, de cuius nunc humanitate ſingulari ac propè diuina loquimur, adæquari poſſit. Victis vitam dabat Cæſar, vt datam exprobraret, & ſic magis pro crudelitate veniam, quàm pro Clementia laudem meruit. Princeps N. non modò victis ſalutem ac dignitatem expetiit, ſed infeſtiſſimos ſibi atque inimiciſſimos beneficiis ac honeſtiſſimis conditionibus deuinxit; itaque diſcordiarum flammas benignitatis ſuæ fonte reſtrinxit, vt ne veſtigium quidem vllum in animo ſuo inimicitiæ, & acerbitatis reſederit. Illa eſt vera Clementiæ laus quæ laceſſita, nunquam per inimici pectus gladium adigit. Hæc Conſtantinis, Theodoſiis, Carolis, Magni cognomen attribuit, quibus nihil prius, & antiquius fuit, quàm vt omnes beneficiis allicerent. Ille prædicabat, & verò etiam reipſa comprobauit, nec fortunam ſuam habuiſſe quidquam maius, quàm vt poſſet, neque naturam melius quàm vt vellet ſeruare quamplurimos. Non deerant qui crudelitatis facibus mite pectus incenderent; quibus inſtantibus, vt in Imperatoriæ ſtatuæ violatores ferro flammaque ſæuiret, reſpondit, poſtquam manu faciem leuiter contrectauit; ire ne vulnus quidem vllum ſentio. Diſcite vel ex hoc, quantæ virtutis ſit ferocientes animorum fluctus frangere, magnus erat; quia clemens.

Pauci demollendis, euertendis, expugnandis, profligandis hoſtibus, cruore hominum atque cæde ſibi nomen pepererunt. Generis humani deliciæ Theodoſius protegendis ſuis, conſeruandis hoſtibus, liberandis oppreſſis, repulſanda ab innocentium ſimul ac nocentium ceruicibus, internecione, nomen ſibi decuſque comparabit; & hoc votum animi compoſiti ſpecimen poſteris tranſmittet, vellem & mortuos ad vitam reuocare, ſi fieri poſſet. Magnus erat; quia clemens.

Taceo Caroli Magni ſingularem in gubernando moderationem, indulgentiam in victos, clementiam in omnes, tantamque morum ſuauitatem, vt nihil intereſſe priuatum inter, & Principem putares, niſi quod à pluribus amaretur, ipſe plures amaret; magnus erat, quia clemens.

Quid N. quàm feliciter, & generosè efferueſcentes animi motus comprimit, ne violento quodam abreptus impetu cupiditatibus obſequatur, & in malemeritos iuſtè ſæuiat? qui ſic ab inferendis iniuriis abſtinet, ac ſi nullius cuiquam delicti veniam dediſſet; qui ſic omnibus ignoſcit, ac ſi omnes læſiſſet, qui nullos vnquam niſi contumaces, & armatos Dei Regiſque hoſtes odiſſe poteſt, ac perſequi; qui nihil timet, quàm ne à ſuis timeatur, ne aliud optat ex ſuis quàm vt amare velit, & amari ſe credant. O veram altitudinem animi! ô morum grauitatem, quam non dignitatis amplitudo ſuperbam, vel effrænatam, non ardor mentis temerariam, vel præcipitem ad iraſcendum, non iniuriarum magnitudo impatientem efficere potuit. Hoc eſt quod in N. rebus geſtis admiror, hoc eſt Principe dignum facinus quod ad poſterorum memoriam, & exemplum tranſmittere debuit. Mundum alij non tam paſſibus, quam triumphis peragrent, & orbem vniuerſum armorum ſuorum gloria terroreque compleant, dum N. ſui victor, de inimicis ſuis, illis benefaciendo triumphet.

Etenim quâ moderatione priuatas ſubit iniurias, ſubit? Deus Immortalis! imo vt ſæpe contemnit? vt iis vitam & honores expetit, quorum ſanguinem, ac necem, ſi iuſtè ſeuerus eſſe velit, expetere poteſt: Illi grauiter impudentes ſannis ei non illudere, non votis malè precari verentur; alij maledictis bonum, ac publicatum Principem inceſſere religioni non ducũt, vtriſque Deo gratus, & hominibus amabilis. N. condonabit; iſti nihil malunt; quàm quod ei diſplicet, vel obeſſe

poſſe cre lũr;quibus deuictis ſic parcit,vt agnoſcât,ſibi pereũdũ,niſi ſubmiſſis armis N. ceſſiſſet victoriã, qui nihil victor aliud exigat,quàm diligi.

Scit ipſe, quem nihil latere poteſt, niſi quod ignorare velit, cur Principes Numinis vices in tertis gerant,nimirum vt iniuriarum obliti,omnibus pariter amicis,ac infenſis benignè faciant. & ſemet libenter impertiant, quàm vt ſeueriùs imperirent. Ex illo beato fonte mirabiles de ipſa Clementiæ voces,quibus hoſtes ipſos,leui velut aſpergine foueret, manarunt. Vnam de multis mirare dignam certè,quæ memoriam poſteritatis & linguam occupet. Hunc ad vindictam de inimicis iuſtè repetendam, ſi verborum facibus admotis iuuare velit aliquis,ſi contemptores authoritatis,ad aliorum terrorem, & exemplum, caſtigandos ſuggerat,ne facilitate dignitati decedat aliquid eius inanem metum conſtanti manſuetudine laudet ac refellet,contentus ſolita magnitudine ſua,quâ nulli magis carent,quàm qui ſeuerâ fronte ſibi maieſtatem expugnare volunt: Imò ipſius Clementiæ voce reſpondebit. *Malo me mea lenitatis, & Clementiæ pœniteat, quàm pudeat ſæuitiæ, vel ſeueritatis aliquando remordeat.* Magnifica verò vox, & par tanto Principi effatum digniſſimum. Neque enim amore vileſcit vnquam filio patris aſpectus, cumque N. ſuæ magnitudinis ſecurus ſit amorem ducit ex humanitate, fiduciam ex amore: neque familiaribus alloquiis plus illi perire dignitatis poteſt quàm Soli radios infernè demittenti: ſic fit vt cùm omnes amari ſe ſentiant,nulla vnquam eos aut viſendi tám boni Principis ſatietas,vt amandi faſtidium capiat.

Vides vel hoc vno fortunata Gallia, vtrum commemorata verbis tantum,& non ipſis etiam factis vſurpata ſint hæc quæ,de Principe tuo Clementiſſimo humaniſſimoque dicta ſũt. Tanta enim verò,tàm facilis eſt eius humanitas, vt hoc tantum maior inter alios eſſe velit, quòd melior & quemadmodum de Pompeio quondam Deus Eloquentiæ Cicero, qui dignitate Principibus excellat, facilitate par infimis eſſe videatur. Tantâ comitate,vt omni tempore ad illum acceſſus ſit,non modò ſummis,ſed etiam infimis hominibus,quàm difficilis receſſus,nec quiſquam illum fama cognoſcit,quin videre cupiat,nemo videt, quin vehementer amet.

Fingunt Poëtæ,quibus nihil non licet,retentum in Iouis dexterâ fulmen aſtrictumque loris net emerè de ſiliret in ceruices mortalium,ſomnia delirantis iſta ſunt. Perhibent hiſtoriæ faſces ſecureſque Romanorum Conſulum retinaculis fuiſſe compreſſas,ne præcipiti quodam iracundiæ motu abrepti ſæuirent in reos,& plebem. Sit ita:N. Clementiæ Princeps non iſta requirit ad animi commotiones reprimendas;quis eius naturæ bonitatem agnouit,non ſuſpexit,non prædicauit? furoris fulmen aſſiduâ laboris contentione frangit;vindictæ grauiori faſces, beneuolentiæ faſcia retinet terroris ſecures,ſecur iratis Clypeo retundit,atque apertiores iracundiæ ſtimulos,ſi qui fortè excitetur in animo,in dulgentiâ ac remiſſione hebetari permittit. Quare liceat Principem humaniſſimũ iuſto honeſtare cognomento,non terrorem orbis,cum Attila; non Cerauniũ,cum Antiocho, ſed Pium,cum Antonino,delicias orbis,cum Tito, imò totum Clementem,imò ipſam Clementiam.

Pvnctvm XI.

Laus à Iuſtitia & ſeueritate.

QVid ergo tantamne Clementiam Princeps adhibere debet, tantam humanitatem ad iacentes, proſtratoſque erigendos,vt nunquam porrectum à Iuſtitiæ legibus gladium prehendat ſtringat,& in pugnacium hominum iugulis induat? Atenim ei,qui cùm parcit improbis,probis nocet,ſeueritatis aculei identidem erigendi ſunt enſes aliquando rebellium ſanguine cruentandi Et illud verum eſt,ſeueritatis eius aciem propemodum hebeſcere videri,quod ipſa lenitatis innatæ effuſa in remiſſiorem indulgentiam benignitas,poſt deſpicientiam tamen iuſtitiæ ſtimulis ſeipſa excitet,ignem accēdat,ſubigatq; vt frangat quod flectere non poteſt. Princeps intelligat Reſpublicas omnes præmiis iuxta,ac pœnis contineri omnia Regna tũ leniſſimis rebus,tum ſeueriſſimis decretis communiti?prqinde Iuſtitiæ

munera non prætermittenda,ſed Dicem inter ac Themidem collocatus,hinc ſtricto gladio, formidabilis.hinc pendéte trutina æquabilis,juſtos & pro Repub. ſuſceptos labores præmiis, & ſplendore condecoret? crimina verò eorumque vel auctores, vel artifices, poſtquam depoſitæ frugis eſſe nouerit,damnis,exilio ſuppliciis,morte denique plectat.

Venuſta ſatis imagine Rex Athalaricus apud Caſſiodorum,lib.9.epiſt.2.Iuſtitiæ neceſſitatem probat,dum illam florentem Reipub. arborem ſucco fœcunditatis animantem, pulchramque Regni faciem animo decorantem facit, internamque ſanitatem ipſi reddit, ac ſecuritatem *Arbor quam florere vides,quam ſumma conſpicis viriditate lætari,ſubterraneo ſucco fœcũditatis animatur,reddẽs in ſuperficie,quod cõtinet in radice.Hominum quoque vultus magna hilaritate decoratur, ſi viſceribus ſanis grauamẽ nullius ſentiat læſionis.Sic Regnum iure dicitur integerrimum,ſi nuſquam fuerit imminutum.Hoc fieri poteſt,cùm vndique ſubmonetur effrenata licentia, nec datur auſus menti maligna,ſub abominabili libertate peccare.*

Seueritas igitur altera pars Iuſtitiæ laudatur, quòd à zelo æquitatis ſumat originem: quare Comnenus Imper. ſuos Præſides ſic alloquebatur: *Aut iniurias,aut vitam relinquite:nam vos iniuſtè agere & viuere,nec Deo gratum,nec mihi eius miniſtro ferendum eſt.*inſignis fuit hac in parte,& propè ſingularis Traiani Imperatoris animus, qui Præfectum Prætorianarum Cohortium creans,atq; de more nudum ei gladium, porrigens. Accipe gladium,aiebat,quem pro me ſi benè, & cum ratione imperauero, diſtringes;ſin minus, eodem ad interitum meum vtere.

Iuſta Seueritas in hoſtes.

In genere ſeueri Principes laudari poſſunt eo modo, quo Eumenius Rhetor Conſtantinum à ſeueritate,in deuictos hoſtes.*Hoc eſt*,inquit,*Imperatorẽ fretũ eſſe virtute ſua atque fortuna, hoc eſt. non pacẽ emere parcendo,ſed victoriã quærere prouocãdo.Inſuper Ponte faciẽdo reliquiis afflictæ gẽtis inſultas,ne vnquã metus ponat,ſẽper horreat ſẽper ſupplices manus tendat,cùm tamen hoc tu magis ad gloriam imperij tui,& ornatum limitis tui facias,quàm ad facultatem quoties velis,in hoſtem tranſeundi.*

Porrò Iuſtitiæ fundamentum illud, & caput eſt,vt in tuendis legibus grauitas,& cõſtantia, in coërcendis etiam improbis moderata ſeueritas adhibeatur.Sic vt nullus contra ius & æquitatem ambitioni ſit & potentiæ locus pecuniæque nullus,& atrocitatis interim abſit,& crudelitatis opinio.Verè Princeps Iuſtus eſt,cum nihil contra ius aut obtineri per gratiam,aut per metum expugnari,aut impetrari precibus,aut vtilitatis aliqua ſpe remitti,ac condonari patitur,cum hominibus & Deo debitum ſoluit,illis quod ſuum eſt reddendo,huic cultum,timorem,amorem; laus non Iuſtitiæ magis,quam pietatis,dum ad diuini Numinis, ac ſanctorum contumeliam effuſam linguæ petulantiam acutiore edictorum ſtylo configit.

Iuſtus dum ſalubetrimis edictis,ac ſeueriore legum diſciplina, turpiſſimos gladiatores, imò graſſatores ac ſicarios mutuis ſe cædibus,ac impio parricidio conficientes;coërcet, ac fœdiſſimum illud latrocinium execrandumque ſingularis certaminis genus & carnificinã,infami mortis ſupplicio reprimit.

Iuſtus dum æqua lance ſine perſonarum acceptione præmia ſuppliciaque decernit.Nam Deus ait Cyprianus epiſt.59.Cuius præ cæteris ſpirantem imaginẽ ſe Princeps eſſe gloriatur:*Vt perſonã non accipit,ſic nec ætatẽ,cùm ſe omnibus ad cæleſtis gratiæ conſequutionem æqualitate librata præbeat patrem.*Hoc de Traiano prædicabat Plinius.*Tàm æqualis ab õnibus ex aduentu tuo lætitia percepta eſt, quàm õnibus veniſti.*Nec aliter de Theodoſio Pacatus.*Vt te õnibus Principẽ,ſingulis exhiberes Senatorẽ,vt crebro ciuilique progreſſu,non publicata tantùm opera luſtraueris,ſed priuatas quoque ædes diuinis veſtigiis conſecraueris.*Sapienter Arnobius aduerſus gentes. Magnorum eſt mentiũ pari pondere cunctos lance, & indiuiduas cunctis beneuolentias exhibere.

Iuſtus dum in conſiliũ adhibet ſapientiæ Antiſtites,quos veterum exemplis doctrina inſtruxit,documentis ſuis ſæpè & nocumẽtis erudiit, Senectus feruore animi temperata, rebus fecit aptiores,dum ſapiens fit illorum ſapiẽtum commercio.

mercio, quorum ſe conſtantem ac ſtrenuum profitetur adminiſtrum. Qui quam neceſſarij ſint ſcribit Saluſtius ad Cæſarem. *Ego ita comperi, omnia regna, ciuitates, nationes vſque eò proſperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt. Vbicumque gratia, timor, voluptas ea corrupere, poſt paulò imminutæ opes, deinde ademptum imperium, poſtremò ſeruitus impoſita eſt.*

Egregium virtutis & Iuſtitiæ ſpecimen eſt, Principem in diligendis Regni præfectis, & adminiſtris non gratiæ, non fauori, non opibus, non nobilitati quidquam dare, ſed optimo, quoſque, morum integritate, prudentia, ſapientia, literiſq; commendatos muneribus præficere. Quod fecit Alexander Seuerus, de quo Lampridius. *Præſides & Proconſules & Legatos vnquam fecit ad beneficium, ſed ad iudicium, vel ſuum, vel Senatus.* Hinc Democritus apud Stobæum ſermone 44. *Iuſtitiæ & virtutis maximam partem habet, qui honore dignos honorat.* Ita de ſeipſo Theodoricus per Caſſiod. lib. 6. ep. 26. *Exeunt à nobis dignitates relucentes, quaſi à Sole radij, vt in orbis noſtri parte reſplendeat cuſtodita iuſtitia*, ſcilicet ſeipſum pulcherrimum Solem puritatis & Iuſtitiæ aſſertorem & vindicem oſtendit, à quo virtutis & Iuſtitiæ radij tanquam illius pars exeant, qui magiſtratus probis, aptiſque diſtribuit.

Moderata Seueritas.

Prudenter omninò Tullius pro Oppio. *Multum poſſe ad ſalutem alterius, honori multis: parum potuiſſe ad exitium, probo nemini fuit*: quibus monere Principes videtur, nihil per iniuriam eſſe faciendum, neque vtendum ad quæuis potentia ſua neque iræ præcipitis fræna, velut equo feroci, ſuum Aurigam deferendi, laxanda: *Quid enim diſcrepat à peccante, qui ſe per exceſſum nititur vindicare*? ait Caſſiodorus, lib. 1. ep 30. Bonus & Iudex & Princeps nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed iuxta leges & iura pronunciat, ſtatutis iuris obtemperat, aliis imperans, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum, & meditatum domo defert, ſed ſicut audit, ita & iudicat. Talis Imperator Hadrianus de quo refert Dio Caſſius mulctaſſe quidem reos morte, quos nec indicta cauſa damnauit, neque ægrè tulit, quod hi cauſam dicerent, imò patrocinium, & defenſionem eorum ſuſcepit. Benè omnino: qui enim in alteram partem inaudita cauſa decernit, ius licet decernat, iniuriam tamen facit, quem ſeueritatis modum, & rationem multis approbat Caſſiodorus ſæpè in his laudandis, lib. 7. epiſt. 8. vbi Principis ſui nomine Præfecto vigilum vrbis Rauennatis formulam aduerſus fures præſcribit: ſic enim. *Quamuis nomen odioſiſſimum furum generalis perſequatur aſſenſus, tamen quia de effuſione humani ſanguinis agitur, nihil ſubitum aut indeliberatum iubemus aſſumi Modeſtiam ſequere, qui damnas audaciam; continentiam dilige, qui furta condemnas. Ad geſta perducti audiantur aliquid pro ſalute dicturi; quoniam quidquid non diſcutitur, Iuſtitia non putatur.*

Regiè ſimul & piè Rex Theobaldus apud Caſſiodorum, lib. 10. epiſt. 16. Senatum Rom. ſic alloquitur. *Imperioſa nimirum res eſt pietas noſtra, quando propria voluntate vincimur, qui alienis conditionibus non tenemur. Nam cùm Deo præſtante, poſſimus omnia, ſola nobis licere credimus laudanda.* Sic magno iudicio Plinius ad Traianum. *Vt felicitatis eſt, quantum velis poſſe, ſic magnitudinis velle quantum poſſis* Hoc eſt quantum iurè poſſis, quantum liceat, quantum deceat, quantum honeſtum ſit, & iuſtum. Quid enim ſi pro dulci Iuſtitiæ fructu, ſalute ſcilicet, & incolumitate vitę, quam Principes, & Magiſtratus ſubditis afferre debent, exitio & ruinæ per iniuſtitiam exiſtant? & qui portus eſſe debet, fiat ſcopulus. *Deteſtabilis quidem eſt omnis iniuria, & quidquid contra leges admittitur, iuſta execratione damnatur, ſed malorum omnium probatur extremum, inde detrimenta ſuſcipere, vnde credebatur auxilia prouenire: Exaggerat enim culpam in contrarium verſa crudelitas, & maius reatui pondus eſt inopinata deceptio*, dicebat olim æquitatis obſeruantiſſimus, apud Caſſiodorum ſuum, Theodoricus, libro 4. epiſt. 22.

Hoc eſt Regnum, nolle regnare cùm poſſis: nihil enim æquè Principi glorioſum, & maieſtatis plenum eſt, quàm poteſtatem iudicio reſtringere, eique præfigere terminos, quos æquitas, & ratio præſcribunt. Ea Nazarij mens eſt in Panegyrico ad Conſtantinum, inde omnino Principem capacem imperij, ſiue incapacem arguentis, ſi aut poteſtatē contineat, aut de ea licentiam

Digitized by Google

faciat. *Hominem, ait, non imperando habilem, non tantæ maieſtatis capacem talem eſſe, vt magnitudo malè crediti muneris, extra animi anguſtias effluat, quod qui tueri nequeunt, vbi ſub tanto onere fortuna, infirmitas lapſa eſt, faciunt de licentia poteſtatem.*

Iudicis partes & officium.

Ad extremum memini Ciceronis boni Iudicis conditiones, & munera recenſentis, Manſuetudinem, Legem, Religionem; Æquitatem, Conſcientiam eiuſdem commendantis. Sapientis Iudicis eſt, ſe hominem meminiſſe, cogitare ſibi tantum à populo eſſe permiſſum, quantum commiſſum, & creditum ſit, & non ſolùm ſibi poteſtatem datam, verùm etiam fidem habitam eſſe recordari: poſſe quem oderit, abſoluere, quem non oderit, condemnare; & ſemper non quid ipſe velit, ſed quid Lex, & Religio cogat cogitare: animaduertere, qua lege reus citetur, de quo reo cognoſcat, quæ res in quæſtione verſetur. Cùm hæc ſunt videnda, tum vero illud eſt hominis magni, & ſapientis, cùm illam iudicandi causâ tabellam ſumpſerit, non ſe putare eſſe ſolum, neque ſibi quodcumque libuerit licere, ſed habere in conſilio Legem, Religionem, Æquitatem; Libidinem autem, Odium, Inuidiam, Metum, Cupiditatéſque omnes amouere maximéq; æſtimare conſcientiam mentis ſuæ, quam ab ipſo Deo accepimus, quæ ſi optimorum conſiliorum, atque factorum teſtis in omnia vita nobis erit, ſine vllo metu, ſumma etiam cum honeſtate viuemus. Denique monitum eſt fratre dignum ad Q. fratrem. *Cùm permagni hominis eſt, cùm ipſa natura moderati, tùm vero etiam doctrinâ, atque optimarum artium ſtudiis eruditi, ſic ſe adhibere in tanta poteſtate, vt nulla alia poteſtas ab iis, quibus præſit, deſideretur.*

Pvnctvm VII.

Laus à Verecundia & Modeſtia.

Virtutes Verecundiam & Modeſtiam vltimò nominamus, quòd ſint reliquarum tutrices, & conſeruatrices, ſine quibus abeunt in vitium aliæ. Verecundiam autem primam conſtituimus, quòd ſit alterius nuntia, hæc ſit index, imò ad eam via certa, & compendioſa. Verecundiam hanc grato vultus rubore ſignificatam in adoleſcente commendat Seneca, epiſt. 11. *Vt ſe collegit, verecundiam, bonum in adoleſcente ſignum, vix potuit excutere: adeò illi ex alto ſuffuſus rubor hic illum quantum ſuſpicor, etiam cùm ſe confirmauerit, & omnibus vitiis exuerit, ſapientem quoque ſequetur.* Quid amabilius verecundo adoleſcente? quàm pulchra, & quàm ſplendida gemma eſt morum Verecundia in vita, & vultu adoleſcentis? quam verè & minimè dubia bonæ ſpei nuntia exclamat magnus modeſtiæ doctor Bernardus 86. in Cantica. Neque mirum; nam pudoris iactura flagitiorum omnium certiſſima parens eſt, vt habet Nazianz. epiſt. ad Olympiadem. Quem florem pulchritudinis nominat carmine 36. *ἄνθος ἐράσμιον*, qui virtutis ſuaui colore genas inumbret. Non aliter vates Menander *πᾶς ἐρυθριῶν χρηστὸς μοὶ δοκεῖ*. Quiſquis erubeſcit ille mihi probus videtur. Quidam indolis bonæ ſpecimen vocant, Plinius maior os probum in Pompeio miratur, & honorem eximiæ frontis ruborem, verecundiæ indicem laudat.

Verecundia corporis & animæ pulchritudo.

Eruditè Symmachus, quorum mens honeſta ſit, eorum imbecillam eſſe frontem ait; neſciunt erubeſcere petulantes, & ingenio præfracti, ſed ingenuum hunc colorem amant nobilis animi iuuenes. Hoc venuſtè quidem Plinius Iunior de Traiano. Cùm multa corporis & animi ornamenta prædicat, tùm virtutis hunc colorem verecundiam, dignam humanitate, & ingenuo mentis excellentia. *Vidimus, ait, demiſſum gaudio vultum, tantùmque ſanguinis in ore, quantum in animo pudoris.*

Nec ſolùm ad pudicitiæ maieſtatem conferre ſolet iſte pudor, ſed etiam ad corporis pulchritudinem, dicente S. Bernardo 48. in Cantica. *Ruboris iſte genarum quem fortè inunxerit pudor, quantum gratiæ, & decoris ſuffuſo vultui afferre ſolet,* quem & famæ cuſtodem, vitæ decus, virtutis ſedem, & cum Ambroſio Temperantiæ fundamentum & honeſtatis cuſtodiam nominauit.

Alia deſignat indicia Stoïcus Seneca citata prius epiſt.

Digitized by Google

epiſt. 11. dùm ait, *Artifices Scenici, qui imitantur affectus, qui metum & trepidationem exprimunt, qui triſtitiam repræſentant, hoc indicio imitantur verecundiam; deiiciunt vultum, verba ſubmittunt, figunt in terram oculos, & deprimunt, ruborem ſibi exprimere non poſſunt.* Vbi & verecundiam non ſolis adoleſcentibus, verùm & ſenibus conuenire declarat. Inter hæc & ruborem eſſe ſcio, qui grauiſſimis quoque viris ſubitus effunditur. Magis quidem in Iuuenibus apparet, quibus & plus caloris eſt, & tenera frons, nihilominus veteranos & ſenes tangit.

Neque tamen id ita ſemper accipiendum, vt conſtans ac pèrpetuum virtutis ſignum rubor exiſtimetur. Namque vt ait idem naturæ morúmque iudex ſapiens. *In perditis & ad omne dedecus compoſitis tenerrima eſt oculorum verecundia, & eſt aliqua etiam proſtitutis modeſtia.* Nullibi clarius hoc idem diſputat, quàm epiſt. 11. *Quidam nunquam magis, quàm cùm erubuerunt timendi ſunt; quaſi omnem verecundiam effuderint. Sulla tunc erat violentiſſimus cùm faciem eius ſanguis inuaſerat. Nihil erat mollius ore Pompeij, nunquam non coram pluribus erubuit, & tamen de eo Saluſtius, oris probi animo inuerecundo.*

Modeſtia.

Quæ ſe rubore illo profitetur, tanta virtus eſt, quanta reliquarum omnium cœtus. Tacitus 15. Annal. Modeſtiæ famam, ait, neque ſummis mortalium attribuendam, & à Diis æſtimari. Longè tamen maior eſt hæc virtus, quò in maiori & eminentiori viro inuenitur: tùm quòd longè maius ſit ex altiore faſtigio ſe demittere, tùm quòd rara ſit in huiuſmodi hominibus illa virtus. Nam ex Saluſtio in Iugurtha. *Contemptor animus & ſuperbia commune nobilitatis malum.*

In eius excellentis ornamenti conſideratione defixus grauis & moderatus Euripides, Modeſtiam vocat δώρημα κάλλιστον θεῶν Deorum donum pulcherrimum, pergítque hominibus adferre δόξαν ἐσθλὴν gloriam bonam, præſtabilem apud omnes opinionem. Quam ſpeciem decorè componentem externa, tanti facere ſapientes, nihil vt ad priuatam conſcientiam dulce, ad patriæ defenſionem forte & generoſum, ad perennem hominum memoriam ſtabile, abſque illa fieri poſſe crederent. Hac vir inſignis, & ad magna natus dignoſcitur; de qua gloriatur Minutius Felix. *Nos non notaculo corporis & innocentiæ, ac modeſtiæ ſigno facilè dignoſcimur. Lancea Spartiatas indicat, humerus Pelopidam, Epaminondam draco, hominis autem Chriſtiani ingens argumentum eſt Modeſtia.*

Refert Nicephorus, libro 14. capite 2. Pulcheriam diuino præditam ingenio, cùm Theodoſium fratrem vellet in omni parte perfectum, & in magno dominatu verè Principem, iam indè ab adoleſcentia edocere ſolitam, quemadmodum veſtem ipſe ſibi circumdaret, quomodo conſidere & incedere, atque riſum moderari deberet: adeò regio nomine vix dignum opinabatur, quem modeſtia non commendaſſet: Id verò laudabili illo ſtudio conſequuta eſt, vt Imperator veluti vera effigies, & ſtatua in optimi imperij formam expolita eſſet.

Auctoritatem conciliat.

Ex his conflata partibus Modeſtiæ pulchritudo, & diuina ſpecies in oculos intuentium incurrens, mirum eſt quantam vim habet ad conciliandam auctoritatem, tùm etiam ad alios omnes continendos, & ad virtutem excitandos. *Occurſus,* inquit Seneca, epiſtola 94. *Ipſe ſapientium iuuat, & eſt aliquid quod ex magno viro, vel tacente proficias.* Quos Modeſtia ad præſtantem vitæ rationem expoliuit, officinam eſſe dicam honeſtatis, ſcholámque virtutis, in qua ſemper docetur, & diſcitur. Ennodius de purpuratis Patriciis Feſto & Symmacho, geminis Curiæ luminibus ſanè eleganter. *In ipſis eſt nobilis curia Principatus, quos vidiſſe erudiri eſt.* Pari gratia Theodoricus Rex de Præſide Ticinenſi Epiphanio aiebat, *quem vidiſſe pretium eſt, cum quo habitare ſecuritas:* Quippe ſpecies illa diuinæ Modeſtiæ ferit oculos, & potenter ſeſe in animum inſinuat, erudítque ſine voce & clamore, ad cœleſtium imitationem. Quantum poterit in Principe cuius verba ſunt imperia, cui non magis latere, quàm Solidatur.

Digitized by Google

Honorum contemptio.

Ad magnos virtutis ſatus, & laudes aſſumitur ergo verecunda modeſtia, quarum ea pars quæ in cultu corporis & frugalitate victus ponitur, quia iam tractata, ſileatur. Alia quæ propriè conſiſtit, & occupatur in honorum contemptione tangenda leuiter; in qua prima laus eſt honorum, quos omnes ambiunt, fuga; quam in Conſtanti non laudat Eumenius. *Diceris etiam Imperator inuicte, ardorem illum te depoſcentis exercitus fugere conatus, equum calcaribus admotis incitaſſe. Quod quidem vt verum audiebas, adoleſcentiæ errore faciebas. Quis enim te Cyllarus aut Arion poſſet eripere, quem ſequebatur imperium? Illa inquam, illa maieſtas, quæ Iouis ſubiecta nutu, nec Iridi Deûm nuntia, ſed prius commiſſa victoria, tàm facilè te comitata eſt, quàm citò ad terras miſſa, perueniunt. Sic modeſtiam tuam atque pietatem, & differendi imperij conatus oſtendis & Reſpub. felicitas vicit.*

Modeſtiam in honoribus fugiendis recuſandiſque Chriſtum ſuos docuiſſe probat Tertullianus de Idololatria capite 18. Nec ſolum honores repudiaſſe, aut ſe ab illis ſubtraxiſſe, ſed planè illos tanta contentione fugiſſe, quanta hoſtis hoſtem, & reus ſatellitem, aut lictorem fugit. *Si poteſtatem nullam, ne in ſuos quidem exercuit; ſi Regem ſe fieri conſcius Regni ſui refugit, pleniſſimè dedit formam ſuis dirigendo omni faſtigio, tàm dignitatis, quàm poteſtatis. Quid enim magis his vſus fuiſſet, quàm Dei filius? quales & quanti cùm faces producerent? qualis purpura de humeris eius floreret? quale aurum de capite radiaret, niſi gloriam ſæculi alienam, & ſibi & ſuis indicaſſet? Igitur quæ noluit, reiecit; quæ reiecit, damnauit; quæ damnauit, in Pompa Diaboli deputauit: Non enim damnaſſet niſi non ſua: alterius autem eſſe non poſſent, niſi Diaboli, quæ Dei non ſunt. Chriſtus honoribus tàm contrarius, vt ad illos nō niſi vi trahendus ac rapiendus videretur, idque turba ipſe non ignorantes venire decreuerunt, non vt ei volenti ac lubenti, regnum offerrent, ſed potius vt renuentem ac reluctantem Regem inaugurarent.*

In hoc doctoris diuini Schola bonus diſcipulus fuiſſe dicitur à Cypriano lib. 4. epiſt. 2. Cornelius Papa, quem dignitas clarum reddidit, ſed humilitas clariorem, dùm non vanum ambitionis diſſimulatorem, ſed verum oppugnatorem facit. Epiſcopatum ipſum nec poſtulauit, nec voluit, nec vt cæteri, quos arrogantiæ atque ſuperbiæ tumor inflat, inuaſit; ſed modeſtus & quietus, & quales eſſe conſueuerunt, qui ad hunc dignitatis locum eliguntur, pro pudore virginali conſcientiæ ſuæ, & pro humilitate ingenitæ ſibi & cuſtoditæ verecundiæ, non vt quidam vim fecit, vt Epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt, vt Epiſcopatum coactus acciperet.

Ex hoc capite laus eò maior eſt, quò auiditate maiori vaniſſimi quique rapiuntur ad captandos honores, quos ſub oculos ponit Tertullianus, l. de pœnit. c. 11. vbi per Epiphonema ſapiens obſeruat in vanis honoribus quærendis corporis & animæ, imò veri hominis non leuem iacturam ſæpè fieri. *Illos qui ambitu obeunt capeſcendi Magiſtratus neque pudet, neque piget incommodis animæ & corporis; nec in incommodis tantùm, verùm & contumeliis omnibus eniti in cauſa votorum ſuorum: quas non ignobilitates veſtium affectant? quæ non atria nocturnis, & crudis ſalutationibus occupant? ad omnem occurſum maioris cuiuſque perſonæ decreſcentes, nullis conuiuiis celebres, nullis comeſſationibus congreges, ſed exules à libertatis, & lætitiæ felicitate; idque totum propter vnius anni volaticum gaudium? Nos quod ſecurium virgarúmque petitio ſuſtinet, in periculo æternitatis tolerare dubitamus.*

Ad quàm illiberales ſe blandicias deprimebat pulcher Abſolon, vt ad Regiam maieſtatem glorioſus aſſurgeret? D. Cyprianus 2. epiſtola 2. Qui ambitu clariores conſpicuus fulgere ſibi videtur in purpura, quibus hoc ſordibus emit? quos arrogantium faſtus prius pertulit? quas fores ſuperbas matutinus ſalutator obſedit? quot tumentium contumelioſa veſtigia ante præceſſit, vt ipſum etiam ſalutatum, comes poſtmodum pompa præcederet, obnoxia, non homini, ſed poteſtati? neque enim moribus coli meruit ille, ſed faſcibus.

Quàm vanè ſe dimittebat Saül ante Samuëlem, vt etiam per honoris ſui iacturam adreperet ad honores? Petr. Damianus lib. 2. ep. 3. *Humiliantur; vt poſtmodum impunè ſuperbiant; ſæpe diſſequos exhibent; vt præcedant: laboribus atteruntur,*

vt

Digitized by Google

vt gaudeant: affliguntur inopiâ; vt nuptialis eduly continua poſtmodum epulatione turgeſcunt, & veluti propoſita venalitatis menſâ fœnerando ſeruitium, mercatur imperium.

Quàm benignum & humilem ſe præbuit Rex idem apud Dauidem, dùm filium, dùm Regem, dùm ſe Iuſtiorem illum profitetur, quid hac ſui nominis vilitate, niſi futuram ſublimitatem ambiat: ambitioſus humilitatem ſimulet, honeſtatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem oſtendit, ſubſequitur & obſequitur, cunctos honorat, viſis inclinat, frequentat curias, viſitat optimates, aſſurgit & amplexatur, applaudit & adulatur, benè nouit Poëticum illud.

Etſi nullus erit puluis, tamen excitat illum.

Quorſum hæc omnia? nimirum vt laudetur ab hominibus, & à ſingulis approbetur. Tanti eſt vmbram gloriæ fugientis aſſequi velle! porrò tàm abiectum támque ſordidum eſt hoc vitium, vt coram teſtibus erubeſcat, D. Bernardus epiſtola 126.

In honoribus admittendis moderationem ſeruat.

Moderatos tantum honores accipere, cùm ſummos obtinere poſſis, magna modeſtia, quam Traiano tribuit Plinius. *Ibit in ſæcula fuiſſe Principem, cum florenti & incolumi, nunquam niſi modici honores, ſæpius nulli decernerentur. Et ſanè ſi vellemus cum priorum temporum neceſſitate certare, vinceremur. Ingenioſior enim eſt ad excogitandum ſimulatio veritate, ſeruitus libertate, metus amore, ſimul cùm iampridem nouitas omnis adulatione conſumpta ſit, non alius erga te nouus honos ſupereſt, quàm ſi aliquando de ſe tacere audeamus. Age ſi quando pietas noſtra ſilentium rupit, & verecũdiam tuam vicit, qua qualiacumque decernimus nos, tu non recuſas, vt appareat non ſuperbiâ & faſtidia te ampliſſimos honores repudiare, qui minores non dedigneris. Pulchrius hoc Cæſar, quàm ſi recuſares omnes, ambitionis: moderationis eſt eligere, parciſſimos.*

Meritos honores tantùm admittit.

Nullum honorem admittere, niſi conſtet apud omnes illum ſibi pridem deberi, & ampliores dignitates virtutibus ac meritis ſuis in Rempub. parari modeſtiæ laus eſt. Is fuit Traianus dùm patris patriæ nomen recuſat. *Nonne his tot tantiſque meritis nouos honores, nouos titulos merebare? ac tu etiam nomen patris patriæ recuſabas. Quàm longa nobis cum modeſtia tua pugna, quàm tardè vicimus? Nomen illud quod alij primo ſtatim Principatus die, vt Imperatoris & Cæſaris, receperunt, tu vſque eò diſtuliſti, donec tu quoque beneficiorum tuorum parciſſimus æſtimator, iàm te mereri fatereris. Itaque ſoli omnium contigit tibi, vt pater patriæ eſſes, antequam fieres; eras in animis, in iudiciis noſtris, nec publicæ pietatis intereras, quid vocarere, niſi quod ingrata ſibi videbatur, ſi te Imperatorem potius vocares, & Cæſarem, cùm Patrem experiretur. Quod quidem nomen quâ benignitate, quâ indulgentia exerces, vt cum ciuibus tuis, quaſi cum liberis parens viuis? vt reuerſus Imperator, qui priuatus exieras agnoſcis, agnoſceris.*

Huic modeſto Principi Didij Iuliani os impudens opponitur, qui cum imperium ſub haſta poſitum à militibus emiſſet viginti quinque. His viritim promiſſis, atque eum exercitu veniens Romani ingreſſus, Senatui ſatis arroganter dixit. Video vos Imperatore carere, meque Imperio digniſſimum eſſe, de meis factis dicerem apud vos, deque virtutibus, niſi eas cognitas pridem perſpectáſque haberetis, quamobrem mihi non opus fuit multis militibus, ſolúſque ad vos veni, vt ea quæ mihi ab illis data ſunt, confirmetis.

Inſolentis eſt ſua prædicare, non venditare ſe modeſtum & glorioſum: ad mores optimè Plinius, l.1. ep.8. *Meminimus quanto maiore animo, honeſtatis fructus in conſcientia, quàm in fama deponatur: ſequi enim gloria non appeti debet. Nec ſi caſu aliquo non ſequatur, idcirco quod gloriam non meruit, minus pulchrum eſt. Si verò qui benefacta ſua verbis adornant, non ideo prædicare, quia fecerint, ſed vt prædicarent, feciſſe creduntur. Sic quod magnificum referente alio fuiſſet, ipſe qui fecerat recenſente, vaneſcit: homines enim quam rem deſtruere non poſſunt, iactationem eius inceſſunt; Ita ſi ſilenda feceris, factum ipſum, ſi laudanda, quod non ſileas ipſe culparis.*

Legibus ſubeſt.

Hanc modeſtiæ notam innuit Seneca pater in Controuerſiis. Quædam, inquit, eſt proxima innocen-

nocentiæ verecundia præbere ſe legibus,id eſt Reipub. inſtitutis parere, quamuis ob dignitatem,& poteſtatem ſummā Princeps illis teneri non videatur. Geminam ex hac retulit laudem àPlinio Traianus 1.quòd à ſubditis pateretur ſe vocari in ius.*Dicitur* inquit, *actori, atque etiam procuratori tuo,in Ius veni ſequere ad Tribunal:Nā Tribunal quoque excogitatū cruciatu eſt par cæteris, niſi illud litigatoris āplitudine metiaris.Sors & vrna fiſco iudicem aſſignat licet reijcere,licet exclamare, hunc nolo,timidus eſt,& bona ſeculi parum intelligit Illum nolo,quia fortiter Cæſarem amat Eodem foro vtuntur Principatus & libertas,quæ præcipua tua gloria eſt.*II.ab obſeruatione legū & cōſuetudine. *Reuertor ad Conſulatum tuum,& ſi ſunt quædam ad eum pertinentia ante Conſulatum, tamen imprimis quod comitiis tuis interfuiſti candidatus,non Conſulatus,tantùm,ſed immortalitatis & gloriæ,& exēpli, quod ſequerentur boni Principes,mali mirarentur.*

Quanta laus ſi diuinis legibus morem gerat? illis obſequutus dicitur Traianus.*Tu delubra nō niſi adoraturus intras,tibi maximus honor excubare pro templis poſtibusq; prætexti. Sic fit vt Dei ſummum inter homines honorem ſerues,cùm Deorum ipſe non adeptus.Quòd Deus aliquis haberi fugis,Dei vices in terris agentem te veneramur,cùm nulla virtus ſic diuinitatem redoleat vt humilitas.*

Honores accipit, vt obſequatur.

Meritos honores vix admittere,modeſtiâ nobiles ſolent,& tantum,vt ſuperiorem,vel parentum voluntatibus obſequantur. Inſignis in hoc Traiani modeſtia.*Paruiſti Cæſar,& ad principatū obſequio perueniſti,nihilq; magis à te ſubiecti animi factum eſt,quàm quod imperare cœpiſti.Iam Cæſar, iam Imperator abſens & ignarus;& poſt tanta nomina,quantùm ad te pertinet,priuatus. Magnum videretur ſi dicerem:Neſciſti te Imperatorem futurū, eras Imperator,& eſſe te reſciebas,vt verò ad te fortunæ tuæ nuntius venit malebas quidem eſſe, quod fueras,ſed non erat liberū.An non obſequereris Principi ciuis?Legatus Imperatori?filius patri?*

Humaniter omnes excipit.

Qnantus humili ac modeſto Principi decor! quàm incredibilis ſubditorum amor accedit? Dùm omnis beneuolentiæ ac voluntatis ſignificatione peramanter, ac humaniter amplectitur, & præue it. Hanc humanitatem amauit in IulianoMamertinus.*Videte num ſecundis rebus elatus aliquid de prioris vitæ manſuetudine,& moderatione mutauerit? Mutauit planè,nam ciuilior factus,proſperorum infregit inuidiam.Cui non vel id tempus ſedatæ præbuit mentis indicium,quo horrendi belli metu Repub. liberata elati ſumus geſtiente lætitia? Sed Imper. quamquam cœleſti ope ſalutem Reip. propagatam videret, & conditionem doluit humanam, & offenſarum gratias faciens induit fatum,& cuius armis vitam impugnatam ſciebat, mortem eius ornauit,ac poſtea ipſe iuſta perſoluit.Et memoria & obliuione mirabilis, oblitus inimici, meminit hæredis.*

Si quando Regum maieſtas ſupra hominum capita per ſuperbiam, commune illius fortunæ malum, extollatur, iacet humanitas, perit amor; ſin autem eadem ad ſubditos deſcendat,& quam habere non poteſt æqualitatem, affecter, huic quidem non plus perit dignitatis, quàm Soli radios infernè demittenti, Comitati autem Regiæ multùm ſplendoris accedit, & amorem ſupra ſubditos eminentem alacriter æquè, ac fortiter imperat. Vti dicebat olim Claudianus ſexto in Conſulatu Honorij.

Publicus hinc ardeſcit amor, cùm moribus æquis
Inclinat populo regale modeſtia culmen.

Quid iuſtius,quàm eum Principem amare,colere,admirari,qui ſe ſubditis penè ſimilem reddit. Inde quouis faſtigio dignitatis altior Germanicus ex Tacito 2.Annalium. *Tanta illi comitas in ſocios, manſuetudo in hoſtes. Viſu & auditu iuxta venerabilis, cum magnitudinem & grauitatem ſummæ potentiæ retineret, inuidiam & arrogantiam effugeret.*

Humiliter ſe gerit.

Compendium laudum eſt, ſi ſuprema in dignitate locatus demiſsè, & humiliter ſe gerat: nam quantò ſe magis demittit,tantò maior & auguſtior eſt. Ex hoc Traianum Principem verum arguit Plinius & miratur:*Vnum ille ſe ex nobis,& hoc magis excellit,atque eminet,quòd vnum ſe ex nobis putat,nec minus hominē ſe,quàm hominibus præeſſe meminit.*Dicti verò ſui rationem hanc reddit.

Nam

Nam cui nihil ad augendum verticem dignitatis ſupereſt, hic vno modo creſcere poteſt, ſi ſeipſe ſubmittat, ſecurus magnitudinis ſuæ; neque enim ab vllo periculo fortuna Principum longius abeſt, quàm ab humilitate. Tum expendit eam Diuinitatis gloriam apud Romanos adeptum eſſe Traianum animi demiſſione, quā Imperatores alij, per elationem affectauerunt, neque tamen conſequuti fuerant. *Ante te Principes faſtidio noſtri, & quodam æqualitatis metu vſum pedum amiſerant: illos ergo humeri ceruiceſque ſuorum ſuper ora noſtra: Te fama, te gloria, te pietas Ciuium ſuper ipſos Principes vehunt; Te ad ſydera tollit humus, ita communia & confuſa Principis veſtigia.*

Denique Reges ad modeſtiam prouocat illius exemplo, quem ob hanc virtutem, dicit omnibus amabilem ſemper extitiſſe, ſapienterque docuiſſe poſteros veram gloriam, non in titulis maiorumque fumoſis & ſemeſis imaginibus, ſed in animi demiſſione conſiſtere. *Ac mihi intuenti in ſapientiam tuam, minus mirum videtur, quod mortales iſtos caducoſque titulos, ac depreceris, aut contemperes. Sic enim vbi vera Principis, vbi ſempiterna ſit gloria, vbi ſint honores, in quos nihil flammis, nihil ſenectuti, nihil ſucceſſoribus liceat. Arcus enim & ſtatuas, aras etiam templaque demolitur, & obſcurat obliuio, negligit carpitque poſteritas. Contra cōtemptor ambitionis & infinitæ poteſtatis domitor, ac frænator animus, ipſa vetuſtate floreſcit, nec ab vllis magis laudatur quàm quibus minimè neceſſe eſt. Non ergo perpetua Principi fama, quæ inuitum manet, ſed bona cōcupiſcenda eſt. Ea porrò non imaginib. & ſtatuis, ſed virtute, ac meritis propagatur.*

Talis eſſe debet quiſquis veram ſolidamque gloriam conſequi deſiderat. Et verò tantam præ ſe ferre debet animi moderationem, tantam, tam ſeueram modeſtiam, vt ſi pietatem eius laudauerit aliquis, pietatis vmbram putet: ſi continuos labores in frænandis animi concitationibus recenſuerit, clamet roſas: ſi caſtimoniam mentis & corporis prædicet, in lingua ſilentium, in fronte ruborem explicet: ſi Iuſtitiæ cumulatæ ſigna proferat, prohibeat modeſtia contentus, quæ ſola perfectam conſummatamque Regis vitam facere poſſit. *Rectè enim præcipere videntur qui monent*, ait Tull. Offic. 1. *Vt quantò ſuperiores ſumus, eò nos ſubmiſſius geramus.*

LECTIO V.

Generis demonſtratiui Diſpoſitio & Eloquutio.

COgnitis iam & apertis exornatiui generis Inuentionis fontibus; conſequens eſt vt ipſius declamationis modum οἰκονομίαν ſiue collocationem exquiramus: Nec enim eadem eſt in omnibus generibus collocatio (quæ rerum propriæ diſpoſitio vocatur) ſed aliam ſectatur exornatio, ſcilicet aurium delectationem; aliam deliberatio, de qua ſuus erit dicendi locus. In primis igitur hoc in more poſitum fuit apud Oratores, vt haberent Exordium liberum quidem, ſed ad aurium delicias, & ſuauitatem elaboratum, quo ſibi conciliarent omnium animos & audientiam blandè mollitérque dicendo facerent.

PVNCTVM I.

De ſtylo & genere Orationis Epidicticæ.

SIc à Cicerone deſcribitur in Oratore n. 96. *Eſt quoddam etiam inſigne, & florens pictum & expolitum Orationis genus, in quo omnes verborum, omnes ſententiarum illigantur lepores, hoc totum è Sophiſtarum fontibus defluxit in forum.* Vbi ſignificare videtur nullam animo cogitari poſſe dictionis elegantiam & pulchritudinem, blandienteſque auribus delicias, quas non admittat Epidictica Eloquentia. Tyrius Prodico tribuit καλλιλογίαν, venuſti ſermonis elegantiam. Thraſymacho Theophraſtus στρογγύλως ἐκφέρουσαν λέξιν rotundam veluti conſtructionem artificioſæ dictionis. Hippiæ Philoſtratus; λόγοις ποικίλοις καὶ πεφροντισμένοις εὖ, ſermones inſigni varietate florentes, & elaboratos eximiè. Plato denique Panegyriſtis omnibus concedit κεκαλλιεπημένοις λόγοις ῥήμασι, τε ὀνόμασι, καὶ κεκοσμημένοις, factam pulcherrimè & inſtructam Orationem verborum ac nominum elegantia.

Digitized by Google

Tria porrò ſunt omninò, vt benè Theophraſtus animaduertit, è quibus dictioni granditas, ſplendor & magnificentia quædam accedat. Primum delectus verborum: deinde quæ ex illis effloreſcit concinnitas: Poſtremo figuræ quibus hæc includuntur.

P V N C T V M II.

Vebrorum delectus.

INitium Eloquentiæ verborum delectum eſſe tradit Cæſar apud Ciceronem; proinde nihil mirum ſi Sophiſtis ad aſſentandum eruditis curæ fuerit ἀνθηρὰ florida deligere, & exquiſitam verborum pompam ſectari, quod ex illis rectè compoſitis exiſtere quandam Orationis ſuauitatem animaduerterent, quæ blando illapſu molles audientium animos titillaret. Eam ob cauſam dicuntur ab Eunapio εἰς ἐπίδειξιν λόγων ἐπαφρόδιτοι, in declamationibus floridi omnibuſque dicendi veneribus affluentes.

De hoc Eloquutionis genere diſputat Tullius in hæc verba partitionum l.n.72. *Quoniam in his cauſis omnis ratio ferè ad voluptatem auditoris, & ad delectationem refertur, vtendum erit his in oratione ſingulorum verborum inſignibus, quæ habent plurimum ſuauitatis, id eſt vt factis verbis, aut vetuſtis, aut tranſlatis frequenter vtamur.* Facta dicuntur, quæ ab ipſo Oratore finguntur, quod fecit Tull. in Catone maiore, de laudibus Agriculturæ n.51. *Terra ſemen tepefactum complexu ſuo diffundit, & elicit herbeſcentem ex eo viriditatem: qua nixa fibris ſtirpium, ſenſim adoleſcit, culmóque erecta geniculato vaginis iam quaſi pubeſcens includitur, è quibus cùm emerſerit, fundit frugem ſpicæ ordine ſtructam, & contra auium minorum morſus munitur vallo ariſtarum.*

Vetuſta verò verba ſunt factis oppoſita, quæ maieſtatem afferunt orationi cum delectatione, modo non ſint crebra nimis, aut ab vltimis repetita. Talia ſunt, ſoboles, effari, nuncupari, opinabar, & alia, quibus ſuo loco poſitis, grandior atque antiquior ſæpè videri ſolet oratio.

Tranſlata verba plurimum orationem illuſtrant, pro l. Man. n.41. *Nunc imperij noſtri ſplendor illis gentibus lucet.* Valent etiam ad laudẽ pro Milone. n.21. *Itaq; delegit è florentiſſimis ordinibus ipſa lumina.* Sic dicimus lumen virtutum, ardor mentis, fructus ingenij, ſpecimen animi, &c.

Quin & ſuaue dicendi genus fit iucunditate verborum ſonantium & lenium ex Cic. Iucunda ſunt illa poſt reditum in Senatu, n.1. *Quæ enim poteſt exiſtere tãta vbertas ingenij, quæ tanta dicendi copia, quod tam diuinum atque incredibile genus orationis, quo quiſquam poſſit veſtra in nos vniuerſa promerita, non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando? qui mihi fratrem optatiſſimum, me fratri amantiſſimo, liberis noſtris parentes, nobis liberos: qui dignitatem, qui ordinem, qui fortunas, qui ampliſſimam Remp. qui patriam, quâ nihil poteſt eſſe iucundius, qui denique noſmetipſos nobis reddidiſtis.*

Sonantia ſunt ibidem, n.1. *Si P. C. pro veſtris immortalibus in me fratremque meum liberoſque noſtros meritis earum vobis cumulatè gratias egero, quæſo obteſtorque ne meæ naturæ potius, quàm magnitudini veſtrorum beneficiorum, id tribuendum putetis.*

Lenia ſunt illa eiuſdem orationis numero 7. *Princeps P. Lentulus, parens ac Deus noſtræ vitæ, fortunæ, memoriæ, nominis, hoc ſpecimen virtutis, hoc indicium animi, hoc lumen Conſulatus ſui fore putauit, ſi me mihi, ſi meis, ſi vobis, ſi Reipublicæ reddidiſſet.*

P V N C T V M III.

Figuræ Demonſtratiui generis

TEſtatur Fabius Inſtitut. 8.c.3. Nullum fuiſſe genus figurarum, aut eloquentiæ clariſſimum decus & ornamentum, quod non inſigni quadam ſpecie & pompa in Sophiſtarum orationibus illuxerit: cuius hæc eſt prudens monitio. Illud genus oſtentationi compoſitum, ſolam petit audientium voluptatem, ideóque omnes dicendi artes aperit, ornatumque orationis exponit. Quare quidquid erit ſententiis populare, verbis nitidum, figuris iucundum, tranſlationibus magnificum, compoſitione elaboratum, velut inſtitor quidam eloquẽtiæ intuendum dabit.

Singu

Digitized by Google

Singularis attificii ſunt Antitheta, Iſocola. Pariſa, Homœoteleuta, & id genus quædam Orationis lenocinia, de quibus Cicero in Oratore n. 175. *Nam paria paribus adiuncta, & ſimiliter definita, itemq́; contrariis relata contraria, quæ ſua ſponte (etiamſi id non agas, cadunt plerumq́; numeroſè Gorgias primus inuenit*, ſed his eſt vſus intemperantius. Hæc Orationis lumina, quibus audientium animi recreantur, Dionyſius Halicarnaſſ. vocat σχήματα θεατρικὰ, ad Eloquentiæ pompam opportuna. Tyaneus encomiaſticæ propriã exèrcitationis eſſe dicebat πάρισα ἐπιτηδεύειν καὶ ἀντίθετα, comparibus & antitheris Orationem ſuam refercire; quibus tamen deliciis non vtendum auidius, niſi rem in ſummam contemptionem adducere velimus.

Antitheta.

Ornamentum huius generis primum nominat Antitheſim Cicero cùm contraria contrariis referuntur poſt reditum in Senatu, n. 22 *Qui mihi primus afflicto & iacenti Conſularem fidē dexteramq́; porrexit: qui me à morte ad vitam, à deſperatione ad ſpem, ab exitio ad ſalutem reuocauit.*

Idem efficiunt etiam negantia pro lege Manilia, n. 40 *Sed hæ res, quæ cæteros remorari ſolent, non retardarunt: non auaritia ab inſtituto curſu ad prædam aliquam reuocauit, non libido ad voluptatem non amœnitas ad delectionem, non nobilitas vrbis ad cognitionem, non denique labor ipſe ad quietem.* Et n. 28. *Cuius adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis præceptis, ſed ſuis imperiis: non offenſionibus belli, ſed victoriis: non ſtipendiis ſed triumphis eſt traducta.* Quam exornationem ſæpè protrahit in longum multarum rerum contentione vt n. 11. ibidem.

Eandem producit ſuauioris Eloquentiæ blandimentis non mediocriter inſtructus Nazarius in Panegyrico Conſtant. *Nullus poſt vrbem conditam dies Romano illuxit imperio, cuius tàm effuſa tamq́; inſignis gratulatio, aut fuerit, aut eſſe debuerit; nulli tàm læti triumphi, quos annalium vetuſtas conſecratos in literis habet. Non agebantur quidem ante currum vincti Duces, ſed antecedebat tandem ſoluta nobilitas: Non coniecti in carcerem barbari, ſed deducti è carcere Conſulares: non captiui alienigenæ introitum illum honeſtauerunt, ſed Roma iam libera. Nihil ex hoſtico accepit, ſed ſeipſam recuperauit, nec præda auctior facta eſt, ſed eſſe præda deſiuit, & (quo nihil adiici ad gloriæ magnitudinem poteſt) imperium recepit, quæ ſeruitium ſuſtinebat.*

Iſocola.

Aliud eſt paria paribus relata, hoc eſt cùm verba verbis, quaſi dimenſa reſpondent pro lege Manil. n. 29. *Iam verò virtuti Cn. Pompeij quæ poteſt par Oratio inueniri? quid eſt quod quiſquam aut dignum illo, aut vobis nouum, aut cuiquam inauditum poſſit afferre? Nonne enim illæ ſunt virtutes imperatoriæ; quæ vulgo, exiſtimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in prouidendo: quæ tanta ſunt in hoc vno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus, aut audiuimus, non fuerunt.*

Diſtributio.

Quoniam genus hoc, vt ante dictum eſt, politioris Eloquentiæ ſuauitatem poſtulat, ad animorum oblectationem & aurium delicias, variis expolitionibus diſtingui debet ac diſtributionibus, & verborum circumſcriptionibus. Diſtributio quidem valet plurimum, quando in res plures, aut perſonas certas negotia quædam partimur. Pro Cælio, n. 2. *Sed ego Atratino humaniſſimo atque optimo adoleſcenti, meo neceſſario ignoſco, qui habet excuſationē vel pietas, vel neceſſitatis, vel ætatis. Si voluit accuſare; pietati tribuo. Si iuſſus eſt: neceſſitati. Si perauit aliquid: pueritiæ. Cæteris non modò nihil agnoſcendum, ſed etiam acriter eſt reſiſtendum*, Et n. 4. eiuſdem Orationis. *Sed iſtarum partium culpa eſt eorum, qui te agere voluerunt: laus pudoris tui quòd ea te inuitum dicere videbamus: ingenij, quòd ornatè politéque dixiſti.*

Ætatis noſtræ alter Princeps Eloquentiæ de Ferdinandi III. pietate diſtributionem hanc ponit ſanè politam & elegantem, per communicationem. Doleo nimis anguſtum mihi tempus, ad eam rem prædicandam eſſe datum, quæ non partem aliquam Orationis auferre, ſed vniuerſam ac præcipuam occupare debuerat. Etenim quæ dicendi vis & vbertas par illi Auguſtiſſi-

mi Principis eſſe poteſt, quid dicam A.? Religioni erga Deum? an in genus ſuum pietati? an auctoritati apud ſummos Pontifices & gratiæ? an in ſubditos ſibi prouidentiæ; an magnificentiæ apud exteros? an ad infinitam poſteuitatem gloriæ atque charitati? quæ quidem hoc in vno facto ſimul vniuerſa cernuntur. Nam ſanctis ac Dei amicis honorem impertiri, religionis eſt. Maiorum ſuorum ſplendori gloriæque ſtudere, pietas. Chriſtianos omnes vnius rogatu nouis eſſe à Pontifice cæremoniis obſtrictos, auctoritatis. Imperatoris ſanctiſſimi patrocinium recentibus officiis huic imperio arctius aſtringere prouidentiæ. Magnificentiæ verò poſtremò eſt ac gloriæ ſuum peræquè ac Auſtriaci nominis decus omnium in eo facinore virtutum laude cumulare.

Proſopopœia.

In eo genere propoſitum eſt heroum laudes celebrare, commendare patriam, ſuadere concordiam, excitare omnes ad tuendam dignitatem, barbaroſque ſubigendos, illuſtria denique facinora prædicare ad poſterorum memoriam, & præſentium æmulationem, deſcriptionibus, proſopopœiis, imaginibus & aliis huiuſmodi luminibus Orator id aſſequi dicendo poterit. Eſt illuſtris illa patriæ laboranti ad Maximianum& Conſtantinum Auguſtos vox plena querelarum. *Fecit ipſa Roma pro maieſtate nominis ſui, vt oſtenderet poſſe ſe etiam Imperatoribus imperare, abduxit exercitus ſuos, ac tibi reddit. Et quum ad ſedãdos animos auctoritatem priuati Principis attuliſſes ſupplices tibi manus tendens, vel potius queribunda clamauit. Quouſque hoc Maximiane, patiar me quati, te quieſcere: mihi libertatem adimi, te vſurpare tibi illicitã miſſionẽ? An quod Diuo Auguſto poſt ſeptuaginta ætatis, quinquaginta imperij non licuit annos, tàm citò licuit tibi? Ideóne te mihi ille, cuius tot aras, tot tẽpla, tot nomina colo. Herculei dedit, vt tu in ſuburbano otioſus ſedens, vſũ diceta mihi virtutis amitteres? Redde te gubernaculis meis: & quoniã tranquillo mari portum intrare non properaſti, vade per fluctus, mei quidẽ amore ſollicitus, ſed, tua majeſtate ſecurus: & tamen per te tibi ſteterit, iniuriam in mei reſtitutione patieris. Imperaſti pridem rogatus à fratre, rurſus impera iuſſus à matre.*

Non minus eleganter iuſtas Reipub. periclitantis querelas Theodoſio narrat Latinus Pacatus. *Expoſtulari hoc loco tecum Reip. verbis neceſſe eſt, quæ in ſumma tua cunctatione formidinem à media ſpe relapſa tali aliqua te profectoſed ruam ſolus audires, voce conuenit. Parumne me Theodoſi hactenus diſtulere fata, vt inſuper tentes maras augere fatorum, &c.*

Quæ dicendi ratio gratiis aſpergi debet, acutiſque ſententiis exſtimulari, ſi gratiam eſſe velimus & non languentem. Dicendi peritus & eloquens in Panegyrico Ludouici contentionem hanc habet excitato quodam Orationis flore veſtitam. Ibant olim milites in aurea veſte ſub Antiocho, in picta clamyde ſub Sertorio, in purpura ſub Cleomene, in expolitis armis ſub Cęſate, in rubenti ſagulo ſub Artaxerxe, in candenti tunica ſub Cyro, in ſcuto puniceo ſub Ageſilao, in fibulatis auro caligis ſub Aureliano, in amictu argentea cruce ſignato ſub Conſtantino: ferunt noſtri ſub Ludouico in veſte nõ ad delicias molli, non ad pompam ambitioſâ, ſed ad militare robur, & pugnam accinctâ, ferro, non auro miles indiget, bellum ardore geritur, non nitore.

Feliciter vtrumque coniunxit idem eiuſdem laudator egregius. O ſi mos ille vigeret adhuc, quo ſolemni pompa victores portabantur in vrbem, quantus foret Imperatoris noſtri triumphus? quæ gentium acclamationes? quæ monumenta victoriarum? Iret ante currum depreſſo collo ſubiectis ceruicibus, ſubacto vultu condemnata rebellio: currum traherent ſimul vincti, ſimul victi cum Rupellenſibus Angli frontibus famulari iugo coniunctis. Succederent agmina vitiorum vno ſimul omnia loro deuicta, cæſaque flagello virtutum. Qui plauſus interea, &c. Alii ponerent obeliſcos, vt Ceſoſtri: alii columnas erigerent, vt Traiano; tabulas illi figerent, vt Alexandro: Arcus iſti flecterent, ut Conſtantino: Pyramides quidam excitarent, vt Nino: quidam currus iungerent, vt Cæſaribus: pluximi Statuas erigerent, vt victoribus innumeris. Sic Ludouice triumphares. Quamquam vt fatear, hæc maiora ſunt meritis, neque vlla reperiri poſſunt emblemata, quibus tanta maieſtas exæquetur. Non obeliſci in metam efformati, Regis gloria metas neſcit: Non columnę

Digitized by Google

quæ deorſum baſi nituntur, cœlo nomen illius innititur: non tabulæ quæ pigmentis collucent, virtus iſta factis, non coloribus illuſtratur: non arces qui curuantur, atque flectuntur, recta hic diſciplina militaris, inflexa conſtantia Ducis: nō Pyramides quæ puncto terminantur, Ludouici victoriæ terminos nullos agnoſcent: non curtus qui præterlabuntur, non præteribit hoc factum: non ſtatuæ demum quæ obmuteſcunt, tanta prodigia non ſilebunt, &c.

Frequentes adhibentur deſcriptiones fiuntq; per inciſa, per climata, per acutas interrogationes ad ſenſum, ad delectationem, ad acutam dictionem. Is eſt nobilis animi partus, in capta Rupella. Nulli acceſſus, niſi ad pugnam, nulli exitus, niſi ad exitiū; nulla collo quia, niſi ad deditionem faciendam; Miles vndique & vndique miles: arcem, foſſam, vallum, vallum ſpeculæ, ſpecula ſtatio, ſtationem deſperatio, deſperationem furca viro mortis tenore, ordineque fatorum exci piebat: tenebantur denique foſſis, aggere, vallo, ferro, cuneis, agmine, quid facerent? ſed hæc tantum mali præludia. Accedebat vltima fames, telum quo nullum eſt in bello crudelius, quia ſimul ignauè, & atrociter perimit. Iam commeatus omnis erat abſumptus, herbarum fibris ſolati erant inediam, radices in hortis, mures in rutis cæſis dom ruin, canum, equorumque morticinia de fecerant in ſtabulis: frixum elixumque atro iure coriū, & maceratas ocreas deuorauerāt: letales venenorum ſuccos in cibum verterant, in deliciis erat cicuta, auro toxica vendebantur, citra pretium erat, quod erat citra horrorem dici non poteſt, difficilius erat viuere quàm perire: & in funere illo mortis, vitæque confinio, nec viuere licebat, nec mori, &c.

PVNCTVM IV.

Concinnitas

EST quoque plurimum ſuauitatis & gratiæ in Oratione Epidictica, ex concinnitate, de qua ſic in Oratore Tullius, n. 165. *Sed finiuntur aut compoſitione ipſa, & quaſi ſua ſponte, aut quodam genere verborum, in quibus ipſis concinnitas ineſt: quæ ſibi caſus habent in exitu ſimiles, ſine paribus paria redduntur, ſiue opponuntur contrariis, ſuapte naturâ numeroſa ſunt, etiamſi nihil eſt factum de induſtria.* Seipſum affert in exemplum pro Milone, n. 20.

Tribus autem modis concinnitatem hanc fieri docet, I. cum paria paribus reſpondēt, pro Sextio. n. 139. *At verò qui horum impetus & conatus repreſſerunt: qui auctoritate, qui fide, qui conſtantiâ, qui magnitudine animi, conſiliis audaciam reſtiterunt: ij graues, ij Principes, ij Duces, ij auctores huius dignitatis atque imperij ſemper habiti ſunt.*

II. Cùm opponuntur contraria in eadem Oratione, n. 138. *Huic hominum generi fateor multos aduerſarios, inimicos, inuidos eſſe, multa proponi pericula, multas inferri iniurias, magnos eſſe experiundos & ſubeundos labores; ſed mihi omnis Oratio eſt cum virtute, non cum deſidia; cum dignitate, non cum voluptate; cum iis qui ſe patriæ, qui ſuis ciuibus qui laudi, qui gloriæ, non qui ſomno & conuiuis, & delectationi natos arbitrantur.*

III. Cùm caſus ſunt in exitu ſimiles. Contra Piſonem, n. 40 *Vexatio Macedoniæ? an oppidorum turpis amiſſio? an ſociorum direptio? an agrorum depopulatio? an Theſſalonicæ munitio? an obſeſſio militaris viæ? &c.*

Quæ quidem Orationis concinnitas quantam vim habeat ad tenendos auditores, & ſuauitate capiendos, vel ex eo liquet, quòd nonnunquam ab Oratore quædam vitioſè dicuntur, quæ quia dicuntur bellè & concinnè, dici vitioſè non putantur, dum mens eo lenocinio delibuta ſequitur aurium voluptatem.

PVNCTVM V.

De argumentis demonſtratiui generis.

HOc genus declamationis ponit Fabius inter dicendi rudimenta, lib. 2. cap. 2. Facillimū enim eſt, pueriſque accommodatum; in quo detur locus iuuenili redundantiæ, exceſſui ad ornādum liberioribus deſcriptionibus, atque pompę, præſertim cùm ad illud idem periti quinam Eloquentiæ doctores laudem & vituperationem referant. Argumēta porrò generis huius plus ha-

Digitized by Google

bere debent ſuauitatis, ac ſplendoris, quàm incitari coloris & vehementis impetus: Cùm enim honeſta cadant in laudis argumentum, non eſt Oratori magnopere laborãdum quomodo probet Auditoribus, quod ipſi ſentiunt, ſed in eo totus eſſe debet, vt quæ per ſe pulchra sũt & excelſa grato quodam Orationis flore veſtita proponantur, multiſque ſuauitatis coudimentis temperentur, ſententiis demum exquiſitio ornentur, cum inſigni varietate doctrinæ.

Atque haud ſcio an aliquid plus conferat ad hanc dicendi maieſtatem, quàm definitiones cõglobatæ, partium enumerationes, adiũcta, ſimilitudines, effecta, contraria, ſententiæ gratus, fluenteſque periodorum exitus. Quàm grauiter & copioſè, quàm exquiſitis ſententiis Traiani virtutes exornat Plinius? *Habet has vices conditio mortalium, vt aduerſa ex ſecundis, ex aduerſis ſecunda naſcantur: occultat vtrorumq; ſemina Deus, & plerumq; bonorum malorumq; cauſæ ſub diuerſa ſpecie latent.*

Quàm ſuauiter de Imperatoris eiuſdẽ adaptione diſſerit. *O nouum atque inauditum ad principatum iter! Non te propria cupiditas, proprius metus, ſed aliena vtilitas, alienus timor Principem fecit. Videaris licet, quod eſt ampliſſimum conſequutus inter homines, felicius tamen eras, quod reliquiſti, ſub bono Principe priuatus eſſe deſiiſti.*

Iam eius in imperio modeſtia quantas admirationes elicit! *Vidimus humeſcentes oculos tuos, demiſſumq; gaudio vultum, tantumq; ſanguinis in ore, quantum in animo pudoris. O te felicem quod cùm diceremus, non opes tuas, ſed animum mirabamur? Eſt enim demum vera felicitas, felicitate dignũ videri.* Quæ dicendi ratio generoſis animata ſenſibus, verbis prætereà lectiſſimis & figurã exornationibus illuſtrata, in quantã ſpeciem aſſurgit.

In rerum ornamentis plurima recenſet Orator lib. Partition. n. 73. quæ voluptatem habeant in dicendo. *Adhibenda frequentius etiam illa ornamenta rerum ſunt; ſiue quæ mirabilia, nec opinata, ſiue ſignificata monſtris, prodigiis, oraculis, ſiue quæ videbuntur ei, de quo agimus, accidiſſe diuina, atque fatalia. Omnis enim expectatio eius, qui audit, & admiratio, & improuiſi exitus habent aliquam in audiendo voluptatem.* Ipſe multa de Pompeio mirabilia narrat, vt laudes eius amplificet, quod ineunte adoleſcentia maximi exercitus Imperator fuerit, quòd bellum prædonum grauiſſimum paruo tempore confecerit, quòd etiam ab hoſtibus victis dilectus fuerit. nu. 48. *Itaque non ſum prædicaturus quantas ille res domi militiæq;, terra mariq; quantaque felicitate geſſerit; vt eius ſemper voluntatibus non modò ciues aſſenſerint, ſocij obtemperarint, hoſtes obedierint, ſed etiam venti tempeſtateſq; obſecundarint.*

Hùc pertinent exclamationes, quæ ſunt admirationis armenta. Eiuſdem Orationis n. 33. *Proh Dij immortales tantamne vnius hominis incredebilis ac diuina, virtus, tàm breui tempore lucem afferre Reipub. potuit.* Pro Balbo n. 13. *Verum inſcientem vultis contra fœdera feciſſe, an ſcientem: ô nomen noſtri imperij! ô populi Rom. excellens dignitas! ô Cn. Pompeij ſic latè longeq; diffuſa laus, vt eius gloriæ domicilium communis imperij finibus terminetur!* Pro Ligario n. 6. *O Clementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, litteris, monimentiſq; decorandam!*

Maximè pertinent ad laudem, quæ præter expectationem & opinionem egregiè fiunt ab aliquo: Pro lege Man. Cicero præter omnium opinionem ait accidiſſe, vt tam breui tẽpore Pompeius bellum prædonum conficeret, n. 31. *Hoc tantum bellum, tàm turpe, tàm vetus, tàm latè diuiſum atque diſperſum, quis vnquam arbitraretur, aut ab omnibus Imperatoribus vno anno, aut omnibus annis ab Imperatore confici poſſe.*

Quoniam res inauditæ plerumque ſolent magnam afferre delectationem, ideò frequenter Cicero, cum aliquid extollere deſiderat, ait illud inauditum eſſet atque inuſitatum. Pro Marcello n. 1. *Tantam enim manſuetudinem, tàm inuſitatam inauditamq; Clementiam tantum in ſumma poteſtate, rerum omnium modum, tam denique incredibilem ſapientiam ac propè diuinam, tacitus nullo modo præterire poſſum.*

Res nouæ ſolent non mediocriter delectare, quod adeò verum eſt, vt vel amicos interrogemus identidem ſi quid noui nuntient. Itaque pro Archia Poëta Cicero, nu. 3. proponit ſe velle vti nouo, & propè inuſitato dicendi genere: nimirum ſtatim concitatur auditoris animus expectationis nouitate, tametſi per Ironiam efferatur Pro Ligario n. 1.

Digitized by Google

PVNCTVM VI.

Modus in laudationibus adhibendus.

CVm ad decus & honeſtatem referatur laudatio, prudens Orator dabit operam, vt quidquid laudandum ſuſcipiet, honeſtæ laudis materiam & argumentum præbeat, ne fortè videatur velle veritatem augere mendacio: quippe de gloria Principis detrahit, qui quæ vix credibilia ſunt, deſcribit, & dum fictis illum ornat inſignibus, ſpoliat veris, & illa corrumpit quæ melius ornare ſe poſſe confidit. Fulminantem facit aliquis alterum Iouem Alexandrum; quis patiatur aures ſuas tam inſolenti mendacio inquinari? quis animo non auerſetur, quem audierit exquiſitis vltra meritum vel etiam conditionem humanam laudibus illuſtrari? faceſſat hæc vana ſpecies religionis, vetat ipſa religio Principis laudes ſacrilegio proſequi. Toties ampliſſimè laudatur, quoties verè, quæ geſſerit, narrantur. Aliàs dum blanda quada & inſana prope metiendi dulcedine blanditur Orator, virtuti facit iniuriam, & hoc aſſequitur vt vera narranti nullo fides habeatur. Neque enim creſcit mendacio veritas, ad Superos vita, non fama nos euehit; virtus virtute laudatur nunquam conſecratur à vitio.

Nihil tam infantem in hoc genere prodit Oratorem, quam ſi volitet in locis communibus & eos à rebus commendet, in quibus vix tyrocinium. poſuerunt: ad riſum compoſita potiùs illa videtur Oratio, quàm ad laudem, & dum laudator ineptus egregiè virum benemeritum commendare ſe putat, illiuſque beneuolentiam ſibi conciliare, riſum facit auditoribus, & ea dicit quibus ille non leuiter offendatur, quem pueriliter laudat. Nunquid ſatius eſt tacere, quàm aures inficere tam impudenti mendacio? Nemo ſanæ mentis eſt, qui non malit ſublimi demiſſione virtutem ſuam extolli, quàm abiecta ſuperbia, & ſordido faſtu deprimi. Gaudent boni conſcientiæ bonis, nullaque præterea re, quam virtute volunt cæteris eminere mortalibus; adeoque diuina cùm faciant, humanam ſortem non erubeſcunt.

PVNCTVM II.

Laudatiui generis Exordium.

TOtum veluti gemmeum huius Orationis principium eſſe debet, & omnis eloquentiæ floribus inſtructum, in quo laudes heroum, & illuſtria parentum facta commendantur. Ducitur autem vel à perſona non infimæ virtutis ac notæ, vel à facto dictoue cuiuſdam ſapientis & eruditi. Di uum Chryſoſtomum laudas? conſiderare debebis apud quos verba facias, & vbi: quæ duo principium dabunt Orationi. Facerem vobis iniuriam; viri literarum amantes, ac virtutis ſtudioſi, poſteris iniuriam & huic auguſtiſſimo templo facerem, ſi ad numinis veſtri contemplationem & laudem, me tam nobilis ac facundi, quam ſapientis & ſancti Præſulis glorioſa memoria non excitaret.

Quam propoſitionem excipere debebit ratio per Apoſtrophem ad ſanctum eundem, idque ex adiunctis. Itane verò hæc cathedra ſapientiæ ſedes, templum hoc tuis vocibus, ô flumen Eloquentiæ ſacrum, tam ſæpe ſummo cum auditorum fructu celebratum, tuis per me laudibus non celebretur? hîc ego de te conticeſcam, cum, &c.

Amplificatio ſequetur ab effectis. Certè non ero tam immemor officij eique pietatis, vt quam tibi, quam ciuibus meis, quam vni mihi debeo, prætermittam: Tibi, quod & ſalutem tantam, gloriæque ſplendorem huic vrbi benignus attuleris: ciuibus quod alia maiori nulla laude, quam tuâ ſint nobiliores; mihi, quod honeſtius nihil eſſe poſſit, quàm ei honorem impertiri, cui Deus, cui cœlites, cui mortales omnes tantum decus & honorem propè diuinum habuerunt.

Sin alibi dicendum ſit, facilis erit vel ab Oratoris, aut ipſius Diui perſona exordiendi ratio. Cogita quis ille fuerit, quanta virtute vir, reperies Oratorem ſummum, Antiſtitem egregium, vitæ ſanctimonia ſingularem. In laude tam excellentis verbi Dei præconis, tā præſtātis in diuino

mune

Digitized by Google

munere perficiendo Præſulis, tam eximij ſanctitate morum Doctoris, auream illius in dicendo facultatem deſiderarem, vt prò dignitate transferrem ad poſteros, aut in memoriam reuocarem tanti, tam præcellentis viri res piè fortitérque geſtas. Quis enim Chryſoſtomum niſi Chryſologus, Præſulem niſi Præſul, ſanctum niſi ſanctus alter ornare poſſit?

Præmunitio ſequetur. Quid ergo mihi propemodum infanti faciendum eſt? certè ſi minus Oratio rudis & impolita præſtabit, quod rei dignitas poſtulat, officio tamen ſuo deeſſe non debet, ne pietati defuiſſe videatur.

Si vituperandus ſit aliquis eadem obſeruanda veniunt, nempe cauſæ genus. Vituperatur Arius, Oratoris, & illius perſonæ, loci item & auditorum habenda ratio. Nam ſi Alexandriæ concionem habeat, vbi fax illa totius orbis incendium excitauit, à loco duci poterit exordium. Vereor ne de Ario terrarum orbis funeſta face dicturus apud vos Alexandrini, vel refricem Oratione mea doloris vulnus iam obductum, vel fruſtrà faciam, qui hac in vrbe, de illo diſputem, à quo plura ſenſit incommoda, quam me dicere, aut vires & tempus, aut exacerbatus adhuc animi dolor, patiantur. Verùm quia mali præteriti iucunda ſolet eſſe recordatio, nec mediocris ad Deum noſtræ ſalutis auctorem inde gloria redundat, & ad vos vſque deſcendit, quod veſtris precibus ac votis exoratus longè lateque ſerpentem flammam extinxerit, voſque ab illo peſtifero hæreſeos ardore liberarit, operæpretium me facturum exiſtimaui, ſi & in illius peſtis ſceleribus commemorandis Dei gloriam, & omnium veſtrum fidem pietatemque commendarem.

Subdetur ratio. Vt & omnes ad Deum, tanquam ad portum laborioſa iactati tempeſtate confugiamus, & habeant ciues noſtri maiorum ſuorum ante oculos propoſitam imaginem, quam intuentes nullis terroribus ac periculis à vera fide deducantur.

Quod ſi fortè non Alexandriæ, ſed alibi vituperandus ſit, ab illius, vel dicentis perſona, vel à cauſa propter quam, ordiri poteris. Mirabitur fortaſſe aliquis, me cuius voces ſemper & proborum laudibus, & multorum voluptati, nec non omnium commodis ſeruierunt, ad percellendum aliquem, & Oratione grauiori vulnerandum, non magna fortè paucorum lætitia, multorum verò moleſtia deſcendiſſe.

Ratio. Verùm ſi vel Arij, de quo dicturus ſum, inſolentiam, vel meum in vituperando conſilium attenderit; neque meum inſtitutum accuſabit, nec iniucundum quidpiam ab Oratione mea ibi pertimeſcet.

Amplificatio petitur ab Arij ſceleribus, & explicatione conſilij. Nam & is fuit Arius quem honorificè nemo, niſi illius non diſſimilis, nominare poteſt; & in eum paulò ſeuerius ago, vt mecum omnes Dei ſapientiam admirentur, qui vbi ad tempus tam immani portento rerum paulò læuiorem exitum conceſſit, ad ſummum bonorum fructum, quorum virtutum ſceleratus ille, probrumque exercebat; tàm iuſtas cum bonis omnibus pœnas dare voluit, vt omnes intelligerent, nihil infelicius eſſe felici ſcelerato, nec virtute rerum aſperiorum tempeſtate jactata, reperiri poſſe beatius.

Iam verò ſi factum viri laudetur, attendere debebis cuius hominis ſit, quantæ dignitatis; deinde cauſam cur id actum ſit, aut quæ ratio tandem te ad hoc celebrandum impulerit: ex quibus argumentum ſanè multiplex & varium deducere licebit. De ſingulari ſanè Euclidis facto ſi ſermo ſit, qui mulierem mentitus, dum bellum arderet, Athenas vrbem Megarenſibus inimicam, contendit, nihil veritus mortis acerbæ periculum, quam Athenienſium decreto Megarenſibus intentatam eſſe non ignoraret, à rei dignitate ſumetur exordium Cogitanti mihi præclarum Euclidis facinus mulierem mentientis, vt vir eſſe poſſet, & ad certam corporis peſtem generoſè proficiſcentis, vt animi peſtem longè teterrimam, vitium deprecaretur, facilis decurſus Orationis & apertus videbatur.

Ratio. Enim verò cui tam illuſtre, tam audax, & aleæ periculique pleniſſimum opus vel ad dicendum infanti copiam non ſuggeret, ſed illuſi ipſum, vndè mihi facilem & expeditam agendi rationem pollicebar, aditum penè volenti intercluſit. Etenim dum factum illud Deo dignum attentè contẽplor, ex illo tam multiplex virtutum

meſſis

Digitized by Google

meſſis oritur, vt hærere cogat in ancipiti, quam potiſſimùm ex omnibus eligam.

Complexio, in qua dubius animus conſiſtit atut. Ideone dolendum eſt, ſi multa nimis & iucunda occurrant, in quibus excurrat ac ſpatietur Oratio? fructus omnes ex horto floreſque legere non poſſum, nullum igitur attingam? qua totum flumen haurire non poſſum, in riuulo ſitim non extinguam? &c.

A comparatione verò facti cum aliis & à cauſa. Multa ſunt quæ pueris & adoleſcentibus proponi ſolent, quaſi quædam virtutis imagines eximiæ, quibus ad magna mētes informent: ſed opportunius mihi apud vos dicenti nihil occurrit, quàm Euclidis nobile facinus, vobis vt ſpero gratiſſimum, adoleſcentibus vtiliſſimum futurum.

Ratio petitur ab ipſa facti præſtantia, & auditorum virtute; Equidem ſi benè vos noui, non poteſt id non eſſe vobis gratiſſimum, in quo virtutis veſtræ ſingularis expreſſam imaginē agnoſcatis, neque non vtiliſſimum in Reip. ſpem natis adoleſcentibus, quòd & ad ſummam rerum gerendarum ſcientiam, & ad animi robur incredibile futurum ſit, iam ſponte ſua currētibus incitamentum, &c.

Conueniēs ſanè principium, vel à ſimilitudine quadam apta, vel à ſuaui fabula, quæ ſenſum nobilem ſuggerat, vel ab Apophtegmate ſubtiliori. Æmilium olim accepimus, cum Ælei Iouis imaginem paulò curioſius inſpexiſſet, attonitum hæſiſſe primum, tū in hæc verba erupiſſe ſuſpēſæ mentis admiratione. Solus profectò Phidias Homerici Iouis maieſtatem expreſſit. Idem ego non verebor affirmare de N. in quo virtutū tam illuſtris elucet effigies, vt illas animo cōprehendere nullus, nemo dicendo conſequi poſſit.

Quod & valet in rebus: Caſtitatem Angelis virtutem amabilem celebras? ab hac fabula ſumes principium, Sigmalionem fabulantur afflatu nobiles Poetæ virginē ex ebore grandi ſic efformaſſe, vt operis amore captus, & Deæ penè ſpirantis illecebris per errorem amabilem, vnâ cum illa ſpirare voluerit, & quā penicillo artificiq; digito ſuper tabellam explicauerat, eandem imitando moribus referre ſategerit: Idem mihi caſtitatem cœli filiā Orationis penicillo depingere volenti vehementer eſſet optādum; ſcilicet in me tantus amor eius virtutis accenderetur, vt vnam hanc in moribus repræſentarem; neque verò ſolis puriſſimis eius ignibus inflammarer; ſed idem vobis omnibus puritatis amantibus eueniret.

Cæterum, cum duæ ſint Exordij partes, Proœmium & Inſinuatio, hæc non magnopere requiritur niſi fortè de re præter opinionem ardua atque difficili, aut peruagata: tunc enim non apertè beneuolentia conciliatur, ſed lōgius paulò principium petitur, vel à commendatione virtutis, quam ſibi proponit explicandam, vel à propriis dotibus, vt fiat laus alterius illuſtrior: Nā, vt benè Symmachus. libro 1. epiſtola. A laudato viro laudari rara eſt meſſis ingenij; vel à perſona laudanda, vel à rebus dicendis, quæ futuræ ſint omnibus gratiſſimæ

Etſi vix in hoc genere petatur attentio, cùm ſatis ad audiendum paratus accedat auditor, tamen aliquando res ipſa poſtulat. Aliàs perſonæ dignitas quam alloquimur, vel ſubiectæ materiæ difficultas exigit attentionem. Tu ſi videris Orationem meam fluitare nonnunquam, & de ſuo curſu depulſam temerè iactari, feres æquo animo pro tua ſingulari humanitate, & veniam infirmitati dabis, idque totum partim magnitudini & obſcuritati rerū adſcribes, partim ipſi tibi, cuius maieſtas ipſa tanta, & poteſtas permiſſa diuinitùs, atque tradita facit, vt etiam ſi humaniſſimo tuo conſpectu recreemur, tamen ne gaudere ſine aliquo timore poſſimus.

Sic ad formam Orationis pro Rabirio beneuolentia colligitur. Pulſus eſt iam omnis animo metus, fugatus eſt, exceſſit, liberiorem poſthac curſum noſtra tenebit Oratio. Nam & diuinam opem imploratam imbecillitati meæ præſidio futuram ſpero, & frequens hic veſter conſpectus hæc omnium ordinum alacritas, vultu, oculis, voce ſignificata meum animum recreant. Quare vos oro atque obteſtor, vt iſtam hilaritatem vultus, & alacritatem, quam concurrendo declaraſtis, mihi apud vos verba facienti, præſtetis, &c.

* * *

Digitized by Google

PVNCTVM VIII.

Propoſitio & Narratio demonſtratiui generis.

EAdem eſt in ſingulis ratio propoſitionis: vel enim in ipſo Exordio ponitur, vel certè ſtatim à principio; hoc tantum Orator attendat, vt dilucidè conſilium explicet, idque non ieiunè & humiliter, ſed cum aliqua verborum pompa, grauibuſque ſententiis, non tamen eo cum oſtentationis apparatu, vt veniat in ſuſpicionem leuitatis.

Quia verò genus hoc dictionis conficitur narrandis exponendiſque factis; primum preceptum eius eſt, vt non ſit continua Narratio, ſed per partes fiat, ne ſcilicet res quaslibet ordine complectens, Orationem lentam faciat auditoribus & minus gratam, ſimulque amplificando confundat, quæ narrauerit.

II. Potiſſimum eſt eius habenda ratio, quem laudaueris: Aut enim illius egregia facinora pleriſque nota, ſunt tūc partita Narratione nihil eſt opus, ſed tantum præteritorum reuocanda memoria, & paucis multa per amplificationem percurrenda, niſi ſi præcipua quædam videbuntur, & ad eius commendationem maxima.

III. Delectus rerum Narrandarum habendus, ne minimas quaſque proſequatur, aut leuiter ob ire cogatur, quas vix habet cum aliis communes.

IV. Licet dictum ſit aliàs breuitatem inter virtutes Narrationis eſſe reponendam, in hoc tamen genere ſic accipiendum eſt, vt lōgè liberior ſit, quàm in alio quouis. Nam cum ferè ſolâ Narratione conſtet, tanta eſſe debebit, quanta ſunt ipſa facta quæ laudem merentur; modo breuitatis memor ſit, & amplificatione frequenti lectiſſimiſque verbis, & figurarum exornationibus illuſtrata grauior aſſurgat, fluenteſque periodorum exitus, ſuauem efficiant Narrationem.

PVNCTVM IX.

Ordo ſeruandus in Narratione.

QVoniam totius Orationis venuſtas ac perfectio conſiſtit in ordinata Narratione, videndum quis ordo ſit in illa ſeruandus, hunc collocationis modum paucis aperuiſſe videtur Cicero partitionū l.n. 12. *Quibus in Orationibus delectatio finis eſt, varij ſunt ordines collocādi. Nam aut temporū ſeruantur gradus, aut generū diſtributiones, aut à minoribus ad maiora aſcendimus, aut à maioribus ad minora delabimur, aut hæc inæquali varietate diſtinguimus, cū parua magnis, ſimplicia coniūctis, obſcura dilucidis, læta triſtibus, incredibilia probabilibus intexímus, quæ in Exornationem cadunt omnia.*

Plures hîc diſpoſitionis ordines recenſet, ex quibus duo præcipui dicuntur, prior cum gradus temporum ſeruantur, putà genus, patria, parentes, educatio, ſtudia, præceptores; Tum adoleſcentia; & ſic per gradus aſſurgit Oratio, donec ad ſenectutem deueniat, vel eam ætatem, in qua verſaturis, cuius laudes dicendæ ſunt; quàm temperate vixerit, quàm fortiter, quàm iuſtè, quam prudenter ætatem illam tranſegerit. Hunc ordinem ſequutus eſt Eumenius Orator conſtantini. *A primo igitur incipiam originis tuæ Numine, quod plerique adhuc fortaſſe neſciunt, ſed qui te amant plurimum ſciant, Ab illo enim Diuo Claudio manet in te auita cognatio, qui Romani Imperij ſolutam & perditam diſciplinam primus reformauit, &c.*

Quod & in altero Panegyrico repetit.

De te igitur mihi Cæſar, inuicta hodierna gratulationis Exordium diuinus ille veſtræ maieſtatis ortus ipſe quo illuxit, auſpicio veris illuſtrior.

Quod ſi contingat aliquando laudare tantum adoleſcentem, in quo ſeruari non poſſit ordo, quòd adhuc in ætate prima verſetur, inui poteſt, quod Pacatus obſeruauit in Theodoſio. *Det igitur mihi ſermonis huius auſpicium ille felicitatis publicæ auſpex dies, qui te primus inaugurauit imperio. Nam vt diuinis rebus operantes, in eam cœli plagam ora conuertimus à qua lucis exordium eſt, ſic ego vota verborum quæ olim nuncupaueram ſoluturus, id Orationi tempus arripiam, quo Romana lux cœpit.*

Si re-

Digitized by Google

Si recenſendum occurrat aliquid,cuius recordatio ſit acerbior inſinuatione opus erit. Ita ſæpè laudatur Orator Pacatus.*Sed parcam replicare cauſas,& placatum vulgus offendere. Nam cùm per ſe viuax ſit recordatio calamitatum,tùm mihi metus hanc gaudiorum præſentium lucem, triſtium commemoratione fuſcare.Faciam ergo quod facere præſtantes ſcientiâ medicos ſæpè vidi, aliorum vulnerum cicatrices , poſtquam autem ſanitate duxerunt , manu pendente tractabo , præſenſiſſe , & in ſingulos vniuersóſque rogitaſſe contentus.*

Hanc eandem formam ſequutus eſt Eumenius in actione Gratiarum Conſtantini. *Qui locus*,ait, *nimium quantum plus mihi ſuppeditaret Orationis ſi fas eſſet,audiente te rebus triſtioribus immorari. Vt igitur in prædicandis laudibus patriæ meæ verecundia modum fecit,ne arroganter inſurgerem; ita in commemorandis eiuſdem malis & meus dolor,& tuarum aurium conſuetudo cohibebit. Nihil enim libenter audis niſi quos pro tuo graculeris.Sed quæſo tamen Imperator,iniunge patientiam ſenſibus tuis,vt quemadmodum præſtantes ſcientiâ Medici non aſpernantur inſpicere vulnera, quæ ſanant, ita nunc tu paulisper audias Æduorum labores quos ſuſtuliſti.Si nautas tempeſtatum iuuat meminiſſe, cur tu mala noſtra non audias,vt tua beneficia recognoſcas.*

Aliàs ab externis & publicis procedit ad internas & priuatas. Ita Nazarius Conſtantini laudator egregius. *Sed mihi circumuento hac ipſa rerum copia,quà potiſſimùm capeſcenda via ſit qui fiat aditus incertum eſt.Itaque ſe multa offerunt ſemper paria, magnitudine congruentia. Verum vt in magnis domibus interiorem ornatum veſtibula ipſa declarant, ſic nobis venturis ad ingentium virtutum ſtupenda penetralia debet laudationis ingreſſum , & prædicationis ianuam Roma præbere.*

Cùm nonnunquam incidat occaſio laudis ob rem priuatam, vt putà ob recens beneficium,aut ſuſceptum de nouo dignitatis gradum , res illius geſtas ac virtutes ita diſponas , vt illas eſſe gradus aſſeras , quibus ad tantum honoris faſtigium peruenerit.Sic gratiarum actionem inſtituit Auſonius, vt ſingulare beneficium inceperit allegoria ex veſtibulis ædium regiarum ſumpta. Quod & Pacatus præſtitit.

Alter collocationis modus ex Cicerone dicitur generum diſtributio,nulla temporum habita ratione ; ſcilicet cum arbitrio noſtro certa quædam capita conſtituimus , quæ ſint quaſi totius Orationis ſtatus, & hic ordo prudentiam ſapit, quem & ſequitur Cicero,cùm Pompeium laudaturus,à potiſſimis virtutibus,ſc entia rei militaris,virtute,auctoritate, felicitate commendat illum,ad quas omnes reducit,pro lege Man.n 28.

Sed quia vera laus omnis à virtute proficiſcitur , ad virtutum genera ſingillatim referenda ſunt eius facta , quem laudamus. Vt ad prudentiam quæ ſcienter ille,quæ ſolerter & ingenioſè, ſapientérque geſſerit : Ad Iuſtitiam, quæ legitimè,piè,religioſè,verè,amicè, beneuolè, liberaliter fecerit : Ad fortitudinem , quæ conſtanter & intrepidè , quæ fidenter , moderatè patienterque ſubierit : Ad temperantiam , quæ modeſtè, decorè, temperatè , continenter ab eo factum fuerit ; quæ diſpoſitionis ratio facilis & expedita ſemper viſa eſt.

Nonnunquam à minoribus incipimus,& paulatim aſcendimus ad maiora, donec in fine,quæ maxima ſunt omnium , collocemus. Sic in laude Pompeij Tull. vbi de ſcientia militari verba facit,primò quidem eum dicitè ludo atque pueritiæ diſciplina ad patris exercitum profectum eſſe, deinde extrema pueritia militem fuiſſe ſummi Imperatoris, tum ineunte adoleſcentia fuiſſe maximi exercitus Imperatorem,poſtremò multa bella confeciſſe, & multas inſignes victorias reportaſſe.

Licet etiam ordine contrario procedere, hoc eſt à maioribus incipere ,& paulatim ad minora delabi : quod Cicero videtur obſeruaſſe pro Balbo , vbi pluribus in laudes Pompeij excurrit. Nam primò triumphos eius & victorias enarrat , quæ res maximæ ſunt ; & glorioſæ : deinde commendat eius ingenium , tùm pudorem, poſtremò auctoritatem,idque per elegantem diſtributionem cum ſubiectione,n.8. *Quid enim abeſt huic homini ? quod ſi adeſſet iure hoc tribui , & concedi putaremus ? vſuſne rerum ? qui pueritiæ tempus extremum principium habuit bellorum ; atque imperiorum maximorum ? cuius plerique æquales minus ſæpè caſtra viderunt , quàm hic triumphauit : qui tot habet triumphos quot oræ ſunt , partéſque terrarum ? tot victorias bellicas , quot ſunt in rerum natura genera bellorum ? an ingenium ?*

Digitized by Google

eùm etiam ipſi caſus euentúſq; rerum non duces ſed comites eius conſiliorum fuerint, in quo vno ita ſumma fortuna,cum ſumma virtute certauit,vt omnium iudicio plus homini, quàm decet tribueretur : an pudor,an integritas,an Religio in eo,an diligentia vnquam requiſita eſt? quem prouinciæ noſtræ, quem liberi populi,quem reges,quem extra gentes,caſtiorem, moderatiorem, ſanctiorem non modò viderunt, ſed aut ſperando vnquam, aut optando cogitauerunt, &c.

Initiis accommodatiſſimum eſt genus laudis, cùm multa ſimul mixta commendatur per compenſationem aliquam, huius formam elegantem exhibet in Traiano Plinius. *Enituit aliquis in bello,ſed obſoleuit in pace ; alium toga,ſed non arma honeſtarunt ; Reuerentiam ille terrore, alius amorem humanitate captauit ; ille quæſitam domi gloriam in publico,hic in publico domi partam perdidit. Poſtremò, nemo adhuc extitit, cuius virtutes nullo vitiorum confinio læderentur.*

At Principi noſtro quanta concordia, quantuſque concentus omnium laudum,omniſq; gloriæ contigit,vt nihil ſeueritati eius hilaritate,nihil grauitati ſimplicitate, nihil maieſtati humanitate detrahatur. Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris,ad hoc ætatis indeflexa maturitas,nec ſine quodam munere Deûm feſtinatis ſenectutis inſignibus ad augendam maieſtatem ornata Cæſaries, nonne longè latéque Principem oſtentant?

Inſtituitur aliquando laudatio per comparationem,aut parium aut maiorum,vel minorum, nempe ſi Regem cum Alexandro componas, aut Iulium Cæſarem cum alio quouis Imperatore, quod in vitis Principum facit Plutarchus.Si verò cum inferiore ſit inſtituenda comparatio,inſinuatione,vel excuſatione vtendum erit,quâ conſilij ſui cauſam aperiat Orator;quod cum nullum ſuperiorem inueniat,cogatur illum cum inferiore conferre,Sic de Roma dicendi peritus artifex Ariſtides. Ego cum aliter nequeam explicare Romanam potentiam,cum paruis rebus antiquis res veſtras componam, quandoquidem vel maxima quæque minima reddi iſtis. Vbi obſeruandum eſt infirmitatem illam multitudine poſſe compenſari : ſi nempe plures inferiores cum ſuperiore conferas : hinc enim magis eminebit virtus eius, cum pluribus collatis inueniatur ſuperior, aut ipſe vnus omnes omnium virtutes complexus videatur.

Proderit nonnunquam inſtituere certamen aliquod virtutum inter ſe contendentium. Pacatus Orator id artificij expreſſit, dùm inter Conſtantini fortunam, ſeu felicitatem, ac virtutem aliquid controuerſiæ ponit, cui potiſſimùm illarum res geſtas adſcribere debeat. Vbi virtutes eius omnes inducit inter ſe contra fortunam litigantes. *Audio Conſtantiam dicere bellum atrox periculoſúmque ſuſcepi ; Patientiam, immenſum iter, tempus anni graue, ſemper armata, ſemper ieiuna toleraui : tenere Prudentiam, partita ſum mentem, & multiplicaui arte terrorem : aſſerere fortitudinem, bis conflixi cum hoſte, bis vici ; omnes clamare, quid tibi debemus fortuna, quam fecimus?*

Præter ordinem Narrationis non indiligenter Oratori laborandum eſt, vt ab vna re venuſtè, & commodè tranſeat ad aliam, & in incepta Narrationis figura perſeueret : vt puta, ſi ſemel allegoriam vſurpauerit,Reip.cum Naui,ſapientis viri cum Sole, aliáſque id genus comparationes, non tantùm verbis à re tranſlatis inſiſtat, à qua ſumitur ſimilitudo,ſed etiam tranſitionibus,quibus ab vno fiat ad aliud quoddam, tranſitus. Hanc induſtriam artis periti docent,vnus inter paucos Pacatus in Theodoſio. *Quod facere ingreſſi vrbes ſolemus, vt primùm ſacras ædes, & dicata numinibus delubra viſamus, tùm fora atque gymnaſia, ambulacra & plauſtra miremur : ita in laudibus ſuis ſanctos aditus & priſcis æquanda Ceremoniis inſtituta venerati, gradum ab illis properabimus; dein quæ in medio conſtituta ad publicos vſus valentia, non priuatim, ſed in commune conducunt, nec parietibus, ſed orbe claudentur, nec tecto, ſed cœlo aperientur.*

PVNCTVM. X.

Confirmatio & Amplificatio laudatiui generis.

NOn magnopere neceſſariam huic generi confirmationem tradit Ariſtot. 3. Rhetor. c.17.factis nimirum habenda fides,quę vel totum orbem,

Digitized by Google

orbem, & ſolem teſtem habuerunt. Maior eſt Amplificationis habenda ratio; cuius hic fons primus eſt, ſi qui laudatur ſolus rem geſſerit, aut vnus eâ dignus habitus ſit. Ex eo capite Gratianum laudat Auſonius, quòd liberalior Omnibus in remittendis tributis fuerit. *Quis vnquam Imperatorum hoc prouinciis ſuis, aut vberiore indulgentia dedit, aut certiore ſecuritate proſpexit, aut prudentia conſultiore muniuit? Feceras & Traianus olim, ſed partibus retentis non habebat tantam oble*c*tationem retenti debiti portio, quanta ſuberat amaritudo conſeruati. Et Antonius indulſerat, ſed imperij, non beneficij ſucceſſor inuidit, qui ex documentis, tabuliſque populi condonata repetit: tu argumenta omnia flagitandi ardere iuſſiſti Videre in ſuis quaque foris ciuitates conflagrationem ſalutaris incendij. Ardebant ſtirpes fraudum veterum; ardebant ſeminaria futurarum, iam ſe cum puluere fauilla miſcuerat, iam nubibus fumus inuoluerat, & adhuc obnoxij in paginis concrematis ductus apicum, & ſeſtertiorum notas, quum inuantia de ratione cernebant: quod meminerant lectum legi poſſe, & verentes. Quid te Imperator Auguſte, indulgentius? quid poteſt eſſe conſultius? quæ bona praſtas, efficis ne caduca ſint; quæ mala adimit, proſpicis ne poſſint eſſe recidiua.*

II. Si primus omnium id fecerit, aut Princeps in re aliqua ſit, qua ratione laudatur Demoſthenes, quòd Ciceroni præcepit ne primus diceret. Hûc ſpectant rerum inuentores, aut qui vſum illarum, & exemplum ad ſuos primi traduxerunt.

III. Si facti ſocios vix aliquos habeat, aut ſi fecerit quod pauci. In quo ſi primus non fuerit, vſurpari poteſt illa excuſatio, quam attulit Ariſtides in ſua Roma. Atque hoc mihi dolet aliquos hîc de Lacedæmoniis prædixiſſe eorum exercitum præter paucos è ducum ducibus conſtare, cùm id vobis reſeruari, ac primùm tribui debuerit, quod ille ante tempus protulit: quibus probat id non eſſe mirum in Lacedæmoniis, ſed in Romanis.

IV. Dùm inter multos eiuſdem gloriæ participes ac ſocios præcipuus numeratur; vt Iaſon inter Argonautas, Hector inter Troianos, Achilles inter duces Græcos.

V. Si tempore, loco, quadam occaſione, cæteriſque debitis circumſtantiis, quæ ad rem multùm conferunt, commendatione dignum opus effecerit, ſi opem & auxilium laboranti patriæ tulerit; Ita poterit eius prouidentia laudari, & quaſi rerum præſaga mens. Hûc reuocari poſſunt dona collata quaſi virtuti præmia, coronas loquor, torques, armillas, & alia quibus homines ad egregia facinora incitantur. Adde ſi non ſemel, at ſæpius idem fecerit; tunc enim non caſui, fortunæ, ſed virtuti & induſtriæ adſcribendum erit.

PVNCTVM XI.

Generis Encomiaſtici Peroratio.

POſſunt ac debent cieri motus in laudationibus, non illi quidem vehementes, ſed qui ſtudium imitationis, honeſtam quandam æmulationem virtutis perſuadeant, amorem & beneuolentiam excitent in eum, quem commendamus: In vituperationibus autem adhibendi motus indignationis & iracundiæ, pudoris & ignominiæ, vt in animis auditorum turpitudinis ac dedecoris odium relinquatur. Sic enim res ante dictas illuſtrat, & memoriam eorum reuocat quæ in tota Oratione diſputata ſunt.

Porrò varius & multiplex perorandi modus colligitur apud Laudatores eximios; Plinius vota facit, ac preces ad ſuperos habet pro incolumitate, rebúſque proſperis eius, quem multis commendauit. *Præſides cuſtodéſque imperij Deos, ego Conſul pro rebus humanis, ac te præcipuè Capitoline Iupiter, precor vt beneficij faueas, tantiſque muneribus addas perpetuitatem. Audiſti quæ malo Principi precabamur, exaudi quæ pro diſſimillimo optamus. Non te diſtringimus votis; non enim pacem, non concordiam, non ſecuritatem, non opes oramus, non honores: ſimplex cunctáque iſta complexum vnum omnium votum eſt, ſalus Principis, &c.*

Alius eſt Conſtanrini laudator Anonymus. *Quamobrē te ſumme rerum ſator, cuius tot ſunt nomina, quot gentiū linguas eſſe voluiſti, quem enim te ipſe dici velis, ſcire nō poſſumus, ſiue in te quædā vis menſq; diuina eſt, quæ toto infuſa mūdo omnib. miſcearis elemētis, & ſine vllo extrinſecùs accedēte vigoris impulſu, per te ipſe moueris; ſiue aliqua ſupra omne cœlū po-*

teſtas eſt , quà hec opus tuum ex altiore natura arce deſpicias, te inquàm, o amùs, & quæſumus vt hunc in omnia ſæcula ſerues Principem : paruum eſt enim optare tanta virtutis, tanteque pietati, quem longiſſimum habet vita progreſſum. Fac igitur vt quod optimum humano generi dediſti, permaneat æternum, omneſque Conſtantinus in terris degat ætates.

Quid ſupereſt, niſi vt te ſupereſſe velimus imperio ? addant vitæ tuæ Superi annos quos patriæ, quos nobis reddidiſti. Viuat nobis viuat poſteris, viuat inuictus, viuat auguſtus, viuat quod fecit adhuc Ludouicus.

II. Ab ipſa gratiarum actione, Plinius in Traiano. *Vobis P. C. quantum debeam publicis etiam monimentis continetur, vobis mihi in Tribunatu quietis, in prætura modeſtiæ: vos in iſtis officiis etiam, quæ è ſtudiis noſtris circa tuendos ſocios coniunxeratis, cuncti conſtantiæ antiquiſſimum teſtimonium perhibuiſtis. Vos proximè deſtinationem conſulatus mei his acclamationibus approbauiſtis, vt intelligam etiam atque etiam enitendum mihi, vt hunc conſenſum veſtrum complectar, & teneam, & in dies augeam.*

III. Ab excuſatione ſui, quod minus eleganter ejus vitæ miracula commendarit minúſque ſatisfecerit auditoribus. Hanc adhibuit induſtriam Pacatus. *Hactenus memet Imperator res tuas præteritas attrectaſſe fas fuerit: at cùm tempus admoneat meminiſſe præſentium, finem ſermoni facere maluerim, quàm ampliſſimi ordinis munus inuadere. Dabitur vtcumque venia piæ temeritati, ſi vſurpaſſe communia, non occupaſſe videamur aliena. Licuerit mihi quæ in barbaris gentibus longinquiſque prouinciis pro ſumma re fortiter feliciſerque feciſti annitente numine tuo & Senatu fauente dixiſſe.*

IV. Suggerit idem Orator, dùm ſibi gratulatur, quod tanti Principis laudes dixerit, quod illum viderit. *O mea felix peregrinatio ! ô bene ſuſcepti, & exhauſti labores ! quibus ego interſum bonis? quibus fruor gaudiis? quæ reuerſus vrbibus Galliarum diſpenſabo miracula? quantis ſtupentium populis, quàm multo circumdabor auditore, cum dixero Romam vidi, Theodoſium vidi, & vtrúmque ſimul vidi. Vidi illum Principis patrem, vidi illum Principis reſtitutorem. Ad me longinqua conuenient ciuitates, è me geſtarum ordinem rerum ſtilus omnis accipiet, à me argumentum Poëſica, à me fidem ſumet hiſtoria. Compenſabo tibi iſtam Imperator iniuriam, ſi cùm de te ipſe nihil dixerim quod legendum ſit, inſtruam quæ legantur.*

V. A polliciratione vel officij perpetui, vel amoris. Mamertinus Orator clariſſimus in Iuliano ſic ait. *In referenda autem gratia ſacratiſſimo Imp. hoc ſibi polliceor ſemperque præſtabo, mihi neque in ſuggerendis conſiliis veritatem, neque in adeundis (ſi res popoſcerit) periculis animum : neque in ſententia ſimpliciter ferenda fidem : neque in hominum voluntatibus pro Repub. neque lædendis libertatem : neque in laboribus perferendis induſtriam, neque in augendis imperij tui commodis grati animi beneuolentiam defuturum; idque omni vitæ tempore ſummis opibus enixurum, elaboraturum, effecturum, vt honores in me tui, non quia neceſſe fuerit, ad quemcumque delati, ſed quia oportuerit, rectè poſiti, & ratione collocati eſſe videantur.*

VI. Cauſam reddit Orator, cur rem vnam potius quàm aliam quamlibet ad dicendum ſibi ſumpſerit, quod in Genethliaco Maximiani facit Mamertinus *Optime igitur Imp. quantum arbitror, hæc poſiſſima elegi, quæ gemino natali ſuo prædicarem. Etenim cæteræ virtutes, & bona cætera proceſſu ætatis eueniunt, fortitudo annis accedentibus roboratur, Continentia diſciplinæ præceptis traditur, Iuſtitia cognitione iuris naſcitur, ipſa deniq; illa quæ videtur omnium rerum domina eſſe ſapientia, perſpectis omnium moribus, & exploratis rerum docetur euentis, ſola cum naſcentibus pariter oriuntur pietas atque felicitas : naturalia ſunt enim animorum bona, & præmia fatorum, &c.*

VII. Eſſe poteſt ab rei alicuius petitione, pro aliis, aut etiam pro nobis ipſis. Eumenius in Conſtantini filio pro ſuis Imperatorem deprecatur. *Quoniam ad ſummum votorum meorum ſua dignatione perueni vt hanc meam qualemcumque vocem diuerſis otij & Palatij officiis exercitam, tuis auribus conſecrarem, maximas Nomini tuo gratias ago tibique (quod ſupereſt) commendo liberos meos, præcipuéque illum iam ſumma fiſci patrocinia tractantem, in quo me totum tranſtulit pietas. Cæterùm quod de omnibus liberis dixi, læſa eſt ambitio. Præter illos enim quinque quot genui, etiam illos quaſi meos numero, quos prouexi ad tutelam fori, ad officia Palatij, quorum ſucceſſibus lætor, omniumque honorem pro meo duco.*

LEC

LECTIO VI.

Vſus præceptorum particularium generis epidictici.

VArias ac multiplices ad hoc genus ſpecies Orationum reuocant Oratores, ſcilicet ſummi Pontificis laudem, Regis Auguſti, hominis eruditi, viri piè Religioſi, militis egregij, fœminæ Principis, Pueri Adoleſcentis in ſpem Reip. nati, Parentis, ſubditi; idque vel per Genethliacon, in ortu & natali die, vel hominum, vel vrbium: Epithalamium in Nuptiis: Epinicium poſt victoriam; Soteriam, poſt recuperatam valetudinem: Epicedium, ad defuncti cadauer nondum ſepulti? Epitaphium ad tumulum in anniuerſario die: Monodiam, ad vita functi memoriam celebrandam: Gratulationem, creato Pontifici, Inuncto Regi, inaugurato doctori, vel Magiſtratui: Ἀποβατήριον abeunti vel abire paranti amico; ἐπιβατήριον incolumi patriæ reddito: Euchariſticum, ob acceptum beneficium gratiarum actionem.

PVNCTVM I.

Vſus laudis in Puero.

HVius Orationis vſus eſt in funere illuſtris pueri, vel in natali die, vel luſtrico, & ſacro fontis Baptiſmate, vel cum alia Panegyris inſtituitur. Notandum aſciſcendam eſſe laudem hanc aut à ſeminibus, & Principiis virtutum, aut à ſpe quam pollicetur egregia pueri creſcentis indoles. Vt enim ſurgentis auroræ crepuſculum ridere blandius ſolet, ſic & in pueris, in quibus vis naturæ paulatim effloreſcit virtutum teneritas delectat, & mage ſuauem, quàm locupletem dicundi materiam ſuis Oratoribus ſuggerit.

Auctores à quibus laudis huius materia ſumi poteſt nominantur, Plato de legibus, dùm huic ætati perfectius educandæ leges præſcribit; Xenophon in pueritia Cyri; Philo opuſculo primo de liberorum educatione; Plutarchus in vitis virorum illuſtrium, in Catonis, Alcybiadis, Licurgi, Auguſti, aliorum: Ariſtoteles in Ethicis: D. Ambroſius in Ioſepho, Agnete, Valentiniano Auguſtinus epiſtola ad Licentium.

Exordium dabit dictum illud Regis vatis de autora naſcente, *ros natiuitatis tuæ*, quod alij exponunt ante Luciferum genui te. Vt enim lux auroræ, quæ pueritia diei dicitur, mortalibus in tenebris adhuc ſepultis ſolet eſſe gratiſſima, niténſque purpureo temperatóque fulgore clarior ſpem purioris ſolis relinquit, generat vniones in conchili, pingit flores in pratis, &c. Ita pueritiam N. eſſe vitæ auroram. Tùm beneuolos auditores hortatur vt rore & ſuauitate tàm amantis ſyderis ſe perfundi patiantur, & in Oratione ſua radios illius nitentes dignentur intueri. Propoſitio ſequitur; ſcilicet velle ſe huius auroræ pulchritudinem & ortum propius intueri.

Confirmatio præcipua quæque capita comprehendit à quibus peti poſſunt puerorum laudes. A paterno, maternóque genere, à ſimilitudine virtutum vtriúſque, quam velut ſpirantem in vita ſua referunt. Nam plurimum intereſt, ait Plutarchus, ſtirpem plantarum eſſe generoſam, quia deiicit virum tametſi generoſum conſcientia paterni criminis, & fundamentum ſi firmum non eſt, ædificium licet præclarum, corruit, quale tandem huic puero genus?

Si quid contigit mirum aut diuinum vel ab Oraculo, aut vaticinio, dicendum illuſtres viros vt plurimum, magno naturæ parentis & cœlorum motu editos: Nondum natus erat pericles Olympius, & iam Græcos vel nominis ſui recordatione terrebat; nondum Alexander ab Olympiade, iam Ammonis filius dicebatur, quem vel ante partum Hecuba formidaſſe dicitur, Deus quoque Iſaacum, Sanſonem, Iſmaëlem, Ioſiam ante alios longè prædici voluit, ſicut & Iuſtinæ Imperatrici euenit per ſomnium paternum de purpura genitæ, ſicut & Theodori ortum per ſtellam in ſinum maternum lapſam; vt Cyri gloriam ex eo conieciſſe narratur Aſtyages, quòd eius mater ſibi dormienti viſa eſſet, ex ſe palmitem fundere, quo tota latè Aſia tegeretur.

Adeo

Digitized by Google

Adeo verum eſt pueris ad magna quædam electis, multa ſæpè contigiſſe diuinitùs, Seruio & Iülo flamma caput lambens ex Liuio, Eliæ, quem Angelus flammeis inuolutum faſciolis, flammeis globulis enutriuit, Ambroſio, cuius in labiis examen apum molliter ſeſſitauit, Puero Octauiano quem catena aurea è Cœlo in Capitolium demitti vidit Tullius, vt cui Aquila imperium oppignerans panem abſtulit, quem Alexandro reddidit.

Quæ in ortu contigerunt laudanda, faciunt ad rem, quòd terram tetigerit primùm, vt ſi Hercules alter in Clypeo exceptus eſt referente Theocrito; ſi in panno aureo, vt Iupiter, canēte Callimacho, hoc enim proſperitatis ſignum eſt, illud fortitudinis; ſi natus riſerit, vt in Salonino dixiſſe videtur Virgilius, ſi aqua luſtrali perfuſus antequam natus, vt Carolus ſimplex, ſi vim inſolitam fortitudinis exhibuerit, Hercules elidendis anguibus, ſi flumine gelido merſus vt olim apud Gallos, ſi flamma, vt Hercules.

Suos quondam Principes, cùm naſcebantur, Scythæ Clypeo extulerint, ad belli præludium; ſuo Athenienſes Sacerdotalibus infulis texerint, ad pacis auſpicium; Perſæ aduerſo Soli oppoſuerint, ad miſeriarum exemplum; Turcæ militari vexillo, ad iactantiam; Græci purpurea Chlamide, ad pompam; Parthi caſſide, ad ferociam exceperint. Parentis optimi filius luſtralibus aquis aſperſus erit diuinis aris imponendus, ad æternum Chriſtianæ pietatis monumentum.

Laudantur ab ingenij ſolertia, ſi cum morum grata feſtiuitate, ſermoniſque affabilitate coniungatur: ab induſtria, eruditione & liberalium artium diſciplina, ſpe rerum maximarum, cæteriſque animi & corporis dotibus, quarum cognoſcitur eſſe capax tenerior adhuc ætas illa, tametſi vt benè Tull. omnium ſeminibus à natura aſperſa ſit. Nominantur autem prudentia & grauitas quædam, & cogitatio magna ſpirans, contemptus puerilium ludorum, quæ ſapientia præcox licet, laudem meretur, cùm ſit flos ingentium virtutum; Talis Agnes quæ ex D. Ambroſio 13. ætatis anno mortem adiit & vitam inuenit, quæ vitæ perennis auctorem dilexit. *Infantia quidem computabatur in annis, ſed erat ſenectus mentis: nondum idonea pœna, & iam matura victoria, magiſterium virtutis impleuit, quæ præiudicium vehebat ætatis*: Talis Ioſephus, qui filius ſenectutis dictus eſt ob ſenilem prudentiam; & ille Macarius *παιδογέρων*: Alexander, qui duodecim annos natus Legatos Perſas non de puerilibus nugis, ſed de bello, de regni adminiſtratione, deque rebus virum ætate prouectum ſapientibus interrogauit: Themiſtocles, qui ludentibus coætaneis ſuis Orationes ipſe ſeorſim meditabatur. Carolus V. Gallorum Imperator, qui parente gladium & coronam ad optionem offerente, gladium elegit, *& hic*, inquit, *illam dabit*: A pietate in Deum, Obſeruantia in parentes, & Magiſtros: Edmondus Cantuarienſis qui puer annulo aureo Deiparam, ſubarrauit: Robertus, quem Deipara, ſanctus Hermannus, qui cum Puero IESV ludere ſolitus erat, &c.

A pudore, à morum innocentia, ab integritate vitæ, vt qui non fuerit voluptatum illecebris emollitus, nec vllum in eius animo puriſſimo impreſſum fuerit impietatis aut peccati veſtigium, quod, &c.

PVNCTVM II.

Vſus laudis in adoleſcente.

SI pueritia eſt aurora, Sol Oriens eſt Iuuenta; vnde ducitur laudis huius exordium, vel à dicto Demadis apud Athenæum. lib. 3. cap. 1. *τοὺς ἐφήβους ἔαρ τοῦ δήμου* Iuuenes eſſe ver populi, & ver eſſe iuuenturem mundi, proinde laudator inferet ſe non poſſe non floridè & amœniter de florida vernantique ætate non loqui, ſuóſque prouocabit auditores ad iucundam pulcherrimi ſpectaculi contemplationem.

Propoſitio. Sed quemadmodum vno tempore tàm multiplex eſt florum varietas in hortis & pratis, vt labor ſit, quem potiſſimum legas; ita & in Iuuenture N. verna, quas potius virtutes excerpas, vt ſertum laudis eius componas, non facile ſit eligere; ſe tamen inter tot aliquos deliberaturum eſſe dicet, vel permiſſurum auditoribus, vt oderentur, quem potiſſimum voluerint.

Confirmatio. Inchoatur ab officio, & diui-

ſione

Digitized by Google

ſione virtutum eius ætatis D. Ambroſ. 1. Off. Adoleſcentum eſt timorem Dei habere, deferre parentibus, & illis obſequi, ex eorum conſiliis res ſuas omnes agere, honorem habere ſenioribus & reuerentiam, caſtitatem tueri, non aſpernari humilitatem; addendum magnos heroas id egiſſe, Alcibiadem Socrati ſe tradidiſſe, Alexandrum Ariſtoteli, Gratianum Imperatorem Auſonio, Romanos ferè omnes inſignes militiæ Duces, & Oratores eximios habuiſſe moderatores, quorum facta diſcerent, mirarentur, æmularentur: quid ſi parentes ſuos habuerit à quibus ad virtutem & morum diſciplinam informaretur? hic locum habent præſtantium virorum deſcriptiones.

Laudari debet adoleſcentia præſertim ex eo quod vitiis huic ætati propemodum innatis caruerit; Quibus autem? iracundia, leuitate, ſpe turbida, inflammata cupiditate, nimia ſuperbia, &c. De Valentiniano D. Ambroſ. *A vitiis Iuuentutis abſtinere magnum eſt, vel ea relinquere ſtatim in ipſo iuuentutis veſtibulo*; Quod ab enumeratione feciſſe Valent. docet. Quam indolis perfectionem laudat in Honorio Claudianus 4. Conſ.

Si metuis, ſi praua cupis, ſi duceris irâ,
Seruitij patiere iugum: tolerabis iniquas
Interius leges, tunc omnia iure tenebis,
Cùm poteris rex eſſe tui. Proclinior vſus
In peiora datur, ſuadetque licentia luxum,
Illecebriſque effrena fauet; tunc viuere caſtè
Aſperius, cùm prompta venus, tunc durius ira
Conſulitur, cùm pœna patet, ſed comprime motus
Nec tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit
Occurrat, mentemque domet reſpectus honeſti.

Dic in Iuuene virtutes eas fuiſſe, quæ diuinis honoribus excipiendū probarēt, corporis & animi dotes egregias, robur & fortitudinem, pietatem in Superos, ſapientiam ſingularem, Clementiam in omnes; ſed eam pulchritudinem, quæ mentis excellentiam argueret, puritatiſque foret indicium, hanc in eodem Imperatore recognoſcit Claudianus 4. Conſ.

Quæ pietas, quantuſque rigor, tranquillaq; magni
Vis animi, nullòue leuis terrore moueri:
Nec noua mirari facilis: quæ docta facultas
Ingenij linguæque modus! reſponſa verentur
Legati, grauibuſque latet ſub moribus ætas.
Quantus in ore Pater! radiat quàm torua voluptas,
Frontis & auguſti maieſtas grata pudoris!
Quis decor, incedis quoties clypeatus & auro
Squameus, & rutilus criſtis, & caſſide maior!
Sic Amphionia pulcher ſudore paleſtra
Alcides Pharetras, dircæaque tela ſolebat
Prætentare feris, olim domitura Gygantes
Et pacem laturapolo.

Denique dicendum cum Demoſthene illum eſſe veræ virtutis ideam & axemplar, à natura ſimul & à Deo factum, propoſitum omnibus ad imitandum, in quo virtutes, nulla vitiorum contagione fœdatæ reperiantur. Apud poſteros, vero miraculi fidem claudicaturam, vt ait de Conſt. Auguſto Nazarius. Magnitudo Principis noſtri geſtis veterum fidem conciliat, ſed miraculum detrahit. Tu Imperator optime, adhuc æui immaturus, ſed iam maturus imperio, oſtendiſti curſum ætatis non expectandum, infeſtinatione virtutis. Tu exinde domi militiæque iuxtà bonus, nuſquam extuliſti, quin vbique te gloria quaſi vmbra comitata ſit. Tu ferociſſimis regibus captis tanta laude res bellicas auſpicatus es, vt iam inauditæ magnitudinis obſidem teneremus. Vt Herculem ferunt tenerum adhuc atque lactentem duos angues manu eliſiſſe (ſic tu Imperator in ipſis Imperij tui incunabulis quaſi geminos dracones necares, per ſæuiſſimorum regum famoſa ſupplicia ludebas.

In Peroratione motus admirationis & amoris cieri poteſt, & exhortatio grauior ad Iuuenes.

PVNCTVM III.

Laus Regis alicuius aut Principis in vniuerſum.

DVplici methodo tractari poteſt hoc genus orationis, vel ſi ſequamur rerum geſtarum ordinē, vel ſi virtutes præcipuas eligamus, quas in eo fuiſſe doceamus; plerique veterum primam rationem ac viam ſequuti ſunt, alteram maioris artificij eſſe credimus: Itaque propoſitio fieri poteſt, ſi Solem dicamus eſſe Regem vt Dio 3.

de Regno.Seneca 1.de Clem.quem vocat beneficum ſydus, alij Ducem, Principem ac moderatorem luminum,coloris fontem,vnicum mundi oculum, continuo curſu terram luſtrantem, & luce ſua perfundentem omnia, dici iucunditatem, cœli pulchritudinem, naturæ gratiam, præſtantiam creaturæ; Quid maius dici poteſt ad formoſi vtiliſſimique ſyderis commendationem, quàm quod de ſole dixit magnus Dionyſius de diuinis nominibus,τῆς θείας ἀγαθότητος ἐμφανῆ εἰκόνα, claram expreſſamque diuinæ bonitatis imaginem, quam in homines effuſam Sol alter lucis & caloris ſui communicatione imitatur: quæ multa Regi conueniunt, maieſtatis ſpendor, generis claritas & amplitudo, vitæ cultus & elegantia purpuræque fulgor, à quo ſplendorem ſuum Regni Proceres, vt à Sole lumen aſtra reliqua,mutuantur.

Aliàs cùm Nazianzeno dicemus Regem Medico ſimilem, ſed excellentioris artificij, quàm corporis & morborum grauium: Οὗτός ἐστιν ἰατρὸς τοῦτό ἐστιν ἄρχων, μᾶλλον δὲ καὶ ἰατροῦ πλέον. Quod eſt Medicus, hoc eſt Princeps, vel potius pluſquàm Medicus, ai diuinè ſanctus Chryſoſtomus in Pſalm. 123.Quibus oſtendit non mediocrem eius artificij cognitionem & peritiam in Regibus requiri, ſed excellentem & perfectam. Peritè Nyſſenus & eleganter, vt ſolet, de Medicorum ſcientia diſſerens libro de Trinit. πρὸ τῶν μετὰ τὸν βίον σπουδαζομένων ἁπάντων, rebus omnibus quæ in vita magnifiunt præcellere. Adde Lenitatem, Prudentiam, Æquitatem, Seueritatem, quæ ſunt potiſſimæ Medicæ dotes, Regi neceſſarias eſſe, ſiquidem ex Nazian orat.1.nihil eſt difficilius,quàm ſcire ἄρχειν τῶν ἀνθρώπων, hominibus imperare.

Modò ſimilem animæ,quæ vitam donat, pulchritudinem motumque membris imperat ad ſalutem corporis,eſtque eiuſmodi, vt ſi vel momentum ab eo diſceſſerit, corrumpantur: Rex omnes Imperij ſui partes animat, tutatur,auget, leges præſcribit, pacem, otium & tranquilitatem reddit & confirmat, vberem agricurturam, & quæſtuoſiſſimam mercaturam valere vult & vigere; quo ſemel extincto, quæ regni facies? quæ rerum perturbatio?&c.

Virtutes regias proponunt alij, quas enumerat Iſocrates in Euagora, Plutarchus in Marciano; dum experientia militari clarum facit, corpore fortem & robuſtum, prudentia ſingularem, manu promptum, naturâ bellicoſum, moribus probum & modeſtum.

Dio libro 4. characteres Principis recenſet quorum primus eſt,vt ſi θεόφιλος, Dei Deóque amicus; alter vt ſit eruditus & ſapiens, tertius clemens, moderatus, & miſericors, quartus fortis ad pericula, ſeque conſtanter morti offerens ad religionem propagandam latius,&c.

A pietate primum auſpicari debet Orator, quod ἐκ θεῖα πάντα ſecundùm Ariſtotelem. Cùm filios ad veram pietatem complectendam hortaretur Theodoſius Auguſtus magnum hoc effatum protulit, ſcilicet à pietate puæ eſt in Deum & Superos pendere felix Imperij regimen. Per hanc enim ait Theodoretus lib. 5. cap. 25. καὶ εἰρήνη φυλάττεται, καὶ πόλεμος καταλύεται, καὶ πολέμιοι τρέπονται, καὶ ἀνίστανται τρόπαια, καὶ νίκη βραβεύεται. Et pacem conſeruari, bellum extingui, hoſtes in fugam verti, trophæa erigi, denique victoriam conſtare.καὶ πασῶν ἀρετῶν ἡγεμόνα,Principem atque ducem omnium virtutum pietatem eſſe dixit Hierocles, rametſi foret Chriſtianæ religionis hoſtis.

Hìc per Apoſtrophem acerbam compellari poſſunt Athei Machiaueli, Michaëles, Friderici, qui vecordes & ſtolidi religionem inter & imperium diſſidium eſſe voluerunt, diuinas leges, cum Regni legibus non poſſe ſubſiſtere; quos ignorantiæ, improbitatis & ſtultitiæ arguet Orator.

A clementia, morúmque lenitudine: grande ſcilicet animi decus & ornamentum onibus expoſitum, ſed Principi maximè neceſſarium; Nam amari, coli, diligi, maius imperio eſt, vt laudabili dicto pronuntiauit Symmachus. Clara ſanè eſt manſuetudinis ea laus, vbi lenitas animi reperitur, ibi ſubitò videas chorum eſſe præſtabilium virtutum: ſed præſertim ad manſuetudinem ſe continuò adiungunt animi ſancta demiſſio,modeſta patientia, vis obedientiæ ſingularis. Quod Ennodius eleganter artificium cœleſte nominauit. *Perfecti ſæculorum Reges, ſupplicantibus indulgere cœleſti arte didicerūt.* Tum demum Rex omnes comitatis numeros obiiſſe dicitur,

Digitized by Google

citur,cùm vt Traianus alter, par omnibus eſt, & hoc tantum cæteris maior,quò melior, illius Dictatoris Cæſaris effati memor *Miſerum eſſe inſtrumentum ſenectutis,recordationem crudelitatis.* Apud Ammia. l.29. Clementiæ verò ſenectutis ſolatium, propter quam ſunt in honore apud ſuos, & amica omnium reuerentia excipiuntur.

Non ſic excubiæ,nec circumſtantia tela
Quàm tutatur amor

Canit Claudianus. Hæc arx inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Quis enim velit ei nocere,à quo nihil timet & omnia ſperat,cuius vita nulli noxia ſit,omnibus vtilis,cuius mors nulli proficua, multis noxia, Petrarcha de ſolitudine. Adde notam eſſe diuinitatis,& numinis imitationem,eam ob cauſam clementiæ laude commendatus cum Timotheo vocatur ab Iſidoro Peluſiota l. 2. ep. 151. τέμενος ἡμερότητος templum manſuetudinis ex quo ſatis intelligimus hanc virtutem eſſe quidpiam diuinum, animumque eius,quem pia morum ſuauitas complexa ſit Deo conſecrare.

Deinde probandum in bellicæ virtutis tutela atque præſidio latere omnia florentis regni bona,ſi prudenter feliciterque,ſi iuſtè, ſi rectè,ſi ex Dei legibus & auctoritate Princeps regnũ ſuum adminiſtret, quæ multa reperenda ſunt ab Inuentione demonſtratiua.

Pvnctvm IV.

Laus Principis fœminæ.

Exordium ab Inſinuatione, difficilem eſſe laudem huius perſonæ, quam plerique ſapientum grauiſſimis probris, inſectantur. Et verò *mulierem fortem quis inueniet*? ait ſapiens. Menander, θησαυρὸς τῶν κακῶν γυνή. Sed illuſtriorem fore commendationem huius dicet, ſexus infirmitate ſuperior, heroicam virtutem induerit;adde quod conuitia vitiorum ſunt, non mulierum.

Laudatur ergò primùm à nobilitate generis, quâ Liuias Cornelias cæteraſque ſuperat Principes fœminas.

Ab inſtitutione ſancta primæ ætatis,alteram Pulcheriam dices quæ fratrem ſapienter ad bonos mores informarit, Imperiumque feliciter adminiſtrarit: Zenobiam, quæ Virago duxerit exercitus:Clotildem Francorum Reginam, quæ Religionem Chriſtianum induxerit.

A prolis fœcunditate, quam vt Blanca verè pia ad omne virtutis ſtudium inſtituerit, informaritque.

A debita Marito obſeruantia & charitate ſingulari,quem ſecundùm Deum vnicè diligat,cuius etiam voluntatibus obſequatur,dùm diuinis non aduerſantur.

Ab exaggerata quadam animi moderatione, & conſtantia in rebus aduerſis & proſperis æquabilitate.

Ab officiis pietatis in Deum & Superos,ab integritate & innocentia vitæ, charitate in omnes in negotiis priuatis publiciſque ſanctitate,à Zelo denique propagandæ religionis Chriſtianæ.

A liberalitate,Continentia,Modeſtia, Pudore,è ſuauitate caſtimoniæ mentis & corporis, cuius ornamenta ſint ipſæ virtutes, non exquiſitæ munditiæ vitiorum illecebræ. Quibus ad ſuam aliorumque perniciem matronæ oris,quàm animi melioris abutuntur. *Date illi de fructu manuum ſuarum & laudent eam in portis opera eius.* Prouerb. cap.vlt.

Pvnctvm V.

Vſus laudis in rebus inanimis.

Res inanimæ partim naturales ſunt, vt cœlum, elementa,fontes, metalla,plantæ terræ motus, & id genus alia, in quibus nonnunquam cauſæ præmittuntur,ex quibus coaluerunt partim manu facta ſceptrum, thronus, vrbes,ædificia,ſtatuæ,in quibus cauſa materialis & efficiens celebrantur, neque prætermittuntur effectus, ſi qui reperiantur inſignes. Crux itaque reparatoris noſtræ ſalutis Chriſti commendetur;

Exordium inſtituetur ex eo quod cuiuſuis rei dignitas arceſſatur ab eorum æſtimatione,penes quos ſumma poteſtas eſt, ſic fictilis Epicteti lampas magni veniit:Tugurium Romuli, Franciſci

cifci I. geniſtæ fruſtum in pretio fuit, & quæ ab Heroibus honeſtata fuerunt inſtrumenta, tanquam magnorum operum adminiſtra, præcipuè verò, ſi Deus illa ſignis quibuſdam illuſtraret, quod Cruci contigit, quæ tametſi rebus in humanis deſpicatiſſima fuerit, tamen ex quo diuino ſummi Regis cruore, vti purpurâ tincta eſt, rebus omnibus antecellit.

Propoſitio. Itaque non nouis illam radiis illuſtrabit, ſed ſanctè venerabitur, vt Imperatoris ſolium, vt diuini ſponſi thalamum, vt currum triumphalem, quo cœlo victor inuectus eſt, vt ſceptrum Dei potentis: cumque illius decora ſint propemodum infinita, leges Oratori præſcriptas non excedet, genus, ineptos honores, effectus varios enumerare contentus.

Incipiet ab anteoccupatione confirmationem, futurum operæ pretium, ſi priuſquam opus aggrediatur dedecoris & ignominiæ veruſtam opinionem & hominum mentibus penitus inſitam atque comprehenſam euellet, ſcire ſe crucem ſemper ignominiâ pleniſſimam fuiſſe, damnatis ſeruis & hoſtibus teterrimis figi ſolitam atque conſtitui, mortis genus eſſe turpiſſimum, ſed Crucem eò futuram illuſtriorem, quòd notas abiectionis in æternæ gloriæ gemmas commutarit.

De crucis ortu quærere labor inanis eſt, cùm totum illius decus ex eo tantum ductum velit quòd morientem tulit Deum. Fuerit obſcura prius, tacuerit adſcitis honoribus, natiuis affatim ſplendet, nec reorum ſordibus obſoleſcit.

Si definiendum eſt illius genus, diuinam manum dicet, quæ figuram illam omnibus totius vniuerſi partibus æterno charactere conſignauit. Quod ab enumeratione demonſtrari facilè poteſt in cœlo, in ſtellis, in auibus, in homine natante, in eius facie, nauibus, vexillis militaribus in floribus & plantis, vbique Crucem agnoſcimus & miramur.

Iam ſi vetuſtas rem commendat, & gloriam addit, ab ipſo mundi naſcentis exordio, emblematicis myſticiſque picturis expreſſam crucem, & adumbratam vaticiniis conſtat: Et licet magnifica ſit illa, nobilitatis ratio, quæ ab diuina voluntate naſcitur & auguriis, quæ tamen à factis, & virtute ducit originem multis omnibus eſt anteponenda.

Porro quàm excelſa, quàm diuina ſunt operaquàm illuſtria Crucis miracula? Dic eſſe gladiū, quo ceruices Gigantis cecidit Dauid: virgam Moyſis, quâ Regem Ægypti Pharaonem expugnauit, Nilum vertit in ſanguinem, mare ſidit, reduxitque ſuper hoſtes: Columnam igneam, quâ duce populus Arabum deſerta traiecit: ſcalam, quâ vidit è terris in cœli verticem Angelos euadere Iacob: Arborem vitalem, quam in Edem vmbilico Deus reparandæ hominum vitæ plantauit: ſceptrum Regis Aſſueri aureum, cuius in faſtigio ad caput protenſo, vel retracto ſita erat mors & vita: ſerpentem illum ex ære fuſili erectum à Moyſe cuius ad aſpectum ſaucii conualeſcerent. Eliſei baculum, quo mortuos ſuſcitauit; Cornu Rhinocerotis, quo hoſtes ventilat: Lignum aloës, quo amarulentę aquę dulceſcunt Nauim illam Noë, quâ ſeruantur ab Elunione naufragi? Maxillam Aſini, quâ Palæſtinus Hercules Samſon mille proſtrauit hoſtes. Quibus per congeriem explicatis, ſubiice ſimilia quædā imò longè maiora à Cruce fieri, vel ſingula ſingulis reddendo, explicandoque per Antitheſes, deſcriptiones, admirationes, &c.

Primus effectus. Si quidquam in ancipiti bello principibus viris optandum maximè victoria quàm ſæpè contigit beneficio Crucis? clariſſima fuit illa Conſtantini, vndè labarum illud inuictum ſubrogatum fuit Aquilis, cuius vexillo tectus nunquam vulneratus eſt Alphonſus Luſitaniæ Rex, cui Chriſti de Cruce pendentis effigies apparens victoriam de quinque Sarracenis promiſit, deditque, ex quo Luſitani Principes Crucem cœruleam cum quinque ſcutulis in campo argenteo, pro ſtemmate, geſtant, & in quoque ſcutulo triginta nummos, quibus Chriſtus venditus eſt. Exclamando vim ingentem huius ligni ſalutis, hortando diligant præ Triangulis Antiochi, præ Perſic s accipitribus, &c.

Si tantæ virtutis eſt in bellis, quæ pro corpore, pro fortunis & naturæ bonis ſuſcipiuntur, quid in illis, quæ pro ſalute pro virtutibus, pro bonis animi geruntur, efficiet vt prædones horrent patibula, vel etiam ſtemmata Regia; ſerpentes halitum cerui nubes ſolem: tum admiraberis præſentiſſimum illud remedium, & alexi

alexicacum ramum: deſpicies per Apoſtrophem Dæmonem imbecillitatem & vitiorum,attolles noſtram felicitatem,qui tam leui negotio poſſumus lemures & laruas & abigere ſigno ſalutis.

Alius effectus ſit bona innumera quæ ſingulis momentis mundoinfert,aſpectu ſolo traducit animos à vitiis ad virtutē,emollit ferrea pectora,vt ſaxum virga Moyſis,quæ diuinaMetamorphoſi non in belluas, ſed in Angelos immutat homines:non virga Paridis,quæ Vlyſſem ad primam iuuentutem reuocat, ſed ad ver perpetuæ felicitatis languentes & afflictos inducit. Quis Metamorphoſim hanc erubeſcat? quis non patiatur?

Per aceruationem reliquos effectus enumerabis;morbos abigit,hoc ſigno cancrum in mamilla pia fœmina curat, apud S. Auguſtinum 22.de Ciuit.contra venenum eſt præſens antidotum, hoc eſt expertus & ſuo & aliorum bono D.Benedictus: rebus omnibus ſanctimoniam indere ſolet;præcipua virtus eſt quòd à diuina ſapientia ſit electa,vt clauis theſauri diuini,& fax quâ diuinitas aſſertoris noſtri apparuit, hinc ſummis honoribus & vltima veneratione cuiuſuis ætatis & conditionis homines illam coluerunt;per admirationem cultum à principibus Chriſtianis Cruci redditum, amplificabis, quæ deuolauerit in frontem Imperatorum è locis ſuppliciorum, quam pro ſceptro, pro ſtemmate Conſtantinus & Galliæ reges habuerint: Excurres in prodigam pietatem eorum, qui gemmis & auro Crucem ornarunt.

Magnum eſt illam tantopere ab hominibus vt vtiliſſimam celebrari,à Deo vero,& Angelis eadem dignitate æſtimari præcipuum. Sed honorem illum qui ſatis commēdet,à ſupremo rerum omnium iudice deo delectam fuiſſe, quæ annulo decretis æternis conſignandis inſculperetur? aſtaretque ſedenti pro tribunali, tanquam haſtâ Prætori,ſceptrumque diuinitatis?

Motus vehementiores in hæreticos,ethnicos Dæmonibus peiores:hortationes ad huius ſanctiſſimi ſigni cultum & honorem; ad hunc gladium flammeum & verſatilem exerendum in hoſtes & aduerſarios:concludendum per adorationem & hymnum ad illam certæ ſpei anchoram, cœli portâ,& æternæ felicitatis portū tutiſſimū.

Cæterum animantium, inanimorumque autem natura cuiuſque perfecta & abſoluta perficit.In fonte cōmendatur humor purus, affluens frigidus,dulcis, ſaliens,quieſcens: tùm egregia circum naturæ vel artis ſtructura;loci in quo eſt amœnitas & opacitas;denique ſi qua virtus peculiaris ineſt ad abſtergendum, curandoſque, morbos:ſic Fontis commendat amœnitatemHoratius,eique ſacrificium promittit.lib 3.Od. 13.

O fons Blanduſiæ ſplendidior vitro
Dulci digne mero,non ſine floribus
Cras donaberis hœdo
Cui frons turgida cornibus
Primis,& venerem & prælia deſtinat.
Fruſtra:nam gelidos inficiet tibi
Rubro ſanguine riuos
Laſciui ſoboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculæ
Neſcit tangere:tu frigus amabile
Feſſis vomere tauris
Præbes,& pecori vago
Fies mobilium tu quoque fontium
Me dicente cauis impoſitam ilicem
Saxis:vnde loquaces
Lymphæ deſiliunt tuæ.

In laudibus inanimorum præcipuæ ſunt regionum & vrbium: In illis commendatur malarum noxiarumque rerum abſentia,fœcunditas armētorum,pecorum,arborum,ſegetum, vitium,verna terræ ridentis amœnitas,cæli grata temperies flumina, lacus, portus, metalla, vrbes, populi, Principes illorum pace belloque illuſtres.In iſtis laudatur cœlum purum,tenue,temperatum, plaga ſalubris ſoli circumiacentis vbertas, frugum copia,ſitus natura vel opere munitus, gentium, conuentibus liber & expoſitus,antiquitas,clariſque fundatoris,ædificiorum pulchritudo,ſublimitas,amplitudo,Principes heroum non diſſimiles;ciues formæ pulchritudine amabiles,moribus ſuaues,religione præſtantes,pacis & militiæ ſtudiis nobiles,maiorum gloria,diuitiis,eruditione,legibus & inſtitutis,imperio Reique publicæ opibus inſignes,&c.

* *
*

Pvnctvm V.

Gentis aut nationis laus.

INſtitui poteſt etiam gentis alicuius commendatio, iſque per comparationem aliquam cum alia, vel cum rebus inanimis Francorum gentem celebrat Orator, illam cum Lilio componet ex Becann libro 4. Francorum. *Quæ hactenus in Francorum ſcutis ſpectatur, iam olim Noachi ætate in vſu Francis fuiſſe dico, & illa quidem è cælo delapſa, propterea quod non quæuis Lilia, ſed cæleſtia eſſent, nec ea alij diuinitùs data, quàm populo Francorum.* Itaque Francis & Lilio dicitur affinitas.

I. Flos hic in primis alacritatem præ ſe fert atque lætitiam, ſicque ſenſim aperitur, vt occultum nihil reconditumq; contineat, adeò gratificatur hortulano: ſimul enim creuit, ſuas ſimul diuitias prodit, odorem, colorem, virtutem; Galli pariter adeò ſynceri ſunt, & candidi, vt ad animi ſui ſenſa cunctis aperienda faciles ſint, ſummo mentis candore alacritate mixta, vnde Poëta.

Quin etiam nec vos Gallorum terreat ardens
Impetus, eſt alacer Gallus.

II. Lilij gratam nobilemque magnitudinem ita commendat Plinius. *Nec vlli florum excelſitas maior, interdum cubitorum trium.* Galli proceri dicuntur, ſiquidem Florus dat illis pluſquam humana corpora: hinc eorum formam Romani mirantur ac pertimeſcunt apud Liuiũ decadis 1: l. 5.

III. Odorem habet non iniucundum flos iſto vnde poſt Roſam, tùm propter odoris ſuauitatem, tum propter alia bene multa ſecundum locum obtinet: Lilium Roſæ nobilitate proximum eſt, & quadam cognatione vnguenti, oleique, quod Lirinum appellatur. Ita Galli virtutum odore ſuauiſſimo nullum orbis angulum non perfuſum reliquerunt, ab obſeruantia Principum & veneratione laudantur, & à mentis altitudine.

— Animoſa tuas vt Gallia leges
Audiat.

Monet Claudianus.

A rebus bellicis, vt qui nihil in agendo patiendoque extremum eſſe ducant niſi mortem, & gloriam, mediam inter eas fugam, nuſquam niſi ad hoſtes patere veliut.

Armipotens dudum celebrari Gallia geſtis.

Ait Auſonius.

Omninò Gallos ad rem militarem, quàm ad agrorum culturam magis idoneos pronunciat Strabo. Armorum ſemper auidas gentes vocat Liuius. Vterque doctus à Saluſtio ſcribente, Gallica gens dicitur natura bellicoſa, inde audit ferox, rebellis, & infeſta populo Romano.

IV. Adeò fertile eſt Lilium, vt quemadmodum habet Plinius, ſuâ feratur lacryma. Gallia pariter, vt canit Poëta nobilis.

Frugum altrix, viniq; ferax, fæcunda virorum.

Sed Liuius eam vocat adeò frugum hominumque fertilem vt abũdans multitudo vix regi poſſe videretur. Aliud dicam, quod licet nonnullorum opinione ſit obſcurum, euidẽs illis erit, qui rerum ſuarum ſedem in Gallia fixerunt, non eſſe peregrinum hominem qui ſi cum Francis, maximè cum Regibus familiariter verſatus fuerit, non eorum virtute capiatur, & continuò in eos non ſit propenſus; adeò natiua virtus ſimplexque animi candor, mentes hominum conciliat.

V. Ab albedine flos iſto non mediocrem habet pulchritudinem & commendationem (nec enim de rubris aut purpureis loquimur, quæ tùm in aquis paluſtribus, tùm in calidioribus plagis enaſcuntur) nam ita Plinius. *Candor eius eximius.* Reliqui auctores, vbi de albedine agitur, Lilij comparationem vſurpant. Martialis lib. 8.

Lilia tu vincis, nec adhuc de lapſa liguſtra.

Vnde candentia vocantur ab Ouidio Metam. 12. Iſidorus lib. 9. c. 2. *Galli à candore corporis nuncupati ſunt γάλα Græcis lac dicitur.* Cuius dicti rationem hanc affert, lib. 14. cap. 4. *Montes enim & rigor cæli, ab ea parte Solis ardorem excludunt, ex quo fit vt candor corporum non coloretur* Colla Gallis lacteo candore albicantia tribuuntur à Virgilio.

Galli per dumos aderant, arcemq; tenebant.
Aurea Cæſaries illis, atque aurea veſtis.
Virgatis lucent ſagulis, tùm lactea collo
Auro innectuntur.

Idem plerique cum Ammiano Marcellino ſentiunt

Digitized by Google

tiunt. *Candidi penè ſunt Galli omnes, an ſit aliquis Gallus ex vultu cognoſcunt.*

VI. At verò neſcio quæ grana ſiue fului, ſeu coloris aurei micant in Liliis, quæ ad Gallicum aurum, vel ad flauas gentis comas referri poſſunt, comas inquam, quia Claudiano de laudibus Stiliconis dicitur.

— Flaua repexo
Gallia crine ferox euinctaque torque decoro.

Ne verò exiſtimes Rheni colonos omninò fuiſſe flauos, de vniuerſis id ab eodem aſſeritur.

Inde truces flauo comitantur vertice Galli
Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit,
Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus,
Quoſque rigat retrò pernicior vnda Garumna,
Oceani pleno quoties impellitur æſtu.

Aurum dixi, quia ſiue caput, ſiue collum, aut amictum ſpectabis in Gallis aurum deprehendes, ex 4. Silij vatis.

Colla viri fuluo radiabant lactea torque
Auro virgatæ veſtes manicæque rigebant
Ex auro, & ſimili vibrabat criſta metallo.

Hinc Varro apud Nonnium de Gallis loquens. *Torques*, ait, *auri multa reluta Romam*: Denique abundare dicuntur à Sybilla.

ἤπειλας ἐν Βρέτιοσι κ̓ ἐν Γάλλοις πολυχρύσοις.

Erit in Britannis & in Gallis multum aurum habentibus.

Ex quibus virtutes illius gentis plurimas commendare licet, & ad illarum imitationem cæteras nationes exhortari.

Pvnctvm VII.

Oratio Genethliaca.

IN reliquis demonſtratiui generis orationibus Orator ſequi debet ordinem, quem ipſa parens natura conſtituit; hominem illæ comitantur in ortu, in vitæ Officiis, & in obitu. Et primo Genethliacon hilaritatis plena gratulatio; quo die vocabant à litibus, & opere ſeruili, vates Lyricus 3. Carm. Od. 17.

—— Cras genium mero
Curabis, & porco bimeſtri
Cum famulis operum ſolutis.

Eidem ſacra faciebant in quibus ſeuerum altumque ſilentium indicebant docente Tibullo.

Dicamus bona verba, venis natalis ad aras
Quiſquis ades linguis vir mulierue faue.

Thus dumtaxat, merum, flores genio offerebant, idem.

Vrantur pia thura focis, vrantur odores.

Ludis, epulis omnique feſto apparatu, cultuque corporis Natalem proſequebantur. Horatius epiſt. ad Auguſtum.

Cum ſociis operum, & pueris, & coniuge fida
Tellurem porro ſyluanum lacte piabant
Fontibus, & vino genium memorem breuis æui.

Ouidius de ſuo Natali 3. triſtium, Elegia. 13.

Scilicet expectas ſolitum tibi moris honorem,
Pendeat ex humeris veſtis vt alba tuis.

Muneta dabant amicis, de quibus Martialis l. 8. epigr. 64.

Vt poſcas Clyte munus exigaſque,
Vno naſceris octies in anno
Et ſolus puto treſue quatuorue
Non natalitias habes calendas.

Neque tantum laudantur hominum natales, ſed vrbium, templorum, regnorum, rerum etiam naturalium, quaſi naſcantur cùm primùm incipiunt, locorum ſacrorum, profanorum, quod obſeruare ſolet pia fidelium mater Eccleſia in Dedicatione templorum: atque olim Romani ſatis ſuperſtitioſè religioſi vrbis ſuæ natales celebrabant. Imò victoriarum meminit Iuuenalis Satyra 6.

Palmam inter Dominas virtus natalibus æquat

Denique pro natalibus colebant eos dies quibus ab aliquo præſenti periculo liberati fuerant. Ita Tullius pro Flacco de die, quo Rempublicam à coniuratione Catilenæ liberauerat, numero 203. *O nonæ illæ Decembres, quæ me Conſule fuiſtis! quem ego diem verè natalem huius vrbis, aut certè ſalutarem appellare poſſum.*

Simile quid in Poëta magno legitur, 3. Æn.

—— Sauis hoſpes Troiane periclis
Seruati facinus, meritoſque nouamus honores.

Qua ratione de ſe pronuntiat iſta vates Horatius totus lætitia diffluens.

Voueram dulces epulas & album
Libero caprum prope funeratus
Arboris ictu.

In

In publica lætitia ramos templis, lucernas feneſtris, ædium veſtibula tapetibus obtendere, vias floribus & odorum ſuaui reſperſione complere moris erat. Pacatus in Thedoſio. *Quid portas virentibus ſertis coronatas; quid aulæis vndantes plateas, accenſiſque funalibus auctum diem?* Quid ſuſpenſos artificioſis nubibus Soles, & pluuias vini iucundas? feſtis vndique pyris lucebant compita, ludis theatra perſonabant, cœlum coruſcabat miſſilibus ignium iocis, tellus mugiebat repetitis fragoribus tormentorum, vbique dabantur ſigna lætitiæ.

Ad maiorem feſtiuitatem ianuas lucernis & ramis virentibus ornaſſe veteres teſtatur Perſius Satyra 1.

Herodij venêre dies, vnctâque feneſtrâ
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuêre lucernæ.

Clarum eſt natales imperij, regnorumque ſuorum celebrare ſolitos Imperatores quolibet decennio vt patet ex Mamertino, qui ſic Maximilianum alloquitur. *Gaudeo dilatam eſſe illam cupiditatem meam: neque enim Orationis eius, quam compoſueram faciam iacturam, ſed eam reſeruo, vt quinquennio rurſus exacto decennalibus tuis dicam: quoniam quidem luſtris omnibus prædicandis communis eſt oratio.* Ex quibus deducitur, quam frequens eſſe poſſit vſus Genethliacæ orationis ſiue in ſacris rebus aut in profanis; ſequitur proponendum quo ſit artificio texenda.

Genethliacæ Orationis artificium.

Exordium ſumi debet ab aliqua circumſtantia loci, vel temporis, aut perſonarum: in locis regnum, prouinciæ, vrbs nominantur, cui ſacer eſt ille dies, ſi præſertim ſit illa metropolis, aut ſaltem propius ad illius dignitatem accedat, ſi florens & ampla, ſi fœcunda nobilitateque ſit ingeniis, ſi quid in ea egregiè geſtum: Tum his quaſi gradibus ad familiam delabi fas eſt, quæ ſi fortis ſit, Achilli componitur, ſi iuſta, Ariſtidi, ſi prudens Catoni, &c. In hoc autem amplior erit materia, ſi quod quibuſdam accidit in aliis locis, ſibi natiuitatem vindicantibus, id honoris omnium ſuffragio hæc vrbs obtinuerit, quod in Apelle Genethliaco refert Ariſtides.

In tempore conſideratur annus, dies, hora: ſi Calendis dicatur in omnibus bonis principium eſſe optimum: ſi dies ſextus aut ſeptimus, quia ſacri habebantur, ideo natiuitatem huiuſmodi ſignificare communionem quandam cum Diis ſuperſtitioſè credebant: ſi nonus, quia is ſoli ſacer erat, colligebant aliquem ſolis inſtar illuſtrem & beneficum fore: ſi decimus quartus, aiebant Mineruæ dicatum, & quia tunc fit plenilunium, augurabant ei nihil defuturum: ſi feſto die natus aut Olympicorum, augurium erat gloriæ, aut vitæ lætioris.

O nonas Septembres nobis æterna memoria retinendas! obſeruarunt quidem alij religioſè ſummorum virorum natales; diem illam Perſæ perpetuo ſacram habuerunt, quâ Xerces acceſſit imperio; eam Syracuſani ſemper coluerunt, quæ Timoleontem; eam Athenienſes quæ Socratem peperit; Romanis quoque dies illa quotannis ſolemnis fuit, quia vrbis fundamenta ponere cœperunt: Nec non Idus Iuliæ Iulij Cæſaris ortu nobiles, Calendæ Ianuariæ Titi, Decembres Neruæ, Nouembres Adriani, Apriles Antonini Februariæ Conſtantini claræ natalibus olim Romæ magna cum pompa celebrari conſueuerunt. Nobis verò ſemper illa dies dicetur ſupra cæteras omnes beata, quæ nobis affulſit optima tantoque, tam diuino partui præluxit.

Horam anni ſpectabant, ſcilicet an tempus eſſet hybernum, quod omnium fortiſſimum, patientem laboris futurum colligebant; an vernum, quod amœniſſimum, famâ gloriæque florentem; an æſtiuum, quod fructibus commendatur, fructuoſum patriæ, omni bonorum copia redundantem; an autumnale, quod in regionibus calidis quiete gratiſſimum eſt, quietum maturumque prudentia, & conſilio ſingularem fore: denique ſi poſt exhauſta omnium vota preceſque, deſideria populorum Deus cumulatè compleat: ſi poſt longa temporis ſpatia illuceſcat tandem illa dies quæ prolem regiam excipiat deſtinatam à Superis, Regno fortunatam gratam ciuibus, exteris ſplendidam, optatam bonis, inuiſam perfidis & odioſam, paucis aut nulli fere expectatam.

In perſonis parentes, quibus nouum decus acceſſit, cùm auxit illos munere Deus, quo nullum

Digitized by Google

maius & nobilem terris filium, ſuis parentem optimum: cœlo ciuem procrearunt: Puerulus infans, cui primùm in lucem edito, ex antiqua lætitiæ formula dicitur Χαῖρε νέον φῶς, ô noua lux ſalue:

Aliàs ordiri placet à votis publicis, precibus & ſacrificiis, quæ ante natiuitatem&, poſt illam facta ſunt ad prolem quærendam: aut ex antiquis ritibus aliqua deprompta ſubtilius vſurpate. De filio Domitiani Martialis lib. 6.

Naſcere Dardanio promiſſum nomen Iulo,
Vera Deûm ſoboles, naſcere magna puer.
Cui pater æternas poſt ſecula tradat habenas,
Quiq; regas orbem cum ſeniore Senex.
Ipſa tibi niueo trahet aurea pollice fila,
Et totam Phryxi Iulia nebit ouem.

Aliàs fabula, fuerunt Poëtæ quibus nihil non licet Pallade nata è cerebro Iouis pluuiam auream cœlitùs miſſam, & genito Saturno ætatem auream fluxiſſe; hoc principe nato è mente Dei, is enim Regum pater, quæ pluuia aurea? an miſſilia & congiaria quæ Principes in populum mittebant? an beneficia, atque felicitas, quam regnum expectat hoc nato ſydere? hæc vera quidem ſunt, videri tamen pluuiam auream eſſe dicet hominum eloquentiam, & Poëtarum encomia, quibus hic dies illuſtratur.

Vel ab Hyrcani cuiuſdam Hebræi facto inſigni apud Ioſephum, qui die natali Ptolemæi centum pueros vnius ætatis, & 100. puellas eiuſdem formæ, in veſte alba talentum aureum in manu habentes regi munus natalitium offerêtes inducit. Vnum te ipſum populumque lætitiæ veſtibus indutum, & aureo hoc eſt, obſequenti animo velle infanti nato libenter offerre dices.

Vel ab exclamatione & læto plauſu futurorum bonorum. Chriſtus natus eſt, lætentur cœli, &c.

Confirmatio.

Confirmationis plures nonunquam, alias pauciores partes fieri poſſunt, pro rerum varietate multiplici. Nam ſi natiuitas alicuius ſatis vberem ſuggerat rerum copiam ad iuſtam Orationem, his poterit eſſe contentus laudator: ſin minus incipiendum erit à patria, parentibus, ſplendore natalium, aliiſque eiuſmodi: ex quibus duæ partes exiſtent, in prima quarum maiores infantis celebrabit; qui quò fuerint illuſtriores, quando nec imbellem progenerant Aquilæ columbam. Atque vt fructus arborum naturam ſequuntur; ſic ferè liberi parentum mores imitari ſolent, & non vultum tantum, ſed indolem quoque ferre ſimillimam.

Prodigia ſi quæ præceſſerunt in medium adducenda: ſi quidem futuræ claritatis ſignificationem habent cœleſtem. Si quis parẽtum precibus ac votis natus ſit; habebit longam ex illis commendationis meſſem Orator. Quis dubitet auguſtam hanc prolem diuinitùs eſſe conceſſam, cuius cauſa toties immortali Deo ſolemniter ſupplicatum eſt? toties litatum? quas non opes in mendicos effuſas, quas non preces in cœlum emiſſas, quibus non templa donis, quibus non ſacrificiis altaria cumulata vidimus, paternis vt Rex aliquando frueretur honoribus?

Altera pars complectitur ea, quæ præſenti rei maximè propria ſunt, natiuitatem, eiuſque circumſtantias, locum, tempus, antecedentia, auguria, dicta oracula vel ſomnia, concuſſus item rerum variarum in id tempus. Qualem futurum arbitramur hunc puerum quem Deus extra ordinem nobis conceſſit? Mos fuit antiquus naſcentium Principum partus curioſius inſpicere, & ex natalibus coniicere quid cuique fata ſeruarent. Quid conſulta dicam oracula? quid ab Orco quæſita mendacia? quid adhibita tempeſtatum, dierum, horarum examina? partus ne contigiſſet amœno vere, an rigida hyeme? Calendis an Idibus? die Ioui ſacra vel Pallidi? Infinitæ fuerunt artes diuinandi, ſed totidem quoque fallendi. Valeat hinc Hetruſca veterum diſciplina; prodit ſe ſatis maieſtas infantis ſuorum ſplendore natalium, nec celſam illius indolem metiri debemus peregrinis omnibus: quia nefas eſt cœleſte fatum ſcrutari ſuperſtitione mortali, & quod numen ipſum comprobauit, piè minus ad ſortem reuocate.

Conſequentia, ſi quæ puer ipſe virtutis & fortunæ, iam ab ipſo ingreſſu vitæ det auguria; diuinationẽ hanc aliqui ducunt ex verbis ipſis argumentando quæ à ſe primo frangere ſolent infan-

tes: ita quod Rex Pyrrhus maternis adhuc appenſus vberibus geſtiendo βύλομαι primum dixiſſet, ea ſtatim vox tranſiit in nomen ſingularis audaciæ. Alij ex notis quibuſdam à natura impreſſis vaticinando, quo modo Scanderbeko Principi tot hoſtium victori, ea figura gladij, quam toto eius brachio natura longè deſcripſerat, inuictæ fortitudinis nota fuit. Id ipſum ſe colligere putarunt alij, ſubitos rerum euentus interpretando, quemadmodum Auguſtus dextri fulminis tactu deſtinatus perhibetur imperio. In quem virum eſt euaſurus puer his natus auſpiciis, his ceremoniis inauguratus?

Adde ſpem quam de puero concipimus ex genere, facie, futuraque eius inſtitutione. Si quantæ ſunt in vtroque parente tùm ingenij, tùm virtutis dotes, tantas poſtmodum in puero viſuri ſumus, quis omnibus retrò ſæcelis Princeps maior, meliorque ſurrexit? Si Patris vigilantiam obtinet, quis ſolertior? ſi Matris dignitatem, quis ſpectabilior? dùm illius clementiam referet, quem non vincet officiis? dùm huius modeſtiam imitabitur, cui non occurret auguſtus? accedat ad patris fortitudinem, cuncta ſuo adiunget imperio; ſuccedat pietati Matris, nullum non rapiet virtutis exemplo; vtriuſque demum retineat indolem, videbimus grauitatem, vrbanitate, modeſtia principatum, maieſtatem popularitate conditam; & quidquid habet Gallia nobilitatis & gloriæ, quidquid orbis amplitudinis & famæ in hoc vno collectum deprehendetur.

Iam vigor eminet in vultu, Regemque ſpirat adhuc infans iam affuſus genis lepos & dignitas quæ Principum eſſe ſolet, iam fronti decus impreſſum cuiuſmodi Heroëm decet; iam fulgor inditus oculis, qui ſydereum & cœleſte quiddam ſapit. Cernitur vterque parens vnius in ore; caput excelſum attollit, quaſi toto vel in cunis iacens, regno emineat, figit obtutus imperterritos, quaſi gentes iam nutu terreat, ſuo breui ferro domandas; manus explicat audaces, quaſi ſceptris aptare velit; teneriter exercet brachia, quaſi præludat hoſtium fatis.

Locus etiam in quo natus eſt, hùc facit. Mamertinus in Genethliaco Maximiani. *Non in otioſo aliqua deliciiſque corrupta parte terrarum nati inſtitutique eſtis, ſed in his prouinciis, quas ad infatigabilem conſuetudinem laboris atq; patientiæ fructus licet oppoſitus hoſtis, armis tamen ſemper inſtructus miles exercet, in quibus omnis vita militia eſt: quarũ etiam fœminæ cæterarum gentium viris fortiores ſunt. Ex iſtis ergo cauſis ſtirpis veſtris paternorumq; inſtitutorũ illa veniunt, quæ ſæpè miramur, quod expeditiones veſtras numerare nõ poſſimus, quod diutius in iiſdem manere veſtigiis dedignamini, quod vos continuo rerum curſu gerendarum, non modò amœnitas locorum, aut nobilitas vrbium, ſed ne ipſa quidem victoriarum noſtrarum lætitia remoratur.*

Epilogus.

Vt plurimum vota continet, fauſtaſque precationes puero parentibuſque; ille vt multos annos felix videat, vt ſuis & patriæ aliquando ornamento eſſe poſſit: tum prouocabit ad lætitiam, deſiderabit vt creſcat, & adoleſcat infans ad eos honores, ad quos natus eſt. Claud. in Honorio.

—— O Rex ſtellantis Olympi
Talis perdomito redeat mihi filius hoſte
Hyrcanas populatus opes, aut cæde ſuperbus
Aſſyriâ: ſic enſe rubens, ſic flamine crebro
Turbidus, & grato reſperſus puluere belli
Armaq; gauiſo referat captiua parenti.

Viuat qui nobis diuinitùs extitit, & tot annos viuat, quot naſcituro vota concepimus, quot plauſibus natum excepimus. Diu expectatus nunquam recedat, miraculo genitus, miraculis fulgeat, cœlo delapſus, terris imperet, &c.

Hæc in genere de diſpoſitione quam ingenioſus Orator grata quadam inuentione veſtire debebit: nempe ſi ex more Thracum, quos aiunt ad pueri cunas cum lacrymis pronuntiare ſolitos quæ ipſum maneret mala. Inducatur aut Sibyllæ vaticinantis ſermo, vel Muſæ fauſta precãtis, aut aliquæ virtutes, Parcæ, cæteræque eiuſmodi fictæ perſonæ, conformes tamen infantis conditioni futuram ſortem prædicentes. Sic vates Statius Siluarum lib. 4. Prædicit futuram felicitatem,

Vidi quam ſeriem morantis æui,
Prouectant tibi candidæ ſorores,
Magnus te manet ordo ſæculorum,
Natis longior abnepotibusque,
Annos perpetua geres Iuuentâ,

Quos

Quos fertur placidos obiſſe Neſtor,
Quos Titonia computas ſenectus,
Et quantos ego Delium popoſci,
Iurauit tibi iam niualis Arctos
Nunc magnos Oriens dabit triumphos.
Ibis quà vagus Hercules & Euan
Vltra ſydera flammeumq; Solem
Et Nili caput, & niues Athlantis,
Et laudum cumulo beatus omni
Scandes belliger, obuiosq; currus.

Deos nonnunquam producet contendentes inter ſe, cui potiſſimum ſit ille puer primum natus. Elegans etiam commentum eſt, dum decertantes facit, & hunc quidem Sole, illum mundo, alium creato homine glorioſum, tum profert eum diē, quo Princeps in lucem venit.

Iam Oratio Genethliaca quæ dicitur adulto ex ſuperioribus quidem præceptis confici poteſt, non tamen omnibus: Cum enim rebus geſtis ac virtutibus ſit iam ornatus aliquibus, explicandæ erunt, oſtendatur reſpondiſſe felicibus auguriis & omnibus, quibus natiuitas eius conſpicua fuerat & illuſtris habita; cùm in pueris horum loco tantum adhibeantur vota, fauſtę precationes, aut ad ſummum Orator quaſi quodam præſagio futura facinora occupet, quæ colligere poterit ex iiſdem ſignis; ex quibus clarum eſt in adulto commemoranda eſſe, quæcumque poſſunt in homine Laudari virtutum encomia.

In peroratione optandum vt ſæpè diem hunc natalem celebrare cōtingat, vtque lętior ſemper recurrat, illiuſque ortu ita gaudeamus, vt nunquam audire velimus interitum.

Eſt hoc natalitium carmen ad cunas B.V. Mariæ decantatum à pio Cliente, vt ad eiuſdem magnæ Matris deuotionem & cultum animos omnium inflammet, quos paucis docet quomodo tranſigendi ſint Deiparæ feſti dies.

Annuus aſſuetus Domina Natalis honorem
Exigit, octonis iſta diebus ages:
Principio cunas Domina naſcentis adora,
Vt colit ætheream nautica nocte facem.
Exprime diſcipulum, qui ſupplice voce magiſtrum,
Quæ facienda rogat, quæque roganda facit.
Exprime ſollicitum ſuſpenſa mente Clientem.
Cauſa perorata eſt, quam tua mater agit.
Interdum ſeu ſeruus heram venerare, tuique
Latus in hanc animi tranſdere iura para.
Interdum velut æger hera tua vulnera pande
Huius erit Medicus, & medicina, fauor.
Iam Gnati de more roga, quæcumque ſaluti
Corporis atque animæ credis amica tuæ.
Iam ſponſi de more roga, conſtanter vt ignis
Flamma redardeſcat, quæ malè lapſa fuit.
Denique virgineos alias Orator amores
Fuſius eloquio feruidiore dabis.
Hortor vt æthereas parua ad cunabula mentes
Aut hac, aut ſimili voce ciere velis.
Credita virgineæ, quibus eſt tutela puellæ
Huc pia cum ſociis agmina cœlitibus,
Floribus innumeris naſcentem ornate Mariam
Et date quidquid opum verna miniſtrat humus.
Et date quidquid opum, terra de diuite mittit
Et Syrus, & multi paſtor odoris Arabs.
Non pudeat facili cunas agitare lacerto;
Illo, quo peragit cœlitus orbis iter.
Non pudeat leuibus circum colludere pennis:
Non pudeat cantu blandula verba loqui
Vobis diſſidium, vobis certamina ſunto
Certare obſequiis ſemper & eſſe pares.
Sollicita vocet in ſumnos ſi cura parentis:
Efficite, vt mollis vinciat ora ſopor,
Naniolis teneras mulcete ſuauiùs aures;
Blandule ſomne veni, ſomnule blande veni:
Non illi efficiant inſomnia dura, ſalutes
Mille quieſcenti cornea porta ferat.
Si velit admotis maternum ſugere labris
Vber, & in medio ludere læta ſinu:
Vos citharis aptate manus, & carpite neruos,
Vt fluat in fauces molliùs ille liquor.
Fraga modò, & ceraſa, & baccas, & cereá pruna
Fundite, quæ manibus verſet, & ore premat
Poſtea cum diſcet telluri figere greſſus
Veſter erit corpus ſuſtinuiſſe labor.
Ne dubias fallant veſtigia lubrica plantas,
Neue cadens tenerum ſauciet ipſa latus.
Dulce ſit & ſacram cùm paruula tendet ad ædem
Brachiolis veſtras ſuppoſuiſſe manus.
Munus idem preſtare decet, cum viſet Eliſam,
Cognataque petet limina læta domus
Vos illi circum colles coniungite greſſus,
Et facite vt lædat glarea nulla pedes.

Digitized by Google

Deliberato vomeris otio
Bacchoque & albis frugibus induet
Tellus ſponte ſuos, herboſa tapetia, flores
Explicet in cunctas officioſa vias.
Sponte ſuis Titan radiis occurrat eunti,
Plaudat & argutis aura loquax Zephyris
Dicite, Sithonius vibrat ſi flamina ventus
O graue virgineo corpore frigus abi.
Humida ſi liquidos nubes ſoluatur in imbres
Veſtra precor guttas arceat ala procul;
Si iubar auricomum Phœbi, ſi ferueat æſtus,
Ne nimis incaleat, ventilet ala caput.
Tempus erit, quando illa Deum Virguncula partu
Et dabit, & terris gaudia magna feret.
Rideat interea florum lanugine vallis,
Et iuga mons faciles pandat in alta vias.
Tempus erit, quando illa Deum virguncula partu
Et dabit, & terris gaudia magna feret.

Sic vates valde bonus ad lyram nuper Franciſci Cardinalis Barberini diem natalem celebrauit.

Abſiſte vulgus. Nil humili iuuat.
Cantare buxo, nil popularibus
Neruis, verecundoq; functum
Barbiton ingeminare cantu.
Te Vaticana ſidus aderea,
Franciſce, dicam. Te niueis ſuper
Cunis liguſtrorum reclinem
Purcher honos, croceoq; Phœbus
Perfudit imbri. Te roſeus pudor
Virtusq; primùm non pueriliter
Riſêre naſcentem, & ſupinis
Lilia ſuppoſuêre membris.
Tunc & iocoſo murmure garrulus
Arguta primis verba leporibus,
Dulcesq; vagitus ab ipſis
Crederis edidiciſſe Muſis.
Tunc & caducis ningere Liliis
Molles pruinas, & violaria, &
Nubem roſetorum proteruo
In puerum cecidiſſe nimbo.
Nec non ſeueri flumina Liberi
Manaſſe credunt mellaq; Dardanos
Erraſſe per vicos, & vrbem
Vberibus ſecuiſſe riuis:
Lauumque verna munere copia
Riſiſſe Tibrim, & virides procul
Straniſſe per ripam tapetas,
Oenotrios Aniene fontes
Gratum allocuto lenè cadentibus
In verba lymphis: Ite loquacibus
Per plana camporum fluentis:
Ite, nouos iterate luſus.
Aure cachinno molliter herbidas
Plangente ripas, naſcitur & viti
Sincerus, illimisque morum
Innocuæ fluit amne vitæ.
Princeps amœna flumen Etruriæ:
Ille & profundi feruidus ingeni
Frugemque virtutum, & Latinis
Reſtituet fatalem campis:
Aureque fuſum tempus & aurei
Latè per vrbes flumina ſæculi
Diffundet, & regnata paruo
Rura Ioui, reſidesque glebas.
Ripasque, miranteisque ſilua
Heſperiæ linet amne Gazæ

Non

Digitized by Google

Nonnunquam tota Oratio Genethliaca inſcriptione concipitur. Eſt hæc publica Metenſium exultatio in feliciſſimo Delphini ortu ad fores Primarij Vrbis Templi his verbis expreſſa.

EDITAM ORBI FELICITATEM DIDVCTO SINV EXCIPE DIVODVRVM

Cor amori, pectus gaudiis, animum lætitiæ, mentem ſtupori, linguam præconiis, manus plauſui, æternæ gratiarum actioni vocem.

CONSECRA.

NATVS EST, FAVENTE COELO, GESTIENTE terra, ſæculo aureo, virtutum partus, maieſtatis apex, principum decus, gloriæ proles, ſæculorum ſplendor, Regum ſoboles, maiorum ſtupor, poſterorum exemplar, mortalium amor, Diuorum Corculum, votorum meta,

DELPHINVS GALLIARVM,

tot omnium precibus, tot ſuſpiriis expetitus.

ILLI

Quod natura potuit Regum & Imperatorum ſanguinem dedit.
Quod fortuna, Coronas, Sceptra, Subditos, Imperia.
Quod gloria, non dubia è Cœlo oracula.
Quod amor, penè totius Europæ deuotas mentes.
Quod pietas, felicem in Heroum vitam ingreſſum.

Talem ac tantum præſtare Cœlum debuit, quem dare voluit; orbi vt miraculum, Eccleſiæ vt primo genitum, Europæ vt delicium, Galliæ vt DELPHINVM, Principum cœtui vt He-

Digitized by Google

roem, monſtris vt Herculum, æuo Bellis ardenti vt pignus Pacis certiſſimum.

An poterat ex LVDOVICO non oriri qui talis Orbi dandus erat, ex Adamante ſurgor, ex palma ſurculus, ex Aſtro radius, ex Sole parelium, ex Rege princeps, ex Iuſto, felici, Auguſto parente (quia maior eſſe non poteſt) non degener filius?

IN TANTA FATORVM BENIGNITATE

Dum Orbi, dum Eccleſiæ, dum Europæ, dum Galliæ, dum METIS, dum tibi gratularis viator,
Votis tuis naſcenti Principi æternitatem apprecare.

VIVAT ET E NOSTRIS PVERO DEVS AVGEAT ANNOS.

IpsI CLerVs, ſenatVs, popVLVs
MetensIs ConCors
VoVet, ConſeCratqVe.

PVNCTVM VIII.

Oratio Luſtrica.

INfanti primùm nato nomen imponitur, itemque Orationi Genethliacæ ſuccedit quã ideo luſtricam appellamus, quòd luſtricus, ſeu luſtralis diceretur ille dies, quo veteres infantibus nomina imponebant. Nec tamen fuit vnus idemque dies huic rei ſacer apud omnes nationes; Nam Romani die nono maſculis, octauo fœminis nomen dabant. Athenienſes die decima. Hebræi porrò, vt ex ſacris litteris clarum eſt, octauo.

Obſeruandum tamen eſt, quod ad Romanos attinet, Antoninum Pium Imp. referente Capitolino, iuſſiſſe natos infantes ad Præfectos ærarij profiteri, ſeu à patientibus eorum nomine tribu- tum pendi, tertio verò die nomina eis imponi Aliæ nationes alios mores obſeruabant, de quibus Alex. ab Alex. ſumpta nominatus.

Neque ſola nominis impoſitio genus hoc Orationis ſibi vendicat: vſurpari namque poteſt præterea, aut quando mutatur nomen, aut agnomen aliquod, vt putà Magni, Auguſti, Africani, Numantij, Iuſti, propter res geſtas aſſumitur: Itaut hæc extrema cauſa digna maximè videatur hac Oratione. Nam nominis impoſitio fit arbitrio parentum ſine certa ratione, ideoque non magnam laudum materiam præbet. Occaſio ſæpè fit ad deponendum aliquod minus honeſtum nomen virtutis ergo, hæc verò agnominis additio ſemper à virtute eſt, vndè magnum aperit campum laudationi luſtricæ. Materiam ſuggerent tùm nomen ipſum, tùm res geſtæ, propter quas nomen datur, eam ob rem in his duobus tota fundanda Oratio ſingulæque eius partes ex his eruendæ.

De ſin

Digitized by Google

De ſingulis Orationis luſtricæ partibus.

Exordium duci poterit, vel à circumſtantiis, quod vnum his omnibus Orationibus eſt commune, vel ab aliquo ritu antiquo huiuſmodi nominibus imponendis ſeruari ſolito; vt puta, ſi Theſis aſſumeretur hæc apud veteres in more poſitum fuiſſe, virtutem virorum illuſtrium honorifico nomine veluti præmio quodam honeſtare, tuncque poſſent adferri cauſæ, quibus adducti, id fecerint, quas in eo, de quo agitur, ſummas eſſe oſtendat. Aut certè, vt magis libera ſint exordia, à lætitia communi, locíſque publicis, ab honoribus, quos iſte prius retuliſſet; aut à ſpecie quadam deliberationis, quâ dubitatum dicat Orator, quo præmio tàm præclaræ res geſtæ donarentur, neque maius inuentum ipſo nomine, atque ita breuiter doceat hoc eſſe virtutis honorı́ſque præmium.

Confirmatio.

Confirmationis vel vna, vel duæ partes eſſe poſſunt pro arbitrio; vna quidem in ipſo nomine ſolo commendando inſtat Orator per eos locos qui cadere poſſunt in nominis commendationem. Videlicet, ſi ſumeret probandum, nomen hoc LVDOVICVS IVSTVS, eſſe nobilius, atque honorificentius illis omnibus, quæ quondam ſummi quique Heroës retulerint, quod conficeret ab eo, à quo impoſitum eſt, Deo ſcilicet, Oraculis, Imperatore, Rege, ſummo Pontifice. A cauſa propter quàm acceptum, maximum ac nobiliſſimum facinus aliquod, cui nullum par inueniri poſſit. Ab ipſo nomine, ſi aut omnes virtutes ſua ſignificatione complectatur, aut omnium maximam, aut omnia comprehendat, quæ in omnibus eſſe poſſunt. Alia demum addi poſſunt leniora, quæ ex variis occaſionibus deſumentur.

Iuſtus Rex difficilius à recto, quàm Sol à curſu detorquetur, inquit ſubtilis Orator, & tamen qui Iuſtum dici neſciret, optimum appellaret. Erit tamen iuſto agnomine Iuſtus. Alij ſuperbos ſibi titulos adſciſcant; quos Alexandri, quos Conſtantini, quos Traiani, quos alij ambitioſius optarunt. Sit Cyro nomen Solis: Antigono Euergetæ; Attila ſe velit Iram Dei dici, Tamerlanus flagellum; Veſpaſianus Orbis delicias; Ælius Adrianus doctum, Pupienus felicem; Flauius bellatorem; Nerua bonum; Traianus optimum; Antonius hic Pium, ille Philoſophum; Galerius pulchrum; Henricus aucupem, Maximilianus liberalem; Commodus Herculem, aut Deum, Gallorum quoque Reges varium cognomen aſſumant, Chriſtianiſſimus Galliarum Rex Henrici Magni ſoboles Iuſtus nominabitur, quia Iuſtitiam virtutum Reginam colit & amat.

Si verò lubet duas in partes diuidere confirmationem, in prima ponentur res geſtæ, ac virtutes, quibus hoc ſibi nomen comparauit hæ verò tractabuntur per communem Panegyrici formam: In ſecunda, nominis excellentiam dilaudabis; quâ partitione vti poſſet, qui probandum aſſumeret N. promeritum eſſe hoc nomen, neque vlla fauore, vel adulatione impoſitum.

Verùm ad vberiorem dicendi copiam vetuſtiſſimæ ſunt in hoc dicendi genere comparationes vt ſi Ludouicum cum Carolo, vel Alexandro Magno componas; hoc in Diocletiano Iouio, & maximo Herculeo feciſſe videtur Pomponius Lætus, cùm illum, tùnc Ioui, tunc Herculi, comparat. Iouius, inquit, Herculius Maximus appellatus, velut hic Iouis Herculis hæres Iupiter, vt cœli curam defenderet, Diocletianus vt orbis terrarum Gigantes, vt Centimanos diligenti curâ perdidit, & vt Iupiter turbata pacauit clementa, ſic Diocletianus fuſis ac edomitis ſeditioſis hominibus, turbatum antea imperium tranquillum reddidit, &c.

Vt comparatio perſonarum inſtituitur; ſic etiam collatio nominum fieri poteſt, aut etiam cauſarum propter quas nomen impoſitum, idque per ſimplicem compoſitionem, vt omnia paria eſſe oſtendantur, aut per contentionem, vt hic qui laudatur, probetur ſuperior, quod omnibus collationibus commune eſt.

Epilogus occupatur in votis & fauſtis precationibus, gratulationibus, aut etiam adhortationibus, vt tanti nominis gloriam ſuſtineant acrueatur

Digitized by Google

tueantur ne illis aliquando, quod olim de Scipione degeneri, dicatur.

PVNCTVM IX.

Epithalamium ſiue nuptialis Oratio.

VEl ipſum nomen ſatis oſtendit Orationem hanc celebrandis nuptiis eſſe dicatam, à Græco θάλαμος hoc eſt nuptiale cubiculum dictum, habent etiam Poëtæ ſuum Hymenæum carmen, de quo multa Scaliger 3. Poëtices cap. 101. ex quo nonnulla deſumere licet, quæ huc transferas; hoc tamen monito, vt quis memor ſit Oratoriæ grauitatis, Chriſtianæ modeſtiæ, quæ non ineptias illas pariter, & parum honeſtas Poëtarum fictiones, quibus nunquam ſine crimine vtetur Orator, quare de illis aliiſque Poëtices fictis adinuentionibus nihil dicendum.

Vtilius erit præmittere varios nuptiarum ritus, apud antiquos, tùm Græcos, tùm Romanos ſatis familiares, cùm Orator ab ipſis vberem adinueniendam, ornandamque materiam poſſit deſumere, niſi res eſſet longior, Briſſonius ſingulari tractatu, Tiraquellus ſparſim in legem Connub. omnium optimè Pineda commentariis in Iob, vbi multa in hanc rem, & curioſa, & docta proſequitur.

De Exordio cæteriſque nuptialis Orationis partibus.

A lætitia feſtaque diei celebritate deducetur vt plurimum, quod ſeruauit Maximinus, qui celebraturus Conſtantini, & Fauſtæ nuptias. *Equidem ſcio*, inquit, *gaudendum ſtudia, nunc ita toto orbe floreſcere, quacumque vltra naturam, quà ſagitur diſcurſus volucres imitata, & pluſquam mille vocibus ſonora, percrebuit, vt omnium nationum gratulationibus conſecretur. Quid enim rebus humanis contingere potuit, aut nobiliùs ad gloriam, aut certiùs ad ſalutem, quàm quod priſtina concordia perpetuaque pietati hoc quoque pignus acceſſit ſummorum nominum arctiſſimâ coniunctione venerabile, vt Imperatori filiam collocauerit Imperator? ſed tamen nos oportet omnes homines exultatione ſuperare, qui hoc tantum Reipub. bonum præſentes intuemur, & ipſa vultuum veſtrorum contemplatione ſentimus ita conueniſſe vos, ita non dextras tantùm, ſed etiam omnes ſenſus veſtros, menteſque vinxiſſe, vt ſi fieri poſſit transire inuicem in pectora veſtra cupiatis.*

Initio aliquid de argumenti difficultate dicendum, quæ augetur ex ſponſis, ſi genus contigerit illuſtre; Adde cauſam cur ad dicendum acceſſeris vt quòd affinitate & amicitia ſponſo ſponſæue ſis coniunctus, vel quod te ſint ad hoc officium adhortati quibus nihil honeſtè negare poſſis; vel quod in tanta celebritate abſurdum ſit non, exultantis animi ſignificationem dare.

Nonnunquam coniugij commoda recenſenda ſunt, bona exiſtimatio quã acquirunt cum vxore, ſiquidem honeſtâ contenti, vagis voluptatibus abſtinẽt, Reipub. rectores, ciues, defẽſores procreant: humanæ vitæ miſerias coniugium abſtergit ex partu, lætas verò reddit lætiores fortunas, gaudent quippe, maritus, vxor, liberi, affines, vt illa coniunctio ſit veluti lux quædam ex multiplici luce ſplendidiùs efflorеſcens: adde quod contuberniũ occaſio fuerit extruendi ædes, ex quibus pagi coaluerunt, ex iis cõſtitutæ ciuitates, ex iſtis prouinciæ, ex prouinciis regna, ex omnibus grata vitæ communis & honeſta ſocietas.

Deinde conciliat affinitates externas, quæ res quantum ad ſocietatem, ad præſidium, ad gloriam, ad immortalitatem in humano genere cõſeruandam valeat, quotidiana docet experientia. Hinc Oratores gratias agunt nomine totius Reip. Principibus, quod illi dederint liberos fidei amoriſque ſui obſides. Maximas vobis æterni Principes publico nomine gratias agimus, quòd ſuſcipiendis liberis optandiſque nepotibus ſeriem veſtri generis propagando omnibus in futurum ſæculis prouidetis. Vt Romana res olim diuerſis regentium moribus fatiſque iactata, tandem perpetuis domus veſtræ radicibus coaleſcat, tanquam ſit immortale illius imperium, ſempiterna ſoboles Imperatorum.

Confirmatio.

Illius inſtituendæ pro ingenio plures occurrunt rationes, aut enim per modum Panegyrici

tantùm

Digitized by Google

tantùm inſtituetur laus ſponſorum à patria parentibus aliiſque locis,aut aliqua comparario,vt nullus alterutro dignior eſſe pormiſſe oſtendatur, tum propter ſimilitudinem generis,patriæ, ætatis,facultatum;aut inter ipſorum matrimonium, vel felices antiquorum nuptias,quibus vulgò celebrantur,quæ fabulæ ſunt,verè autem plurium heromu, quos decantauit antiquitas: in eo tamen animaduertendum eſt, ne eorum exemplum aſſumamus,quorum infelix fuit exitus, vt puta Achillis,& Polixenes, Iaſonis,& fureuris Medeæ aliorumque ejuſdemmodi.

Genus amborum confertur ab aliquibus,non vt alterius eleuetur,ſed vt ſimilem ſimili coniungi conſtet: quia, & amborum virrus comparatur, vt ſi ille à martio ſtudio, hæc à Pallade,aut gratiarum operibus commendetur.

Iuuerit etiam ex illis ritibus deſumere quędam Symbola,nimirum ex diuerſis floribus, ex quibus componebantur imperiales coronæ, Caſia, Nardo,Croco,Myrrho, Lauro, Olea,ac illum Roſæ vel Lilio,hanc malo pulcherrimo;illum oliuæ,hanc palmæ ſimilem dicere.

Si lubet etiam imitari veteres,certamen inſtituetur aliquod aut inter Deos,aut inter homines aut virtutes in conferendis variis muneribus nuptis,quorum virtutes, proboſque mores deſcribis ac laudas,

Qui relictis iſtiuſmodi magis ingenioſis adinventionibus,quàm ſolidis, aliquid melius quæreret, ſcilicet in Regis nuptiis poſt celebratam ſponſi ſponſæ que affinitatem,quæ illo matrimonio contrahitur,mulris commendare poſſet, ex his quidem rebus plurima quæ indè creduntur prouètura,aut ex aliis felicioribus matrimoniis, quæ inter eaſdem regias familias olim intercesſerint;denique vota futuræ concordiæ,quæ facilè ex ſimilitudine morum, quæ parens eſt amoris, colligetur.

Sic bonus Orator parentes ſponſorum laudat. Audi quà te Principis ornat affiniras,hic eſt qui nomen,quod accepit à Deo Principe generis ſui. dedit vobis;qui ſe progeniem eſſe Herculis,non adulationibus fabuloſis,ſed æquitatis virtutibus comprobauit. Hic eſt qui in ipſo ortu numinis ſui,Gallias priorum temporum iniuriis efferatas Reipub.ad obſequium reddidit,ſibi ipſas ad ſaluten..

Ad amplificationem, finguntur liberi coram parentibus luſitantes balbutienres ad parentum ſolatium,animique lætitiam,ætate verò creſcenti iam maiora melioraque meditantes. Etenim ſi cuique jucundnm eſt picturam ſuam intueri, quantò magis delectabit cernere imaginem ſui viuam ſpirantemque, in qua ſe viramque ſuam perennem futuram conſpiciat?

Ad eandem, excurret Orator in laudem eorum qui ad nuptias celebrandas conuenerunt; Thalamum, domum, vrb m, vbi nuptiæ factæ ſunt,commendabit; præſtantes viros, & primâ nobilitate celebres,thalamum picturis, & floribus ornatum, ciuitatem amplam, & veterem, domum extructam magnificè,&c.

Tnm conuerſus cum laude ad nuptam & virum ſermo,vtrumque ad lætitiæ ſenſum excitabit,& adducet illos in ſpem ſobolis virtute non imparis.

Epilogus.

Vota fauſtaque omnia continebit. Claud. de Nupt Honorii & Mariæ

Diue parens,ſeu te complectitur axis Olympus,
Seu colis Elyſias,animarum pramia,valles.
En promiſſa tibi Stilico iam vota peregit,
Iam grata rediere vices;connubia penſat
Acceptum reddit thalamum,natoq; rponit
Quod dederat genitor. Nunquam te ſancte pigebit
Iudicii;nec te pietas ſuprema fefellit.

Vota inſuper Deo nuncupanda pro felici liberorum prouentu, nempe dulcia caſti thalami pignora citò conſpiciant,diuque felicem vitam degant,& annis voluentibus diem videant,quo & ipſi liberorum ſuorum nuptiis interſint,Statius l. 1.Syl.Epithalamium Stellæ & Violantillæ.

Eia age praclaros Latio properate nepotes,
Qui leges,qui caſtra legant,qui carmina ludant,
Acceleret partu decimum bona Cynthia menſem,
Sed parcat Lucina precor,tuq; ipſe parenti
Parce puer,ne mollem vterum,ne ſtanita ladas
Pectora,cumq; tuos tacito natura receſſu
Formarit vultus,multum de patre decoris,
Plus de matre feras. At tu pulcherrima forma

XXxx *Italidùm,*

Digitized by Google

Italidúm, tandem merito poſſeſſa marito
Vincla diu quæſita foue. Sic damna decoris
Nulla tibi, longa viridis ſic flore iuuentæ
Perdurent vultus, tardéque hæc forma ſeneſcat.

Diſcordiæ mala, quæ vitam turbare ſolent, & amicitiam diſſoluere, procul amandanda; cohortandus itaque coniux ad mutuum amorem, & fidelem concordiam. Mart. de Nup. Pudentis & Claudiæ.

Claudia Rufe meo nubit peregrina Pudenti:
Macte eſto tædis ô Hymenæe, tuis.
Tam benè rara ſuo miſcentur Cynnama nardo,
Maſſica Theſais tam bene vina fauis.
Nec melius teneris junguntur vitibus vlmi,
Nec plus lotus aquas, littora myrtus amat,
Candida perpetuo reſide concordia, lecto
Tamq; pari ſemper ſit Venus æqua jugo.
Diligat ipſa ſenem quondam; ſed & illa marito
Tunc quoque cùm fuerit non videatur anus.

Bellè Dithyrambo nuptialem pompam Aquilæ Radiuiliæ deſcribit Floribus vates ad lætitiæ characteres.

Surge Muſa nuptioles
Æmulata voce plauſus,
Per feracis arua Vilnæ
Quære flores; carpe frondes:
Carminumq; mille fœta
Vere pulchro cinge, pulchro rore ſparge tempora.
Parce nunc Horatiano
Alligare verba nodo:
Parce: molliora blandi
Quære plectra Claudiani;
Mitte bella, differ arma,
Hoſpitiſq; Dithyrambi voce Vilnam perſona.
Raduila ſtemma cera
Alitem Iouis Miniſtrum
Qui per auras qui per ignes,
Mille gyros, mille tractus
Remiges fatigat alas:
Barbitique carminumq; voce cœlo deuoca
Ales armiger Tonantis,
Blande fulminum Satelles,
Mitis ignium Tyranne,
Nubiumq; turbinumq;
Linque ſeruis officinas,
Carpe frondes, & paterno ſterne nidum ſtemmati.
Carpe flores, quos maritis
Parturiuis Alba campis
Carpe frondes, quas paterni
Educauit vnda Chroni,
Quæ vel adhibere Vilnam
Vel propinqui lene murmur audiere villæ.
It volantis aura prati
Nexilis florum procella
Tingit & uios & remiſti
Liliis pluunt achanti:
Ludibundi veris imber
Spargit arua, ſpargit vrbes, tecta ſpargit vrbium.
Ille nubium viator
Pulcher ales, vt virentem
Nube diuidit pruinam;
Próque grandinum moleſto
Deijis lig ſtra nimbo
Et roſeta pro rubenti jactat rubra fulmine.
Iactat herbas quas jocantis
Ludit inter ira venti,
Qas adhuc ſeueriore
Ore bruma non momordit
Sed Fauonius tepenti
Fouit ore, fouit vdis Æolus ſuſpiriis.
Ite bella quæ cruentis
Ira colligat catenis.
Perq; viua regna Flora
Nuptialis inſolenti
Vere frondeat Nouember
Quâ maritus alba calcat, quâ marita Lilia
Æſtuantis aura ponti
Vexet innocenter Eurus,
Ad fugacis agmen vndæ
Ter quater reuerberatis
Aura rideat cachinnis.

PVNCTVM X.

Artificium Orationis gratulatoriæ, ſiue Epinicion.

LAtè patet huius Orationis vſus: adhibetur enim in quouis euentu felici, vt iis gratulemur, quos noua quadam felicitate auctos videmus,

mus, ac lætamur:rerum diuerſitas variam poſtulata artificij rationem : alio quippe modo gratulamur illi felicem euentum, qui ex rebus aduerſis ad ſecundas peruenit, alio modo ei,qui priorem felicitatem noua quadam acceſſione cumulauit : alio tandem ei, qui non tam bonis ſuis fecit acceſſionem, quàm ob alterius felicitatem lætatur : vt etiam fiat illi gratulatio, qui contulit beneficium, & qui accepit.

Exordium gratulatoriæ Orationis.

Deſumi poteſt vel à communibus locis publicæ lætitiæ, vel aliarum circumſtantiarum,vel ab ipſa mutatione & incremento fortunæ melioris. Sic Ariſtides in Palinodia de Smyrna inſtaurata, cùm reddit cauſam quare gratuletur illi ciuitati felicem inſtaurationem,cuius ante ruinam multis defleuerat, vbi ſe cum Steſicoro conueniſſe dicit, qui quam prius vituperat Helenam, poſtea laudauit:porrò mutationem ita producit, vt priora mala prudens extenuet comparata cum recenti felicitate.Etenim nobis caſus ille ex communi hominum fortuna, quam ſine malo non poſſumus euadere, contigit, inſtauratio autem vrbis eſt fortunæ tribuenda, per quam nunquam illa rei cuiuſquam magnæ expers fuit.

Exordij parteſſe poteſt luculenta rei obtentæ gratior amplificatio, qualem ſecundæ Catilinariæ præfixit Cicerò, dum gratulaturus Romanis Catilinam dimiſſum, proprio exquiſitoque verborum genere deſcribit.*Tandem aliquando L.Catilinam furentem audacia,ſcelus anhelantem,peſtem patriæ nefariè molientem,vobis atque huic vrbi ferrum flammamque minitantem ex vrbe vel eiecimus, vel emiſimus,vel ipſum egredientem vrbe proſequuti ſumus. Abiit, exceſſit, euaſit erupit:nulla jam pernicies à monſtro illo atque prodigio mœnibus ipſis intra mœnia comparabitur. Iacet ille nunc proſtratus, & ſe perculſum atque abiectum eſſe ſentit, & retorquet oculos profectò ſæpè ad hanc vrbem, quam ex ſuis faucibus ereptam eſſe luget, quæ quidem lætari mihi videtur, quòd tantam peſtem euomuerit foraſque proiecerit*

Confirmatio.

Variæ partes eſſe poſſunt pro dicentis arbitrio:Si gratulatio fiat de victoria, dicendum erit non poſſe pares ei gratias referri,qui debellatis hoſtibus, timore populos, direptione vrbes, vaſtitate prouincias, incenſione patriam liberarit, multò minus dignam haberi gratulationem.

Huius rei cauſæ ſunt afferendæ, ſcilicet acta feliciter eſſe prælia, tradita poſteris imperatoriæ prudentiæ, fortitudinis, moderationis & conſtantiæ documenta. Victoriæ Narratio ſubiicienda,quæ fundetur ex adiunctis, & amplificabitur per Hypotypoſes, deſcriptiones, diſtributiones,cōparationes,præſentis fortunæ cū priori,funeſtam Galliæ laborantis imaginem ſubiicit oculis Pacatus in Theodoſio Auguſto multiſque deſcribit triſtes caſus & grauiſſima pericula,quibus virtute tanti Imperatoris perfuncta eſt, vt eius triumphi gloriam illuſtriorem reddat.*Quis ſe nobis calamitate contulerit?quid ego referam vacuatas municipibus ſuis ciuitates,impletas fugitiuis nobilibus ſolitudines? quid perfunctorum honoribus ſummis virorum bona publicata? capita diminuta? vitam ære taxatam? vidimus redactas in numerum dignitates & exutos trabeis conſulares,& ſenes fortunarum ſuperſtites, & infantium ſub ipſo lictore ludentium flendam ſecuritatem, cùm interim miſeri vetabamur agere miſeros,imò omnes cogebamur mentiri beatos. Audires dicere delatorem quid ita ille triſtis incedit?an quia pauper ex diuite eſt?nōn enim ſe viuere gratulatur: quid ita hic publicum atratus inceſſat? luget credo fratrem ſed habet filium; ita fleri non licebat amiſſa,metu reliquorū. Serenos ergo nubilis mentibus vultus induebamus, & ad illorum vicem qui guſtato Sardorum graminum ſucco feruntur in morte ridere, imitabantur læta mœrentes.*

Ad miſeriæ cumulum ſubiicit prædonis Maximi inexplebilem habendi cupiditatem & crudelitatem in omnes, quibus dolorem & lacrymas etiam in luctu eripiebat. *Eſt aliquod calamitatum deliniмentum dediſſe lacrymas malis, & pectus laxaſſe ſuſpiriis, & nulla major eſt pœna, quàm eſſe miſerum,nec videri ſpes inter hæc nulla prædonis explendi: Nec enim vt natura fert, copiam ſatietas ſequebatur, creſcebat in dies habendi fames, & parandi rabiem parta irritabant. Vt ægrorum ſitim potus accendit, vt ignis arentibus non obruitur, ſed augetur; ita coacta publica egeſtate diuitiæ auiditatem ieiuna mentis acuebant.*

Stabat ipſe purpuratus ad lances,& momenta pōderum,nutuſque trutinarum pallens atque inhians exi-

Digitized by Google

gebat. Comportabantur interim ſpolia prouinciarum, exuuiæ exulum, bona peremptorum: hîc aurum matronarum manibus extractum, illis rapta pupillorum ceruicibus bullæ, iſthic Dominorum cruore perfuſum appendebatur argentum. Numerari vbique pecuniæ, fiſci repleri, æra cumulari, vaſa concidi, cuius vt intuendi non illud imperatoris domicilium, ſed latronis receptaculum videretur. Galliam miſeram & oppreſſam, à tàm immani crudelique tyrannide liberaſſe quanta gloriæ ſeges Theodoſio meſsiſque triumphorum?

Nonnunquam licet victoriam conferre cum ipſo duce, cui tota debetur, & eius meritis, qui virtutem à maioribus ſuis velut hereditario iure traditam ſuſtinere feliciter ac tueri fortiter potuerit, ad cuius fidem aliqui nominandi erunt, quorum egregia facinora fuerit æmulatus.

Si dignitatis aliquem gradum conſequutus ſit, proderit oſtendere boni magnitudinem, vt iuſtam fuiſſe tantæ lætitiæ cauſam omnes intelligant: Deinde commemorandum non caſu, non prenſatione, non precibus, neque muneribus & largitione, hunc honorem adeptum, ſed virtute, ſed meritis in Remp. ſed rebus præclarè geſtis: dignitatem verò eam eſſe, quâ nominis immortalitatem conſequatur; Denique eſſe eiuſmodi, vt à multis expetita, paucis admodum obtigerit.

Obliqua ſæpè gratulandi ratio fieri ſolet, quoties dicimus non tàm amico velle nos gratulari, quòd honore illo ſit affectus, quàm vrbi, quòd talem acceperit Conſulem; ad Remp. quidem multum indè emolumenti acceſſurum; ad amicum verò non minus oneris quàm honoris: qui ſi iunior adhuc fuerit, dicendûm hunc diuturniorem & Reip. vtiliorem fore: ſi ſenex & debilis, ſpecimen virtutis amplum dediſſe, vſu rerum & experientiâ præſtare: ſi liberalium artium diſciplinis eruditus, tùm fore florentem ac beatam Remp.

Epilogus vota continet ac preces, pro imperij, magiſtratus diuturnitate, felicitate, gloria incrementóque ſuſceptas. Optat vt ille non iam cum aliis, ſed ſecum ipſe certet, opinionémque de ſua virtute conceptam egregiè factis ſuperet, ſicque per illum honoris gradum ad maiores poſſit aſcendere. Cohortandus demum ad amorem defenſionémque patriæ, eò vel maximè, quòd benè de ſe meritos ſimili munere compenſet: Memorandum hîc qui Reges, qui præſides & viri magni nominis eam ornauerint, auxerint, locupletarint: ad vltimum monendus, vt non minus largitori Deo gratus ſit, quàm Principi, qui tantam, tàm ſingularem virtutem merita laude cumulauit.

PVNCTVM XI.

Lamentatoria.

Contrariam gratulatoriæ Orationi lamentatoriam aſſignant Oratores, quæ non tantùm artificij requirit, cùm doloris ſenſus acerbior quemuis, vel infantem, reddere poſſit, ac ſoleat diſertum Oratorem.

Duabus omnino partibus abſolui poteſt; in primâ ſignificamus quantum ſit illud malum, in quod incidimus, cuius magnitudinem amplificamus, tùm ad leuandum dolorem, tùm ad excitandam in amicorum animi miſericordiam Quod ſi maleuoli nos eo mactarint infortunio, illos in odium adducimus.

In ſecunda metus aliis iniicitur, quaſi & illis poſſit contingere, quod ſæuiente fortunâ, contrariis hominibus nos paſſi ſumus; In exemplum eſt Ariſtidis Oratio Eleuſinia, quâ templum Deæ Cereris incenſum flebiliter deplorat: & Smyrnæa, quâ terræ motu obrutam Smyrnam deflet. Sic Pentapolitanam calamitatem deſcribas.

Pro Epilogo Superos orabis, vt à ceruicibus omnium, talem depellant poteſtatem, ſintque illâ ſuâ calamitate contenti.

PVNCTVM XII.

Artificium Orationis poſtulatoriæ.

Hvius Orationis vſus eſt in quibuſcumque petitionibus, ſed in illis maximè, quæ ſunt alicuius momenti, ſiue tanquam debitæ, & iuſtæ petantur, ſiue tanquam indebitæ, idque vel à Deo, vel ab hominibus.

Hic animaduertendum primò, quod facit Seruius in 1. Æn. vbi Iunonis ad Æolum Orationem

nem

Digitized by Google

nem enarrat. Rhetoricum, inquit, eſt in omni petitione hoc obſeruare, vt poſſit præſtari, quod petitur, & ſit res iuſta: vt habeat modum petitio; vt ſequatur remuneratio: quæ perfectè ſeruata probat à magno Poëta; poſſibilitas quidem.

Æole, namque tibi Diuûm pater atque hominum Rex,
Et mulcere dedit fluctus & tollere ventos.

Iuſta petitio eſt.

Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor,
Illum in Italiam portans, victóſque Penates.

Modus eſt petitionis.

Incute vim ventis, ſubmerſáſque obrue puppes,
Aut age diuerſas, & diſiice corpora ponto.

Remuneratio ſequitur.

Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore Nymphæ,
Quarum quæ forma pulcherrima Deiopeiam
Connubio iungam ſtabili, propriámque dicabo,
Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

De Exordio cæteriſque partibus petitoriæ, &c.

Artificiosè componi debet; petitio quippe alia recta eſt, alia obliqua; in illa apertè petimus, hæc inſinuatione requirit ad conciliandam beneuolentiam, non tantùm ad attentionem, ſed etiam liberalitatem excitandam. Habenda tamen eſt ratio rei, quæ petitur: Nam leuis, quia facilè impetratur, tantâ, tàm accurata non indiget inſinuatione, vt nec illa quæ meritis debetur, quia pro ſuo iure agit, minus ſollicita eſt, quomodo ſit comparatus, qui daturus eſt.

Contrà quæ multis precibus obtinenda ſunt, aut propter rei magnitudinem, aut defectum meritorum, maiorem induſtriam requirunt; Item ſi perſonæ ſint humilioris fortunę, ſortis, aut conditionis, à quibus ducitur Exordium, artificium poſtulant ad comparandum benefactoris animum. Iam cùm petenda venia eſt, recurritur ſtatim ad preces, & animi demiſſionem, culpæque confeſſionem. Vt Antiochi Regis Legati apud Liuium l. 31. Non tàm quid ipſi dicamus habemus, quàm vt à vobis quæramus Romani, quo piaculo expiare errorem Regis, pacem veniámque impetrare à victricibus poſſimus.

Quam ob rem cum erit opus inſinuatione, ab illius laude petenda erit, à quo beneficium expectatur; maximè verò à laude liberalitatis. Quâ ratione pro Scholis Eumenius Orator profitetur ſe ad illarum inſtaurationem poſtulandam incitatum fuiſſe famâ liberalitatis Romanorum Imperatorum. In quod poſſet recens beneficium aliquod enumerari, quod imperfectum videatur, niſi nouo cumuletur: aut certè recurri poteſt ad circumſtantias loci & temporis. Dux enim qui bellicæ virtutis præmium peteret in loco, in quo reportata eſt victoria, aut in caſtris, aut inter ſpolia de hoſtibus habita, aut die natalis victoriæ, facilius rem impetraret; Ita qui poſtularet aliquid à Rege, vel ipſo die natali, vel ingreſſus in vrbem, ab eo poſſet ordiri.

Confirmatio.

Pro voluntate vario poteſt inſtitui ordine, hic tamen maximè videtur accommodatus, nimirum ſi de liberalitate benefactoris in Exordio nihil dixerit, ab ea confirmationem incipiat.

II. Petitionem ſuam proponat, explicet, exornet, prout res poſtulabit. Etenim ſi petit ab homine liberali, non eſt quod beneficium amplificet; contra ſi à munifico, ſi à cupido laudis & gloriæ, vel cuiuſcumque alterius commendationis, oſtendat beneficium in ea re eſſe virtutes quod facilè præſtabit ab adiunctis, à quibus illud exornabit.

III. Agere de ſe poterit, ſi benè ſit meritus, enumerando modeſtè tamen, ſua beneficia, ne quaſi debitum improbè flagitare videatur. Ad quod videnda Regis Eumenis ad Rom. Oratio, quâ petit ſibi dari præmia laborum ſuorum, apud Liui. l. 37.

IV. Si nullum obtendere poſſit meritum narretur 1. quomodo tantum beneficium, tam malè meritus audeat petere; denique nõ aliam cauſam adferat, quam conceptam de eius liberalitate opinionem; vt Campani petentes à Romanis auxilium dicebant, *Fuit apud vos iuſta ſemper ſatis*

Digitized by Google

cauſa amicitiæ, velle eũ vobis amicũ eſſe, qui vos appeteret. Ita & ipſe dicas ſatis magnam eſſe cauſam tibi dandi beneficij, ſi ab eo petatur, qui liberalitate præ cæteris eminere velit.

V. Si magna res petitur, in eaque obtinenda laboretur, recurrendum ad locos deliberatiui generis, ſcilicet à poſſibili, vt oſtendat eũ nullo diſpendio conferre poſſe beneficium: ab vtili, ſi probet id beneficium publicum vtile futurum; ab honeſto, ſi gloriam & honorem inde ſit multum conſequuturus Campanorum Oratio facit in hanc rem ex Liuio lib. 3.

Audaciæ quidem eſt magnum aliquid ab eo petere de quo nunquam bene ſis meritus, vel ſaltem, cui nihil præſtiteris magnopere gratiâ dignum: tamen ſi ſpem magnam concipiat fore vt repulſam non patiatur, quod aliis benefecerit, quibus iuſtius negare poterat, magnæ laudis eſt danti; nempe diuina quædam eſt in illo bonitas, qui prodeſſe gaudet omnibus, nocere nemini.

Quin etiam & hic aliquando locum habet parentum laus, & maiorum vtriuſque commendatio, qui ſi neceſſitudine coniuncti fuerint, illud ipſum commemorandum erit, & addendum illos non tam paternarum opum, quam amicitiæ hæredes eſſe debere. Preces adhiberi poſſunt, & obteſtationes, per res, aut perſonas, quibus nihil eum charius habere conſta

Ad extremum docendum eſt, petere nos rem honeſtam, piam, iuſtam, facilem illi, quem rogamus, nobis perutilem, imò neceſſariam; quam vt obtineamus, ciendi ſunt miſericordiæ motus ab indigentia noſtra.

In Epilogo promittemus animum gratum ac memorẽ; & licet vel nulla ſit, vel exigua facultas referendi gratias; ſummam tamen fore animi noſtri propenſionem ac voluntatem. Ad cumulum totos illius fidei nos conſecrabimus. Petitionis exempla multa ſũt in Cic. epiſtolis, inter cæteras illa perelegans eſt libro 5.12. Coram me tecum, lib. 3 epiſt. 2. Cum & contra voluntatem.

* *
*

PVNCTVM XIII.

Artificium Orationis Euchariſticæ.

EXordium licet inſinuationem non requirat, benè tamen contextum, ſplendidum, graue ac ſerium eſſe debet ſine vlla ſuſpicione ſimulationis, & aſſentationis, vt à candido memorque beneficij pectore pleno alueo fluere videatur. Quo in genere triumphat. Tull. in Grat. actione ad Quirit. poſt reditum, cùm ſtatim ac profeſſus eſt amorem, ſic narrat magnificè beneficium acceptum, ſex rerum gratiſſimarum enumeratione, à numero 6. Etſi homini nihil eſt magis optandum quàm proſpera, æquabilis perpetuaque fortuna ſecundo vitæ, ſine vlla offenſione, curſu, tamen ſi mihi tranquilla & pacata omnia fuiſſent, incredibili quâdam & penè diuinâ, quâ nunc veſtro beneficio fruor, lætitiæ voluptate, caruiſſem. Quid dulcius hominum generi à natura datum eſt? &c.

In Oratione verò generis eiuſdem ad Senatũ magnam ſermonis pompam adhibet; vt beneficij magnitudinẽ amplificet; dum ait acceptum eſſe beneficium, cui explicando ipſe ſit impar, *Si pro veſtris immmortalibus in me fratremq; meum, liberoſque noſtros parum vobis cumulatè gratias egero, quæſo obteſtorq;, ne meæ naturæ potiùs, quàm magnitudini veſtrorum beneficiorum id tribuendum putetis.*

Auſonius Orator & Poëta Gallus in gratiarum actione Gratiano Imp. dicta pluribus beneficij magnitudinem exaggerat, nullamque ab Imp. iniuriam ſe accepiſſe profitetur, quàm quod viuere debeat, & mori ingratus, quod in amore & officio reſpondere non poſſit. Sed hoc illum reficit atque recreat, quod donando beneficium accipere ſe putet. Sic apertè rem aggreditur. *Ago tibi gratias Imp. Auguſte, ſi poſſem etiam referrẽ, ſed nec tua fortuna deſiderat remunerãdi vicẽ, nec noſtra ſuggerit reſtituendi facultatem. Priuatorũ iſta copia eſt inter ſe eſſe munificos; tua beneficia, vt maieſtate præcellunt, ita mutuũ non repoſcunt. Quod ſolũ igitur noſtræ opis eſt, gratias ago, verũ ita vt apud Deũ fieri amat, ſentiendo copioſius, quàm loquendo.*

Digitized by Google

Nonnunquam incipit orator ab ea virtute quæ maximè elucet in collato beneficio; quod Cic. docet in Euchariſtico Cæſari dicto propter Regem Deiotarum,cùm ait,ideo ſe non potuiſſe amplius ſilere, quòd tantam manſuetudinem, tam inuſitatam, inauditámque potentiam; tantum in ſumma poteſtate rerum omnium modum, tam denique incredibilem ſapientiam, ac penè diuinam, tacitus nullo modo præterire poſſit.

Aliàs rationem reddit cur tot ante beneficiis acceptis, nunc tantum agere gratias incipiat, quod laudatus antea Auſonius,& Mamertinus in gratiarum actione Iuliano dicta, quam à beneficij magnitudine orditur. *Etſi ſcio te Imp. & cunctos qui conſilium tuum participant, poſſe mirari, quod nunc demum, gratias agere exorſus ſum, quaſi beneficia in me tua cœperint à Conſulatu,fatebor tamen quod ingenij (cuius me pœnitet) conſcius etiam nunc tacere,voluiſſem,& prorumpens licet huius muneris gaudium in tam arcana lætitiæ conſcientiam coercere.Sed ſiue errorem noſtrum,ſiue conſilium congeſta,& coaceruata in vnum beneficia vicerunt, atque in id redegerunt neceſſitatis ambiguum, vt mihi aut indiſerti;aut ingrati eſſet fama ſubeunda,malui eloquentiam potiùs,quàm pietatem erga te, officiúmque meum deſiderari.*

Nunc à perſona largientis, ſi Rex, Senatus, Deus,quibus adiuncta ſunt hæc,citò datum cum verborum ornatu, & vultus hilaris ſignificatione Hoc artificium expreſſit ſublimis eloquentiæ Auſonius præſtare tibi eſt,quàm nobis optare velocius. *Ago igitur gratias; opt. Imp. ac ſi quis hunc ſermonem meum iiſdem verbis tam ſæpè repetitum: inopiæ loquentis aſſignat, experiatur hoc idem proſequi, & nihil poterit proferre facundius: Aguntur enim gratiæ non propter maieſtatis ambitum, nec ſine mentis Imp. fortiſſimo. Teſtis eſt vno Pacatus anno & Danubij limes & Rheni: liberaliſſimo, oſtentat hic Diues exercitus: Indulgentiſſimo,docet ſecuritas erroris humani: conſultiſſimo, probat hoc tali Principe Oriens ordinatus: Piiſſimo, huius verò laudis locupletiſſimum teſtimonium eſt pater diuinis honoribus conſecratus, inſtar filij ad imperium frater adſcitus,a contumelia belli patruus vindicatus,ad Præfecturæ collegium filius cum patre coniunctus, ad Conſulatum præceptor electus.*

Confirmatio variis modis conſtituitur, quidam enim pro gratiarum actione Panegyrici faciunt, vt Plinius Traiano, Mamertinus Iuliano, Auſonius Gratiano, Tullius Marcello, Eumenius Conſtantino Auguſto. Quæ ratio ſi placet,debebit Orator inſiſtere præſertim commendandæ ſibi virtuti, à qua profectum eſt beneficium. Ita citati Oratores liberalitatem maximè in illis commendant, alij beneuolentiam, dandi facilitatem, hilaritatem, celeritatem, prudentiam, additis comparationibus conglobatis, & minoribus exemplis. Quod Tull. in Orat. ad Quirites facit eleganter. Ab ipſo enim principio confirmationis oſtendit plus ſe beneficij à Quirit. aut certè tantum accepiſſe quantum ab ipſis parentibus atque Diis ipſis, poſtea beneficium auget, quòd ſponte. ſi precibus,vel ſuis, vel aliorum,illud contulerint, ſuum redditum conferens cum illo ſummorum hominum, qui precibus amicorum fuerant reuocati. Demum rationem amplificat ob quam fuit ab exilio reuocatus: ſingula perſequens, ad extremum ambitioſè ſatis ſe natum eſſe oſtendit ad defendendam Remp.

Ex dictis ergo poſſet aliquis tripartitam habere confirmationem, cuius prima pars occuparetur in laude benefactoris, altera in beneficij magnitudine exornanda,amplificandáque ex adiunctis,& circumſtantiis,per multas comparationes inquirens cauſam beneficij, tempus, locum, & alia huius generis. Tertia modum explicaret, quo datum eſt beneficium.

Plures beneficiorum cauſas aperit Mamertinus,quas ex adiunctis expendit,ſcilicet ex animo dantis & cauſis beneficij conferendi, &c. Suum amplificat hoc eſt, Conſulatum ex eo quòd ſibi non merenti, vel certè inter multos, qui tale meriti fuerant primo collatum ſit amore dumtaxat. *Ago tibi gratias Imp. ſi mereri me credidiſti, & plures habeo gratias, ſi tantum amaſti, vt me conſulem faceres etiam non merentem.* Nec ignoro maximos honores ad parum dignos penuriâ meliorum ſolere deferri, ſed non vereor ne quis maleuolorum in Conſulatu meo, id autumet accidiſſe.

Auget iterum dum ait beneficium quidem non pretio atque opibus emptum, non ambitione ac precibus impetratum, non verborum aſſentatione,

Digitized by Google

ne, nec multo labore comparatum, ſed vltro aliáque omnia cogitanti oblatum, ſed amore dantis & beneuolentia conceſſum. *Quid quod nihil ſeparatim mihi de honoris augmento præfertur nuncius Conſulem me creatum ſine impendio, quod iam diu paucis: ſine labore, quod nunquam: ſine petitione, quod memini.*

Tum candidatorum labores ſolicitudineſque fusè deſcribit, ſibi verò infuſum hoc munus honoris eximij gloriatur. *Quis ignorat tum quoque cùm honores Pop. Rom. ſuffragiis mandabantur, multos fuiſſe candidatorum labores? Ediſcenda omnium nomina tributim homines, atque etiam ſinguli ſalutandi, prehenſandæ obuiorum manus, omnibus arridendum, non ſolùm cum infimis, ſed etiam cum ignotis familiaritatis imago ſimulanda, multáque alia propter honorem agenda, quæ aliàs virum honore dignum facere non deceret. Sed ne te quidem ipſum Imperator, quem orare præclarum, cui preces adhibere pleniſſimum dignitatis eſt, verbo ſaltem adij. Sponte in familiam diuinum iſtud à te munus infuſum eſt.*

Beneficium exaggerat à modo quo datum eſt, ſcilicet non petenti, nec parui putat eſſe beneficij quod rogandi ſibi periculum remiſerit Imperator, vbi multis recenſet campi vitia, in quo non qui melior, ſed qui pecunioſior eligebatur. *Nec ſanè mihi gratuitò Conſul factus viderer, ſi honorem precibus emiſſem, miſerum enim & laborioſum ſubiiſſem meliore aui parte tranſacta tyrocinium rogandi. Neque enim exiſtimo moleſtius eſſe pecuniam quàm preces fundere. Deniq; omnes in emendo videmus repenſandi fiducia magno & erecto animo aurum argentumq; depromere, eos verò qui preces allegāt, humiles atque demiſſos vix cunctabūda atq; titubantia verba proferre, neq; orationē ſolùm inclinare, ſed totis corporibus in genua ſubmitti. Prorſus, (vt ex animi ſentētia loquar) maximè vendit beneficium, qui preces accipit.*

Tandem augetur & creſcit ex liberalitate dantis. *Quid ſibi vera vir perfectaque virtutis non conſtanter de honore promittat, cùm me propter tantillum innocentiæ meritum vno in anno ter videat honoratum? Et quis Deus vno in anno multiplices fructus agro vni dedit? Num quiſquam in eadem nouali æſtate vna amplius quàm ſemel meſſuit? Num cui vno autumno, vnoque vineto vindemia triplex fluxit? vna certe vnius eſt hyemis olinitas. Sed in noſtri Principis beneficiis miraculo caret multiplicata fœcunditas.*

Eſther gratias agat Aſſuero ob interfectum Amanum; ordietur vel ex abrupto, vt Auſonius in Gratiani Euchariſtico, vel ab admiratione beneficij, vel à lætitia, quam verbis exprimere non poſſit, vel ab ipſius Regis fortuna cui æqualem non vidit, qua maiorem natura feciſſe non potuit, vtcunque gratiarum omnem exhauriat, ſe tamen audere velle maiora viribus & debere dicet, quia tantum beneficiū poſteris ignorare non licet. Tum erit explicanda beneficij magnitudo, & ex periculi magnitudine æſtimanda. Eramus addicti gladio, vt victimæ, iam vincula, iam carceres diræque mortis inſtrumenta parabantur, iam crucifixa erat Mardochæo, de ſalute gentis Hebreæ actum: Deinde beneficium expendetur à circumſtantiis & enumeratione partium. Quid verò tua diuina bonitas ô rex? an edictum aboleri iuſſiſti, an compreſſiſti furentem inimicum? &c. Magna quidem hæc eſſent, vtráque meritum ſed neque potentiæ tuæ, neque ſingulari clementiæ ſatis. Nam mihi quidem temerè, & contra legem audacius te conuenienti virgam ſalutis exoſculandam dediſti, vitam hanc, quam adimere iuſtè poteras, piè reddidiſti. Hicne ſtetit amor? me collapſam humaniſſimè complexus radiis oculorum tuorum charitatem ſpirantibus, ad hanc lucem reuocaſti, parum dico, quâ non curâ & ſolicitudine die innocenti rea timuiſti?

Tum ad conuiuium inuitatus familiariter ſe demiſerit, tum quod ad primam petitionem facilis, hoſtem dederit: quod augebitur deſcriptione ſuperbiæ & immanitatis Amani: ſed ex eo fiet maximè, quòd non modò ſalutem expetitam conceſſerit, ſed etiam crudelem inimicum in crucem ſuſtulerit, hîc mirabitur ſapientiam diuinæ propè ſimilem, qui eò, quòd inſontibus parauerat, ſupplicio ſacrilegam multauerit.

Tandem ad diuini beneficij magnitudinem Mardochæum patruum in eodem honoris gradu ſtatuerit, quæ tamen luce charitatis & humanitatis illuſtriora ſunt, quæ Rex illa contulit, nulla cauſa niſi ſola bonitate impellente.

Pollicebitur Iudæam gentem memorem quidem æternum fore ſed Deum gratiam hanc maiori quondam beneficio compenſaturam. Subindè memoria tanti beneficij debet inſeri quo

puella

Digitized by Google

puella alienigena ad Regni conſortium electa fuerit,quod exordij loco eſſe potuit, nimirum à ſomno patrui qui paruum fontem viderat in fluuium excreſcentem,& iſtum in Solem,&c.

Epilogus in pollicitatione officij recordatione que verſatur, cuius exemplar abſolutiſſimum edidit Auſonius,dum ait beneficia Gratiani vbiuis locorum occurrere, in templo,foro,palatio, curia,domi.

Nec ineleganter Mamertinus Iuliano Imp. Polliceor nunquam grati animi beneuolentiam defuturam;idque omni vitæ meæ tempore ſummis opibus enixurum,elaboraturum,effecturum, vt honores in me tui,non quia neceſſe fuerit ad quemcumque delati, ſed quia oportuerit rectè politi,& ratione collocati eſſe videantur.

Non tantùm memorem animum ſpondemus, ſed ſi beneficium vires noſtras ſuperet Deum rogamus,vt cùm nos ob virium imbecilitatem id minimè poſſimus, ipſe gratias tantis beneficiis partes rependat:quod fit voto pro illius ad Deum ſalute. *Concludam deinceps Orationem meam piiſſime Auguſte ſermonis magis fine, quàm gratiæ. Namque illa perpetua eſt; & ſpatio non tranſineabili terminum calcis ignorat: flexu tamen paruo, nec à te procul conuertar ad Deum. Æterne omnium genitor, ipſe non genite opifex,& cauſa mundi principio antiquior, fine diuturnior, qui templa tibi, & aras penetralibus initiatorum mentibus condidiſti: tu Gratiano, humanarum rerum Domino, eiuſmodi ſemina noſtri amoris inoleſti, vt nihil in digreſſu ſegnior factus meminiſſet, & relicti, illuſtraret abſentem, vt præſentibus anteferret, &c.*

Illuſtris eſt illa Æneæ ad Didonem oratio, quâ Reginæ gratias agit, ſeque memorem fore pollicetur primo Æneid.

O ſola infandos Troiæ miſerata labores,
Quæ nos relliquias Danaûm,terræque mariſque
Omnibus exhauſtos iam caſibus, omnium egenos,
Vrbe,domo ſocias.Grates perſoluere dignas
Non opis eſt noſtræ,Dido:nec quidquid vbiq; eſt
Gentis Dardaniæ,magnū quæ ſparſa per orbem.

Dein cùm nec ipſe, nec Troiani ſimul omnes grates rependere queant,ad Numina recurrit,vt tantum pro ſe ſuiſque beneficium perſoluant, erumpendo in laudes Didonis.

Dij tibi (ſi qua pios reſpectant numina,ſi quid
Vſquam iuſtitia eſt, & mens ſibi conſcia recti)
Præmia digna ferant. Quæ te tam læta tulerunt
Sæcula? qui tanti talem genuêre parentes?
In freta dum fluuij current,dum montibus vmbræ
Luſtrabunt conuexa,polus dum ſidera paſcet,
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt,
Quæ me cumque vocant terræ.

Obſeruandum eſt gratiarum actiones quæ fiunt ad ſalutem, incolumitatem reſtitutam, aduerſa mala, miſerias, morbos, & alia eiuſmodi auerruncata maiorem ſuppeditare dicendi copiam. Nam excurritur in eiuſmodi malorum grauitatem, a quibus ſumus liberati; vt tantò maius videatur beneficium, quantò opportunius collatum fuit.

PVNCTVM XIV.

Artificium Orationis ad inaugurationem.

EAm intelligo quæ dici ſolet dùm vngitur in Regem aliquis,aut creatur inſtituiturq; Magiſtratus aliquis,aut gubernator;quare frequens illius vſus eſſe poteſt:& quia vſurpatur in rebus magni apparatus, & pompæ, idcirco magnum requirit ornatum, tum in artificio, tum in eloquutione: artificium quidem ſplendidum, aut ingenioſum eſſe debet, quod facilè fit, quandoquidem ritus inaugurationis,bonorum & dignitatum ratio, perſonarumque meritum ſuppeditant multas allegorias,Symbola,imagines, aliaque id genus ad ſplendidam inuentionem aptiſſima. Quare neceſſe fuerit cognoſcere ritus,tum priſcos, tum profanos adhiberi ſolitos in Magiſtratuum creatione, vel Regum inauguratione: nempe ſi quis haberet orationem in ſacram Regum Galliæ inaugurationē, noſſe deberet ritus, qui in eius conſecratione ſeruātur,iam inde à D. Remigio,qui Clodouæum primus Regem inunxit,quæ in re ceremonias haberet auguſtiſſimas, nobiliſſimos ritus,qui quoniam ſunt Regiæ maieſtatis ſymbola virtutis,ſatis amplam dabunt Oratori materiam, vt vel hunc ſeruet ordinem in

Digitized by Google

Oratione , quem in conſecratione. Hanc Regis inaugurationem ſic finit Halicarn. Eſt, inquit, hæc Oratio,veluti patriæ vox præſides ſuos alloquentis, ſeque eis concredentis.

Inſtantium Rufum in admiratione Prouinciæ Macro præſidi ſucceſſurum hoc excipit carmine Martialis lib. 12.epig.75.

Bæ e oliuifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.
Quem Bromius , quem Pallas amat,cui rector aquarum.
Albula nauigerum per freta pandit iter:
Omnibus lætis noſtras Inſtantius oras
Intret,& hic populis vt prior annus eat.
Non ignorat onus quod ſit ſuccedere, Macro.
Qui ſua metitur pondera ferre ſolet.

Initium huius orationis plerumque fit , ab eorum electione,quâ propter merita , reſque benè geſtas cæteris præferuntur , vel a Principis aut Vrbis beneuolentia,quæ illos quaſi manu ducit ad honorum gradus , ac ſupremas dignitates.

Quod ſi Rex primùm inauguratus ſit , totius imperij lætitiæ ſenſus, & fauſtas feſtaſque more maiorum,acclamationes referet:talem familiam feliciter imperare,diuinitùs electam eſſe : auguria lætiſſima non fruſtrà præceſſiſſe , propterea non hæreditate modò regnum accepiſſe , ſed etiam factis mereri.

Vel à loco vbi inauguratur,vel à ceremoniis & acclamationibus publicis:vereri ſe dicet Orator ne vox vna tot inter tubarum feſtos cantus & acclamationes abſorbeatur , & iam occupatis animis iam illuſtri triumphi ſplendore nullus congratulationi locus relinquatur : ſe tamen eò maximè incitari, quò reuocabatur à dicendo, tot fulgentibus coronæ radiis gloriaque perſtrictos oculos, nares tam exquiſitis odoribus balſami perfuſas,aures tam admirabili vocum concentu Pæambuſque plenas,mentem deniquetotam liquidiſſimo gaudio innatantem ſuauiſſimè recreari, proinde velle ſe in partem publici muneris venire. Dabunt alij regias veſtes, fulgentem purpuram,totam gemmis diuitem ac pretioſam,&c. Alij theatra curabunt & conuiuia, dapeſque publicas inſtruent,ego virtutes Principis ad imitandum proponam,efficiamque,&c.

Confirmatio.

Dicet ſapienter ab antiquis Regem Dei ſpirantem imaginem eſſe nominatum, in eo potiſſimùm,quod quemadmodum Deus licet ingenita gloria conſpicuus,tamen cum ob eius gloriæ nimium ſplendorem videri non poſſit humanis oculis,diuinæ lucis radios attemperat,& ad venerationem ait Nazianzenus, apta quædam inſignia circuminduit,vt fulgura,fulmina,radiantes nubes,&c. Ita Princeps Gentilicio licet charactere, maieſtateque virtutum natiua ſplendeat, Deo tamen accipientibus magiſtris iis inſignitur ornamentis,quibus regiæ dignitatis interior gloria ſeſe mortalibus oculis videndam proponat;Neque verò alium ob finem inunctionibus Regum tot tamque illuſtres ritus adhibentur, quos deſcribet ſuaui quodam verborum lenocinio ac venuſtate , Regem in auro totum & gemmis Soli non abſimilem,in aureo curru,ſtipantibus ſtellis,ſed è tanta gemmarum congerie velle ſe tres aut quatuor eligere,totidemque ritus ſubiiciet, in quibus vnctionis ſacræ totam ſeriem ceremoniaſque cognoſcant.

Prima ſit vnctio, quam illuſtrabit à ſimili Salomonis & Dauidis,Pontificis aureo cornu balſamum in verticem ſtillantis , & ita cœlum terramque perfundentis , ex Myrrha , Cinnamo, Caſia , calamo , opere pigmentario confectum; quantò pretioſius illud,quo verè Pontifex Deus Francorum Regis caput perfundit,quod ab aſtris fluit,ab innocenti columba defertur,ab Ephebo cœleſti conſeruatur.

Tum per ſubiectionem quæret cur hoc eximio Ceromate voluerit Deus conſecrari Francorum Regem ; an quia Rex diuina quodammodo res eſt ? an quia Medicus eſſe debet , vulneribuſque populorum amicè mederi ? an quia lenitudine clementiaque & amore Principes potiſſimum regnant, & ideo Meſſiæ ſeu Chriſti dicuntur Græcis μίλικοι an potius quia Gallorum Rex tantum cæteris anteſtat Principibus , quantum hoc oleum diuinum cæteris liquoribus antecellit. Atque vt illud iam mille ducentos annos & amplius durat , æternumque fluet , ſic & Imperium Gallicum.

Per

Per prætermiſſionem tractabit verane ſint quæ de hac illius diuini balſami origine narrantur tantumque teſtem excitabit ac producet vim illam ſtrumarum morbum abigendi, quam vt homine maiorem euehet, eleuabitque virtutem Veſpaſiani & Alexandri, docebitque nulli vnquam Regum tam certum & illuſtre beneficium amoriſque diuini monumentum relictum eſſe.

A contrario Regem Cambaiæ veneno paſci ſolitum homines halitu ſolo necare, Nerones aliosque baſiliſcos intuitu aſpectuq; ſuo præſentes inficere: Reges noſtros voce vera fide animatâ conferre ſalutem; quis neget eſſe ſanctos? quis miretur illos & à ſuis & ab exteris rantopere diligi? Reges Perſarum vnguentò delibuti columbas ad auram excitandam in circuitu volitantes diſtinebant: noſtri non tam hoc oliuo quàm humanitate ſuos tibi deuinciunt, ac demerentur.

II. Sceptrum quod componere cum antiquis quibus haſta terroris index erat in manu, vel aurea Aquila, vt Clearco Heracleñſi, vel eburneo in bacillo, vt Tarquinio Priſco ſuperbiæ teſtis, vel Securis, vel Lydis, vel aûrea virga, vt Aſſyriis vel ex Ebeno, vel Indis, vel faſtigio in roſam aut Lilium elaborato, vt Francis; hæc fortitudinis & iuſtitiæ arma ſunt, quibus pulcherrimum præ ceteris Principibus ſibi diadema compararunt. Antiquis quidem vel erant faſcia alba Alexandro, cærulea & alba Perſis, Cydaris & Tyara recta vel aſpide aut Leone aſperâ in cono, vt Ægyptiis, vel laurus & radiata corona, Aureliano Romanorum Imperatori; Liliatam oſtende: omnium ſplendorem dignitatemq; in ſe continere facilitatem Alexandrinæ, opulentiã Aurelianæ, Dauidicæ ſanctitatem, cuius maieſtatem Liliorum nitor temperat. Quamobrem vero clauſa: quia Francicum Imperium in ſe vno collectum nullum ſupra ſe cognoſcit: poſtremo conferet illam cumTyara Pôtificia, cum coronis ciuica, murali, obſidionali, murali, nauali, &c.

III. Addet veterum coronas margaritò inſigni ſolitas exornati, Francorũ verò illo Vnione, quo primogenitus Regũ Chriſtianorum, & Eccleſiæ tutor acreligionis defenſor acerrimus; renunciatur. Oratio nem ſuam claudet fibula gemmea hoc eſt iuramento illo, quo ſe Pij Reges obſtringunt Deo & Matri Eccleſiæ dum traditur illis gladius Reuocabit in memoriam rituum ſingula verba quæ diligender expendet, mirabiturq; Reges firmitatem pietatis ſuæ voluiſſe diuino vinculo cõſtringere, magnum decus, cum qui omnibus ſuperior ſit, Dei legibus & iuramento ſuo deuotum & humilem ſubeſſe; ornabit exemplo Salomonis qui fecerat idem, ſi daram fidem ſeruaſſet; prædicabit virtutem ſacramenti, quod hactenus inuiolatum eſt ac ſanctum: neque fuit à Clodouæo qui ſignum Francis ad benè de Deo credendum ſuſtulit, vel vnus, quam aut teſtis temporum hiſtoria, aut falſitatis artifex inuidia, deſertæ fidei non modò ſuſpicione, ſed ne infamia quidem aſpergere potuerit. Religionis tanquam Solis lumen propagationẽ minuitur, oppoſitu corporis interrumpitur: Francorum pietas vna atque perpetua heredum participatione ſplendeſcit: Minimis occaſionum momẽtis maximæ religionis inclinationes fiunt; præmiorum ſpe ſolicitati Francorum Reges nunquam de obſeruantiæ erga parentem Eccleſiam gradu dimoueri, nunquam de fidei ſtatione decedere liliorum capita, nulla ventorum violentia, deprimuntur.

Ad vltimum vbi per coacernationem cæteros Reges & præteritionem perſtrinxerit, hoc ſpeculum Regi offeret inſpiciendum, vt ſe non imparem factis eſſe velit, faciatque quod Pericles, qui purpurã ſuam manu præhendens monebat, memento te Græcis, te Athenienſibus, te liberis hominibus imperare: aut adeſſe Perſarum illum monitorem aſſiduum qui manu Regem excitabat his verbis, ſurge Rex & ſatage negotium, quod tibi commiſit Deus.

Illuſtrior erit electio ſi diuinum iudicium illam comprobauerit, cuius vices vt obiret, in terris electus eſt, de cœlo datus.

Iouis inaugurationẽ deſcribit Sidonius Apoll. præfatione Panegyrici Antonij Aug. Coſ. dicti.

Cum iuuenem ſuper aſtra Iouem natura locaret,
Suſciperetq; nouus regna vetuſta Deus
Certauére, ſuum venerari numina Numen
Diſparibus modulis incinuiſſe ſcphos,
Mars clangente tuba patri præconia dixit,
Laudauitq; ſuo fulmina fulmineo.
Arcas & Arcitenens fidibus ſtrepuére ſonoris,
Doctior hic Cithara pulſibus: ilic lira.

Digitized by Google

Caſtaliduḿq; chorus vario modulamine plauſu,
Carminibus,cannis,pollice,voce,pede.
Sic nos ô Cæſar noſtri ſpes maxima ſæcli
Poſt magnos proceres paruula thura damus,
Audacter docto coram doctore canentes,
Aut Phœbi,aut noſtro qui ſolet ore loqui.
Qui licet æterna ſit vobis quæſtor in aula,
Æternum nobis ille magiſter erit.
Ergo colat variè te Princeps hoſtia lingua,
Nam noua templa tibi pectora noſtra facis.

Addendum erit ipſo vultu quaſi ſpeculo digniſſimos indicatos, qui Regni Rerumque publicarum adminiſtrationi præficerentur,vbi breuiter in eorum laudes excurrendum. Idem qui ſupra laudatus Sidonius eâdem Panegyri.

Danubij ripas,& tractum limitis ampli
Circuit,hortatur,diſponit,diſcutit,armat.
Sic ſub patre pius moderatus caſtra parentis.
Hinc reduci datur omnis honos& vtraḿ magiſter
Militiæ Conſulḿ; micat coniuncta poteſtas
Patricij celeriſq; gradu priuata cucurrit.
Culmina conſcendit,ſolio puer ipſe curuli
Sedit,& emerito iuuenis veteranus inauro
Iamq; duos pacis,ſed vobis nulla cupido
Imperij,longam diademata paſſa repulſam.
Inſignem legere virum. Quem deinde legentem
Spernere non poſſes,Soli tibi contulit vni.
Hoc fortuna decus quamquam te poſceret ordo,
Vt lectus Princeps mage quàm videare relictus.
Poſt ſocerum Auguſtus regnas,ſed non tibi venit
Purpura per thalamos,& coniux regia regno,
Laus potius quàm cauſa fuit,nam iuris habenis
Non generum legit Reſpublica,ſed generoſum.

Meritis ac virtutibus datum honorem, & magiſtratum ſocero ſuo Sidonius Apoll. in Panegyri, quam de illo Romæ habuit,probat multis.

Non tibi centurias aurum populare parauit
Nec modò venales numeroſoque aſſe redemptæ
Concurrunt ad puncta tribus, ſuffragia mundi
Nullus emit,pauper legeris,quod ſufficit vnum
Ex meritis duces:Patriæ cur vota moraris,
Quæ iubet vt iubeas?hæc eſt ſententia cunctis,
Si Dominus ſis,liber ero,fragor atria complet
Tirrheni quo forte loco pia turba Senatus.
Detulerat,vim,vota,preces,Locus,hora,dieſq;
Dicitur imperio felix,ac protinus illic
Nobilium excubias gaudens ſolertia mandat.
Tertia lux refugis Hyperiona fuderat aſtris.
Concurrunt proceres,ac milite circumfuſo
Aggere compoſito ſtatuunt, ac torque coronant,
Caſtrenſi mæſtum donantq; inſignia Regi.

Epilogus non alius eſſe debet ab eo,quem in artificio gratulatoriæ Orationis dedimus, nempe totus ſit in votis, ac precibus, pro Magiſtratus ac Regis diuturna felicitate, & gloria moritura nunquam.Sic Claud de Conſulatu Mallij Theodoreti.

Conſul per populos idemq; grauiſſimus auctor
Eloquij,duplici vita ſubnixus in æuum
Procedat pariter libris,faſtiſq; legendus.
Accipiat patris exemplum,tribuatq; nepoti
Filius,& cœptis ne deſit faſcibus hæres.
Decurrat trabeata domus,tradatq; ſecures
Mutua poſteritas,ſeruatóque ordine fati.
Millia continuo numerentur Conſule proles.

Non aliter de laudibus Stiliconis libro 3. idem Claud.

Cuſtos imperij Virgo quæ ſola mederis.
Vulneribus,nullumq; doces ſentire laborem.
Seu tibi Dictææ placuerunt aſtra Coronæ:
Seu magis æſtiuo ſedes vicina Leoni.
Seu ſceptrum ſublime Iouis,ſeu Palladis ambis
Ægida:ſeu feſſi mulces ſuſpiria Martis
Adſis perpetuum Latio,votiſq; Senatus
Annue Diua tui:Stilico tua ſæpius ornet
Limina;teq; ſimul rediens in caſtra reducat.
Hunc bellis comitare fauens:hunc redde togatum,&c.

PVNCTVM XV.

Inauguratio ſiue creatio Doctoris.

PAranymphæa dicitur, quâ ſiſtuntur initiandi laureâ Doctores,cuius tres partes vulgò aſſignantur:Prima rationes continet,ob quas is honore dignus videri poſſit,qui ad Doctoratus gradum promouendus eſt:Altera rituum expoſitionem quandam complectitur; Tertia parænesis eſt ad eum,qui mox eſt inaugurandus.

Exordium petitur à circumſtantiis perſonarum ſi quæ ſunt eximiæ, nempe ſi frater, aut pater, filium

Digitized by Google

filium aut fratrem adoptet, ſi Rex ipſe vel Imperator conſortem aliumRegni faciat; ſi ætate nõdum matura, ſed adhuc acerbâ, vel iam maturiore & prouectâ; vel à ritibus veterum, qui confirmationem ipſam perficiant, dùm excurritur in laudem eius ſcientiæ, cuius infulis ornandus eſt Doctor, vel curiæ, in quam admittendus Senator, coniunctius initiandi laudibus, induſtriâ & labore comparatis.

I. Porrigebatur liber de more: Nam vt militi gladius, vt hæredi ſigillum, vt Principi ſceptrum, ita Iuriſperito liber, ſiue theſaurus legum aut gladius & Iuſtitiæ bilans datur, in quo legere poſſit quidquid officii ſui eſt, quæ Deus ipſe libro Ioſue Præſidibus legem deſignauit. *Non recedet hoc volumen de ore tuo.* Et verò mens & animus Doctoris eſſe debet arca illa aurea, in qua legem liber & manna, & virga auctoritatis incluſa ſint, quam identidem aperiat: in quo libro ſæpius decreta legum attentè meditetur, & æquitatis iura; quam & aſſumat in ſceleratorum vindictam, & innocentium defenſionem: ex qua Manna colligat, vt pietatis & intelligentiæ domum diuinitùs ſibi conceſſum aliis communicet.

II. Pileolus veritatis ac ſanctitatis inſigne, cuius formâ vniuerſitas eruditionis exprimatur, & imago cæli latè lucentis, in Doctoris mente, cuius è ſapientia plendor fuſus cœlum feriat, & animos imperitorum luce veritatis, & veræ ſapientiæ profundat. De quo dici poſſit, quod de Auito Vienneſi prædicauit Ennodius, *in quo ſe peritia velut in diuerſorio lucidè domus iecluſit.* Hinc ſapientis animus & bonis artibus imbuta mens, aula veluti regia dicitur, & ara diuinitatis, in qua pollens ille mundi Princeps ſuæ maieſtatis amplitudinem expromat: Hinc ſtellæ militantis Eccleſiæ Doctores nominati, & vel oculi, ſic vt gemini luminum orbes innocentiæ & ſapientiæ ſuum ſplendorem habeant. Nam qui ſine luce doctrinæ ſolos habent mores, eos D. Zazian. ſimiles ait ἑτεροφθάλμοις, luſcis, oculo tantùm vno præditis, qui cùm magno ſpolientur ornamento, tùm maximè ſunt inſignes ad deformitatem, ſiue cernant, aut cernantur ab aliis: eos verò, qui vtroque pollent & morum & diſciplinæ dotibus ἀμφιδεξίους καὶ τελείους vocat in omni genere perfectos. Hinc D. Paulus Doctorem διδακτικὸν nominat hoc eſt, aptum & idoneum ad docendum, qui ſit tantum eruditionis conſequutus, vt abditas quæſtiones tùm diuinas, tùm humanas in hominum lucem & cognitionem educat illuſtret, exponat.

III. Deinde datur Annulus. Quorſum autem? An vt olim Apollo Seleucium Matrem, ſcientiam deſponſet? nam & Doctores & Præſules annulum habent pignus Sponſalitium, quo non vt Gyges ad pudicitiam violandam, ſed ad tuendam corporis & animi caſtimoniam, diuinæque Sponſæ fidelitatem, quam iurarunt, vti debent. Præpoſiti prouinciarum vrbes ſuas, Duces ſuas ſibi deſpondent, Dux Venetorum mare: cur non leges & ſapientiam Doctores?

An quòd annulus ſphæricæ figuræ, ſinceræ fidei, veritatis, & conſtantiæ ſit argumentum.

An qui Principis & Iuſtitiæ ſigillum Doctor eſſe debet: nam & annuli ſignatorii fuerunt olim quibus notæ in iis rebus imprimebantur, quas tutas & ſeruatas cupiebant: niſi fortè velis ea ſacramenta potius intelligere, quæ σφραγῖδας à Græcis Patribus nominantur.

An melius illo ſymbolo quidam inſignis dominatus innuitur, quo reliquis hominibus poſſunt cœli fores aut aperire, vel occludere, quo nihil dici poteſt auguſtius: ſiquidem annulus eſt τῆς ἀρχῆς σημεῖον principatus Imperiique ſignum.

IV. Suggeſtus ſiue Thronus celſus & excitatur, in quem ſapientiæ Doctor aſcendat picturis vndequaque inſignitum & emblematis diſtinctum, in cuius priore parte efformentur duo iuuenes amor & labor; in poſteriori, vigilia & curæ, ad dexteram adoleſcens accinctus omnia ſecum ferens paupertas, à læua vir fugiens: quamquam liberum eſt cuilibet effingere quod voluerit ad Doctorem officii ſui memorem permouendum, admonendumque dari ὕψος ἀρχικὸν ſuggeſtum imperii, vt Imperatoris inſtar ſibi cæteriſque cum animi demiſſione diuinaque prudentia impetet: vel θρόνον ὑψηλὸν indicem honoris & dignitatis vt legum Iuriſque Pontifici: vel βῆμα pulpitum & cathedram, non ambitionis & ſuperbiæ magiſtram, ſed ſpeculam potius, & veræ modeſtiæ ſapientiæque ſcholam, è qua tan-

quam è Tripode dubitantibus populis Edicta Regum, reſponſa Dei, dubitaq; iuris pronuntiet.

Meminiſſe poterit Orator Salomonis ſuggeſtus quem è columnis ſeptem ædificarat ſapientia, vel Hyubæ gymnoſophiſtæ ſolii aurei, vel illius Imperatoris Conſtantinopolitani, de quo Luitprandus, quod Leonibus fultum aureis volabat in ſublime, veſtitum deinceps è regione arbore aurea, in ſuaues cantus reſoluta, vel throni potius è libris congeſti. Monebit ſubliniorem ſedem aſſignatam non ad expreſſionem modò dignitatis & honoris, cóciliandamque apud omnes venerationem, ſed & muneris quoque rationem inſinuandam, &c.

V. Denique Zona aurea traditur, vt milti baltheus, vt Hebræo Pontifici cingulum variis coloribus diſtinctum ad venerationem & admirationem omnium, vt Chriſto etiam in Ioannis oraculis, aurea fimbria, quâ Doctor vti fortitudinis & fidei cingulo munire pectus debebit, modeſtiæque vinculo motus animi nimios, rationique minùs obtemperantes, vt fluentem lacinium, cohibere, quâ ſpecie penè dicam aurea, audientium animos capiat, atque honeſtâ voluptate perfundat: quam tanti fecere ſapientes, vt nihil ad priuatam conſcientiam dulce, ad defenſionem patriæ forte & generoſum, ad perennem hominum memoriam ſtabile, ad multorum ſalutem & exemplum efficax: abſque illa fieri poſſe credent. Mônitum eſt Caſſiodori ſapientis certè memorandum ſæpius lib. 1. epiſt. 18. *Non licet delinquere, qui alios creditur ſub æquitatis regula continere: ne ſiat exemplum prauum, qui electus ad laudabile cognoſcitur inſtitutum, eſt.* Tanti eſt exemplo vitæ laudabili pulcherrimâ mórum effigiem ſanctimoniæ lumen, & iucundum vbique decorem induere. Nam benè Caſiodorus lib. 3. epiſt. 12. *Publici decoris mater mens regentis.*

PVNCTVM XVI.

Inauguratio ſeu creatio iuſtitiæ Præſidis.

PRæſidis Parlamenti, vel Themidos Antiſtitis aliorumque laudandorum idea communis eſſe ſolet omni Magiſtratui, paucis immutatis.

Exordium dabit vel Iuſtitiæ templum, in quod admittitur. Vbi promat oracula cœlo digna, hominum generi metuenda, ſemper iuſta, vel à Tribunali non tàm purpura venerando, quàm ſingulari ſanctitate collucente, ex quo tanquam ex antro Sybillæ effata exaudiantur, ſententiæ dicantur, quas ficti veterum Minoës pronis capitibus reuerentur.

Dabit & eburneum Salomonis Solium, media charitate conſtratum, cuius aſcenſus purpurei, in quibus armati ſeptuagenta vigiles ſtent ad cuſtodiam: Solium Regum ignea purpura ſtratum illum eſt in quo Iuſtitia quieſcit, ſtipatores, Senatus purpureus, Eunomiæ filii Themidiſque nepotes boni & ſapientes Rex alter Salomon, qui videtur in imagine ſua, ſcilicet in Præſidium Principe.

Propoſitio. Se gloriam Antiſtitis Iuſtitiæ explicaturum, aulæo ſubducto profitebitur, neque multa dicturum, ſed oraturum auditores, vt aperiant oculos, & Solem illum inter ſua ſydera coruſcum contemplentur,

Prima laus purpuram commendabit amplitudinis & maieſtatis indicem, dibapham igneamque quam non murex ab Oceano rubens, ſed è cœlo virtus & pietas imbuit ad miraculũ & venerationem. Dicet quanto fuerit olim pretio, vel regibus tantùm vſui, ſummiſque Magiſtratibus; ſacer enim color eſt; hanc laudabit ab eius ortu iuſtitiæ purpuram, non niſi ab AlcideRege, eiuſque ſagaci mente reperiri poſſe, initiandi Præſidi partam à ſua virtute, qui iuſtitiæ retinentiſſimus, ardentem hanc veſtẽ obtinuerit, quam Epiphanius lib. 2. de Hæreſi πυρινὰ ἐνδύματα vocat igneam ſiue ardenem.

Digredi poterit per locum communem & eos increpare qui iuris obliti legumq; contemptores variis modis piſcantur muricem hũc vel ambitu vel turpi quadã emptione, vt in forum & ſubſellia tanquam ad aureàm meſſem conuolent, quos ſapienter bonis coloribus depingit vocatque arundines D. Ambroſius l. 5. in Luca *Qui forenſibus criniti phaleris, vacuo oris ſtrepitu ſonori, nulla ſui vilitate, frequenti etiam offenſione. intus inania foris ſpecioſa ſectãtur, ſemper faciles ad nocendũ, & inopes ad ſuffragandum.* Qui per auaritiæ libidinem

nem habendique ſitim inexplebilem,non tam ad libram iuſtitiæ,quàm ad plenam aurificis ſtateram ſententias ſuas expendunt;Quad multis deplorat S.Aug.ſerm.19.de verbis Dom.*Vſque adeo inoleuit malum, vt iam quaſi ex conſuetudine vendantur leges,corrumpantur iura,ſententia ipſa venalis ſit , & nulla iam cauſa poſſit eſſe ſine cauſa.* Initiandi Præſidis aliam eſſe mentem ſubiiciet, cuius diuina vox,Eunomiæ lingua labem è moribus , è ciuitatibus Aten,è commerciis hominum iniuriam iuſtitiamque depellat.

Deinde quæret cur Antiſtes iuſtitiæ hac ignea purpura decoretur : Num fortè quòd Regis auctoritatem induat , ac perſonam ſuſtineat ? omnino nam & ideo coronam & tyaram geſtat.

An quia vt olim Carthaginenſes in tunicis purpureis præliabantur,ne vel ſuo,vel inimicorum ſanguine perfuſi turbarentur, vt ait Syluius.

An vt Conſtantiæ ſe veritatiſque propoſitum oculis ſpeculum & monitorem habeant ? Nam & Innocentius III. Carbinalis purpuram induit & oſtendit quàm generoſus eſſe debeat , & imperterritus Prætor, dum de capitibus rerum decernit , & ſi quando molliatur eius animus humanis miſeriis , ad aſpectum flammantis purpuræ,velut Taurus & Elephas,inardeſcat.

Addet eandem ob cauſam veteres , vt Critolaus apud Gellium,flammeam iuſtitiam pinxiſſe; an quia eloquentia purpurea eſt apud Marcianum Capellam ? Epicharmus apud Laërtium de Platone ait, τορεύρων λόγοισι ποικίλαι γλαοῖς purpuram verborum egregiè diſtinguere. Sidonius Apoll.lib.2. epiſt.purpuram ſermonum. Ennodius,oſtrum eloqui ; quem porro melius deceat, quàm fori Principem , cuius ore purpureo Iuſtitia oracula ſua pronunciat?

Alias rationes per ſubiectionem proponet,quibus virtutes Præſidis explicabit ; Conſtantiam, Integritatem,Clementiam,&c. Felicem hoc miraculo noſtram ætatem futuram gloriabitur, cæteraſque laudes à praxi de Iudice mutuabitur: alios Magiſtratus eadem forma commendabit.

In hac & generis eiuſdem orationibus,perſona commendatur , & ſacramentum , quo more Athenienſium iurare videatur, ſe non de honeſtaturum arma;vel Senatorum fori Romani, qui ad aram victoriæ verbis conceptis ſpondebant ſe cenſuros ea,quæ patriæ ſalutaria fore crederent, nulla cuiuſquam habita ratione : poſtremò Dux, Doctor , Antiſtes , Conſul renunciatus , recipit memorem ſe fore tanti beneficij honoriſque collati , ne indignus eo gradu videatur.

P V N C T V M XVII.

Stemmatum praxis.

Patecuaſis hæc eſt amœnioris eloquentiæ, quæ tamen plerumque ſit in foro vtilis,& in laude Principum : Primò quidem ab Etymologia ſeu definitione:quid ſunt,niſi ſigna quædam ad ornamentum & diſcrimen familiæ delecta? docet Plinius Romanos diu ſtatuit vſus , quibus inſignia erant appenſa , geſta ſcilicet in linteis vel ſculpta , vel adſcripta , iis deindè non lectis adhibita ſigna quędam emblematica,quamquam antiquitùs etiam milites in Clypeis & Vexillis talibus lemmatis vſos eſſe comperimus , vt fulmine , Minotauro,Hydra,Leone,&c.

Secunda laus petitur à cauſis ; efficiente quidem I.Nam quid virtute pollentes viros impulit ad hæc excogitanda ſigna , eadem quæ illuſtria nomina , nimirum vt eſſent præmia virtutis & laborum incitamenta poſteris : Ideo Manlius torquem , Coruinus Coruum : ideo Lilia, , Roſas , Taurum & Aquillas à Principibus accepere nonnulli milites , vt virtutis fideique ſuæ præmia:

II. Vt eſſet ſuauis & grata recte factorum memoria : Num ideo Gordius Myde pater currum illum & nodum famoſum delegit dedicauitque ſuæ prius artis quadrigariæ teſtem ? Num ideò Mediceæ gentis primus auctor Euerardus ſex globulos,quibus Gygantem mactarat,in inſignis fortitudinis & victoriæ ſuæ teſtem appingi voluit ? Sancius Nauarræus Smaragdum & cathenas aureas aſſumpſit ; Athenienſes bouem in vndis , quiſque pro virtute rebuſque geſtis ad poſterorum memoriam inſigne ſuum elegit :

III.Vt eſſet documentum aliquod artis & officij: Ob id milites Ægyptij Scarabeum in annulo geſtabant , Hector geminos Leonos, Ioſue

tres

Digitized by Google

tres Pſittacos, Draconem Macchabæus, Accipitres Perſæ, Lyram Dauid, &c.

IV. Vt amoris & inſitæ virtutis argumentum & ſimilitudo quædam eſſet cum ſigno, quod elegerant; Ideò Cicadam auream Athenienſes, quia facundi.

V. Materia vel color, vt cæruleus, rubeus, viridis, &c. Vel Metallum aurum & argentum: forma, figura, ſedes; vel ancile, vel palma, vel Clypeus, vel Scutum. Pictura, ranam vt Mecænas ſilentij notam; quo Rex aut Conciliatius inſigniri debet: Sphyngem Thebani: Columbam Semiramis & Aſſyrij: Leopardos Angli: Flores aſſumunt alij, Roſam, Oliuam, Lilium ad arbitrium. Figuras Pallos vt vocant, Bezanos ſeu Globulos, faſcias, Conſas, Romboides; ex fuſis arma, cruces quæ multiformis, alia decuſſata ſeu ſancti Andreæ, Burgundionum, vel recta, & alba Sabaudiæ Ducum: fixam alij vel patulam, faſtigiatam alij, ſiue cum apicibus floratas alij, ſiue floribus ſuppoſitis; calicatas alij deſcribunt; Conſtantini labarum cognitum eſt; alij ex ſacris in morem alueoli.

Iam docendum ex his omnibus eminere præ cæteris ſtemma quod vis præ cæteris eminere & deprædicare.

Peroratio venerationem habet ſtemmatum, tanquam imaginis abſoluti Principis, quem addet per Antitheſim iis florere notis, quibus aptiſſima poſſint inſignia decorari.

PVNCTVM XVIII.

Dedicatio.

ALtera continet dedicationes librorum, quæ tribus veluti gradibus aſſurgit, occaſione dedicandi, quæ vel ſumitur ab officio dedicantis. Hinc Martialis, Sexto mittit epigrammata, qui Domitio erat à ſecretis, & Bibliothecæ curam habebat, quæ poni cupit inter alios epigrammatarios, lib. 5. epig. 5.

Sexte Palatinæ cultor facunde Mineruæ,
Ingenio frueris quique priore Dei,
Nam tibi naſcentes Domini cognoſcere curas,
Et ſecreta ducis pectora noſſe licet,
Sit locus & noſtris aliquâ tibi parte libellis,
Quà Pedo, quà Marſus, quàque Catullus erit,
Et Capitolini cœleſtia carmina belli,
Grande cothurnati pone Maronis opus.

Vel eius qui dedicatur dignitate, Martialis idem librum 5. ad Domitianum Imperatorem mittit, rogatque vti gratum accipiat, ſiue per otium lecturus, ſiue per negotiorum molem neglecturus epiſt. 1.

Hoc tibi Palladiæ, ſeu collibus vteris Albæ
Cæſar, & hinc Triuiam proſpicis inde Tethin;
Seu tua veridicæ diſcunt reſponſa ſorores,
Plana ſuburbani, quà cubat vnda freti:
Seu places Æneæ nutrix, ſeu filia Solis,
Siue ſaluſeris candidus Anxur aquis.
Mittimus ô rerum felix tutela, ſaluſque,
Soſpite quò gratum credimus eſſe Iouem.
Tu tamen accipies, ego te legiſſe putabo,
Et tumidus Galla credulitatte fruar.

Vel ab opportunitate; ſic excuſationem affert Martialis quod Plinium virum alioquin diſertum ac eloquentem verſibus rudioribus interpellat, ſed quia opportunus accedit, polliceturque ſibi vultum amabilem, vtpote qui venerit horâ qua diſcedunt à ſua grauitate, dum accedunt ad cœnam lautioribus poculis, diuturni laboris tædium leuaturi, libro decimo, epigr. 19.

Nec doctum ſatis, & parum ſeuerum,
Sed non ruſticulum nimis libellum.
Facundo mea Plinio Thalia
I perfer: breuis eſt labor peractæ
Altum vincere tramitem Suburæ.
Illic Orphea protinus videbis
Vbi vertice lubricum theatri,
Mirantesque feras, auemque Regis,
Raptum quæ Phryga pertulit Tonanti.
Illic parua domus tui Pedonis
Cælata eſt Aquilâ minore penna.
Sed ne tempore non tuo diſertam
Pulſes ebria ianuam videto.
Totos dat tetricæ dies Mineruæ
Dum centum ſtudet auribus virorum,
Hoc, quod ſæcula, poſterique poſſint
Arpinis quoque comparare chartis:
Seras tutior ibis ad lucernas.
Hæc hora eſt tua, dum furit Lyæus,

Cum

Digitized by Google

Cùm regnat roſa, cùm madent capilli,
Tunc me vel rigidi legant Catones.

Potius hic opportunitatem appello, ſi quis videlicet per vrbem aliquam iter habeat cui præfuerit aliquando, aut de illa, déque ciuibus benè meritus ſit; ſi deuictis hoſtibus triumphet, ſi propter virtutem inſigni aliquo dignitatis gradu decoretur, &c.

Secundò rei dedicatæ vel explicatione, vel excuſatione; vtrumque præſtat Mart. l. 11. epig. 34. dùm cauſam reddit, cur Poëtam Seuerum donet carmine, ſaturum ſeu diuitem pauper inuitet.

Miraris, docto quod carmina mitto Seuero,
Ad cœnam quod te, docte Seuere, vocem?
Iupiter ambroſia ſatur eſt, & nectare viuit:
Nos tamen exta Ioui, thura merumq; damus.
Omnia cùm tibi ſint dono conceſſa Deorum,
Si quod habes, non vis, ergo quid accipies?

Variæ ſolent afferri cauſæ, vel officii, vel dignitatis, vel gratitudinis, aut aliorum quibus incitamur ad aliquem eligendum, cui, nos noſtraque dedicemus. En Oratoris optimi dedicatoria epiſtola ſanè illuſtris. Eum Principem ad perfugium amat Philoſophia in cuius ſinu præſidioque latére ſecurè, lucere clarè, pugnare fortiter, quieſcere cum dignitate poſſit; Commodè igitur ſeſe noſtra recipit in illum, quem ſuſtinet nobilitas, pietas firmat, ambiunt laureæ, coronant palmæ, virtus tegit; adeò vt quod ad firmamentum ſtabile, quod optant alii ad ornamentum illuſtre, quod amplum ad victoriæ ſpem aut ſecuritatis, illius non patiatur dignitas illic deſiderari, quò me ſingularis humanitas aduocauit. Vt rem tamen aperiam ingenuè, non tam vt vincat, quod eſt cupiditatis, quàm illius dicata obſequio ſeruiat, quod eſt officii, noſtra ad illum Philoſophia accedit. Venit traditura quod debet, non petitura quod non meretur: naturæ legibus obtemperat, non ambitionis; hanc enim audire meum, illam implere illius poteſtatis eſt, non legis; quanquam dùm accipit quod offert mea tenuitas, facit quod poſtulat cupiditas. Vt enim nihil Philoſophia maius exigere à me poteſt; ita neque illa optare quidquam honorificentius, quàm vt in illius ſinu longis defuncta laboribus & periculis conquieſcat.

Tertiò demum commendatione confectationéque, addito fidei æternique obſequii ſactamẽto. Paucis hæc omnia complectitur Mart. ad Cæſarem quem ſtudiorum, & amantem diuinæ Poëſeos facit, lib. 5. epig. 6.

Si non eſt graue, nec nimis moleſtum
Muſæ, Parthenium rogate veſtrum.
Sic te ſerior, & beata quondam
Saluo Cæſare finiat ſenectus,
Sic Burrus citò ſentiat parentem,
Admittas timidam, breuemq; chartam
Intra limina ſanctioris Aulæ
Noſti tempora Iouis ſereni,
Cùm fulget placidus, ſuoq; vultu,
Quo nil ſupplicibus ſolet negare.
Non eſt, quod metuas preces iniquas.
Nunquam grandia, nec moleſta poſcit,
Quæ cedro decorata: purpuraq;
Nigris pagina creuit vmbilicis.
Nec porrexeris iſta, ſed teneto,
Sic, tanquam nihil offeras, agaſq;
Si noui Dominum nouem ſororum;
Vltrò purpureum petet libellum.

Hæc à multis commendata circumfertur in virum noſtræ tempeſtatis judicem æquiſſimum Defenſionis tuæ poſſeſſionem, quam omnes ambiunt, eò confidentius adeo, quod à te nullam vnquam Iuſtitia, legumque religio repulſam tulit. Cæterorum cauſa iuris æquitate, ipſa iuris æquitas tuo ſe iudicio tueri ſolet. Nuſquam iacet vbi florenti loco ſtas, nunquam periclitatur vbi auxilium, nunquam fluctuat vbi conſilium porrigis, ſemper te arbitro, victoriæ, te authore fraudis, te defenſore, periculi ſecura. Viuit Iuſtitia tuis in moribus, ſplendet in fortuna, ſedet tribunali, mortalium iura ore tuo dijudicat, tanta opinione fidei, vt qui etiam à te damnantur, non Iudicem ſed cauſam exiſtiment ſibi defuiſſe. Hanc adeò laudem ſi quis immodicam putet, publicum de te famæ judicium neſcit, ſi tenuem ac ieiunum tuum de iuſtiæ dignitate ſenſum ignorat: Quem enim Iuſtitia commendat, hunc & in vindicandis ſceleribus fortem, & in componendis litibus ſapientẽ, & in ſubleuandis miſeris clementem atque humanum eſſe neceſſe eſt, adeoque vbi Iuſtitia regnat, cæteræ virtutes ve-

lit honorario famulatu ſubſeruiunt. Atqui hæc tua propria laus eſt, quod cum virtutes omnes in te ſint planè ſingulares, vnum te communem omnibus faciant, omnium vtilitatibus addicant. Quamquam neſcio quomodo id euenit, vt cùm te velis eſſe omnium, omnes viciſſim eſſe tui glorientur. Cuius gloriæ partem non mediocrè familiari atque hęreditario iure mihi videor poſſe vindicare, cùm præſertim iis parentibus natus ſim, quibus tu parentis beneficentiſſimi loco eſſe voluiſti. Itaque, ſi hæc ſtudia mea, ſi ſpem laborum & fructum, ſi me denique totum tuis obſequiis conſecro mancipóque, exiſtimare debes nihil alienum tibi offerri, ſi patrocinium tuum flagito, nihil indecorum abs te peti. Hoc mihi debes eâdem lege, quâ tibi ego cætera omnia, vt in filio & parentis mei in te obſeruantia, & tuorum in nos beneficiorum memoria propagetur.

PVNCTVM XIX.

Artificium Orationis ad receptionem Principum, aut Magiſtratuum.

QVò nobilitate præſtantior eſt perſona quæ recipitur, eò ſplendidiorem vberioremque materiam huic Orationi ſuggerit. Videndum itaque quænam præcipuè dici poſſint in receptione Regis, aut viri alicuius eminentioris dignitatis.

Primum quænam cauſa aduentus, aut ingreſſus in vrbem; vel enim venit vt inuiſat, & luſtret ſuam vrbem, & ſic prouidentia Principis, & cura Regni conſeruandi, vrbiſque ſplendori dignitatique conſulendi naſcitur, quæ debet anxiè Oratorem occupare.

Secundum poſt relatam victoriam triumphãs in illam inuehitur, & tunc gratulationis ſpeciem habet Oratio. vel ex priuata quadam cauſa; putà ad peragendum diem aliquem ſolemnem, ad nuptias aliquas celebrandas, vt ſi Rex eſſet tranſiturus, aut quamuis aliam ciuitatem aditurus.

Tertium obſeruandum eſt huius generis Orationes fieri Principibus externis, qui Regis iuſſu regiè per vrbes excipiuntur; tuncque vt acceptio fiat regis nomine. Oratio ferè occupatur in concordia, & amicitia quæ inter illos intercedit, inque laudibus illius, gratulatione negotii, cuius gratiâ id ſuſcipit iter, ſiue precatione felicioris itineris, aut nauigationis.

De Exordio déque eius Orationis partibus.

Ducetur Exordium ab expectatione, & votis totius ciuitatis, & regni, vel à deſiderio communi videndi Principem. Ab exultatione, quam omnes præ ſe tulerunt, cùm primum acceperunt id nuntium; aut ab aliqua ſententiâ quæ ducatur à prouidentiâ Regis, cuius eſt conſulere, non tantum per Legatos, ſed per ſe omnium commodis, vt qui omnium Princeps, omnibus, etiam ſui conſpectum, vſumque communicet.

Confirmatio eandem prouidentiam Regiam exaggerabit laudibus, quam per varias imagines & ſymbola illuſtrabit; vt putà ſi Regem cum Deo componat. Vt enim Deus ſua prouidentia pertingit ad omnia; ſic etiam Rex quodammodo facit, dum Regnum ſuum luſtrat. Aliquid non omninò diſſimile videtur dixiſſe Mamertinus Orator, dum in Genethliaco Maxim. laudat illum à diligentiâ, quam in regno ſuo luſtrando adhibuit.

Aliàs cùm Sole, quod facit Diu. Chryſoſt. in Orat. 3. de regno Quæ admodum apta ſunt ad rem præſentem. Ita licet componere Solis annuam luſtrationem per duodecim ſigna diuiſim, cum Regis per prouincias, aut vrbes Regni præcipuas luſtratione: vel ſi regnum inuiſendo, vbique multa relinquat libertatis ſuæ veſtigia, deſcribetur inſtar alicuius Triptolemi, aut Cereris totum orbem decurrentis, atque vt illa ſegetes, ita munera ſua quaqua verſum ſpargentis.

Quod de Inuentione dictum eſt aliàs huc reuocandum, nimirum à Theſi ad Hypotheſim veniendum, ad ſingularem Regis curam, & ſolicitudinem, quam pro hac vrbe gerit, quaſi illam reliquis præferat; vbi poterit excurri liberius in antiqua Regis beneficia, quibus illam vrbem ſibi deuinxit, ea conferendo cum prædeceſſorum ipſius beneficiis in eandem collatis. Imò etiam multa de vrbis felicitate, meritis, gratitudine, & illa demum vni Regi accepta referenda.

Deſcen-

Digitized by Google

Deſcendere quis poſſet ad apparatum, in quo deſcriberet Regis ingreſſum magnificum, aut triumphantem, aut modeſtum, ne grauis eſſet ſuis ſubditis, illos deonerando, vel omnium ciuium concurſu, qui tam confertі prodeant obuiam, vt vix detur Regi via facilis ad Regiam. In hunc rem magnificè Theodoſio Imp. Pacatus ab enumeratione partium. *Iam quocumque tuliſſes gradum ſequi, circumcurſare, præcedere, vias denique quibus ferebaris, obſtruere, nullus cuiquam ſui, tuique reſpectus, blandam tibi faciebat iniuriam. Quid ego referam pro mœnibus ſuis feſtum liberæ nobilitatis occurſum? conſpicuos veſte niuea Senatores, reuerendos municipali purpurâ Flamines? inſignes apicibus Sacerdotes? Quid portas virentibus ſertis coronatas. Quid aulæa vndantes plateas, accenſiſque funalibus auctum diem? quid effuſam in publicum turbam domorum, gratulantes annis ſenes, pueros tibi longam ſeruitutem vouentes, matres lætas virgineſque ſecuras?* Par reditus à Cicerone deſcribitur in Piſonem n.82.

Commodus Imp. ab expeditione recedens & accedens ad vrbem, licet eo conſilio vt ſeſe deliciis vrbanis inquinaret, cum gaudio & eo lætitiæ ſenſu exceptus eſt à Senatu populoque, nihil non ex ea indole ſperantibus, vt moneta percuteretur; in qua ſpei typus appareret, cum Epigraphe. SPES PVBLICA S.C. Proinde non vulgares illi ſunt honores exhibiti: gratus quippe ait Herodianus lib. 1. omnibus atque optatus adueniebat; ſed vbi Romam appropinquauit. Senatus ſtatim vniuerſus populuſque Romanus magno pro ſe quiſque ante vertendi ſtudio effuſi, laureatique ac flores omnifariam, quos dabat anni tempus, conferentes, quàm quiſque longiſſimè ab vrbe poterat, occurrebant viſuri Principem ætate & nobilitate conſpicuum.

Sed continuo & alio commate ſignata eſt pecunia, in qua fortuna in cippo expreſſa apparet ita inſcripta. FORT. REDVX., nimirum ille ſibi pariter, ſibi populus inopinatum & inexpectatum reditum gratulabatur; de quibus idem Herod. Poſtea vero quam fama ac nunciis vulgatum eſt Principem in vrbem reuerti, incredibilis vniuerſam plebem lætitia inceſſit, ſpem ſibi vnoquoque optimam de Imperatoris præſentia proponente, & credentibus vniuerſis paternis veſtibiis perrecturum.

Quod: ſi quando iter aliquo cônuerterent, fortunæ reduci pro itu & reditu vota nuncupabant. Fortuna ſedens dextra temonem ſuſtinens, læua copiæ cornu cum hiſce literis FOAT. RED. deſcribitur. Alius item Nummus, ſed diuerſo commate & inſcriptione: ibi enim fortuna ſedens dextera equum fræno retinens, læuâ copiæ cornu cum lemmate FORTVNÆ MANENTI Cos. V. P. P.

Plauſus vrbis in excipiendo eo, quâ arcubus triumphalibus, quâ imaginibus & pompa rerum omnium explicanda, quanquam impar dignitate ſit, vermiculatis dein emblematis, inſcriptionibus, Theatris & id genus aliis pluribus.

Sic populi fauſtas acclamationes redeunte Cæſare deſcribit Martialis ad Cæſ. Domitianum lib. 8. ep. quas vel ipſis Sarmatis, vnde profectus erat auditas affirmat, indéque Cæſaris aduentum in vrbem à remotiſſimis gentibus cognitum, adeoque omnium oculos occupatos in Cæſare ſpectando fuiſſe, vt quid in Circo ageretur vix vllus animaduerteret.

Perueniſſe tuam iam te ſcit Rhenus in vrbem;
Nam populi voces audit, & ille tui.
Sarmaticas etiam gentes, Iſtrumque Getaſque
Lætitiæ clamor terruit ipſe nouæ.
Dum te longa ſacro veneratur gaudia Circo,
Nemo quater miſſos currere ſenſit equos,
Nullum Roma Ducem, nec te ſic Cæſar amauit,
Te quoque iam non plus, vt velit ipſa, poteſt.

Eodem libro Epigr. xxi. Tantum eſſe videndi Cæſaris deſiderium probat, vt ei nox longiſſima videatur, proinde noctem vt præcipitent aſtra precatur: tum acutè ſimul & venuſtè nihil opus fore die concludit, quippe Sol alter ingreditur Cæſar, qui mediam noctem in meridiem conuertat.

Phoſphore redde diem, quid gaudia noſtra moraris?
Cæſare venturo Phoſphore redde diem.
Roma rogat. Placidi nunquid te plauſtra Bootæ
Plauſtra vehunt, lento quid nimis igne venis
Ledæo poteras abducere Cyllaron aſtro,
Ipſe ſuo cedet nunc tibi Caſtor equo.
Quid cupidũ Titana tenes? iã Xãthus & Æthon
Fræna volunt, vigilat Memnonis alma parẽs.

Tarda tamen nitide non cedunt ſydera luci,
Et cupit Auſonium Luna videre Ducem.
Iam Cæſar vel nocte veni? ſint aſtra licebit!
Non deerit populo, te veniente, dies.

Poſt ingreſſum bearas domos, fortunata hoſpitia, quæ ingreſſu ſuo conſecrabit, viſuros nepotes, ac poſteros cum ambitione, quod tectum magnus hoſpes impleuerit, quòd forum imagine tua dedicarit, æternùm manſura veſtigia clementiæ, fortitudinis, liberalitatis, & aliarum virtutum reliquerit, &c.

Vrbs ipſius amori ac tutelæ commendanda, ipſe verò tutelaribus Diis atque præſidibus, vota etiam pro eiuſdem felicitate ſuſcipienda: vetus ac nobilis Poeta Calpurnius hoc præſtitit Egloga 4. de Cæſare.

Amyntas.

Dij precor hũc iuuenẽ quo vos, niſi fallor, ab ipſo
Æthere miſiſtis, poſt longa reducite vita
Tempora, vel potius mortale reſoluite penſum,
Et date perpetuo cœleſtia fila metallo.
Si Deus, & nolit penſare palatia cælo.

Corydon.

Tu quoque mutata ſeu Iuppiter ipſe figura
Cæſar ades, ſeu quà Superûm ſub imagine falſa
Mortaliq; lates; viuas atque hunc precor orbem,
Hos precor æternis populos rege ſis tibi cæli
Vilis amor, cœptamq; pater ne deſere terram.

Ad extremum gratum erit ſi voueat, dedicet animos, pectora, fortunas, opes, paucis & ſummo delecta, exquiſitiſque ſententiis totum perſtringat, omnium de aduentu lætitiam explicet, addat fauſtas precationes, & affectus populorum.

Quod ſi petendum fuerit aliquid, hoc fieri poterit obſecrando ſcilicet, vt pergat vrbem ſibi addictam amare, ſæpius inuiſere, & ſi fieri poſſet, illam ſic præſentiâ ſua cohoneſtare, vt nunquam illi ſe ſubducat.

Salutatio Regis Chriſtianiſſimi vrbem Ingredientis.

Quanta ſit Ciuium noſtrorum ex aduentu tuò lætitia (Imperator Auguſtiſſime) nè aperire poſſim, obſtat eadem ipſa, quæ illam peperit magnitudo meritorum tuorum, & noſtra ipſorum veneratio. Certè cum te Principe regi ſi orbis votum, tuo conſpectu frui omnium eſt felicitas Sed qui humanitate ſatis-facis difficillimis quibuſque plurimos tuæ præsẽtiæ deſiderio miſeros facis, quo nos beatiores cęteris qui te contemplemur, quem omnes Imperij partes cùm maxime præſentem velint habere, tamen omnes non poſſunt. Hactenus quidem Maieſtas imperatoria plus venerationis expreſſit quàm amoris, at effeciſti in ſumma poteſtate vt Imperatoris nomen non minus habemus, quàm vereremur. Quis enim eſt ſubditorum tuorum qui te non complectatur vt patrem, vt potentiſſimum Regem non ſuſpiciat, vt authorem ac Deum felicitatis ſuæ non adoret. Et verò duntaxat intelligitur te poſſe plurimum quod plulimis beneficia tribuas. Bellicoſiſſimis popu is imperas, ſed quis de bellica ipſorum virtute inaudiiſſet aliquid, niſi miſerorum ſalus fuiſſet defendenda contra vim atque impetum tyrannorum? Quare cùm ſuſcepta bella numeremus victoriis, cùm caſtra tua felicitas perpetua conſequatur, cùm hoſtium impetum fortitudine, fraudes prudentiâ compreſſeris, tuum rerum omnium modum eò demiramur magis, quòd hoſtem appellares neminem niſi cogeret calamitas ſociorum Hinc miſerorum perfugium, cupidorum terror, generis humani ornamentum, ſpes afflictarum rerum publicarum, arbiter Europæ, vitæ ſaluſque Imperij non in publico modò, ſed in penitiſſimis etiam cogitationum ſecretis prædicatur Ferdinandus. Cùm autem in publica orbis gratulatione admittas etiam noſtram, nec alienum à maieſtate tua ludices plebeios lætitiæ ſenſus audire; habemus Deo Immortali gratias qui tibi audienti, & qua es humanitate, probanti noſtræ tibi addictiſſimæ voluntatis obſequia, conſectare nos poſſimus. Enim vero patieris, vt dicam ingenuè quod res eſt, amore atque admiratione non poſſumus non eſſe tui, vt naſcendi conditione non eſſemus Sed ne tuis patientiſſimis auribus abutar diutjus. hæc ſumma eſt votorum noſtrorum, vt qui Deus noſtrum te Deum aſpectabilem eſſe voluit, Immortalitatem etiam tecum hic ſuam communicet, aut ſi id humana conditio non patitur, vt beneficij te nobis conceſſo tributi, longiſſimam vſuram largiatur.

Iam verò ſi nomine Imperatoris aut Regis excipiatur Legatus, aut magiſtratus, paulò aliter eſt

eſt inſtituenda Oratio;in Legato ſplendidior eſſe poteſt,quia Imperatoris aut Regis perſo. ā reddit;in aliis,eò illuſtrior, quò nobilior eſt perſona

In reliqua Oratione,pro cura inuiſendi regni, quæ ſuperius eſt in Principe laudata, ponemus. aut eiuſdem in optimo Legato deligendo prudētiam ſingularem ,aut Magiſtratu , quaſi nullum aptiorem poſſet ad id negotium eligere.Subdatur ipſius Legati commendatio.Demum ſi cauſa Legationis nota eſt,vt putà tantum honoris cauſa ad ſalutandum,vel gratulandum,vel alicuius negotij tractandi gratia,aut componendi fœderis,amicitiæ ſanciendæ,aut reuocandæ , ex eiuſmodi rebus deducemus,quæcumque facient,aut ad congratulationem,aut ad vota fauſtaſq;iprecationes , aut ad laudem illuſtris illius Legati, quod tam nobilis , cuius animo verſet rem tantam,quòd tanquam Mercurius alter magnorum ſit internuncius Deorum,& c.

Qui rem vberiorem volet , alias Legationes, comparationis ergo producet in medium , negotia cum negotiis Legatos cum Legatis,pompam cum pompa conferet , vt hanc reliquis illuſtriorem eſſe demoſtret. Perſcrutabitur vtriuſque regni animos,& affectus erga res tractandas vnde multa de ducet ab omniū exultatione , votis totius orbis,aliique eiuſmodi.Denique vrbis aut Principis ſui nomine illum accipiet,hortabitur ad ſuſceptæ Legationis munus perficiendum induſtriæ & operæ præmia gloriam æternam,amicitiam,vtriuſque Principis ,omnium animos, eo negotio promeritos.pollicebitur.

PVNCTVM II.

Ἀποπεμπτικὸν ſeu Artificium Orationis quā diſcedentes vel à nobis vel ex vrbe proſequimur.

IVcundum ac ſuaue genus Orationis propter varios animorum motus quibus diſtinguitur, pro exordio quidem teſtari debet Orator non leuem doloris ſignificationem ex illorum diſceſſu, quibus vtebatur familiariter,quòd ab illis diuellatur,& iucundo conſuetudinis illorum fructu carere debeat ; moderationem tamen adhibebit aliquam , ſi ſtudiorum vel honoris adipiſcendi cauſa diſcedamus aliquo , poſtea inſignes eruditione doctrinaque reuerſuri:vel ſi Legationem in terris lōgè diſſitis obeamus, patriæ cauſa,pro quâ mori glorioſum optimi quique putauerunt. Quod ſi extorres patriam vertere cogamur,miſericordiæ affectum ciebimus , totamque ciuitatem luctu,& comploratione complebimus.

In confirmatione profuerit multis commendare populi,apud quem diu commodeque viximus,fidem humanitatem,pietatem,& alia id genus virtutum opera,quibus conciliantur animi; Excurri poterit in vrbis commendationem , à quâ diſcedit; loci naturam,ſitum ſalubrem , & amœnum deſcribere pluribus iuuerit,quibus ad cumulum ſacra eius feſta , ſtataſque ceremonias addere licebit.Sic olim Menander Attica diſceſſurus. Quis Eleuſinia ſacra ſine lacrymis,& interno mœroris ſenſu relinquere poſſit ? quis ab Athenienſium arce pulcherrima diſcedere totus,& à virorum ſapientia virtuteque præcellentium complexu auelli ſine iv ſine dolore,queat?ad cuius imitationem facilè cōmendabis omnia,quæ in aliqua ciuitate poſſunt , & animos & oculos retinere.

In Epilogo beneficiorum quæ iſtic acceperis ſemper memorem te futurum polliceberis;quòd ſi vbi ſit vxor,liberi,affines , eos commendabis pluribus,benéque precaberis;in exemplum erit declamatio,quam habuiſſe dicitur ad Quirites Cicero, priuſquam iret in exilium.

Quòd ſi diſcedentes à nobis proſequamur, exordium petendum erit ex querimonia, vel indignatione grauiori in fortunam paulò duriorem , vt quæ nihil tale promeritos ab amicorum iucunda conſuetudine diuellat quod vel moleſtè ferunt animantes , & volucres non bono ſenſu præditæ.

In confirmatione quærendum num abire parantem retinere non poſſint,florens Academia, frequēs virorum illuſtrium concurſus,arcis opus inſigne , deambulationes ,& amœnitatis loca pleniſſima,ſitus vrbis,& quæ ciuitates commendare ſolent.

Digitized by Google

Reuocari debebunt promiſſa quòd alter, ab altero nunquam eſſet diceſſurus; conferenda prior felicitas cum præſenti miſeria; antea nos amico quaſi muro firmiſſimo fortique præſidio fuiſſe munitos: nunc illo ſpoliari, nec habere in cuius ſinum mœrorem animi deponamus, nihil ſupereſſe, niſi ſolitudinem, in qua noſtram orbitatem lugeamus. Modò conqueritur alius inuentam nauigationē, reuocat ſeculum aureum, quo quiſque in natali ſolo cōſeneſcebat, commemorat pericula, tempeſtates, naufragia, viæ longinquitatem; & illa vitæ fugientis incommoda. Modò ſe cōſolatur ſpe reuerſionis amici, quem opibus, incolumitate, victoriis triumphiſque nobilem intuebitur excipiet, amplexabitur.

Neque tamē ſemper illi querimoniæ grauiori locus eſt, ſemperque adhibenda grauior accuſatio; Nam ſi Legatus cum imperio, vel dux aliquis cū exercitu, atque imperio mittatur aliò, potius illi gratulandum: quin & laudandus erit a genere, virtutibus, fama nominis, ac rebus antea feliciter geſtis. Nec inutile fuerit Collegas, ſocios, & Comites dilaudare, vtpote quorum honos ac dignitas, nomen ac decus Legati, ſiue ducis non parum auget.

Orandus erit ad extremum, vt abſens noſtri memoriam non deponat, locorum amœnitate delinitus, ac ſociorum humanitate vrbiumque nobilitate, per quas iter habiturus eſt, quas celebrare paucis operæpretium erit.

In Epilogo conuertimur ad preces, optimaque diſcedenti omnia votis vltimis exoptamus. Sic vates ad Lyram Virgilium amicū ſuum proficiſcentem Athenas voto proſequitur. Primi Carm. Ode III,

Sic te Diua potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida ſidera,
Ventorumq; regat pater,
Obſtrictis aliis, præter Iapyga,
Nauis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis:
Reddas incolumem precor:
Et ſerues animæ dimidium meæ.

Pvnctvm XXI.

ἐπιβατήριος *ſeu Oratio pro Reditu*

HAberi ſolet amico vel principi redeunti. Primo quidem Superis grates agit quod voti reus incolumem ſibi, patriæ, parentibus amicis amicum redditum amicè complectatur: vel à deſiderio reditu incipit, quo tenebantur ciues vniuerſi, qui tanti, tàm excellētis viri diutius abſentiam ferre non poterant, cuius & reditum precibus & votis accelerabant.

Vel à circumſtantia quadam temporis: quòd præter ſolitum Sol diē ſerenior reducat, nempè & ille lucem ſuis cū Sole diſpenſat fortunatam & fauſtam, qui ſolito pulchrior cariorque redit, ita Claudianus in 4. Conſolatu Honorij.

Deſcribitur hominis indoles, ac virtutē commendatio quibus plurimorum beneuolentiam ſibi comparauit, cùm apud illos maneret, quas exteræ gentes magnopere ſuſpexerūt: ab enumeratione recenſebit aliquas: ſi loqueretur mellea facundiæ verba fundebat ad miraculum; ſi conſilium daret, plenum erat prudentiæ & fidelitatis, quod à pleriſque probaretur, vt oraculum; ſi quod egregium facinus aggrederetur, tanta cum laude perficiebat, vt omnes æmularentur, imitādo nullus aſſequererur; inſigni cultu corporis ornatus incedebat in aula Principum; omnium oculos in ſe defixos cū voluptate retinebat, &c.

Hùc faciunt comparationes conglobatæ, ſic Achilles in caſtris Achiuorum, ſic Caſtor Lacedæmone, ſic Alexander vbique terrarum, in quibus laudantur res ab illo præclarè geſtæ.

Ciuitati vel prouinciæ in qua diutius cōmoratus eſt, attribui perſona poteſt, partim inuidens patriæ illius, partim Ciues ſuos cōferens non ita præſtantes, partim mærens, quod hoſpitem non retinuerit abire cogitantem; adeò mirabitur virtutes eius, quas pluribus amplificabit.

Deinde reditum glorioſum amico læto vultu gratulabitur, gratiamq; referet quòd apud illum plus patriæ ſuorumq; charitas valuerit, quàm exterarum gentium grata licet amoris ac beneuo-

lentiæ.

lentiæ teſtificatio, cuius gratia ſprevit oblatos honores & loci ridentis delicias, quod niſi feciſſet ipſa patria, ciueſque iam ſoliciti, ciuem ſuum reuocaſſent.

Hic exponendum erit quid afferat commoditatis & priuatim & publicè tanti viri aduentus atque reuerſio, quem hortabitur vt diu cum ſuis lætetur, longumque maneat: Iterum redibit ad preces, orabitque cœlites, vt quemadmodum profectionem eius reditumque ſoſpitarunt, ſic moram ſoſpitent in patria, luctuſque ſeueros amoueant: Ideam dabit Cicero poſt reditum in Senatu.

PVNCTVM XXII.

Artificium Orationis ad Legationem obeundam.

Eam intellige quam Legatus habere debet ad obeundam Legationem: ad quod Legationis formam obſeruare decet. Aut enim eſt honoris ergo tantùm ad gratulationem, & amicitiæ officia, vel ad excipiendum aliquem alterius nomine, vel ad aliquid perēdum, pacem videlicet aut inducias, aut ad repetendum & expoſtulandum propter aliquam acceptam iniuriam, aut ad aliquid ſuadendum, & ita recurrendum ad Orationes ſingulares, cuilibet cauſæ conformes.

Vtramque perſonam, affinitatem, amicitiam, fœdus, & id genus alia exordium occupabit: ad reliquam Orationem multa pertinent, quæ ex antiquis & recentibus Legationem ritibus, ex iure gentium communi deſumenda, ex eorumdem inſignibus, negotiis ante tractatis, ex moribus, & conſuetudine Nationum, inter quas illa Legatio habita eſt, aliiſque eiuſmodi, quarum non ignarus eſſe debet Legatus.

Commodè poſſet templum aliquod memoriæ, ob inſigne quodam monumentum ipſi proponere atque perſonatum ſymbolis ornare, quas in eo celebrare vellet.

Nonnunquam fingere perſonas, aut prouinciarum, vrbium, aut virtutum, ſeu muſarum pro conditione perſonæ; quod deduci poteſt ex antiquorum fabula, quâ dicebant Nympham quotannis venire ſolitam ad ſepulchrum Achillis, vt illud floribus ornaret, quo loco poſſent, aut flores adhiberi in virtutum argumenta, vel Orationis loquentis de illius perſonæ virtutibus rebuſque geſtis.

Aliàs proponit Orator agnomina vel quædam honoris præmia quibus decoratus eſt, eamque laudem ad æternam memoriam, quam ex eorum comparatione deſumet, quibus id honoris collatum fuerit, aut ipſe noua quædam effinget, atque præcipua rerū benè geſtarum proferet. Ad illud agnomen, vt Mars belli? Popularis ad hoc pater populi; politici, ad hoc ſunt Srator, Rex, Sequeſter, aut mundi arbiter; aut certè vice agnominū ea ſumat, quæ magnum, & diuinum creduntur facere, vt illum omnia aſſequutum fuiſſe oſtendat: Ita Q. Metellus apud Plut. laudaturus ſuum parentem ad decem capita laudes eius reuocat.

PVNCTVM XXIII.

Artificium Orationis funebris.

NVlla communior & vſitata magis hac Oratione, quam Plut. in vita Publicolæ ſecundum antiquiorem opinionem à Salone, apud Græcos inſtitutam tradit: apud Romanos autem ab nominato Puplicola, qui Brutum Collegam ſuum in bello cōtra tres Curiatos interemptum hac Oratione celebrauit. Neque tamen ab eo tempore communis fuit omnibus; nam Athenis vt patet ex Platone, tantùm dicebatur ijs, qui pro patriæ defenſione fortiter occubuerant. Quare Plut. in Pericle ait deuictâ Samo regreſſum Athenas, habuiſſe de more funebrem Orationem in eorum laudem, qui in eo bello ceciderant eaque habitâ deſcendentem è ſuggeſtu, à fœminis, tanquam Athletam antiquorum coronis, & herbis coronatum fuiſſe.

Apud Romanos verò non ante delatus honos ille mulieribus eſt, quàm bello Gallico cōfecto, quod Camillus geſſit, ſuorum ornamentorum arculas, ad aram Apollinis afferrent, ex voto bello Vaientium facto Delphos mittendum ſimulacrum,

erum in cuius rei gratiam teſte Liuio Dec. 1.l.5. n.50. Matronis gratiæ actæ, honoſque additus: vt earum ſicut virorum poſt mortem, ſolemnis laudatio eſſet.

Quod ad viros attinet, à filiis plerumque parentes, & à parentibus filij laudabantur: Ita Fabius Max. laudauit filium, qui poſt Conſulatum obierat, & Metellus patrem ſuum, vt in eorum vitis refert Plut. Nonnũquam etiam publicè dicebantur aliquibus, Orationes funebres Tull. ſub finem Phil. 14. vbi pluribus dilaudat milites illos, qui bello contra Antonium ſuſcepto diem ſuum fortiter obierunt. *Atque vtinam talis hic adhiberi publicè poſſet Oratio, quâ deponerent mœrorem atq; luctum affines illorum, gauderentque potius, cùm multa & varia impenderent hominibus genera mortis, id genus quod eſt pulcherrimum ſuis obtigiſſe; eoſq; nec inhumatos eſſe, nec diſperſis buſtis humili ſepultura crematos, ſed conſectos publicis operibus, atq; muneribus, eaq; extructione, quæ ſit ad memoriam æternitatis ara virtutis.*

Videndum eſt deinceps quâ ratione hæc Oratio ſit inſtituenda, ſi prius tamen meminerit Orator duabus præcipuè partibus hoc genus Orationis conſtare, laude ſcilicet, atque lamentatione, vt doleamus mortem eius, vitam laudemus: quare loci frequentes à laudibus, & ad mœrorem ciendum motus maximè ſunt in hanc Orationem aduocandi.

Exordium.

Magnam doloris, & triſtitiæ ſignificationem præ ſe ferre debet; ita ut totum occupetur in deploratione, ac gemitibus, quod fit ordiendo vel ab indignatione proeo, cuius ſortem dolemus. Vtinam tanto viro nõ eſſem ſuperſtes. Vel. Quin inter viuos eſſe deſii priuſquam eriperet nobis Deus indulgentiſſimum patrem, honeſtatis imaginem, virtutum exemplar, templum ſanctitatis.

Vellem Deus Immortalis feciſſet vt N. veſtri Senatus lumen clariſſimum, præſentem potius in hoc templo cerneremus, quàm nobis ereptum hac funebri pompâ, & lugubri celebratione, laudaremus.

Aut ab aliqua exclamatione: Non ſat igitur fuit N. optimo priuari, niſi eodem propè tempore, alterum hoc lumen oculis noſtris ad ſolatium relictum extingueretur? Ergo non potuit primus illa tam grauis Chriſtianæ Reipub. caſus N. morte accidere, niſi tantas, ac tàm acerbas ſecum etiam traheret ruinas? O miſeram humanæ vitæ conditionem, ſi quæ interdum ſpes in malis & calamitatibus relinquitur, illam oportet nouis mœroribus, & lacrymis obrui.

Sic orditur per elegantem & breuem Orat. Cic. in Orat. Craſſi mortem, 3. de Orat. n.7. *O fallacem hominum ſpem, fragilemque fortunam, & inanes noſtras contentiones, quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipſo curſu obruuntur, quàm portum conſpicere potuerunt.*

Aut inuectiua in mortem, vel cauſam mortis, maximè ſi in ætatis flore adoleſcens obierit, qui magnam ſui ſpem excitarat, quâ nunc ſumus orbati.

Aut deploratione indignationi mixta, humanæ conditionis, quæ homines ex ipſis triumphis ad tantam miſeriam deiicit: vbi tractari poſſunt antiquorum ſapientum dicta, fumus & vapor ad modicum parens. Pulchrè Tertull. & verè, libro de Anima. *Vis eſt & illa nauigii, cùm longe à Caphareis ſaxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quaſſata Decumanis fluctibus, adulante flatu, labente curſu, lætante comitatu, inteſtino repente perculſu, cum tota ſecuritate deſidunt: Non ſecus ſunt naufragia vitæ, & tranquilla mortis euentus.*

Quid vita? flos eſt, fumus eſt, & vmbræ vmbra, bulla, puluis, ſpuma, ros, ſtilla, glacies eſt; Iridis arcus, deficiens cereus, ruinoſa domus, cinis doloſus, dies vernus, aranearum tela, vilis ſtipula ſolſtitialis herba, breuis fabula, triſtis nebula, rutilans ad Solem columbula, morbi pabulum, nauis quaſſa & ruinoſa, quæ ſola iactatione vehementi ſoluitur. Compendio totam hanc vitam, quæ citò effluat deſcribes, ſi dixeris.

Somnus bulla, vitrum, glacies, flos, fabula, fœnum
Vmbra, cinis, punctum, vox, ſonus, aura, nihil.

Quid vita miſera, cantus lugubris. *Vnuſquiſque noſtrum*, ait Cyprianus, *cùm naſcitur, & hoſpitio mundi huius excipitur, initium ſumit à lacrymis & cum illis extinguitur.* Quiuis de ſe rectè dixerit.

Vt lacrymis cœpi, lacrymis ita finio vitam;
Totum penè meam viuere, flere fuit.

Sic

Digitized by Google

Sic omnes vitam ordimur, ſic claudimus omnes.
Ad fletum flentes naſcimur, & morimur.
Naufr. ga nos iſtis tempeſtas mergit in vndas.
Quiſq..e ſuis merſus ſic ſepelitur aquis.
Ille vnus felix, qui fletum iam egerit omnem,
Ne lacrymas ſtillet poſt ſua fata nouas.

Eleganter & piè Nazian. tract. de vitæ itineribus Nullum inter homines bonum eſt, quod nõ habeat aliquid admixtum virij: opes, ſunt inſidię; paupertas, pedica eſt; dignitatum faſtus, mera ſunt inſomnia. Imperare periculoſum: alterius imperio ſubeſſe, moleſtum: iuuentus, eſt temporis feruor; canities, triſtis vitæ occaſus; gloria, eſt aër; nobilitas, vetus ſanguis matrimonium eſt vinculum; liberi, ſunt ſegetes curarum: ſatietas, petulantiam, egeſtas impatientiam ſuadet. Omnia denique mortalibus laborioſa ſunt; omnia humana merus metus, riſus fluctus, merus flatus, fumus, volatus: quidquid in orbe cernitur, orbis quidam eſt perpetua conuerſione ſimilia omnia voluens, qui modò videtur ſtabilis, modò dubius eſt, modò labilis, diebus, noctibus, laboribus, morbis, mœroribus, vo'uptatibus, calamitatibus, ſemper incertus, ac varius.

Huc adferri poſſunt grauia quædam apophtegmata, vel ſententiæ ſapientum præſertim ſi dolorē lenire potiùs, quàm exacerbare velimus. Nempe ſi quem mors in primo ſurgentis ætatis flore meſſuerit: dices, Glorioſiùs multo eſſe ſua virtute quàm temporis dono ſenuiſſe. Satis diu vixiſſe, qui benè vixit; ſatis illum diu pugnaſſe, qui vicit; optima vita non quæ longiſſima, ſed quæ honeſtiſſima.

Circumſtantiis quibuſdam vel oſtentis ac prodigiis Obitū Theodoſij ſenioris Auguſti ſic orditur D. Ambroſ. *Hoc nobis motus terrarum graues, hoc iuges pluuiæ minabantur, & vltra ſolitum caligo tenebroſior denuntiabat, quod clementiſſimus Imperator Theodoſius receſſurus eſſet è terris. Ipſa igitur receſſum eius elementa mœrebant. Cœlum tenebris obductum: aër perpeti horrens caligine: terra quatiebatur motibus, replebatur aquarum alluuionibus. Quidni mundus ipſe defleret eum Principem continuò eſſe rapiendum, per quem dura mundi iſtius temperari ſolerent, cum criminum pœnas indulgentiâ præueniret? & ille quidem abiit ſibi, regnumque non depoſuit, ſed mutauit.*

Sic orditur à tempore Nyſſenus in funere Pulcheriæ, quo legebatur in Eccleſiis terræ motus ille futuruſque olim elementorum tumultus; nunc ait terræ motu concuſſum eſt imperium, nunc magnum decus concidit: de vtro dicat dubius aliquandiu, tandem de puella ſe dicturum ait, vt hoc tonitru columba è nido volauerit, illa gemmula è conchyli excluſa ſit & rapta, immaturè floſculus decerptus in exortu; tum funebre ſpectacu'um deſcribit luctumque populi.

Nonnunquam in mortis duritiem agit Orator, quæ flecti ſe non patiatur, nempe caret auribus, ne precantes obaudiat; oculis, ne lugentium miſeratione moueatur; fronte, ne ſæuitiem ipſa ſuam erubeſcas: lingua, ne ſolatium ab illa tibi promittas; carne; vt humanitatis ſenſu careat: ſoli nerui. & artus, & muſculi, ſola oſſa ſuperſunt, reus videlicet, ſagittæ, ſpicula, amenta, ad mortales miſeros ex diſtinato feriendos Quando dura niſi quando Chriſtum vitæ omnis authorem: fruſtra gementibus ſaxis, trepidante terrâ, lugentibus ſtellis, expaleſcente Sole, mœrentibus Angelis, infando auſu ſuſtulit?

Poſſunt & aliquæ figuræ adhiberi, vtputà dubitatio, cùm Orator ait ſe ambigere, loquine, an ſilere, flere vel lætari, ciere lacrymas, an conſolari debeat; aut excuſatio quædam quaſi non audeat vulneris memoriam refricare, & afflictæ domus ſpeciem, ſqualoremque familiæ deſcribere. Dicendum tamen eſt, vtcumque dici poteſt, ne ſi plus iuſto dolori tribuamus, quam ſingularis eius animi magnitudo poſtulat, iniuriam mortuo, cui honorem viuo fecimus, faciamus. Vera enim tectè factorum merces, ac præmium, cogniti viri laudatio eſt potius, quàm dolor adempti; quamuis ſublata ex oculis virtus, tantum ſui deſiderium relinquat, vt laudari omninò ſine aliquo dolore non poſſit.

Quocumque mentis & oculorum aciem intẽdo, tam triſtis vbique ſqualor, ac funeſtę mortis ſpecies ſeſe dicere volenti obiicit, vt quid cõſilij capiam, in tanto dolore, vix occurrat. Nam etſi mœſtum illud ſilentium, & qui me ex omni parte circũſtat conceſſus inuitet ad loquendum, vocem tamen gemitus frequentes, quibus augu-

ſtum hoc templum circumſonat, intercludunt: aliàs quidē mihi frequens veſter conſpectus iucundiſſimus fuit, dicereque parentē apud vos de rebus diuinis recreauit; at vrbis veſtræ mœror, & ereptū ſibi parentem lugentis populi vox acerba cōploratioque perturbat. Tot morientia lumina, totque funereæ faces in honorem defuncti. N. accenſæ, lumen quidem oculis addunt, vt funus publicum clariùs viurpent, ſed tenebras menti, ne tanti viri iacturam contempletur, effundunt.

Quid igitur primum aggrediar? in tam graui vulnere accepto, immanis quædam duritia eſſet, non flere, non ingemiſcere, non commoueri: qualem enim & quantum virum amiſimus? cuius fructuoſæ vitæ memoriam ſi vobis ob oculos ponere inſtituam, video ſatis, quàm ſeſe mihi latus dicendi campus aperiat. in quo virtutum flores fructuſque non deſint, quibus demortui tumulus exornetur, ſed quos decerpere non poſſim niſi ſimul doloris aculeos mortiſque ſentes, ac ſpinas cordibus veſtris infigam, altius; quippe; quò clarius perfectam illius ſanctitatis effigiem ſubiiciam, eò grauiùs iam ſatis exulceratis animis veſtris vulnus infligam, nec tàm vos Oratione meâ conſolabor, quam dolorem veſtrum renouabo: Dicendum tamen eſt ne officio defuiſſe videamur ingrati; & quoniam ſe lacrymis, ac publico luctu honorari vetatis, cuius virtutis magnitudo, vitæque ſanctitas, ſolidas ſibi laudes veramque gloriam poſtulat, efficiam vt ſiquam Oratio mea doloris, ac triſtitiæ ſignificationem dederit, hanc vnam, quòd ille laudari pro dignitate non potuerit, dediſſe videatur.

Graue quoddam dictum dabit Orationi Principium, Non finis, aut moriturus Thebanus, vitæ meæ, ſed auctius initium, & melius aduenit. Nunc enim commilitones, veſter Epaminondas naſcitur, quia ſic moritur. Etenim quid attinet, aut humano dolori indulgeri, aut diuino numini inuidiam fieri, quod immortalitatem ſuam nobiſcum partiri voluerit?

In exordium etiam aſſumi poſſunt, lugubris apparatus exequiarum, prodigia quædam mortis illius prænuntia. Plur. Thebis Solem defeciſſe memorat Pelopidā cōtra Alexandrum Phæreum ad bella proficiſcentę; Et Marcello in Annibalem omnia infauſta cecidiſſe, loquutum infantem Elephantino capite natum, Statuam Antonij in Auguſtum inſurgentis ſudaſſe ſanguinem, & alia paſſim ex Liuio.

Necnon & ſomnia faciunt aditum ad Orationem. Quidam vt memorant, ſomniauit leoninis faucibus ſe necatum. Surgit ſomni negligens; ædem ſacram cum ſociis adit, & in veſtibulo Leonem videt ſaxeum hiante rictu, qui columnam fulſerat; hic ille ſomnium inter comites non ſine riſu narrans; & en, inquit, hic ille Leo eſt, qui me hac nocte lacerauit. Cum dicto manum in ſaxeas fauces immittit. Et hic habes, ait, tuum hoſtem, ſtringe dentes, ſi potes, mi Leo, ac manū hanc præmorde. Vix iſta dixerat, & lethale vulnus accepit, in hoc innoxio, vt putabat, hiatu, ſiquidem letabat ima fauce abſtruſus ſcorpio, qui vbi manum ſenſit, aculeum exeruit, tetigit, extinxit. Itane lapidi etiam ſua bilis eſt? aut vbi mors non eſt, ſi vel ſaxei Leones perimunt? ſic mors infinitos habet aditus, tunc ſæpè vicina, cùm minimè putatur.

Symbolum aliquod & inſigne funus aperit. Quis non laudet Chriſtianorū Imp. ſapiens conſilium, qui Orientis imperij clauum & habenas tenuerūt? præcipuum illis ac ſummè regium erat in manu ſiniſtra textile aureum, nō diſſimile codici quod ἀκακίαν vocitabant Innocentiam, criminum vacuitatem, quod incluſum aggeſtumq; puluerem, ſymbolum funeris haberet: in quo diſceret Imperator ταπεινὸν εἶναι ὡς θνητὸν humilem eſſe, vt mortalem, ac non efferri propter excellentiſſimæ dignitatis magnitudinem. Ingenioſum non minus, quam ſalutare commentum. In illo ſiquidem aureo codice legebant orbis Domini magnam quandam & præſtabilem ſapientiam, atque ex eo puluere miſeræ vitæ finem, ac melioris ingreſſum colligebant, ſi modo primam ἀκακίαν nullo ſcelere neque labe contaminaſſent.

Commodè ſumi poteſt exordium à diuerſis gentium ritibus: ab illo Scytharum, qui corpus regium plauſtro vectum, per omnes vrbes, circumferebant, cuius particulam ſibi quiſque decerpebat; velle ſe dicet Orator regem in eloquentiæ quadriga vectum traducere, non vt dilanietur à ſuis, quod eſſet impium, ſed vt ſibi quiſque virtutis

Digitized by Google

virtutis eius monumentum capiat: quam in rem vſui eſſe poterit Epicedium ſanè ingenioſum Poëtæ Mantuani, fortiſſimi quondam Equitis Brancardi cor omnibus regibus ſigillatim epulandum præbentis, vt medicamentum ſuis vitiis, ac fortitudinis veræque virtutis incitamentum caperent.

Vel à luctus ingentis deſcriptione, præſertim ſi luctuoſo caſu concidat: ſic extincto Rege Perſarum, vbique ignes extingui ſolitos dicet; moriente Chriſto pullam induiſſe ſydera, pereunte Principe lætitiam emortuam, & omnem ornatum, vrbis proceres atratos, ſuam quoque Orationem impexam & ſqualidam.

Si clarus virtutibus fuerit, exordium ſumet à ritu Æthiopum, ſuorum cadauera in vitreis columnis includentium, vt ſimulacra virtutum poſteris eſſent ad imitandum propoſita: vel à Romanorum more ſuorũ imagines in celebri pompa præferentium, vt ciuium animos, non tam ad luctũ, quam ad maiorum egregia facinora contemplanda excitarent; ita ſe vita functi virtutes ob oculos ſuorum ponere velle concludet.

Ritus funebris apud Tebirenſes hic fuit, vt pro funebri amictu veſtimenta dumtaxat verterent, exteriorem partem occultando, educendo, occultam, quæ mortis euerſio in melius eſt, cùm reparatio ſit vitę melioris. Sapientis pronunciatum eſt hoc ἀγαθὸν ὄνομα ὑπὲρ ἔλαιον ἀγαθόν. καὶ ἡμέρα τοῦ θανάτου ὑπὲρ ἡμέραν γενέσεως, bonum nomen ſuper oleum bonum, & dies mortis melior die natiuitatis; cuius felicitatis imaginem deſcribet.

Ideam veteris Epitaphij ſubiſcit Demoſthenes Oratione quam habuit in eorum obitu, qui contra Philippum pro patria fortiter occubuerunt. Illam orditur à difficultate rei, nec enim ſatis dignè laudari poſsũt, qui pro ſalute patriæ vitæ ſuæ contemptores fuerunt: quia tamen hæc illi prouincia palam à Senatu demandata eſt, & laus virtutis eſt merces vnica, potius eloquentiæ periculum, quam officij ſubire non recuſat: quia verò non tantum morte laudabiles fuerunt, ſed tota vita, ideo laudationem aggreditur, concluditque, per exhortationem ad vitam pro patria fundendam, ſpe gloriæ & immortalitatis.

Nazianzenus D. Baſilij monodiam incipit ab excuſatione, quòd diſtulerit Orationem ſuam, multis de cauſis, præcipuè quòd ad rem ſacram oportuerit purgari & animam, & linguam; deinde quòd recens ac luctuoſus mœror liberum impeditæ voci exitum negaret, tum ab ipſius Baſilij anima ſancta veniam poſtulat, Panegyrimque inſtituit.

Myſſenus in Epicedio Pulcheriæ rationes affert doloris leniendi, ſoluitq; eos, quibus fauori poſſet animo conceptus mœror & triſtitia, idque per ſubiectionem; Immatura puella rapta eſt in ipſo vitæ limine? at cœlo matura: *ſinite paruulos venire ad me*: Ad ſpes nuptiarum exciſa; ſed Chriſto nubit in cœlo. Tum exemplo ſanctorum docet, quo animo parentes liberos ſuos, vt flores repoſcenti Deo, læti reddere debeant, certi gloriæ, ac æternæ felicitatis illos eſſe compotes.

Nazianzenus in Athanaſio orditur ab ipſa magni Præſulis laude: Athanaſium virtutis ſimulacrum laudamus; nec ferè quidquam habet de funere præ gloria, cuius ſplendor omnem fumum lugubrem abſorbet: tamen de iactura quam facit Eccleſia, querelam habet aliquam, in Cæſarij fratris & patris funere, nonnihilque dolori pio indulget, in hoc ſenectutis laudem, in illo viri, inter improbos aulæ tumultus conſtantis imaginem, commendat, vbi & eius Apotheoſim aggreditur.

Diu. Hieronymus in Epitaphio Paulæ genus Græcorum deſcribit, Paulamque laudat, quòd illud pro Chriſto ſpreuerit, tum vitam eius & geſta commemorat, ſcripturæ dictis, vt gemmis totidem illuminata: ſed ad mortem vbi ventum eſt ſe memoriam eius horrere fatetur, & à circumſtantiis illam ſubiicit oculis, poſtremò inſcriptionem ſepulchro, verſus aliquos, apponit.

Pro Nepotiano adoleſcente mœroris ſui cauſam explicat, quòd ſe Patriciumque ſenes Iuuenis reliquerit, quodque contra Romanum morem: quo liberi parentes laudabant, ipſi filiis funebrem Orationem habere cogantur. Tum Patriciorum nepotis laudem inſtituit, cuius ætatis primæ facta per reticentiam auget; quòd in Palatij militia ſub chlamyde candenti lino corpus eius cilicio tritum ſit, quod ſtans ante ſęculi poteſtatem lorida ieiuniis ora portauerit: reliquos vitæ actus percurrit, ſed eius ſuprema verba in ſui

Digitized by Google

amorem guſtat, & felicitatem amat, qui à tot malis ereptus ſit, vti digreſſione poëta & vtili Reges ac Proceres, qui lõgè infeliciori exitu obierant, enumerat.

In Fabiolæ Epitaphio dubitat à qua primum virtute incipiat, cùm alia ſemper ab alia ſuperetur præſtantia, ſed potiſſimam celebrat publicam eius, poſt lapſum, pœnitentiam

Denique magnam exordiorum copiam dabunt; affinitas, dignitas, Magiſtratus, Imperium, ſeu publicum, ſeu priuatum, cui impoſitum eſt id oneris. Si velit cauſam reddere, cur ipſe partes dicendi ſuſcipiat. Sic Ariſtides in Alexandrum ab officio grati diſcipuli in præceptorem amantiſſimum ſumit exordium, tùm enumerat multa, quæ in eius obitu lacrymis digna ſunt.

Porrò triplicẽ in finem inſtitutum eſt laudandi genus, primum in virtutis vitâ functi præmium II. in viuorum parentumque ſolarium, III. ad documentum ſuperſtitum, ideò triplici parte conſtare debet, laude, Paræneſi, gnome. Poſtremo dicendum Epitaphium (elogium nominatur & inſcriptio quæ tumulis ſuperponitur) quod conciſum eſſe conuenit, & paucis verſibus comprehenſum: genus, vitæ ſeriem, geſtos honores, liberos, facta præcipua, mortis genus, & viatori monitum aliquod continebit, legitimum eſt illud D. Hieronymi de Paula vidua.

Confirmatio.

Illius vna tantùm pars aliquandò ponitur, occupaturque in laudatione ita constructa, vt referatur ad excitandum dolorem: quò enim maioribus ille virtutibus præditus fuit, eò eſt eius acerbior iactura: Adhibetur ſecunda pars nonnunquam, quæ, aut dolorem monet, aut, ſiquando onus eſt, conſolatur, aut etiam adhortationem aliquam adhibet ad morum, & ſanctitatis imitationem eius, quem in pompa funebri, celebrat: ſed longè melius iſta per totam Orationem diffundi poſſunt, ita tamen, vt vehementius in epilogo perficiantur, quæ in Oratione demonſtrata fuerint.

Eligere debebit igitur ex traditis laudandi formulis aliqua, vel certè materiam adinuenier, quantum fieri poterit, ab ipſo funere deſumptam. Nempe ſi dicat ſe velle Mauſoleum excitare defuncto, idque Emblematicum, ſcilicet Statuis Hieroglyphicis, quibus imago defuncti melius adornetur.

Templum extruere licebit in eius honorem cuius materies ſint demortui virtutes, aut illa aſſumere, quę magnum ac diuinum facere creduntur, vt illum omnia aſſequutum fuiſſe probet.

Paucis multa complectetur ſi dicat, nihil eſſe quod tantum virum in vita diutius retinere poſſet, tuncque temporis mortuum, cùm in vita nihil amplius, ac illuſtrius aſſequi liceret, & ſic per eius honores, quaſi per gradus procedat. In hunc modum Plin. laudat electionem à Nerua de Traiano factum. *Audita ſunt vota tua, ſed in quantum optimo illi, & ſanctiſſimo Seni vtile fuit: quem Dij cœlo vendicarent, ne quid poſt illud diuinum, & immortale factum, mortale faceret. Deberi quippe maximo operi hanc venerationem, vt nouiſſimum eſſet, tutoremque eius ſtatim conſecrandum, vt quandoque inter poſteros quæreretur, an illud iam Deus feciſſet. Ita ille nullo magis nomine publicus parens, quàm quia tuus, ingens gloria, ingensquè fama, cùm abundè expertus eſſet, quàm benè humeris tuis ſederet imperium tibi terras, te terris reliquit, eo ipſo charus omnibus ac deſiderandus quòd proſpexerat, ne deſideraretur:*

Vel ex antiquorum opinione qui vitam humanam actioni ſcenicæ compararunt, in qua quilibet mortalium, perſonam ſuam ageret, tanquam hiſtrio; *Quomodo fabula ſic vita, non quàm diu, ſed quàm benè acta ſit refert*, ait Senec. ep. 77. Vbi poſſet Orator docere quas perſonas quàm ſapienter, & egregiè ſuſtinuerit in hac vitę fugiẽtis comœdia: modò illum producens vt militem virtute bellicâ, rebuſque propatria, ac religione ac fortiterque geſtis, inſignem, ac præmiis decoratum. Aliàs politicum magiſtrum omni morali prudentia, conſilioque pollentem: modò velut Principem, ac Regem ſapientiſſimè ſibi ſubditos gubernantem, &c.

Si vellet illum poſteris ad imitandũ proponere, poſſet eum comparare ſtatuæ Polycleti, quam artifices reliqui regulã vocitabant, quòd ad eius exemplar cuiuſlibet generis ſtatuæ fingi poſſint,

ac efformari. Iſtum in rebus geſtis cõtinere præcepta, perfectamque idem ad quamlibet vitæ ſortem,& conditionem rectè inſtituendam.

In hoc etiam poſſent comparari reliquæ ſtatuæ, quas Amphion ſtruxiſſe dicitur, potiſſimum Alexandri, artificio tali elaboratas, vt paſtorem & Iudicem, & Deum & Achillis interfectorem referrent: ſi huius mores, & Ducem, & Præſidem, & Regem, & parentem referret.

Denique quia res eſt infinita, poſſet Orator ad diuerſos veterum ritus recurrere, vt ſi artificioſum funus aliquod Emblematicum ad eorum imitationem inſtitueret. Meo iudicio nihil melius, quàm ſi per ordinem præclara defuncti facinora commemoret, quibus audientes incitet ad illius virtutum admirationem ſimul ac imitationem.

Epilogus.

Complectitur aut vota in demortuum, quibus æternam illi felicitatem, & memoriam precemur ſempiternam: vel certè poterit auditoribus mouere lacrymas amiſſo tàm pro parente, vel ad debitos honores deferendos hortari, aut beneficiorum ab illo acceptorum obſeruandam peritiam.

Ad virtutum eius imitationem cohortari ſuperſtites profuerit: vel ad impendentis & omnibus certæ mortis memoriam. Eſt genus quoddam ſapientiæ certè clariſſimum, arſque vna omnium præſtantiſſima, bene-mori, quæ non vno die diſcitur, De quâ verè dici poteſt, quod de bellica ſcientia pronunciauit Caſſiodorus, *Ars bellandi, ſi non præluditur, cùm neceſſaria fuerit, non habetur*. Sepè moriendũm, vt ſemel bene.

Quòd ſi ſuperſit illi filius hæres virtutum, & honorum ſuorum conſolabitur Audites, dùm proponet Solem Orientem, qui vices Occidentis obire velit, neque illum mori patiatur, quamdiu virtutum illius imaginem conſeruabit. Interire id non poteſt ſolũ, quod à virtute oritur, nec extingui morte, quod vitam parit, nec memoriâ labi, quod mutabilitatis expers eſt. Hic ſolus ſplẽdor, hoc verum decus, hæc ſtabilis gloria, ita viuere, vt mori non poſſis, ita mori, vt vitam tibi mors pariat, priore vitâ beatiorem.

Vt tibi mors felix contingat, viuere diſce:
Vt felix poſſis viuere, diſce mori.
Chriſte mori nolo ſed viuere. Viuere quærit
Chriſte tuo quiſquis quærit amore mori.

Pvnctvm XXII.

Ἀποθέωσις *ſiue Conſecratio.*

VEteres ſolemnem cœleſtium hominum cõſecrationem vocauerunt: quâpropter res benè geſtas referebantur in album Deorũ, quod ſi initus fieret, habebatur Oratio Panegyrica, quâ digni Diuorum cultu, numeróque probarentur; At enim cui tandem bono, cuiue vſui dicetur, quandoquidem exoleuit ex Idololatria ſacrilegus ille cultus: exoleuit quidem, ſed illi ſucceſſit longè ſanctior conſuetudo piorum hominum in numerum albumque ſanctorum referendorum, quam vulgò canonizationem vocamus, cui per quàm commodè hoc genus Orationis accommodatur. Adde quod benè meriti de ſuis ſubditis Reges ac Principes poſſunt aliquando perfectam Apotheoſim, funebrem pompam aut etiam poſt illam æternæ quaſi memoriæ commendari, vt deinceps in poſterorum animîs religioſa ſit illorum memoria, vel etiam illius profani moris vſurpari poteſt commendatio. Quid enim Hercules, Æſculapios, Triptolemos, Cereres, Bacchos veterum ſuperſtitio beneficiorum memor conſecrauit, noſtros Heroas orbi ſalutaris & fructuoſos quaſi adſcriptitios ciues in cœlum receptos negabimus; Deos Ægyptii ſuos in hortis ſeminarunt, nos in cœlum inſitos homines non venerabimur, in humanis corporibus vitam cœleſtium imitatos? ſacrilegá veterum ſuperſtitio haras & lupanaria tranſtulit in cœlum, & quod perditiſſimo cuique placebat diuinitatem accepit de flagitio vt daret, è cultu licentiam, laudem è conſuetudine: Chriſtiana pietas non habebit virtutis, atque honeſtatis incitamentum in cœlo, quodque vitâ, & actionibus quotidianis exprimit, id in optima vniuerſi parte non collocabit?

Quia verò ad vtrumque huius Orationis vſum magnam rerum & artificii copiam ritus aperiunt,

periunt, paucis perſtringendi: videndum ergo quid ſit conſecratio, quæ perſonæ conſecrentur, quis ſit & qualis ille ritus, & vnde manarit, quàm varia fuerint in numinis Apotheoſeos ſymbola.

Apotheoſeos definitio.

Licet omnia quæ Deo deſtinata ſunt conſecrata dicuntur, quia vt ait ex veteribus aliquis, quidquid Dei ergo eſt, conſecratum eſt; tamen & res & perſonas & templa ſacrabant, dicabant inaugurabant veteres, eáque ſe tunc ex profano vſu & humano iure eximere profitebantur. Hæc verò actio Conſecratio dicebatur, quæ plerumque fiebat à Pontificibus; nonnunquam ab aliis nimirum libertati Ciceronis domus à Clodio conſecrata, pro qua recipienda benè longam Orationem ad Pontifices habuit. Verùm quia de illa iam nõ agimus, nomen nobis aliud vſurpandum, & à Græcis mutuandum, quod de perſonis dumtaxat accipiatur.

Eſt autem ἀποθέωσις, quæ ritum connotat, quo transfertur aliquis in album Deorum, quia tamen pari vocabulo Romani carebant, interdum illo vtebantur, quod aliquando facit Tullius, aliàs hoc contenti perſonarum, rerum, locorum, inaugurationem ſignificabant, indè tam frequens in Numiſmatis Epigraphe CONSECRATIO cũ Buſto vel Ara, dicitur Latinè pariter conſecrare, Græce ἀποθεοῦσθαι, ἁγιστεύειν, ἀνιεροῦν, ἀναγίζειν θεοποιεῖν. Hic igitur ille mos tùm à barbaris nationibus, tùm à Græcis originem habuit: Nam in eo tota Idololatriæ ratio fundata eſt; ſiue quod vulgus multis virtutibus claros Heroas ad diuinitatis faſtigium bene-merentibus par rependere cùm non poſſet euchere conaretur: ſiue quod defunctorum ſignis & imaginibus à Regibus diuinos honores exhiberent: Docent, quidem id ſacræ paginæ, ſed Græci Herculem ſuum in Deorum numerum retulerunt; Lampſaceni ſuam Helenam, Caſſandram, Parthenopem: Romani ſuos ferè Imperatores, Tzetzes Iſacius ad Lycophronem Κασσάνδρας ἱερόν ἐστιν ἐν Ἰταλίᾳ ὅπερ ἱδρύσαντο οἱ προέχοντες τῶν Δαυνίων, εἰς τιμὴν αὐτῆς. Templum eſt Caſſandræ in Italia quod & poſuerunt Principes Daunii.

Mutatio Nominis.

Iis porrò qui referebantur in Deorum numerum ante tempus Imperatorum, immutari nomina mos erat. Lactantius 1. de falſa relig. c. 21 apud quem Pompeius adoleſcens morte patris auditâ hæc loquitur.

Euoluam buſto iam Numen gentibus Iſim,
Et tectum ligno ſpargam per vulgus Oſirim,

Hic eſt Oſiris quem Serapim vulgus appellat; ſolent enim mortuis conſecratis nomina immutari, credo ne quis putet homines eos fuiſſe: nam P. Romulus poſt mortem Quirinus dictus eſt, & Leda Nemeſis, & Ino poſtquàm ſe præcipitem egit in mare, Leucothea materque Matuta, & Melicertus, filius eius Palæmon, atque Portumnus, quæ firmari poſſunt omnia Poëtarum verbis. De Leucothea quidem Ouidius 6. Faſtorum.

Leucothea Graiis, Matuta vocabere noſtris.

4. Metam.

——— Abſtulit illis
Quod mortale fuit, maieſtatemq; verendam
Impoſuit, nomenq; ſimul faciemq; nouauit,
Leucotheaque Deum cum matre Palæmona dixit.

2. Faſtorum de Romulo.

Proxima lux vacua eſt, & tertia dicta Quirino.
Qui tenet hoc nomen Romulus ante fuit,

Iterum 14. Metam. Ouidius de Herſilla in Oram Deam immutata Fab. 20.

Herſilla crinis cum ſydere ceſſit in auras;
Hanc manibus notis Romanæ conditor vrbis
Excipit, & priſcum pariter cum corpore nomen
Mutat Oramque vocat, quæ nunc Dea iuncta
Quirino eſt.

Rectius dicetur quaſi prænomen aliquod appoſitum, ſcilicet DIVVS: vndè ſcriptores hiſtoriæ paſſim denominationem hanc in iis, quibus id decretum erat honoris, vſurpant: Suetonius imprimis cuius liber V. inſcribitur Diuus Claudius Cæſar X: D. Veſpaſianus XI. Diuus Titus, quòd in Deorum ordinem admiſſi crederentur. De Claudio quidem Tranquillus funeratus eſt celebri pompa, & in Deorum numerum relatus. Poſt obitum igitur prænomen illud decernebatur, quam

Digitized by Google

quam ob cauſam Baſſianus loquens de fratre Geta, ſit Diuus modò non viuus; quod fratris mortem in votis haberet? Et de ſe, Veſpaſianus, vt video Diuus fio, quod mortem imminere ſentiret.

Quæ perſonæ conſecrentur.

Iam verò conſecrabantur tùm apud Græcos, tùm apud alias gentes, qui orbem monſtris expurgaſſent, qui ab imminenti grauique periculo populum liberaſſent, qui vtiliſſimam artem, aut propè neceſſarium, ſerendi vel metendi rationem homines docuiſſent; qui ſingulari & eximia quadam virtute reliquis præſtitiſſent; Tales Semidei, vel Heroës, aut etiam Dii vocabantur.

In virtutis cõmendationem diſputat Macrobius lib. 2. in Somnium Scip. *Eius*, inquit, *anima in Deos relata, quòd nunquam deſeruit virtutes, & ſemper exercuit*: quæ reputans Alexander petiit à Græcis inquit Ælianus Var. Hiſt. lib. 2. c. 19. vt ſe Deum faceret, ἐπέστειλε τοῖς Ἕλλησι θεὸν αὐτὸν ψηφίσασθαι. Hæc ſanè te fuerint apud Græcos, exteraſque nationes, ſed Romæ res ita non habuit, nã viuum alterum obſeruabatur, an ille, cui diuini honores erant decernẽdi, Imperii Romani fines amplificaſſet, an hæredem reliquiſſet, tùm demum niſi ſcelera, vel inſignis aliqua crudelitas obſtaret, illius honoris faſtigium aſſequebatur.

Nonnunquam etiam propter magnum fauorem id, & adulationem fiebat non ritè. Nam crudelis ille Domitianus viuus & videns Deus vocabatur & Tonans, hoc quidem apud Martialem lib. 9. epigr. 49.

Prima Palatino lux eſt hæc orta Tonanti.

Idem lib. 5. ep. 3.

Sors mea quã fratris melior, cui tàm prope fas eſt
Cernere, tàm longè quem colit ille, Deum.

Sed hæc fruſtrà, ſiquidem nonniſi decreto Senatus quiſquam Diuus vocari, aut inter Deos cenſeri poterat. Acerbè ſatis, ſed verè Tertullianus in Apolog. cap. 5. Vetus erat decretum ne quis ab Imperatore conſecraretur, niſi in Sènatu probaretur, quibus ait ideò noluiſſe Tiberium inter Deos referre, quò inconſulto Senatu id præſtare voluiſſet. Etenim cum vt hoc obſequium Hadriano redderetur plurimum laboraret Antoninus Pius, nonniſi profuſis lacrymis, plèriſque ob eius ſeuitiam repugnantibus, obtinuit.

Quod & apud Græcos religiosè ſatis obſeruatum eſt; Nam Alexander ipſe à Græcis illam Apotheoſim impetrauit: nimirum Lacedæmonii auſterâ dictione quidem, ſed quæ aſſenſum præbere videtur, illi fecerunt ſatis ἐπειδὴ ὁ Ἀλέξανδρος βούλεται θεὸς εἶναι, ἔστω θεός. Quoniam Alexander vult eſſe Deus, eſto Deus. Athenienſes verò mitius egerunt: ἐκκλησίας οὔσης Ἀθήνῃσι παρελθὼν ὁ Δημάδης ἐψηφίσατο θεὸν τὸν Ἀλέξανδρον τρισκαιδέκατον conuocatâ Athenienſium concione Demades ſurgens decreto iuſſit, vt Alexander ſcriberetur Deus decimus tertius. Hoc quidem in more poſitum apud eos fuit, vt vel ſeniorum & Optimatum, vel certâ populi conſenſu, aut rogatu id fieret. Vndè præclarum illud Ageſilai reſponſum apud Alexandrum Genialium Dierum lib. 6. c. 4. ferunt magnum illum Ageſilaum cum à Thaſiis Apotheoſi honoratus, & inter Diuos relatus fuiſſet viuens, illos interrogaſſe, vt ſi Deos faciendi poteſtatem haberent, prius ſeipſos conſecrarent.

Pompa funebris.

Quod ad pompam attinet, hæc habet Dio l. 56. de funere Auguſti, ſecundum hoc funus eius factum eſt, lectus erat ex auro & ebore conſtructus, purpureis ſtragulis, auróque iis intertextis ornatus: in cujus infima parte cadauer arcæ cuidam incluſum latebat; Imago autem eius cerea, habitu triumphali conſpiciebatur, hanc à Palatio ducebant Coſſ. deſignati: Altera aurea ex curia, tertia in curru triumphali ducebatur: poſt has auorum ipſius atque cognatorum vitâ functorum, (excepta Iulii Cæſaris, qui Semideos inter relatus erat) aliorumque qui vnquam Romæ factis ſuis clari fuerant, imagines, initio facto à Romulo ferebantur: Inter quas Pompeii quoque magni imago, omneſque nationes, quas ſubegiſſet, cum ſuo ipſarum cultu effictæ cernebantur. Feretro poſito ad roſtra pro illis Druſus quidam Orationem deſcriptò recitauit. Cæterum pro roſtris Iuliis Tiberius ex Sc. ad populum in hæc

Digitized by Google

hæc propemodum verba perorauit: quæ priuatim ab homine cognato de Diuo Auguſto dicenda fuerunt, à Druſo dicta ſunt, ſequitur Oratio benè longa, quam his verbis concludit. Non cum lugere nobis conuenit, ſed corpus eius nunc naturæ reddere, animam autem, vt Dei, perpetuò colere.

Hæc cùm recitaſſet de ſcripto Tiberius, pergit Deo Feretrum iidem qui ante ſublatum triumphali porta ex Sc. extulerunt. Aderant ducendo funeri Senatus Equitéſque cum coniugibus, Prætorianique milites, ac ferè omnes qui tum Romæ agebant homines. Poſtquam cadauer rogo in campo Martio impoſitum fuit, primùm omnes Pontifices illud circumierunt, deindè Equites, tùm Legionarii, reliquique milites, & ii demum qui cuſtodiæ præfuerunt. Omnia præmia quæ ob ſua quondam egregia in bello facta, ab ipſo accepiſſent, ſuper id coniicientes. Poſt hæc Centuriones, acceptis facibus iuſſu Senatus, rogum ſuccenderunt: quo abſumpto Aquila ex eo emiſſa euolauit, quaſi animam Auguſti in cœlum ferens; his peractis reliqui diſceſſerunt.

Hæc quidem apud Dionem, ſed hîc deſiderantur aliqua, quæ in Seueri pompa notantur ab Herodiano lib. 1, ſcilicet Oſcula; Nã priuſquàm locaretur cadauer in buſto, Imperii hæres, & alii propinqui demortui ſtatuam oſculabantur: deinde circa rogum decurſio, fiebat vrbanis confictiſque curſibus; Tùm ignis iniectio à ſucceſſore & vndique ab omnibus Conſulibus; poſtea Tabernaculi forma, cuius in ſecũda regione lectus, in quo erat cadauer, deponebatur, ſed herbis, ſuccis, odoribus, vnguentis, aromatis confertiſſimum. Neque enim vllus erat qui pro virili ſua non iniiceret. Denique ſummus in ea ſtructura locus, in quo currus Imperatoris in apice locabatur, & in domus faſtigio.

De quibus Alexander Genial. Dier. lib. 6. c. 4. hæc habet. Apotheoſim ſic fieri nouimus, vt Imperatore, qui referendus in Deos, & conſecrandus, vita functo, pyram in Tabernaculi formam conſtruerent, quod auro & ebore ſigniſque & tabulis pictis exornatum mirificè, alio deſuper breuiori, vſque ad tertiam contignationem erigebant, Aquila, cum omnium Deorum aggeſtu in ſummo culmine locata, lectóque conſtrato purpura & auro, in quo defuncti effigies iacebat Senatus, Equeſter ordo, ac Viri Triumphales, quique ampliſſimos honores geſſerant, procedentes lectum deferebant in Pyram, cum carmine & hymnis, omnibuſque humanis diuiniſque aggeſtis honoribus. Demum incenſa Pyra cum vapore & fumo Aquila agitata è ſummo culmine Tabernaculi aëra petiiſſet, religio incuſſa fuit ipſius animam per inane cœlum petiiſſe, ipſumque defæcato, quod mortale erat & caducum, in numero cæleſtium & conſilio Deorum recipi & haberi, quam conſecrationem *ἀποθέωσιν* Græci nuncuparunt.

Iam verò quia Rex nullus ſine Satellitio, ſine ſubditus, ſine famulatu & regno, continuo id genus ſine Diis, ſeu Diuis recèns factis, templa, Aræ Sacerdotes, & Camilli addebantur, quod ante mortem etiam Cæſar Dictator obtinuit, Sueton. c. 76. Iulius decerni ſibi paſſus eſt templa, Aras, ſimulacra, iuxta Deos, puluinar, Flaminem Lupercos: cùm vero eius Ara euerſa fuiſſet ab Antonio, vocari veterani de ea reparanda egerunt, id ſcribente Tullio ep. lib. 11. Auguſto verò Romæ templum decretum à Senatu, à Liuia extructum, à Tyberio perfectum eſſe ſcribit Dio. De quibus Ouidius 4. de Ponto.

Nec pietas ignota mea eſt, videt hoſpita tellus
In noſtra ſacrum Cæſaris eſſe Domo.
Stant pariter natuſq; pius, coniuxq; Sacerdos
Numina iam facto non leuiora Deo.

Ex his licet iſta colligere breuiter ad pompæ funebris clariorem ordinem.

I. Ferebantur imagines virorum illuſtrium, his exceptis, quos iam honore diuino coli dignos populus iudicauerat.

II. Vrbium ac Prouinciarum ab eo deuictarum ſimulacra, cum præconibus, accenſis, viatoribus, lictoribus.

III. Munera quæ à vicinis, in honorem defuncti conferebantur.

IV. Armatus exercitus ſequebatur ex ordine, Senatus frequens.

V. Imperator qui ſuccedebat in locũ defuncti.

VI. Lectus in quo depoſita iacebat ſtatua Cerea, ab Equitibus ferri ſolita.

VII. Eſug

VII. E ſuggeſto ad id præparato ſuperſtes Imperator habebat orationem.

VIII. In campo Martio Pyra grandis trium tabulatorum, conſtituebatur in medio ſtatua, in ſupremo currus Imperatoris.

IX. Certatim coniiciebantur odores in ſuggeſtum inferiorem.

X. In ſecundum aſcendebat Imp. & de oſculabatur imaginem.

XI. Cum reliquis ſedebat ludos ſpectaturus & varia certaminum ſimulacra, circa Pyram haberi ſolita.

XII. Iis peractis ignem Pyræ ſubiiciebat.

XIII. Emittebatur Aquila de curru triũphali, quæ in cœlum euolans ſecum Imperatoris animum ferre credebatur.

XIV. Magnæ fidei & auctoritatis iurabat aliquis ſe Imp. animam vidiſſe in cœlum euolantem.

XV. Nomen immutabatur, Imperatoris tamen retento, Diuuſque dicebatur, & templa ſacrificia, Sacerdotes, & Aræ decernebantur.

Varia in Numinis Apotheſeos ſymbola.

Quæ porrò inueniuntur in nummis conſecrationis notæ? præcipuæ ſunt quibus hoc vocabulum DIVVS aſcriptum, aut etiam CONSECRATIO I. Tabernaculum ſiue turrita Pyra, tribus aut quatuor contignationibus compacta, cuius in ſummo, ſiue faſtigio ſunt aut ſigilla, aut ipſius Imperatoris currus: quod euidens eſt ex numiſmatis Sabinæ Auguſtæ, Antonini Pij, Lucij Aurelij, Veri, Septimij, nempe id erat ſolemne ipſius conſecrationis adminiculum, præſertim in viris.

Aquila.

Commune quidem iſtud & peruagatum, quod facile confirmant numi Fuluij Salonini, Valeriani &c. eam autem idcirco appoſitam & numis & rogis exiſtimant plerique, quod diuinitatis nonnihil habere videatur, quippe quæ Ioui aſſideat miniſtretque; Iouis ſit ales, vt volucrum omnium Regina Διὸς αἴδιος αἰετὸς ὄρνις ait Theocritus quod ſit Iouis nuntia: Nam eius Etymon inde deriuant ab ἀεὶ & ἔτος hoc eſt verus ſemper, quod Iuppiter verum ſemper Aquilæ augurio nuntiet, ex Anthol. lib. 1.

Ἀγγελίην παρὰ Ζηνὸς ἐπεὶ φέρει ἠεροδίνης
Αἰετὸς, οἰωνῶν μοῦνος οὐράνιος.

Nuntium aliquod à Ioue cum ferret in aëre ſe librans auium ſola cœleſtis Aquila. Quod quemadmodum ex cœlo Dij mortalia diſpiciunt, deſpiciuntque: ſic illa res humi iacentes, & ſupra terram deſcendentes ex ipſis nubibus aſpiciat, ibidem,

Αἰετὸς ἐν νεφέλαισιν ὀξὺ ἴδωσιν ἰδών.

Vt cætera miſta faciamus, in conſecratione certum eſt Aquilam rogo impoſitam fuiſſe, quòd ſit volucris audax & rapax, & frequenter è terris in aërem rapta deferat. Scribit Plutarchus ab Aquila Amphiarai Haſtam abreptam, & in altum ſublatam, moxque demiſſam & terræ impactam auri ſpeciem habuiſſe. Narrat idem apud Lacedæmonios olim graſſante peſtifera lue, ab oraculo conſulto reſponſum, vt ſi morbum ceſſare cuperent, nobilem Virginem immolarent, cumque ſuo cum ornatu Helena duceretur, & propemodum mactanda eſſet, gladium ab Aquila ſublatum, demumque per aërem deportatum, in iuuencam incidiſſe.

Et verò ſi pueros deprehendimus à Delphinis amatos, apud Elianum legimus infantem deiectum ab illa auium Regina, ſic dilectum, vt illi miniſtraret, vnaque moraretur: & apud Vopiſcum ex Callicrate Aurelianum infantem & faſciolà vinctum è cunis ab Aquila innoxiè leuatum, & in Aram impoſitum, quæ fortè iuxta Sacellum ſine ignibus erat. Deinde vt Arion à prædonum periculis, & maris procelloſis fluctibus Delphinis, tanquam ſeruatoris ope, liberatus eſt: ſic olim infans è turri quadam deiectus præceps, ab Aquila opportunè conuolante exceptus, ſeruatus & in hortum vicinum deportans, in omen fortaſſe Regni & Principatus, quod apud Babylonios poſtmodum obtiguit ex Eliano lib. 12. cap. 21. ad rem facit id, quod ſcribit Martialis lib. epigr.

Ætherias Aquila puerum, portante per auras
Illæſum timidis vnguibus haſit onus.

Raptus eſt, inquit Xenophon in ſympoſio ob eximiam eius prudentiam. Teſtatur Pauſanias in Miſſenicis Ariſtonem ab Aquila ſubleuatum,

Digitized by Google

ne in Ceadam præcipitatus collideretur: Ptolemæum pariter ferunt Soterem expoſitum, ab Aquila ſeruatum, quæ accedere ſoleret expanſis alis ſolem & imbrem prohibens, volucreſque gregatos abigens, laceratarum cothurnicum ſanguine, vti lacte, puerum nutriens. Suidas in Lago.

Eſt & illa volucris quaſi immortalitatis ſymbolum, quia nec ſenio nec ægritudine moritur Plinius auctor l. 10. c. 3. Atque haud ſcio an Etymon ſatis commodum fingi poſſet, vt ab Ἀεὶ vel αἰεὶ ſemper ἀετὸ & communè αἰετὸς aut ab A particula intendente & ἐτὸς annus, ſiquidem Philas Michaëli Imperatori annos Aquilæ precatur, de illa loquens,

Τούτου σὺ Βασιλεῦ τὸν πολὺν ζώοις βίον
Ἀεὶ νεουργῶν καὶ κρατύνων τὴν φύσιν.

Illius vt viuendo ſęcula exigas, anniſque viribuſque Rex precor integer. Nam præterquam quod ſe renouat, nouum roſtrum, plumas, vires recipit, etiam longæuam eſſe probat ex nidi diuturnitate ſecundum Ariſt. l. 9. de hiſt. animal. *μακρόβιος δ' ἐστὶ δῆλον δ' ἐκ τούτου ἐκ τοῦ τὴν νεοττίαν τὴν αὐτὴν ἀεὶ διαμένειν.* Hæc igitur immortalitate donatos oſtendebat homines eo ritu conſecratos. Aut forte, quod aliud eſt, illos Reges & Imperatores non poſſe deinceps eſſe fortunæ ludibrium, nullis caſibus nec hominum quidem aut etiam Deorum iræ obnoxios fore, vbi corporis compage ſoluti in cœlum euolarant. Nam Aquila, vt notat Plinius, vllo tangi fulmine non eſt compertum, quod ex omnibus animalibus ab ea re ſit immunis: Idcirco fortè à Thebanis vti Numen cultam ſcribunt Diodorus Sicu. Strabo, lib. 17. & Alexander Genial. Dier. lib. 6. c. 26.

Quod in rogos ſeſe plures immiſerint non obſcurum, Philarchus & Tzetzes & Elianus ſcribunt puerum infantem, qui pullum Aquilæ perquàm ſtudioſè nutrierat, ita adamatum, vt ei laboranti affuerit Ales, mortuo pariter, nam beneficiorum memor in buſtum ſeſe immiſit *καιομένῃ δὲ τῇ πυρᾷ καὶ αὐτὸ συγκαίεται* ardenti rogo ſe inicit, & ipſa ſimul arſit.

Pingitur verò in numiſmatis aliquando ſola expanſis alis, vt in Neruæ numo, interdum globo vngnibus inſiſtens, vt in Pertinacis & Auguſti perſæpè; nonnunquam Fulmen, ſeu telum triſulcum pedibus tetinens in Auguſti: ſed in Antonini Philoſophi lanceam roſtro tenet fortè propter ſingularem eius Numini venerationem exhibitam. Aliàs erat Ara geminis Aquilis hinc & hinc poſitis, vt in Nummis Conſtantij: quemadmodum Aquilæ geminæ proſtant ad Antonini Pij columnam, ſed in Conſtantij numo in Ara eſt flamma. Interdum etiam Aquila videbatur ad Aram picta, ſuper Aram fulmen, vt in numiſmatis Auguſti; In Maximiani eſt Aquila ſupra templum. Perſæpè Ara cum flamma, vt in Titi & Traiani numis; rariùs Ara cum Aquila, tamen extat numus in quo eſt quaſi Ara, vel tumulus rapete conſtratus, cui inſidet Aquila cum literis S.C. in prima parte DIVVS M. ANTONIVS PIVS.

Ara.

Cum flamma, foco vel igne in ea accenſo: hoc quidem in Nummis Salonini, Valeriani. Interdum cum Aquila, vt in Clodij Gothici, vel Ara nulla re appoſita. Idcircò autem Ara Conſecrationis ſymbolum eſt, quod nulla eſt niſi Deo alicui ſacra: Ex quo efficitur, eum, cui Ara pingitur, cuditur, vel erigitur, de Deorum aut Diuorum eſſe numero; inde Virgilius Eclog. 1. de Auguſt. adhuc Iuuene, vel puero potiùs, vbi enim dixit.

—— Neque ſeruitio me exire licebat
Nec tam præſentes alibi cognoſcere Diuos.

Addit.

Hic illum vidi Iuuenem, Melibœe quotannis
Bis ſenos cui noſtra dies altaria fumant.

Dixerat verò Tityrus paulò ante de eodem Aug.

O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi ſemper Deus: illius Aram.
Sæpè tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus.

Adde quod in Conſecrationis huius pompa circumferebatur Ara: poſtremò, inquit Xiphilinus in Pertinacis funere, ferebatur altare inauratum, ornatumque ebore & lapillis Indicis: hoc autem Diuinitatis eſt euidens argumentum.

Pauo.

In Marinianæ Nummis Pauo ſæpius exprimitur, in quibus nonnunquam videas, eius animam in

in cœlum ab Aquila transferri aliquando Pauonem dumtaxat, cum vocabulo CONSECRATIO & in numiſmatis D. Iuliæ Auguſtæ, in altera parte corniculata Luna. Sed hoc loco quærimus, an pro mulieribus conſecratis Pauo ſemper, aut pingatur, aut in numis cudatur; Conſtat id non adeò religiosè obſeruatum fuiſſe; Nam in Fauſtinæ minoris, ſeu Marci vxoris deprehenditur Aquila quòd illa Marco Imperium dediſſet.

Porro in Nummis cuditur, quòd in Apotheoſi mulierum ritè facienda, Pauo pro Aquila in cœlum auolare à ſummo Tabernaculi, vbi erat alligata faſtigio, permitteretur. An quia ſecundas tenere videtur inter volucres ob pulchritudinē? an quia Iunoni dicata: Nam Samos Inſula, quæ tota Iunonia in numis Pauonem ſculpi volebat & ipſa Iuno apud Ouidium Metam. 2.

Ingreditur liquidum Pauonibus aera pictis.

Vnde & ab eodem Poëta Iunonis volucer indigitatur, & à Iuuenale auis Iunonis Saty. 7.

—— Didicit iam Diues auarus
Quantum admirari tantum laudare diſertos,
Et pueri Iunonis auem.

Quæ licet à vero non abhorreant, certum eſt tamen aliò Veterum cogitationes ſpectaſſe, ſcilicet, quod domū cœleſtem hæc volucris. & aſtra ipſa repræſentare credatur, & in pennis exhibere ſydera, ſic Ouid. 13. Met,

Iunonis volucer quæ caudâ ſydera portat.

Eam verò caudam, quæ aſtra & ſydera refert, vocat domum Oppian. Κυν. β. Sed domum ſplendidam, quo loco volucris pulchritudinem pluribus proſequitur.

Οἷά τ' ἀγλαοὶ ταῶνες ἑὸν δόμον αἰολόμορφον
Γναμπτῶν ἐπισκιάουσιν ἀριπρεπὲς αἰολόνωτον
Τῶν οὐδὲν μεγάροισι Διὸς τεχνήσατο μῆτις
φαιδρότερον.

Veluti Pauones ſuam domū ſplendidam curuam obumbrant illuſtrem picturatam caudam, quibus nihil Iouis fabricauit conſilium pulchrius. Vnde ſi plumæ ſydera continent, & cauda domus eſt Pauo, eam ſine controuerſia refert quæ in cœlo ſtellato habitat, cuiuſque eſt ſymbolum.

Columna.

Columnas erigebant in honorem, gratamque defuncti memoriam, vt in Nummo Antonini Pij in quo legitur vox CONSECRATIO. Et ex Traiani numiſmatis in quibus Columna cum tribus Aquilis exprimitur. Idcirco verò pro diuinitate ponitur, quia Columnâ gloriæ ſublimitas indicatur, imò viri præſtantes Columnæ dicebantur à pleriſque ſcriptoribus, ſiue quod inuictum in illis robur, conſtantiam & animi, ſiue quandam diuinitatem, ſuſpicerent. Sic Hectorem vocat Pindarus Τροίας ἄμαχον ἀστραβῆ κίονα Troiæ Columnam immotam & inexpugnabilem. Sic Auguſta Columna dicitur ab Horatio fortunam rerum Dominam alloquente. l. 1. Ode. 35.

Iniurioſo ne pede proruas
Stantem Columnam, neu populus frequens
Ad arma ceſſantes ad arma
Concitet imperiumq́; frangat.

Quod de Cæſare dictum nemo non exiſtimat, cùm ſtatim addat vates.

Serues iturum Cæſarem in vltimos
Orbis Britannos.

Deos etiā columnas nuncupatos è vetuſto oraculo prodit Clemens Alex. 1. Stromaton in quo Bacchus dicitur Thebanis ςῦλος πολυγηθὴς multigis gaudii Columna: ſic in Columna Deum viſum Hebræis. Paria ſentire videtur Nyſſenus Hom. 1. in cantica, & in Columna neſcio quid diuinum animaduertiſſe cum Chriſtum: appellat ςῦλον ἀσφαλῆ τε, ἄσειστον firmam & ſtabilem Columnam quæ labefactari non poſſit. Hinc præſtantibus legionum Imperatoribus confecto bello, reque benè feliciterque geſtâ Columnas ſtatuebant κηρύττούσας τὰ κατορθώματα quæ fortia illorum facinora, & virtutem ſingularem ad omnem omnium ſæculorum memoriam prædicarent, ait S. Athanaſius epl. ad Ammum. Idcirco Sagunti in media platea ſtabat Columna dicata, & inſcripta Deo Aureliano.

Fulmen, Patera, Bacillus ſeu Haſta.

Ideo diuinos honores oſtendit, quia nominis celebritatem, ſūmamque poſt mortem apud mortales famam, vt immortales conſequuntur cuius rei teſſera eſt Fulmen. Pingitur Auguſtus Pateram & Bacillum tenens pro diuinitatis nota cū inſcriptione AVGVSTO DEO: Pateram ſacra ſiue ſacrificia connotare vel infantibus notum eſt:

eſt:Haſtam verò proNumine haberi conſentiunt omnes,vnde qui libabant Pateram tenebant.

Stella.

Infinita prope ſunt Iulii numiſmata,in quibus Stella dumtaxat,vel caput Cæſaris cum Stellula, & inſcriptione DIVO IVLIO, ad Deos refertur ſignificat enim Deum vniuerſi,vt probat Orus Apollo lib. 2.c. 21. ἀςὴρ πὰρ Αἰγυπτίοις γραφόμενος ποτὲ μὲν θεὸν σημαίνει. Depicta apud Ægyptios Stella Deum aliquando ſignificat. Illa autem quæ in Iulii Cæſ. nummis habetur, ab Cometa, qui quo tempore funeratus eſt per plures dies apparuit, & eius anima eſſe vulgò credebatur, originem erroris habet,vt conſtat ex Suetonio. Hinc Horatius 1.Odar. Cantu.12.

—— Micat inter omnes
Iulium ſydus velut inter ignes
Luna minores.

Quòd ſi eleganti iudicio dixit Triſmegiſtus in Eglogis Phyſicis ex Stobæo lib.1.Cœli ſtellas eſſe ὀφθαλμοὺς θεῶν; ſi conſimili venuſtate Pindarus Lunam vocat ἑσπέρας ὀφθαλμὸν, veſperæ vel noctis oculum ob eum ſplendorem quem videmus quid mirum Heroas in numerum Deorum aſcriptos,Stellas dici propter vitæ latè lucentis virtutumque ſplendorem?

Quadrigæ.

At verò Quadrigæ diuinitatis ſunt mora,qua currus ille aureus, quo vtebatur Imp. in ſummo tabernaculi faſtigio locabatur,vt apparet in Antonini Pii numo, & in Auguſti,vbi Elephantorum quadrigas in tribus Nummis,& in curru ſedentibus auguſtiori habitu, Auguſtum haſtile, ſeu diuinitatis inſigne bacillum gerentem leuâ, dexterâ nunc patellam,mox ramum tenentem. In quodam nummo quatuor Elephantis inſidēt ſeſſores quatuor,in vniuerſis eadem plane Epigraphe DIVO AVGVSTO S.P.Q.R. Ratio verò petitur ex eo quòd Pyræ mortui currus apponeretur;Xiphilinus teſtis locuples Seuero de Pertinace ſic ſcribens. Ita in campum Martium venimus, hîc extructus erat rogus inſtar turris figurâ triangulari, ebore & auro, ac nonnullis ſtatuis ornatus,in ſummo eius currus inauratus quo Pertinax olim vehebatur, collocatus erat. Sed propter Elephantorum Quadrigas,in curru Sacellum, in Sacello figura quædam, in prima Numi facie DIVVS VERVS, in ſecunda CONSECRATIO. Sunt & Quadrigæ,ſed equorum in nummo quodam Clodii,in curru templum, aut ædes,ſuper ædem iterum cum victoria Quadrigæ, in antica parte,ad Principis caput DIVS CLAVDIVS AVG. in poſtica ſub quadrigis Ex S.C.hoc ipſum quod diximus neminem niſi Senatus auctoritate & decreto illa Apotheoſi,ſeu Conſecratione donatum ſcriptores eximii tradiderunt.

Tripus.

Auguſtus cuſus in Nummo ſedens in ſella,radiato capite,vel inſignito corona, cuius in læua haſtile purum,in dextra ramus,iuxta figuram eſt Tripus,in ambitu DIVVS AVGVSTVS pater. In primis viri fortes apud Græcos Tripodibus donabantur,ex Virgilio 9.Æn.

Et tripodas geminos,auri duo magna talenta.

Diſertè vates Horatius lib.4.Ode 8.

Donarem pateras grataque commodis
Cenſorine malis ara ſodalibus:
Donarem Tripodas premia fortium
Grajorum.

Quin & ſemideis,aut potius hominibus inDeorum albo aſcriptis,vt Æſculapio & aliis, ex Sidonio,

Pendet per teretes Tripodas Epidaurius anguis

Templum.

Indè tot Nummi tempore Tiberii, & ipſius Auguſti referentes Templa, quæ Romæ & Auguſto dicata erant;Inſcriptio hæc eſt ROM. & AVG.quòd ſit diuinitatis ſymbolum, certum eſt neque nim templum niſiDeo, vel homini,quem vt Deum veneramur,dicamus.

Cæterum vt Emblemata inter ſe diſſimilia fuerunt,ita nec eadem fuit Inſcriptio: Nam præter eam,quæ toties iterata legitur CONSECRATIO aut DIVVS. Sunt quædam in TRA. AVG. PATER.MEMORIÆ ÆTERNÆ.In cōſtantii eſt aliquando,

Digitized by Google

quando ÆTERNA MEMORIA. MEMORIA FELIX. Vt in Diui Conſtantij Nummo, in quo eſt Ara cum flamma inter duas Aquilas. SYDERIBVS RECEPTO: S.C.

Apotheoſis Artificium

Quod attinet artificium huius Orationis non longè diuerſum eſt ab artificio generali funebris Orationis,quia tamen habet aliqua Conſecratio ſingularia,breuiter hæc erunt obſeruanda.

I.Finis huius Orationis feſtus ac hilaris eſſe debet,contrà,funebris luctuoſus vt plurimum, ideoque viuum Diuumque probat hominem Apotheoſis,neque lacrymis proſequendum,ſed lætis vocibus excipiendum.

II. Licet exordium cuiuſlibet Panegyrici liberum ſit , ad Hilaritatem tamen compoſitum hoc eſſe debet maximè,funebris verò triſte luctuoſumque.

III. In Epilogis aliarum Orationum precationes habentur & vota,proſpera fauſtaque omnia dicuntur,idem hîc contingit , ſi modò fiant hæc illi,quem inter Diuos referemus.

IV. Obſeruandum cui dicatur Oratio, vel enim ſancto,vel Regi,vel Principi , qui nondum Eccleſiæ totius aſſenſu,ſed votis noſtris aſſeritur proinde huius Oratio gloriam & immortalitatem quærit apud Poſteros,illius ſolidam& æternam apud Deum & Superos: iſtius res heroicas &opinionem omnium;illius virtutes,ac miracula recenſet : iſtius ad plauſus & acclamationem excitat;illius ad ſingularem in hominum animis venerationem concitandam refertur.

V. Ritus ante recenſiti profanæ Apotheoſis vſurpari poſſunt in vtraque Oratione,vel ſancti. vel Regis alicuius,ſed in hac lõge liberius,quoniam ab illa plurimum diſtant:proinde vel aſſumendi,vel reiiciendi.

VI. Ordo rerum dicendarum in Confirmatione pendet ab Oratoris arbitrio,tamen ille videtur expeditus,ſi per theſim cauſę expendantur ſcilicet cur hominibus diuini honores decernãtur cumque in medium aliquæ adductæ fuerint, tum ad alteram partem deueniendum erit , quæ laudationem inſignum complectetur, & ſuis ornamentis illuſtrem : deinde petitioni ſuus erit locus,quoniam ad cumulũ habet omnia quæ in homine diuino requiri poſſunt,ſcilicet vt il benemerito decernantur honores,qui deſcribendi erunt.Quod ſi iam Conſecratio facta ſit,petitionis eius loco erit habenda exhortatio, qua excitabuntur Auditores ad venerationem aut excurrendum in gloriam,quâ Diuus fruitur,aut ad ipſum vota facienda , vel Epilogi vice petendum aliquid à ſancto ſibi,ſuiſque.

PVNCTVM XXV.

Vituperatio.

EX contrariis omninò locis peti decet,nec alia præcepta deſiderat ab iis , quæ poſuimus: in laudationum induſtriis,tantum prudentis erit Oratoris & moderati videre , ne naturâ potiùs, quàm neceſſitate,ad vituperandũ incitatus fuiſſe videatur:id fiet ſi nihil conuitiorum effuderit temerè,ſed quidquid dixerit, non à maledictis, ſed à certis rationibus & veritate procedat. Vituperetur ergo vitium;Dabũt Ideam Cypryanus de Liuore& Zelo:Seneca de Ira; Tullius de Crudelitate 1. Verrina , pro Roſcio Amerino , pro Cluentio,&c.

Parricidij reum quis vituperat:ab inſinuatione ordietur,& dicet Abſalonẽ ſe comis ſuæ nequitiæ ſuſpenſum ad arborem diuinæ Iuſtitiæ,& Auditorum æquitati ſcopum propoſitum, tribus ſagittis velle conficere,hoc eſt tribus argumentis nefarium proditorem ſuppliciis æternis addictũ acerbioribus Orationis aculeis configere, modò præſentes adſint,Dauidiſque parentis beneuoli miſereantur.

Primum telum. Operepretium eſt animaduertere quâ ſeueritate tam atrox , nefariũque facinus humana diuinaque Iuſtitia vindicarit. Apud Moyſem lapidibus obruebatur , vel contumax:apud Græcos igni tradebatur:apud Romanos inſinui in equuleo voluerunt.Cic.pro Roſc. Amer.n.70.Cùm intelligerent nihil eſſe tã ſanctum quod non aliquando violaret audacia,ſupplicium in Parricidas ſingulare excogitauerunt:

Digitized by Google

vt quos natura ipſa retinere in officio ſuo non poſſet, ij magnitudine pœnæ maleficio ſub mo uerentur, inſui voluerunt in equuleum viuos, atque ita in flumen deiici. Rogatus Solon cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum, qui parentem necaſſet, reſpondit ſe id neminem facturum putaſſe, credo quòd Deo tàm inuiſum crimen vlciſcendum relinqueret.

II. Flagitium, hoc eſt contra naturam, omnibus vitiis fœtú, quod per inductionem erit probandum, ingratitudinis, ſuperbię impietatis, &c. Illuſtrandum à dignitate & officiis parentum in nos, à quibus ſecundùm Deum, habemus quidquid ſumus; docendum ideo ſe pattem dicere Deum, & parentes nobis eſſe Deos mortales, proindre Dei, parentumque violatores eodem plecti culeo.

III. Omnes deteſtari crimen hoc & impietatem, vitam ſuam liberos parentum amantes olim in apertum diſcrimen adduxiſſe, vt illorum vitam conſeruarent, quòd exemplorum multitudine penè infinita probare erit facile. Vtinam ſiue ingenij mei ac memoriæ imbecillicitas: ſiue debitæ erga humanitatem veſtram verecundiæ ratio; ſiue poſtremò præſtituti ad dicendum temporis breuitas pateretur, vt quod facere hoc loco maximè ſtatueram, partim ſacris è litteris partim aliis ex monimentis inſignium virorum exempla depromerem. Docerem in omni ætate fuiſſe ſemper plurimos qui pietate ſingulari fuerunt in parentes ſuos? Non erit in huius veritatis inquiſitione magnopere laborandum.

IV. Perditum Abſalonem Oreſtis furiis agitatum, auſum parentem optimum violare ſuppliciis vltimis mactandum eſſe dicet, per enumerationem eorumquę fecerit per Hypotypoſim miſerum patrem fugientē ſubiiciet, per Proſopopœiam & Apoſtrophem in filios rebelles & Parricidas. Tunc manum in eum miſiſſe cui vitam debeas? proh Deum Immortalem filium parentis ſanguinem ſorbere? crudelis, &c. Sed Deus vltor Orationem meam comprobat, & vos parentum obſeruantiſſimi Oratione mea non egeris.

EXER

Digitized by Google

EXERCITATIO IX.

THRONVS ELOQVENTIÆ,
Siue
DE GENERE DELIBERATIVO.

PROOEMIVM.

EXVLTANTEM in Demoſtratiuo genere ſuperiori tractatione Oratorem vidimus, hæc eundem in Deliberatiuo, ſic tanquam Regem ſedéntem in Throno, & Senatorum audientem ſententias, probantemque dabit. Hæc eſt enim Eloquentis gloria, vt videat ſolerter momenta ſingularum partium, eademque cæteris efficientiſſimè ſuadeat. Certè cùm in arte Oratoria nihil ſit non eximium, rerum quæ in Deliberationem cadunt explicandarum ſuadendarumque facultas diuina eſt. Hæc improuidorum Ciuium leuiſſima conſilia refutat, hæc veræ germanæque prudentiæ locum ſuum tribuit, hæc impetum multitudinis iudicando regit, viget in rebus publicis, floret in profanis, triumphat in ſacris. Deliberatiui generis copiis Themiſtocles, in conſiliis Græcos olim iudicandi libertate ſpoliauit, illiſque neceſſitatem, idem atque ipſe ſentiret impoſuit ſentiendi; iiſdem Pericles de hoſtibus ante triumphauit in foro, quàm in campo: hác demum Eloquentiæ parte dimanarunt primi Oratores ad hominum famam, & diſſipatis primùm mortalibus, tum in ſocietatem vitæ conuocatis vtiliſſimi fuerunt. Itaque ſi expetenda eſt Eloquentia, quòd res præclarè geſtas exornet, commendanda eadem certe magis, quod in conſultationibus dominetur: Neque enim haberet Orator quod laudaret, niſi feliciter ante ſuaſiſſet. Sed quoniam Deliberatiui generis merita notiſſima ſunt, ad illius tractandi induſtriam, quæ non ita vulgaris eſt, aggrediamur, bonæ mentis & recti conſilij auctore Deo.

LECTIO

LECTIO PRIMA.

Generis deliberatiui Dignitas.

QVID illo genere præſtantius, quod ſalutaribus conſiliis Principes inſtruit, contra dignas odio fraudes & inſidias hoſtium impetuſque ciues armat, vitæ iura legeſque præſcribit omnibus? quid inter ſanctioris aulæ parietes? vbi prudẽtia ciuilis, & conſummata in rebus agendis peritia dominatur, quam vim non obtinet? Non modò Regnorum felicitatem tuetur, ſed illam florentiorem reddit, quàm acceperit. Benè Cicero lib. 8. ad Atticum ep. 11. Vt gubernatori curſus ſecundus, Medico ſalus, Imperatori victoria: ſic Reip. moderatori beata ciuium vita propoſita eſt, vt ea opibus firma, copiis locuples, gloria ampla & virtute honeſta ſit: quæ in cœleſtis Mineruæ domicilio docentur omnia.

Cæterum Ciceroni 2. de Orat. n. 333. tria ſunt quæ generis huius dignitatem commendent, quartum addit Ariſtot. 3. Rhet. c. 17.

I. Maieſtas & amplitudo de qua ſapienter Cicer. *ſuadere aliquid aut diſſuadere*, inquit, *grauiſſima mihi videtur eſſe perſona. Nam & ſapientis eſt, conſilium explicare ſuum de maximis rebus, & honeſti & diſerti, vt mente prouidere, auctoritate probare, Oratione perſuadere poſſit.*

II. Grauitas quædam, & ipſum decorum, quod abſolutè dignitatem vocat, n. 334. *Concio capit omnem vim Orationis & grauitatem deſiderat; ergo in ſuadendo nihil eſt optabilius, quàm dignitas.*

III. Illuſtris ſtylus, ſiue character, ſententiis inſtructus & argumentis, nec adeò tamen profuſus verbis, vt ambitioſius ad pompam fluere videatur, ſic enim Cic. Oratio. n. 337. *Quamquam vna ferè vis eſt eloquentiæ, tamen quia ſumma dignitas eſt populi, grauiſſima cauſa Reip. maximi motus multitudinis; genus quoque dicendi grandius quoddam, & illuſtrius eſſe adhibendum videtur.*

IV. Ex Ariſtotele Difficultas, qua Deliberatiuum genus Iudiciali anteponit τὸ δὲ δημηγορεῖν χαλεπώτερον ἢ δικάζεσθαι εἰκότως. Difficilius eſt in Deliberatiuo, quam in Iudiciali genere verſari, vel quòd operoſius ſit cognoſcere futura, de quibus deliberatur, quàm præterita, de quibus iudicatur: vel quòd ex ſola fere coniectura, quæ admodum incerta eſt, omnia hic agantur; In Iudiciali verò ex lege: vel denique quòd Deliberatiuum non habeat tàm frequentes digreſſiones, quam Iudiciale; ex quibus patet quanta ſit huius generis dignitas; cum & grauiſſimam perſonam, & maximam honeſtatem, & ſtylum illuſtriſſimum, & diligentiam accuratiſſimam requirat.

PVNCTVM PRIMVM.

Nomen generis Deliberatiui.

NOn tam obſcurum illud atq; difficile, quam varium & multiplex. I. Ab omnibus paſſim Deliberatiuum vocatur, 1. de Inuent. Cic. nu. 7. *Quod poſitum in diſceptatione, & conſultatione ciuili, habet in ſe ſententiæ dictionem.*

II. Suaſorium aut ſuaſio 2. de Orat. 333. *Neque ſanè iam cauſa videtur eſſe, cur ſecernamus ea præcepta: quæ de ſuaſionibus tradenda ſunt, aut de laudationibus.* Illud à Quintil. lib. 3. cap. 8. *Pars*, ait, *Deliberatiua quæ eadem ſuaſoria dicitur.*

III. Concio ſiue concionatorium, vt ſuperius Cic. nominauit; cuius non eſt alia ratio, quam quod Deliberatiuæ Orationes haberentur apud Romanos in Curia; apud Græcos ad multitudinem, & populi concionem, ſeu conuentum frequentem; hinc Ariſtot. Deliberatiuum Oratorem vocat ἐκκλησιαστικόν.

IV. Græcis paſſim eſt συμβουλευτικὸν quaſi conſultorium è dando conſilio, quod huius generis eſt proprium.

PVNCTVM II.

Deliberatiui generis Materia.

ARiſt. primi Rhet. c. 4. docet genus hoc verſari in bonis, & malis, non tamen omnibus ſed in his quæcumq; contingit fieri, & non fieri

quæ

quæ verò ex neceſſitate fiunt, vel eſſe, vel fieri non poſſunt, de his Deliberationem eſſe non poſſe, atque ita reiici neceſſaria, aut quæ fieri nequeunt. Cui conſentit Cic. in partic. num. 83. *Prima ſunt ſuaſori, aut diſſuaſori videnda, quid aut poſſit fieri, aut non poſſit, & quid aut neceſſe ſit, aut non neceſſe. Nam & ſi quid effici non poteſt, Deliberatio tollitur, quamuis vtile ſit: & ſi quid neceſſe eſt (neceſſe autem id eſt, ſine quo ſalui liberiue eſſe non poſſumus) id eſt reliquis, & honeſtatibus in ciuili ratione, & commodis anteponendum. Cum autē quæritur quid fieri poſſit, videndum etiam eſt, quàm facilè poſſit. Nam quæ per difficilia ſunt; perinde habenda ſæpè ſunt, ac ſi effici non poſſint. Et cum de neceſſitate attenderimus, etſi aliquid non neceſſariū videbitur, videndum tamen erit quàm ſit magnum. Quod enim per magni intereſt, pro neceſſario ſæpè habetur.*

Superſunt igitur poſſibilia, & non neceſſaria, de quibus deliberari poteſt, nec tamen de omnibus; ſiquidem ſunt quædam bona à natura & à fortuna, quæ contingit fieri, & non fieri, de quibus deliberare nihil attinet, qualia videntur eſſe ſiccitates, imbres, theſaurorum inuentio; Eiuſmodi ergo quæ in deliberationem adducentur, debebunt eſſe in noſtra poteſtate; itaut à nobis pendeant, vt fiant, aut omittantur, atque ad nos ipſos referantur, & ſpectent: Ridiculum enim eſt, ſi Romani ſuo in Senatu deliberent, quâ ratione Scythæ ſuam debeant adminiſtrare Remp. quid ad Romanos?

Quod ſi cauſa ſit publica, quinque recenſet Ariſtot. de quibus debeat inſtitui deliberatio.

I. Vectigalia, quæ Cic. dicit eſſe neruos Reip. & pacis ornamenta, & ſubſidia belli; Ideò vectigalium curam habeant, & cognitionem ſanè diligentem & vtilem, quam imperij cauſam nuncupabant: de quibus multa diſputat contra Rullum, vt docebat eâ lege, quam ferre volebat, non tantùm minui vectigalia, ſed etiam diſſipari: ſic enim 1. in Rull. num 2. *Videte nunc, proximo capite vt impurus helluo turbet Remp. vt à maioribus noſtris poſſeſſiones relictas diſperdat, & diſſipet, vt ſit non minus in Populi Rom. patrimonio nepos, quam in ſuo. Proſcribis in ſua lege vectigalia, quæ decemuiri vendant, hoc eſt proſcribit auctionem publicorum bonorum, agros eius vult, qui diuidantur: quærit pecuniam, &c.*

Poſtea verò quia prudentis Oratoris eſt noſſe non tantum reditus annuos ciuitatis, ſed etiam ſumptus qui fiunt; vt qui nullius ſunt vtilitatis tollantur, & qui maiores ſunt, quam oporteat, minuantur. Cic. ibidem probat multis rationibus ſumptum illum legis Agrariæ, non modò non vtilem populo futurum, ſed etiam magnoperè perniciosum.

II. Secundum quod in deliberationem cadit eſt bellum & pax, quæ deliberatio ſapientiā non vulgarē requirit; eam ob rem Romani ius feciale, & feciales Sacerdotes conſtituerunt, qui de bello, & pace religioſè conſularent; Ita Cic. de Offic. 1. *Ac belli quidem æquitas ſanctiſſimè feciali Populi Rom. iure præſcripta eſt: ex quo intelligi poteſt nullum bellū eſſe iuſtum, niſi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum ante ſit, & indictum.* Eſt igitur Oratoris de rebus ad pacem & bellū ſpectantibus, conſulturi, noſſe vires ciuitatis ſuæ, monente Tull. 3. de legibus. *Eſt Senatori neceſſarium noſſe Rempubl. idque latè patet, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos ſocios Reſp. habeat, quos amicos, quos ſtipendiarios, qui non tantum belli impetum ſuſtinere, ſed etiam frangere poſſint.*

Hinc valet plurimùm ad ſuadendum, & diſſuadendum reuocare iam bella præterita, ex quibus coniecturam facere de futuro poſſit Orator: quippe qui feliciter aliàs bellum geſſerunt, eundem exitum ſibi polliceri debent, quibus infeliciter ceſſit; tenuis ſpes relinquitur rei benè gerendæ. Non huius conſilij ignarus Cic. pro lege Man. de bello contra Mithridatem. gerēdo conſulturus, commemorat, bella cum ipſo geſta; & ab Sylla, Murena, Lucullo, quem exitum habuerint. n. 8. *Etenim adhuc ita veſtri cum illo rege contenderunt Imp. vt ab illo inſignia victoriæ, non victoriam reportarent. Triumphauit L. Sylla, triumphauit Mur. duo fortiſſimi viri & ſummi Imp. &c.*

III. Ratio cuſtodiendæ regionis nimirū præſidiis, quot & qualibus copiis, peditibus, an equitibus; quibus verò in locis opportunè præſidia collocari poſſint, ac debeant. Magnum Imper. Pompeium hoc diligenter effeciſſe, vt regiones cuſtodiret, probat Cic. pro lege Man. n. 34. *Quis vnquā aut obeundi negotij, aut conſequendi quæſtus ſtudio, tàm breui tēpore, tot loca adire, tantos curſus conficere potuit, quàm celeriter, Cn. Pōpeio duce, belli*

 impetus

impetus nauigauit? Qui Siciliam adiit, Africam explorauit: inde Sardiniam cum Claſſe venit, nondum tempeſtiuo ad nauigandum mari: atque hæc tria frumentaria ſubſidia Reipubl. firmiſſimis præſidiis, Claſſibúſque muniuit. Inde ſe cùm in Italiam recepiſſet, duabus Hiſpaniis, & Gallia Ciſalpina præſidiis, ac nauibus confirmata, miſſis item in oram Illyrici maris, & in Achaiam, omnémque Græciam nauibus Italiæ duo maria maximis claſſibus, firmiſſimiſque præſidiis adornauit.

Sed præcipuè cum belli terror imminet, augeri debent præſidia & quæ redundant auferri, locis tantum neceſſariis, atque opportunis diſponi: nam vt comparanda ſunt, cùm inſtat belli metus; ita dimittenda cùm nulla eſt ſuſpicio, niſi fortè pacis ipſo tempore tumultus aliquis excitari poſſit. Hæc præcepta ſeruaſſe ſe dicit ep. 2. ad Caniniũ Cic. *Quod ſcribis Opamaa præſidium deduci non oportuiſſe, videbam idem cæteros exiſtimare: moleſtéque ferebam, de ea re minus commodos ſermones maleuolorum fuiſſe. Parthi tranſierint necne, præter te dubitare video neminem. Itaque omnia præſidia, quæ magna & firma paraueram, commotus hominum non dubio ſermone dimiſi.*

IV. Inter res quæ ciuitati maximè neceſſariæ ſunt, Annona ponitur, cui diligenter prouidendum eſt, ne ciuibus victus annuus deſit. Itaque ſcire oportet eum, qui conſilium dat, quæ exportanda ſint, aut importanda ciuitatibus ſine detrimento, cum quibus populis faciendæ ſint conuentiones, ſine quorum ope vix commode ciuitas ſtare poſſit. Hinc Præfecti creabantur à Romanis qui frumentum vndique coëmendum curarent. Cic. tres prouincias Africam, Sardiniam, Siciliam tria ſubſidia frumentaria populi Rom. vocat. Et Cato ſapiens, ſicut teſtatur Cic. 4. in Verr. Cellam Penariam Reipub. nutricem plebis Romanæ Siciliam nominauit.

Præterea qui Reipub. præſunt ad communem vtilitatem referre debent omnia, prouideréque ne quid detrimenti capiat, quod vt faciant duo genera hominum obſeruare debent. Alterum eorum, qui viribus præſtantiores ſunt, ne ſi fortè iraſcantur, plurimum obſint. Criſpi prudentiam in eo laudat Iuuen, quod Imp. Domitiano nunquam reſtiterit.

Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem. ——

Sed & inferiores, qui nobis vtiles eſſe poſſunt obſeruare proderit, cùm ſit hominis imprudentis, ea non curare, quæ multum adferunt vtilitatis. Eſt illud quod ſæpe & ſapienter monet Cic. pro Pompeio num. 16. *Quo tandem animo eſſe exiſtimatis aut eos, qui vectigalia vobis penſitant, aut eos qui exercent, atque exigunt, cùm duo Reges, cum maximis copiis propè adſint? cùm vna excurſio equitatus per breui tempore totius anni vectigal afferre poſſit? cùm publicani familias maximas, quas in ſalinis habent, quas in agris, quas in portubus, atque cuſtodiis, magno periculo ſe habere arbitrentur? putatiſne vos illis rebus frui poſſe, niſi eos qui vobis fructuoſi ſunt conſeruaueritis, non ſolum calamitate, ſed etiam calamitatis formidine liberatos?* Paulò poſt num. 19. probat publicanos, & homines Aſiaticos propter vtilitatem, quam afferunt Reipubl. eſſe conſeruandos. *Non enim poſſunt vna in ciuitate multi rem atque fortunas amittere, vt non plures ſecum in eandem calamitatem trahant. A quo periculo prohibite Remp. & mihi credite, id quod ipſi videtis. Hæc fides atque hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, quæ in foro verſantur, implicita eſt cum illis pecuniis Aſiaticis & cohæret: ruere illa non poſſunt, vt hæc non eodem labefactata motu concidant.*

De ferendis legibus eſt conſultatio, cùm illis poſita ſit totius ciuitatis ſalus; munus autem ſapientis Oratoris eſt videre, ne qua lex inutilis Reip. feratur. Quod fecit Tull. dum legem Agrariam Rulli abrogandam curauit, non ſolum vt inutilem, ſed etiam perniciosam: Maniliam vt vtiliſſimam futuram. Legum vim exprimit his verbis Phil. 11. num. 28. *Quid Caſſius, pari magnitudine animi & conſilij præditus, nonne ex eo Italia conſilio profectus eſt, vt prohiberet Syria Dolabellam? qua lege? quo iure? eo quod Iuppiter ipſe ſanxit, vt omnia quæ Reipub. ſalutaria eſſent, legitima & iuſta haberentur. Eſt enim lex nihil aliud niſi recta, & à Numine Deorum tracta ratio, imperans honeſta prohibens contraria.*

In cauſis priuatis vix certa materies ſpeciatim poteſt aſſignari; nam cum in iis ſingulorum res ac negotia tractentur, quot erunt in re familiari negotia, tot haberi poterunt Deliberationes.

PVNCTVM III.

Finis & Officium.

POſtquam Ariſt. 1. Rhet.cap.3. demonſtrauit ſingulis generibus finem eſſe diuerſum, ſic pergit τῷ μὲν συμβουλεύοντι, τὸ συμφέρον, καὶ βλαβερόν. Deliberanti vtile ac pernioſum pro fine propoſitum eſt vtilitatem ac detrimentum, vt illam quidem ſequamur, hoc verò fugiamus. Et quidem Oratoris eſt aliquid ſuadere volentis probare, id meliùs eſſe, quàm reliqua, de quibus deliberatur; cùm autem diſſuadere contendit, doceat oportet illud eſſe deteriùs.

Cui conſentit Cic.in partic. num. *Eſt igitur in deliberando finis vtilitas, ad quem omnia ita referuntur in conſilio dando, ſententiaque dicenda, vt illa prima ſint ſuaſori, aut diſſuaſori videnda, quid aut poſſit fieri, aut non poſſit, & quid aut neceſſe ſit, aut non neceſſe.*

Porrò generis huius officium ſatis apertè indicatur à Cic. 28. num. partid. *Itaque cùm conſtet hoc genus cauſarum ex ſuaſione & diſſuaſione: ſuaſori proponitur ſimplex ratio: ſi & vtile eſt, & fieri poteſt fiat. Diſſuaſori, duplex: vna ſi non vtile eſt, ne fiat: altera ſi fieri non poteſt, ne ſuſcipiatur. Sic ſuaſori vtrumque dicendum eſt diſſuaſori, alterutrum infirmare ſat eſt. Quidquid ſit, tùm qui priuatim deliberant, tùm qui publicè concionantur, ſemper horum alterum faciunt, verum erit ſuadere, & diſſuadere generis huius officia eſſe.*

LECTIO II.

Deliberatiui generis Inuentio.

AD primam doctrinæ dicendi partem reuocamur, ſcilicet Inuentionem, quâ fidem faciat Orator, & motum animis afferat. Nam cum ad finem, qui eſt perſuadere dictione, dirigantur omnia; nemo illam aſſequetur, niſi prius intelligat, quibus rebus fiat, aliundè verò, cùm facilius commoto vehementer homini credatur, quàm ſedato leniter & tranquillo, excogitare debet rationes, quibus animi promoueantur: pars difficillima quidem, ſed omnium vtiliſſima.

PVNCTVM I.

Inuentionis fontes & locorum diuiſio.

POſt Ciceronem partic.85. Quintil.l.3.cap.8 triplicem huius generis fontem appetit partes, inquit, ſuadendi quidam putarunt honeſtum, vtile, neceſſarium, ego non inuenio huic tertiæ locum; nam quæ neceſſaria ſunt, de iis nulla poteſt eſſe Deliberatio ex Ariſt. quis enim deliberet de non aliquando moriendo, cùm id neceſſe ſit, aut de ſuſcitando aliquem è mortuis, quod fieri nequit viribus humanis? hinc ſeipſum leuitatis arguit Ouidius.

Stulte quid hæc fruſtra votis puerilibus optas,
Quæ non vlla tibi fertque feretque dies?

Sed nec ideo partem Deliberationis neceſſitatem eſſe dicimus, quòd in Deliberationem cadat; verum quòd ſi neceſſitas probari poſſit, finem afferat Deliberationi, proptereàque neceſſe ſit in illa probanda maiorē ſuaſoriæ Orationis partem inſumere: probaſti rem eſſe neceſſariam? viciſti. Vt rectè monet Æſchylus in Prometheo.

τὸ τῆς ἀνάγκης ἐσ᾽ ἀδήριτον σθένος.
Neceſſitatis vis eſt inexpugnabilis.

Neceſſitas autem quam attributam partem vtilitati probat Cic. definitur ab eodem. *Id cui nulla vi reſiſti poteſt*; vel *Id ſine quo ſalui, liberique non poſſumus.* Altera ſimplex, cum aliquid abſolutè fieri neceſſe eſt, mori. Altera cum adiunctione, quando neceſſe eſt aliquid fieri, alicuius cauſa, vt neceſſe eſt Carthaginem ſe dedere Africano maiori, niſi diſturbari velit.

I. Cic.partic.87. maluit diuidere primum fontem, qui eſt ab vtili, in vtile honeſtum, & vtile commodum. Eorum autem quæ propter ſe expetuntur, partim honeſtate ipſâ, partim commoditate aliqua expetuntur. Hinc conſtat tres eſſe fontes huius Inuentionis, duos quidem præcipuos vtile, poſſibile, tertium verò duobus adiunctum, honeſtum & glorioſum.

Digitized by Google

Ex his fontibus inuentionis riuulos deducere non erit operoſum. Primum vtile cui iſtos locos tribuit Cic. in part. 87. *Quæ ſunt in corporis, aut fortunæ bonis expetenda, quorum alia ſunt quaſi quodammodo cum honeſtate coniuncta, vt honos, vt gloria, alia diuerſa, vt vires, forma, valetudo, nobilitas, diuitiæ, Clientelæ:* de quibus multa in genere Demonſtratiuo dicta ſunt.

II. A poſſibili qui continet cauſas, quæ rem quamlibet, efficiunt, atque ita complectitur locos factorum, & circumſtantiarum, à cauſis & effectis.

III. Ab honeſto, in quo ſunt ea quæ proficiſcuntur à virtutibus, quæque ſunt laudabilia ipſa per ſe, qualia ſunt animi bona; quibus n. 88. addit materiam ſubiectam honeſtati quæ maximè ſpectatur in amicitiis: amicitiæ autem, caritate, & amore cernuntur. *Nam cùm Deorum, tùm parentum, patriæque cultus, eorumque hominum, qui aut ſapientia, aut opibus excellunt, ad caritatem referri ſolet. Coniuges autem & liberi, & fratres & alij, quos vſus familiaritaſque coniunxit, quamquam etiam caritate ipſa, tamen amore maximè continentur.*

Verùm ad clariorem locorum cognitionem lubet ſchema proponere deductum ab eodem Oratore, quò videantur omnes ab vno fonte manantes. Igitur vtile aliud eſt optandum, aliud fugiendum; optandum, aut neceſſarium, vt vita, pudicitia, libertas, parentes, &c. aut neceſſarium, & expetendum propter ſe quidem, vel ob honeſtatem, vt virtus, & actiones officioſæ: vel ob commoditatem, eamque cum honeſtate coniunctam, vt honos, gloria: vel ab ea ſeparatam, vt vires, forma, valetudo, nobilitas: vel ob honeſtatem ſimul, & commoditatem, complectiturque caritatem in Deum, parentes, patriam & ſuperiores; amorem verò in pares, in inferiores & affines; aut expetendum eſt propter aliud, huçque referuntur opes, copiæ, aliæque huius inſtrumenta virtutis.

Vtile verò quod fugiendum eſt, totidem habet partes ſuperioribus oppoſitas; eſt enim aut depellendum neceſſariò, vt mors, ſeruitus, parentum interitus, liberorum, violatio religionis, pudicitiæ aut non neceſſariò, eſtque vel coniunctum cum dedecore, ad quod Ethnici ſcelera, vitiaque referebant, quæ potius inter neceſſariò fugienda numerare debuiſſent; aut tanquam propter ſe fugienda: alia verò quæ non tam propter ſe, quàm propter aliud vitanda ſunt, paupertas, deformitas, &c.

Poſſet etiam ex Cic. ſchema breuius aliâ methodo confici, nempe ſi dicatur; vtile, & inutile, vel manifeſtum eſt, proinde non indiget Deliberatione; vel dubium, aut propter incommoda, & commoda ſimul mixta, ſuadeturque aut diſſuadetur; vel propter certamen vtilitatis cum honeſtate, & tunc eſt habenda ratio eorum, apud quos dicimus; Nam ſi apud rudes & indoctos, ab emolumento, quæſtu, fructu, voluptate ducenda ſunt argumenta; ſiu apud eruditos, vel erunt politici, quibus laudem, gloriam, fidem, iuſtitiam, religionem proponemus, vel Philoſophi, quibus veritatem & virtutem. Vel nobiles, quibus honorem & famam nominis immortalem.

PVNCTVM II.

Locus & argumentum ab Honeſto.

Omnia benè Tacitus, ſed illud ſapienter annal. 8. *Omnes qui magnarum rerum conſilia ſuſcipiunt, æſtimare debent, an quod inchoatur Reip. vtile, ipſis glorioſum, aut promptu effecta aut certè non arduum ſit.*

Honeſtum primas ſibi vendicat; etenim cùm natura ſua bonum ſit, ad perſuadendum facilè ſuppeditat argumenta: bonum autem illud eſſe ſapienter monet Seneca Philoſophus in epiſtolis. *Qui omne bonum honeſta circumſcripſit intra ſe felix eſt, qui alia bona iudicat, in fortunæ venit poteſtatem, alieni arbitrij fit:* quorum rationem hanc reddit; *Non enim beatum eſt, niſi quod intrepidum, vna hæc via eſt ad tuta vadenti, & eterna deſpicere, & honeſto contentum eſſe.* Virtus ergo cùm per ſe ſit honeſta, ſi probaueris bonum cum virtute coniunctum, facilè concludes eſſe honeſtum & bonum, & ideoque faciendum.

Secundo loco quâ ratione iis vti poſſimus ad genus Deliberatiuum, videlicet aſſumendæ ſunt virtutes, ſic vt oſtendatur coniunctæ cum re, quam ſuadere volumus, oſtendamus eſſe prudentis, clementis, iuſti hominis ea facere; itant qui,

quod

quod ſuademus, ſuſceperit, habeatur prudens, juſtus, clemens, vt propoſitis huiuſmodi virtutibus, aut earum exercendarum ſpe, aut exquirendarum alliciantur ad id ſuſcipiendum. Qui ſi jam virtutum harum præſidiis inſtructi fuerint, aliqua ratione erunt ad opus impellendi, vt virtutibus ſuis opera reſpondeant. Si clementiam ſuadere volueris, hæc in illa laudabis præcipuè, abhorrere à fundendo ſanguine, pœnam remittere; victis parcere, vix ad puniendum adduci, &c.

Tertium eſt quoddam genus locorum in Honeſtate, quod vocari debet à Contrario, cum metu dedecoris, & infamiæ ſuademus aliquid eſſe ſuſcipiendum, quod efficax eſſe docet Cic. partic. 91. In ſuadendo, cùm ei generi hominum conſilium des, ſæpe ſanè laudanda eſt. Et illud videndum; quantò magis homines mala fugiant, quàm ſequantur bona. Nam neque honeſta tàm expetunt, quàm deuitant turpia. Quis enim honorem, quis gloriam, quis laudem, quis vllum decus, tàm vnquam expetat, quàm vt ignominiam, infamiam, contumeliam, dedecus fugiat? quarum rerum dolor grauis eſt.

Noſcat igitur oportet Orator auditorum affectus, & propenſiones. Siquidem apud homines benè inſtitutos plurimùm de laude, & de honeſtate dicendum: maximéque ea virtutum genera tractanda, quæ in communi hominum vtilitate tuenda, augendáque verſantur; ſin apud indoctos imperitoſque dicemus, fructus, emolumenta, voluptates, vitationeſque dolorum proferantur: addantur etiam contumeliæ atque ignominiæ. Nemo eſt enim tàm agreſtis, quem non, ſi ipſa minùs honeſtas, contumelia tamen, & dedecus magnopere moueat.

Ex quo obſeruandum eſt Locorum hoc genus maximè adhibendum eſſe, cùm res habetur apud Imperitos, aut apud eos auditores, qui ducantur potiùs metu dedecoris, quàm præmiis & honoribus. Contra rarius apud ſapientes, qui vel ſepoſitâ turpitudine, virtutem, propter ſe ipſam, amant. Vtcumque ſit, magni certè momenti argumenta ſunt eiuſmodi, quibus egregiè accommodari poſſit Græcorum hoc dictum, ex Plut. in vita Pelopidis: cùm enim hic Thebanus Spartanos viciſſet apud Thesbias, dixerunt aliqui Græcorum nō ſolùm Euroquam ferre militē, verum omnem terram, in qua proueniunt, qui rubore turpitudinis, & confidentiâ ex rebus honeſtis tangantur iuuenes, quiq; magis infamiæ notam, quam aperta pericula fugiant, hos terribiles eſſe hoſtibus: quantò enim altiùs ignominiæ fuga animos occupauerit, tantò facilius periculo propoſito in omnem partem ducentur auditores ita compoſiti.

PVNCTVM III.

Locus ab vtili.

SVperiùs bipartitos fecimus, ſcillicet cum honeſtate coniunctos, gloriam, honorem: vel ſine honeſtate, corporis & fortunæ bona, de quibus quia fusè diſtum eſt à nobis alias, hìc tantum indicandum reſtat, quâ ratione hùc deflecti poſſint.

Primum Locum in bonis fortunæ Nobilitati dedimus, proindè videndum, erit quibus ſtimulis ad facinus egregium incitentur; nemo neſcit generoſæ mentis indolem auidam eſſe honoris, & gloriæ, dignitatum & famæ, diuitiarum, dominationis & imperii; Itaque ſi probauerit Orator in re, quam ſuadere cupit, iſta contineri, perſuaſerit.

In bonis corporis diuitias poſuimus, qui locus facilè tractatur ex laudibus ductis à diuitiis; aut enim lucri cupidos cognoſcet, aut eos, qui ſummum decus ponant in recto diuitiarum vſu: his liberalitatem diuitiarum ornamentum ſuadebit, illis ſpem lucri proponet.

Maximè quidem videndum erit, quid ſit futurum, ſi negotium ſuſcipiatur: quid conſequuturum, ſi negligatur; prius bonorum partorum conſeruationem ſpectat, nō acquiſitorum comparationem; malorum verò præſentium depulſionem, imminentium fugam. Poſterius bonorum iam partorum carentiam, ſperandorum fruſtrationem, malorum præſentium, & imminentium, vel continuationem, vel expectationem continet. Quæ duo vix dici poteſt, quantam vim habeant ad perſuadendum, aut diſſuadendum,

Digitized by Google

dum,apud eos potiſſimùm,qui vel diuitias & libertatem conſequendi deſiderio, vel amittendi metu cruciantur,

Sub vtilitate nonnulli reponunt incolumitatem,quæ ſit ſalutis tuta integraque conſeruatio, proindè ſi quid oſtendamus prodeſſe valetudini vtile probauerimus. Quin & Incolumitas quædam eſt rerum inanimatarum, nempè diuturnitas; hinc celebratus Martialis 10.Epigr.1. probat libros maximè vtiles,quia diuturnos.

Marmora Meſſalæ findit caprificus,& audax
Dimidios Criſpi Mulio ridet equos.
At chartis nec furta nocent,nec ſecula proſunt,
Solaq; non norunt hæc monumenta mori.

Sub vtili comprehenditur neceſſarium, cuius magna vis eſt in vtramque partem. Reperias enim aliquos ſegnes, vt licet illis aliquid honeſtum,atque vtile propoſueris,taléque intelligat, ſi tamē propoſita res,laboris habeat adiunctum nonnihil,reuocentur à propoſito, periculiſque terreantur. Apud huiuſmodi neceſſitatis ratio compendioſa eſſe ſolet ad perſuadendum via. Hàc vſus eſt Cic. Phil.4.n,12.Nunquam veſter conſenſus maior in vlla cauſa fuit:nunquam tàm vehementer cum Senatu conſociati fuiſtis. Nec mirum. Agitur enim non quâ conditione victuri,ſed victuríne ſimus,an cum ſupplicio ignominiáque morituri.

P V N C T V M VI.

Locus à poſſibili & facili.

IN his locis duo potiſſimùm conſideranda ſunt ex mente Cic.partic.93. fieri ne res poſſint,& quàm facilè,imò etiam & hoc tertium quàm expediat,quod tamen ad vtile potius referri debet: hæc verò demōſtrantur ab iis cauſis,quæ quamcumque rem efficiant,quarum ibidem duo facit genera,alias conficientes vocat,quæ penè abſolutæ ſunt,& rem ex ſe conficiunt;adiuuantes alias, quæ ſunt ad rem obtinendam velut iſtrumenta quædam,aut ad eam ſuſcipiendam incitamenta;atque ita hæ cauſæ omnes referri poſſunt ad perſonas,Res ſeu facta & facultates,ſiue inſtrumenta;

Perſonæ quidem præbent locos omnes perſonarum: facta, locos factorum facultates circumſtantiarum:ſcillicet vult aliquis ſuadere Cæſarem oppreſſurum Pompeium;expendet primò perſonas Cæſarem & Pompeium, quæque in illis ſunt diligenter obſeruabit;vt putà Cæſaris virtutes,Pompeii virtutibus ſuperiores oſtendet,animum animo excelſiorem, bellicam virtutem armorumque exercitationem longè maiorem.

Secundò factum,ſeu bellum quod gerendum proponitur examinandum, vt oſtendat eius opportunitatem omneſque rationes Cæſari, quàm Pompeio expeditiores.

Tertiò facultates, & inſtrumenta,vt milites, arma diuitias aliaſque circumſtantias locorum, & temporum, omnia denique Cæſari, quàm Pompeio commodiora demonſtrabit. Sed in his omnibus, vt ſapienter monet Orator, non tantùm noſtra videnda ſunt,ſed etiam aduerſantia,vt quantùm noſtra verbis exaggeramus,tantùm aliena deprimamus.

Præter locos enumeratos Cic.ait amplificationes ab exemplis, tùm recentibus, tum antiquis hùc eſſe referendas; In quo obſeruandum eſt, vt quàm ſimilia rei propoſitæ proferantur exempla,eáque ſi opus ſit,quaſi per partes diſtributa,cum re agenda conferantur,vt aut illorum eadē eſſe ratio,aut etiam in noſtro negotio omnia faciliora eſſe probentur;ex quibus clarum eſt, ad hoc locorum genus maximè ſpectare locos factorum,quos hoc communi verſu complectuntur Oratores.

Quis,Quid,Vbi,Quibus auxiliis,Cur,
Quomodo,Quando.

Qui ad perſuadendum, aut diſſuadendum deſcenderit,debebit penitus noſſe cauſas omnes,& rationes,quæ facere poſſunt ad rem,de qua deliberatur,obtinendam.

Quis.

Primùm igitur occurrit perſonæ conditio, cum ſuadere vult,Quis ſtatim inueſtiget, Quid debeat ac poſſit aggredi: viro forti,bellum:nobili & ſapienti Imperium:docto, patrocinium litterarum;diuiti,leuamen pauperum proponat.

Obuie-

Obuia ſunt huius loci exempla paſſim apud facundiæ Romanæ ducem pro Pompeio num.7. multis probat aduerſus Mithridatem Romanis bellum eſſe ſuſcipiendum à virtutis bellicæ ſtudio, & cupiditate laudis Pop. Rom. *Et quoniam ſemper appetentes gloria præter cæteras gentes, atque auidi laudis fuiſtis, delenda eſt vobis illa macula, Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta: quæ penitùs jam inſedit atque inueterauit in Pop. Ro. nomine: quòd is qui vnâ die, tota Aſia, tot in ciuitatibus, vno nuncio, atque vna litterarum ſignificatione Ciues Ro. necandos, trucidandoſque denotauit, non modò adhuc nudam pœnam ſuo dignam ſcelere ſuſcepit: Sed ab illo tempore annum jam tertium, & vigeſimum regnat.*

Numero verò II. rem vrget acrius propoſitis maiorum exemplis. *Sed pro veſtri imperij dignitate atque gloria, quoniam is eſt exorſus Orationis meæ, videte quem vobis animum ſuſcipiendum putetis. Majores veſtri ſæpè mercatoribus ac nauiculatoribus iniurioſius tractatis, bella geſſerunt: vos tot Ciuium Ro. millibus, vno nuntio, atque vno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis?*

Quinetiam attendi debet illius perſona, contra quam res, quæ ſuadetur, eſt ſuſcipienda. Sic Eloquentiæ ſuæ procellam effudit in Antonium Cic. Phil 3. à num.20. ad 30. Vbi bellum ſuadet ab illius & militum conditione. *Quid hic faciat, ſi potuerit, iratus, qui cùm ſuccenſere nemini poſſet, omnibus bonis fuerit inimicus? Quid hic victor non audebit, qui nullam adeptus victoriam tanta ſcelera poſt Cæſaris interitum fecerit? refertam eius domum exhauſerit? ad ſe omnia ex his ornamenta tranſtulerit? cædis & incendiorum cauſam quæſierit ex funere? vendiderit immanitates? Populo Ro. leges impoſuerit? armis & præſidiis Populum Ro. & Magiſtratus foro excluſerit, armatos in Cella concordiæ, cùm Senatum haberet, incluſerit*; poſt multa. *His vos teterrimis fratribus, portas aperietis? hos vnquam in vrbem recipietis; non tempore oblato, ducibus paratis, animis militum incitatis, Populo Ro. conſpirante, Italia tota ad libertatē recuperandam excitata, Deorum Immortalium beneficio vtemini?*

Deliciis fractum debilitatū nque Catilinam, nefariæque proditionis ſocios & furoris Satellites, pexos, imberbes, velis amictos, voluptatibus perditos deſcribit, vt bellum non eſſe timendum oſtendat, faciliúſque Romanos ad illud hortetur, quorum firmiſſima præſidia recenſet ad certam victoriam. Sic enim per Ironiam 2. in eundem n.24. *O bellum magnopere pertimeſcendum! cùm hanc ſit habiturus Catilina ſcortatorū cohortem Prætoriam. Inſtruite nunc Quirites, contra has tàm præclaras Catilinæ copias veſtra præſidia, veſtróſque exercitus: & primùm gladiatori illi confecto & ſaucio, Conſules, Imperatoréſque veſtros opponite deinde contra illam naufragorum eiectam, ac debilitatem manum, florem totius Italiæ, ac robur educite.*

Quid.

Deinde rei, ſiue negotij difficultas, aut facilitas, gravitas, aut leuitas eſt expendenda; vt ſi facile ſit, ſuſcipiatur, ſi graue, ſi difficile, propulſetur ne grauius damnum ferat. Hoc ſapienter monet ac obſeruat Tull. Orar. pro lege Man. à n.6. ad 26. *Genus eſt eiuſmodi quod maximè veſtros animos excitare, atque inflammare debet: in quo agitur Populi Ro. gloria, quæ vobis à maioribus cùm magna in rebus omnibus, tùm ſumma in re militari tradita eſt: agitur ſalus ſociorum, atque amicorum, pro qua multa maiores veſtri magna, & grauia bella geſſerunt: aguntur certiſſima Populi Ro. vectigalia, & maxima: quibus amiſſis & pacis ornamenta, & ſubſidia belli fruſtra requiretis: aguntur bona multorum ciuium, quibus eſt & à vobis, & ab Imperatoribus Reip. conſulendum.*

Vbi.

Locum in quo res commodè fieri poſſit deſignare debet Orator, vt oſtendat eum opportunum eſſe rei gerēdæ, quod illuſtratur hoc exemplo. Scipio miſſus aduerſus Hannibalem deliberat, quâ ſit iter facturus Pœnus in Italiam hoc modo. *Non traiiciet Hannibal per Alpes loca montuoſa, lubrica, aſpera, inſalubria, opaca, inculta, deſerta, vaſta, vbi ſit extrema pernicies hominum, ac iumentorum; maritima ſectabitur propiora inſidiis, & Carthagini; mediterranea vitabit, vbi timeat exercitum intercludi, quodque turmis Equitum præſtat, planis feretur campis, quia videt cultiores agros, & frequentiores populos, vnde ſpes oriatur prædæ amplioris; Igitur teneamus oram Liguriæ, & Galliæ fines occludamus, &c.* Ex quibus huius loci facilè quiuis vſum colliget.

Quibus

Digitized by Google

Quibus auxiliis.

Expenduntur hoc loco facultates, & auxilia quibus res facilè perfici poſſit. His ad ſuadendum multis in locis vtitur Cic. aduerſus Antonium Phil. 3. à n. 25. ad 34. *Dij Immort. nobis hac præſidia dederunt, vrbi Cæſarem, Brutum Galliæ. Hanc igitur occaſionem oblatam tenete per Deos Immort. & ampliſſimi orbis terræ conſilij Principes vos eſſe aliquando recordamini. Signum date Pop. Ro. conſilium veſtrum non deeſſe Reip. quoniam ille virtutem ſuam non defuturam eſſe profitetur. Ad ea enim præſidia, quæ habemus jam accedunt Conſules ſummâ prudentiâ, virtute, concordiâ multos menſes de Pop. Ro. libertate commentati, atque meditati. His auctoribus & ducibus, Diis iuuantibus, nobis vigilantibus, & multùm in poſterum prouidentibus, Pop. Ro. conſentiente, erimus profectò liberi breui tempore, iucundiorem autem faciet libertatem ſeruitutis recordatio.*

Non minus eleganter Phil. 10. n. 21. *Concurritur vndique ad commune incendium reſtinguendum, veterani que primi Cæſaris auctoritatem ſecuti conatum Antonij repulerunt, poſt eiuſdem furorem Martia legio fregit, quarta afflixit. Sic à ſuis legionibus condemnatus, irrupit in Galliam, quam ſibi armis; animiſque infeſtam, inimicamque cognouit. Hunc A. Hircij, C. Cæſaris exercitus inſequuti ſunt: poſt Panſæ delectus vrbem, totamque Italiam erexit. Vnus eſt omnium hoſtis.*

Cur.

Hic habetur ratio finis, cuius cauſa res ſuſcipienda ſuadetur, vt putà, bellum, aut ad vindicandam iniuriam, aut ad libertatem defendendam, aut ad imperium propagandum, quem locum tractat Cic. pro lege Man. n. 12. *Videte, ne vt illis pulcherrimum fuit tantam vobis imperij gloriam relinquere, ſic vobis turpiſſimum ſit illud, quod accepiſtis, tueri, & conſeruare non poſſe. Quid; quod ſalus ſociorum ſummum in periculum ac diſcrimen vocatur. Regno expulſus eſt Ariobarzanes Rex, ſocius Pop. Ro. atque amicus; imminent duo Reges toti Aſiæ, non ſolùm vobis inimiciſſimi, ſed etiam veſtris ſociis atque amicis.*

Quomodo.

Expenditur ratio negotij perficiendi, & quaſi dantur præcepta quædam atque documenta, ad illud facilius obeundum; totus eſt in iſtis ferè Demoſthenes præſertim Philippicis, Olynthiacis Orationibus, vbi totam rationem belli contra Philippum gerendi, multis explicat.

Quando.

Et hic temporis obſeruatur opportunitas: nam aliis rebus commoda ſunt tempora: Tull. de bello in Anton. Phil. 3. n. 32. *Nullum erit tempus, hoc amiſſo, à tergo à fronte, à lateribus tenetur. Si in Galliam venerit, non ille armis ſolùm, ſed etiam noſtris decretis vrgendus eſt, magna vis eſt, magnum nomen, vnum & idem ſentientis Senatus.*

Euentus in hoc etiam genere ſpectandi ſunt, vt ex iis quæ re geſtâ accident, colligantur vtilitates, & commoda, quæ res illa affert, quam in rem eſt illud Cic. ſpecimen egregium. Phil. 3. n. 35. *Noſtis inſolentiam Antonij, noſtis amicos, noſtis totam domum: libidinoſis, petulantibus, impuris, impudicis, aleatoribus, ebriis ſeruire, ea eſt ſumma miſeria, ſummo dedecore coniuncta.*

Præter hos locos etiam ad hoc genus referri poſſunt aſſumptiua & inſiti; nam ad ſuadendum non parùm iuuant leges, præiudicia, Iuſiuranda, pacta, conuenta, aliaque eiuſmodi, quibus ad rem ſuſcipiendam videntur obligari auditores.

Sub poſſibili comprehendimus facilè, quod probatur occaſione, & circumſtantiis, ſi à multis nobis longè inferioribus id factum euincamus; ſi multoties ab aliis ſuperatos dicamus, ſi aliàs non tàm magnis viribus præſtiterimus id quod iam nobis arduum apparet. Sic ridet Dracones apud Ouid. Hercules.

Cunarum labor eſt angues ſuperare mearum.

Multa auxilia negotium expeditū faciunt. Hac ratione Pop. Ro. excitat ad arma contra Antonium pro libertate Phil. 3. n. 32. *Videtiſne refertū forum: Populū Ro. ad ſpem recuperandæ libertatis erectum? qui longo interuallo, cùm frequentes hic videt nos, tùm ſperat etiam liberos conueniſſe.*

Quod ſi difficile ſit negotium, erit illa difficultas fructu, & vtilitate, vel etiam gloriâ compenſanda, proindè eo magis huic rei incumbendùm, quò nihil magni ſine ſudore, ſine periculo

conſe

conſequitur; Et quidem vt audacter Seneca in Hercule furente:

Imperia dura tolle, quid virtus erit?
Virtutis eſt domare quæ cuncti pauent.
Nec eſt ad aſtra mollis è terris via.

Ita rem difficilem & arduam honeſtate compenſat & vtilitate Cicero pro Sextio n.102. *Eſt labor non nego, pericula magna fateor, multæ inſidiæ ſunt bonis, veriſſimè dictum eſt, ſed te id, quod multi inuideāt, multique expetant, inſcitia ſit, inquit, poſtulare, ſi tu laborem ſummâ cum cura offeras nullum.*

LECTIO III.

Diſpoſitio Deliberatiui generis.

BEnè qui naturam ipſam apta Compoſitione partium & ordine ſtare putant, quo confuſo peritura ſint omnia: ſic Oratio deſtituta iudicio, quæ pars eſt eloquentiæ potiſſima, tumultuatur, & caſum potiùs, quàm conſilium ſequitur. Cùm igitur quidquid peccatur, perturbatione peccetur rationis & ordinis, momento quodam & iudicio inuenta Deliberatiui generis diſponere prudentis eſt Oratoris.

PVNCTVM I.

Quot in hoc genere ſint partes Orationis.

HVic generi partes tres dūtaxat à pleriſque tribuuntur, Exordium Propoſitioni iunctum, Contentio, Peroratio Narrationem apertè excludit Ariſt. dum Rhet. cap. 16. ſic ait, ἐν δὲ δημηγορίᾳ ἥκιστα διήγησίς ἐστιν, ὅτι περὶ τῶν μελλόντων οὐδεὶς διηγεῖται, in Deliberatione non eſt Narratio, quia de futuris nemo narrat; quem ſequitur Fabius lib.3. cap.8. *Narrationem nunquam exiget priuata Deliberatio eius dumtaxat rei, de qua dicenda eſt ſententia, quia nullus ignorat id, de quo conſulis*; poſſunt tamen multa narrari, quæ ſint velut exempla rerum ante geſtarum, quibus vtatur Orator, tanquam argumentis ad ſuadendum, eo fine, quem indicat Ariſt. nimirum, vt in memoriam reducentes præterita, meliùs de futuris conſultare poſſint.

Quod vt clarum fiat, Narratio, quam neceſſariam vocant, duobus ſolùm temporibus, nec aliter aſſumi poteſt; primo vt præteritis recenſitis acrius inſtigemus, faciliúſque moueamus auditores ad id aggrediendum, quod ſuademus; mirè præſtat hoc artificium Cic. pro Pompejo, cùm narrat quæ crudeliter aduerſus Romanos à Mithridatè geſta ſunt. Item ſi quis probet non eſſe pacem cum Pyrrho faciendam, quàm appoſitè retexet cladem ab ipſo Romanis illatam?

Secundo cùm auditor docilis fieri debet, ſi nondum ſatis percipit in quo ſita ſit tota controuerſia vndè orta, quomodo terminari poſſit; aut periculum, rei difficultatem, magnitudinem ignorat: nonnumquam de nobis aliqua narramus, vt facilius admittamur in auditorum animis. Cic. 2. Agrari n. 2 *De me autem ipſe vereor ne arrogantis ſit apud vos dicere: ingrati tacere. Nam & quibus ſtudiis hanc dignitatem conſecutus ſim, memetipſum commemorare perquàm graue eſt: & ſilere de tantis veſtris beneficiis nullo modo poſſum. Quare adhibebitur à me certa ratio, moderatióque dicendi, vt quid à vobis acceperim, commemorem: quare dignus veſtro ſummo honore, ſingularique iudicio ſim, ipſe modicè dicam.*

Quod ſi nulla Narratio ſit in Deliberatione noſtra, ſtatim ab Exordio ſubiicienda erit propoſitio, ac ſententia, quam explicare copioſè, & ſumma cum authoritate conueniet; ad imitationem Oratoris qui 1. Phil. n. 16. ſic agit. *Primùm igitur acta Cæſaris ſeruanda cenſeo: non quo probem; quis enim id quidem poteſt? ſed quia rationem habendam maximè arbitror pacis, & otij.*

Idem Phil. 5. n. 3. *Pacem vult M. Antonius, arma ponat, roget, deprecetur, neminem æquiorem me reperiet: nihil eſt profectò quod dari paſſis bellum gerenti: erit fortaſſe aliquid, quod poſſit concedi roganti. Legatos verò ad eum mittere, de quo grauiſſimum iudicium nudiuſtertius decimus feceritis, non iam leuitatis eſt, ſed, vt quod ſentio, dicam, dementiæ.*

PVNCTVM II.

Exordium Deliberatiui generis.

PRincipium ſententiis dicendis aut nullum, aut breue eſſe debet; quoniam qui delibe-

DDddd rant,

Digitized by Google

rant, ſpontèſua parati ſunt ad audiendum; Non enim ſupplex ut ad Iudicem venit Orator, ſed hortator atque auctor, quare proponere, qua mente dicat, quod velit, quibus de rebus dicturus ſit, debet, hortarique ad ſe breuiter dicentem audiendum. Itaque per ſe res ipſa non requirit Exordium, ſiue quis petat à nobis conſilium in priuatis conſultationibus, rebuſque omnibus, & cauſa ſui perſpecta.

Sunt tamen duo tempora maximè quibus adhibeatur Exordium. Primum vt quod ornamentum, & dignitatem habeat Oratio, ne temerè, ac ſine ratione expoſita videatur: ſolet quippe Exordium Orationi multum authoritatis afferre; eam ob rem meritò Leontium Gorgiam reprehendit Ariſt. quòd cùm Ælienſes laudaret, ſtatim ab ipſa eorum Ciuitate duxerit Exordiū. Doctorem habes Cic 9. in Anton. n. 1. *Vellē Dij Immort. feciſſent P. C. vt viuo potiùs Ser. Sulpicio, gratias ageremus, quàm mortuo honores quæreremus, &c.*

Secundum vt doceamus, ſi non ſatis id capitur ab Auditoribus, quanta ſit res, de qua deliberatur, aut maiorem, aut minorem hominum opinione oſtendamus. Phil. 7. n. 1. *Paruis de rebus, ſed fortaſſe neceſſariis conſulitur P. C. de Appia via, & de Moneta, conſul: de Lupercis Trib pleb. refert, quarum rerum etſi facilis explicatio videtur, tamen animus aberrat à ſententia, ſuſpenſus curis maioribus. Adducta enim eſt res in maximum periculum, & extremum penè diſcrimen.*

Tertia in eundem n. 1. *Seriùs omnino P. C. quàm tempus Reip. poſtulauit, aliquando tamen conuocati ſumus: quod flagitabam equidem quotidie: quippe cùm bellum nefarium contra aras, & focos: contra vitam, fortunaſque noſtras, ab homine profligato, ac perdito non comparari, ſed geri iam viderem.*

Hic eſt opus Exordio artificioſo, cùm necdum comparatum habemus auditorem, quod fit cùm vltrò venimus ad dicendum non rogati; vel aliquid obtinere volumus, de eóque certamus cum aliis dicendo. In hoc genere fontes deſignauit Ariſtoteles, à quibus Exordia peti debeant, perſona noſtra, vel aduerſarij, vel ab ipſa re, ſcilicet vt maior, vel minor appareat, quàm exiſtimetur.

A perſona quidem noſtra deſumitur ad concitandam nobis authoritatem, valet enim ait Quintil. in conſiliis auctoritas plurimùm; nam & prudentiſſimus eſſe, haberique optimus debet, qui ſententiæ ſuæ de vtilibus & honeſtis credere omnes velit. In iudiciis enim vulgò fas habetur indulgere aliquid ſtudio ſuo: Conſilia verò nemo eſt qui neget ſecundùm mores dari. Id ſpectabat Cic. quem propter Eloquentiæ magnitudinem Olympium dicas, dum pro lege Man. ſic orditur. *Nam cùm antea per ætatem nondum huius auctoritatem loci cōtingere auderem: ſtatueremque nihil huc niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtriâ, afferri oportere. Nunc cùm & authoritatis in me tantum ſit, quantum vos honoribus mandandum eſſe voluiſtis: & ad agendum facultatis tantùm, quantùm homini vigilanti ex forenſi vſu, propè quotidiana dicendi exercitatione potuit afferre: certè & ſi quid etiam dicendo conſequi poſſum, iis oſtendam potiſſimùm, qui ei quoque rei fructum ſuo iudicio tribuendum eſſe cenſuerunt.*

Hanc porrò auctoritatem ſibi quilibet comparat modeſta ſui commendatione: in quo ſeruanda ſunt quæ in hanc rem aliàs præcepimus.

Præterea debet Orator à ſua perſona beneuolentiam ſibi comparare, idque vel animi grati ſignificatione; quaſi ad referendam gratiam primum venerit ad dicendū. Hanc induſtriam multis in locis adhibuit Cic. Agraria 2. nū poſtquam egit de conſuetudine eorum, qui ad habendas populo gratias Orationes componunt, ſic pergit, n. 2. *De me autem ipſe vereor ne arrogantis ſit apud vos dicere: ingrati, tacere: nam & quibus ſtudiis hanc dignitatem conſequutus ſim, memetipſum commemorare, perquàm graue eſt: & ſilere de tantis veſtris beneficiis nullo modo poſſum.*

Paulò poſt exaggeratis beneficiis ab vniuerſo populo in ſe collatis, pollicetur vice gratiæ, ſe conſulem popularem futurum, vndè ſenſim inſinuat ſe in legem Agrariam, cum huius legiſlatorem eſſe demonſtrat ſanè ingenioſè à num. 5. *Hoc ego tàm inſigne, tàm ſingulare veſtrum beneficium, cùm ad animi mei fructum, atque lætitiam duco eſſe permagnum, tùm ad curam ſollicitudinemque multò maius. Verſantur enim in animo meo multæ, & graues cogitationes, quæ nullam neque diurnæ: neque nocturnæ quietis partem impertiunt Ego autem non ſolum hoc in loco dicam, vbi eſt id dictu facillimum; ſed in ipſo Sena-*

tu,

Digitized by Google

tu, in quo locus huic voci non videbatur, popularem me futurum eſſe conſulem, &c.

Tertio, profeſſione amoris ſui in ciues, & charitatis in patriam; quorum ſalutem noſtrę præferamus ita Tull. eleganter pro more 4. in Catil. n. 1. *Eſt mihi iucunda in malis, & grata in dolore veſtra erga me voluntas, ſed eam, per Deos Immortales, quaſo deponite, atque obliti ſalutis meæ, de vobis ac de liberis veſtris cogitate. Mihi quidem ſi hac conditio conſulatus data eſt, vt omnes acerbitates, omnes dolores, cruciatusq; perferam: feram non ſolùm fortiter, verùm etiam libenter, dummodo meis laboribus, vobis populóque Ro. dignitas, ſalusq; pariatur. Ego ſum ille Conſul, qui non forum in quo omnis æquitas continetur: non Curia ſummum auxilium omnium gentium; non domus, commune perfugium: non lectus, ad quietem datus: non denique hac ſedes honoris, Sella Curulis, vnquam vacua mortis periculo, atque inſidiis fuit.*

Quarto. A deſiderio bene conſulendi: ac de re propoſita dicendi ſtudio, orto ex ſola cupiditate publicæ ſalutis. Philippi. 5. n. 1. *Nihil vnquam lõgius Kalendis Ian. mihi viſum eſt P. C. quod idem intelligebam per hos dies vnicuique veſtrum videri. Qui enim bellum cum Rep. gerunt, hunc diem non expectant. Nos autem tum, cùm maximè conſilio veſtro ſubuenire communi ſaluti oporteret, in Senatũ non conuocabamur. Sed querelam præteritorum dierum ſuſtulit Oratio conſulum, &c.*

Iam ab aduerſariorum perſona, detegendo eorum conſilia, atque fines, quos ſibi in re, hoc vel illo modo, ad ſuam libidinem, conficienda, propoſuerunt; vt, aut dicãtur iniuſtè agere. Quod Cic. 3 Agraria n. 1. *Commodius feciſſent Tribuni pl. Quirites, ſi qua apud vos de me detulerunt, ea coram potius, me præſente dixiſſent. Nam & æquitatem veſtra diſceptionis, & conſuetudinem ſuperiorum, & ius ſuæ poteſtatis retinuiſſent. Sed quoniam adhuc præſens certamen, contentionemq; fugerunt: nunc, ſi videtur eis, in meam concionem prodeant, & quò prouocati à me, venire noluerunt, reuocati ſaltem reuertantur.*

Vel inuidere vtilitati publicæ Phil. 7. n. *Non ſine cauſa Legatorum iſtam miſſionem ſemper timui, nunquam probaui: quorum reditus quid ſit allaturus ignoro: expectatio quidem quantum afferat languoris animis quis non videt? non enim ſe tenent ij, qui Senatum dolent ad auctoritatis priſtinæ ſpem reuiuiſcere, coniunctum huic ordini Populum R. conſpirantẽ Italiam, paratos exercitus, expeditos duces.*

Tertio non rectà ſentire, aut conſulere. Phil. 8. n. 1. *Confuſius heſterno die eſt acta res C. Panſa, quàm poſtulabat inſtitutum Conſulatus tui. Parum mihi viſus eſt eos, quibus cedere non ſoles ſuſtinere. Nam cùm Senatus ea virtus fuiſſet, quæ ſolet, & cùm re viderent omnes eſſe bellum, quidamq; id verbum, remouendum arbitrarentur: tua voluntas in diſceſſione fuit ad lenitatem propenſior.*

Denique aut propria potius cõmmenda quærere; quàm publica, affectare lucrum, Conſulatus imperium, aut aliquid eiuſmodi:

Ab auditorum perſona, cognoſcendi illorum inſtituta, mores, Reip. adminiſtrationem, vt omnia noſtra accommodemus ipſorum ingenio, atque vtilitatis, & honeſtatis potiſſimum argumenta ducamus ex eorum opinione, & ſententia, declarando, nos eam dicturos ſententiam, quæ totum id perficiat, quod maximè in votis habent. Quare videndum eſt Oratori, quibuſcum dicat; multum ſiquidem intereſt, ait Quintil. pluribus ſimul, an ſingulis, & in pluribus Senatus ſit, aut Populus Ro: an barbari, & Græci, & in ſingulis Catoni petendos honores ſuademus, an Mario; proindè ſexus, dignitas, ætas intuenda, ſed mores præcipuè diſcrimen dabunt.

Ab ipſa re, vitiò conciliatur attentio, ſi vel rei magnitudinem, vel dignitatem, aut momentum, aut aliquod eiuſmodi attributum, proprietatem que ipſis oſtenderis, vt ad eam audiendam excitentur. Pro legè Man n. 3. *Atque illud in primis nihil latandum iure eſſe video, quòd in hac inſolita mihi ex hoc loco ratione dicendi, cauſa talis oblata eſt, in qua oratio deeſſe nemini poteſt. Dicendum enim eſt de Cn. Pompeij ſingulari, eximiaq; virtute; huius autem Orationis difficilius eſt exitum, quàm principium inuenire. Itaque non tam copia mihi, quàm modus in dicendo quærendus eſt.*

3. in Catil. n 1 *Rempublicã Qu. vitamq; omnium veſtrũ, bona, fortunas, coniuges liberosq; veſtros, atq; hoc domicilium clariſſimi imperii, fortunatiſſimam pulcherrimamq; vrbem hodierno die, Deorũ Immort. ſummo erga vos amore, laboribus, conſiliis, periculiſque meis, ex flamma, atque ferro, ac penè*

Digitized by Google

ex faucibus fati ereptam,& vobis conſeruatam, ac reſtitutam videtis. Et, ſi non minus iucundi nobis, atque illuſtres ij dies, quibus conſeruamur, quàm illi,quibus naſcimur, quod ſalutis certa lætitia eſt naſcendi incerta conditio: & quòd ſine ſenſu naſcimur; cum voluptate conſeruamur,&c.

Diſſuaſio nonnunquam longius principium requirit,præſertim ſi diſſuadere velimus illa,quæ videantur eſſe iis, apud quos dicimus, vtilia. Quod obſeruat diligenter Tull. 2.in Rullum,vbi longam inſinuationem adhibet,ob metũ offenſionis popularis,quam ſic concludit n.14.*Omni hoc vobis ratione confirmare poſſum, hoc animo me ad legendam legem, cognoſcendamque veniſſe,vt ſi eam vobis accommodam atque vtilem eſſe intelligerem,auctor eius atque adiutor eſſem.*

Cœterùm quod pertinet ad dictionem Exordii, audiendus eſt. Quintil. cap.8.lib.3.arguens eos qui hoc in genere principia abrupta,& concitatam ſemper Orationem,& in verbis effuſionem,cultumque affectauerint. Contra quos *Cur*, inquit,*initio furioſo ſit exclamandum non intelligo, cum propoſita conſultatione rogatus ſententiam, ſi modò eſt ſanæ mentis,ciuili debet atque humano ingreſſu mereri aſſenſum deliberantis.*

PVNCTVM III.

Generis Deliberatiui Contentio, ſeu Confirmatio.

QVo minor eſt huius generis Narratio, eò grauior,& maior eſſe debet Contentio,ſeu Confirmatio: Itaque poſt comparatam,ſic opus fuerit Exordio,beneuolentiam,& explicata breuiter totius cauſæ ratione,ſententia proponi debet,tùm probatio in certa quædam capita diſtribui ſolet, quæ ordine tractentur; vt, ſi dicatur illud vtile eſſe quod ſuadetur:in hoc quippe genere quæritur vtilitas,honeſtum etiam,quod neceſſarium eſt.Cic.Phil.7.n.9.*Pacem cum Antonio eſſe nolo,quia turpis eſt,quia periculoſa,quia eſſe non poteſt; quæ tria dum explico peto à vobis,vt eadem benignitate, qua ſoletis, verba mea audiatis. Quid eſt inconſtantia,mobilitate,leuitate,cùm ſingulis hominibus,tùm verò vniuerſo Senatui, turpius? quid porro inconſtantius,quàm, quem modo hoſtem, non verbo,ſed re,multis decretis iudicauiſtis, cum hoc ſubitò pace velle coniungi.*

Pro lege Man.n.6.*Cauſa quæ ſit,videtis, nunc quid agendum ſit,conſiderate. Primum mihi videtur de genere belli: deinde de magnitudine, tùm de Imperatore deligendo eſſe dicendum. Genus eſt enim eiuſmodi,quod maximè veſtros animos excitare, atque inflammare maxe debet: in quo agitur Populi Ro.gloria,quæ vobis à maioribus cùm magna in rebus omnibus,tùm ſumma in re militari tradita eſt: agitur ſalus ſociorum,atque amicorum,pro qua maiores veſtri magna,& grauia bella geſſerunt: aguntur certiſſima Pop.Ro. vectigalia& maxima,quibus amiſſis,& pacis ornamenta,& ſubſidia belli fruſtra requiretis,&c.*

Sæpè ſine diſtributione,ſola ſententiæ propoſitione contentus, ad eius confirmationem aggreditur Cic.Phil 1.n.16.*Primùm igitur acta Cæſaris ſeruanda cenſeo:non quo probem;quis enim id quidem poteſt? ſed quia rationem habendam maximè arbitror pacis, & otij Vellem adeſſet Antonius, modò ſine aduocatis.*

Huic generi præter iam dicta,maximè propria eſſe docet exempla Rhet.3.cap.17.Ariſt. ἐςὶ δὲ τὰ μὲν παραδείγματα δημηγορικώτατα, exempla ſunt maximè Deliberationi accommodata: Cùm enim Deliberatio ſit futurorum, neceſſariò exempla deſumi debent,cùm de re agenda ſæpè deliberetur,quæ olim acta fuerit: quare Cic.in partic.n.96.*Vterq; verò ad augendum habeat exemplorum,aut recentium, quò notiora ſint,aut veterum, quò plus auctoritatis habent, copiam. Maximéque ſit in hoc genere mediatus,vt poſſit,vel vtilia,ac neceſſaria ſæpè honeſtis,vel hæc illis anteferre.*

Suaſurus bellum contra Mithridatum multa continuò maiorum exempla commemorat pro lege Man. n. 14. *Quare ſi propter ſocios,nulla ipſi iniuria,laceſſiti maiores veſtri cum Antiocho, cum Philippo,cum Ætolis, cum Pœnis bella geſſerunt: quanto vos ſtudio conuenit,iniuriis prouocatos, ſociorum ſalutem vnà cum imperij veſtri dignitate defendere,præſertim cùm de maximis veſtris vectigalibus agatur?*

Secundum,quoniam ex Ariſt genus hoc minus Iudiciali,fœcundum & plerumque communibus de honeſtate digreſſionibus caret,ex Athenien

Digitized by Google

nienſium more prægrediendum erit ad alia genera, deliberando, vel eos accuſando qui ſunt contrariæ opinionis, laudando contra nobiſcum conſentientes.

Plerumque genus Deliberatiuum fit per comparationem, hoc eſt, non tantum quid vtile, ſed quid vtilius ſit in eo quæritur: quare videndum eſt ait Quintil. quid conſequuturi ſimus; & per quid, vt æſtimari poſſit, vtrum plus in eo; quod petimus, eſſe commodi, an verò in eo, per quod petimus, incommodi.

PVNCTVM IV.

Generis Deliberatiui Confutatio.

SAtis erat dixiſſe refutationis eoſdem eſſe locos, qui ſuaſionis, ex Cic. partic 95. tamen ad clariorem intelligentiam docent Oratores in hoc genere rationes rationibus, exemplis exempla ſæpius opponenda, nimirum vt æquè veriſimilis appareat mens noſtra, imò verior, quàm aliorum judicetur. Proinde monent illud agendum, vt præcipua rationum firmamenta, quàm dilucidè fieri poterit, diſſoluamus; ſic enim fiet, vt in nos propenſior reddatur Senatus; proderit ad hæc exempla deſumere potiſſimum è Rep. noſtra, vel alia Senatuſconſulta proferre, vel aliam noſtræ ſimillimam ſententiam inducere: nemo Cicerone melius Oratione pro Pompeio num. 52. *Quid igitur ait Hortenſius? ſi vni omnia tribuenda ſunt, vnum digniſſimum eſſe Pompeium: ſed ad vnum tamen omnia deferri non oportere. Obſoleuit iam iſta Oratio, re multò magis, quàm verbis refutata.* Nam tu idem *Q. Hortenſi, multa pro tua ſumma copia, ac ſingulari facultate dicendi, & in Senatu contra virum fortem A. Gabinium grauiter, ornatéque dixiſti, cum is de vno Imperatore, contra Prædones conſtituendo, legem promulgaſſet: & ex hoc ipſo loco permulta idem contra legem verba feciſti. Quid? tum, per Deos Immort. ſi plus apud Populum Rom. auctoritas tua, quàm ipſius populi ſalus, & vera cauſa valuiſſet, hodie hanc gloriam, atque hoc orbis terræ imperium teneremus?*

Vnum in locum Orationis confutationem reiicimus aliquando, ſi primo, vel ſecũdo loco ſententiam diximus; aliàs præcipuè, ſi præcedentis ſententiæ repugnamus, ſpargimus eius confutationem per totam Orationem, vt patet ex Agraria 2. Phil. 8. & 10. graue protſus illud, & plenum maieſtatis exemplum Cic. Phil. 11, num. 16. *Duæ dictæ ſunt ſententiæ: quarum neutram probo: alteram quia ſemper, niſi cùm eſt neceſſe, periculoſã arbitror: alteram, quia alienam his temporibus, exiſtimo. Nã extraordinarium ſemper imperium populare, atque ventoſum eſt, minimè veſtræ grauitatis, minimè huius ordinis.*

Aliàs occurrendum obiectionibus, & ſoluendæ dubitationes refutationis loco Phil. 12. nu. 5. *At non eſt integrum, conſtituta Legatio eſt. Quid autem integrum non eſt ſapienti, quod reſtitui poteſt? Cuiuſuis hominis eſt errare, nullius niſi inſipientis in errore perſeuerare. Poſteriores enim cogitationes, vt aiunt, ſapientiores ſolent eſſe. Diſcuſſa eſt illa caligo, quàm paulò ante dixi: diluxit, patet, videmus omnia, neque per nos ſolùm, ſed admonemur à noſtris. Attendiſtis paulò ante preſtantiſſimi viri quæ eſſet Oratio. Mœſtam, inquit, domum offendi, coniugem, liberos, admirabantur boni viri, accuſabant amici, quod ſpe pacis Legationem ſuſcepiſſem.*

Et paucis interiectis grauiter & copiosè. *Quod ſi erratũ eſt ſpe falsâ atque fallaci: redeamus in viã, optimus eſt portus pœnitenti, mutatio conſilij. Quid enim poteſt Repub. prodeſſe noſtra Legatio? prodeſſe dico? quid ſi etiã nocuit? an vos acerrimã illam & fortiſſimã Populi Rom. libertatis recuperandæ cupiditatẽ, nõ imminutã ac debilitatã putatis Legatione pacis auditã? quid municipia cẽſetis? quid cũctã Italiã futurã eodẽ ſtudio, quo contra cõmune incendiũ exarſerat? an non putamus fore, vt eos pœniteat profeſſos eſſe & præ ſe tuliſſe odium in Antonium, qui pecunias polliciti ſunt, qui arma, qui ſe totos, & animis, & corporibus in ſalutem Reip. contulerunt, &c.*

Aliàs propoſita vtriuſque ſententiâ, rationes diſſoluendæ ſunt à contrariis, Phil. 8. num. 16. *In corpore ſi quid eſt eiuſmodi, quod reliquo corpori noceat, vri ſecariq; patimur, vt mẽbrorũ aliquod potius, quàm totũ corpus intereat: ſic in Reip. corpore, vt totũ ſaluũ ſit, quidquid eſt peſtiferũ ãputetur. Dura vox. Multo illa durior: ſalui ſint improbi, ſcelerati, impij: deleãtur innocẽtes, honeſti, boni, tota Reſp. vno in homine Q. Fuſi, fateor te vidiſſe plus, quã me, ego P. Clodium arbitrabar pernicioſum ciuem, ſcelera-*

Digitized by Google

tum,libidinoſum,impium audacem,facinoroſum: tu contra ſanctum,temperantem,innocentem,modeſtum, retinendum ciuem,& optandum.in hoc uno te plurimum vidiſſe;me ſtultum erraſſe concedo, Itaque ſine verborum contumelia à te diſſentire poſſum,ſine animi ſummo dolore non poſſum,Faueo Bruto,tu Antonio:ego conſeruare Coloniam Populi Rom.cupio,tu expugnare ſtudes. An hoc negare potes,qui omnes moras interponis,quibus infirmetur Brutus,melior fiat Antonius?quoúque enim dicis, pacem velle te?res geritur:conductæ vineæ ſunt;pugnatur acerrimè: qui intercurrerent,miſimus tres principes ciuitatis, hos contempſit,reiecit,repudiauit Antonius.

Secundum nihil tantum poſſe ad refellendum quam exempla ſimilia proferre,aut euentus inde conſequutus.Phil.8.nu.14. *Quid nos à patribus nil aliter accepimus?ergo is ſibi ciuis, ſi téporibus illis fuiſſet non probaretur:quia non omnes ſaluos eſſe voluiſſet. Quod L.Opimius Conſul verba fecit de Rep. de ea re ita cenſuerunt,uti Opimius Conſul Rēpub. defēderet. Non igitur cū ſi tū eſſet, temerariū ciuem, aut crudelē eſſe putares?aut Q. Metellū.cuius quatuor filii Conſulares?aut P. Lentulū Principē Senatorē,cōplures alios ſummos viros, qui cum Opimio Conſule armati Gracchum in Auentinū proſequuti ſunt? quo in prælio Lentulus graue vulnus accepit, interfectus eſt Gracchus,& Fuluius Conſularis,eiuſque duo adoleſcentuli filii. Illi igitur viri vituperandi, non enim ciues omnes ſaluos eſſe voluerunt.*

Euentus autem ſic deſcribit Phil 13 num.21. *Quis tam barbarus vnquam,tam immanis tam ferus non audiuit non reſpondit:neque eos ſolum præſentes, ſed multò magis nos,à quibus illi erant miſſi ſpreuit & pro nihilo putauit. Poſtea quod ſcelus,quod facinus parricida non edidit?circumſedit colonos veſtros exercitū Populi Rom. Imperatorē,Conſulē deſignatum;agros diuexat ciuium optimorum,hoſtis teterrimus omnibus bonis cruces, ac tormenta minitatur. Cum hoc pax eſſe poteſt?cuius ne ſupplicio quidem vllo ſatiari videtur Populus Roman.*

Videndum præterea,vt litteræ quæ in Senatu recitantur refelli debeant,quod fit duobus modis:vel poſt earum lectionem aduerſus illas diſcere,& demonſtrare iniqua poſtulari, exceptis iis rationibus ex epiſtola, quæ potiſſimæ videbantur.

Alter modus eſt litteras in manus ſumere ſi vis & quaſi per commentarios verbis penè ſingulis, ac verſibus reſpondere Phil.8.nu.25 & deinceps Phil.13.à numero 22.ad 49. *dediſſe pœnas ſceleratum cineri atque oſſibus clariſſimi viri,& apparuiſſe Numen Deorum intra finem anni vertentis,aut tam ſolito ſupplicio parricidæ,aut impendente lætandum eſt.O Spartace!quem enim te potius appellem?cuius propter nefanda ſcelera tolerabilis fuiſſe videtur Catilina:lætandum eſſe auſus es ſcribere,Trebonium dediſſe pœnas?ſceleratum Trebonium? quo ſcelere niſi quod te Idib. Martiis à debita tibi peſte ſeduxit?age hoc lætari:videamus quid moleſtè feras.*

PUNCTUM V.

Deliberatiui generis Amplificatio.

DVos fontes aſſignat Cic. in partic. num 96. primus continet exempla,tùm recentia ad notitiam,tùm vetera ad auctoritatem,de quibus ante dictum eſt:ſecundus verſatur in vtilium,ac neceſſariorum, cum honeſtis, comparatione contentioneque; *Maximè vero*, inquit,*ſit in hoc genere meditatus,vt poſſit vel vtilia, ac neceſſaria ſæpè honeſtis,vel hæc illis anteferre.* Cuius contentionis partem illam,quæ vtile honeſto præferre conatur,cautè admodum tractare debet Chriſtianus Orator: libenter enim cum Cic. 3.Offic. num.37.hoc quidem deliberantium genus pellatur è medio(eſt enim totum ſceler tum & impium)qui deliberant,vtrùm id ſequantur,quod honeſtum eſſe videant,an ſe ſcientes ſcelere contaminent:in ipſa enim dubitatione facinus eſt, etiam ſi ad id non peruenerint.Ergo ea omninò deliberanda non ſunt,in quibus eſt turpis ipſa Deliberatio: atque etiā in omni Deliberatione celandi,& occultandi ſpes opinioque remouenda eſt. *Satis enim nobis perſuaſum eſſe debet,ſi omnes Deos hominesq;Celare poſſimus,nihil tamē auarè nihil iniuſtè,nihil libidinosè,nihil incontinenter eſſe faciendum.*

Quod de bello Sertorius apud Plut. hoc nos de forenſi victoria dicamus in hanc rem: viro forti optandum cum honore victoriam, cum turpi-

Digitized by Google

turpitudine verò ne ſalutem quidem: contra verò improbemus Ageſilai dictum minus honeſtum, qui Phæbidis Ducis factum defendens, quod tempore pacis & induciarum Cadmæam vrbem occupaſſet, aiebat quæ eſſent è Rep. Lacedæmoniorum, ea vt nemo mandet, debere vltrò fieri, idque factum, quatenus ex vſu foret, ſpectandum, cum quo Lacedemones damnamus, qui primam honeſti partem tribuentes, neque dicebant, neſciebant quidquam iuſti, niſi quod amplificaturum vrbem putarent.

Habeat igitur Orator ſemper in ore quod Cleomedes, vincat apud nos potiùs quod glorioſum ſit, quam vtilitas; & Demoſthenem imitetur cuius Orationes Panætius aiebat honeſtum propter ſeipſum expetendum ſuadere, vt de Corona contra Ariſtocratem: Philippicas in quibus, non id, quod iucundiſſimum, aut facillimum, aut vtiliſſimum, ſed ſecuritatem, & ſalutem decoro poſtponendam perſuadebat: Et ſanè ita lymphati recedebant ab eius concionibus Athenienſes, vt rapti ad honeſtum, merum, rationem, gratiam abiicerent.

Hic nolumus cum Quintil. quidquam fieri turpiter; quia tamen ad exercitationem hæc pertinere creduntur (nam & iniquorum ratio cognoſcenda eſt, vt melius æqua tueamur) breuiter indicandum quâ ratione profani auctores has Deliberationes pertractari velint.

Ac primò quidem ad occultandum virus ſuum ſeruabant quod Fabius præcipit lib.3. c.8. vt ſi inhoneſta, vel vtilia ſuadere vellent, non tanquam inhoneſta ea proponerent, ſed darēt iis colorem aliquem honeſtatis, idque etiam apud malos; nec enim eſt in aliquo tam deſperatus furor pudorque profligatus, vt malus haberi velit.

Secundò non apertè contendebant vtilia honeſtis eſſe præferenda; nam illa ſola probatione omnium calculis damnata, auditorum ab ſe animos alienaſſet, ſed vtilitatem adſcitâ honeſtate tegentes, eò ſenſim rem per ſerpentes cuneos deducebant, vt tandem vtilitatem amplectendam eſſe probarent. Nimirum ſine felicitate Rempubl. ſtare non poſſe, miſeram, inermem, hoſtium crudelitati expoſitam; felicitatem verò ciues nunquam conſequuturos, ſi fortunarum, vitæque diſcrimen ſubeant, ſubituros verò ſi libertatis conſeruandæ causâ velint hoſtibus validioribus reſiſtere, eſſe propterea aut dedendam vrbem, aut quaſuis iniquas pacis conditiones accipiendas, aut miſerè ſeruiendum.

Tertiò eleuabant infamiam, quæ cum vtilitate coniuncta erat, eam aut leuem, aut non diuturnam, aut etiam eſſe nullam, aut poſſe, ſi quæ tamen eſſet, facilè compenſari rebus præclaris, ac virtutibus: denique neceſſitatem vrgebant cui nemo poteſt obſiſtere. Talis eſt illa Concio Lentuli ad Caudinas ex Liuio lib.9.dec.1. *Equidem mortem pro patria præclaram eſſe fateor: & me vel deuouere pro Populo Rom. legionibúſque, vel in medios me immittere hoſtes paratus ſum: ſed hic patriam video, hic, quidquid Romanarum legionum eſt; quæ niſi pro ſe ipſis ad mortem ruere volunt, quid habent quod morte ſua ſeruent? tecta vrbis dicat aliquis, mœnia, & eam turbam, à qua vrbs incolitur: imò herculè produntur illa magis omnia deleto hoc exercitu: non ſeruantur. Quis enim ea tuebitur? imbellis videlicet, atque inermis multitudo? tam hercule, quam à Gallorum impetu defendit: An à Veiis exercitum, Camillúmque ducem implorabunt? hic omnis ſpes, opéſque ſunt: quas ſeruando, patriam ſeruamus: dedendo ad necem, patriam deſerimus, ac prodimus. At fœda, atque ignominioſa deditio eſt, ſed ea caritas patriæ eſt, vt tam ignominia eam, quam morte noſtra, ſi opus ſit, ſeruemus. Subeatur ergo iſta quantacumque eſt indignitas, & pareatur neceſſitati; quam ne Dij quidem ſuperant. Ite Coſſ. redimite armis ciuitatem: quam auro maiores veſtri redemerunt.*

PVNCTVM VI.

Generis Deliberatiui Peroratio.

HVius generis Perorationis officia duo deprehendunt Oratores; alterum ſententiam pronuntiare; alterum motus concitare. Primum clarè Cic.' vſurpat cum aceruatione cauſarum. Phil.3.n.37. *Quas ob res, quod Tribuni pl. fecerunt,*

vt

Digitized by Google

vt Senatus Kal. Ian. tutò haberi, ſententiæque de ſumma Reip. libere dici poſſent: de ea re ita cenſeo, vt C. Panſa, A. Hirtius Conſules deſignati, dent operam, Senatus Kal. Ian. tutò haberi poſſit, &c. Idem Phil. 8. 9 10. 13. 14. Quorum omnium nullum aliud artificium eſt, quàm nuda, & perſpicua explicatio ſuæ ſententiæ, & conſilij, quod datur, collectâ ex ſuperiori Oratione.

De motibus huius Orationis ita loquitur Cic. particionum n. 96. *Ad commouendos autem animos maximè proficiēt, ſi incitandi erūt, huiuſmodi ſententia, quæ ad explendas cupiditates, aut ad odiū ſatiandum, aut ad vlciſcendas iniurias perturbant.* Contra Mithridatem Quirites ſic inflammat, pro lege Man, num 11. *Maiores veſtri ſæpè mercatoribus ac nauiculatoribus iniurioſius tractatis bella geſſerunt: vos tot Ciuium Rom. millibus vno nuntio, atque vno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis:*

Affectus præcipui numerantur Deſiderij: nam cum bona quærenda proponantur, ad eorum deſiderium excitandi ſunt & inflammandi ciues:

Spei, quam propoſitis facultatibus quibus deſiderata facilè conſequi poſſint, in illorum animis erigimus, erectamque ſuſtentamus.

Amoris, quando rei bonitatem, honeſtatem ac pulchritudinem, ſeu vtilitatem etiam ob oculos ponimus, vt ardentiores quaſdam amoris faces iniiciamus. Vel cum Orator ſuam in ciues, in Remp. alioſque beneuolentiam teſtatur, ſeque eâ adductum, ſpectare illorum commoda eiſdemque deinceps ſuum ſtudium, & amorem pollicetur, Agraria 2. n. 99. *Quare modò vt vita ſuppetat, quamquam ego ſum is, qui eam poſſim ab illorum ſcelere, inſidiiſque defendere, polliceor hoc vobis, Quir. bona fide Remp. vigilanti homini, non timido; diligenti, non ignauo, commiſiſtis, &c.*

Pro lege Manil. 69. *Quæ cùm ita ſint C. Manili, primùm iſtam tuam, & legem, & voluntatem, & ſententiam laudo, vehementiſſimèque comprobo: deinde te hortor, vt auctore Pop. Rom. maneas in ſententia, neue cuiuſquam vim, aut minas pertimeſcas. Ego quidquid in me eſt ſtudij, conſilij, laboris, ingenij, quidquid hoc beneficio Pop. Rom. atque hac poteſtate Prætoria, quidquid auctoritate, fide, conſtantia poſſum, id omne ad hanc rem conficiendam tibi, & Pop. Rom. polliceor, & defero.*

Si diſſuadendum eſt, res impeditæ, difficiles, moleſtæ, terribiles proponendæ, quibus motus terroris odij, deſperationis excitantur.

Metus cietur à periculis imminentibus, Phil. 3. n. 34. *Nihil eſt quod moneam. Nemo eſt tàm ſtultus qui non intelligat, ſi indormierimus huic tempori, non modò crudelem, ſuperbámque dominationem nobis, ſed ignominioſam etiam, & flagitioſam eſſe ferendam. Noſtis inſolentiam Antonij, noſtis amicos, &c.*

Aut qui ſententiam noſtram non ſequuntur, vtputà futurum, niſi deſiſtant, omnes vt in ipſos inſiliant, bellè admodum motum hunc excitat. 2. Agraria à n. 23. ad finem. *Erraſtis Rulle, vehementer, & tu & nonnulli Collegæ tui, qui ſperaſtis vos cōtra Conſulē, veritate, non oſtentatione popularē, poſſe in euertēda Rep. populares exiſtimari. Laceſſo vos in concionem voco, Pop. Rom. diſceptatore vti volo. Erraſtis ſi Senatum probare ea, quæ dicuntur à me, putatis. populum autem eſſe in alia voluntate. Omnes qui ſe incolumes volunt ſequentur auctoritatem Conſulis, ſolutì à cupiditatibus, liberi à delictis cauti in periculis, non timidi in contentionibus, &c.*

Vel acriter monendo auditores, vt ſibi caueāt, enumerando pericula 4. in Catil. n. 44 *Quapropter de ſumma ſalute veſtra, populique Rom. de veſtris coniugibus, ac liberis: de aris ac focis, de fanis ac templis, de totius vrbis tectis ac ſedibus, de imperio, de libertate, de ſalute Italiæ, deque vniuerſa Rep. decernite diligenter, vt inſtituiſtis, ac fortiter, habetis enim Conſulem, qui & parere veſtris decretis non dubitet: & ea, quæ ſtatueritis, quoad viuet, defendere, & per ſeipſum præſtare poſſit.*

Ad quod non parum iuuabit ſi ſpem auxilij afferant; vt enim metu deterrentur, ita animantur ſpe, 1. in Catil. 32. *Quare ſecedant improbi, ſecernant ſe à bonis vnū in locū congregentur: muro denique, id quod ſæpè iam dixi, ſecernātur à nobis: deſinăt inſidiari domi ſuæ Conſuli, circūſtare Tribunal Prætoris vrbani, obſidere cum gladiis curiā, maleuolos ad incendendam vrbem, faceſque cōparare. Sit denique inſcriptum in frōte vniuſcuiuſque ciuis, quid de Rep. ſentiat. Polliceor vobis P. C. tātam in nobis Coſſ. fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in equitibus Rom. virtutem, tantam in omnibus bonis conſenſionem, vt Catilinæ profectione omnia patefacta, illuſtrata, oppreſſa, vindicata eſſe videatis.*

Iam ſi aliquid ſit in noſtra ſententia, quod terrere poſſit auditores, tunc erunt ab illa trepida-

tione,

Digitized by Google

tione, & metu abducendi, comparando vires noſtras, & copias, cum oppoſitis, eaſque iis præferendo. Phil. 4. num. 12. *Non eſt vobis res, Quirites, cum ſcelerato, atque nefario, ſed cum immani tetraque bellua. quæ quoniam in foueam incidit obruatur. Si enim illinc emerſerit, nullius ſupplicij crudelitas erit recuſanda, ſed tenetur, premitur, vrgetur nunc iis copiis, quas iam habemus: mox iis, quas paucis diebus noui Conſules comparabunt. Incumbite in cauſam, vt facitis. Nunquam veſter conſenſus maior in vlla cauſa fuit: nunquam tam vehementer cum Senatu conſociati fuiſtis. Nec mirũ: agitur enim non qua conditione victuri, ſed victurine ſimus, an cũ ſupplicio, ignominiaq́; perituri.*

Vel ab honeſto deduci poſſunt, metus pudorem obiiciendo à turpitudine, ſi rem tàm honeſtam, vtputà libertatis defenſionẽ, non ſuſcipiãt. Phil. 6. n. 19. *Venit tempus, Quirites, Serius omnino quam dignum Pop. Rom. fuit: ſed tamen ita maturũ, vt, differri iam hora non poſſit. Fuit aliquis caſus, vt ita dicam, quem tulimus, quoquo modo ferendus fuit. Nunc, ſi quis erit voluntarius. Pop. Rom ſeruire fas non eſt, quem Dij Immort. omnibus gentibus imperare voluerunt. Res in extremum deducta diſcrimẽ. De libertate decernitur, aut vincatis oportet, quod profectò, & pietate veſtrâ & tanta concordiâ conſequimini; aut quiduis potius, quam ſeruiatis. Aliæ nationes ſeruitutem pati poſſunt, Populi Rom. eſt propria libertas.*

Aut ne patiantur tam commodas elabi occaſiones Phil 7. n. 28. *Te ipſum moneo Panſa, quamquam non eges conſilio, quo vales plurimum: tamen etiam ſummi gubernatores in magnis tempeſtatibus à vectoribus admoneri ſolent, hunc tantum tuum apparatum, tamque præclarum, ne ad nihilum recidere patiare, tempus habes tale, quale nemo habuit vnquam. Hac grauitate Senatus, hoc ſtudio equeſtris ordinis, hoc ardore Populi potes in perpetuum Remp. metu, & periculo liberare.*

Vel ab æmulationis honeſtæ ſtudio, nempe ſe Romanos eſſe meminerint. Phil. 4. n. 13. *Quamquam mortem quidem omnibus natura propoſuit: crudelitatem mortis, & dedecus virtus propulſare ſolet: quæ propria eſt Romani generis, & ſeminis, hanc retinete, quæſo Quirites; quam vobis tanquam hæreditatem, maiores veſtri reliquerunt. Quamquam omnia alia, incerta ſunt, caduca, mobilia: virtus eſt vna altiſſimis defixa radicibus: quæ nunquam vlla vi labefactari poteſt, nunquam dimoueri loco. Hac maiores noſtri primum Italiam deuicerunt, deinde Carthaginem exciderũt, Numantiam, euerterunt, potentiſſimos Reges, bellicoſiſſimas gentes, in ditionem huius imperij redigerunt.*

Vt pacem diſſuadeat cum Antonio ſanciendam, motus terroris & odij adhibet, eiuſque crudelitatem deſcribit Phil. 4. n. 11. *Non eſt, non eſt vobis, Quirites, cum eo hoſte certamen, quo cum aliqua pacis conditio eſſe poſſit: neque enim ille ſeruitutem veſtram, vt antea, ſed iam ira us ſanguinem concupiſcit. Nullus ei ludus videtur eſſe iucundior, quàm cruor, quàm cædes quàm ante oculos trucidatio ciuium.*

Denique miſericordiæ motus adhibendus, vt ſuis liberis parcant, qua in re triumphat Catil. 4. dum tanquam moriturus pro libertate patriæ ſuos liberos Pop. Rom. commendat n. 23. *Quod ſi meam ſpem vis improborum fefellerit, atque ſuperauerit: commendo vobis paruum filium meum: cui profectò ſatis erit præſidij, non ſolùm ad ſalutẽ, verum etiã ad dignitatẽ, ſi eius, qui hæc omnia ſuo ſolus periculo cõſeruauerit, illũ eſſe filiũ memineritis.*

In priuatis verò Conſultationibus vix motus adhibentur, niſi cum aliquem videmus nobis familiarem ruere in apertum diſcrimen, alioqui liberum permittimus illi, qui nos conſulit, vt quod volet, ſequatur. Quòd ſi ſuperioris rogatu dixiſſet aliquis ſuam ſententiã, perorare poſſet, à quadam excuſatione ſui, quaſi nihil prorſus eo dignum dixerit. Hanc induſtriam docet Dio Chryſoſtomus Oratione de exercitatione dicendi, ſic enim loquitur: ſed videor nimis extendere conſilium, tu verò in cauſa es, qui mihi perſuaſiſti, meque prouocaſti; vt quemadmodum in luctu præſtantiores infirmioribus confidentes, interdum iis perſuadere ſolent, vt ſe credant eſſe fortiores: ita & tu videris quæ melius ipſe noſti, mihi vt minùs ſcienti ſcribenda impoſuiſſe.

Addet aliquis ſe ſolum opinatum fuiſſe ex aliorum ſententia, quod deprehenderit, longo vſu, & experientia rerum edoctus, ruinam imminere non tantùm amici bonis, ſed & fortunæ, proinde vt impleat fidelis amici partes, ac officium, ſe adductum fuiſſe, vt diſſimularet nihil in amici cauſa.

LECTIO IV.

De vſu præceptorum particularium generis Deliberatiui.

HActenus de iis quæ ad Deliberatiuum genus vniuerſum pertinent diſputatum eſt; nunc de diuerſis Orationum ſpeciebus agendum breuiter, quæ ad idem reuocantur: vbi potiſſimùm dominantur affectus. Amoris quidem ac Beneuolentiæ in Monitione, Commendatione, Conciliatione, Petitione; Iræ verò, vel Odij, in Concitatione, Denunciatione: Fiduciæ autem, & Metus, in Cohortatione, Dehortatione; Denique Doloris, ac Miſerationis in Conſolatione. In quibus omnibus cùm ſuadendo, vel diſſuadendo conſilium detur, aut accipiatur, conſequens eſt, vt vnaquæque harum Orationum ad Deliberatiuum genus reuocetur.

PVNCTVM I.

Suaſionis Artificium.

EXordium ſumi poteſt vel à rebus ipſis, de quibus deliberatur: vel à perſonis eorum, qui conſilio præſunt; vel ab eius, qui primus ſententiam rogatus, noſtræ contrariam dixit; quorum beneuolentiam paucis conciliare profuerit; Nimirum Suaſurus pacem petentibus inimicis non eſſe denegandam; ſic orditur ab ipſius Commendatione qui primus diſſuaſit.

Magno te ſemper animo præditum, ac non minùs in aduerſis fortem, quam in proſperis temperatum, & æquabilem miramur. Nam cùm in tanta Reip. calamitate rerumque omnium perturbatione nihil territus, bello perſequendum hoſtem, nec vllam pacis mentionem admittendam putas; egregiam animi tui magnitudinem probas, qui nullis caſibus frangi poſſit, aut labefactari. Verùm, ignoſce ſi quid audacter contra mentem tuam, non contra Reip. ſalutem, ac imperij majeſtatem dixero; Illa animi tui celſitas, ac virtus etiam hoſtibus metuenda, fortaſſe prodeſſet alio tempore, quæ hoc certè lethalem Reipubl. plagam inferre poteſt.

Ab eius perſona qui toti conſilio præeſt. Maximas tibi N. gratias omnes & habere & agere debemus, qui de fortitudine bellica, deque pietate noſtra benè te ſperare hoc præſenti conſilio palam & apertè profiteris; cum nos conſiliorum ſocios, ac periculorum participes eſſe non dedignaris. Sed quam viuum ac ſpirans tuum hoc regiæ virtutis ſpecimen gratum eſt omnibus, tam eius Oratio, qui rogatus eſt ante me, ingrata mihi fuit, & ſi quid poteſt mens mea conijcere, Regno nominique noſtro perniciosa futura, niſi quâ ſoles prouidentiâ, malum anteuertas. Etenim quæ tua iſta N. ratio? quæ mens? quis ſenſus? vt incertâ ſpe vitæ ſecurioris periculorumque fugâ, virtuti noſtræ leuitatis & infamiæ notam inuras ſempiternam? Age verò; quæro abs te, cogitariſne apud quos hæc diceres? &c.

A Conſulum perſona. Vultus veſter ad ſuauitatem compoſitus P. C. & humanitas tanta, quantum ſperare quis poſſit, mihi felicem atque glorioſum huius Deliberationis exitum pollicentur. Nam ad illam publici conſilij ſedem ſto, in qua de pacis otiique, tùm publici, tùm priuati conſeruandi rationibus ſapienter agitis: quapropter non vereor, ne fœdere, & amicitia coniunctos, iiſdem quibus ante legibus, in ſocietatem, & amicitiam maiores noſtri, vel hoſtes receperunt prouocâtes æquitatem veſtram, non offenſione fractos, vel armis debilitatos, ſed integros ac potentes admittatis. Quippe non ignoratis, hiſtoriarum ſcientes, antiquitatis ſtudioſi, moderatione ſapientiaque ſingulares, ſemper hanc lenitate veriùs quàm armis ſtetiſſe Remp. eandem ambitione, ac præcipiti, lubricaque dominandi libidine concediſſe. Quod fœdus ſi plurimum intereſſe Reip. probauero, nec modò non turpe, ſed honeſtum ac glorioſum, ſed neceſſarium, erit ſapientiæ veſtræ prouidere, ne quod Immort. Dei beneficio ſingulari conceſſum nobis eſt, in occaſum interitumque patriæ contempſiſſe lugeamus.

Vel

Digitized by Google

Vel ab aliqua grauiori ſententia Tritum illud, vt veriſſimum ſemper fuit, ſic in Prouerbium abiit, mortales inimicitias immortales eſſe debere. Deus ſancte! quam nefarium eſt atque inhumanum pacem honeſtè facere cùm poſſis, crudelem, & atrociſſimum bellum eligere.

Quod ſtatim excipere poteſt Propoſitio atque Diuiſio. Fœdus igitur cum ſociis, licet hoſtibus renouandum cenſeo, quia Reipub. glorioſum, & vtile, quia neceſſarium, quia facilè fieri poteſt ac debet. Quæ tria, &c.

Narratio.

Narratio, ſi quæ ſit, ſemina quędam argumentorum continet ac rationes, qua potiſſimum deſumuntur ab his locis ſupra nominatis Honeſto quod per ſe laudabile, ac propter ſe expetēdum, cui pro Confirmatione ſubiiciuntur omnes virtutes, & quę legibus, cum ſacris, tum profanis, & exemplis bonorum ſunt commendata. Eodem fama nominis, & infamia referuntur, quæ totum fermè negotium, in deliberando conficiunt, pręſertim apud nobiles, ſolidæ gloriæ potius, quam pecuniarum amantes, aut vitæ.

Veſtram appello fidem P.C: ſi me ſemper non magis periculum famæ atque dedecoris meius, quam vitæ deſiderium tenuit: ſcitis ipſi me nullis pepercisse laboribus, nulla ſubterfugiſſe pericula mortem ipſam glorioſam duxiſſe, ſi modò me cadente, ſtaret Reipubl. dignitas, & exiſtimatio. Quàm impius in patriam, quam crudelis in ciues quam ſceleratus & infamis apud omnes, ſi, dum bonis omnibus pacem optandam, ac ſalutarem perſuadere conor, Populi Rom. majeſtatem imminuo, ſi tanto nomini maculam timidus inuro, ſi quid ab huius ordinis grauitate alienum pronuntio.

Neque ſum is qui potiùs vtilitati quàm dignitati ſeruiendum putem. Vērum quid in ea concordia turpe? imò quid non honorificum, quid non glorioſum? ſi pacem à nobis hoſtes, non virium deſperatione, nec imbecillitatis conſcientia, ſed communis boni deſideria impulſi, poſtulant? ſi eas fœderis conditiones proponunt, quibus ne victis quidem ampliores ferre poſſemus? quid rogo vos, optare melius, &c. Dicam audacter ſed verè, hoc ius ineundę ſocietatis, non modò non infamiæ, ſed & conſilii, ac dignitatis eſſe pleniſſimum. Quid enim, &c.

Si quid nobis aduerſari videbitur, ſtatim refellendum, vel ſi commodius erit Confirmationi ſubiungendum. Nec me mouet quod de illorum perfidia, atque ingenij mobilitate, non tam honeſta, quam animoſa contentione diſputatum eſt, &c.

Ab Vtili.

Quod non propter ſe, ſed propter fructum & commodùm expetitur: quo iam acquiſita bona conſeruatur, nondum adepta comparantur, arcentur ea, quæ his contraria ſunt.

Quis minus ſapiens, fortūnarum omnium ac libertatis, ſalutis vitæque melioris rationem in pace, concordiaque poſitam eſſe negat? hic commoda pacis & incommoda belli ſubiicienda per Effectus, & Adiuncta varia.

A Facili

Quod vel nullo, vel certè non magno labore, ſumptu, moleſtiâ, quam breuiſſimo tempore confici poteſt: quem locum circumſtantiæ probant, Tempus, Locus, Occaſio, Modus, Inſtrumentum, & alia de quibus ſupra.

Quâ tandem ſpe nos ad hoc bellum inuitat N.? cur vltrò pacem oblatam recuſat? victoriæ fiducia? quid ſi turpius victi aliquando fuerimus? fiducia nimia perniciosa: animus vereri qui ſcit, ſic tutò aggredi, ac vincere glorioſè. An amplitudinis? at hoc non modò periculoſum eſſe, ſed etiam dubium & incertum ſæpè noſtro damno didicimus: quis fortunam ridentem blandientemque non vereatur? gloriæne? per quot ciuitatem excidia, quot funera gentium, per orbis terrarum ſtragem atque vaſtitatē quærenda victoria. Et hoc erit imperij noſtri pretium neſcio crudelius, an inuidioſius apud exteras nationes futurum Quantò facilius tutiuſque ſine ferro, ſine cæde, ſine ſanguine, ſine periculo eò peruenire modo poteſtis, non ſine gloria nominiſq;

Digitized by Google

veſtri immortalitate. Certè vobis optanda bona mens ab immortali Deo, vt quoad licet, & in integro poſita res eſt, incerta poſſeſſione decoris & imperii potius, quam in incerta, & atroci ſpe alienæ, noſtræque calamitatis hæreatis.

A Neceſſario & Difficili.

Quòd vel aliter fieri, vel commodè vitari non poſſit. Quæ neceſſitas multis capitibus probari poteſt. 1. A bellis ciuilibus, nempè non eſſe domi tam benè pacata tranquillaque omnia, vt hoſtes magis, quam amicos habere expediat. Verendum P.C. ne occupatis eo bello, ac diſtractis viribus noſtris, vicini moueantur, &c. Per enumerationem malorum quæ ex bellorum incendiis enaſcuntur. Quid Galli? nihilne ab iis nouarum rerũ metuendum cenſetis? Quid Germani? putatis ſociorum iniuriam non vlturos, pro quibus toties arma ſumpſerunt, quid N. &c. Quot infeſtæ Romanis nationes? &c.

Ab hoſtium robore, ac ſæuitia. Qui tandem hoſtes debellãdi nobis? quos partim natura ipſa ad ſæuitiam, & immanitatem finxit, conſtans diſciplina perduxit, domeſtica conſuetudo firmauit? quibus nullos noſtri nominis hoſtes vnquam infenſiores habuimus? qui ſemel attriti profligatiq; vix armis depoſitis atrociores inſurgunt; qui nihil ad nouos ſubinde belli conatus, præter indomitum, atque implacabile odium afferunt qui ſemel exulceratis repudiatæ pacis offẽſione animis, multò quàm ante potentius obſtinatiuſque reſiſtent, qui vulneribus ſaucij, ſic quaſi ferra, atque efferata bellua, in furias, atque deſperationem aguntur. Sic belluarum ritu præcipites ruimus in exitium voluntarium; *Neceſſariam odiſſe vitam hominis eſt deſperati.*

Ab Impoſſibili

Quòd in efficiendi difficultate conſiſtit Quis ſibi felicem huius infelicis belli promittat exitũ in tanta rerum perturbatione, quidquid roboris, ac præſidij fuit in exercitibus fatali plaga concidit, flore Reip. ſublato, extinctis principibus iuuentutis. ſuppleri legiones non poſſunt, exhauſtum eſt ærarium, conſumpta vectigalia, exinanitæ Prouinciæ, quis molem impendentis belli ſuſtinet? Quis infamæ iugum ſeruitutis à ciuium noſtrorum ceruicibus libertatis amans, depellat?

A Tuto.

Quod in tuenda incolumitate ſua, ſuorumque poſitum eſt. Dubitare de hoc ineundo fœdere cum hoſtibus antea ſocietate iunctis, hominis eſt nihil de communi humanitate, parum de Reipub. periculo, ac belli magnitudine, cogitantis Melius, ac ſecurius clementiâ & humanitate, quàm ſeueritate & inimica crudelitate, res adminiſtratur. Hoc enim vel maximè vinculo, cum priuatorum inter ſe neceſſitudines, tum Ciuitatum ſociates multo arctius copulantur. *Quàm Tutum, quos perdere potueras, ſeruaſſe.*

A Iucundo.

Quòd delectationem affert. Quæ poteſt eſſe maior Iucunditas, quàm ab armis diſceſſiſſe? quàm cædi, ac ſanguini ciuium pepercisse; quàm ampliſſimas ciuitates, florentiſſima imperia, potentiſſimas prouincias à vaſtitate, atque incendiis eripuiſſe? quàm nullo negotio, ſine cuiuſquam pernicie, interituque ad ſua, ſuoſque perueniſſe? quàm flammas, ac faces, in mortalium ruinam accenſas, extinxiſſe? &c.

Confirmatio.

Rationes quibus confirmatur propoſitio peti poſſunt è locis Rhetorices, ab effectis, conſequẽtibus, ſimilitudine, contrariis à minori, à maiori, ab exemplis; quibus omnibus non ſemper vtendum eſt in ſuadendo, ſed iis potiſſimum qui cauſæ noſtræ rationes confirmabunt.

A Minori ad Maius.

Si ſæpius à nobis etiam hoſtibus fœdus non flagitantibus, & debilitatis, ius ſocietatis datum eſt: quid iis facere debemus, qui nondum in poteſtatem

Digitized by Google

teſtatem noſtram redacti, nec debellati, ſed integri viribus, ac penè victores amicitiam noſtram ac ſocietatem vltrò poſtulant:

Ab Exemplis Maiorum

Quid tu mihi Maiores commemoras, cedo vel vnum, qui paci bellum prætulerit? vos appello præſtantiſſimi Imperatores noſtri, ſi ab hoc bello tantùm Reipub. decoris, ac ſalutis affuturum putaſtis, &c.

Epilogus.

Concludit ac ſententiam pronuntiat in hæc ferè verba; Quas ob res: Quæ cùm ita ſint: Itaque nolite dubitare conditiones pacis vltrò propoſitas à potentiſſimis hoſtibus, ſaluâ, & integrâ dignitate noſtrâ, diuturno ac periculoſo bello præponere, &c In hoc etiam laus, ſpes, expectatio, quæ cohortationis ſunt propria, adhiberi ſolent, ac poſſunt.

Talis illa ſunt Alorci militis Annibalis ad Senatum Oratio ſuaſoria apud Liuium lib. 11. Si ciuis veſter Alcon ſicut ad pacem petendam ad Annibalem venit: ita pacis conditiones ab Annibale ad vos retuliſſet, ſuperuacaneum hoc mihi fuiſſet iter, quo nec Orator Annibalis, nec transfuga ad vos veniſſem. Cùm vero ille aut veſtra, aut ſua culpa manſerit apud hoſtem; ſi metum ſimulauit, ſua: veſtra, ſi periculum eſt apud vos, vera referentibus: ego, ne ignoraretis eſſe aliquas & ſalutis & pacis vobis conditiones, pro vetuſto hoſpitio, quod mihi vobiſcum eſt, ad vos veni. Veſtra autem cauſa me, nec vllius alterius loqui, quæ loquor apud vos, vel ea fides ſit, quod nequi dum veſtris viribus reſtitiſtis, neque dum auxilia ab Romanis ſperâſtis, pacis vnquam apud vos mentionem feci.

Poſtquam nec ab Romanis vlla vobis ſpes eſt, nec veſtra iam aut arma vos, aut mœnia ſatis defendunt, pacem afferre, ad vos magis neceſſariâ quàm æquam. Cuius ita aliqua ſpes eſt: ſi eam quemadmodum vt victor fert, Annibal, ſic vos, vt victi audiatis: ſi non id quod amittitur, in damno, cum omnia victoris ſint: ſed quicquid relinquitur, pro munere habituri eſtis. Vrbem vobis, quam ex magna iam parte dirutam, captam ferè totam habet, adimit: agros relinquit, locum aſſignaturus, in quo nouum oppidum ædificetis: aurum argentumque omne, publicum priuatumque ad ſe iubet deferri? coniugum veſtráque corpora, ac liberorum voſtrorum ſeruat inuiolata, ſi inermes cum binis veſtimentis velitis à Sagunto exire. Hæc victor hoſtis imperat. Hæc quamquam ſint grauia, atque acerba, fortuna veſtra vobis ſuadet. Equidem haud deſpero, cum omnium poteſtas ei à vobis facta ſit, aliquid ex his rebus remiſſurum. Sed hæc patienda cenſeo potius, quàm trucidari corpora veſtra, rapi, trahique ante ora veſtra coniuges, ac liberos belli iure ſinatis.

Pvnctvm II.

Artificium Diſſuaſionis.

Eadem quæ Suaſoriæ ratio, niſi quod argumenta in Diſſuaſione contrariis ex locis duci debent; ſcilicet à turpi, inutili, non neceſſario, periculoſo: denique ab omnibus incommodis, quæ rem diſſuadere poſſunt.

Exordium peti poteſt ex diuerſis circumſtantiis, à perſona ſuadentis, aut eorum qui audiunt & penes quos eſt totius rei iudicium. Ab inſolentia poſcentium pacem, vt qui non tàm rogare, quàm minari, nec tàm ſupplices pacem precari, quàm arroganter fortunam nobis noſtram, belliceſque caſus exprobare, nec tàm inſolẽter prædicare Ducum ſuorum virtutem, quàm glorioſè nobis eorundem vultum, terroremque, quaſi timidis, obiicere.

Quid aliud ab inſita Genti ferocia, ſuperbiaque expectare poteramus P. C. quàm ineptiſſimorum hominum importunam vanitatem, ac perfidiam, qui ſe non tàm victos, quàm victores impunè glorientur? &c.

Si res ipſa poſtulauit beneuolentiam paucis ſibi conciliabit Orator. Quid de me exiſtimaturi ſitis non ſatis intelligo, eam ob rem rogo vos, ſi quid minus auribus veſtris, atque animis gratum à me dictum fuerit, aut incredibile, æqui boni-

que conſulatis, nec antequam de re propoſita pro dignitate ueſtra diſputauero, ſententiam veſtram proferatis.

Propoſitio cum Diuiſione ſequitur. Dicam liberè, ſinè ſummo imperii detrimento atque dedecore, nullum cum violati fœderis, ac perturbatæ pacis auctoribus, ius ſocietatis nobis eſſe poſſe.

Confirmatio.

Primò docendum cum turpitudine coniunctam eſſe hanc pacem, quia Romani nominis dignitas, apud gentes exteras minuitur, quæ ſuſpenſę belli præſentis expectatione, quàm res exitum habitura ſit, experiri cupiunt, vt nos inermes & fractos adoriantur.

Scitis P.C. quàm grauis impoſita ſit vobis perſona, quàm neceſſaria dignitatis inſtinendæ ratio, ex quo Populi, Patrumque conſenſu Reip, cutam, & adminiſtrationem ſuſcepiſtis: ſcitis quantum interſit, conſtantem de gentis noſtræ fortitudine opinionem conſeruare, ac tueri, nec permittere, vt maleuolorum rumoribus virtus noſtra ſupetetur: ſcitis de Imperii gloria nos, non tantùm cum exteris, ſed etiam cum finitimis certare; quàm hæreditatem nominis, & honoris patrimonium, quis non ignominioſæ morti præferat?

Secundò. A conſequentibus & effectis periculoſis; ſi renouandum cum perfidis fœdus cenſeant, aut de bello confeſtim illos inferendo dubitent, ciuium ſtudia langueſcent, & mollientur, militum robur frangetur, excident gladii, fluent arma de manibus, Ducum virtus, & induſtria ceſſabit, eodem denique labefactata motu Reſp. concidet.

Enim verò quis non intelligit ſimul atque auditum fuerit pacis inuiſum nomen, magnam in toto imperio animorũ inclinationem futuram? præſens opportunitas delectus celeritatem requirit? morabitur; vrgens neceſſitas milites imperat, nouos conſcribit exercitus, parat commeatus, ornat claſſes? ſpes pacis molliores efficiet ſocios, belli neceſſarios apparatus retardabit: quæ ire, &c.

II. Ab honeſto. Glorioſum eſt inuſtam Reip. labem abſtergere, vlciſci ciuium ſanguinem, clariſſimorum virorum nefariam cædem, fortiſſimorum Imperatorum crudeliſſimam necem perſequi. Verendum eſt armis, & famam præſtare, & conſulere imperio poſſe.

II. A Facili. Nullo negotio veteres hoſtes cum auctoritate noſtra, tùm priuatis odiis adductos, in huius belli ſocietatem trahemus.

V. Ab Impoſſibili Quantæ id nobis, non ignominiæ ſolùm, ſed inuidiæ fuerit, perfidos, crudeles, barbaros in amicitiam, ac ſocietatem recipere. Quæ poteſt eſſe pacis conditio cum iis, quos humanitatis nulla ratio in officii religione continet? quod poteſt eſſe fœderis vinculum cum iis, qui nobis toties obſtrictam Iureiurando fidem ruperunt? quod firmitatis conſtantiæque monimentum, quibus nihil tàm ſanctum, tàm inuiolatum, tàm religioſum eſt, quod non immanitas lædat, cupiditas violet, audacia perrumpat; quæ poteſt eſſe cum iis ſtabilis firmaque pax, qui ſimiliter atque in mari, quocumque furoris ac libinis ventus impulerit, cæci ac præcipites feruntur. Poteſtis iis populis fidei quidquam habere: qui in ſocios, in amicos tàm atrociter, atque hoſtiliter ſeſe geſſerunt? poteſtis cum ea gente fœdus paciſci, quæ æmulatione gloriæ tantùm, & inuidia ducta, hoſpites ac liberatores ſuos crudeliſſimè trucidauit? poteſtis, &c.

Concluſio. Quæ cùm ita ſint, veterem Reip. dignitatem reuocate, ſociorum necem vindicate, qui pro ſalute veſtra, pro veſtra, Romanique nominis gloria fortiter occubuerũt, nullam cum armatis hoſtibus pacem habete. Agitur nationem omnium de vobis exiſtimatio, agitur Imperii decus, quod euertere conantur, &c.

Sed nulla grauior illâ M. Furii Camilli diſſuadentis tranſmigrationem Veios Româ penè à fundamentis euersâ, & incenſâ à Gallis, lib. 4. Dec. 1. ſub finem.

Orditur Orationem ab aduerſariorum perſona, quos in odium adducit, ſibique beneuolentiam conciliat à charitate ſuo in patriam, & in ciues ſuos.

Adeò mihi acerbæ ſunt, Quirites, contentiones cum Tribunis plebis, vt nec triſtiſſimi exilii ſolatium aliud habuerim, quoad Ardeæ vixi, quàm quòd procul ab his certaminibus eram: &

ab

Digitized by Google

ab eadem hæc, non, niſi me conſulto plebiſque iuſſu, ſeuocatetis, rediturus vnquam fuerim, nec nunc me, vt redirem, mea voluntas mutata, ſed veſtra fortuna perpulit: Quippe vt in ſua ſede maneret patria, id agebatur, non vt ego vtique in patria eſſem. Et nunc tacerem, & quieſcerem libenter, niſi hæc quoque pro patria dimicatio eſſet: cui deeſſe, quoad vita ſuppeditat, aliis turpe, Camillo etiam nefas eſt.

Primum argumentum, quo diſſuadet transmigrationem hanc, ducitur à Repugnantibus; ſcilicet vrbem tantis ſudoribus, ac ſanguine ſeruatam relinquere.

Quid enim repetiimus? quid obſeſſam ex hoſtium manibus eripuimus, ſi recuperatam ipſi deſerimus? Et cùm victoribus Gallis, captâ totâ vrbe, Capitolium tamen atque arcem, Diique & homines Romani tenuerint, habitauerint: victoribus, Romanis, recuperatâ vrbe, arx quoque & Capitolium deſeretur? Et plus vaſtitatis huic vrbi ſecunda noſtra fortuna faciet, quàm aduerſa fecerit.

Secundum vrget à religione Deorum, ad cuius memoriam plerumq; molleſcunt animi, & incitantur.

Equidem ſi nobis cum vrbe ſimul poſitæ, traditæque per manus ſimul regiones nullæ eſſent, tamen tàm euidens numen hàc tempeſtate rebus adfuit Romanis, vt omnem negligentiam diuini cultus exemptam hominibus putem. Intuemini horum deinceps annorum, vel ſecundas res, vel aduerſas: inuenietis omnia proſperè veniſſe ſequentibus Deos: aduerſa, ſpernentibus.

Quam vt incutiat religionem potentiùs, præſentẽ Deorum opem cõmendat ab Enumeratione Effectorum, qui ſæpè formidoloſis rebus & afflictis adfuerint inuocati: ſpreti verò, pœnas repetierint.

Iam omnium primum Veiens bellum, per quot annos, quanto labore geſtum? non ante cœpit finem, quàm monitu Deorum aqua ex lacu Albano emiſſa eſt. Quid hæc tandem vrbis noſtræ clades noua? non ante exorta eſt, quam ſpreta vox cœlo emiſſa de aduentu Gallorum, quam gentium ius à Legatis noſtris violatum: quam à nobis, quùm vindicari deberet, eâdem negligentia Deorum prætermiſſum. Igitur victi captique ac redempti, tantum pœnarum Diis hominibuſque dedimus, vt terrarum orbi documento eſſemus Aduerſæ deinde res admonuerunt Religionum confugimus in Capitolium, ad ſedem Iouis Opt. Max. ſacra in ruina rerum noſtrarum, alia terræ celauimus, alia aucta in finitimas vrbes amouimus ab hoſtium oculis: Deorum cultum, deſerti ab Diis hominibuſque non intermiſimus Reddidere igitur patriam, & victoriam, & antiquum belli decus amiſſum: & in hoſtes qui cœci auaritiã, in põdere auri, fœdus ac fidem feſellerunt, verterunt terrorem, fugamque, & cædem. Hæc culti, neglectique numinis tanta monumenta in rebus humanis cernentes ecquid ſentitis, Quirites? quantum vixdum ex naufragiis prioris culpæ cladiſque emergẽtes, paremus nefas. *Et alia multa quæ de Diis ſacrificiiſq; congerit, probatq; piaculum eſſe illa deſerere. Ab iis verò tranſit ad Sacerdotes huic ſacrorũ domicilio addictos quos extra vrbem manere nefas ſit.*

A regione deſcendit ad gloriam Pop. Ro. cui non poteſt non peſſima dedecoris nota inuri, ſi neglectis Deorum ſacrificiis, comitiis, & aliis, quæ longum eſſet tranſcribere, ſic vrget à gloria cui ſemper ſtuduerunt.

Videte quantum inter meam ſenteniam veſtramque interſit, Tribuni: vos etiam ſi tunc faciendum non fuerit, nunc vtique faciendum putatis? ego contra; nec id mirati ſitis, priùs quam quale ſit, audieritis, etiam ſi tunc migrandum fuiſſet incolumi tota vrbe, nunc has ruinas relinquendas non cenſerem. Quippe tum cauſa nobis in vrbem captam migrandi victoria eſſet glorioſa nobis, ac poſteris noſtris: nunc hæc migratio nobis miſera, ac turpis, Gallis glorioſa eſt. Non enim reliquiſſe victores, ſed amiſiſſe victi patriam videbimini. Hoc ad Alliam fuga, hoc capta vrbis, hoc circum ſeſſum Capitoliũ neceſſitatis impoſuiſſe, vt deſereremus Penates noſtros, exiliumque ac fugam nobis ex eo loco conſciſceremus, quem tueri non poſſemus? Et Galli euertere potuerunt Romam, quam Romani reſtituere non videbuntur potuiſſe.

Vrget acriter ciues ſuos ab Romani nominis gloria, grauiterq; illorum inertiam, quæ libertate ſolet, perſtringit.

Quid reſtat, niſi vt ſi iam nouis copiis veniant, & habitare in capta ab ſe, deſerta à nobis hac vrbe velint ſinatis? quid ſi non Galli hoc, ſed veteres

veteres hoſtes noſtri Æqui Volſcique faciant, vt commigrent Romam? velitiſne illos Romanos, vos Veientes eſſe? non malitis hanc ſolitudinem veſtram, quàm vrbem hoſtium eſſe, non equidem video, quid magis nefas ſit.

Remiſſos illorum annos poſtea, verborum facibus admotis inflammat potiſſimum à charitate patriæ, quæ motibus ſparſim incenſa Oratio graues animorum motus excitat.

Hæc ſcelera quia piget ædificare hæc dedecora pari parati eſtis? ſi tota vrbe nullum melius, ampliuſue tectum fieri poſſit quàm caſa illa conditoris eſt noſtri, non in caſis ritu paſtorum agreſtiumque habitare eſt ſatius inter ſacra Penateſque veſtros, quàm exulatum publicè ire? Maiores noſtri conuenæ paſtoreſque, cum in his locis nihil præter ſylnas paludeſque eſſet, nouam vrbem tàm breui ædificauerunt: nos Capitolio, arce incolumi, ſtantibus templis Deorum, ædificare incenſam piget? & quod ſinguli facturi fuimus, ſi ædes noſtræ deflagraſſent, hoc in publico incendio vniuerſi facere recuſamus?

Tùm claritatem patriæ commendat, & gloriæ vtilitatis argumentum adnectit, ex Romæ ſitu nobili, atque commodis.

Quid tandem, ſi fraude, ſi caſu Veiis incendium ortum ſit, ventóque, vt fieri poteſt, diffuſa flamma, magnam partem vrbis abſumat? Fidenas indè, aut Gabios, aliámve quam vrbem quæſituri ſumus, quò tranſmigremus? Adeò nihil tenet ſolum patriæ, nec hæc terra, quam Matrem appellamus: ſed in ſuperficie tigniſque claritas nobis patriæ pendet? Equidem fatebor vobis (etſi minus iniuriæ veſtræ, quàm meæ calamitatis meminiſſe iuuat) quum abeſſe, quotieſcumque patria in mentem veniret hæc omnia occurrebant: colles campíque & Tiberis, & aſſueta oculis regio, & hoc cœlum ſub quo natus educatúſque eſſem Quæ vos Quirites, nũc moueant potius charitate ſua, vt maneatis in ſede veſtra, quàm poſtea, quum reliqueritis ea, macerent deſiderio. Non ſine cauſa Dij homineſque hunc vrbi condendæ locum elegerunt, ſaluberrimos colles, flumen opportunum, quò ex mediterraneis locis fruges deuehantur, quo maritimi commeatus accipiantur: mare vicinum ad commoditates, nec expoſitum nimia propinquitate ad pericula claſſium externarum, regionum Italiæ medium. Ad incrementum vrbis natum vnicè locum, argumento eſt ipſa magnitudo tàm nouæ vrbis.

Tandem concludit Peroratione ſanè graui, vbi ſanctiores hiſtorias inſerit de induſtria, ad maiorem animorum motum, ex religione, rebuſque ſacris.

Quod cum ita ſit, quæ (malum) ratio eſt expertis alia experiri? quum iam vt virtus veſtra tranſire aliò poſſit, fortuna certè loci huius transferri hinc non poſſit. Hîc Capitolium eſt, vbi quondam capite humano inuento, reſponſum eſt, eo loco caput rerum ſummámque imperij fore. Hîc, cum augurato liberaretur Capitolium, Iuuentas Terminuſque maximo gaudio Patrum noſtrorum moueri ſe non paſſi: hîc Veſtæ ignes, hîc Ancilia cœlo demiſſa, hîc omnes propitij manentibus vobis Dij, &c.

Grauiſſimæ ſunt Orationes illæ Q. Fabij maximi, & P. Cornelij Scipionis apud Liuium lib. 8. Decad. 3. in quibus prior bellum diſſuadet in Africam transferendum, & hortatur, vt omnibus viribus contractis prius Hannibal ex Italia eiiciatur, quàm exercitus in exteras nationes deportetur; quâ Oratione ad tempus partâ Fabius, cum auctoritate, & inueteratâ prudentiæ famâ, magnam partem Senatus & ſeniores maximè mouiſſet, pluresque conſilium ſenis, quàm animum adoleſcentis ferocem laudarent, poſterior Scipio ſe multis & contrariam ſententiam tueri conatus eſt.

PVNCTVM III.

Conſultatio.

SIue Senatuſconſultum & Deliberatio, vel rogatio legis, aut interceſſio coram Principe; prudente Ariſt. multa requirit ad hoc Eloquentiæ genus 1. diligenter attendendum coram quo fiat Conſultatio: ſi Rex eſt αὐτοκράτης veritatis inſolens palpo verbiſque ad aſſentationem compoſitis vtendum: Talis fuit Oratio primæ nobilitatis Aulici Oſiæ, qui rogatus à Principe Roboamo, num minuenda eſſent à patre

patre Salomone inſtituta vectigalia, plebi expoſtulanti, factus ad Regis nutus & voluntatem, de populi verò ſalute nihil ſollicitus, ab adulatione exorſus eſt. Regem Deum eſſe mortalem, pectus illius oraculum certiſſimum, os ſedem veritatis, quidquid & dicat ſentiatue pro lege habendum, quippe qui legibus ſuperſtet auctor & arbiter.

Si Senatus, inter æquales longè liberior eſſe debet Oratio, quam ordietur vel ab amore ſingulari quo patriam ſemper vitâ ſuâ cariorem adamauit; vel à diuturno Reip.adminiſtrandæ vſu quem experientia quotidiana peperit, vel à graui quodam effato; Cæſar apud Saluſtium. *Omnes homines qui de rebus dubiis conſultant ab odio, ira, amicitia, atque miſericordia vacui eſſe debent.*

Si Pontificum cœtus, maior habenda Religionis ratio, ſanctiorúmque rituum, ita tamen, vt ſemper officij ſui memor ſit atque veritatis.

II. Affectum omnem proprium depoſuiſſe debet Orator, & induiſſe publicum, ſi non reipſa, ſaltem id auditoribus videatur, qui facilè ei ſe applicant & adiungunt, quem ſciunt vtilitatis ſuæ, commodorúmque ſtudioſum.

III. Negotium totum peruidiſſe, loci præterea, temporis cæterarúmque rerum momenta diligenter expendiſſe, vt ſcienter in vtrámque partem diſputet, ad quod iuuerit varias Conſultationes Herodoti, Liuij, Curtij, Theucydis & aliorum legiſſe.

Eſt illa Perdiccæ morata ſatis atque ciuilis apud Curtium Conſultatio de Imperatore poſt Alexandri mortem eligendo, lib.10.num.6. ſic enim ad milites conuocatos.

Quamquam nulla clades huic, qua affecti ſumus, par ab iratis Diis excogitari poteſt tamen magnitudinem rerum, quas egit, intuétibus credere licet, tantum virum Deos accommodaſſe rebus humanis, quarum ſorte completa citò repeterent eum ſtirpi ſuæ, Proindè quoniam nihil aliud ex eo ſupereſt, quàm quod ſemper ab immortalitate ſubducitur, corpori nominíque, quamprimùm iuſta ſoluamus haud obliti, in qua vrbe, inter quos ſimus, quali Rege ac Præſide ſpoliati. Tractandum eſt Commilitones, cogitandúmque vt victoriam partam inter hos, de quibus parta eſt obtinere poſſimus. Capite opus eſt. Hoc vno, an pluribus in veſtra poteſtate eſt. Illud ſcire debetis, militarem ſine duce turbam, corpus eſſe ſine ſpiritu. Sextus menſis eſt, quo Roxane prægnans eſt. Optamus vt marem enitatur, cuius regnum Diis approbantibus futurum, quandocúmque adoleuerit. Interim à quibus regi velitis, deſtinate.

Quam Propoſitionem ſtatim excipit cuiuſdam Nearchi præceps conciſáque, ſententia: Alexandri modò ſanguinem & ſtirpem regiæ majeſtati conuenire, neminem ait poſſe mirari: cæterùm expectari nondum ortum Regem, & qui iam ſit, prætetiri, nec animis Medorum conuenire, nec tempori rerum, eſſe è Barſine filium Regis; huic Diadema dandum.

Ad voces & tumultus militum, qui haſtis ſcuta quatientes ſeditionem mouebant, ob Nearchum pertinaciter ſententiam ſuam tuentem, hæc habuit Ptolemæus. Digna prorſus eſt ſoboles, quæ Macedonum imperet genti, Roxanes vel Barſines filius, cuius quoque nomen Europam dicere pigebit, maiore ex parte captiui. Cur Perſas vicerimus, vt ſtirpi eorum ſeruiamus? quod iuſti illi Reges Darius & Xerxes tot millium agminibus, tantiſque claſſibus nec quicquam petiuerunt. Mea ſententia hæc eſt, vt ſede Alexandri in Regia poſita, qui conſiliis eius adhibebantur, coëant, quoties in commune conſulto opus fuerit, eóque quod maior pars eorum decreuerit, ſtetur. Duces Præfectique copiarum his pareant.

Ad hæc Ariſtonus præcipuus amicorum Perdiccæ nihil cunctatus, cum eſſe deligendum in Imperatorem, quem Alexander moriens dignum iudicaſſet, non alium autem, quàm cui annulum tradidiſſet. Nec enim vnum eum aſſediſſe morienti, ſed circumferentem oculos ex turba amicorum delegiſſe cui traderet. Placere igitur ſummam Imperij ad Perdiccam deferri.

Quæ non incendia in pectoribus hominum accendit inuidiæ maleuolentiæque funeſta fax? Perdiccæ laudem datam ferre non potuit, Meleager quamuis ab amore potiùs quàm à rei veritate, aut certa virtutis exiſtimatione profectam non ignoraret, ſed illam durè ſatis & aſperè truculentus Orator depreſſit.

Nec Dij ſinerint, vt Alexandri fortuna, tantique Regni faſtigium in iſtos humeros ruat, homines certè non ferent. Nihil dico de Nobilioribus, quàm hic eſt, ſed de viris tantùm, quibus inuitis nihil perpeti neceſſe eſt. Nec verò intereſt, Roxanes filium quandocumque genitus erit, an Perdicam Regem habeatis cùm iſte ſub tutelæ ſpecie Regnum occupaturus ſit. Itaque nemo ei Rex placet, niſi qui nondum natus eſt. in tanta hominum feſtinatione, non iuſta modò, ſed etiam neceſſaria, exactos menſes ſolus expectat, & iam diuinat marem eſſe conceptum, quem vos dubitatis paratum eſſe, vel ſubdere? ſi medius-fidius Alexander hunc nobis Regem poſt ſe reliquiſſet, id ſolum ex his, quæ imperaſſet, non faciendum eſſe cenſerem. Quin igitur ad diripiendos theſauros diſcurritis? harum enim opum regiarum vtique populus eſt hæres.

LECTIO IV.

Artificium Hortationis.

Quamuis finitima ſit Exhortatio Suaſioni, imò pars eius, ſcilicet Epilogus, qui conſtat, non tàm argumentis, quàm affectibus; quia tamen aliquid inter eas diſcriminis reperitur, illas ſeiunximus; quippe ſuadendo id agitur, vt qui volunt aliquid aggredi, velint; cohortando, vt vehementius ad illud incendantur: nec ſuadenti ſatis eſt, quid ſit optimum factu, docuiſſe, ſed ſtimulos admouere debet hortator, quibus, vel difficultate & periculo deterritos, vel ignauiâ retardatos, ad opus immortalitate dignum impellat. Suaſor plerúmque ſententiam mutat; Exhortator animum addit: ille aut errantibus aut hæſitantibus ſuadet: hic ceſſantes, aut etiam currentes incitât. Tamen vt in Suaſionem ferè ſemper cadit Exhortatio; ita nec rarò contingit illam vti Suaſione.

Iam habendi ſunt ſtimuli quidam, & incitamenta virtutum, ex quibus Exhortatorium genus componi debet. His potiſſimùm vtuntur Oratores, Laude, Spe, Metu, Odio, Amore, Miſeratione, Æmulatione, Expectatione, Exemplis, Obſecratione, & aliis grauibus affectibus, de quibus poſtea.

Exordium ferè nullum eſt, niſi circumſtantiis rerum, locorum, perſonarum, vel eius qui dicit, vel eorum qui audiunt.

A priſtina virtutis ac rerum præclarè geſtarum recordatione, quod in iſtis valet plurimum; quippe laus militum ab Imperatore profecta non poteſt non eſſe iucundiſſima. Si veſtros animos metu perculſos viderem, & minus erectos ad libertatem, hortarer vos, meæque virtutis, ac veſtræ documenta repeterem. Quoties, &c.

Inſinuatione nonnunquam vtendum eſt. Scio quàm parum grata ſint auribus veſtris futura quæ dicam: ſed etiam Medici grauiores morbos aſperis remediis curant feliciter, & nauis peritus gubernator, vbi naufragium timet, quod ſeruari poteſt, iacturâ redimit.

Ab expoſitione periculi. Non ignoro Commilitones mei, quàm multa paſſim iactata ſit in vulgus à veſtræ gloriæ, virtutiſque, non tàm æmulis, quàm inuidis hoſtibus, quibus animos veſtros terroris neſcios frangerent, ac de manibus partam victoriæ palmam eriperent: quibus autem hæc ingerunt? iis nempè, qui famam malum tam velox, quàm mendax eſſe non ignorant, qui ſæpè decepti fictis rumoribus, auribus nihil credunt, oculis omnia, qui, &c.

A Laude.

Iam inueſtigandæ rationes, quibus permoueantur animi. Magnam in primis vim habet ad excitandam cupiditatem commemoratio Laudis & Gloriæ: quæ quidem duobus modis fieri poteſt; vel ſi hunc, quem adhortari volumus, prius ipſi laudemus: vel ſi proponamus Laudem & Gloriam velut illecem cupiditatis. Prioris exemplum eſt Ciceronis illud inſigne pro Sextio n. 138. Vbi recenſitis difficultatibus quæ ſubeundæ ſunt, ſocordes & ignauos profitetur ſe non cohortari *Huic hominum generi fateor, vt ante dixi, multos aduerſarios, inimicos, inuidos eſſe, multa proponi pericula, multas inferri iniurias, magnos eſſe experiundos & ſubeundos labores: ſed mihi omnis Oratio eſt cum virtute, non cum deſidia; cum dignitate, non cum voluptate*ſ

Digitized by Google

ptate, cum iis, qui ſe patriæ, qui ſuis ciuibus, qui Laudi, qui Gloriæ, non qui ſomno & conuiuiis, & delectationi natos arbitrantur. Nam ſi qui voluptatibus ducuntur, & ſe vitiorum illecebris, & cupiditatum lenociniis dediderunt: miſſos faciant honores, nec attingant Remp. patiantur viros fortes labore, ſe otio ſuo perfrui.

Verum eſt id effatum nobiliſſimi apud Stobæum Philoſophi πᾶν τὸ τιμώμενον αὔξεται omne honoratum augeri, cùm Laus ex Syneſio epiſt. 62. ſit μισθὸς ἀρετῆς ἔπαινος virtutis merces, & propria mortuorum poſſeſſio, vt benè Demoſthenes de falſa legat. ἔπαινος τῶν τετελευτηκότων κτῆμα ἐστι. Propterea naturæ blandimentum hoc, ſæpius in Cohortationibus adhibendum: ſiquidem hoc rore fœcundæ virtutes adoleſcunt in reliquum tempus. Quod fiet, ſi prius res ab eo præclarè, geſtas artificioſa Lauda dilatabimus, ſi hortabimur, vt animosè benè cœpta perficiat. Blãde Cic. monet Cæſarem res à ſe geſtas hactenus admiratione quidem eſſe dignas, ſolidæ tamen laudis nihil habere, niſi rebus incœpis manum extremam adhibuerit. Pro Marcello n. 27. *Quòd ſi rerum tuarum immortalium, hic exitus futurus fuit, vt deuictis aduerſariis, Remp. in eo ſtatu relinqueres, in quo nunc eſt: vide quæſo, ne tua diuina virtus admirationis plus ſit habitura, quàm gloriæ. Siquidem gloria eſt illuſtris, ac peruagata multorum, & magnorum; vel in ſuos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum. Hæc igitur tibi reliqua pars eſt; hic reſtat actus, in hoc elaborandum eſt, vt Remp. conſtituas.*

Talis eſt illa Hortatio eiuſdem ad Q. Fratrem ep. 11. *Illud te ad extremum, & oro & hortor, vt tanquam Poëtæ boni, & actores induſtrii ſolent, ſic tu in extrema parte, & concluſione muneris, ac negotii tui diligentiſſimus ſis, vt hic tertius annus imperii tui, tanquam tertius actus perfectiſſimus, atque ornatiſſimus fuiſſe videatur.*

Si generis claritatem, ſi præſtantiam imperii, ſi vires & ſapientiam, ſi virtutem ac ætatem, ſi rerum vſum extollamus, ac ne quid iis indignum admittat, admoneamus. Obuia ſunt paſſim horum omnium exempla Cic. pro Sextio n. 139. Optimates non ſocordes & ignauos, ſed fortes commonet. Qui bonam famam bonorum, quæ ſola verè gloria nominari poteſt, expetunt, aliis otium quærere debent, & voluptates, non ſibi. Sudandum eſt his pro communibus commodis, adeundæ inimicitiæ, ſubeundæ ſæpè pro Rep. tempeſtates: cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus dimicandum. Qui horum impetus, & conatus repreſſerunt, qui auctoritate, qui fide, qui conſtantiã, qui magnitudine animi, conſiliis audacium reſtiterunt: ii Graues, ii Principes, ii Duces, ii Auctores huius dignitatis, atque imperii ſemper habiti ſunt.

Vnius diei quot, & quantæ virtutes veſtræ fuerunt? Domuiſtis gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: quoties obſeſſi opera interdiu moliri eſtis? hoſtium impreſſiones arcuiſtis, noctem in excubiis egiſtis? iniurias cœli fortiter ac generosè pertuliſtis? quoties conſpirantibus in vos periculis bellorum fortunam prouocaſtis? quoties in medios obices ſtricto ferro penetraſtis? quoties intrepidi fluctuum Decumanorum vortices, procellarum violentiam, formidoloſi æſtus incrementa contempſiſtis? vt commercium cum fluctibus, procellisque vos habere crederent hoſtes, mirarentur veſtram in aggrediẽdo audaciam, in perficiendo facilitatem, in vincendo virtutem ac felicitatem prædicarent. Ite alacres & hoc facto poſtremum vitæ glorioſæ actum claudite. Diſcant poſteri timorem nunquam vidiſſe Francorum gentem niſi in vultu tergóque hoſtium, ſed Spe plenam ac virtute gloriã quam à maioribus ſuis acceperat, poſteris integram reliquiſſe. &c.

Poſterioris Ideam ſuggerit idem Cicero. Pro Sextio n. 137. à nobilitate Romanam iuuentutẽm ad magna hortur. *Hæc eſt vna via mihi credite, & laudis & dignitatis & honoris: à bonis viris ſapientibus, & benè naturâ conſtitutis laudari, & diligi, noſſe deſcriptionem ciuitatis, maioribus noſtris ſapientiſſimè conſtitutam, &c.*

Sic à te quempiam excitamus dũm piam, religioſam, magnificam, nouam, & arduam dicimus. Quo motiuo Tullius ſuos ad libertatem recuperandam & conſeruandam hortatur Phil. 10. n. 20. *Pro libertate vita periculo decernendum eſt. Nõ enim in ſpiritu vita eſt, ſed ea nulla eſt omnino ſeruienti, omnes nationes ſeruitutẽ ferre poſſunt: noſtra ciuitas*

vt Senatus Kal. Ian. tutò haberi, ſententiaque de ſumma Reip. ib. liberè aici poſſent: de ea re ita cenſeo, vt C. Panſa, A. Hirtius Conſules deſignati, dent operam, Senatus Kal. Ian. tutò haberi poſſit, &c. Idem Phil. 8. 9 10. 13. 14. Quorum omnium nullum aliud artificium eſt, quàm nuda, & perſpicua explicatio ſuæ ſententiæ, & conſilij, quod datur, collectâ ex ſuperiori Oratione.

De motibus huius Orationis ita loquitur Cic. partitionum n. 96. *Ad commouendos autem animos maximè proficiēt, ſi in ita audi erūt, huiuſmodi ſententia, quæ ad explendas cupiditates, aut ad odiū ſatiandum, aut ad vlciſcendas iniurias perturbant.* Contra Mithridatem Quirites ſic inflammat, pro lege Man. num 11. *Maiores veſtri ſæpè mercatoribus ac nauiculatoribus iniurioſius tractatis bella geſſerunt: vos tot Ciuium Rom. millibus vno nuntio, atque vno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis?*

Affectus præcipui numerantur Deſiderij: nam cum bona quærenda proponantur, ad eorum deſiderium excitandi ſunt & inflammandi ciues:

Spei, quam propoſitis facultatibus quibus deſiderata facilè conſequi poſſint, in illorum animis erigimus, erectamque ſuſtentamus.

Amoris, quando rei bonitatem, honeſtatem ac pulchritudinem, ſeu vtilitatem etiam ob oculos ponimus, vt ardentiores quaſdam amoris faces iniiciamus. Vel cum Orator ſuam in ciues, in Remp. aliosque beneuolentiam teſtatur, ſeque eò adductum, ſpectare illorum commoda eiſdemque deinceps ſuum ſtudium, & amorem pollicetur, Agraria 2. n. 99. *Quare modò vt vita ſuppetat, quamquam ego ſum is, qui eam poſſim ab illorum ſcelere, inſidiiſque defendere, polliceor hoc vobis, Quir. bona fide Remp. vigilanti homini, non timido; diligenti, non ignauo, commiſiſtis, &c.*

Pro lege Manil. 69. *Quæ cùm ita ſint C. Manili, primùm iſtam tuam, & legem, & voluntatem, & ſententiam laudo, vehementiſſiméque comprobo: deinde te hortor, vt auctore Pop. Rom. maneas in ſententia, neue cuiuſquam vim, aut minas pertimeſcas. Ego quidquid in me eſt ſtudij, conſilij, laboris, ingenij, quidquid hoc beneficio Pop. Rom. atque hac poteſtate Prætoria, quidquid auctoritate, fide, conſtantia poſſum, id omne ad hanc rem conficiendam tibi, & Pop. Rom. polliceor, & defero.*

Si diſſuadendum eſt, res impeditæ, difficiles, moleſtæ, terribiles proponendæ, quibus motus terroris odij, deſperationis excitantur.

Metus cietur à periculis imminentibus, Phil. 3. n. 34. *Nihil eſt quod moneam. Nemo eſt tàm ſtultus qui non intelligat, ſi indormierimus huic tempori, non modò crudelem, ſuperbámque dominationem nobis, ſed ignominioſam etiam, & flagitioſam eſſe ferendam. Noſtis inſolentiam Antonij, noſtis amicos, &c.*

Aut qui ſententiam noſtram non ſequuntur, vtputà futurum, niſi deſiſtant, omnes vt in ipſos inſiliant, bellè admodum motum hunc excitat. 1. Agraria à n. 23. ad finem. *Erraſtis Rulle, vehementer, & tu & nonnulli Collegæ tui, qui ſperaſtis vos cōtra Conſulē, veritate, non oſtentatione popularē, poſſe in euertēda Rep. populares exiſtimari. Laceſſo vos in concionem voco, Pop. Rom. diſceptatore vti volo. Erraſtis ſi Senatum probare ea, quæ dicuntur à me, putatis, populum autem eſſe in alia voluntate. Omnes qui ſe incolumes volunt ſequentur auctoritatem Conſulis, ſoluti à cupiditatibus, liberi à delictis cauti in periculis, non timidi in contentionibus, &c.*

Vel acriter monendo auditores, vt ſibi caueāt, enumerando pericula 4. in Catil. n. 44 *Quapropter de ſumma ſalute veſtra, populique Rom. de veſtris coniugibus, ac liberis: de aris ac focis, de fanis ac templis, de totius vrbis tectis ac ſedibus, de imperio, de libertate, de ſalute Italiæ, deque vniuerſa Rep. decernite diligenter, vt inſtituiſtis, ac fortiter, habetis enim Conſulem, qui & parere veſtris decretis non dubitet: & ea, quæ ſtatueritis, quoad viuet, defendere, & per ſeipſum præſtare poſſit.*

Ad quod non parum iuuabit ſi ſpem auxilij afferant; vt enim metu deterrentur, ita animantur ſpe, 1. in Catil. 32. *Quare ſecedant improbi, ſecernant ſe à bonis vnū in locū congregentur: murō denique, id quod ſæpè iam dixi, ſecernātur à nobis: deſinānt inſidiari domi ſuæ Conſuli, circūſtare Tribunal Prætoris vrbani, obſidere cum gladiis curiā, malleolos ad incendendam vrbem, faceſque cōparare. Sit denique inſcriptum in frōte vniuſcuiuſque ciuis, quid de Rep. ſentiat. Polliceor vobis P. C. tātam in nobis Coſſ. fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in equitibus Rom. virtutem, tantam in omnibus bonis conſenſionem, vt Catilina profectione omnia patefacta, illuſtrata, oppreſſa, vindicata eſſe videatis.*

Iam ſi aliquid ſit in noſtra ſententia, quod terrere poſſit auditores, tunc erunt ab illa trepidatione,

Digitized by Google

tione, & metu abducendi, comparando vires noſtras,& copias,cum oppoſitis,eaſque iis præferendo.Phil.4.num.12.*Non eſt vobis res, Quirites, cum ſcelerato, atque nefario, ſed cum immani tetraque bellua. quæ quoniam in foueam incidit obruatur. Si enim illinc emerſerit, nullius ſupplicij crudelitas erit recuſanda,ſed tenetur,premitur,vrgetur nunc iis copiis, quas iam habemus: mox iis, quas paucis diebus noui Conſules comparabunt. Incumbite in cauſam,vt facitis.Nunquam veſter conſenſus maior in vlla cauſa fuit: nunquam tàm vehementer cum Senatu conſociati fuiſtis. Nec mirũ: agitur enim non qua conditione victuri,ſed victurine ſimus,an cũ ſupplicio,ignominiaq́; perituri.*

Vel ab honeſto deduci poſſunt, metus pudorem obiiciendo à turpitudine, ſi rem tàm honeſtam,vtputà libertatis defenſionẽ, non ſuſcipiãt. Phil.6.n.19.*Venit tempus,Quirites,Serius omnino quam dignum Pop.Rom.fuit:ſed tamen ita maturũ, vt,differri iam hora non poſſit.Fuit aliquis caſus,vt ita dicam,quem tulimus,quoquo modo ferendus fuit. Nunc,ſi quis erit voluntarius.Pop.Rom ſeruire fas non eſt, quem Dij Immort.omnibus gentibus imperare voluerunt.Res in extremum deducta diſcrimẽ. De libertate decernitur, aut vincatis oportet,quod profectò,& pietate veſtrâ & tanta concordiâ conſequimini; aut quiduis potius,quam ſeruiatis. Aliæ nationes ſeruitutem pati poſſunt, Populi Rom. eſt propria libertas.*

Aut ne patiantur tam commodas elabi occaſiones Phil 7.n.28.*Te ipſum moneo Panſa,quamquam non eges conſilio,quo vales plurimum:tamen etiam ſummi gubernatores in magnis tempeſtatibus à vectoribus admoneri ſolent, hunc tantum tuum apparatum, tamque præclarum, ne ad nihilum recidere patiare, tempus habes tale, quale nemo habuit vnquam. Hac grauitate Senatus, hoc ſtudio equeſtris ordinis, hoc ardore Populi potes in perpetuum Remp.metu, & periculo liberare.*

Vel ab æmulationis honeſtæ ſtudio, nempe ſe Romanos eſſe meminerint.Phil.4.n.13.*Quamquam mortem quidem omnibus natura propoſuit: crudelitatem mortis, & dedecus virtus propulſare ſolet: quæ propria eſt Romani generis, & ſeminis, hanc retinete, quæſo Quirites,quam vobis tanquam hæreditatem, maiores veſtri reliquerunt. Quamquam omnia alia, incerta ſunt, caduca, mobilia: virtus eſt vna altiſſimis defixa radicibus:quæ nunquam vlla vi labefactari poteſt,nunquam dimoueri loco. Hac maiores noſtri primum Italiam deuicerunt,deinde Carthaginem exciderũt, Numantiam, euerterunt, potentiſſimos Reges, bellicoſiſſimas gentes, in ditionem huius imperij redigerunt.*

Vt pacem diſſuadeat cum Antonio ſanciendam,motus terroris & odij adhibet,eiuſque crudelitatem deſcribit Phil.4.n.11. *Non eſt, non eſt vobis,Quirites,cum eo hoſte certamen,quo cum aliqua pacis conditio eſſe poſſit:neque enim ille ſeruitutem veſtram,vt antea,ſed iam iratus ſanguinem concupiſcit.Nullus ei ludus videtur eſſe iucundior, quàm cruor, quàm cædes quàm ante oculos trucidatio ciuium.*

Denique miſericordiæ motus adhibendus,vt ſuis liberis parcant, qua in re triumphat Catil.4. dum tanquam moriturus pro libertate patriæ ſuos liberos Pop.Rom.commendat n,23. *Quod ſi meam ſpem vis improborum fefellerit,atque ſuperauerit: commendo vobis paruum filium meum:cui profectò ſatis erit præſidij, non ſolum ad ſalutẽ,verum etiã ad dignitatẽ, ſi eius,qui hæc omnia ſuo ſolius periculo cõſeruauerit,illũ eſſe filiũ memineritis.*

In priuatis verò Conſultationibus vix motus adhibentur,niſi cum aliquem videmus nobis familiarem ruere in apertum diſcrimen, alioqui liberum permittimus illi, qui nos conſulit, vt quod volet, ſequatur.Quòd ſi ſuperioris rogatu dixiſſet aliquis ſuam ſententiã,perorare poſſet,à quadam excuſatione ſui, quaſi nihil prorſus eo dignum dixerit. Hanc induſtriam docet Dio Chryſoſtomus Oratione de exercitatione dicendi,ſic enim loquitur:ſed videor nimis extendere conſilium,tu verò in cauſa es,qui mihi perſuaſiſti, meque prouocaſti;vt quemadmodum in luctu præſtantiores infirmioribus confidentes, interdum iis perſuadere ſolent, vt ſe credant eſſe fortiores: ita & tu videris quæ melius ipſe noſti,mihi vt minùs ſcienti ſcribenda impoſuiſſe.

Addet aliquis ſe ſolum opinatum fuiſſe ex aliorum ſententia, quod deprehenderit, longo vſu, & experientia rerum edoctus, ruinam imminere non tantùm amici bonis,ſed & fortunæ, proinde vt impleat fidelis amici partes,ac officium, ſe adductum fuiſſe, vt diſſimularet nihil in amici cauſa.

Digitized by Google

LECTIO IV.

De vſu præceptorum particularium generis Deliberatiui.

HActenus de iis quæ ad Deliberatiuum genus vniuerſum pertinent diſputatum eſt; nunc de diuerſis Orationum ſpeciebus agendum breuiter, quæ ad idem reuocantur: vbi potiſſimùm dominantur affectus. Amoris quidem ac Beneuolentiæ in Monitione, Commendatione, Conciliatione, Petitione; Iræ verò, vel Odij, in Concitatione, Denunciatione: Fiduciæ autem, & Metus, in Cohortatione, Dehortatione; Denique Doloris, ac Miſerationis in Conſolatione. In quibus omnibus cùm ſuadendo, vel diſſuadendo conſilium detur, aut accipiatur, conſentiens eſt, vt vnaquæque harum Orationum ad Deliberatiuum genus reuocetur.

PVNCTVM I.

Suaſionis Artificium.

EXordium ſumi poteſt vel à rebus ipſis, de quibus deliberatur: vel à perſonis eorum, qui conſilio præſunt; vel ab eius, qui primus ſententiam rogatus, noſtræ contrariam dixit; quorum beneuolentiam paucis conciliare profuerit; Nimirum Suaſurus pacem petentibus inimicis non eſſe denegandam; ſic orditur ab ipſius Commendatione qui primus diſſuaſit.

Magno te ſemper animo præditum, ac non minùs in aduerſis fortem, quam in proſperis temperatum, & æquabilem miramur. Nam cùm in tanta Reip. calamitate rerumque omnium perturbatione nihil territus, bello perſequendum hoſtem, nec vllam pacis mentionem admittendam putas; egregiam animi tui magnitudinem probas, qui nullis caſibus frangi poſſit, aut labefactari. Verùm, ignoſce ſi quid audacter contra mentem tuam, non contra Reip. ſalutem, ac imperij majeſtatem dixero; Illa animi tui celſitas, ac virtus etiam hoſtibus metuenda, fortaſſe prodeſſet alio tempore, quæ hoc certè lethalem Reipubl. plagam inferre poteſt.

Ab eius perſona qui toti conſilio præeſt. Maximas tibi N. gratias omnes & habere & agere debemus, qui de fortitudine bellica, deque pietate noſtra benè te ſperare hoc præſenti conſilio palam & apertè profiteris; cum nos conſiliorum ſocios, ac periculorum participes aſſe non dedigneris. Sed quam viuum ac ſpirans tuum hoc regiæ virtutis ſpecimen gratum eſt omnibus, tam eius Oratio, qui rogatus eſt ante me, ingrata mihi fuit, & ſi quid poteſt mens mea conijcere, Regno nominique noſtro pernicioſa futura, niſi quâ ſoles prouidentiâ, malum anteuertas. Etenim quæ tua iſta N. ratio? quæ mens? quis ſenſus? vt incertâ ſpe vitæ ſecurioris periculorumque fugâ, virtuti noſtræ leuitatis & infamiæ notam inuras ſempiternam? Age verò; quæ o abs te, cogitariſne apud quos hæc diceres? &c.

A Conſulum perſona. Vultus veſter ad ſuauitatem compoſitus P. C. & humanitas tanta, quantum ſperare quis poſſit, mihi felicem atque glorioſum huius Deliberationis exitum pollicentur. Nam ad illam publici conſilij ſedem ſto, in qua de pacis otiique, tùm publici, tùm priuati conſeruandi rationibus ſapienter agitis: quapropter non vereor, ne fœdere, & amicitia coniunctos, iiſdem quibus ante legibus, in ſocietatem, & amicitiam maiores noſtri, vel hoſtes receperunt prouocãtes æquitatem veſtram, non offenſione fractos, vel armis debilitatos, ſed integros ac potentes admittatis. Quippe non ignoratis, hiſtoriarum ſcientes, antiquitatis ſtudioſi, moderatione ſapientiaque ſingulares, ſemper hanc lenitate veriùs quàm armis ſteti ſſe Remp. eandem ambitione, ac præcipiti, lubricaque dominandi libidine conceciſſe. Quod fœdus ſi plurimum intereſſe Reip. probauero, nec modò non turpe, ſed honeſtum ac glorioſum, ſed neceſſarium, erit ſapientiæ veſtræ prouidere, ne quod Immort. Dei beneficio ſingulari conceſſum nobis eſt, in occaſum interitumque patriæ contempſiſſe lugeamus.

Vel

Vel ab aliqua grauiori ſententia Tritum illud, vt veriſſimum ſemper fuit, ſic in Prouerbium abiit, mortales inimicitias immortales eſſe debere. Deus ſancte! quam nefarium eſt atque inhumanum pacem honeſtè facere cùm poſſis, crue tam, & atrociſſimum bellum eligere.

Quod ſtatim excipere poteſt Propoſitio atque Diuiſio. Fœdus igitur cum ſociis, licet hoſtibus renouandum cenſeo, quia Reipub. glorioſum, & vtile, quia neceſſarium, quia facilè fieri poteſt ac debet. Quæ tria, &c.

Narratio.

Narratio, ſi quæ ſit, ſemina quędam argumentorum continet ac rationes, quæ potiſſimum deſumuntur ab his locis ſupra nominatis Honeſto quod per ſe laudabile. ac propter ſe expetédum, cui pro Confirmatione ſubiiciuntur omnes virtutes, & quę legibus, cum ſacris, tum profanis, & exemplis bonorum ſunt commendata. Eodem fama nominis, & infamia referuntur, quæ totum fermè negotium, in deliberando conficiunt, prę-ſertim apud nobiles, ſolidæ gloriæ potius, quam pecuniarum amantes, aut vitæ.

Veſtram appello fidem P.C: ſi me ſemper non magis periculum famæ atque dedecoris metus, quam vitæ deſiderium tenuit: ſcitis ipſi me nullis pepercisse laboribus, nulla ſubterfugiſſe pericula mortem ipſam glorioſam duxiſſe, ſi modò me cadente, ſtarét Reipubl. dignitas, & exiſtimatio. Quàm impius in patriam, quam crudelis in ciues quam ſceleratus & infamis apud omnes, ſi, dum bonis omnibus pacem optandam, ac ſalutarem perſuadere conor, Populi Rom. majeſtatem imminuo, ſi tanto nomini maculam timidus inuro, ſi quid ab huius ordinis grauitate alienum pronuntio.

Neque ſum is qui potiùs vtilitati quàm dignitati ſeruiendum putem. Vèrum quid in ea concordia turpe? imò quid non honorificum. quid non glorioſum? ſi pacem à nobis hoſtes, non virium deſperatione, nec imbecillitatis conſcientia, ſed communis boni deſideria impulſi, poſtulant? ſi eas fœderis conditiones proponunt, quibus ne victis quidem ampliores ferre poſſemus? quid rogo vos, optate melius, &c. Dicam audacter ſed verè, hoc ius ineundę ſocietatis, non modò non infamiæ, ſed & conſilii, ac dignitatis eſſe pleniſſimum. Quid enim, &c.

Si quid nobis aduerſari videbitur, ſtatim refellendum, vel ſi commodius erit Confirmationi ſubiungendum. Nec me mouet quod de illorum perfidia, atque ingenij mobilitate, non tam honeſta, quam animoſa contentione diſputatum eſt, &c.

Ab Vtili.

Quod non propter ſe, ſed propter fructum & commodùm expetitur: quo iam acquiſita bona conſeruatur, nondum adepta comparantur, arcentur ea, quæ his contraria ſunt.

Quis minus ſapiens, fortunarum omnium ac libertatis, ſalutis vitæque melioris rationem in pace, concordiaque poſitam eſſe negat? hic commoda pacis & incommoda belli ſubiicienda per Effectus, & Adiuncta varia.

A Facili

Quod vel nullo, vel certè non magno labore, ſumptu, moleſtiâ, quam breuiſſimo tempore confici poteſt: quem locum circumſtantiæ probant, Tempus, Locus, Occaſio, Modus, Inſtrumentum, & alia de quibus ſupra.

Quâ tandem ſpe nos ad hoc bellum inuitat N.? cur vltrò pacem oblatam recuſat? victoriæ fiducia? quid ſi turpius victi aliquando fuerimus? fiducia nimia pernicioſa: animus vereri qui ſcit, ſic tutò aggredi, ac vincere glorioſè. An amplitudinis? at hoc non modò periculoſum eſſe, ſed etiam dubium & incertum ſæpè noſtro damno didicimus: quis fortunam ridentem blandientemque non vereatur? gloriæne? per quot ciuitatem excidia, quot funera gentium, per orbis terrarum ſtragem atque vaſtitatē quærenda victoria. Et hoc erit imperij noſtri pretium neſcio crudelius, an inuidioſius apud exteras nationes futurum. Quantò facilius tutiuſque ſine ferro, ſine cæde, ſine ſanguine, ſine periculo eò peruenire modo poteſtis, non ſine gloria nominisq;

veſtri immortalitate. Certè vobis optanda bona mens ab immortali Deo, vt quoad licet, & in integro poſita res eſt, incerta poſſeſſione decoris & imperii potius, quam in incerta, & atroci ſpe alienæ, noſtræque calamitatis hæreatis.

A Neceſſario & Difficili.

Quòd vel aliter fieri, vel commodè vitari non poſſit. Quæ neceſſitas multis capitibus probari poteſt. I. A bellis ciuilibus, nempè non eſſe domi tam benè pacata tranquillaque omnia, vt hoſtes magis, quam amicos habere expediat. Verendum P. C. ne occupatis eo bello, ac diſtractis viribus noſtris, vicini moueantur, &c. Per enumerationem malorum quæ ex bellorum incendiis enaſcuntur. Quid Galli? nihilne ab iis nouarum rerũ metuendum cenſetis? Quid Germani? putatis ſociorum iniuriam non vlturos, pro quibus toties arma ſumpſerunt, quid N. &c. Quot infeſtæ Romanis nationes? &c.

Ab hoſtium robore, ac ſæuitia. Qui tandem hoſtes debellãdi nobis? quos partim natura ipſa ad ſæuitiam, & immanitatem finxit, conſtans diſciplina perduxit, domeſtica conſuetudo firmauit? quibus nullos noſtri nominis hoſtes vnquam infenſiores habuimus? qui ſemel attriti profligatiq; vix armis depoſitis atrociores inſurgunt; qui nihil ad nouos ſubinde belli conatus, præter indomitum, atque implacabile odium afferunt qui ſemel exulceratis repudiatæ pacis offẽſione animis, multò quàm ante potentius obſtinatiuſque reſiſtent, qui vulneribus ſaucij, ſic quaſi terra, atque efferata bellua, in furias, atque deſperationem aguntur. Sic belluarum ritu præcipites ruimus in exitium voluntarium; *Neceſſarium odiſſe vitam hominis eſt deſperati.*

Ab Impoſſibili

Quòd in efficiendi difficultate conſiſtit Quis ſibi felicem huius infelicis belli promittat exitũ in tanta rerum perturbatione, quidquid roboris, ac præſidij fuit in exercitibus fatali plaga concidit, flore Re p. ſublato, extinctis principibus iuuentutis, ſuppleri legiones non poſſunt, exhauſtum eſt ærarium, conſumpta vectigalia, exinanitæ Prouinciæ, quis molem impendentis belli ſuſtinet? Quis infamæ iugum ſeruitutis à ciuium noſtrorum ceruicibus libertatis amans, depellat?

A Tuto.

Quod in tuenda incolumitate ſua, ſuorumque poſitum eſt. Dubitare de hoc ineundo fœdere cum hoſtibus antea ſocietate iunctis, hominis eſt nihil de communi humanitate, parum de Reipub. periculo, ac belli magnitudine, cogitantis Melius, ac ſecurius clementiâ & humanitate, quàm ſeueritate & inimica crudelitate, res adminiſtratur. Hoc enim vel maximè vinculo, cum priuatorum inter ſe neceſſitudines; tum Ciuitatum ſociates multo arctius copulantur. *Quàm Tutum, quos perdere potueras, ſeruaſſe.*

A Iucundo.

Quòd delectationem affert. Quæ poteſt eſſe maior Iucunditas, quàm ab armis diſceſſiſſe? quàm cædi, ac ſanguini ciuium pepercisse; quàm ampliſſimas ciuitates, florentiſſima imperia, potentiſſimas prouincias à vaſtitate, atque incendiis eripuiſſe? quàm nullo negotio, ſine cuiuſquam pernicie, interituque ad ſua, ſuoſque perueniſſe? quàm flammas, ac faces, in mortalium ruinam accenſas, extinxiſſe? &c.

Confirmatio.

Rationes quibus confirmatur propoſitio peti poſſunt è locis Rhetorices, ab effectis, conſequẽtibus, ſimilitudine, contrariis à minori, à maiori, ab exemplis: quibus omnibus non ſemper vtendum eſt in ſuadendo, ſed iis potiſſimum qui cauſæ noſtræ rationes confirmabunt.

A Minori ad Maius.

Si ſæpius à nobis etiam hoſtibus fœdus non flagitantibus, & debilitatis, ius ſocietatis datum eſt: quid iis facere debemus, qui nondum in poteſtatem

Digitized by Google

teſtatem noſtram redacti, nec debellati, ſed integri viribus, ac penè victores amicitiam noſtram ac ſocietatem vltrò poſtulant:

Ab Exemplis Maiorum

Quid tu mihi Maiores commemoras, cedo vel vnum, qui paci bellum prætulerit? vos appello præſtantiſſimi Imperatores noſtri, ſi ab hoc bello tantùm Reipub. decoris, ac ſalutis affuturum putaſtis, &c.

Epilogus.

Concludit ac ſententiam pronuntiat in hæc ferè verba; Quas ob res: Quæ cùm ita ſint: Itaque nolite dubitare conditiones pacis vltrò propoſitas à potentiſſimis hoſtibus, ſaluâ, & integrâ dignitate noſtrâ, diuturno ac periculoſo bello præponere, &c In hoc etiam laus, ſpes, expectatio, quæ cohortationis ſunt propria, adhiberi ſolent, ac poſſunt.

Talis illa ſunt Alorci militis Annibalis ad Senatum Oratio ſuaſoria apud Liuium lib. 11. Si ciuis veſter Alcon ſicut ad pacem petendam ad Annibalem venit: ita pacis conditiones ab Annibale ad vos retuliſſet, ſuperuacaneum hoc mihi fuiſſet iter, quo nec Orator Annibalis, nec transfuga ad vos veniſſem. Cùm vero ille aut veſtra, aut ſua culpa manſerit apud hoſtem; ſi metum ſimulauit, ſua: veſtra, ſi periculum eſt apud vos, vera referentibus: ego, ne ignoraretis eſſe aliquas & ſalutis & pacis vobis conditiones, pro vetuſto hoſpitio, quod mihi vobiſcum eſt, ad vos veni. Veſtra autem cauſa me, nec vllius alterius loqui, quæ loquor apud vos, vel ea fides ſit, quod nequi dum veſtris viribus reſtitiſtis, neque dum auxilia ab Romanis ſperaſtis, pacis vnquam apud vos mentionem feci.

Poſtquam nec ab Romanis vlla vobis ſpes eſt, nec veſtra iam aut arma vos, aut mœnia ſatis defendunt, pacem afferre, ad vos magis neceſſariā quàm æquam. Cuius ita aliqua ſpes eſt: ſi eam quemadmodum vt victor fert, Annibal, ſic vos, vt victi audiatis: ſi non id quod amittitur, in damno, cum omnia victoris ſint: ſed quicquid relinquitur, pro munere habituri eſtis. Vrbem vobis, quam ex magna iam parte dirutam, captam ferè totam habet, adimit: agros relinquit, locum aſſignaturus, in quo nouum oppidum ædificetis: aurum argentumque omne, publicum priuatumque ad ſe iubet deferri? coniugum veſtráque corpora, ac liberorum veſtrorum ſeruat inuiolata, ſi inermes cum binis veſtimentis velitis à Sagunto exire. Hæc victor hoſtis imperat. Hæc quamquam ſint grauia, atque acerba, fortuna veſtra vobis ſuadet. Equidem haud deſpero, cum omnium poteſtas ei à vobis facta ſit, aliquid ex his rebus remiſſurum. Sed hæc patienda cenſeo potius, quàm trucidari corpora veſtra, rapi, trahique ante ora veſtra coniuges, ac liberos belli iure ſinatis.

PVNCTVM II.

Artificium Diſſuaſionis.

Eadem quæ Suaſoriæ ratio, niſi quod argumenta in Diſſuaſione contrariis ex locis duci debent; ſcilicet à turpi, inutili, non neceſſario, periculoſo: denique ab omnibus incommodis, quæ rem diſſuadere poſſunt.

Exordium peti poteſt ex diuerſis circumſtantiis, à perſona ſuadentis, aut eorum qui audiunt & penes quos eſt totius rei iudicium. Ab inſolentia poſcentium pacem, vt qui non tàm rogare, quàm minari, nec tàm ſupplices pacem precari, quàm arroganter fortunam nobis noſtram, bellicoſque caſus exprobare, nec tàm inſolẽter prædicare Ducum ſuorum virtutem, quàm glorioſè nobis eorundem vultum, terroremque, quaſi timidis, obiicere.

Quid aliud ab inſita Genti ferocia, ſuperbiaque expectare poteramus P. C. quàm ineptiſſimorum hominum importunam vanitatem, ac perfidiam, qui ſe non tàm victos, quàm victores impunè gloriantur? &c.

Si res ipſa poſtulauit beneuolentiam paucis ſibi conciliabit Orator. Quid de me exiſtimaturi ſitis non ſatis intelligo, eam ob rem rogo vos, ſi quid minus auribus veſtris, atque animis gratum à me dictum fuerit, aut incredibile, æqui boni-

que conſularis, nec antequam de re propoſita pro dignitate ueſtra diſputauero, ſententiam veſtram proferatis.

Propoſitio cum Diuiſione ſequitur. Dicam liberè, ſinè ſummo imperii detrimento atque dedecore, nullum cum violati fœderis, ac perturbatæ pacis auctoribus, ius ſocietatis nobis eſſe poſſe.

Confirmatio.

Primò docendum cum turpitudine coniunctam eſſe hanc pacem, quia Romani nominis dignitas, apud gentes exteras minuitur, quæ ſuſpenſę belli præſentis expectatione, quàm res exitum habitura ſit, experiri cupiunt, vt nos inermes & fractos adoriantur.

Scitis P.C. quàm grauis impoſita ſit vobis perſona, quàm neceſſaria dignitatis inſtinendæ ratio, ex quo Populi, Patrumque conſenſu Reip. curam, & adminiſtrationem ſuſcepiſtis: ſcitis quantum interſit, conſtantem de gentis noſtræ fortitudine opinionem conſeruare, ac tueri, nec permittere, vt maleuolorum rumoribus virtus noſtra ſuperetur: ſcitis de Imperii gloria nos, non tantùm cum exteris, ſed etiam cum finitimis certare; quàm hæreditatem nominis, & honoris patrimonium, quis non ignominioſæ morti præferat?

Secundò. A conſequentibus & effectis periculoſis; ſi renonandum cum perfidis fœdus cenſeant, aut de bello confeſtim illos inferendo dubitent, ciuium ſtudia langueſcent, & mollientur, militum robur frangetur, excident gladii, fluent arma de manibus, Ducum virtus, & induſtria ceſſabit, eodem denique labefactata motu Reſp. concidet.

Enim verò quis non intelligit ſimul atque auditum fuerit pacis inuiſum nomen, magnam in toto imperio animorū inclinationem futuram? præſens opportunitas delectus celeritatem requirit? morabitur; vrgens neceſſitas milites imperat, nouos conſcribit exercitus, parat commeatus, ornat claſſes? ſpes pacis molliores efficiet ſocios, belli neceſſarios apparatus retardabit: quæ ite, &c,

II. Ab honeſto. Glorioſum eſt inuſtam Reip. labem abſtergere, vlciſci ciuium ſanguinem, clariſſimorum virorum nefariam cædem, fortiſſimorum Imperatorum crudeliſſimam necem perſequi. Verendum eſt armis, & famam præſtare, & conſulere imperio poſſe.

II. A Facili. Nullo negotio veteres hoſtes cum auctoritate noſtra, tùm priuatis odiis adductos, in huius belli ſocietatem trahemus.

V. Ab Impoſſibili Quantæ id nobis, non ignominæ ſolùm, ſed inuidiæ fuerit, perfidos, crudeles, barbaros in amicitiam, ac ſocietatem recipere. Quæ poteſt eſſe pacis conditio cum iis, quos humanitatis nulla ratio in officii religione continet? quod poteſt eſſe fœderis vinculum cum iis, qui nobis toties obſtrictam Iureiurando fidem ruperunt? quod firmitatis conſtantiæque monimentum, quibus nihil tàm ſanctum, tàm inuiolatum, tàm religioſum eſt, quod non immanitas lædat, cupiditas violet audacia perrumpat; quæ poteſt eſſe cum iis ſtabilis firmaque pax, qui ſimiliter atque in mari, quocunque furoris ac libinis ventus impulerit, cæci ac præcipites feruntur. Poteſtis iis populis fidei quidquam habere: qui in ſocios, in amicos tàm atrociter, atque hoſtiliter ſeſe geſſerunt? poteſtis cum ea gente fœdus paciſci, quæ ęmulatione gloriæ tantùm, & inuidia ducta, hoſpites ac liberatores ſuos crudeliſſimè trucidauit? poteſtis, &c.

Concluſio. Quæ cùm ita ſint, veterem Reip. dignitatem reuocate, ſociorum necem vindicate, qui pro ſalute veſtra, pro veſtra, Romanique nominis gloria fortiter occubuerūt, nullam cum armatis hoſtibus pacem habere. Agitur nationem omnium de vobis exiſtimatio, agitur Imperii decus, quod euertere conantur, &c.

Sed nulla grauior illâ M. Furii Camilli diſſuadentis tranſmigrationem Veios Româ penè à fundamentis euersâ, & incenſâ à Gallis, lib. 4. Dec. 1. ſub finem.

Orditur Orationem ab aduerſariorum perſona, quos in odium adducit, ſibique beneuolentiam conciliat à charitate ſuo in patriam, & in ciues ſuos.

Adeò mihi acerbæ ſunt, Quirites, contentiones cum Tribunis plebis, vt nec triſtiſſimi exilii ſolatium aliud habuerim, quoad Ardeæ vixi, quàm quòd procul ab his certaminibus eram: &

ab

Digitized by Google

ab eadem hæc, non, niſi me conſulto plebiſque juſſu, ſeuocaretis, rediturus vnquam fuerim, nec nunc me, vt redirem, mea voluntas mutata, ſed veſtra fortuna perpulit: Quippe vt in ſua ſede maneret patria, id agebatur, non vt ego vtique in patria eſſem. Et nunc tacerem, & quieſcerem libenter, niſi hæc quoque pro patria dimicatio eſſet: cui deeſſe, quoad vita ſuppeditat, aliis turpe, Camillo etiam nefas eſt.

Primum argumentum, quo diſſuadet transmigrationem hanc, ducitur à Repugnantibus; ſcilicet vrbem tantis ſudoribus, ac ſanguine ſeruatam relinquere.

Quid enim repetiimus? quid obſeſſam ex hoſtium manibus eripuimus, ſi recuperatam ipſi deſerimus? Et cùm victoribus Gallis, captâ totâ vrbe, Capitolium tamen atque arcem, Diique & homines Romani tenuerint, habitauerint: victoribus, Romanis, recuperatâ vrbe, arx quoque & Capitolium deſeretur? Et plus vaſtitatis huic vrbi ſecunda noſtra fortuna faciet, quàm aduerſa fecerit.

Secundum vrget à religione Deorum, ad cuius memoriam plerumq; molleſcunt animi, & incitantur.

Equidem ſi nobis cum vrbe ſimul poſitæ, traditæque per manus ſimul religiones nullæ eſſent, tamen tàm euidens numen hâc tempeſtate rebus adfuit Romanis, vt omnem negligentiam diuini cultus exemptam hominibus putem. Intuemini horum deinceps annorum, vel ſecundas res, vel aduerſas: inuenietis omnia proſperè veniſſe ſequentibus Deos: aduerſa, ſpernentibus.

Quam vt inculcat religionem potentiùs, præſentē Deorum opem cōmendat ab Enumeratione Effectorum, qui ſæpè formidoloſis rebus & afflictis adfuerint inuocati: ſpreti verò, pœnas repetierint.

Iam omnium primum Veiens bellum, per quot annos, quanto labore geſtum? non ante cœpit finem, quàm monitu Deorum aqua ex lacu Albano emiſſa eſt. Quid hæc tandem vrbis noſtræ clades noua? non ante exorta eſt, quam ſpreta vox cœlo emiſſa de aduentu Gallorum, quam gentium ius à Legatis noſtris violatum: quam à nobis, quùm vindicari deberet, eâdem negligentia Deorum prætermiſſum. Igitur victi captique ac redempti, tantum pœnarum Diis hominibuſque dedimus, vt terrarum orbi documento eſſemus Aduerſæ deinde res admonuerunt Religionum confugimus in Capitolium, ad ſedem Iouis Opt. Max. ſacra in ruina rerum noſtrarum, alia terræ celauimus, alia auecta in finitimas vrbes amouimus ab hoſtium oculis: Deorum cultum, deſerri ab Diis hominibuſque non intermiſimus Reddidere igitur patriam, & victoriam, & antiquum belli decus amiſſum: & in hoſtes qui cœci auaritiâ, in pōdere auri, fœdus ac fidem fefellerunt, verterunt terrorem, fugamque, & cædem. Hæc culti, neglectique numinis tanta monomenta in rebus humanis cernentes ecquid ſentitis, Quirites? quantum vixdum ex naufragiis prioris culpæ cladiſque emergētes, paremus nefas. *Et alia multa quæ de Diis ſacrificiiſq; congerit, probatq; piaculum eſſe illa deſerere. Ab iis verò tranſit ad Sacerdotes huic ſacrorū domicilio addictos quos extra vrbem manere nefas ſit.*

A regione deſcendit ad gloriam Pop. Ro. cui non poteſt non peſſima dedecoris nota inuri, ſi neglectis Deorum ſacrificiis, comitiis, & aliis, quæ longum eſſet tranſcribere, ſic vrget à gloria cui ſemper ſtuduerunt.

Videte quantum inter meam ſententiam veſtramque interſit, Tribuni: vos etiam ſi tunc faciendum non fuerit, nunc vtique faciendum putatis? ego contra; nec id mirari ſitis, priùs quam quale ſit, audieritis, etiam ſi tunc migrandum fuiſſet incolumi tota vrbe, nunc has ruinas relinquendas non cenſerem. Quippe tum cauſa nobis in vrbem captam migrandi victoria eſſet glorioſa nobis, ac poſteris noſtris: nunc hæc migratio nobis miſera, ac turpis, Gallis glorioſa eſt. Non enim reliquiſſe victores, ſed amiſiſſe victi patriam videbimini. Hoc ad Alliam fuga, hoc capta vrbis, hoc circumſeſſum Capitoliū neceſſitatis impoſuiſſe, vt deſereremus Penates noſtros, exiliumque ac fugam nobis ex eo loco conſciſceremus, quem tueri non poſſemus? Et Galli euertere potuerunt Romam, quam Romani reſtituere non videbuntur potuiſſe.

Vrget acriter ciues ſuos ab Romani nominis gloria, grauiterq; illorum inertiam, qua libertate ſolet, perſtringit.

Quid reſtat, niſi vt ſi iam nouis copiis veniant, & habitare in capta ab ſe, deſerta à nobis hac vrbe velint ſinatis? quid ſi non Galli hoc, ſed

veteres

veteres hoſtes noſtri Æqui Volſcique faciant, vt commigrent Romam? velitíſne illos Romanos, vos Veientes eſſe? non malitis hanc ſolitudinem veſtram, quàm vrbem hoſtium eſſe, non equidem video, quid magis nefas ſit.

Remiſſos illorum annos poſtea, verborum facibus admotis inflammat potiſſimùm à charitate patriæ, quæ motibus ſparſim incenſa Oratio graues animorum motus excitat.

Hæc ſcelera quia piget ædificare hæc dedecora pati parati eſtis? ſi tota vrbe nullum melius, ampliuſue tectum fieri poſſit quàm caſa illa conditoris eſt noſtri, non in caſis ritu paſtorum agreſtiumque habitare eſt ſatius inter ſacra Penateſque veſtros, quàm exulatum publicè ire? Maiores noſtri conuenæ paſtoreſque, cum in his locis nihil præter ſyluas paludeſque eſſet, nouam vrbem tàm breui ædificauerunt: nos Capitolio, arce incolumi, ſtantibus templis Deorum, ædificare incenſam piget? & quod ſinguli facturi fuimus, ſi ædes noſtræ deflagraſſent, hoc in publico incendio vniuerſi facere recuſamus?

Tùm claritatem patriæ commendat, & gloriæ vtilitatis argumentum adnectit, ex Romæ ſitu nobili, atque commodis.

Quid tandem, ſi fraude, ſi caſu Veiis incendium ortum ſit, ventóque, vt fieri poteſt, diffuſa flamma, magnam partem vrbis abſumat? Fidenas indè, aut Gabios, aliámve quam vrbem quæſituri ſumus, quò tranſmigremus? Adeò nihil tenet ſolum patriæ, nec hæc terra, quam Matrem appellamus: ſed in ſuperficie tigníſque claritas nobis patriæ pendet? Equidem fatebor vobis (etſi minus iniuriæ veſtræ, quàm meæ calamitatis meminiſſe iuuat) quum abeſſe, quotieſcumque patria in mentem veniret hæc omnia occurrebant: colles campíque & Tiberis, & aſſueta oculis regio, & hoc cœlum ſub quo natus educatúſque eſſem Quæ vos Quirites, nũc moneant potius charitate ſua, vt maneatis in ſede veſtra, quàm poſtea, quum reliqueritis ea, macerent deſiderio. Non ſine cauſa Dij hominéſque hunc vrbi condendæ locum elegerunt, ſaluberrimos colles, flumen opportunum, quò ex mediterraneis locis fruges deuehantur, quo maritimi commeatus accipiantur: mare vicinum ad commoditates, nec expoſitum nimia propinquitate ad pericula claſſium externarum, regionum Italiæ medium. Ad incrementum vrbis natum vnicè locum, argumento eſt ipſa magnitudo tàm nouæ vrbis.

Tandem concludit Peroratione ſanè graui, vbi ſanctiores hiſtorias inſerit de induſtria, ad maiorem animorum motum, ex religione, rebuſque ſacris.

Quod cum ita ſit, quæ (malum) ratio eſt expertis alia experiri? quum iam vt virtus veſtra tranſire aliò poſſit, fortuna certè loci huius transferri hinc non poſſit. Hìc Capitolium eſt, vbi quondam capite humano inuento, reſponſum eſt, eo loco caput rerum ſummámque imperij fore. Hìc, cum augurato liberaretur Capitolium, Iuuentas Terminuſque maximo gaudio Patrum noſtrorum moueri ſe non paſſi: hìc Veſtæ ignes, hìc Ancilia cœlo demiſſa, hìc omnes propitij manentibus vobis Dij, &c.

Grauiſſimæ ſunt Orationes illæ Q. Fabij maximi, & P.Cornelij Scipionis apud Liuium lib. 8. Decad. 3. in quibus prior bellum diſſuadet in Africam transferendum, & hortatur, vt omnibus viribus contractis prius Hannibal ex Italia eiiciatur, quàm exercitus in exteras nationes deportetur; quâ Oratione ad tempus partâ Fabius, cum auctoritate, & inueteratâ prudentiæ famâ, magnam partem Senatus & ſeniores maximè mouiſſet, plureſque conſilium ſenis, quàm animum adoleſcentis ferocem laudarent, poſterior Scipio ſe multis & contrariam ſententiam tueri conatus eſt.

PVNCTVM III.

Conſultatio.

Siue Senatuſconſultum & Deliberatio, vel rogatio legis, aut interceſſio coram Principe; prudenter Ariſt. multa requirit ad hoc Eloquentiæ genus 1. diligenter attendendum coram quo fiat Conſultatio: ſi Rex eſt αὐτοκρατὴς veritatis inſolens palpo verbiſque ad aſſentationem compoſitis vtendum: Talis fuit Oratio primæ nobilitatis Aulici Oſiæ, qui rogatus à Principe Roboamo, num minuenda eſſent à patre

patre Salomone inſtituta vectigalia, plebi expoſtulanti, factus ad Regis nutus & voluntatem, de populi verò ſalute nihil ſollicitus, ab adulatione exorſus eſt. Regem Deum eſſe mortalem, pectus illius oraculum certiſſimum, os ſedem veritatis, quidquid & dicat ſentiâtue pro lege habendum, quippe qui legibus ſuperſtet auctor & arbiter.

Si Senatus, inter æquales longè liberior eſſe debet Oratio, quam ordietur vel ab amore ſingulari quo patriam ſemper vitâ ſuâ cariorem adamauit; vel à diuturno Reip.adminiſtrandæ vſu quem experientia quotidiana peperit, vel à graui quodam effato; Cæſar apud Saluſtium. *Omnes homines qui de rebus dubiis conſultant ab odio, ira, amicitia, atque miſericordia vacui eſſe debent.*

Si Pontificum cœtus, maior habenda Religionis ratio, ſanctiorúmque rituum, ita tamen, vt ſemper officij ſui memor ſit atque veritatis.

II. Affectum omnem proprium depoſuiſſe debet Orator, & induiſſe publicum, ſi non reipſa, ſaltem id auditoribus videatur, qui facilè ei ſe applicant & adiungunt, quem ſciunt vtilitatis ſuæ, commodorúmque ſtudioſum.

III. Negotium totum peruidiſſe, loci prætérea, temporis cæterarúmque rerum momenta diligenter expendiſſe, vt ſcienter in vtrámque partem diſputet, ad quod iuuerit varias Conſultationes Herodoti, Liuij, Curtij, Theucydis & aliorum legiſſe.

Eſt illa Perdiccæ morata ſatis atque ciuilis apud Curtium Conſultatio de Imperatore poſt Alexandri mortem eligendo, lib. 10. num. 6. ſic enim ad milites conuocatos.

Quamquam nulla clades huic, qua affecti ſumus, par ab iratis Diis excogitari poteſt tamen magnitudinem rerum, quas egit, intuentibus credere licet, tantum virum Deos accommodaſſe rebus humanis, quarum ſorte completa citò repeterent eum ſtirpi ſuæ. Proindè quoniam nihil aliud ex eo ſupereſt, quàm quod ſemper ab immortalitate ſubducitur, corpori nominique, quamprimùm iuſta ſoluamus haud obliti, in qua vrbe, inter quos ſimus, quali Rege ac Præſide ſpoliati. Tractandum eſt Commilitones, cogitandúmque vt victoriam partam inter hos, de quibus parta eſt obtinere poſſimus. Capite opus eſt. Hoc vno, an pluribus in veſtra poteſtate eſt. Illud ſcire debetis, militarem ſine duce turbam, corpus eſſe ſine ſpiritu. Sextus menſis eſt, quo Roxane prægnans eſt. Optamus vt marem enitatur, cuius regnum Diis approbantibus futurum, quandocúmque adoleuerit. Interim à quibus regi velitis, deſtinate.

Quam Propoſitionem ſtatim excipit cuiuſdam Nearchi præceps conciſáque, ſententia: Alexandri modò ſanguinem & ſtirpem regiæ majeſtati conuenire, neminem ait poſſe mirari: cæterùm expectari nondum ortum Regem, & qui iam ſit, præteriri, nec animis Medorum conuenire, nec tempori rerum, eſſe è Barſine filium Regis; huic Diadema dandum.

Ad voces & tumultus militum, qui haſtis ſcuta quatientes ſeditionem mouebant, ob Nearchum pertinaciter ſententiam ſuam tuentem, hæc habuit Ptolemæus. Digna prorſus eſt ſoboles, quæ Macedonum imperet genti, Roxanes vel Barſines filius, cuius quoque nomen Europam dicere pigebit, maiore ex parte captiui. Cur Perſas vicerimus, vt ſtirpi eorum ſeruiamus? quod iuſti illi Reges Darius & Xerxes tot millium agminibus, tantiſque claſſibus nec quicquam petiuerunt. Mea ſententia hæc eſt, vt ſede Alexandri in Regia poſita, qui conſiliis eius adhibebantur, coëant, quoties in commune conſulto opus fuerit, cóque quod maior pars eorum decreuerit, ſtetur. Duces Præfectique copiarum his pareant.

Ad hæc Ariſtonus præcipuus amicorum Perdiccæ nihil cunctatus, cum eſſe deligendum in Imperatorem, quem Alexander moriens dignum iudicaſſet, non alium autem, quàm cui annulum tradidiſſet. Nec enim vnum eum aſſediſſe morienti, ſed circumferentem oculos ex turba amicorum delegiſſe cui traderet. Placere igitur ſummam Imperij ad Perdiccam deferri.

Quæ non incendia in pectoribus hominum accendit inuidiæ maleuolentiæque funeſta fax? Perdiccæ laudem datam ferre non potuit, Meleager quamuis ab amore potiùs quàm à rei veritate, aut certa virtutis exiſtimatione profectam non ignoraret, ſed illam durè ſatis & aſperè truculentus Orator depreſſit.

Digitized by Google

Nec Dij ſiuerint, vt Alexandri fortuna, tantique Regni faſtigium in iſtos humeros ruat, homines certè non ferent. Nihil dico de Nobilioribus, quàm hic eſt, ſed de viris tantùm, quibus inuitis nihil perpeti neceſſe eſt. Nec verò intereſt, Roxanes filium quandocumque genitus erit, an Perdicam Regem habeatis cùm iſte ſub tutelæ ſpecie Regnum occupaturus ſit. Itaque nemo ei Rex placet, niſi qui nondum natus eſt. in tanta hominum feſtinatione, non iuſta modò, ſed etiam neceſſaria, exactos menſes ſolus expectat, & iam diuinat marem eſſe conceptum, quem vos dubitatis paratum eſſe, vel ſubdere. ſi medius-fidius Alexander hunc nobis Regem poſt ſe reliquiſſet, id ſolum ex his, quæ imperaſſet, non faciendum eſſe cenſetem. Quin igitur ad diripiendos theſauros diſcurritis? harum enim opum regiarum vtique populus eſt hæres.

LECTIO IV.

Artificium Hortationis.

QVamuis finitima ſit Exhortatio Suaſioni, imò pars eius, ſcilicet Epilogus, qui conſtat, non tàm argumentis, quàm affectibus; quia tamen aliquid inter eas diſcriminis reperitur, illas ſeiunximus; quippe ſuadendo id agitur, vt qui volunt aliquid aggredi, velint; cohortando, vt vehementius ad illud incendantur: nec ſuadenti ſatis eſt, quid ſit optimum factu, docuiſſe, ſed ſtimulos admouere debet hortator, quibus, vel difficultate & periculo deterritos, vel igna viâ retardatos, ad opus immortalitate dignum impellat. Suaſor plerúmque ſententiam mutat; Exhortatot animum addit: ille aut errantibus aut hæſitantibus ſuadet: hic ceſſantes, aut etiam currentes incitat. Tamen vt in Suaſionem ferè ſemper cadit Exhortatio; ita nec raro contingit illam vti Suaſione.

Iam habendi ſunt ſtimuli quidam, & incitamenta virtutum, ex quibus Exhortatorium genus componi debet. His potiſſimùm vtuntur Oratores, Laude, Spe, Metu, Odio, Amore, Miſeratione, Æmulatione, Expectatione, Exemplis, Obſecratione, & aliis grauibus affectibus, de quibus poſtea.

Exordium ferè nullum eſt, niſi circumſtantiis rerum, locorum, perſonarum, vel eius qui dicit, vel eorum qui audiunt.

A priſtina virtutis ac rerum præclarè geſtarum recordatione, quod in iſtis valet plurimum; quippe laus militum ab Imperatore profecta non poteſt non eſſe iucundiſſima. Si veſtros animos metu perculſos viderem, & minus erectos ad libertatem, hortarer vos, meæque virtutis, ac veſtræ documenta repeterem. Quoties, &c.

Inſinuatione nonnunquam vtendum eſt. Scio quàm parum grata ſint auribus veſtris futura quæ dicam: ſed etiam Medici grauiores morbos aſperis remediis curant feliciter, & nauis peritus gubernator, vbi naufragium timet, quod ſeruari poteſt, iacturâ redimit.

Ab expoſitione periculi. Non ignoro Commilitones mei, quàm multa paſſim iactata ſit in vulgus à veſtræ gloriæ, virtutiſque, non tàm æmulis, quàm inuidis hoſtibus, quibus animos veſtros terroris neſcios frangerent, ac de manibus partam victoriæ palmam eriperent: quibus autem hæc ingerunt? iis nempè, qui famam malum tam velox, quàm mendax eſſe non ignorant, qui ſæpè decepti fictis rumoribus, auribus nihil credunt, oculis omnia, qui, &c.

A Laude.

Iam inueſtigandæ rationes, quibus permouteantur animi. Magnam in primis vim habet ad excitandam cupiditatem commemoratio Laudis & Gloriæ: quæ quidem duobus modis fieri poteſt; vel ſi hunc, quem adhortari volumus, prius ipſi laudemus: vel ſi proponamus Laudem & Gloriam velut ilicem cupiditatis. Prioris exemplum eſt Ciceronis illud inſigne pro Sextio n. 138. Vbi recenſitis difficultatibus quæ ſubeundæ ſunt, ſocordes & ignauos profitetur ſe non cohortari *Huic hominum generi fateor, vt ante dixi, multos aduerſarios, inimicos, inuidos eſſe, multa proponi pericula, multas inferri iniurias, magnos eſſe experiundos & ſubeundos labores: ſed mihi omnis Oratio eſt cum virtute, non cum deſidia; cum dignitate, non cum voluptates*

Digitized by Google

ptate;cum iis,qui ſe patriæ,qui ſuis ciuibus,qui Laudi,qui Gloriæ,non qui ſomno & conuiuiis, & delectationi natos arbitrantur. Nam ſi qui voluptatibus ducuntur, & ſe vitiorum illecebris, & cupiditatum lenociniis dediderunt:miſſos faciant honores, nec attingant Remp. patiantur viros fortes labore, ſe otio ſuo perfrui.

Verum eſt id effatum nobiliſſimi apud Stobæum Philoſophi πᾶν τὸ τιμώμενον αὔξεται omne honoratum augeri, cùm Laus ex Syneſio epiſt. 62. ſit μισθὸς ἀρετῆς ἔπαινος virtutis merces, & propria mortuorum poſſeſſio, vt benè Demoſthenes de falſa legat. ἔπαινος τῶν τετελευτηκότων κτῆμά ἐστι. Propterea naturæ blandimentum hoc, ſæpius in Cohortationibus adhibendum: ſiquidem hoc rore fœcundæ virtutes adoleſcunt in reliquum tempus. Quod fiet, ſi prius res ab eo præclarè,geſtas artificioſa Lauda dilatabimus, ſi hortabimur, vt animosè benè cœpta perficiat. Blãde Cic. monet Cæſarem res à ſe geſtas hactenus admiratione quidem eſſe dignas, ſolidæ tamen laudis nihil habere,niſi rebus incœpis manum extremam adhibuerit. Pro Marcello n. 27. *Quòd ſi rerum tuarum immortalium,hic exitus futurus fuit,vt deuictis aduerſariis,Remp.in eo ſtatu relinqueres,in quo nunc eſt:vide quæſo, ne tua diuina virtus admirationis plus ſit habitura, quàm gloriæ. Siquidem gloria eſt illuſtris, ac peruagata multorum, & magnorum; vel in ſuos ciues, vel in patriam,vel in omne genus hominum, fama meritorum. Hæc igitur tibi reliqua pars eſt; hic reſtat actus,in hoc elaborandum eſt,vt Remp.conſtituas.*

Talis eſt illa Hortatio eiuſdem ad Q.Fratrem ep. 11. *Illud te ad extremum, & oro & hortor, vt tanquam Poëtæ boni,& actores induſtrii ſolent, ſic tu in extrema parte,& concluſione muneris, ac negotii tui diligentiſſimus ſis, vt hic tertius annus imperii tui,tanquam tertius actus perfectiſſimus,atquè ornatiſſimus fuiſſe videatur.*

Si generis claritatem, ſi præſtantiam imperii, ſi vires & ſapientiam,ſi virtutem ac ætatem,ſi rerum vſum extollamus, ac ne quid iis indignum admittat, admoneamus. Obuia ſunt paſſim horum omnium exempla Cic. pro Sextio n. 139. Optimates non ſocordes & ignauos, ſed fortes commouet. Qui bonam famam bonorum, quæ ſola verè gloria nominari poteſt, expetunt, aliis otium quærere debent, & voluptates, non ſibi, Sudandum eſt his pro communibus commodis, adeundæ inimicitiæ, ſubeundæ ſæpè pro Rep. tempeſtates: cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus dimicandum, Qui horum impetus, & conatus repreſſerunt, qui auctoritate,qui fide,qui conſtantiâ, qui magnitudine animi, conſiliis audacium reſtiterunt: ii Graues,ii Principes, ii Duces, ii Auctores huius dignitatis, atque imperii ſemper habiti ſunt.

Vnius diei quot, & quantæ virtutes veſtræ fuerunt? Domuiſtis gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes:quoties obſeſſi opera interdiu moliti eſtis?hoſtium impreſſiones arcuiſtis, noctem in excubiis egiſtis? iniurias cœli fortiter ac generosè pertuliſtis?quoties conſpirantibus in vos periculis bellorum fortunam prouocaſtis?quoties in medios obices ſtricto ferro penetraſtis? quoties intrepidi fluctuum Decumanorum vortices, procellarum violentiam, formidoloſi æſtus incrementa contempſiſtis? vt commercium cum fluctibus,procellisque vos habere crederent hoſtes, mirarentur veſtram in aggrediẽdo audaciam, in perficiendo facilitatem,in vincendo virtutem ac felicitatem prædicarent. Ite alacres & hoc facto poſtremum vitæ glorioſæ actum claudite. Diſcant poſteri timorem nunquam vidiſſe Francorum gentem niſi in vultu tergóque hoſtium, ſed Spe plenam ac virtute gloriã quam à maioribus ſuis acceperat,poſteris integram reliquiſſe. &c.

Poſterioris Ideam ſuggerit idem Cicero. Pro Sextio n. 137. à nobilitate Romanam iuuentutem ad magna hortur. *Hæc eſt vna via mihi credite,& laudis & dignitatis & honoris: à bonis viris ſapientibus,& benè naturâ conſtitutis laudari, & diligi,noſſe deſcriptionem ciuitatis, maioribus noſtris ſapientiſſimè conſtitutam,&c.*

Sic à te quempiam excitamus dùm piam, religioſam,magnificam, nouam,& arduam dicimus. Quo motiuo Tullius ſuos ad libertatem recuperandam & conſeruandam hortatur Phil. 10. n.20. *Pro libertate vitæ periculo decernendum eſt. Nõ enim in ſpiritu vita eſt,ſed ea nulla eſt omnino ſeruiẽti,omnes nationes ſeruitutẽ ferre poſſunt:noſtra*

FFfff 2 *ciuitas*

Digitized by Google

ciuitas non poteſt, nec vllam aliam ob cauſam, niſi quòd illa laborem, doloremq; fugiunt, quibus vt caueant, omnia perpeti poſſunt: nos ita à maioribus inſtituti, atque imbuti ſumus, vt omnia conſilia, atque facta, ad virtutem, & dignitatem referamus. Ita præclara eſt recuperatio libertatis, vt ne mors quidē ſit in repetenda libertate fugienda, non veſtri, nominiſque Romani dubitare eum ſpiritum, quem natura quis debeat, patriæ reddere

Si quis Chriſtianos duces ad bellum ſacrum: hortetur: religioſam rem atque glorioſam proponet. Ergo degeneres animi nihil altum, ſpirantes nemo ſciet natos, nemo vixiſſe nos conquereretur, pugnemus, æternitati viuamus, Chriſto vincamus, & vel Màrtyrii palmam glorioſè, vel Chriſti ſalutis noſtræ reparatoris cunas de manibus hoſtium extorqueamus. Quid enim præſtantius nobis accidere poteſt, atque ad memoriam nominis noſtri ſempiternam, quàm omnes nos vitam naturæ debitam, Deo parenti reddere? Gloriæ fugientis vmbram quærſierint Alexandri ſuperbiæ faſtu inſolentes, nos ſolidam & verè Chriſtianam quæramus. Etenim per nouas victorias & parta de Mahumetanis trophæa ſepultum & inter mortuum multis ante ſæculis nomen excitare? quanta gloria; loca illa; quæ ſuo Chriſtus in terras aduentu, miraculis doctrinâ, cruore ipſo conſecrauit, ab impiorum manibus iuſtis armis extorquere: quantum decus? aduerſus infideles pugnare, barbaros vincere, qui omni crudelitate teterrimi, vrbes rapinis, adyta ſacrilegiis, templa incendiis exhauriunt: quanta laus? latentem fidei gloriam reuocare, totam Idolorum noctem, ſuperſtitionumque tenebras effugare, ab immani crudeliſſimaque tyrannide Palæſtinam gentem, miſeram, afflictam, ſupplices nobis tendentem manus, vindicare, de vniuerſa demum Eccleſia bene mereri, quid eſt immortalitatem conſequi, ſi hoc non eſt? quapropter eamus, vincamus, vt Chriſtus triumphet. De fide agitur quam omni conatu funditùs delere conatur impius; Agitur in hoc bello, tùm vniuerſi populi Chriſtiani, tùm Imperii ſalus & authoritas, quàm bello retinere poſſumus: agitur orbis terrarum de nobis exiſtimatio, quæ in huius belli euentu poſita, in perpetuum periclitatur, &c.

Ad verecundiam, florem virtutum amabilem de more fortiter ac venuſtè prouocat, atque hortatur Ennodius lib. 12. epiſt. 7. dum adoleſcentes ſtudia literarum capeſſentes informat. Ad diſciplinam arcem properantes, matrem bonorum operum amate verecundiam, quæ ita ex ſe variarum ſpecies virtutū fœcunda, & Virgo parturit, vt impudentia procax, & corrupta vitiorum, hæc vos, hac voce, vt ad eam tendatis, hortatur.

Tingite candentes roſeo de murice vultus,
Atque fidem morum pandite de facie.
In niueo ſpargens maculas ſis pulchrior ore,
Cum ſudans tenerum roſcida colla feras.
Nil tibi plus lingua tribuas, quàm ſtemate frōtis
Quicquid amare libet, hinc tibi concilia.

Nefas eſt huic tàm ſacro manus negare conſilio; quando & ipſa quæ loquitur quæſtuoſi decoris dote redimita, nobilitatis vel amplificat bona, vel ſuggerit.

A Spe.

Plurimum ad permouendos animos valet Spes in primus erigenda Adhortationibus, in quibus alios impellimus ad opus aliquod arduum aggrediendum. Quod incitamentum ſæpius adhibuit Cicero pro Marcello. n. 29. Vbi Cæſarem hortatur ad vitæ ſuæ conſeruationem, & id quidem à ſpe immortalitatis

Animus tuus nunquam his anguſtiis, quas natura nobis ad viuendum dedit, contentus fuit, ſemperque immortalitatis amore flagrauit, Nec verò hæc tua vita dicenda eſt, quæ corpore, & ſpiritu continetur: illa inquam illa vita tua eſt, Cæſar, quæ vigebit memoria ſæculorum omnium: quam poſteritas alet, quam ipſa æternitas intuebitur. Huic tu inſeruias, huic te oſtentes, oportet, &c.

Elegantius multò, pro Sextio num. 145. *Amemus patriam, pareamus Senatui, conſulamus bonis, præſentes fructus negligamus, poſteritati, & gloriæ ſeruiamus: id eſſe optimum putemus quòd erit rectiſſimum: Speremus quæ volumus ſed quod acciderit, feramus, cogitemus denique corpus virorum fortium, magnorumque hominum eſſe mortale: animi verò motus, & virtutis gloriam ſempiternam: Neque hanc opinionem, ſi in illo ſanctiſſimo Hercule conſecratam videmus, cuius corpore ambuſto, vitam eius & virtutē immortalitas excepiſſe dicitur:*

dicitur; minus existimemus eos, qui hanc Remp. ſuis conſiliisiam laboribus, aut auxerint, aut defenderint aut ſeruarint eſſe immortalem gloriam conſequuturos.

Magnificè quandam ad ſuos milites virtute bellica nobilis Dux. Durum nihil videri debet, quo paratur æterna felicitas, ad illam contento curſu properemus, immortalis nemo factus ignauia.

Spes etiam amplioris fortunæ iacentes animos erigit, dum regionis fertilitas proponitur, magna virtutis illecebra. Sic Decius ardentes inflammat apud Liuium lib. 10. Si vultis vos pro virtute ſpes gerere omnes Samnitium vrbes, fortunæque in vrbibus relictæ veſtræ ſunt: quas do legiones eorum tot præliis fuſas, poſtremò finibus expuliſtis, Vendite iſta: & illicite lucro mercatorem, vt ſequatur agmen, Ad Romuleam vrbem hinc eamus: vbi vos labor haud magnus, præda maior manet.

Interdum commoda cum incommodis conferre, per contentionem licebit.

Ab Amore.

Vehementer commouebimus audientes, ſi eorum charitatem, quorum gratia res geritur, commemoratione grata renouabimus. Nimirum ſi Chriſtianos auitæ virtutis ac religionis propugnatores acerrimos à Turcis tàm ſancti nominis hoſtibus, in ferrum & vincula coniectos dicat, ſi virgis ac verberibus cæſos, æternis tenebris pro Chriſti amore mancipatos, tædis ardentibus euiſceratos; denique omnibus tormentorum generibus excarnificatos, narret.

Ruſſus, armatos armabimus in vindictam, ſi odium & atrocitatem in eos contra quos dimicatio ſuſcipitur, quàm grauiſſimè exaggerabimus, Quos eloquio nobilis ac potens pluribus in locis præſtat. Verrina 7. 2. in Catil. & 3. Feliciter hæreticorum rabiem deſcripſit in Catholicos ſæuientium, vt hos ad religionis ac ſalutis ſuæ defenſionem animaret, ad dicendũ non mediocriter inſtructus Orator. Quis clades publicas poſſit ſine lacrymis recordari? quis infelicem Galliam ſuorum ſanguine fœdatam, vexatam, laceratã, diſcerptam ab hoſte importuniſſimo ſiccis oculis poſſit intueri, & non ad eius defenſionem armari? quid coniunctis in communes hoſtes animis, & potentia non illorum audaciam, impietatem, rebellionem profligamus? Veſtram fidem commilitones appello? Credine poteſt, an hiſtoria præteriti cuſtos temporis nobis impoſuit, hæreticos non pridem, viua atque ſpirantia ſacerdotum corpora humi fodiſſe: capita reliquiſſe prominentia, quæ diſcum verſantibus metam ſignarent; duo commiſiſſe viuos homines arctiſſimis vinculis hæreticorum in Catholicos crudelitas colligatos, vt vrgente fame alter alterum in rabiẽ actus, vorarent; ſuris interceptorum alligaſſe nefiendes, quorum importuno clamore ſues matres excitæ, inſontes diſcerperent, ferreas calces ſubdidiſſe pedibus, vt equis; ignem inſtillaſſe, vt porcuiis, euiſceraſſe ventrls, in quibus equi pabulum ſumerent, vt in præſepio: interfectorum exta adhuc calentia, per humeros traduxiſſe, vt baltheum; vel inuoluta baculo prætuliſſe, vt trophæum; truncas Catholicorum nares per ludibriũ pileis prætexuiſſe, vt laciniam; vel abſciſſas aures circumduxiſſe, vt cingulum; capita rotauiſſe, vt globulos; oculos acu diſcreuiſſe, vt telas: in molendinis aquariis membra omnia rotâ vertẽte, eliſiſſe, triuiſſe, vt triticum; in ventilatis piſtrinis leuiter agitaſſe, vt turbinem; multos è ſummis arcibus, è cacumine prærupti montis, præcipites egiſſe in ſubiecta ſaxa, vel lacunoſas conualles templa ſpoliaſſe aras incendiſſe, Sanctorum imagines truncaſſe, & quod eſt in Catholica religione auguſtiſſimum, modò pedibus attriuiſſe, modò equis, canibuſque appoſuiſſe, eademque crudelem impietatem latrocinij, ſacrilegiorumque veſtigia impreſſiſſe, quæ non ad exigui horrorem temporis, ſed ad execrationem poſteritatis ſempiternam extent; vos illa videtis; ſcitis, horretis ſtatis inermes, ignaui? vbi pietas? vbi virtus? &c.

A Commiſeratione.

Iiſdem fermè rationibus efficitur commiſeratio, ſi propinquorum ſolitudinem, ſi ſociorum luctum, ſi amicorum ſqualorem: è regione verò, inimicorum potentiam, ferociam, audaciam, inſolentiam adducamus. Si quem veſtrum fortè

commouet hoc quod auditu& eſt hoſtem immanitate teterrimum,humanique ſanguinis ſitientem,ad nos accedere diſtricto gladio vnūquemque ad cædem depoſcere , iam multis ceruices fregiſſe,templis atque ædibus ſaris fidelibus plenis funeſtos ac nefarios ignes intuliſſe;infinitos propè cathenis graues ac verberibus , ad necem cæſos,in ſeruitutem abduxiſſe, libros in ſinu parentum interfectos ; quis vobis animus eſt?Clamat parentum noſtrorum ſanguis , atque à filiis petit,vt de barbaris, & ſagrilegis hominibus repetant vltionem:clamat, &c. Turpe ſit has non audire voces,quæ ſaxeum pectus emollirent,&c.

Et eleganter &,piè Cicer.patriæ libertatiſque conſeruandæ ſtudioſiſſimus,in Catil.4.n.18. *Quæ cùm ita ſint, vos ne populo Rom. deeſſe videamini prouidete.Obſeſſa facibus,& telis impiæ coniurationis, vobis ſupplex manus tendit patria communis: vobis ſe,vobis vitam omnium ciuium , vobis arcem, & Capitolium , vobis aras Penatium , vobis illum ignem Veſtæ perpetuum , ac ſempiternum , vobis templa Deorum,atque delubra,vobis muros , atque vrbis tecta commendat,&c.*

A Metu Periculorum.

Artificium illud eſt Oratoris metum proponere , vt audaciam excitet , ac veluti cupiditatis flamma contrario timoris vento flabelloque inardeſcat.Cicerò.4.in Catilinam n.11. *Videor mihi hanc vrbem videre, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium,ſubito vno incendio concidentem : cerno animo ſepultam patriam,miſeros atque inſepultos aceruos ciuium : verſatur mihi ante oculos aſpectus Cethegi,& furor in veſtra cæde bacchantis. Quare conſulite vobis , proſpicite patriæ, conſeruate vos coniuges, liberos,fortunaſque veſtras populi Rom. nomen ſalutemque defendite.* Qui locus vehementiſſimus eſt ad excitandam Senatorum conſtantiam in coërcendis coniuratis.

Ab Æmulatione.

Non ſimplex eſt ab æmulatione exhortandi ratio.Vtrimque enim accreſcent animi,ſi virtutem Æmulorum , gloriam , ſtudium, conatum, opes, cum Amplificatione ob oculos ponamus:aut eorumdem ignauiam,infirmitatem , inopiam , per Comparationem eleuemus. Exempla ſunt ex affectibus repetenda.

Quid?potuerint maiores noſtri exigua militū manu , ſperatum victoriæ fructum , de manibus hoſtium eripere glorioſi ; nos cum tantis copiis inglorij recedemus?Si quid ſit inRege felicitatis in ducibus animi,in militibus audaciæ,in Gallia virium;non iam pugnam , ſed cædem inchoare diſcant ſemel , nos maiorum virtutem tueri poſſe,&c.

Proderit eleuare nonnunquam Vires hoſtium, & illos plus habere terroris,quàm virtutis, prædicare. Sic pro concione milites ſuos Melius in Gallos armauit , apud Liu.l.38. Nonne præterit milites , omnium quæ Aſiam colunt , gentium; Gallos fama belli præſtare. Inter mitiſſimum genus hominum ferox natio peruagata bello propè orbem terrarum cepit,procera corporā, promiſſæ,& rutilatæ comæ,vaſta ſcuta,prælongi gladij: ad hoc cantus ineuntium prælium,& vlulatus,& tripudia,& quatientium ſcuta in patrium quendam morem,horrendus armorum crepitus : omnia de induſtria compoſita ad terrorem.Sed hæc quibus inſolita atque inſueta ſunt,timeant ; Romanis Gallici tumultus aſſuetis, etiam vanitates nota ſunt.Semel primo congreſſu ad Galliā olim fuderunt maiores noſtri : ex eo tempore perducentos iam annos pecorum in modum conſternatos cædunt;fugantque:&plures propè de Gallis triumphi , quàm de toto orbe terrarum acti ſunt:Iam vſu hoc cognitum eſt:ſi primum impetum quem feruido ingenio , & cæca ira effundunt,ſuſtinueris,fluunt ſudore,& laſſitudine mēbra : labant arma,mollia corpora,molles,vbi ira conſedit , animos , ſol, puluis, ſitis , vt ferrum non admoneas,proſternunt.Non legionibus legiones ſolùm experti ſumus , ſed vir vnius cum viro congrediendo , C. Manlius , M. Valerius, quantum Gallicam rabiem vinceret Romana virtus,docuerunt.

Iam M. Manlius vnus agmine ſcandentes in Capitolium Gallos detruſit ; & illis maioribus noſtris cùm haud dubiis Gallis in terra ſua genitis res erat,hi autē degeneres ſunt,mixti,&Gallo græci verè appellātur.Sicut in frugibus, pecudibuſque

buſque, non tantùm ſemina ad ſeruandam indolem valent, quantùm terræ proprietas, cœlique, ſub quo aluntur, mutat. Maſſilia inter Gallos ſita traxit aliquantum ab accolis animorum: Tarentinis quid ex Spartana dura illa & horrida diſciplina manſit? *Generoſius in ſua quidquid ſede gignitur, inſitum aliena terra in id quo alitur, natura, vertente ſe, degenerat.* Phrygas igitur Gallicis oneratos armis, ſicut in acie Antiochi cecidiſtis, victos victores cædetis.

Magis id vereor ne parum inde gloriæ, quàm ne nimium belli ſit. Attalus eos Rex ſæpè fudit fugauitque. Nolite exiſtimare, belluas tantũ recens captas feritatem illam ſilueſtrem primò ſeruare: deinde cùm diu manibus alantur miteſcere: in hominum feritate mulcenda non eandem naturam eſſe: Eoſdem hos creditis eſſe, qui patres eorum auique fuerunt? extorres inopia agrorum profecti domo per aſperrimam Illyrici oram, Pœoniam inde & Thraciam, pugnando cum ferociſſimis gentibus emenſi, has terras ceperunt. Duratos eos tot malis exaſperatóſque accepit terra, quæ copia rerum omnium ſaginaret. Vberrimo agro, mitiſſimo cœlo, clementibus accolarum ingeniis, omnis illa, cum qua venerant, manſuefacta eſt feritas.

Vobis mehercule Martis viris cauenda, ac fugienda quamprimùm amœnitas eſt Aſiæ; tantùm hæ peregrinæ voluptates ad extinguendum vigorem animorum poſſunt, tantùm contagio diſciplinæ, moriſque accolarum valet. Hoc tamen feliciter euenit, quod ſicut vim aduerſus vos nequaquam, ita famam apud Græcos parem illi antiquæ obtinent, cum qua venerunt: bellique gloriam victores eandem inter ſocios habebitis, quàm ſi ſeruantes antiquum ſpecimen animorum Gallos viciſſetis.

Ab Expectatione.

Concitantur ex hoc loco, ſi doceamus quanta ſit omnium de illorum virtute expectatio, quam admodum probabilem efficiemus à generis nobilitate, ab indole palàm ſpectata, à rebus præclarè geſtis & gerendis, atque aliis id genus circumſtantiis. Non tam hortor vt faciatis, quàm gratulor vltrò properantibus ad gloriæ meſſem atque triumphorum, quò noſtra vota virtutem veſtram inuitant. Magnificentius eſt honorem meruiſſe, quàm obtinuiſſe, animos tantum alacritatis, & fiduciæ plenos exhibere; ſi quid in vobis generoſæ mentis, ſi paternæ indolis, ſi qua ſcintilla pietatis in patriam, ſi quid conſtantis animi, ſi quid heroïcæ virtutis, expromite. Vos ſpectant ciuium oculi, veſtris humeris innixa patria requieſcit, ruitura ſi vos ſubduxeritis; Macte generoſi Duces, & quam de vobis conceperunt omnes opinionem, vel ſanguine veſtro poſteritati conſignate.

E diuerſo maleuolorum expectationem atrociter exaggerabimus, velut calcaribus admotis iam remiſſos concitabimus; ſi quantum gaudium eorum futurum ſit, quæ ſcommata, qui riſus, quanta ferocitas, ſi res parum feliciter euenit, ſub oculos ſubiiciemus. Vix dici poteſt, quàm ſit ingens ſtimulus generoſo animo, vltio iniuriarum. Refugit animus ea referre, quæ ab aduerſariis veſtris, &c.

Ab Exemplis.

Quantum ad imitationem acuendam valeat propoſita virorum illuſtrium auctoritas, nihil attinet hoc loco dicere, res Exemplis fiet clarior; Cicero contra Catilinam 4. ſeipſum hortatur ad omnia fortiter pro Rep. perferenda n. 21. *Sit Scipio clarus ille cuius conſilio atque virtute in Africam redire, atque ex Italia decedere coactus eſt: ornetur alter eximia laude Africanus, qui duas vrbes huic Imperio infeſtiſſimas Carthaginem Numantiamque deleuit. Habeatur vir egregius Paulus ille, cuius currum Rex potentiſſimus quondam, & nobiliſſimus Perſes honeſtauit: ſit in aeterna gloria Marius, qui bis Italiam obſidione & metu ſeruitutis liberauit; anteponatur omnibus Pompeius, cuius res geſtæ atque virtutes, iiſdem, quibus Solis curſus, regionibus, ac terminis continentur. Erit profectò inter horum laudes aliquid loci noſtra gloriæ: niſi fortè maius eſt patefacere nobis prouincias quò exire poſſimus, quã curare, vt etiã illi, qui abſunt, habeant, quò victores reuertantur.*

Ponite vobis ob oculos Principum noſtrum virtutem qui ſacrũ bellum tam piè, quã fortiter ſuſceperunt; ſic iucũda Heroũ recordatio nos ad illorum

Digitized by Google

illorum venerationem ſimul, & imitationem inflammabit. Vis Marcellum referam eiuſque filium duo belli fulmina, cæteroqui de re Chriſtiana benè meritos, à Gregorio III. ſupplicibus liberis euocatos trecenta ſeptuaginta quinque Saracenorum millia Turonicis campis, vno die, vna pugna, vno impetu, ad internecionem cecidiſſe? hanc virtutem imitamini. Mahumetani ſacrilegia Romanis aris inferre minantur, atque ad vrbem ipſam ſibi aditum patefacere Francorum internecione cogitant. Carolus ſe illi torrenti opponit, & tantam, tam formidoloſi latrocinij molem ſuſtinet, frangit, comminuit: hanc fortitudinem æmulamini. Indomita gens, ac peruicax, Chriſti contemptrix Eccleſiæ iugo ſuauiſſimo ſubeunda penitus eſt; Francorum Rex Carolus, nondum Imperator, aduerſus eam armatur, atque idem tres, & triginta totos annos, admirabili fortitudine pugnat, vincit, triumphat; tantam mentis celſitudinem ſequimini. Duriſſimo ſeruitutis iugo preſſos Palæſtinæ Chriſtianos in libertatem aſſerit, quem ſacris aris colimus, Ludouicus. Hanc virtutem ac fortitudinem reuocate Franci nobiles, & quo arma veſtra, eodem Chriſtiana pietas, veraque fides penetrent.

Vultis externa referam, & Romanos militiæ Principes, ac triumphorum auidiſſimos proponam Pompeios, Cæſares, Marcellos, Scipiones, qui omnes honeſtis gloriæ ſtimulis incitati, quæ non pericula prouocarunt, quæ bella, quas dimicationes non ſuſceperunt? Vultis Græcos & Perſas, belli gloria non aliis inferiores, quæ facinora, quos plauſus, quam admirationem ſuæ virtutis non excitarunt? Nos ſoli ſine ſenſu laudis ac deſiderio viuemus ignoti? imò verò cernamus animo quondam exultantes in equis Reges noſtros inter liliata vexilla, & florentiſſimos exercitus ſedem Pontificibus, Italiæ pacem, Eccleſiæ dignitatem, captiuis libertatem reſtituiſſe, qui tacitè nos admonent imperia ſudoribus, victorias periculis, veram immortalitatem glorioſa morte comparari; poſteritati laboremus & veræ gloriæ ſeruiamus, quàm indignum virtute noſtra corpus ad delicias, labores ad quietem, ad rei domeſticæ curam, turpem auaritiam, reuocare, pugnemus, & Chriſto vincamus, &c.

Accedit ad hanc ideam artificium fortiſſimi ducis Annibalis, qui rebus potius, quàm verbis milites ſuos adhortandos cenſebat teſte Liuio l. 21. num. 42. Circumdato ad ſpectaculum exercitu, captiuos montanos vinctos in medio conſtituit, armiſque Gallicis ante eorum pedes projectis, interrogare interpretem iuſſit, quis; ſi vinculis leuaretur, armaque & equum victor acciperet, decertare ferro vellet. Cum verò ad vnum omnes ferrum pugnamque poſcerent, & vnuſquiſque hoſtem deligeret, quem fortuna dediſſet, vt cuiuſque ſors ceciderat (fuerat enim res ſorti permiſſa) alacer inter gratulantes gaudio exultans, cum ſui moris tripudiis arma raptim capiebat. Tanta fuit pugnantium contentio, tantus ardor, vt non vincentium magis, quam benè morientium fortuna laudaretur. Ergo ab hoc exemplo ſuos adhortatus milites Annibal ſic loqui cœpit. Si quem animum in alienæ ſortis exemplo paulò ante habuiſtis, eundem mox in æſtimanda fortuna veſtra habueritis, vicimus milites: neque enim ſpectaculum modò illud, ſed quædam velut imago veſtræ conditionis erat: ac neſcio an maiora vincula, maioreſque neceſſitates vobis, quàm captiuis veſtris fortuna circumdederit. Dextra læuaque duo maria claudunt, nullam ne ad effugium quidem nauem habentibus, circa Padus annis, maior ac violentior Rhodano, à tergo Alpes vrgent vix integris vobis, ac vigentibus tranſitæ. Hic vobis vincendum, aut moriendum milites eſt, vbi primum hoſti occurriſtis; & eadem fortuna, quæ neceſſitatem pugnandi impoſuit, præmia vobis ea victoribus proponit, quibus ampliora homines, ne à Diis quidem immortalibus optare ſolent.

Hæc, vt per ſe patet, ratio cohortandi maximè idonea eſt, cum ipſis etiam oculis ſubijcimus, quid animo perſuadere nitimur?

Ab Obſecratione.

Extremum ſibi locum vendicat: poſtquam enim illis exhortādi locis vſi fuimus, quos concione noſtra permouemus, per virtutē aliquam, per feliciſſimam indolem, per gloriam benè rebus geſtis partam per Deum & Sanctos, per Religio

ligionis ſtudium & amorem pietatis, per quid-uis aliud, quod rei, ac perſonæ conueniat illos obteſtabimur, vt ſe digna & velint & audeant. Eſt illa grauis & inceuſa Darij Regis ad milites ſuos concio ex Curtio. lib. 3.

Ad extrema peruentum eſt. Matrem meam, duas filias, Ochum in ſpem huius imperij genitum, illos Princeps, illam Sobolem Regiæ ſtirpis, duces veſtros, regum inſtar vinctos habet: niſi, quæ in vobis eſt, ipſe ego maiore parte captiuus ſum. Eripite viſcera mea ex vinculis, reſtituete mihi pignora pro quibus ipſe mori non recuſo Parentem, liberos (nam coniugem in illo carcere amiſi) credite nunc omnes extendere ad vos manus, implorare patrios Deos, opem veſtram, miſericordiam, fidem expoſcere, vt ſeruitute, vt compedibus, vt precario victu ipſos liberetis. An creditis æquo animo iis ſeruire, quocum Reges eſſe faſtidiunt? Video admoueri hoſtium aciem: ſed quò propius diſcrimen accedo, hoc minus iis, quæ dixi poſſum eſſe contentus.

Precor vos per Deos patrios, æternumque ignẽ, qui præfertur altaribus, fulgoremque Solis intra fines regni mei, Orientis: per æternam memoriam Cyri, qui ademptum Medis, Lydiſque imperium primus in Perſidem intulit, vindicate ab vltimo dedecore nomen, gentemque Perſarum. Ite alacres & ſpe pleni, vt quam gloriam à maioribus veſtris accepiſtis, poſteris relinquatis. In dextris veſtris iam libertatem, opem, ſpem futuri temporis geritis. Effugit mortem, quiſquis contempſerit; timidiſſimum quemque conſequitur. Ipſe non patrio more ſolùm, ſed etiam vt conſpici poſſim, curru vehor, nec recuſo quominus imitemini me, ſiue fortitudinis exemplum, ſiue ignauiæ fuero.

Eſt illa potens ad deliniendos milites Alexandri concio Curtij lib. 9. Vbi modò laudat, modò increpat, nunc blanditur, aliàs irato ſimilis, amore, metu, pudore, potentiſſimis machinis pugnat, & quaſi ſuaue verborum fulmen ſpargit, cum Obſecratione.

Veſtras manus intueor, veſtram virtutem, rerum quas geſturus ſum, vadem prædemque habeo. Quamdiu vobiſcum in acie ſtabo, nec mei, nec hoſtium exercitus, meminero. Vos modò animos mihi plenos alacritatis, ac fiduciæ exhibete. Non in limine operum laborumque noſtrorum, ſed in exitu ſtamus: peruenimus ad Solis ortum, & Oceanum, niſi obſtat ignauia: inde victores perdomito fine terrarum reuertemur in patriam. Nolite (quod pigri agricolæ faciunt) maturos fructus per inertiam emittere è manibus. Maiora ſunt periculis præmia: diues eadem & imbellis regio. Itaque non tàm ad gloriam vos duco, quàm ad prædam. Digni eſtis, qui opes, quas illud mare littoribus inuenit, referatis in patriam. Digni, qui nihil in expertum, nihil metu omiſſum relinquatis, per vos gloriam veſtram, quâ humanum faſtigium exceditis, perque & mea in vos, & in me veſtra merita: quibus inuicti contendimus; oro quæſoque, ne humanarum rerum terminos adeuntem alumnum commilitonemque veſtrum, ne dicam Regem, deſeratis.

Cætera vobis imperaui, hoc vnum debiturus ſum: & is vos rogo, qui nihil vnquam vobis præcepi, qui primus me periculis obtuli, qui manibus meis palmam, quâ Herculem Liberumque patrem, ſi inuidia abfuerit, æquabo. Date hoc precipibus meis, & tandem obſtinatum ſilentium rũpite. Vbi eſt ille clamor alacritatis veſtræ index? vbi eſt ille meorum Macedonum vultus? Non agnoſco vos, milites, nec agnoſci videor à vobis, ſurdas iamdudum aures pulſo, aduerſos animos, & infractos excitare conor.

Neſcio quid imprudens in vos deliqui, quod me ne intueri quidem vultis; in ſolitudine mihi videor eſſe. Nemo reſpondet, nemo ſaltem negat: quos alloquor? quid autem poſtulo; veſtram gloriam, & magnitudinem iudicamus. Vbi ſunt illi quorum certamen paulo ante vidi, cõtendentium, qui potiſſimũ vulnerati regis corpus exciperẽt? deſertus deſtitutus ſum, hoſtibus deditus. Sed ſolus quoq; ire perſeuerabo. Obiicite me fluminibus, & belluis, & illis gentibus, quarum nomina horretis: inueniam, qui deſertum à vobis, ſequantur, Scythæ Bactrianiq; erunt mecum, hoſtes paulo antè. Nunc milites noſtri. Mori prçſtat quàm precariò Imperatorem eſſe. Ite reduces domos, ite deſerto Rege ouantes. Ego hîc à vobis deſperatæ victoriæ, aut honeſtæ morti locum inueniam.

Ab Indignatione.

Quæ naſci potiſſimum ſolet ex hoſtium inſolentia. Philip. 3. Cicero n. 15. *At quàm contumelioſus in edictis? quàm barbarus? quàm rudis? Primùm in Cæſarem maledicta congeſſit, deprompta ex recordatione impudicitiæ, & ſtuprorum ſuorum. Quis enim hoc adoleſcente caſtior? quis modeſtior? quod in iuuentute habemus illuſtrius exemplum veteris ſanctitatis? quis autem illo maledico impurior. Videte quam deſpiciamur omnes qui ſumus è municipiis, id eſt omnes planè: quoties enim quiſque non eſt? quod autem municipium non contemnit is, qui Arianum tantopere deſpicit, vetuſtate antiquiſſimum, iure fœderatum, propinquitate penè finitimum, ſplendore municipum honoſtiſſimum.*

Paulo ante n. 12. Indignationem mouet. *Cùm autem eſt omnis ſeruitus miſera: tùm verò intolerabile eſt ſeruire impuro, impudico, effæminato; nunquam, ne in metu quidem, ſobrio.*

A Votis & Deſiderio.

Vel plebis vel amicorum, vel etiam omnium gentium pro lege Manilia n. 12. *Ciuitates autem omnes, cuncta Aſia, atque Græcia veſtrum auxilium exſpectare propter periculi magnitudinem, coguntur: Imperatorem à vobis certum depoſcere, cùm præſertim vos alium miſeritis, neque ſe id facere ſummo ſine periculo poſſe arbitrantur.* Quod quid efficacius dici poterat, vt populorum Rom. ad bellum ſuſcipiendum hortaretur?

A Neceſſitate.

Quod telum eſt in hoſtes potiſſimum: hoc vtitur Tullius, dum ad bellum contra Antonium ſuſcipiendum Romanos hortatur Phil. Eſt ita neceſſarium bellum vt ſit gerendum, non ita magnum vt ſit pertimeſcendum Hanc adhibet machinam C. Martellus prælio contra Saracenos ad Turonas, moriendum ſcilicet aut vincendum, neque perfugium vllum, aut ſpem patrios Lares repetendi. Sic orditur à neceſſario Galgacus apud Tacitū. Quoties cauſas belli, & neceſſitatē noſtram intueor, magnus mihi animus eſt, hodiernum diem, conſenſumque veſtrum initium libertatis totius Britanniæ fore.

Grauis eſt & Imperatore Dario digna concio quâ pugnæ neceſſitatem militibus ſuis proponit apud Curtium lib. 5. Terrarum quas Oceanus hinc alluit, illinc claudit Helleſpōtus, paulo ante Domini, jam non de gloria, ſed de ſalute, & (quod ſaluti præponitis) de libertate pugnandū eſt: hic dies imperium, quo nullum amplius vidit ætas, aut conſtituet, aut finiet.

Cæterum etiam ſi ſpes non ſubeſſe, neceſſitas tamen ſtimulare deberet; ad extrema peruentum eſt.

Ab Honeſto

Cuius ſumma vis apud viros bonos: rectè enim Seneca epiſt. 71. non procul ab initio. *Nec multis verbis, nec circuitu longo, quid ſit ſummum bonum colliges quod honeſtum eſt, & quod magis admireris, vnum bonum eſt quod honeſtum eſt: cætera falſa & adulterina bona ſunt, Hec ſi perſuaſeris tibi, & virtutem adamaueris, quidquid illa contigerit id tibi, qualecumque aliis videbitur fauſtum felixque erit, &c.*

Quanta vis ſit honeſtatis ad cohortandos animos aperit perfecta ſuaſionis ſpecies, quam habet ad milites ſuos Cato magnus, apud Lucanum, vbi Libycam hoc eſt periculoſam deſcribit libro 9.

O quibus vna ſalus placuit, mea caſtra ſequuti
Indomita ceruice mori, componite mentes
Ad magnum virtutis opus, ſummoſque labores.
Vadimus in campos ſteriles, exuſtaque mundi,
Qua nimius Titan, & raræ in fontibus undæ,
Siccaque lethiferis ſqualent ſerpentibus arua,
Durum iter Ad leges patriæque ruentis amorem
Per mediam Libyem veniant, atque inuia tentent,
Si quibus in nullo poſitum eſt euadere voto,
Si quibus ire ſat eſt: Neque enim mihi fallere quemquam,
Eſt animus, tectoque metu perducere vulgus.
Hi mihi ſint comites quos ipſa pericula ducent,
Qui me teſte pati, vel quæ triſtiſſima pulchrum.
Romanumque pati: at qui ſponſore ſalutes
Miles eget, capiturque animæ dulcedine, vadat.
Ad Dominum meliore via: dùm primus arenas

Ingre-

Ingrediar primuſq; gradus inpuluere ponam.
—— Serpens,ſitis,ardor arena

Dulcia virtuti:gaudet patientia duris,
Latius eſt,quoties magno ſibi conſtat honeſtum

Alexander ab amore gloriæ ſe impulſum eſſe dixit ad ſubeunda pericula, cùm argueretur à Cratero de temeritate,ſe non ætate,ſed gloria metiri omnia,ſe reputare in Theatro orbis terrarum pugnantem,in his operibus virtutis extingui pulchrum.

Cato Conſul apud Liuium lib 38.Legem Oppiam quæ mulieribus aurum vetabat,vt luxus intemperantiæ remedium opponit & defendit ab Honeſto ; nimiam virorum indulgentiam perſtringit , qui poſteram illarum licentiam non coërceant:addit mulierum prenſationem verecundiæ , & pudori ſexus inimicam , indecorum fœminas in foro vocem emittere,lege maiorum olim intra parietes ſine vllo rerum adminiſtrandarum iure incluſas,cupiditatem iſtam non modò ambitioſam oſtendit , ſed & rationis expertem , turpem denique mulierum cœtum & periculoſa conſilia ſemper fuiſſe docet.

A Fuga Dedecoris.

Contraria eſt hæc Idea priori cum ſuſcipiendum aliquid ſuademus : qua in re præclarum eſt Lacænarum Virginum exemplum,quæ non alia ratione deterreri potuerunt à voluntariâ morte atque infamia,Fit enim plerumque vt noſtram potius laudem & gloriam appetamus , quàm vt dedecus & infamiam fugiamus:Siquidem eſt earum rerum dolor grauiſſimus , valetque potiſſimum apud imperitos:Nam apud ſapientes ſola virtutis & honeſtatis imago plus valet , quã turpitudinis metus.

Grauis eſt & morata Catonis Conſulis Oratio,qua Bacchanalia nocturnoſque cœtus virorum ac mulierum damnat : ab illorum fœditate, quos ſcelerum omnium maximum ſeminarium appellat,hortaturque Quirites vt paucorum pœna metus ad omnes perueniat,tantumque dedecus & malum latius ſerpere non ſinant,apud Liuium lib.39.num.15.

Ab Vtili & Poſſibili.

Vulgus enim ferè ſola vtilitate ducitur:quare debet Orator apud populum dicturus multa de diuitiis,de commodis,de felicitate dicere.Perfectam habet huius Exortationis ideam , atque ex omnibus penè conflatam pro Sextio Tull. 138. Sed nec ſatis vtilem fore rem demonſtraſſe niſi fieri poſſe facile docueris,nam ſtultum eſt id conari,quod effici non poteſt:id clarum fiet ex pluribus Adhortationum formulis,quas ab optimis auctoribus colligere,cuique obuium eſt. Sic trecentos milites hortatur Alexãder apud Curtium lib.7.nu.11.vt Petram vrbem ampliſſimam , ſitu naturaque loci ferè inexpugnabilem aggrediantur , & aduerſus omnes difficultates luctentur, quibus addit animos,propoſiti præmiis ampliſſimis.

I. Vobiſcum ô Iuuenes , & mei æquales , vrbium inuictarũ ante munimenta ſuperaui, montium iuga perenni niue obruta emenſus ſum Anguſtias Ciliciæ intraui,Indiæ ſine laſſitudine frigoris vim perpeſſus ſum,& mei documenta vobis ded, & veſtra habeo. Petra , quam videtis vnum aditum habet, quem barbari obſident,cætera negligunt.Nullæ Vigiliæ ſunt,niſi quæ caſtra noſtra ſpectant.Inuenietis viam, ſi ſolerter rimati fueritis aditus ferentes ad cacumen:Nihil tàm altè natura cõſtituit,quò virtus non poſſit euiti. Experiendo quæ cæteri deſperauerunt,habemus Aſiam in poteſtate.Euadite in cacumen : quod cùm ceperitis,candidis velis mihi ſignum dabitis : ego copiis admotis hoſtem in nos à vobis conuertam.præmium erit ei,qui primus occupauerit verticem ,talenta decem ; vno minus accipiet,qui proximus ei venerit: eademque ad decem homines ſeruabitur portio. Certum habeo vos non tam liberalitatem,intueri meam , quàm voluntatem.

II. Ab vtili ducitur illa forma quæ legitur apud Liuium lib. 26 n 43.Vbi Scipio Romanus Imperator regreſſus in caſtra,vt conſilij ſui rationem, quod ab vrbe potiſſimum oppugnanda b llum orſus eſſet,militibus oſtenderet,& ſpem potiundæ cohortando faceret , aduocata concione ita diſſeruit.Ad vrbem vnam oppugnandum,ſi quis

Digitized by Google

vos adductos credit, is mag's operis veſtri, quàm emolumenti rationem exactam, milites, habet. Oppugnabitis enim verè mœnia vnius vrbis, ſed in vna vrbe vniuerſam ceperitis Hiſpaniam. Hîc ſunt obſides omnium nobilium, Regum, populorumque: qui ſimul in poteſtate veſtra erunt, extemplo omnia quæ nunc ſub Carthaginenſibus ſunt, in deditionem tradent. Hîc pecunia omnis hoſtium Sine qua neque illi gerere bellum poſſunt: quippe qui mercenarios exercitus alunt: & quæ nobis maximo vſui ad conciliandos animos barbarorum erit. Hic tormenta, arma, armamenta, & omnis apparatus belli eſt, qui ſimul & vos inſtruet, & hoſtes nudabit. Potiemur prætere à cùm pulcherrima opulentiſſimaque vrbe, tùm opportuniſſima portu egregio: vnde terra marique, quæ belli vſus poſcunt, ſuppeditentur quæ cùm magna ipſi habebimus, tùm dempſerimus hoſtibus multò maiora. Hæc illis arx, hoc horreum, ærarium, &c.

III. Eſt hæc breuis ſed acuta ſententiis oratio. Scio audax videri conſilium, ſed in rebus aſperis & tenuibus fortiſſima quæque conſilia tutiſſima ſunt: quia ſi in occaſione cuius momento præteruolat opportunitas cũctatus fueris nequicquam mox omiſſum quæras. Ite Diis benè iuuantibus corpora curate, vt integri vigenteſque eodem animo in caſtra hoſtium Irrumpatis, quo veſtra tutati eſtis

IV. Niſi virtus atque fides veſtra ſatis ſpectata mihi foret, nequicquam res opportuna cecidiſſet, ſpes magna dominationis in manibus fruſtra fuiſſet: Neque ego per ignauiam aut vna Ingenia, incerta pro certis captarem: ſed quia in multis & magnis tempeſtatibus vos cognoui fortes fidoſque mihi, eo animus auſus eſt maximum atque pulcherrimum facinus incipere.

V. Tantummodo incœpto opus eſt, cætera res expediet. Etenim quis mortalium, cui virile ingeniũ eſt, tolerare poteſt illos diuitias ſuperare, quas profundant, in extruendo mari & montibus coæquandis, nobis rem familiarem etiam ad neceſſaria deeſſe? illos binas, aut amplius domos continuare, nobis Larem familiarem nuſquam vllum eſſe? Cum tabulas, ſigna emunt, vetera nerguut, noua diruunt, alia ædificant; Poſtremò omnibus modis pecuniam trahunt, vexant; tamen ſumma libidine diuitias ſuas vincere negligunt, vt nobis eſt domi inopia, foris æs alienum, mala res, ſpes multò aſperior: denique quid reliqui habemus præter miſeram animam? Quin igitur expergiſcimini, eſt illa quam ſæpè optaſtis, libertas: præterea diuitiæ, decus, gloria in oculis ſita ſũt, fortuna ea omnia victoribus præmia poſuit, res, tempus, pericula, egeſtas, belli ſpolia, magnifica magis, quàm oratio mea, vos hortentur. Me vel Imperatore vel milite vtimini, neque animus neque corpus aberit à vobis, hæc ipſa vt ſpero vobiſcum Conſul agam: niſi fortè animus me fallit, & vos ſeruire magis, quàm imperare parati eſtis.

VI. Parco pluribus exemplis, quæ vnuſquiſque per otium colligere poteſt, imò & debet: ſi copiã & facultatem dicendi quærit, ſatis erit in gratiam ſtudioſorum fontes indicare, conſulendus liber qui inſcribitur cõciones, ſeu orationes ex Græcis Latiniſque hiſtoricis excerptæ. Eſt illa in primis diſerta, pulchra temperie ornamentorum Agricolæ oratio apud Tacitum. Equidem in agmine cum vos paludes, mõteſue & flumina fatigarent, fortiſſimi cuiuſq; vocem audiebam; quando dabitur hoſtis? quãdo acies? veniant è lateribus ſuis extruſi, vota virtuſque in aperto, omniaq; prona victoribus atque eadem victis aduerſa. Nam vt ſuperaſſe tantum itineris, ſiluas euaſiſſe, tranſiſſe æſtuaria, pulchrum ac decorum in frontem, ita fugientibus periculoſiſſima quæ hodie proſperrima ſunt. Proinde & honeſta mors turpi vita potior, & incolumitas ac decus eodem loco ſita ſunt. Nec inglorium fuerit, in ipſo terrarum ac naturæ fine cecidiſſe. Si nouæ gentes, atque ignotæ acies conſtitiſſet, aliorum exercitum exemplis vos hortarer: Nunc veſtra decora recenſete, veſtros oculos interrogate, ii ſunt, quos proximo anno clamore debellaſtis. Reliquus numerus eſt ignauorum & metuentium. Tranſigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diẽ Approbate Reip. nunquam exercitus imputari potuiſſe, aut moras belli, aut cauſas rebellandi.

Pvn

Digitized by Google

PVNCTVM V.

Artificium Dehortationis.

SAtis videri poſſemus de Adhortatione dixiſſe, vt artificium Dehortationis cerneretur: Contraria enim ex Contrariis intelligũtur. Pauca tamen addere libet, & capita quædã, vndè argumentum Dehortationis duci poſſit, indicare.

Primùm igitur ſumi poteſt à turpi, ſeu locis illis, qui turpitudinem & fœditatem oſtendunt. Phil. 4. Cicero ne ad Antonium Legati mittantur vehementer diſſuadet n. 3. *Nihil eſt profectò quod dari poſſit bellum gerenti: erit fortaſſe aliquid, quod concedi poſſit roganti. Legatos verò ad eum mittere, de quo grauiſſimum iudicium nudiuſtertiusdecimus feceritis, non iam leuitatis eſt, ſed, vt quod ſentio dicam, dementia.*

Quod & multis vrget Phil. 7. n. 13. *Quàm turpe porrò eſt, legiones ad Senatum legatos mittere, Senatum ad Antonium? quamquam illa Legatio non eſt: denunciatio eſt, paratum illi exitium, niſi paruerit huic ordini. Quid refert? tamen opinio eſt grauior: miſſos enim legatos omnes vident: decreti veſtri non omnes verba nouerunt; quanta enim erit illa Reip. turpitudo, quantum dedecus, quanta labes dicere in hoc ordine ſententiã M. Antoniũ conſulari loco?* &c. *Turpe eſt ſummo conſilio orbis terræ, præſertim in re tàm perſpicua conſiliũ intelligendi defuiſſe.*

II. A contrario Senſu omnium gentium. Phil. 12. n. 9. *Quid? Galliam quo tandem animo hanc rem audituram putatis? Illa enim huius belli propulſandi, adminiſtrandi, ſuſtinendi principatum tenet.*

III. Ab inutili. Phil. 12. n. 7. *Quid enim per Deos immortales poteſt Reip. prodeſſe noſtra Legatio? prodeſſe dico? quid ſi etiam obfutura? quid ſi etiam nocuit? An vos acerrimam illam & fortiſſimam populi Rom. Libertatis recuperandæ cupiditatem non imminutam, ac debilitatem putatis Legatione pacis audita? quid municipia cenſetis? quid colonias? quid cunctam Italiam? futuram eodem ſtudio, quo contra commune incendium exarſerat? Quid legionum noſtrarum neruos nonne his conſiliis incidimus? quis eſt enim qui ad bellum inflammato animo ſit futurus ſpe pacis oblata? ipſa illa Martia, cœleſtis & diuina legio, hoc nuntio langueſcet, & mollietur, excident gladij, fluent arma de manibus.*

IV. Ab impoſſibili ibidem n. 11. *Quid ſi ne poteſt quidem vlla eſſe pax? quæ enim eſt conditio pacis, in qua ei, cum quo pacem facias, nihil concedi poteſt? multis rebus à nobis eſt inuitatus ad pacem Antonius; bellum tamen maluit; miſſi legati, delata mandata; non paruit: denunciatum eſt, ne Brutum obſideret, à Mutina diſcederet; oppugnauit etiam vehementiùs, & ad eum legatos de pace mittemus: qui pacis nuntios repudiauit?*

V. Ab incommodis; eiuſdem orationis n. 16. *Quæro igitur à te Piſo, nónne oppreſſam Remp. putes, ſi tot, tàm impij ciues, tàm audaces, tàm facinoroſi recepti ſunt? quos nondum tantis parricidiis contaminatos vix ferebamus, hos nunc omni ſcelere coopertos, tolerabiles cenſes ciuitati fore? aut iſto tuo, mihi crede, conſilio erit vtendum, vt cedamus, abeamus, vitam inopem & vacuam perſequamur, aut ceruices Latronibus danda, atque in patria cadendum eſt.* Quod & expendit Phil. 5. a. n. 22. & deinceps.

VI. A periculis Ibid. n. 23 *Nihilne mihi de periculo meo cogitandum putatis? hic cùm in vrbe eſſem, ac domi, tamen multa ſæpè tentata ſunt, vbi me non ſolùm amicorũ fidelitas, ſed etiam vniuerſæ ciuitatis oculi cuſtodiunt, quid cenſetis cùm ingreſſus ero, longum præſertim? nullásne inſidias pertimeſcendas?*

VII. A religione patriæque recordatione, ad cuius memoriam feri plerumque animi molleſcunt ac mitigantur. Hoc artificium adhibuit Valerius Coruinus Dictator, vt coniuratos in patriam milites à tanto tàm impio facinore reuocaret. Deos immortales, milites, veſtros publicos, meóſque ab vrbe proficiſçens ita adoraui, veniamque ſupplex popoſci, vt mihi de vobis concordiæ parte gloriam, non victoriam darent: ſatis fuit eritque vnde belli decus pariatur: hinc pax petẽda eſt. Quod Deos immortales inter nũcupandũ vota expopoſci, eius me compotem voti vos facere poteſtis: ſi meminiſſe vultis, nõ vos in Samnio, nec in Volſcis, ſed in Romano ſolo caſtra habere: ſi illos colles, quos cernitis, patriæ veſtræ eſſe: ſi hunc exercitũ ciuiũ veſtrorũ: Si me cõſulẽ veſtrũ, cuius ductu auſpicióq; priore anno bis legiones Sãnitiũ fudiſtis, bis caſtra vicepiſtis.

Tũ ab auctoritate ſua vim diſſuadẽdi ſumit: etenim eſt in eas res viri grauiſſimi efficaciſſima auctoritas.

Ego sũ M. Valerius Coruus milites, cuius vos nobilitatem beneficij erga vos, non iniuriis ſenſiſtis;

Digitized by Google

ſiſtis: nullius ſuperbæ in vos legis, nullius crudelis Senatuſconſulti auctor: in omnibus meis imperiis in me ſeuerior, quàm in vos, &c.

Deinde Definitionem adbibet vt exulceratos animos emolliat. Charitatem ſuam in milites, & in excelſo fortunæ gradu modeſtiam commemorat. Si cui genus, ſi cui ſua virtus, ſi cui etiam ſua maieſtas, ſi cui honores ſubdere ſpiritus potuerunt; iis eram natus, id ſpecimen mei dederam, ea ætate conſulatum adeptus eram, vt potuerim tres & viginti annos natus Conſul patribus quoque ferox, eſſe, non ſolùm plebi. Quod meum factum dictumue Conſulis grauius, quàm Tribuni audiſtis? eodem tenore duos inſequentes Conſulatus geſſi; eodem hæc imperioſa Dictatura geretur: vt neque in hos meos, & patriæ meæ milites mitior, quàm in vos; horreo dicere, hoſtes.

Tandem licentiam facit ferocientibus animis atrocia audendi, quò pudore victi deſiſtant ab incepto, dum ſe profitetur nunquam ad arma venturum, eoſque per acrem ironiam ad bellum anticipandum inducere videtur.

Ergo vos prius in me ſtrinxeritis ferrũ, quàm in vos ego, iſtinc ſigna canẽt, iſtinc clamor prius incipiet atque impetus; ſi dimicandum eſt: inducite in animum, quod non induxerunt patres, auique veſtri: non illi qui in ſacrum montem ſeceſſerunt: non hi qui poſtea Auentinum inſederunt. Expectar dum vobis ſingulis, vt olim Coriolano, matres coniugeſque crinibus paſſis obviæ ab vrbe veniant, tum Volſcorum legiones, quia Romanũ habebant Ducem, quieuerunt: vos Romanus exercitus nõ deſtiteritis impio bello?

Obſeruandum in primis habendam eſſe rationem perſonarum, videndumque diligenter, quis ille ſit, qui dehortetur alium: Nam pro dignitate varietateque perſonæ, varia dicẽdi forma adhibenda eſt. Pater enim pro ſuo iure & poteſtate loqui, aliter & poteſt & debet quàm Magiſtratus. Sic Calauinus Pater & Ciuis Campanus filium ſuum Perollam Martio furore percitum & inflammatum odio dehortatur ab Annibalis impia cæde, apud Liuium lib 23.

Per, ego te fili, quæcumque iura liberos iungunt parentibus, precor, quæſoque, ne ante oculos patris facere, & pati omnia infanda velis Paucæ horæ ſunt, intra quas iurantes per quidquid Deorum eſt, dextras dextræ iungentes, fidem obſtrinximus, vt ſacratis de menſis eſſemus: Digreſſi à colloquio ex templò in eum armamur? Surgis ab hoſpitali menſa, ad quam tertius Campanorum adhibitus ab Annibal es: eam ipſam menſam cruentare vis hoſpitis ſanguine? Annibalem modò pater filio meo potui placare, filium Annibali non poſſum. Sed ſi nihil ſancti, non fides, non religio, non pietas: audiantur infanda, ſi non perniciem nobis ſcelere afferunt. Vnus aggreſſurus es Annibalem? quid illa turba tot liberorum ſeruorumque? quid in vnum intenti omnium oculi? quid tot dexteræ? torpeſcentne in amentia illa? vultum ipſius Annibalis, quem armari exercitus tremunt, quem horret populus Rom. tu ſuſtinebis? &, ſi alia auxilia deſint me ipſum ferire, corpus meum opponentem pro corpore Annibalis, ſuſtinebis? atqui per meum pectus petendus ille tibi, transfigendusque eſt. Deterreri hic ſine te potius, quàm ille vinci. Valeant preces apud te meæ, ſicut pro te hodie valuerunt.

Aliter Princeps apud Ciues & milites; aliter milites ad Ducem & Imperatorem: audaces & pene temerarij fuerunt Scythæ milites apud Curtium, dùm Alexandri cupiditatem imperij propagandi nimiam coërcent, & egregia libertate ambitionem & luxum Imperatoris arguunt. Sic enim Legatus orditur.

Si Dij habitum corporis tui auiditati animi parem eſſe voluiſſent, orbis te non caperet; altera manu Orientem altera Occidentem contingeres, & hoc aſſequutus ſcire velles, vbi tanti Numinis fulgor conderetur. Sic quoque concupiſcis, quæ non capis. Ab Europa petis Aſiam, ex Aſia tranſis in Europam.

Deinde ſi humanum genus omne ſuperaueris, cum ſyluis & nubibus & fluminibus feriſque beſtiis geſturus es bellum. Quid tu ignoras magnas arbores diu creſcere, vna horâ extirpari? Stultus eſt qui fructus earum ſpectat, altitudinem non metitur: vide, ne dùm ad cacumen peruenire contendis, cum ipſis, quos comprehenderis, decidas.

Leo quoque aliquando minimarum auium pabulum fit; & ferrum rubigo conſumit. Nihil

tam

tàm firmum eſt, cui periculum non ſit, etiam ab inualido.

Quid nobis tecum eſt? nunquam terram tuam attigimus. Qui ſis, vnde venias, licétne ignorare in vaſtis ſyluis viuentibus? nec ſeruire vlli poſſumus, nec imperare deſideramus. Dona vobis data ſunt iugum boum, aratrum & ſagitta & patera. His vtimur, & cum amicis, & aduerſus inimicos: Fruges amicis damus boum labore quæſitas, patera cum vinum Dij delibamus: inimicos ſagittâ eminùs, haſtâ cominùs petimus.

Quid tibi diuitiis opus eſt, quæ te eſurire cogunt? primus omnium ſacietate paraſti famem, vt quo plura haberes, quæ non habes, cuperes. Tranſi modò Tanaim, ſcies, quàm latè pateat, nunquam tamen conſequéris Scythas. Paupertas noſtra velocior erit, quàm exercitus tuus, qui prædam tot Nationum vehit.

Proindè fortunam tuam preſſis manibus tene; lubrica eſt, nec inuita teneri poteſt. Salubre conſilium ſequens, quod præſens tempus oſtendit melius, impone felicitati tuæ frænos: facilius illam Reges.

Denique ſi Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non ſua eripere: ſin autem homo es, id quod es, ſemper eſſe te cogita. Stultum eſt eorum meminiſſe, propter quæ tui obliuiſceris. Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris vti. Nam & firmiſſima eſt inter pares amicitia: & videntur pares, qui non fecerunt inter ſe periculum virium. Quos viceris amicos tibi eſſe, caue credas. Inter Dominum & ſeruum nulla amicitia eſt, etiam in pace belli tamen iura ſeruantur. Cæterùm nos & Aſiæ, & Europæ cuſtodes habes; vtrique imperio tuo finitimos hoſtes, an amicos velis eſſe, conſidera.

Vtiliorem eſſe Exhortationem priuatam publicâ, quæ fit ad promiſcuam concionem docet Seneca; præſertim ſi verbis ſubſtricta, ſenſibus lata, & diffuſa ſit, epiſtola 38. Vbi monitionis vſum inſignem ad virtutis adoptionem aperit. *Plurimùm proficit ſermo, qui minutatim irrepſeret animo. Diſputationes præparata, & effuſa audiente populo, plus habent ſtrepitus, minus familiaritatis. Philoſophia bonum conſilium eſt: conſilium nemo clamore dat: aliquando vtendum eſt & illis, vt ita dicam, concionibus, vbi dubitat, impellendus eſt. Vbi verò non hoc agendum eſt, vt velit diſcere, ſed vt diſcat, ad hæc ſubmiſſiora verba veniendum eſt. Facilius intrant, ſed & hærent. Nec enim multis opus eſt, ſed efficacibus. Seminis modò ſpargenda ſunt: quod quamuis ſit exiguum, cùm occupauit idoneum locum, vires ſuas explicat, & ex minimo, in maximos auctus diffunditur. Idem facit Oratio. Non latè patet, ſi aſpicias: in opere creſcit. Pauca ſunt quæ dicuntur, ſed ſi illa animus benè exceperit, conualeſcunt, & exurgunt. Eadem eſt inquam, præceptorum conditio, quæ ſeminum. Multum efficiunt, etſi anguſta ſunt, tantum, vt dixi, idonea mens rapiat illa, & in ſe trahat. Multa inuicem & ipſa generabit, & plus reddet, quàm acceperit.* Sit ergo.

PVNCTVM VI.

Artificium Commonitionis.

HÆc Oratio neceſſaria eſt, tùm quidem, cùm per ſpecies correctionis, alios de vitio admonemus: vel certè cùm ignarum, ac imprudentem, quid facto opus ſit, docemus. In priori longè grauior difficultas, quoniam admonitionibus lædi potius hominum ingenia, quàm ſanari ſolent: Quare cùm res ſit impedita ſummique momenti commonitio, exquiſitam prudentiam, animique ſagacis prouiſionem requirit, in eo qui monet aut corrigit, vt negotium benè feliciterque ſuccedat, nec plagam, quam ſanare debuerat, immiſſo velut vngue, maiorem facit. Nihil igitur alienum ab inſtituto tentabimus, ſi quaſquam induſtrias à ſummis Oratoribus obſeruari ſolitas, hac in re, deſcribamus.

Quoniam verò moneri velle ac poſſe ſecunda virtus eſt, inquit Seneca 5. de benef. Videndum eſt vt offenſam fugiamus: nam vix aliquem reperias ita paratum, vt æquis auribus & animo, defectus & vitia ſua diſcat: proinde reprehenſionis acerbitas, aut monitionis libertas erit laude, vel beneuolentiæ & amoris teſtificatione mitiganda: Sic enim blandus ac prudens monitor faciet vitiorum odium, pretium virtutum. Sapienter præcipit D. Auguſt. epiſt. 64. ad Aurelium Epiſcopum in hæc verba. Non aſperè, non duriter, non modo imperioſo vitia tolluntur,

tur,

parcè frigidam bibit, & propinans amicis vappam, frugalis ſum, inquit, ac ſobrius, nec dum ego me lautius curo, meis obſonari famem liberis volo.

Hunc interim è menſa ſua ridet Apicius, ridendus ipſe dum fortunas omnes decoquit, vt lautus demum ac magnificus haberi poſſit. Qualis autem quantúſque tibi videtur nobilis adoleſcens, quem vectum equo, intecto capite, deloricato pectore, laxis habenis in medias armatorum hoſtium acies irrumpentem, exploſorúmque tormentorum flammas inter ac ſtrepitum diſtricto gladio volitantum vides; generoſum ſe ac fortem putat, quod, triumphis, quótue laureis ac palmis dignum: furor iſte eſt, non bellica fortitudo, hoc eſt non pugnando victoriam, ſed inſaniendo mortem quærere. Fugit alter ante pugnam abiecto clypeo, & ſi fugientem interrogas conſilium iſtud prudentiam vocat, quia ſanguinem ſuum patriæ vir prudens conſeruat, videlicet deceptum hominem palliata timiditas abſtrahit è prælio, ac nondum collatis cum hoſte ſignis, nondum conſertis manibus, turpem ignauo capiti fugam ſuaſit; nec felicius alij ſapiunt, ſequuntur paſſim perſonata vitia, blandientíque ſub larua, ſceleri vltrò ſe dedunt, nec antè flagitia, quàm vitam exuunt miſeri.

Epilogus.

Breuem continet Exhortationem, vt ſcilicet is qui monetur, quàm maximè ſe excitet ad omnes præſtantis viri laudes implendas, famæ ſuæ conſulat, neque patiatur vlla vitij ſuſpicione vitam moréſque ſuos laborare.

Tuam hic fidem ac conſcientiam appello: quid eſt hæc ſimia pietatis, niſi libera peccandi libertas, ac voluntarius virtutis terror, & carnifex? quid niſi manifeſtum animæ naufragium, & directum iter ad inferos? pedem retrahe, ſi ſalutem amas, & vitæ felicem exitum deſideras? Caue ne quod pallium impoſuit aliis toties, tibi ſemel adaptet, ac pro virtute, quam amas, vitium amplectaris.

Eloquentiæ Magiſtri ſapienter monent trium rerum habendam eſſe rationem in hoc genere orationis. Temporis, Perſonarum, Criminum, quibus in rebus elucet prudentiæ vis, & ſapiens conſilium: Etenim ſi monitio fuerit intempeſtiua, non minuit crimen, incendit delinquentis audaciam. Quia verò perſonarum eſt ingens varietas, vna ratione moneri non debent.

Si grauis ſit longéque ſuperior admonenda, modeſtiæ ſignificationem adhibeat Orator, atque ita ſe gerat vt non videatur, monere velle: aut certè libertatis ſuæ excuſationem prætendat, ſéque impulſum dicat eius laudis ac gloriæ cupiditate, quam cum in omnibus à maleuolis proſcindi videat, facere non poſſit, quin eius famæ conſulat.

Etiam magna eſt in erratis differentia, ſiquidem alia publica ſunt, priuata alia, quædam malitiâ committuntur, quædam imprudentiâ: næ multum iudicio ſuo falleretur, qui vellet eadem monitione verecundum adoleſcentem, & iuuenem impudentem coërcere: ſemper inamœna duritiés monendo nocet; proinde quoad veritas patietur, extenuare vitium oportebit, conijciendo culpam, vel in ætatem, vel in conuictum, & ſocietatem hominum minus idoneorum, vel in exceſſum quendam, qui facilè poſſit ad mediocritatem reuocari.

Porrò obſeruandum, id eſſe diſcriminis inter Admonitionem & Obiurgationem, quòd hæc exprobret, illa verò nos amicè ac beneuolè commoneat; quæ cauſa eſt cur omnis ſeueritas & aſperitas abeſſe ab ea debeat, interdúmque vitia interpoſita laude molliri. Ita Cicero cum vitia Catonis reprehendit. Pro Murena. n. 61. *In M. Catone Iudices, hæc bona, quæ videmus diuina & egregia, ipſius ſcitote eſſe propria: quæ nonnunquã requirimus, ea ſunt omnia nō à natura ſed à magiſtro,* vides quo artificio laudes Catonis proprias faciat, vitia in Magiſtrum Zenonem conferat?

Proderit orare monendum; vt pari libertate in nos vtatur, quo maiorem nobis beneuolentiæ ſignificationem demonſtret. Nam vt proprium eſt amicitiæ munus, libera admonitio, & mutua: ſic æquiſſimo vtrimque animo accipi oportet.

Cum Obiurgatione.

Nonnunquam admonitio fit cum Obiurgatione, quæ aſperior paulò eſt, atque durior, non

Digitized by Google

tàm in perſonam, quàm in culpam, ac vitium, quo videtur laborare velle cum damna ſalutis, & honoris detrimento. Proinde natura & vitij fœditas, quod reprehenditur, exaggeranda eſt, & periculum cum illo coniunctum:tum proponenda laus & gloria quæ in comprimendo eiuſmodi vitio poſita eſt. Sic à Chriſtiano principe crudelitatem arcebit.

Licet is ego ſim qui conſilium faciliùs capere,quàm aliis dare poſſim,verearque tibi ad ſumma nato quidquam ſuadere, ne cùm amori meo fuerim obſequutus, tuo videar iudicio diffidere; dabis tamen beneuolentiæ noſtræ, vt ad aliorum conſilia rationes tuas accommodes, & quæ dignitatis, quæ gloriæ, quæ laudis pleniſſima ſunt, imiteris; neque tot virtutes ſudoribus acquiſitas vnius vitij, ac crudelitatis næuo obſcurari patiaris.

Viden' quàm truculento ac terribili aſpectu prodeat? vt ignitis ardoribus ſcintillent lumina:vt toto ex ore terrores emicent? vt anhelans pectus ſpiritum iaciat, & ex verbis ardentibus labiorum ſiccitas inalbeſcat? vt in hominum ſanguine lætetur? vt mortem ipſam atrocitate vincat? modum ſemel commota tenere neſcit, nec ferrum cohibere didicit impotens;æſtuantis animi ſemel incenſus ardor non iniecta frigidâ temperatur; torrentis inſtar nullis coërciri repagulis in obuia rapitur; quis obicem ponat? fruſtra prudentiam requiras ab indomita bellua, fulminis in morem fertur, nec peremiſſe contenta furorem acuit, & vngues ad prædam exerit, non cineribus parcit, non oſſibus, nihil tàm Sanctum à quo violentas manus abſtineat, cœlo ipſi, ſi liceat, etiam arma inferet. Ad hæc quæ tua mens? qui ſenſus? tale portentum naturæ non exhorreſcis? non ab oculis,& auribus, non ab animo procul eſſe iubes hanc feram, hanc furiam?

Prætermitto dicere quot viros principes ferro, ac facibus ad ſuorum perniciem armarit, odiúmque, quorum immortalis,ſempiternáque nominis infamia, omnium in ſæculorum memoria, monumentiſque verſabitur. Cuius enim aures prætervecta eſt immanis illa Tiberij crudelitas, luctu affectos, lugere prohibentis, mœrorem parentibus in morte filiorum relinquentis, & lacrymas non conſolando,ſed minando, patrem-familias honeſto loco natum, minus ad voluntatem ſuam loquentem, canibus laniandum, obiicientis.

Iam illud Caligulæ ferocientis, quàm porrò ad deteſtationem illam crudelitatis in principibus aptum, & efficax; qui non cæde communi contentus, parentes filiorum ſuppliciis intereſſe cogebat, vt quem filij dolorem,& carnificinam membris, totoque corpore lacerati; miſeri parentes animo lentè ſenſimque perferrent, ac ſe mori ſentirent in illis: cuius nota vox,ceruicem vnam populo Ro. imprecantis,vt vel ictu vnico totam demeteret.

Quis vel barbarus Neronis in funeribus patriæ exultantis ac tripudiantis non damnat immanitatem,ac ſæuitiam, ne matris quidem vtero vitæque parcentis, ſed per ſummam impietatem eius viſcera ferro ſcrutantis. Illam ter veneno tentauit, nec extinxit, ſolutilem ſcapham, cuius naufragio periret,conuentus eſt,quam vbi nando compertit euaſiſſe, crudelis! interfici iubet, neque his contentus, inter demortuæ cadauer lætus & alacer accurrit, membra recenti adhuc imbuta ſangnine, cum voluptate contrectat, inſpicit curioſè,hæc laudat, illa vituperat, nec materno cruore ſedata ſitis,illam vt expleat, & inſanæ libidini ſeruiat, triumphanti ſimilis pergit ad epulas ſatiandus.

Quid? Dominus quàm non illis crudelitate fuit inferior?in omniũ gemitu lætari ac triumphare gaudio?leue eſt:cædere virgis ab verberibus ad necem, quos perſequitur, & carnificis manu ferróque vitam illis eripere? humanum eſt: tota vel equuleo diſtenta membra,in minuta fruſtra lacerare? vſitatum: non vult hæc immanis ac fera bellua vulgari morte ſemineces afficere, noua poſtulat, inaudita deſiderat.

Sed age remoueamus ab oculis, & animo hæc naturæ portenta,& quod in barbaris hominibus damnamus, in nobis nunquã regnare patiamur: mores illorũ intueamur,& infelicem exitum,ſed vt illorũ exẽplo edocti,mitiora cogitemus.Nam ſi illos nemo congreſſu, nemo aditu,nemo ciuitate,nemo luce, ſed omnes odio,vltimiſque ſuppliciis dignos putat, tanto clementiam amore, quãto crudelitatẽ odio,ſivi res,proſequi debebis.

A Cens

Digitized by Google

A Commiſeratione.

Aliàs fit admonitio per Commiſerationem, ad eum qui ſe permittit voluptatibus, in hunc modum. Quàm me tui miſeret, flos nobilitatis? quid enim? auitæ virtutis oblitus, tradere te velle videris in laſciuiæ diſciplinâ infeliciter. Quid catenam ſtygiam etiam exoſcularis, quæ te præcipitem trahat in interitum, nec extimeſcis? vitiorum fœcundam matrem amas vt audio, & incautus libinis abyſſum ingrederis, vnde fortè nunquam emergas? nec erubeſcis? venientem vltrò cóſalutas caſtitatis tuæ nouercam; nec exitum veteris? Siſte gradum, & ſcito hic opis eſſe cautione. Cum hac vitiorum hydra non eſt leui manu pugnandum: laſciuus hic ex orco Angelus exarmandus eſt priuſquam feriat: alia vitia pugnando ſuperantur; hoc fugiendo: Illa partem animi veneno ſuo inficiunt, hoc & corpus integrum, & animam perdit: Æthnam æmulatur; perpetuis ardet ignibus, & hoc incendio perire velis? obſequeris ſemel huic tyranno? duriora quàm ferre velis & poſſis, imperabit: & huic infamæ dominæ te ſubmittas? cœli pretium tibi propones ad victoriam? te diſtrahet, & in cœno quàm in cœlo videbit libentius. Blandiri illam putas; crede, ſtruit inſidias, excute ſcintillam, & lacrymis extingue inferorum hoc incendium.

Caue loquentis vultum intuatis & oculos, per illos, quaſi per feneſtras ſeſe molliter inſinuat hic baſiliſcus; Lenones ſunt, qui blâdis illecebris mentem in vitium flectunt; claude. Nuntii ſunt, qui ad voluptatem inuitant: ne ſequere. Oſtia ſunt per quæ animus ſemet ſibi ſuffuratus clanculùm euolat ad illicita; ne reſera:

His vinctus compedibus, victus illecebris, ſagittis confoſſus Aſſyrius Iuditham vidit, & vitam perdidit. His flammis aduſtus Samſon ille Abſtemius, & magno Dei dono datus, Dalilam mattonam oris, quàm animi meliorem aſpexit, periit; hoc ineſcatus hamo potentiſſimus Regum Dauid Bethſabam elegantis formæ fœminam curioſiùs contemplatus, captiuus factus eſt.

Prudens eſto in præuidendis, euitandiſque caſtitatis ſcopulis. Deus Immortalis! quæ lorica conſtantiæ tàm eſt fidelis, vt illo Cupidinis telo non perfodiatur? quæ virtutis arx tàm eſt altè ædificata, ad quam ignea Veneris ſagitta non pertingat? quæ ſanctitatis munitio tàm eſt inexpugnabilis, quam multiplex illa vitiorum acies non labefactet? Macte virtutis & animi Iuuenis, meliora ſequere, & quæ amore tuo digna ſunt amplectere, cæcum hunc puerum, ne te iuguler, exarma: ſic tuæ puritatis hoſtem diuinces orcum repetere coactum, & ſpectaculum cœlo terriſque viſendum propones.

Ab Auctoritate & Poteſtate.

Aliàs monitor ſapiens auctoritatem quandam induat oportet, ſine eius, quem monet offenſione; quod fieri poteſt, vel ab ætate, quâ longâ monendum præcedit; vel ab vſu rerum, doctrina & cognitione, vel à poteſtate, quâ pollet in eum, quem reprehendit, vel à grauitate quadam ſermonis, quibus omnibus, quâ ratione quid fieri conueniat, admonet. Monitionis, quæ Principem virum deceat, exemplum illuſtre eſt Oratio Scipionis apud Liuium lib. 30. Maſiniſſam deterrentis à matrimonio, quo ſibi iungere volebat Sophroniſbam Syphacis vxorem, eodem die, quo captam vidiſſet. Quod vt cum fructu faciat, prudenter commendat ſtudium ſuum & amorem, quo impulſus rem tàm difficilem aggreditur.

Aliqua te exiſtimo, Maſiniſſa, intuentem in me bona, & principio in Hiſpaniam ad iungendam mecum amicitiam veniſſe, & poſtea in Africa teipſum ſpeſque omnes tuas in fidem meam commiſiſſe: atqui nulla earum virtus eſt propter quam appetendus tibi viſus ſim, quâ ego æquè atque temperantiâ, & continentiâ libidinum gloriatus fuerim. Hanc te quoque ad cæteras tuas eximias virtutes, Maſiniſſe, adieciſſe velim. Nam non eſt (mihi crede) tantum ab hoſtibus armatis ętati noſtræ periculum, quantum ab circumfuſis vndique voluptatibus. Qui eas ſua temperantia frænauit, ac domuit, is multò maius decus, maioremque victoriam ſibi peperit, quàm nos, Syphace victo, habemus.

Quæ me abſente ſtrenuè, ac fortiter feciſti, libenter, & commemoraui, & memini: cætera te-

ipſum reputare tecum, quàm me dicente erubeſcere, malo. Syphax Pop. Ro. auſpiciis victus captuſque eſt: Itaque ipſe, coniux, regnum, agri, oppida, homines qui incolunt, quicquid denique Syphacis fuit, præda Po. Ro. eſt. Et Regem coniugemque eius, etiamſi non ciuis Carthaginenſis eſſet, etiamſi nõ patrem eius Imperatorem hoſtium videremus, Romam oporteret mitti, ac Senatus Populique Rom. de ea iudicium, atque arbitrium eſſe, quæ Regem nobis ſocium alienaſſe, atque in arma coëgiſſe præcipitem dicatur Vince animum: caue ne deformes multa bona vno vitio, & tot meritorum gratiam maiore culpa, quàm cauſa culpæ eſt, corrumpas.

Q. Cæcilii Metelli grauis eſt, ac prudens monitio, in quam modeſtè per commendationem cenſorum, illorum vigilantiam, atque authoritatem ingreditur, quâ diſſidentes inter ſe conatur reuocare; ex Liuio lib. 40. Non obliti ſumus, Cenſores, vos paulò antè ab vniuerſo populo Rom. moribus noſtris præpoſitos eſſe, & nos à vobis, & admoneri, & regi, non vos à nobis debere. Indicandum tamen eſt, quid omnes bonos in vobis, aut offendat, aut certè mutatum malint. Singulos cum intuemur, M. Æmilii, M. Fuluii, neminem hodie in ciuitate habemus, quem ſi reuocemur in ſuffragium, velimus vobis prælatum eſſe. Ambos cum ſimul aſpicimus, non poſſumus non vereri, ne malè comparati ſitis, nec tantum Reip. proſit, quod omnibus nobis egregiè placetis, quàm, quod alter alteri diſplicetis, noceat.

Inimicitias per annos multos vobiſipſis graues, & atroces geritis: quæ periculum eſt, ne ex hac die nobis & Reip. quam vobis grauiores fiant. De quibus cauſis hoc timeamus, multa ſuccurrunt quæ dicerentur niſi fortè implacabiles veſtræ iræ implacauerint animos veſtros. Has vt hodie, vt in iſto tẽplo finiatis ſimultates, quæſumus vos vniuerſi: & quos coniunxit ſuffragiis ſuis populus Rom. hos etiam rẽcõciliatione gratiæ coniungi à nobis ſinatis: vno animo, vno conſilio eligatis Senatum, Equites recenſeatis, agatis cenſum, luſtrum condatis: quod in omnibus ferè precationibus nuncupatis his verbis, Vt ea res mihi Collegæque meo benè & feliciter eueniat, id ita, vt verè, vt ex animo velitis euenire efficiatiſque vt quod Deos precati eritis, id vos velle homines etiam credamus. T. Tatius & Romulus, in cuius vrbis medio foro, acie hoſtes occurrerant, ibi concordes regnarunt. Non modò ſimultates, ſed bella quoque finiuntur: ex infeſtis hoſtibus plerumque ſocii fideles, interdum etiam ciues fiunt. Albani diruta Alba, Romam traducti ſunt: Latini, Sabini in ciuitatem accepti. Vulgatum illud, quia verum erat, in prouerbiũ venit, *Amicitias immortales, inimicitias mortales eſſe debere.*

Ad Ferocem.

Si ſit agendum cum ſuperbo & feroci, diligentius ferocitatem illius mitigabit Orator; proderit etiam nonnunquam eius partes defendere ac in ſpeciem tueri, donec ſenſim ad commonitionem deſcendat. Ita Maharbal cùm aulicos, hoc eſt adulatores Annibali victoriam gratulantes audiret, ſuadentéſque, vt tanto perfunctus bello, diei quod reliquum eſſe, noctiſque inſequentis quietem & ipſe ſibi ſumeret, & feſſis daret militibus. *Imò*, inquit Præfectus militum Maharbal non ceſſandum ratus; *vt quid in hac pugna ſit actum, ſcias, die quinto Victor in Capitolio epulaberis.* Hic Annibal laudare voluntatem Maharbalis, ad conſilium verò tempus poſtulare Tum ille præclarè: *Non omnia nimirum eidem Dii dedere Vincere ſcis Annibal. Victoria vti neſcis.*

Ad Parem.

Si apud parem res agatur maior aliqua dicendi libertas relinquitur, ſed ita tamen vt modeſtiâ temperetur, quod obſeruauit Orator actione ſeprima in Verrem. n. 173. *Quamobrem te quoque Hortenſi, ſiquis monendi locus eſt, ex hoc loco moneo videas etiam atque etiam, & conſideres quid agas, quo progrediare; quem hominem & qua ratione defendas, neque de illo quidquam tibi præfinio, quominus ingenio mecum, atque omni dicendi facultate contendas. Cæteras, ſi qua putas te occultius extra iudicium quæ ad iudicium pertinent facere poſſe: ſi quid artificiò, conſilio, potentia, gratia, copiis iſtius moliri cogitas: magnopere cenſeo deſiſtas: & illa quæ tentata iam, & cœpta ab iſto ſunt, à me autem peruestigata,*

Digitized by Google

veſtigata,& cognita moneo,vt extinguas,& longius progredi ne ſinas,magno tuo periculo peccabitur in iudicio,maiore,quàm putas.

Per Congratulationem.

Denique fit egregiè monitio per congratulationem,quâ facilius errantē reducimus in viam quàm ſi vel authoritatem , vel acerbitatem, aut grauitatem adhiberemus. Si quidem nemo eſt qui non laudibus,& gloriæ ſtudio ducatur,vt veræ virtutis fructu.

Poſſum tibi eximiam hanc ingenij vim ac præſtantem naturæ ſolertiā non gratulari Princeps optime?poſſum in te non mirari ſingularem virtutis ſpeciem, dum in aula ſædes ad Herouin tabulas,& imagines,quæ te velut ardentibus gloriæ tædis dormientem excitant , nec conſiſtere patiuntur vigilatem?dum ſparſa par tabulas virtutum inſignia conſideras.Credam te his ſpirantibus exemplis,non ad harum ſimilitudinem in te efformandam incitatum?Hærent in oculis illa præclara Romani Auſtriacique nominis lumina quæ ne nunc quidem, poſt occaſum , illuſtrare poſteros deſierunt.

Miraris Auguſtum, tantò anguſtiorum,quantò modeſtiorem, qui dum edicto publico cauet, ne dominus appelletur ,& piè imperat , vt ſoli Chriſto nato debitus honor habeatur,felicitatis numeros omnes explet,veréque ſui Dominus,ad ſeculorum omnium notitiam , ac celebritatem ſemper eſfloreſcit.

Theodoſium intueris,& in illo ſingularem animi moderationem , vt qui tam ad pœnas de male meritis repetendas tardus fuerit , quàm ad præmia celer,ac paratus amas in eo liberalitatem atque munificentiam,vt qui nullam maiorem felicitatem principum eſſe crediderit,quam feciſſe felicem:Laudas eius inter regiæ menſæ delicias victus temperantiam;& rerum omnium, præterquam honeſtiſſimi laboris moderationem : formam & habitum oris eius miraris , vt qui ſuperfluum corporis cultum & munditiam non virilem damnauerit,nec in alia veſte quam domeſtica , illaque vxoris aut filiæ manibus elaborata; vſus vnquam fuerit.

Carolum omni ratione magnum conſideras attentius,& ad eius virtutum imitationē accenderis,qui ſuum nomen & gloriam non terræ,ſed cœli regionibus terminauit:deprædicas ſingularem eius humanitatem atque facilitatem , quâ ſubmiſit ipſe ſe,ſummumque illud regiæ dignitatis faſtigium ad omnia priuationem colloquia inclinauit , tamque ſe pro ſubditis , quàm ſupra ſubditos cognouit.

Ferdinandum Patrem piè contemplaris,quem ſanctitas cœlo dedit , & perenni inter homines memoria conſecrauit : præcipuè laudas in eo lethiferæ culpæ,& vehementioris apud Deum offenſionis odium,diuinis in rebus ſenſum pietatis incenſum eius atque inflammatum propagandæ religionis ardorem,pro qua mori pulchrum ſibi, glorioſumque ſemper duxit.

Eundem litteratum parentem inſpicis,& ore tacito gratias agis quas potes maximas , quòd plures Imperij Academias afflictas , deſertaſque recrearit , nobilem illam nationum Magiſtram conquiſitis eruditorū hominum ſtudiis ornarit.

Te rapit amanter,ac ſuſpenſum retinet Ferdinandus ſanctus,non minus nominis , quàm ſanguinis atque virtutum illius cœlo recepti hæres clariſſimus;pleno ore laudas eius in regendis ciuibus æquitatem , cum finitimis concordiam, cum hoſtibus iuſtitiam , fidem cum omnibus atque moderationē : commendas in illo repreſſam penituſque proſtratam hæreticorum audaciam, Catholicorum verò fiduciam erectam , inſtauratas templorum ruinas,redditum ciuitatibus priſtini vultus decorem; amas eius in ſacrorū ceremoniis frequentandis pietatem , ac modeſtam, vſurpandis reuerentiam ; commendandis ardorem,& induſtriam , denique in vno Ferdinando ſancto,Ferdinandum filium ſe agnoſcis.

Credo dum in aula ſediſti non animum , licet oculos ad tempus retinuerunt,equi ferocientes, fulgurantes in auro gemmiſque radiantibus;ſenſu quodā ambitionis ceruicem elatus ferebant, ſonoque geſtienti atque glorioſo magnitudini ſuæ lenocinabantur ? magna mole celerrimi, ad aſpectū iucundiſſimi,molliter ſeſſores inſanis feſtinationibus non fatigant , quieſcebant in ipſis potiùs,quàm laborabant,miratus es,non captus.

Neque canes moratus es,nec incredibilem illorum ad veſtigandum ſagacitatem narium , nec

Digitized by Google

alacritatem in venando, nec in cuſtodiendo fidelitatem. Non magnifica palatia variis figuris & ornamentis diſtincta, tapetibus, tabulis pictis cæteriſque eiuſdem generis referta; non pretioſas veſtes, in quibus gemmæ fulgurabant, nitebant margaritæ, & ad oſtentationem, aſtrorumque inuidiam coruſcabat aurum, non diuitiarum affluentiam & opum, non regum diademata, non purpuræ fulgorem, & alia quæ tenuiorum perſtringunt oculos, & animum feriunt.

Equidem ſi te ſcirem hac exteriori pompa, ſi talibus ornamentis, homine ad immortalitatem nato prorſus dignis, detineri, facerem vt ab ea mente recederes; demonſtrarem pompam hanc, quanta quanta eſt, fluxam, fallacem, perituram, Aulicos ſæpè gloriæ, vitiorumque mancipia, voluptatis ac diuitiarum veros aucupes; veſtes ad delicias, ad luxum, ad oſtentationem eſſe criminis pœnam, & vanitatis argumentum. Dicerem cœlo ſurgentia palatia ſudantibus marmoribus, rupium cruſtis veſtita, laquearia auro densè, non tàm tecta, quàm cœlata: porticus ſuperſtantibus mutuò columnis, vario omnes marmore, vel ære diuites, temporis omnia deuorantis, ac comminuentis ſpolium atque vetuſtatis. Adde tem honorum prima, dignitatum ſumma, gloriarum auguſtiſſima, morte minante folium eſſe perflante Borea, ſtipulam igne decoctam, nebulas ſole diſperſas; Sceptra, Diademata, Tyaras, aurum & gemmas morte premente, arundinem fluctu concuſſam, fœnum flammarum pabulum; nobilitatem generis, auorum ſanguinem, Imperij magnitudinem, ſpumam Oceano natam, plumam per æera ſparſam, nihil.

Si quid noui, vel ex tuo vultu coniicio ſatis, præter animum nihil hic magnum tibi videri; te non in bonis numerare quæ fortunæ dominantis arbitrio ſubiecta ſunt, ſed in operibus æternitatem ſpectantibus, non in equis auro gemmiſque radiantibus, ſed in præclaris actionibus, quibus tuorum beneuolentiam, Deique gratiam merearis: non in multitudine canum ad laborioſam venationem; ſed eleemoſynarum, quas in pauperes & egenos diſtribuas, vt cœlum veneris: non in exquiſita veſtium pompa; non in paludamentis purpureis, atque auro illuſis, non in coronis, ac diadematis, ſed in virtutum ornamentis omni Panno, aut Sarrano fuco illuſtrioribus: non in palatiis Regiſque domibus, nec in numeroſa nobilitate: ſed in animi dotibus, ac interioris domo pietatis inſignibus decorata: non in hoſtibus debellandis, & longè latéque propagandis imperij finibus; ſed in ferocientis animi motibus reprimendis, ac frænandis cupiditatibus; non in epulis ac choreis, ſed in laboribus & exercitiis, homini ad excelſa nato, conuenientibus.

Perge porrò conſtanter & imagines illas oſtentare indignum crede, quarũ te vultus admoneant, nullum inter eas imagini tuæ locum eſſe poſſe, ſcito iam illum petiiſſe, qui cùm ſtare per ſeſe nequeat, aliorum incumbit in famam inglorius. Caue, tuam vt laudem vllam eſſe putes, niſi quam ipſe tibi, tuiſque vel peperis, vel rebus geſtis auxeris: Vide quid agas Princeps es, latere non potes, nullo non loco, nullo non tempore fax illa maiorum tuorum, tuis vel ornamentis, vel ſordibus præfertur: ſic viue, vt quam tui conceperunt homines opinionem, illam ſuſtineas atque tuearis.

Similitudines plurimùm in eam rem conferunt; Nempe ſi reuocare quempiam velis à voluptatibus adoleſcentem, dices teneram illam ætatem, quaſi quandam tabellam eſſe, aut veſtem pretioſam, quam, ab oleo infuſa vel minima labecula, inficiat.

Iam quod ſpectat ad alterum admonitionis genus, quo apud ignaros vtimur, ſuaſionis formam quandam & ſimilitudinem efficiat, neceſſe eſt, debetque videri amicus: propterea quod vt plurimum inter amicos inſtituitur: neque tam laborandum in efferendis argumentis, quàm in tradendis præceptionibus: Cauendum tamen illud diligenter, ne cùm ad æquales dicit Orator, ſuperioris partes ſibi vẽdicare velle videatur. Sic Fabius Æmilium admonet de tota ratione pugnandi: Orditur enim à laude Conſulis, & à cauſa neceſſitateque monendi ex Liuio lib. 22. numero 39.

Si aut Collegam (id quod mallem) tui ſimilem Luc. Æmili haberes, aut tu Collegæ tui: ſimilis

eſſes,

Digitized by Google

eſſes, ſuperuacanea eſſet oratio mea;nam & duo boni Conſules etiam me tacēte omnia è Repub. fide veſtra faceretis:& malis, nec mea verba auribus veſtris, nec conſilia animis reciperetis. Nunc & P. Collegam tuum, & te talem virum intuenti mihi, tecum omnis oratio eſt: quem video nequicquam & virum bonum, & ciuem fore, ſi altera parte claudicet Reſp. malis conſiliis idem ac bonis iuris & poteſtatis erit.

Deinde *proponit rei difficultatem ac momentum.* Erras enim L. Paule, ſi tibi minus certaminis cum C. Terentio, quàm cum Annibale futurum cenſes. Neſcio an infeſtior hic aduerſarius, quàm ille hoſtis maneat: Et cum illo in acie tantum, cum hoc omnibus locis ac tēporibus certaturus es, & aduerſum Annibalem legionéſque eius tuis Equitibus, ac peditibus pugnandum tibi eſt.

Tum ponit ipſi exemplum ob oculos, non tàm ſua, quàm aliarum cauſa. Poſtmodum occurrit difficultatibus quæ opponi poterant ſuis conſiliis. Ex hac oratione diſcit Orator quo artificio in aliis confici debeat monitio. In qua valet plurimum commiſerationis & timoris metus.

Equitum Rhodiorum Conſultatio vtrum dedenda ſit Turcis Rhodus.

PROLOGVS ACTIONIS Equitum Rhodiorum.

Voluiſtis, procerum veſtrum monimenta, cupido
Forte videre oculis bella, ducéſque ſui?
Auſonias fundentem acies ſpectare liberet
Hannibalem, & victi dedecus Hannibalis.
Non minus bis iucunda damus ſpectacula poſſunt
Chriſtiadum pugna nempe placere Ducum.
Ergo venite alacres, melior fortuna ſecundat,
Optata, euentus, quæ dabit hera, venit.
Mox aderūt Equites Rhodij, hinc pars iūgere fœdus
Cum Turcis agitat, pars ſimul inde negat.
Vos aures animúmque, oculóſque aduertite, fineta
Fors bona felicem, quæ dedit ante, dabit.

LILADAMVS.

Nimi vehementer pendeo, Equites, vtrum è rerum noſtrarum conditione dolorem haurire debeam, an verò aliquem capere voluptatis ſenſum. Veniſſe certè tempus gaudeo, quo tempore ſummo D e i immortalis beneficio meum aduerſus Chriſtianæ fidei ſtudium, vt iam diu optaram teſtari poſſim, ſed tanti gaudij fructus quanta acerbitate permixtos eſſe percipio, cùm ea quotidie contingant, quæ alacrem quemuis erectúmque animum præcipuo quodam dolore perturbant, cum inquam Rhodum noſtram vnicum prope Chriſtiani Orbis propugnaculum oculis meis ſubiicio. Timendum enim eſt ne maximæ turbulentiſſimæ tempeſtates excitentur, eaque ſit Rhodiæ plebi procella, nefariis Turcarum conatibus breui ſubeunda, quæ peſtem illi aliquando prorſus importet.

E q v e s P r i m v s. Huius quidem tui ſermonis turbata pronunciatio neſcio quos fluctus viſa eſt portendere etiam iis, qui nulla vnquam te gubernante naufragia pertimuerunt, ſed nimium ſi tantus accidere motus potuit & mutatio, quanta aut orationis huius, aut vultus tui compoſitione nobis indicatur, nunc omni ratione nobis eſt dimicandum, vt quæ in ſummum diſcrimen veniſſe tibi videantur ea incolumia ſemper & ſalua retineamus.

E q v e s S e c v n d v s. Vſque eóne Imperator animos Equitum Rhodiorum, qui ſemper in periculis omnibus repellendis plurimum potuerunt, abiectos eſſe opinabere, vt hoc nobis palam denuncies certam huic ordini perniciem breui eſſe afferendam, quaſi nunquam fretus auxiliis fortiſſimorum hominum vires hoſtium facilè propulſaris, aut inimicorum inſidias eluſeris, aut certè procellam deuitaris!

E q v e s t e r t i v s. Itaque Liladame per eam exiſtimationem quam non ignoras multo ſudore, labore, periculíſque collectam, nunc à te precor, vt quorum animos dicendo ſuſpenſos ſollicitóſque habueris totum ne dolorem diutius tegendo proferas, quin continuò aperias rei magnitudinem huius ordinis quietem, & dignitatem perturbantis.

L i l a d a m v s. Quoniam id vultis faciam perlibenter. Recita verò Solimanni litteras.

Solimanni

Digitized by Google

Solimanni Litteræ.

Solimannus Flaccus D. G. Rex Regum, Dominus dominantium. Maximus Imperator, Byzantij, ac Trapezontis, Rex potentiſſimus Perſidis, Arabiæ, Syriæ, ac Ægypti, Dominus Aſiæ, Europæ, Princeps Mechæ, Alepi Hieroſolymorum Dominus, Hungarorum Princeps, poſſeſſor maris vniuerſi R. P. Franc. Vilerio Liladamo Magno Rhodi magiſtro, & Aſiæ Legato, Equitibuſque ſuis, & vniuerſo populo. Commouent me afflictæ gentis meæ commiſeratio, & ſumma iniuria veſtra. Impero igitur vobis per celerem Inſulæ & Arcis Rhodiæ deditionem, piè vltroque conceſſa gratia ſecurè abeundi cum omni pretioſa ſuppellectile, aut ſi lubet permanendi ſub imperio meo, in nullo nec tributo quidem immutata libertate, aut religione vniuerſa: valete benè. Quid nunc demum fiet, ſi potius vim quàm amicitiam volueritis, quæ neque fraudi, neque dolo vobis erit. Iuro Deum cœli terræque, iuro quatuor Euangelicæ hiſtoriæ, Chronographos; vicies quater mille Prophetas, ſummumque inter hos Mahometem, ſacrumque hoc ac auguſtum imperiale caput.

Frater Aubinus. Itane Barbarum triumphare, & quotidianis furioſi hominis conuitiis nobiliſſimorum Equitum aures appeti patiemur: agitur ſi neſcitis Chriſtiani nominis gloria; illa gloria pro qua multa Maiores noſtri, magna & grauia bella geſſerunt; quid reſtitamus? quid vitam noſtram in excidenda deterrima illa Mahometis colluuione profundere dubitamus? an velut ad ſpectaculum pereuntis patriæ à fortuna poſitos nos eſſe arbitramur? Serpit malum & manat in dies latius. Quamobrem Tabellarij manus præcidendas prorſus eſſe arbitror, vt videat impotens Tyrannus, quibuſcum rem habeat, & ſciat accenſam vtrimque iram, Turcarum aut Chriſtianorum ſanguine reſtinguendam.

Liladamus. Laudo certè hunc animum tuum, ſed quid faceres, cum ille poſitis in conſpectu præſidiariorum militum literis, Thracis equi curſu ſeſe nobis eripuerit.

Aubinus. Neque verò Liladame abſtinendum propterea, ſed arma comparanda, videbit quemadmodum ſpero Solimannus, quid ſit Rhodiis equitibus minari, quibus hoſtium impetus nunquam ſunt deprecandi, ſed optandi: potius, vt maxima gloriæ ſeges, ac ſi ita ferat belli exitus & Superis viſum fuerit Mahometanum nomen penitus exterminandum.

Eques primus. Quandoquidem eò audacia Solimanus deuenit, cenſeo virtutem huius ordinis armis eſſe demonſtrandam, importuni prædonis feritas vi extinguenda eſt, non comitate nutrienda.

Eques Secundus. Equites num in præſentia ſit hoſtium ferocitas mollienda, vllane tam immanis eſt fera, quæ aliquando non mitigetur?

Eques tertius. Pergamus verò res omnis ferro decernatur, inſolentis hoſtis audaciæ opponenda fortitudo: vti malo nodo malus cuneus.

Eques quartus. Te Liloro ſuppliciterque obteſtor, ne quorundam feruentioribus animis cæcum te & præcipitem ferri patiaris: præceps ira ſummum bellorum incendium.

Eques quintus. Eamus Imper. & importuna conſilia continuò bellica virtute tollamus, apud barbaros nulla pacis ſolet eſſe mentio, quibus pendet ex fortuna fides.

Eques sextus. Hac vnâ ratione ſaluti Reipublicæ, & Equitum Rhodiorum dignitati cenſeo eſſe conſulendum. Ordinis huius fama ſumma iam diu bella confecit.

Liladamus. Quoniam vt video varias in partes hinc inde diſceditur, & in diuerſas itum eſt ſententias vniuerſum ocioſè iudicium exquiram. Itaque quid vobis videatur commodè, liberéque, vti ſoletis, aperite.

Grotæus. Si præferocem iuuenis animum ſpectandum cenſuiſſem E. N. ſi tum noſtro huic Ordini, tum Rhodiorum rebus commodum id conſilium eſſe opinatus nunquam ego, qui tot annos in militari diſciplina iactatus ſum contrarium aliquid meditatus forem, vel etiam in clariſſimo conſeſſu dicere inſtituiſſem. Verum ita me iam natu grandem ſecundæ, ita aduerſæ res

erudie

Digitized by Google

erudierunt, vt rationem audire malim, quàm præcipites quoſdam impetus ſequi, quibus florentiſſimas Reſpublicas accepimus perſæpe eſſe labefactatas. Magna ſanè & glorioſa plerique cogitant, ſed ratione defectæ fortiſſimæ illæ rationes langueſcent ac mollientur, etſi audiantur bella grauiſſima, nullo ſuſcipientur negotio, quæ vix magnis moleſtiis & difficultatibus expedientur. Videndum itaque ne pluſculum iuuenili audaciæ demus, quam veteranorum prudentiæ, qui etiam virorum, cum res tulit, ſpecimen dederunt, ſingularis animi veſtri magnitudo magna cogitat, peſtem nefariam genti machinatur, laudo certè Chriſtianè factum omnino, ſed videndum etiam ante, quâ ratione res tantæ ſuſcipiantur, & quamuis N. E. Turcis longè anteſteur, tamen cum illi multò ſint plures, plerumque fit vt maior pars meliorem vincat, & rectè nos huius rei teſtes & ſpectatores fortuna conſtituit cum acerbiſſima noſtris vulnera quotidiè inferri videamus; Hic ergo in illa ipſa tempeſtate periculi, grauiſſimaque belli offenſione exultantis victoris animum nos cadentis patriæ minis oppreſſi, laceſſendum & irritandum putabimus. Si enim inſanos eos arbitramur, qui ſæuientem leonem aut feras alias iam natiuâ rabie ſatis efferatas laceſſant, amentes vel certè parum prudentes ſimus, ſi rebus omnibus abiectis propè deſperatis eam in noſtram peſtem incitamus, quem Reges potentiſſimi, bellicoſiſſimæ nationes perhorreſcunt. Videte igitur ne temeritate quâdam impulſi Solimannum irritemus, cum afflicti ac miſeri non iam ſalutis ſpem, ſed exitij ſolatium quærere omnino debeamus. Noſtis regium, liberalem, & magnificum animum, noſtis hominis æquitatem, qui abiectiſſimorum lachrymas, ne hoſtium quidem preces, vnquam repudiauit. Itaque ſi Rhodiorum ſalus, ſi veſtra, quam rebus omnibus habere debetis antiquiorem, vos monet, ſi afflictæ ciuium fortunæ ad miſericordiam alliciunt, quin Legatos ad Solimannum mittitis, neque enim deſunt viri grauiſſimi, qui tam ſalutare & egregium obire munus detrectent. At æternum, aiunt nonnulli, Equitum Rhodiorum nominis dedecus inuremus? inanes voculæ! fortiſſimi enim Imperatoris eſt, non modò furentes hoſtium impetus animi magnitudine frangere, verum etiam grauiſſimis periculis, quæ multis nec opinato contingant conſilio & induſtria ſeſe eripere. Quæ cum ita ſint, videte iterum atque tertio ne honeſtam expediendæ ſalutis rationem abieciſſe videamini, ne poſt verſam exciſam, atque demum barbarorum ſcelere deformatam patriam acerbiſſimas temeritatis pœnas, vos ipſi optimi conſilij cogitationem, mœrore contabeſcentes luatis.

Acmarus Montaffius. Itane exiſtimas Rhodum ferociſſimis hoſtibus dedendam fluxæ fidei homini, qualis barbarorum eſſe ſolet, lectiſſimum prouinciarum florem, Chriſtianæque nobilitatis ſplendorem committendum? Tibine, indigniſſimus ciuis Belgradenſis & Hungarorum interitus ex animo iam excidit vt eis fidem habeas, qui toties datam fidem fefellerunt. Ciuem cùm è naui exſcenſionem feciſſet, acceptâ fide publicâ, arctiſſimis vinculis conſtrictum, & Conſtantinopolim abreptum accepimus. Licet hoc; hanc tibi gratiam extorque ſi exquiſita ſupplicia arbitrare ſuauia; ſed ſi me audiant mei, tam graue & periculoſum onus quo nullâ gloria & commodo impelluntur, omninò detrectabunt.

Hispanus. Sed vt opinor inter priuata & publica munera animum quantum intereſt: Xaicum quidem monet, fide publica impulſum ad commercium, ſed nullum illi legationis munus fuiſſe ſcimus. Legatorum porrò nomen quod Ius gentium ſartum tectum eſſe voluit vel Barbaris ipſis ſanctum & auguſtum eſſe quis inficias eat?

Acmar. Præclarè ſi ea in Turcarum animis exiſteret humanitas, quam vel barbaris ipſis ineſſe cernimus, quid enim eorum mores niſi inſitum & inexpiabile in Chriſtianos odium loquuntur? quid deſertoris nequiſſimi leges monent, niſi peſtem Chriſtianis hominibus creandam. Itaque ad Equitum dignitatem omnia referenda cenſeo, & mortem honeſtam indecoræ legationi præferendam. Vitæ breuis eſt curſus gloriæ debet eſſe ſempiternus.

Aubinus Frater. Quid nunc

Digitized by Google

ergo hîc oſcitamur, quid hæremus? aliud certè me maiorum meorum, quod ſine cuiuſque offenſione dictum velim, exempla docuêre, aliud militiæ noſtræ in Turcis ipſis profligandis ſingularis fortitudo. Sed commune vobis eſt illud decus. E. N. qui enim ante nos huius ordinis arcem tenuêre, quâ conſtantia & animi magnitudine Solimum profligarunt? nihil de hac gloria concedere velitis viri fortiſſimi, vos ergo præſtare, qui ſemper Orbi Chriſtiano in grauibus periculis, heroicis facinoribus cogniti eſtis, in excidenda illa Mahumetanorum peſte: Nec vos inquam ſol videat barbaro Scythæ ſupplices atque ad pedes immaniſſimi Tyranni indignè abiectos.

LILADAMVS. Sed tu Corneli rogo, quid ſuper hac re, ſane quam implicata placet, aperias.

CORNELIVS. Ego verò Imperator hanc à te prouinciam depoſcam, quam ſi abſtulero ſummi beneficij loco me habiturum recipio; idemque à vobis Equites. N. peto quæſoque vti cum domeſticis meis irruptionem aliquam in hoſtiles globos faciam, velitis iubeatiſque, & barbaros mactem DEO immortali, ſuperiſque gratiſſimas victimas, vel egomet cum meis dignam hoc ordine, meaque gente mortem obeam, & diuinæ vltionis grauitatem vnus excipiam, vt ira fluctus à communi parte depulſi in meum hoc caput redundent. Decios miramur qui cæcis antiquæ ſuperſtitionis tenebris auertendæ Deûm ſuorum iræ obiecère mortem, idque gentis ſuæ fatum exiſtimarunt. Committite ambo vos, vt hoc meum ſit decus honeſtiſſimam à me mortem in huius vrbis, in Religionis denique ſanctiſſimæ propugnatione, mortem iterum dicam honeſtiſſimam eſſe à me vt certè facinus aliquod hoc ordine non indignum. Erit vt ſpero, vnde ſanè plerique in huius gloriæ decoriſque ſocietatem vocari ſe velint.

LILADAMVS. Animi tui magnitudinem probo valde, Corneli, ſed ex eorum re, quibus maximè a te conſultum velle prædicaſti, eſſe non puto: vt te iam in præſens vitæ diſcrimen prouehamus, erit breui cum tuæ fortitudinis ſpecimen aliquod nobiliſſimum dabis, interea nos de re tota diſceptare pergemus, vos hinc inde ad negotium omne clarius explicandum comparatote: dum nos variis caſibus, & periculis, quæ ab hoſte intentantur, tantiſper occurremus.

DIALOGVS.

DE MAHOMETE.

Equites Nouitij.

1. ECquid tandem iſtud rerum eſt ſocij: quorſum ſpectant quotidiani cœtus Equitum. *Secundus.* Quoniam vehementer vt neſcire non potes periclitatur Rhodus. *Tertius.* Imò propè iam periit. *Quartus.* Veniet ergo in Turcæ immanis manus clara Rhodus. *Quintus.* Ni Deus breui adiuuet, huc veniet. *Sextus.* Improba illa Mahometis mancipia nos manu prehenſos in æternam rapient ſeruitutem *Primus.* Nos miſeros! Vt Mahometes ille impurus, deſertor ille omnium Religionum ſacris inſtitutus atque omnibus deſtitutus Chriſtiana ſacra ſic miſerabilem in modum extinguat. *Secundus.* Ecquid hominis Mahometes eſt. *Primus.* In eâ re peregrinus verò & hoſpes eſſe poſſis. *Tertius.* Me mirare, nam & id ipſum mihi latet, optimè ſanè de vtroque meerebere, ſi nobis hominem deſcripſeris. *Primus.* Quoniam id ſtudetis non negabo. Nullius notæ nebulo, mediaſtinum mancipium, de lapide emptum à nonnullâ etiam ingenij laude non derelictus perdiu ſanè celebrandus.

Heu ſi fata Deûm, ſi mens non læua fuiſſet.

Sed omni improbitate nobilis, naturæ præſidia mirabilem in modum deformauit. *Tertius.* Quid amabo te ſceleris concepit, imò quid non inſtituit, admiſit, perfecit. *Secundus.* Ageſis. *Primus.* Arabs fuit hic nebulo, jam ingenium agnoſcitis, ad cuius turpitudinem ſcelerum eſt facta acceſſio, anguſtiis rei familiaris cum laboraret, locupleti viduæ operâ locauit, vt illius camelos paſceret, pauit pecudes illas herbis, & viduam ſimul improbis artibus, nâ ab eâ gratiâ ita iniit,

vt

Digitized by Google

vt tandem vxorem duceret. *Secundus* Vafrum Arabem *Primus*. Quid exiſtimabitis de reliquis fraudibus vbi eas acceperitis? comitiali morbo tenebatur,à malo dæmone vrgebatur vehementius ; reputare quibus malis, quibus pœnis : tamen ille ita texit vt Angeli Gabrielis interuentu ſe interdum adeuntis commotum repentinò cócidere comminiſceretur,idemque ſceleſti alterius hominis , cuius authoritatem obiiciebat, teſtimonio confirmaret. Vxor reliquis vti fieri ſolet,enarrat mulieribus , illarum deinceps narratiunculis in vulgus res emanare cæpit, itaque ita increbeſcere , vt pro ſanctiſſimo vate ſceleſtiſſimus prædo haberetur. *Secundus*. O cœlum quemadmodum hoc vides ! *Tertius*. Viuit cænum , viuet lutum , viget lues hominis portentum ! quæ enim peſtis inde naſci potuit , & vera nata eſt. *Primus*. Nam cum Heraclio Imperatori etiam impoſuiſſet , ab eodem aliquando locupletior factus exultans in patria monſtrum.Illud comentus eſt , è variis Religionum partibus conflatam impuram ſectam ; quæ iam mille annos floruit,& nobiliſſimam orbis partem occupauit ac perdidit. *Secundus*. Sed nónne dignam ſceleribus mortem oppetiit. *Tertius*. Oppetiit teterrimam. Et quanquam ſe tertio poſt mortem die ad vitam reuocatum iri glorioſè præſignificaſſet, tamen execrati cadaueris pars à canibus dilaniata ,reliqua ignobilis patroni oſſa nobili ſepulchro cohoneſtata à Mahometana colluuie etiam nunc adorantur & magnâ religione celebrantur. *Quartus*. Noſtra vrbs , noſtra ſacra illi impuritati tradantur, auertite omen magni Diui. *Quintus*. Vos veri Vates & Prophetæ, huius Pſeudoprophetæ impuram ſectam proculhinc emittite. *Sextus*. Imò penitus exterminate. *Primus*. Diuine Ioannes , cuius honori ſacer hic ordo eſt,nè tua templa , tuam vrbem æterni Chriſtianorum hoſtis labe contaminari patere, nec nos noſtraque belluis offeratis tradi. *Tertius* Chriſte optime tuum hic oſtende numen, audi iuuentutem,omnes ordines audi,& tandê adſis.

LILADAMVS. Agite igitur & quam accuratiſſimé vniuerſi nobis negotij nodum expedite , quæque hinc inde incommoda incurrent vel etiam commoda, quoad eius fieri poterit explicatote.

ORATOR PRIMVS 52.

Rhodus dedenda Turcis.

QVando ita iubes magne cariſſimi huius ordinis Magiſter vobiſque ita videtur. E.N. rem ordior. Quanquam nemini dubium eſſe video , quin omnibus,qui ad Rempublicam caſtè integréque accedunt aperire liceat,quæ ad communem cauſam facere opinentur , nihilominus hâc pronunciatione ſententiæ,quæ ſemper optimo cuique conceſſa eſt , non mea me voluntas ſed variæ & pernicioſæ quorundam opiniones hactenus prohibuêre. Sed tamen ita me probatum vobis,atque huic Ordini ſemper volui,vt nihil magis in hac cauſa laborarem,nec contenderim aliud,quàm ne ius & auctoritatem, ſi quam habeo in ſententiis pro Reipublicæ libertate ferendis abiicere viderer, nec magis veritus ſum, quamne à vobis ſtudioſiſſimi communis omnium ſalutis repudiata ſententia pericúloſas cæterorum opiniones probaretis Cæterum me recreat & reficit huius , quem adeſſe video Liladami fortiſſimi & ſapientiſſimi viri conſilium, qui profectò nec ſapientiæ ſuæ putaret eſſe, quos de communi vtilitate ſententiam ferre voluiſſet , eoſdem tanquam à commodis publicos alienos non audire , nec fortitudinis temeritatem concitatæ adoleſcentiæ in hoſtem potentiſſimum armare. Quæ cum ita ſint , primùm quod in hac tanta rerum grauitate facere neceſſe eſt à Deo Immortali peto,vt quoniam omnium ciuium libertas,fideique & conſtantiæ ſplendor in diſcrimen ab inimicis vocatus eſt,hunc diem & ſalutem ciuium retinendam , & ad Chriſtianæ fidei decus conſeruandum illucere patiatur.

Deinde vos Equites Nobiliſſimi , quibus rerum noſtrarum cura demandata eſt , oro atque obſecro vt tandem aliquando veſtræ mentes cum DEI Immortalis voluntate conſentiant , eaque res Religioni Chriſtianæ , huic Ordini, his ciuibus,pacem tranquillitatem,otium concordiamque afferat ſempiternam. Atque illud mihi iure lætandum eſſe video,quod in hac pronunciatio-

Digitized by Google

ne ſententiæ, non videar vos à ſolitâ vitæ ratione ſuſceptaque fortitudine reuocare, quam nobilem ſummæ virtutis teſtandæ occaſionem ſignificare, propterea quod ea fortitudine tam variis tam multis in locis vſi eſtis, vt ea nunc omnino clementiæ, veſtræ cedere debere videatur, cuius adhuc virtutis ſocia comeſque mihi proponitur ſingularis in rebus noſtris prudentia, quarum virtutum ea vis eſt, vt niſi ab eâ diſcedatis facilè putem nos extremis Reipublicæ temporibus perfugium & præſidium ſalutis inueniſſe. Atque vt inde oratio mea proficiſcatur, vnde hæc omnis ſententiarum poſtulatio ducitur, bellum graue, vehemens, & periculoſum vt ſatis perſpicitur huic ciuitati à potentiſſimo audaciſſimoque Rege defertur, quoquidem perfectò laus erit iis tribuenda, qui ſuſceperint, culpa danda, pleriſque quòd nòn præuiderint, quando in pace cum dignitate verſari poſſent, nullum cum periculo bellum eſſet ſuſcipiendum. Vos verò ſi adeas ferociſſimi Tyranni petitiones effugiendas, non valet fortitudo, adhibere per Deum immortalem prudentiam, quæ vt ſupra dixi nimio plus valebit ad ſalutem ciuium veſtrorum conſeruandam. Quid enim hoc tempore aliud à vobis petendum eſt, quàm id quod offertur. Has igitur pacis conditiones repudiamus, quæ ſi à Solimanno negarentur, nunc præcibus, nunc lachrymis, nunc miſericordia eſſent efflagitandæ? In his verò quid? veſtigium crudelitatis? quid non à vobis ipſis maximè deſiderandum cenſeatis? quid non iuſtum? quid non plenum æquitate? quid ab hoſtilibus illis comminationibus tam alienum? Agite nunc hæc pacis ornamenta cum luctuoſo & miſerabili rerum noſtrarum ſtatu comparate. Quis dubitet Equites Nobiliſſimi, niſi demens omnia quæ ad ſanctitatem Ordinis & ſalutem ciuium pertinent eſſe quærenda: quæ verò ad perniciem incumbunt eſſe reiicienda. In vtro igitur eſt pernicies ciuium? in pace facienda? cuius hæc eſt conditio, vt omnis ordo inuiolatus, ciues omnes cum vxoribus, cum liberis, cum opibus, cū libertate ex vrbe decedant, vel certè in eâdē, ſi eis videatur, remaneant, vbi nulla cædis eſt mentio, nullumius libertatis extinctum. An in bello ſuſcipiendo, in quo iam exanimis ſpectare videor, formam ciuitatis iacentem populum, afflictos milites, hunc ordinem ſubitò vno die concidentem, miſeros atque inſepultos Equitum aceruos, verſatur mihi ante oculos audacia barbarorum irruentium, & Solimanni furor in noſtrâ cæde nefariè crudeliterque bacchantis. Hâc futurâ calamitate commoueor hæc mala perhorreſco, & quia mihi vehementer hæc videntur miſera, atque etiam meritò miſeranda, idcirco in illos, qui in ea incurrere vt videtur volunt, me ſeuerum vehementemque præbeo. Etenim quæſo, ſi puluere tormentario, glandibus ferreis, & multitudine militum abundaremus vtrum tunc audaciores eſſetis ad ineunda prælia, quàm nunc ad pericula capeſſenda? In his Equites Nobiliſſimi prudentiam veſtrâ imploro. Addite magnam annonæ caritatem, addite dirupta mœnia, capta propugnacula, partem vrbis iam hoſtibus occupatam; quæ omnia num vobis tacere videntur? Enim verò cum tacent, clamant, clamant inquam, ſed ira crebris & pernicioſis aliquorum vocibus obdurüerunt, & percalluerunt aures veſtræ, vt cum vniuerſa ciuitas ſua vulnera loquitur tum aurium ſenſu miſerè careatis. Sed iam hoc totum omitto, non tam vt miſeriam noſtram prætermittam, quæ nota eſt, quam vt ſanctiſſimum huius Ordinis nomen vobis opponam vt etiamſi alter ſentiam nonnulli quam rationes communis ſalutis poſtulant, verborum tamen ipſorum pondus ſuſtinere non poſſint. Quamobrem Equites Nobiliſſimi nunc author ſum pacis faciendæ, qui amentiæ & impietatis putarem eſſe cum occultas Dei voluntates memoriâ repeto, bellum ab hoc ordine cogitari. Recordamini igitur præteritas Hieroſolymorum calamitates, proponite vobis ſtatum illius miſerabilis ciuitatis, primò variis prodigiis vrbis interitum indicantibus, ab Imperatoribus Romanis ſcimus expugnatam, deinde captam à Chriſtianis paulò poſt non tam Romanorum prodigiis, ſed Deo vrbis perniciem præſignificante à Turcis eſſe receptam. Non fuit hæc ciuitas Chriſtianis amitenda, & amiſſa eſt, non fuit propugnata, at multi clariſſimi & fortiſſimi ciues vna cum eius interitu conciderunt.

Hic

Digitized by Google

Hic planè dicam quod ſentio, idem videtur de hac Republica ſtatuiſſe DEVS Immortalis vt Rhodus tandem aliquando ſimili periculo capiatur, cum paſſus ſit eorem adduci, vt quidquid nobis ſupereſt opum, copiarum, & vocis id vniuerſum colligendum eſſe videatur ad flectendum in Rhodios incitatum Solimannum. Idcirco Equites Nobiliſſimi repetendum eſt è vetere poëta illud, ſed dolenter repetendum.

Exceſſère omnes adytis: ariſq, relictis
Dij quibus imperium hoc ſteterat.

Felices, ſi præuideamus; miſeri niſi DEI Immortalis voluntati pareamus. Sed iam veniamus ad eos, qui veſtram clementiam poſtulant, quibus etiamſi vobis integrum non foret,tamen vt opitularemini, multum eniti deberetis; Iam veſtris ſententiis permittitur ſalus Rhodiorum ciuium, coniugum, liberorum, quæcunque demum poteſt in hâc vrbe perdere Solimannus in illis ſuis cogitatis furoribus, omnes vos rogant & obteſtantur ſibi vt liceat, ſi non integrâ fortunâ, & non penitus afflictâ, in libertate viuere potius, quàm cum Chriſtianæ gentis interitu, perire. Quod ſi iam apud veſtram miſericordiam parum poſſum, qui nihilominus in hoc ordine ſemper id auctoritatis, vt de rebus omnibus, quæ in communi conſilio verſarentur, ſententiam pronunciarem, nunc eſt mihi deſerenda omnis erga vos gratia, nunc auctoritas reiicienda, & ad preces & ad lachrymas perfugiendum, non abnuo, non recuſo, itaque quem antea de ſtatu ciuitatis rogare ſolebatis, nunc auſpicite ducem & ſigniferum calamitoſorum. Ponite vobis ante oculos huius mei comitatus conditionem, cuius ego causâ laboro, ciues ſordidatos, exanimatas propè metu mulieres, eiulantes liberos, qui omnes mecum vos orant, Equites Nobiliſſimi, vt quorum ſaluti conſulere poteſtis,& debetis, id velitis, voletis verò ſi vos eſſe eorum miſeriis mitigatos pateat; nam cum in hâc miſerâ & luctuoſiſſimâ conditione rebus omnibus deſtituti ſint, quid eſt, quod expetatis amplius? lucíſne hanc vſuram tradere vultis plenam lachrymarum, plenam mœroris, libenter reddiderint, ſi quidem eo fatodemerſam patriam efferre poſſint, quod omnino non poſſunt. Vobis ſi omnes defuerunt, vos illis in communi pernicie deeſſe poteritis? Nihil habeo amplius, quod faciam pro tantis in nos populi meritis niſi vt iam vos Rhodij ciues implorem, vt ſi parata in veſtrum caput ſupplicia non mouent, mihi pacem, & veniam detis: perſolui vobis vniuerſis quod debui, atque vt ſemper ad prælia cum ſceleratis hoſtibus facienda facilè ſum adductus, ſic iam ad ſalutem veſtram propugnandam voluntate deducor. Impedior dolore animi, ne de ingenti miſeria plura dicam, ſi qua verò in vobis prudentia. E. N. tanto malo prouidere, ſi qua conſtantia viri fortiſſimi, eam perniciem depellite; ſi qua pietas ô nobiliſſimi noſtræ Religionis propugnatores, miſeremini. Veniat in mentem Chriſti de cruce pendentis, & quam ille plebem ſuo ſanguine ſoſpitauit, eam vos ne ſitientiſſimo Chriſtiani ſanguinis Tyranno imprudenter, ne dicam crudeliter obiicite: ſed piè, ſed ſapienter, ſed fortiter & Chriſtianè quod veſtro nomine digniſſimum à tantâ pernicie eripite, & ſeruitute acerbiſſimâ, exquiſitiſſimiſque tormentis, ingentibus denique malis, quod facilè poteſtis conſilio & virtute veſtrâ vindicate.

ORATOR II.

Rhodus non eſt dedenda Turcis.

QVando tibi magne Magiſter videtur dicere inſtituam. *Lilad.* iam videtur. *Orator.* Si de pacatis Reipublicæ negotiis, quæ me iſ multos annos, vt plerique omnes vidiſtis diſtinxêrunt, de ſeditionis cōcitatæ flammâ reſtringuendâ, de multitudinis audacia componenda,& furore frangendo in præſentiarum ageremus, diuturna illa publicis cōſiliis exercitatio mihi ſententiam dicturo, non mediocrem affert alacritatem. Sed quoniam de deditione facienda loquimur non Chriſtiano, vel clementiſſimo cuipiâ Scipioni, Traiano & cæteris, ſed noſtra peſtis auidis barbaris neſcio quæ virtus, æquitas, pietas Chriſtiana ad deditionē incitare poſſe videbuntur: Ea re quid animo ſibi polliceantur, non video, qui cum Turca (ipſamet iam cogitatione contremiſcitis, & nefarium crudeliſſimi

Digitized by Google

nefariique tyranni iugum pertimeſcitis) cuius ad impotentem dominatum ne quidem Neronis illius, Caligulæ, & huiuſmodi orbis portentorum efferata crudelitas accedere videatur; cum Turca inquam Chriſtianis cladibus inſigni, cum quo nihil ſancti fides habere poteſt, ſacrum fœdus cum impio piam pacem ſancire velint. Recordamini per DEVM immortalem ſupremam huius vrbis expugnationem, vt aliquando victoriæ memoriam noua quadam gratulatione renouemus, nam copiis ſtipatus hûc venit, vt vniuerſæ orientis gentes ſub eo ſtipendia merere, & noſtram omnium peſtem, vrbiſque excidium anhelare viderentur, cum velint nouum Xerxem maria pedibus peragrantem claſſibus montem, quod ante Rhodii cernerent, mœnia præterea magna parte labefactata hoſtem vrbis viſceribus inhærentem, neque tamen in tanta rerum omnium perturbatione animi ceciderunt. Quæ tempeſtas DEVS immortalis, quæ flamma, quæ vaſtitas Rhodi fuiſſet, niſi, incredibilis ac diuina ſuperiorum Equitum virtus furentis hominis conatum, atque audaciam oppreſſiſſet, hanc retinere quæſo, quam vobis illi tanquam hæreditatem, tum magnam in rebus, tum ſummam in re militari tradiderunt. Illum hoſtem armorum vi maiores noſtri fregerunt, hunc virtute militum ducumque noſtrorum breui temporè oppreſſum audietis. Sed vt ad pacem, vnde ſum digreſſus reuertar. Cogitate quam deditionis grata memoria! Nam ſex menſes arcta nos obſidione cingunt tanquam immanes belluas indagine, ſed famem quam nos quotidie patimur etiam illi tolerant, quos deinde labores imponunt nobis, ipſi libenter ſibi ſumpſerunt: Videant deinceps fortiſſimorum Equitum arma militum ſuorum ſæpius ſanguine cruentata, nec nos commoueant, cum in ſtrata mœnia audacter irruerit: nam inde protinus exacti ſudoris, pulueris, & vulnerum pleni repedabunt. Sed illa leuiora, niſi rurſus ciuium ceruicibus grauiora longè minitarentur. Expectate igitur exquiſita ſupplicia Rhodiis omnibus comparata, ſpectate iam Solimannum victoria inſolentem, cum alacris illius exultabit improbitas, Conſtantinopolim ſuam ruinis veſtris nobilitantem. Vos tum ſpectabitis, ô rem etiam ipſa auditione non ferendam! aſperis religatos conſtrictóſque vinculis victoris currum honeſtantes, deinde verberibus, omnique ſupplicio excruciati, barbaram illā noſtram cæde & clade exultantem ciuitatem ſpectaculo iucundiſſimo oblectabitis, cum eos qui omnia armis ſuis habuerunt infeſta, & belli terrorem vniuerſi Orienti & bellicoſiſſimis nationibus circumtulerunt, victos tādem intuebuntur & vinctos, vt demum lacerato virgis tergo ceruicem ſcelerato Turcarum acinaci ſubiiciant. Recordabitur enim Barbarus, quam multa Turcarum millia diuerſis in præliis, veſtris aliquando dextris conciderunt, quam multa ab illis olim victoriarū inſignia, trophæa, ſigna retuliſtis, & protinus vt furens ille Æneas victum & ſupplicem Turnum quem amici Pallantis cingulo accinctum vidit protinus interemit ſuorum exuuiis ornatos, omni diritate, atque immanitate teterrimus tyrannus exquiſito aliquo ſupplicio iubebit enecari Sed HANNIBAL AD PORTAS nihilne timebimus? Nihil inquam prorſus, habemus Fabium maximum, Marcellum Scipionem, Te Magne Liladame dico, vos nobiliſſimi duces intelligo qui in patriam ad Carthaginis mœnia Afrum barbaroſque compellatis, dometis, in exiliū mittatis. Itaque hodie hodie inquam Equites Nobiliſſimi non ſalutiferis explicatis vexillis, ſed abiectis clypeis ad Solimannum contendent; ibunt non ferro armati, ſed voce ſupplici ſalutem quærentes; non pugionem ſæpius Turcarum ſanguine cohoneſtatū ſed oliuæ ramum prætendent; Spectaculum luctuoſum! ampliſſimi terræ conſilii principes ad ſceleſtiſſimi prædonis pedes ſeſe abiicere! Ergóne clara Rhodos omnis antiquitatis illa claritas tua & diuina prope gloria defloreſcet; & quæ olim Chriſtianum propugnaculum fuerat nunc latronum fiet receptaculum. Templa nobiliſſima D. O. M. conſecrata ritu ſacrilego, deſertori nefario dicabuntur Mahometi, arces tuæ, quæ ſalutifero Chriſti ſigno cohoneſtari conſueuerant, lunatis Turcarum vexillis funeſtabuntur. ô patria cui vires omnes & facultates dedicaram, extremum hîc ſalue, mihi Rhodos maxima æternum vale. Hanc vnam habe ciuis orationem malis tuis piè illachrymantis, quæ iā animo cernit, breuique niſi auerterit DEVS oculis

Digitized by Google

etiam ſpectabit. Vtinam vtinam liceret cum voco ſimul ſpiritum hunc quem tibi vni ſecundum Deum duco dicóque intuenda mittere, ſed quoniam per aliquos non libet, hanc rurſum habe ſupremam vocem, ciuis amantiſſimi, tuum hoc funus ſummo luctu & mœrore proſequentis, qua poſteritati teſtatum relinquit. paucorum hominum ſententiis, ſuæ virtuti diuinóque præſidio diffidentium tuas arces, tua templa, tuos ciues tuam denique omnem & Chriſtianorum gloriam vno prope momento miſerabiliter concidiſſe.

Lilad. E ſeria & ſanè quam accurata oratorum noſtrorum diſputatione lux opinor nobis aliqua affulſerit, eam ob rem tuum ſuper hac re iudicium perlibenter audiemus.

Orator III.

Suadet Rhodum Turcis eſſe dedendam.

Si quondam Carthaginem clariſſimam diſciplinæ militaris & nobiliſſimorum Imperatorum altricem non mediocriter perturbari oportuit. Nobiliſſimi Equites, cum vniuerſo ſpectante ſenatu pacem & bellum ſinu ſe ſuo Rom. Legati geſtare proclamaſſent, & ſanè quod aliquantum commoueamur, cum eadem cauſa ne dicam grauiore verſari nos ſentiamus. Quid enim aliud Solimannus literis ſignificare viſus eſt quam ſe pacem & bellum offerre, & quaſi ſalutis vel exitii noſtri poteſtatem permittere, hinc gladium hinc oliuam porrigere; ſed quamuis animi veſtri magnitudo vobis arma porrigat velut certiſſima Reipublicæ præſidia, & ad bellum hortari videatur, animaduertite tamen, quàm ſcopuloſo difficilíque in loco verſemini, ne dum conſtantiæ nomen aſſequi cogitamus in ſuperbiæ & temeritatis ſuſpicionem incidamus, nam magnitudinem animi imitatur in animis extollendis, ſeruiendum igitur fortè tempori foret, ac cedendum æquo animo neceſſitati, & ſimul partâ iam gloriâ tutò ex difficillimis tempeſtatibus auferenda. Te ipſum itaque moneo Liladame, quamquam conſilio vales plurimum, tamen etiam ſummi gubernatores in magnis tempeſtatibus à vectoribus admoneri ſolent; vt recentibus inſolenti & exultanti Solimanno cedamus, vóſque cæteri Equites, in memoriam per Deum immortalem reuocate Belgradi expugnationem, occurrant vobis luctuoſa nobiliſſimarum Hungariæ ciuitatum excidia, quid illa niſi infractas Solimanni vires, niſi inuictam armorum potentiam loquuntur? Belgradum tuebatur Imperator illuc collectæ totius orbis vires, illuc Gallorum robur. Hiſpanorum copiæ ad communis hoſtis impetus coërcendos & frangendos conuenerant ſed fruſtra, nam vt leuioribus pugnis aliquando fuerint ſuperiores, tamen cum iuſtis copiis decertatum eſt quoties ſuperior Turca Chriſtianorum exuuiis onuſtum reportauit exercitum, nec eorum exemplo ſapiemus? Quid ſi nec Galli ferocitate, ſi non Hiſpani armis, ſi denique viri ſapientiſſimi conſilio furentes & violentos eius impetus non modo non frangere, ſed ne retardare quidem potuerunt, Devs immortalis, quem iam oſtendis exitum nobis, quam ſpem victoriæ polliceris, cum extremas reliquias militum, non milites habeamus, & nobiliſſimus hoſti etiamnum exercitus ſuppeditet? Ergo impoſterum. Rhodus Galliæ, Italiæ, & Hiſpaniæ familiarum tumulus vocabitur, & hoc vnum de nobis prædicabit poſteritas, animi elatione nos rem Chriſtianam; nos Rhodiorum ſalutem in hæc pericula conieciſſe: Vnum reſtat Equites Nobiliſſimi vt de auxiliis ſententiam profligemus, quanquam quæ auxilii ſpes affulget? num à Gallis quos in Italiæ poſſeſſione inhærentes oppreſſos ſcitis, rebus magnam partem profligatis, ita vt acquieſcere & reſpirare liberè vix poſſint? Num Hiſpani diuturnis belli laboribus fatigati opem ferent Cogitate quibus rerum in anguſtiis verſemur, cum militum maxima in caſtris ſolitudo, cum exhauſtum ſit ærarium, expectate igitur bellorum exitum, in omnibus his difficultatibus ſi voletis felicem, nonne hæc clamant aliam eſſe viam ineundam, & quando viſum eſt futuris non iam viribus, ſed precibus rem conficiendum, non furentes & armatos debere nos hoſti occurrere, ſed ſupplices, ſed inermes non debere tam multorum ſalutem adeo facilè ne dicam

temerè

Digitized by Google

temerè in pericula prouehi, ſed difficillimis tempotibus prudenter in tuto collocari.

Lilad. Præclarè de toto concilio merebere Religioſiſſime Antiſtes ſi tuum in præſentia ſuper difficillimis negotiis iudicium afferre non grauabere, & quam Devs Optimus maximus iniecerit nobis aperire volet, hoc ego te Chriſtianæ Religionis & Reipublicæ nomine etiam atque etiam obteſtor.

Orator IV.

Eccleſiaſticus ſuadet Rhodum Turcis non eſſe dedendam.

FAciam ſanè perlibenter quando id rogas, neque enim tam iuſta cupienti nobiliſſimo Chriſtianorum concilio negare quicquam poſſum. Vnum illud quod omnibus in negotiis ſemper plurimum potuit Equites Nobiliſſimi, & ad ſententiam huius mei conſilij vobis comprobandam; impetuſque hoſtium coërcendos maximè pertinebat, omninò diuinitus datum atque oblatum nobis difficillimo Reipublicæ tempore videtur. Iam enim me adhuc diem adductum ſentio Sanctiſſimæ Trinitati conſecratum, quo die quoniam & Chriſtianæ fidei dilatandæ, & Turcici nominis extinguendi occaſio data eſt, nobis efficiendum eſt, vt Trinitatis memoria plus apud nos valuiſſe videatur ad vincendum, quàm cæterorum voces ad ſempiternam maculam ignauiæ ſubeundam. Equidem Religionis & patriæ fui ſemper amantiſſimus, & quidquid eius perniciem vel etiam incommodum afferret, putaui eſſe fugiendum. Sed nunc hoc quæro, quis putet vires hoſtium ita validas vt frangi non poſſint, nos ita debiles & infirmos, vt timere debeamus? pacem aiunt eſſe petendam, vt ſuperbiæ crimen effugiamus, quaſi aut ſuperbi nos ſimus, ſi barbarorum minis commoueamur, ſi importuni ac immanis tyranni frangere poſſimus corroboratam iam vetuſtate audaciam? Circumſtant nos ſummæ auctoritates Majorum qui ſuperbiæ eſſe non putarunt Chriſtianâ fortitudine vires hoſtium eludere, neque patiuntur, vt quibus ipſi gloriantur, eadem in nobis repræhendantur. Quamquam hoc à me negatum eſſe nolim, quod in hoc conſilio crebro iactatum eſt, amplas eſſe vires hoſtium & numeroſas copias hoc fateor, verum illud non concedo tantam eſſe Solimanni potentiam, vt Rhodiis equitibus ſit pertimeſcenda, quos aut nullus terror hoſtilis commouit, aut nulla vis à præliis fortiter gerendis reuocauit. Laudaui equidem ſemper illam conſtantiam Equitum Rhodiorum, qui nunquam maiori hoſtium multitudine commoti fuerunt, ſed iam liberè dicam Equites Nobiliſſimi vt ſentio, omnis illa laus & gloria vno facinore defloreſcit. Ita verè nobis erit ad vitam excitandus Godefridus ille Bullonius vt Solimanno iſti minaci atque arroganti par in belligerando eſſe poſſit, vt quondam fuit illius fortitudinis Hieroſolyma ſenis duntaxat hominum millibus expugnare, ſic pietatis ſit hanc longè facilius ciuitatem propugnare, vt minutis illis copiis numeroſum exercitum repellat, quam tantopere Equites Rhodij pertimeſcunt. Sed quoniam id non poteſt, videtur iam non ſine magno animi luctu mecum exitum deplorare rerum noſtrarum, cùm de deditione cogitamus: ſed tamen ita deplorare, vt multis adhuc qui vobis ſuperſunt militibus id bellum conficere poſſe vos dicam, quod ille minore numero potuiſſet. Quid & nos fortitudinem illam Chriſtianam altius impreſſam in animis maiorum noſtrorum barbaris nationibus ſæpe formidatam cum ignauia noſtra patiemur euaneſcere, in quo me pudet illorum hominum, qui hoc non modò contendunt, ne adiumento ſint huic ciuitati, ſed etiam cum luctuoſiſſimo rerum omnium exitu dedecus æternum Chriſtianę fidei atque ignominiam relinquant. Verum ab illis hoc vnum requiro, quâ tandem ratione ad deditionem adducantur, an quòd à Gallis aut Hiſpanis auxilium nullum ſit ſperandum, quo etepto Solimannus debellari non poſſit. Ergóne ita veſtri nominis & dignitatis obliti eſtis, vt niſi humanis vndique freti fueritis auxiliis, vos ſatis tutos fore non arbitremini? Recordamini memoriam præteriti temporis an non vidiſtis hanc Rempublicam in maioribus periculis verſatam, cui tamen ſubſidio venerit diuina bonitas, quos nullos

Digitized by Google

nullos vnquam præſidiis ſalutaribus priuauit niſi eos, qui à fide Chriſtianâ diſtracti cum ipſa bellum gerere conſueuerunt. Cernite Turcas, cernite, ſi ſunt qui nuper cum hunc ordinem funditus euertere conâtentur veſtris armis perierunt, hi ſunt qui ex integro vos aggrediuntur, diuino ante defecti non eſtis auxilio, etiam illud putatis defuturum? Itane Deus immortalis, quibus antea omnibus in periculis & calamitatibus ſubuenire ſolebas, eorum iam afflictam fortunam æquo animo aſpicere poteris? eáque tu arma de manibus eripies, quibus Equites Rhodij non vltrà nominis tui dignitatem proſequantur. Sed quæ eſt apud Deum querela, quaſi de eius clementiâ dubitemus, nos ille ſemper ſuo nomine auxilióque ſeruauit: oppugnant nos hoſtes fortiſſimi, non nego; ſed humanis viribus & diuinis defendemur; illi laborant in Mahometano nomine propagando, nos ſaltem vt extremùm hoc dicam, in verâ, in Chriſtianâ fide conſeruandâ. Ne dubitate, vti Dei cauſam ſuſcipimus, & ſanguinem illi noſtrum deuouemus, ita ſua ille præſidia protinus copioſeque ſubmittet. Agite, ite, certi de victoriâ, futurâ, de nominis veſtri Chriſtianique gloriâ & communi ſalute, quam Deus ſummè ſibi commendatam eſſe vltro ac repente teſtabitur.

Nuncius. Iam hoſtes, vt ſic audio, muros ſubeunt, iam omnia niſi ſubuenis, perdent.

Lilad. Auditis hæc magni Equites, auditis mei Ciues, nihil ego hîc addam niſi me ad nobiliſſimi Religioſiſſimi prudentiſſimique Præſulis ſententiam accedere. Si viri eſtis nobiſcum ſentite magni Equites, mecum ad muros mecum ad propugnacula conuolate, pectora veſtra Turcarum telis opponite: obiicite vos, vti mœnia Rhodi, & Lacedæmones Spartæ ſe ſuæ eſſe prædicarunt, ducum, militumque munera obite impigrè, ſpectant ſuperi veſtram fortitudinem, expectant mortales conſtantiam. Erit hoc Europæ nobiliſſimum ſpectaculum, in Deo, in dextris ſpem ponite, aderit Numen, vires ſuppeditabit, illi vos committite, Deo duce, Deo Imperatore ferrum in manus capite, Barbaros petamus Deo duce, Deo imperatore victores in ſacra templa, feſtos hymnos recituri breui conueniemus.

Epilogus.

Fortia Chriſtiadum ſpectâſtis pectora nulla
Sors terret, nullus debilitatque metus.
Nempe necẽ malunt, Turcæ quã fœdera, credunt
Qui ſine ſidereo viuit amorem, mori.
Hæc credo placuit, Proceres, ſpectare Iuuentus
Veſtra hæc moliuta eſt munera, mentis opus.
Scena dedit, nec ſcena dedit, conata dediſſe eſt,
Illa ſibi in tantis velle ſat eſſe putat.

PVNCTVM VII.

Artificium Commendationis.

PArtim eſt Demonſtratiui generis; quippe laudamus eum, quem commendamus à fide, probitate, humanitate, eruditione, cæteriſque corporis & animi dotibus: partim Deliberatiui, cùm rem ipſam, vel honeſtam, vel vtilem, & facilem oſtendimus; abſolutè tamen Deliberationis eſt, ſiquidem laudes, quæ commemorantur, ad ſuadendum, referuntur.

Exordium.

Valde liberum eſt. Nonnunquam excuſationem modeſtam habet, ne importunus beneficiorum exactor dicatur, quæ ſe non Contuliſſe ſed accepiſſe palàm, & apertè profitetur? Cic. perfectæ Commendationis exemplum nobis reliquit libro famil. lib. 2. epiſtola 6. *Ego ſi mea in te eſſent officia ſolum tanta, quanta magis à teipſo prædicari, quàm à me ponderari ſolent: verecundiùs à te, ſi qua magna res mihi petenda eſſet contenderem. Graue eſt enim homini pudenti, petere aliquid magnum ab eo, de quo ſe bene meritum putet: ne id, quod petat, exigere magis, quàm rogare, & in mercede potiùs, quàm beneficij loco numerare videatur. Sed quia tua in me vel nota omnibus, vel ipſa nouitate meorum temporum clariſſima, & maxima beneficia extiterunt: Eſtque animi ingenui cui multum debeas, eidem plurimum velle debere: non dubitaui id à te petere, quod mihi omnium eſſet maximum, maximeque neceſſarium.*

Confirmatio.

Omnia ferè ducuntur ab Adiunctis perſonarum, rei, vel temporis: eapropter trium eſt habenda ratio, vel eius qui commendat, dùm cauſas exponit commendationis, nimirum quòd cum illo, vel eius parentibus, ac propinquis, vel ſanguine, aut amicitia, vel etiam ſtudiorum ſocietate ſit coniunctus. Cic. lib.6.famil. ep.ſt.9. *Cum A.Cæcinna tanta mihi familiaritas, conſuetudoque ſemper fuit, vt nulla maior eſſe poſſit. Nam & patre eius, claro homine, & forti viro plurimùm vſi ſumus: & hunc à puero, quod & ſpem mihi magnam afferebat ſummæ probitatis, ſummæque eloquentiæ, & viuebat mecum coniunctiſſimè, non ſolùm officiis amicitiæ, ſed etiam ſtudiis communibus, ſic ſemper dilexi, vt non vllo cum homine coniunctius viuerem.*

Ab ipſius perſona, qui commendatur, dùm virtutibus illuſtrem, ac de Repub. bene-meritum prædicamus. Pluribus communem hunc amicum tibi commendarem, ſi vllius apud te authoritas maior, quàm illius eſſe deberet, vel propter illius virtutem, vel propter familiæ dignitatem, vel meam in te beneuolentiam, quam omnibus notam eſſe lætor.

Cùm mihi multa grata ſunt, quæ tu adductus mea commendatione feciſti, tùm imprimis, quod amici mei filium liberaliter excepiſti: Quem virum inter ſuos nobilem, & honeſtum, tùm propter ſingularem in omnes beneuolentiam tuo beneficio digniſſimum: quem ſummo ingenio, prudentiâ, & integritate ciuem, qui nullum læſerit, omnes defenderit, patriamque vitâ ſua ſemper clariorem habuerit.

Ex omnibus ſtudiis in me, & officiis quæ ſumma ſunt hoc ſcito mihi & ampliſſimum videri, & gratiſſimum eſſe, quòd perfeceris, vt optimæ ſpei adoleſcens, tui obſeruantiſſimus, intelligeret, quantum ego te, quantum tu me amares.

Elegans eſt illa commendatio quæ Prolepſim continet. Licet inuitus abutar humanitate tua ſingulari ad amicorum commendationem: hunc tamen iuſtiſſimis de cauſis, vel dignitatis, quam ampliſſimam eſt conſequutus; vel illius in me beneficij magnitudinem, vel virtutis, quâ ſibi multos deuinxit; peto vehementer, vt omnibus illum officiis, ac liberalitate complectaris. Dabis hoc amori noſtro, &c.

A perſona cui commendamus alium, dùm eius in alios benignitatem, & humanitatem, cum quodam animi ſenſu commemoramus.

Magnus ad tua priſtina erga me ſtudia cumulus accedet, ſi ad ea quæ tua ſponte, ſiue cuiuſquam commendatione faceres, in hominem talem ac tantum aliquid adferant litteræ meæ, quas ſcio te non dedignari.

Iam apud ipſum gratiſſimum hominem, atque optimum virum, quàm benè poſiturus ſis ſtudium, & officiũ tuum, dubitare te non exiſtimo.

Pergratum mihi feceris, ſi eum ita tractaris, vt intelligat, hanc commendationem ſibi magno vſui atque adiumento fuiſſe.

A re commendatio valet, dùm facilem illi præſertim oſtendimus, dùm piam, honeſtam, vtilem. Tull. Curioni lib.2. ep.6. Huic te vnum tanto adiumento eſſe, ſi volueris, poſſe intelligo, vt nihil ſit præterea requirendum. Habemus hæc omnia: bonorum ſtudium conciliatum ex tribunatu, propter noſtram (vt ſpero te intelligere) cauſam: vulgi ac multitudinis, propter magnificentiam munerum, liberalitatemque naturæ: iuuentutis, & gratioſorum in ſuffragiis, propter ipſius excellentem in eo genere vel gratiam, vel diligentiam: noſtram ſuffragationem, ſi minùs potentem, approbatam tamen, & iuſtam, & debitam, & propterea fortaſſe etiam gratioſam. Dux nobis & author opus eſt, & eorum ventorum, quos propoſui moderator quidam, & quaſi gubernator: qui ſi ex omnibus vnus optandus eſſet: quem tecum conferre poſſemus, non haberemus.

Hoc velim tibi perſuadeas, ſi rationibus meis à te prouiſum eſſe intellexero, magnam te ex eo, & perpetuam voluptatem eſſe capturum.

Epilogus.

Obſecrationes continet ac beneficij memorem animum. Cæterùm illud tibi expertus promitto, ac ſpondeo te ſocios N. ſi his commodaris, memores eſſe, & gratos cogniturum.

Et ipſe ſpondeo, & omnes hoc ſibi tui pro me recipient, ex mea amicitia, & ex tuo in me officio,

Digitized by Google

cio, maximum in te fructum ſummamque voluptatem eſſe capturum. Sic Tull. laudatam ſæpius epiſtolam ſextam, lib. I. concludit. *Quamobrem ſi me memorem, ſi gratum, ſi bonum virum; vel ex hoc ipſo: quòd tam vehementer de Milone laborem, exiſtimare potes: ſi dignum denique tuis beneficiis iudicas: hoc à te peto, vt ſubuenias huic meæ ſollicitudini vt huic meæ laudi, vel, vt verius dicam, propè ſaluti tuum dices. De ipſo T. Annio tibi polliceor, te maioris animi, grauitatis, conſtantiæ beneuolentiæ erga te, ſi complecti hominem volueris, habiturum eſſe neminem.*

Eſt etiam obliquæ commendationis genus aliquod, dum ſimulamus nos eum commendare nolle, qui ſic ſatis commendatus: vel ornamus vt propius hominem noſſe velint, ex cuius notitia ſint aliquam vtilitatem ac delectationem conſequuturi. Magnus in parnis Cicero. Scriberem ad te, qualis vir eſſet, niſi cum iam per ſeipſum, tibi ſatis eſſe notum arbitrarer, ac commendatum, hunc prudentem, & officioſum cognoſces, & dignum qui à te diligatur.

Etſi non dubito quin apud te mea commendatio prima ſatis valeat, tamen obſequor homini familiariſſimo tuique amantiſſimo; cuius virtus, & negotium ab æquitate tua, impetrare debet, vt ei ſubuenias.

Valentiniani Imp. ad milites commendatio pro Gratiano filio ſuo in imperium inuehendo.

Valentinianus apud Am. Marcellinum, recreatus è graui morbo, in concionem, quam indixerat proceſſit, in qua filium exercitui cõmendat, rogatque, vt quam ſibi beneuolentiam, præſtiterunt, eadem Gratianum ſuum proſequantur, & imperium illi deferant, quem gratum & memorem, integrum & prudentem in adminiſtratione futurum pollicetur.

Auctum erga me veſtri fauoris indicium, hunc loci principalis circumferens habitum, quo potior aliis iudicatus ſum multis, & claris, conſiliorum ſociis votorumque auſpicibus vobis, pietatis officiis adgrediar tempeſtiuis, proſpera Deo ſpondente: cuius ſempiternis auxiliis ſtabit Romana res inconcuſſa. Accipite igitur quæſo placidis mentibus viri fortiſſimi deſiderium noſtrum, id reputantes, quòd hæc quæ fieri caritatis ſanciunt iura, non tantũ tranſire volumus per conſcientiam veſtram, verum & probata firmari, vt congrua nobis, & profutura.

Gratianum hunc meum adultum, quem diu verſatum inter liberos veſtros commune diligitis pignus, vndique muniendæ tranquillitatis publicæ cauſa, in auguſtum ſumere commilitium paro, ſi propitia cœleſtis numinis, veſtræque maieſtatis voluntas parentis amorem iuuerit præeuntem non rigido cultu ab incunabulis ipſis, vt nos educatum, nec tolerantia rerum coalitum aſperarum, nec capacem adhuc Martii pulueris vt videtis: ſed familiæ ſuæ laudibus maiorumq; factis præſtantibus concinentem, paucioribus inuidiæ metu, vt dicitur, protinus ſurrepturum.

Vt enim mihi videri ſolet, mores eius, & appetitus licet nondum maturos ſæpè penſanti ineunte adoleſcentia, quoniam humanitate, & ſtudiis diſciplinarum ſolertium expolitus librabit ſuffragiis puris merita rectè ſecúſne factorum, faciet vt ſciant ſe boni intellici, in pulchra facinora procurſabit ſignis militaribus, & aquilis adhæſurus, ſolem niueſque & pruinas & ſitim perferet, & vigilias, caſtris ſi neceſſitas adegerit, aliquotiens propugnabit, ſalutem pro periculorum ſociis obiectabit, &, quod pietatis ſummum primumque minus eſt, Rempub. vt domum paternam diligere poterit, & auitam,

---

PVNCTVM VIII.

Incitationis Artificium.

MAlitiæ plurimum, eloquentiæ parum, artis nihil requirit hoc genus orationis: præſertim ſi negotium nobis ſit cum imperita multitudine, quæ ſui adeò impotens eſt, vt ſtatim flammam concipiat, dum ſibi vel ſuis atrocem iniuriam fieri intelligit. Quod concitationis artificium, qui nullam laudem meretur, & dediſcendum eſſet, niſi ſeditionum faces in multorum ruinam accenſas noſſe conueniret, non ad vtendum, ſed ad cauendum.

Digitized by Google

Ad hoc igitur illuſtrandum facinus,& declinandum,facit, quod habet totus ex eloquentia fictus Cic. pro Sext. Vbi tres diſcordiarum fontes aperit;conſcientiam ſcelerum, animi furorem,& vulnus tertium egeſtatẽ. n. 99. *Etenim in tanto ciuium numero magna multitudo eſt eorum,qui aut propter metum pœnæ peccatorum ſuorum conſcii nouos motus, conuerſioneſq; Reip. quærant aut qui propter inſitum quendam animi furorem, diſcordiis ciuium,ac ſeditione paſcantur: aut qui propter implicationem rei familiaris, communi incendio malint, quàm ſuo deflagrare. Qui cùm authores ſint, & duces ſuorum ſtudiorum, vitiorumq; nacti, in Repub. fluctus excitantur.* Et multa,quæ ſeditionum cauſas doceant.

Vt perfectè ſuis coloribus adumbrat motus ac ſeditionis architectos? qui ſcelerum exagitati conſcientia,dùm pœnam, & ſupplicium criminibus ſuis debitum immanere videt, ſeditionum fluctus in Rep. linguæ flabellis excitant,vt vel in communi rerum perturbatione deliteſcant impunè,vel iudiciorum laqueos malitioſè declinẽt.

Alia naturâ feroces ac furioſi Phaëontis inſtar orbem incendunt, nunquam ſecuri, nunquam quieti, aut contenti, niſi ciuium ſuorum ſanguine ſaginentur, & rapinis diſcordiiſque paſcantur inuidi.

Alij quos Catilinæ furentis ſocios eum Cic. 2. Catil. n. 18. dicas, qui ære alieno preſſi, ad ſuæ calamitatis ſolatium quærunt, ſecum in ruinam trahere quamplurimos.

Adde deſperatos, fœdifragos, dominationis appetentes & bonorum ambitioſè cupidos,quos quia Rep. quieta deſperant,perturbata conſequi ſe poſſe confidunt;adde linguâ promptos & manu, quorum indolem noſſe debet,qui buſtuatiis iſtis,ad conuerſiones,ac motus vti voluerit;quos præſtaret,vel nunquam eſſe,vel ſtatim è Regnis, imò terræ finibus exterminare.

Regnant hîc duo potiſſimùm affectus, vehementioris odij, & inflammatæ iracundiæ, nonnunquam miſerationis.

Supereſt tantùm Concitationis exemplum proponere iam à multis deſcriptum, ex Tacito ſatis illuſtre Ann. 1. Ibi Percennium turbidum, ad ciuiles diſcordias inſtructũ, & pleriſque gratum vecordi facundiâ, dicit in Pannonia graues motus excitaſſe; ad quos perditiſſimi quique conuolabant, & hi quibus in ſeditionibus quies, in pace turbæ erant.

Erat in caſtris Percennius quidam, dux olim theatralium operum, dein gregarius miles, procax lingua, & miſcere cœtus hiſtrionali ſtudio doctus.

Vides opportunam facem ac flammam ſeditionis? mirare iam quàm bellè tempus arripiat,& quâ verborum ambage rem aggrediatur.

Is imperitos animos, & quænam poſt Auguſtum militiæ conditio, ambigentes, impellere paulatim nocturnis colloquiis, aut flexo in veſperam die, & dilapſis melioribus, deterrimum quemque congregare: poſtremò promptis iam & aliis ſeditionis miniſtris, velut concionabundus, interrogat.

Iam lubricum linguæ inſtrumentum acuit, & robuſtæ nequitiæ ſpecimen aggreditur, quibus ſatis incitatos vrgeat acrius.

Cur paucis Centurionibus, paucioribus Tribunis in modum ſeruorum obedirent? quando auſuros expoſcere remedia, niſi nouum, & nutantem adhuc Principem, precibus, vel armis, adirent? ſatis per tot annos ignauia peccatum, quòd tricena, & quadragena ſtipendia ſenes, & plerique truncato ex vulneribus corpore, tolerent: Ne dimiſſis quidem finem eſſe militiæ,ſed apud vexillum retentos alio vocabulo, eoſdem labores perferre;ac ſi quis tot caſus vita ſuperauerit, trahi adhuc diuerſas in terras,vbi per nomen agrorum, vligines paludum, vel inculta montium accipiant. Enim verò malitiam ipſam grauem, infructuoſam: denis in diem aſſibus animam, & corpus æſtimari: hinc veſtem,arma, tentoria, hinc ſæuitiam Centuriorum, & vacationes munerum redimi. At Hercule verbera, & vulnera, duram hyemem, exercitas æſtates, bellũ atrox,aut ſterilem pacem ſempiterna, &c.

En faces quibus ſulphuratas mentes inflammet ardentius, quod antea cuniculis agebat, iam apertè proſequitur, dùm gregarium militem alleuat,vt videri poſſit ab omnibus & miſericordiam, furoremque mouet, vt malis adiuncti mali grauiorem tempeſtatem excitent, ſic pergit Tacitus.

Adcurritur ab vniuerſis, & carcere effracto, ſoluunt vincula,deſertoréſque,ac rerum capitalium

Digitized by Google

liū damnatos ſibi iam miſcent.Flagrantior inde vis,plures ſeditioni duces.Et Vibulenus quidam gregarius miles,ăte tribunal Blæſi adleuatus circumſtantium humeris apud turbatos & quid pararet intentos,

Expende concitationis,vim & artem malitioſam, dum triſti ſpectaculo ferit oculos intuentium,ac mētes ad commiſerationem parat, & ſeditionem.

Vos quidem his innocentibus,& miſerrimis lucem,& ſpiritum reddiſtis.Sed quis fratri meo vitam,quis fratrem mihi reddit?quem miſſum ad vos à Germanico exercitu de communibus commodis,nocte proxima iugulauit per gladiatores ſuos,quos in exitium militum habet, atque armat?Reſponde Blæſe,vbi cadauer abieceris? ne hoſtes quidem ſepulturā inuident,cum oſculis, cum lacrymis dolorem meum impleuero, me quoque trucidari iube, cum interfectos nullum ob ſcelus,ſed quia vtilitati legionum conſulebamus,ij ſepeliant,&c.

PVNCTVM IX.

Artificium Conciliationis.

NOn eſt operoſum, nec ad dicendum benè inſtructi oratoris,animos multitudinis,obiectā quadam iniuriæ grauioris ſpecie,iam incitatos,inflammare vehementius in odium,ac ſeditionem, cùm ſine cuiuſquam orationis induſtria,propenſione ſua ferantur ad vlciſcendas iniurias,quas ſibi queruntur illatas : Verùm ſemel incenſas mentes, & furiis armatas compeſcere, maximi laboris eſt.

Fateor hic inermem eloquentiam parum poſſe,licet diſertam; niſi alium comitatum habeat, quàm verborum,quæ leuiter feriunt aures, animum ſæpius exaſperant,& incendium excitant, non extinguunt.

Certiſſimum eſt ſapientis Euripidis effatum in Hecuba,non perinde omnium hominum valere ſermonem,ſed conceptam de alicuius præſtantiā,& virtutibus opinionē, momenti plurimum ad perſuadendum ſolere adiungere.

Primum igitur præſidium,quod quærere debet is,qui concitatam multitudinem ſedare conatur, eſt maieſtas quædam,corporis oculorum, & vultus, quam Homerus τηλαυγὲς πρόσωπον lōgè lateque radiantem frontem appellat. Talem fuiſſe tradunt Heroa fortiſſimum, cuius frontis dignitas radios emittebat,delinimenta quædam ſcilicet,atque illecebras,quibus omnium beneuolentiam demerebatur:quiſquis ergo ſplendorem hunc,& lucem eximiæ humanitatis,hos animi placidi radios emiſerit,amoris erga ſe flammam excitabit,quā ſeditionis incendium reſtinguat.

Secundum,quiſquis altæ mentis pignus,& liberalis animi decoram effigiem,quæ multitudinis indoctæ conditionem exuperat, in concionem attulerit,vicerit.Eo Druſus ingenio fuit,ac ſpiritu,ea totius formæ dignitate, vt à Tiberio miſſus,ad ſedandam militum ſeditionem, etiam tacens,& eloquentiæ armis deſtitutus,mulcere furentes potuerit,& officii commonefacere truculentam cōcionem. De quo ſic Tacitus memorat Ann.1.Druſus orta die,& vocata concione, quamquam rudis dicendi,nobilitate ingenita,incuſat priora, probat præſentia. Negat ſe terrore & minis vinci : flexos ad modeſtiam ſi videat, ſi ſupplices audiat, ſcripturum patri, vt placatus legionum preces exciperet.

Eſt & aliud quoddam quod animus ſedeat, amotis, & beneuolentiæ ſignificatio,quæ ſuauibus verbis,hilariore & vultu ſeſe prodit : quam rectè lux doctrinarum Tullius blandam conciliatricem nominat ; Cæſaris milites ſacramentum ſoluerant, Quirites vocauit, & verbo tumultuantes copias repreſſit.

Vitæ ſanctitas, & prudentia, glorioſique nominis fama plurimùm confert ad tumultus concionum frangendos : eius fuit commendationis Auguſtus, vt legiones Actiacas abſens compoſuerit.

Præcipuè verò tempus obſeruandum eſt:namque furenti adhuc turbæ, ac fumanti concioni temerè ſe credere nequaquam tutum eſt, quamuis innocentiæ præſidiis, & authoritatis inſtructum : Siquidem primus ille multitudinis effeatæ impetus ratione regi nequit, qui ſemel atque deferbuerit idoneum orandi tempus, ac prenſandi permittit.

Digitized by Google

Vt in aliis, ſic & in hoc genere multum refert noſſe mali originem, cauſas tumultus, ſeditioſorum voluntates, ac ſenſus; vt vbi plenius cognouerit Orator, quid illi metuant, quid cupiant, quid querantur, exulceratis animis medeatur.

Poſtremò, quia ex affectibus hic regnant potiſſimùm ſpes & metus, modò ſunt amicè deliniendi feroces animi, nunc ſeuerius caſtigádi, prout res & tempus poſtulabunt. Hanc induſtriam prudenter adhibuerunt Druſus atque Germanicus, & obortam ſeditionem ſopierunt: ille ſeuerioribus verborum aculeis: hic blandis ſermonibus: ille, cui promptum erat ad aſperiora ingenium, vt ſeueritatis exemplum ſtatuere, atque cæteris documentum iuſtitiæ, relinqueret per Centurionem Clementem, quâ ſpe, qua metu, ſublatis ſeditionis authoribus, vocatos Vibulenum, & Percennium interfici iubet, & totam coniurationis molem euertit.

Germanicus verò Cæſar vir eloquens, ac manſuetus, tantum leni maieſtate orationis profecit apud inconditam multitudinem, vt pudore furorem poſuerint & arma, & tantum non in ſe, pœnitentia coniurationis ducti, ferrum ſtrinxerint. Magnifica tanti Ducis oratio legitur apud Tacit. ann. 1. digna certè quam mireris, vt Conciliationis illuſtre ſpecimen.

Non mihi vxor, aut filius patre & Repub. chariores ſunt: ſed illum quidem ſua maieſtas, imperium Rom. cæteri exercitus defendent; coniugē & liberos meos, quos pro gloria veſtra libens ad exitium offerrem, nunc procul à furentibus ſummoueo; vt quicquid iſthuc ſceleris imminet, meo tantum ſanguine pietur: neue occiſus Auguſti pronepos, interfecta Tiberij nurus nocentiores vos faciat. Quid enim per hos dies inauſum, intemeratúmue vobis? Quod nomen huic cœtui dabo? militeſne appellem? qui filium imperatoris veſtri vallo & armis circumſediſtis? an ciues, quibus tam proiecta Senatus auctoritas? hoſtium quoque ius, & ſacra legationis, & fas gentium rupiſtis. Diuus Iulius ſeditionem exercitus vno verbo compeſcuit. Quirites vocando, qui ſacramentū eius detrectabant, &c.

Tiberij deinde triumphos atque victorias recenſet, ac ſeuerius ac liberius illos increpet, à genere criminis atque circumſtantiis.

Primáne, & viceſima legiones? illa ſignis à Tiberio acceptis, tu tot præliorum ſocia, tot præmiis aucta? Egregiam Duci veſtro gratiam refertis?

Comminationem addit ad metum & pudorem.

Hunc ego nuntium patri, læta omnia aliis è prouinciis audienti, feram? ipſius tyrones, ipſius veteranos, non miſſione, non pecunia, ſatiatos? hic tantum interfici Centuriones, eiici Tribunos, includi Legatos; infecta ſanguine caſtra, flumina? neque precariam animam inter infenſos trahere? Cur enim primo concionis die ferrum illud, quod pectori meo infigere parabam, detraxiſtis? Improuidi amici. Melius & amantius ille, qui gladium offerebat. Cecidiſſem certè nondum tot flagitiorum exercitui meo conſcius. Legiſſetis Ducem, qui meam quidem mortem impunitam ſineret; Vari tamen & trium legionem vlciſceretur. Neque enim Dij ſinant, vt Belgarum decus iſtud, & claritudo ſit, ſubueniſſe Romano nomini, compreſſiſſe Germaniæ populos.

Deinde venerationem Auguſti proponit, ac mentes militum percellit grauiore motu ſpei & amoris.

Tua D. Auguſte cœlo recepta mens, tua, pater Druſe, imago, tui memoria iiſdem iſtis cum militibus, quos iam pudor, & gloria intrat, eluant hanc maculam, iraſq; ciuiles in exitium hoſtibus vertant. Vos quoque, quorum alia nunc ora, alia pectora contueor, ſi legatos Senatui, obſequium imperatori, ſi mihi coniugem, ac filium redditis, diſcedite à contactu, ac diuidite turbidos. Id ſtabile ad pœnitentiam, id fidei vinculum erit.

Facunda quidem oratio, nec minor authoritas, quæ tamen nec planè tumultus compeſcuit; Tandē partim pudor & miſeratio, partim inuidia militum in Treuiros, ad quos vxor, paruulum ſinu filium geſtans, fugerat, ferocientes animos vicit.

Incedebant muliebre, & miſerabile agmē, profuga ducis vxor, paruulum ſinu filium gerens, lamentantes circum amicorum cōiugēs, quæ ſimul trahebātur: nec minus triſtes qui manebant. Non florentis Cæſaris, neque ſuis in caſtris, ſed vel in vrbe victa facies, gemituſque ac planctus etiam militum aures, oraque aduertere. Progrediuntur contubernis, quis ille flebilis ſonus? quod tam triſte? Fœminas illuſtres non Centurionem ad tutelam, non militem nihil imperatoriæ vxoris.

tu' comitatus ſoliti pergere ad Treuiros; & externæ fidei.

En quid poſſunt mitiora remedia, lenta licet, in barbaros ac feroces? Orant, obſiſtunt, rediret, maneret: pars Agrippinæ occurſantes, plurimi ad Germanicum regreſſi, &c.

De priuata Conciliatione, quâ nobis amorem alicuius conciliamus, nihil habeo quod dicam; tametſi nil frequentius in conſultationibus, in hominum congreſſionibus, in epiſtolis agamus, quam vt eorum nobis gratiam concilemus, quorum authoritate dignitas & fortunæ noſtræ rationes nituntur. Satis eſt ſcire proprium eſſe virtutis, conciliare ſibi hominum animos atque voluntates; nec aliunde maiorem vel illuſtriorē vitæ dignitatiſque conciliationem peti; quàm cum à pietate, & veneratione in parentes, ac magiſtratus, tùm etiam à beneuolentia in ciues; & obſequio in omnes. Illam ſi colueris, beneuolentiam, ac fauorem conſequêris.

LECTIO NONA.

Artificium Conſolationis.

NIHIL frequentius huius argumenti, triſtis licet & acerbi, vſu, quia nihil mortis caſibus, doloris ac triſtitiæ in hac fugaci vita communius: Illius neceſſitatem arguit, tùm naturæ ſingularis, & vbique nota imbecillitas; tum ratio communium temporum, & calamitatum, quibus hominum genus duriſſimè vexatur. Quis enim mortalium, quis Principum, & Regum tā ad felix, tam acerbitatē fortunæ comparatus, quin ab eo ſemel vaga volubiliſque rerum humanarum ratio, fletum, aut gemitus, & animi moleſtiam extuderit? Si charus omnibus in communionem ærumnarum venire volueris, vix domo pedem efferes, quin occurrant afflicti & hoc, aut illo caſu mœrentes, qui conſolatione indigeant. Hic orbitate, ille rei familiaris damno percellitur; alterius fama, decuſque nominis hominum malitioſa fraude violatum eſt; aliis propinquorum exilium, atque dedecus moleſtias peperit, hic dolore corporis, alter animi cruciatibus vrgetur.

Quidam Antiphon è Græcia dicendi laude clariſſimus omne ſtudium ſuum, ad mœrentium hominum dolores mitigandos, leuandoſque cōuertit, habuitque in oppidis Græciæ diſputationes eruditas, velut amuleta quædam luctus, quibus hominum animos caſu, & iniquitate fortunæ proſtratos excitabat, & Oratione ſolabatur. Hoc diuinum inuentum æmulandum eſt Oratorii, quod eloquentiæ proprium magni ſemper fecerunt ſapientes.

Exordium.

Iam pro mali, & incommodorum varietate perſonarumque varium eſſe debet Exordium. Nam aliter cum ſummæ prudentiæ viris agendum eſt; aliter cum infirmioribus, quàm vt recēti dolore, ſolatium admittant. Si quis videri voluerit fortior, quàm vt conſolatione egeat, Exordium ducetur ab eius eximiæ fortitudinis, ac ſapientiæ commendatione, quæ de gradu ſuo deiici non poſſit rebus aduerſis. Quoniam eæ virtutes ſunt, quæ luctari ſolent cum inimica fortuna.

Lætor ego te ſalutaribus veræ ſapientiæ præceptis hoc pridem eſſe conſequutum, vt ſcires eandem animi æquabilitatem in proſperis, & aduerſis ſeruandam, nihilque præter culpam in hac vita reformidandum eſſe; *Chriſtiani ſanguinis eſt totum ſe Deo permittere.*

Hoc ipſum vſurpauit vir ſanè magno ingenio, & altâ mente præditus Seneca conſolatione ad Marciam Niſi te ſcirem tam longè ab infirmitate muliebris animi, quàm à cæteris vitiis receſſiſſe, & mores tuos velut antiquum aliquod exemplar adſpici: non auderem obuiam ire dolori tuo, cui viri quoque libenter hærent, & incubant. Nec ſpē concepiſſem, tam iniquo tempore, tam inimico iudice, tam inuidioſo crimine poſſe me efficere: vt fortunam tuam abſolueres. Fiduciam mihi dedit exploratum iam robur animi, & magno experimento approbata virtus tua.

Alias nullo verborum circuitu, nullis ſermonis illecebris definitum fortem aggreditur. Scio quē alloquar, alij molliter agant, & blandiantur, ego confligere cum tuo mœrore conſtitui, & defeſſos exhauſſoſq; lacrymis oculos, ſi verum audire vis, magis iam ex conſuetudine, quàm ex deſiderio fluētes cōtinere. *Noctu lucēt ſtellæ, de die latent, vera virtus in proſperis nō apparet, in aduerſis triūphat.*

Ali

Digitized by Google

Aliàs animi magnitudinem illi gratulamur. Audiui quem dolorem ex filij morte contraxeris, & quam feliciter multi; leuationem luctus adhibuerint; mihi verò non tam conſolandus, quam laudandus videris, quod maximum Reip. præſidium genueris, quod magnum atque domeſticum virtutis exemplum reliqueris, dùm conſtantia te digna poſteros docuiſti, nunquam Dei prouidentiæ reclamandum, filium cœlo redditum, quem propter præclaras, ac præſtabiles animi virtutes laudare glorioſum, lugere non pium.

A modeſta ſui opinione, & alterius virtute. Etſi non is ego ſum, qui mœſtitiæ cruciantis aculeum euellere poſſim ex animo ſapientis, quem ſcio ad omnem caſum, fortunamque munitum. proſtratos excitare, ac oratione ſolari conſueuiſſe; ne tamen officio meo deeſſem, malui minùs prudens, quàm parum pius haberi; vt vel ex hoc intelligas me, ſi minùs luctum leuare potuerim, voluiſſe: quòd certè facerem, ſi vel acerbitas tua minor, vel magis appoſita dicentis, ac conſolantis eſſet, oratio.

A Commiſeratione.

Quòd ſi fuerit infirmus animus, & dolor ita recens, vt nullam admittat medicinã, nos caſu tam triſti affectos profitebimur, dolorìſque noſtri cauſas reddemus; ſcilicet mali grauitatem, quæ de ſtatu mentis, ac conſtantiæ quemuis ſapientem deiicere poſſit; deinde obſequendum erit dolori, lacrymis indulgendum, dandum aliquid amori, & afflictæ menti; admiſcendæ laudes, ac patientiæ commendatio admirationi mixta, cæteraque medicamenta dolorem ſedantia.

Hic pro exordio cauſas adferre poſſumus quæ nos ad hoc conſolationis officium impulerint, quales eſſe ſolẽt affinitas, & cognatio, familiaris vſus, & amicitia, doloris ſenſus, & miſericordia, debitum officium, hortatus proximorum, &c.

A communi mortalium conditione. Quam de tua virtute tot experimentis cognita, opinionem haberem, ſi ad leuandum animi tui mœrorem te vellem recordari nos homines eà lege natos, vt omnibus telis fortunæ ſæuientis propoſita ſit vita noſtra, neque recuſandum, vt qua nati ſumus conditione viuamus. *Nondum ſe noſſe cœpit, qui nec dum cœpit eſſe miſer.*

Hoc ipſum facit Romanus Stoïcus. Quis tam ſuperbæ, impotentiſque arrogantiæ eſt, vt in hac neceſſitate naturæ, ad eundem finem cuncta reuocantis, ſe vnum ac ſuos ſeponi velit; ruinæque etiam ipſi mundo imminenti; aliquam domum ſubtrahat.

Quid enim immortale mortales manus fecerunt.

Cæterum cùm non ſentire mala ſua, non ſit hominis; & non ferre, non ſit viri, ſenſum doloris permittit Orator in Exordio, neque vir fortis adeò ſaxeus eſt vt nullo doloris ſenſu tangi debeat, quem virtus moderatur: ſiquidem eſt aliqua voluptas in fletu ac dolore. Seneca philoſophus ad Polybiam cap. 37. Nunquam ego à te, ne ex toto mœreas, exigam. Et ſcio inueniri quoſdam duræ magis quam fortis prudentiæ viros, qui negent doliturum eſſe ſapientem. Hi verò videntur nunquam in huiuſmodi caſu incidiſſe: alioquin excuſſiſſet illis fortuna ſuperbam ſapientiam, & ad confeſſionem eos veri etiam inuitos compuliſſet. Satis præſtiterit ratio, ſi id vnum ex dolore, quod & ſupereſt, & abundat, exciderit.

Senſus ergo doloris in morte charorum permittendus, aliter non fortitudo, ſed ſtupor quidam habetur, ex eiuſdem philoſophi mente, qui cum epiſt. 99. multis docuiſſet non eſſe tam grauiter ferendum ſuorum obitum ſubdit. Quid? nunc ego duritiam ſuadeo, & in funere ipſo erigere vultum volo, & animum ne contrahi quidem patior? minimè inhumanitas eſt iſta, non virtus, funera ſuorum iiſdem oculis, quibus ipſos videre, nec commoueri ad primam familiarum diuiſionem Puta autem me vetare: quædam non ſunt ſui iuris. Excidunt etiam retinentibus lacrymæ, & animum profuſæ leuant. Quid ergo eſt? permittamus illis cadere, non imperemus. Fluant quantum affectus eiecerit, non quantum poſcet imitatio.

Vt verùm ſit, priuſquam conſolatio adhibeatur, dandũ eſſe aliquid dolori, ne crudo vulneri medicinam adhibeamus. Nam & ſæpè quas didicit ſapiens, aſpernatur virtutes, vt ſe totum doloribus permittat. Sic de Fundano Plinius iunior libro

Digitized by Google

libro 5. epiſt. 16. cùm monet Marcellinum amicum, vt ſi quas ob defunctæ filiæ conſolationes ſcribat, mitiget animum eius, non caſtiget, cùm ille eruditus & ſapiens, vt qui ſe ab ineunte ætate impatienter nouum vulnus ferat. Eſt quidem ille eruditus & ſapiens, vt qui ſe ab ineunte ætate altioribus ſtudiis artibuſque dederit, expulſiſque virtutibus aliis, pietatis totus eſt. Ignoſces, laudabis etiam, ſi cogitaueris, quid amiſerit. Amiſit enim filiam, quæ non minus mores eius quam os vultumque referebat, totumque patrem mira ſimilitudine exſcripſerat. Proinde ſi quas ad eum de dolore tam iuſto literas mittes, memento adhibere ſolatium. Vt enim crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque vltrò requirit: ſic recens animi dolor conſolationes reiicit ac refugit, mox deſiderat, & clementer admotis acquieſcit.

Altera pars Orationis pro Confirmatione, illa continet, quæ leniendo dolori ſunt idonea.

I. *Diuina Prouidentia.*

Cui reluctari nefas eſt ac propè ſacrilegum, quæ nos ea conditione naſci voluit, vt huius mundi calamitatibus exerceremur. Nec tam illi placemus rebus præclarè gerendis, quàm aduerſis alacriter perferendis. Ne miremur bonos, vt confirmentur, concuti; non eſt ſolida, nec fortis arbor, niſi quam frequens ventus, & immoderata tempeſtas impellit, ipſa vexatione conſtringitur, & radices altius figit: fragiles ſunt quæ in aprica valle creuerunt. Semina meſſium gelu cooperta lætius germinant, ignis flatu premitur, vt creſcat; Deo nos permittamus: *Quæ nocent, docent.*

II. *Ab Honeſto.*

Nimirum hoc virtus & honeſtas exigit, vt dolorem rectè factorum conſcientia, ſubleuemus. Ex hoc loco Seneca Martiam conſolatur, quòd minus peccauerit filius, in ætatis flore mortuus c. 23. *Facilius ad Superos iter eſt, animis citò ab humana conuerſatione dimiſſis; minus enim facis ponderiſque traxerunt, antequam obducerentur, & altius terrena conciperent, liberati, leuiores ad originem ſuum reuolant, & facilius, quidquid eſt illud, obſoleti tranſfluunt. Nec vnquam magnis ingeniis cara in corpore mora eſt: exire atque erumpere geſtiunt, ægrè has anguſtias ferunt, vagè per omne ſublime, & ex alto aſſueti humana deſpicere. Quidquid ad ſummum peruenit, ad exitum properat. Eripit ſe auferturque ex oculis perfecta virtus, nec vltimum tempus expectant, quæ in primo maturuerunt. Ignis quo clarior fulſit, citius extinguitur; ſic ingenia quo illuſtriora, breuiora ſunt.*

III. *A Laude & Gloria.*

Quod in aduerſis ſpleudeſcat vel maximè virtus, & in admirationem hominum animos rapiat & Deum ipſum doloris ſocium, & teſtem, & laudatorem habeat. Virtus quo tendat, non quid paſſura ſit, cogitat, quoniam, & quod paſſura eſt, gloriæ pars eſt. Manult nobis eſſe malè Deus, quàm molliter. *Ecce ſpectaculum dignum*, clamat ſapiens Romanus de Prouid. c. 2. *Ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus, ecce par Deo dignum, vir fortis cum calamitate compoſitus.*

IV. *Ab Vtili.*

Etenim rebus aduerſis informantur homines, non modò ad modeſtiam depreſſa temeritate, & ſuperbia, ſed etiam ad prudentiam & fortitudinem, quam res aduerſæ acuunt. Illos meritò quis dixerit miſeros, qui nimiâ felicitate torpeſcunt: hoc vno cenſetur infelix Alexander, quod ſemper fuerit felix, ad ſui notitiam opus eſt experimento; marcet ſine aduerſario virtus. Gubernatorem in tempeſtate, in acie militem, in arena pugilem agnoſcis; quis te fortem intelliget, ni variis ærumnis exercearis. Calamitas virtutis occaſio eſt. Si ad animi voluntatē fluant omnia, quis intelliget quantum in fiducia erga Deū profeceris? ſi nullis iniuriis, aut acerbiori voce te quiſquam appellet, quis te ſubmiſſum ac modeſtum pronunciabit? ſi nullis calamitatibus premaris; quis te patientem laudabit? ſi te pronus omnium fauor comitetur; quis aduerſus infamiam te conſtantem prædicabit. Si diuitiis affluas, & in rerū omnium abundantia viuas, quis animum tuum in paupertate mirabitur? Virtus redditur illuſtrior,

ſtrior, cùm aduerſis cingimur, ad experimentum virtutis & palæſtram vocamur. Quorum tranquilitati & felicitati videntur inuidere, qui illorum obitum lugent.

V. A Feliciori mortuorum ſtatu.

Sapienter Annæus ex corporis incommodis, iteratæque mortis periculis ereptum Petitium Marciam conſolatur Sen. cap. 19. *Exceſſit filius tuus terminos, intra quos ſeruitur: excepit illũ magna, & æterna pax: non paupertatis metu, non diuitiarum cura, non libidinis per voluptatem animos carpentis ſtimulis inceſſitur, non inuidiâ felicitatis alienæ tangitur, nec ſuæ premitur, nec conuiciis quidem vllis verecundia aures verberantur: nulla publica clades conſpicitur, nulla priuata: non ſollicitus futuri pendet ex euentu ſemper in deteriora dependenti. Tandem tibi conſiſtit, vnde nihil eum pellat, vbi nil terreat. O ignaros malorum ſuorum, quibus non mors, vt optimum inuentum naturæ laudatur; quæ ſiue felicitatem includit, ſiue calamitatem repellit, ſiue ſatietatem, aut laſſit udiuemſenis terminat, ſiue iuuenile æuum, dùm meliora ſperantur, in flore deducit ſiue pueritiã ante duriores gradus reuocat: omnibus finis, multis remedium, quibuſdam votum, de nullis melius merita quàm de his ad quos venit antequam inuocaretur. Hæc ſeruitutem inuito Domino remitteit: hæc captiuorum catenas leuat: hæc è carcere educit, quos exire imperium impotens vetuerat. Hæc exulibus in patriam ſemper animam oculoſque tendentibus, &c.*

Quis lacrymis locus & mœrori ſi à vinculis ad libertatem feſtinat animus? hoc expreſſit conſolatione ad Marciam Seneca c. 24. *Imago duntaxat filij tui periit, & effigies non ſimillima: ipſe quidẽ æternus, meliorisque nunc ſtatus eſt, deſpoliatus oneribus alienis, & ſibi relictus. Hæc quæ vides oſſa circũuoluta neruis, & obducta cutem vultumque & miniſtras manus, & cætera quibus inuoluti ſumus, vincula annorum tenebræque ſunt. Obruitur his animus, offuſcatur, inficitur, arcetur à veris & ſuis in falſa coniectus: nititur illo vnde dimiſſus eſt: ibi illum æterna requies manet, è confuſis craſſiſque, pura & liquida viſentem.*

Imò minus mœroris, quàm lætitiæ nobis relinquunt, qui priùs exceſſerunt, quòd peregrinatione melior ac præſtantior ſit habitatio. Naziãzenus in obitu patris ſui oratione 19. Quod nauigantibus tranquillus portus eſt; hoc iis qui huius vitæ procellis agitantur, migratio ad alteram vitam exiſtit. Vt qui longum iter, priores confecerunt, minùs difficultatis ac moleſtiæ habent, quàm qui adhuc iter faciunt, & in labore verſantur: Ita melior eorum conditio ſit, qui ad illud hoſpitium iam peruenerunt, quàm qui ſinuoſum adhuc, & præceps huius vitæ iter emetiuntur. Hoc meditatus D. Ambroſius in obitu Satyri fratris, fidelium ſortem falſis Ethnicorum ſolatiis longo interuallo anteponit. Habent Gentiles, inquit, ſua ſolaria, quia mortem requiem malorum omnium exiſtimant: Nos verò erectiores præmio, ita etiam patientiores ſolatio eſſe debemus: non enim amitti, ſed præmitti videntur, quos non abſumpta mors, ſed æternitas receptura eſt.

Non aliud potentius argumentum habuit ſiſtendi Polybij lacrymas, quam ingem, ſed inutilem earum vſum, in tantis cuiuſuis ætatis ac ſortis ærumnis.

Ab inutili, nihil lacrymis profici: diutius accuſare fata poſſumus, mutare nõ poſſumus, ſtant dura, & inexorabilia; nemo illa conuicio, nemo fletu mouet; nihil vnquam pariunt illa, nec remittunt; proinde parcamus fletibus nihil proficientibus; nam noſtris ni ratio finem fecerit, fortuna non faciet; illæ nobis deerunt, antequam cauſæ dolendi; proinde nulli parcendum eſt rei magis quam huic, cuius tam frequens vſus eſt.

Si nullis planctibus defuncta reuocantur; ſi ſors immota, & in æternum fixa nulla miſeria mutatur, & mors tenet quidquid abſtulit, deſinat dolor, qui perit. Turpis eſt nauigij rector, cui gubernacula fluctus eripuit, qui permiſit tempeſtati tatam: at ille, vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clauum tenentem, & obnixum.

VIII. A Communi rerum Conditione.

Mundique ſeneſcentis, & rerum humanarum contemptione; quæ præcipuè valet, cùm ad æternam nos gloriam fortibus conatibus parandam, tùm verò ad leniendum dolorem atque luctum.

Nemo

Nemo Seneca ſapientius ad Marciam cap. 11. *Quæ demum iſta tuæ publicæque conditionis obliuio eſt? Mortalis nata es, mortales peperiſti: putre ipſa: fluidumque corpus, & caſibus morbiſque repetita ſperaſti tam imbecilla materia ſolida, & æterna geſtaſſe? Deceſſit filius tuus; id eſt, decurrit ad hunc finem ad quem, quæ feliciora partu tuo putas, properant. Huc omnis iſta quæ in foro litigat, in theatris deſidet, in templis precatur, turba, diſpari gradu vadit. Et quæ veneraris, & quæ deſpicis, vnus æquabit cinis. Quid eſt homo? quodlibet quaſſum vas; iactatu non tempeſtate magnâ, vt diſſiperis, eſt opus. Quid eſt homo? imbecillum corpus, & fragile, nudum, alienæ opis indigens ad omnem fortunæ contumeliam proiectum* &c.

Dic Solſtitialem herbam, aut deciduum breuis æui floſculum, mane ridentem, guttulis, roris intermicantibus affluentem, inhiantem Soli, & ſinum aperientem, qui pubeſcat ſimul, & tabeſcat, nec diei prius finem, quàm vitæ ſentiat. Dic cum Nazianz. ora 10. ἄνθος καιρῷ φυόμενον, ϗ καιρῷ λυόμενον, florem tempeſtiuè naſcentem, tempeſtiuè marceſcentem, matutino cum Lucifero exorientem, cum Meridiano Sole vigentem, cum Heſpero lucente areſcentem, dic eius vitam cum Nazianz. ἀκανθοφόρον ſpinis horridam, & redundantem; dic τόπον κακώσεως, afflictionis & pœnæ locum; dic cum Eurip. in Hecuba μυρίων ἄχθος κακῶν innumerabilium onus malorum; vt non ſine cauſa mortalis homo ipſo natali die vitam à ſuppliciis auſpicetur; & gemitu, exordio ſtatim ſuo vitæ mortalis anxietates rudis anima teſtetur; quis igitur nolit egredi?

I X. Ab eiuſdem fortunæ Societate.

Miſeris quippe ſolatium eſt ingens, pœnarum ſocios habere, ſcire eadem, aut grauiora pati alios, neminem à cruciatibus illæſum tranſire; neminem hic eximium eſſe. Laudatus Seneca c. 12. ad Marc. *Circui per omnem notorum, & ignotorum frequentiam oculis: occurrent tibi vbique maiora. Senſerunt iſta magni Duces, ſenſerunt Principes; ne Deos quidem fabulæ immunes reliquerunt: puto vt noſtrorum funerum leuamentum eſſet, etiam diuina conſidere. Circumſpice omnes, nullam tàm miſeram nominabis domum, quæ non inueniat in miſeriore ſolatium. Non mehercule, tàm malè de moribus tuis ſentio, vt putem poſſe te lenius pati caſum tuum, ſi tibi ingentem numerum lugentium produxero: maleuoli ſolatij genus eſt turba miſerorum. Quoſdam tamen referam: non vt ſcias, hoc ſolere hominibus accidere: ridiculum eſt enim, mortalitatis exempla colligere; ſed vt ſcias fuiſſe multos, qui leniérunt aſpera ferendo placidè.*

X. Ab opinione ſapientum.

Nam exiſtimant viri fortis animum nunquam illuſtriorem exiſtere, quàm in rebus maximis & arduis, neque vllum malum grauius eſſe, quàm ſi mala huius vitæ, licet grauiora, perferre non poſſit. Tam neceſſe eſt perire, quàm perdere, & hoc ipſum ſi intelligimus, ſolatium eſt, æquo fórtique animo perdere, quod periturum eſt.

X I. Ab illuſtribus eorum Exemplis.

Qui cum fortuna, generosè ac conſtanter pugnarunt, quæ ſi domeſtica fuerint iacentem animum faciliùs erigent, ac permouebunt ad Marciam. cap. 14. *Quid nunc te per innumerabilia magnorum virorum exempla ducam, & quæram miſeros? quaſi non difficiliùs ſit; inuenire felices: Quota quæque domum vſque ad exitum omnibus partibus ſuis conſtitit, in qua non aliquid turbatum ſit. Vnum quemlibet annum occupa, & ex eo magiſtratus cita. Lucium ſi vis Bibulum, & C. Cæſarem, videbis inter collegas inimiciſſimos concordem fortunam*, &c.

X I I. A Mortis bono.

Sed haud ſcio an felicior ſit conſolandi ratio, quàm ſi dicas mortuũ naufragij portum, finẽ dolorũ, belli diuturni, ac periculoſi lauream conſequutum, euaſiſſe multas peccãdi illecebras, ac vitæ infelicioris ſcopulos, qui viuere deſiit. Sic Seneca excellentis animi vir ad Marciã c. 21. *Quæreris Marcia, non tam diu vixiſſe filiũ tuum, quàm potuiſſet? Vnde enim ſcis, an diutius illi expedierit? an illi hac morte conſultum ſit? Quem inuenire hodie potes, cuius res tàm benè poſitæ ſint, & fundatæ vt nihil illi procedente tempore, timendum ſit; labuntur*

humana, ac fluunt neque pars vitæ noſtræ tam obnoxia, aut tenera eſt, quàm quæ maximè placet Ideoque feliciſſimis optanda mors: quia in tanta inconſtantia, turbaque rerum, nihil niſi quod præterit, certum eſt. Quis tibi recepit, illud pulcherrimum filij tui corpus, & ſumma pudoris cuſtodia inter luxurioſæ vrbis oculos conſeruatum potuiſſe ita morbos euadere, vt ad ſenectutem formæ illæſum perferret decus? Et c. vlt.

Mortis igitur bonum identidem ob oculos ponẽdum. Quantum enim eſt illud, quo neceſſe eſt vt non ſimus miſeris? hæc eſt quæ ſine pretio captiuos liberat; quæ vinctos emittit ex carcere ſine fauore Prætoris; quæ ſine poſtliminio reducit exules in patriam; quæ ſeruos ſine conſenſu dominorum manumittit: quæ ſine potionibus acerbis ægrotos ſanat; quæ quidquid peccauit fortuna, emendat; quæ quidquid forma malè diſpoſuit, reparat, quæ neceſſariò facit ne ſint mala. Quis ſapiens Deo charus velet iterũ ſubire matris ergaſtulum, ſordibus nutriri? per tot ignorantias naturæ redire? per tot ludibria fortunæ reſumere amentiam lallantis infantiæ, metus pueritiæ, pericula iuuentutis, cura vitilitatis, labores ſenectutis? pretium vitæ mors eſt.

Denique in hanc vitam ingreſſum nihilo meliorem, quàm miſerum & infœlix naufragium æſtimandum: Seneca ſapienter inconſolat. ad Polyb. cap. 28. Si vilis credere altius veritatem intuentibus, omnis vita ſupplicium eſt. In hoc profundum inquietumque proiecti mare, alternis æſtibus reciprocum, & modò alleuans nos ſubitis incrementis, modò maioribus damnis deferens, aſſiduèque iactans, nunquam ſtabili conſiſtimus loco: pendemus, & fluctuamus, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus, ſemper timemus. *Atque vt videas à tot malis diſceſſum & fugam, & in naufragio portum, ſic idem ſtatim ſubiicit.*

In hoc tam procelloſo, & in omnes tempeſtates expoſito mari nauigantibus nullus portus, niſi mortis eſt. Ne itaque inuideris fratri tuo: quieſcit. Tandem liber, tandem tutus, tandem æternus eſt.

Verum quia præceptorum multitudine excitantur lacrimæ, non ſedantur, ideo nec nimis recenti occurrendum, ne remediis irritetur, neque veteri, ne innouetur. Sic ad Heluiam filius ipſo funebri die matris oculos ſiccare prudentis non eſſe iudicauit; ſed expectauit donec flendo expletus eſſet eius animus.

Sæpè iam mater optima, impetum cepi conſolandi te, ſæpe continui. Vt auderem multa me impellebant. Primùm videbar depoſiturus omnia incommoda, cùm lacrymas tuas, etiamſi ſupprimere non potuiſſem, interim certè abſterſiſſem: deinde plus habiturum me auctoritatis, non dubitabam ad excitandam te, ſi prior ipſe conſurrexiſſem. Præterea timebam, ne à me non victa fortuna aliquem meorum vinceret. Iamque vt cumque conabar, manu ſuper plagam meã impoſita, ad obliganda vlnera veſtra reptare. Hoc propoſitum meum, erant rurſus quæ retardarent. Dolorĩ tuo dum recens ſæuiret, ſciebam occurrendum non eſſe ne illum ipſa ſolatia irritarent, & accenderent, nam in morbis quoque nihil eſt pernicioſius, quàm immatura medicina. Expectabam itaque dum ipſe vires ſuas frangeret, & ad ſuſtinenda remedia morâ mitigatus, tangi ſe ac tractari pateretur, &c.

Epilogus.

Habet Exhortationes quibus mœrentem monemus, vt animum ab omnibus angoribus abductum, ad ea conuertat, quibus & res aduerſæ leuantur, & ornantur proſperæ; monimus etiam vt priſtinam virtutem reuocet, nec quidquam indignum ſua conſtantia, aut dicat, aut faciat, ne ſi minus patienter ſe gerat, conceptam de ſe opinionem nõ ſuſtineat, hoſtibus verò gaudium faciat, atque inuidis. Sic Liuia Marciam hortatur cap. 6. *Cogita non eſſe magnum, ſe rebus proſperis fortem gerere, vbi ſecũdo curſu vita procedit: nec gubernatoris quidem artem, tranquillum mare, & obſequens ventus oſtendit: aduerſi aliquid incurrat, oportet, quod animum probet. Proinde ne ſubmiſerit, imò fige contra ſtabilem gradum, & quidquid onerum ſupra cecidit, ſuſtine, primo duntaxat ſtrepitu conterrita. Nulla re maior inuidia fortunæ fit quàm æquo animo. Peruince quantum potes, imò pluſquam potes molliciem animi tui, & vbertim fluentes lacrymas reprime, ne grandis pietas in nepotem apud incredulos, deſperatio putetur in Deum.*

* *
*

ANGE

ANGELUS

PACIS.

AD PRINCIPES Chriſtianos.

SI licet veſtra, MAXIMI PRINCIPES, interpellare faſtigia, ſtabo pro causâ Dei Angelus Pacis, Concordiæ miniſter, veritatis Interpres, Procurator ſalutis. Non ille ſum terribilis & minax nuntius, qui Dauidi (cœleſtibus prodigiis attonito) flagellorum metus incuſſit: Ex illarum numero non ſum, qui tot flagitiis immerſam Pentapolim funditus euertere: Non pluo ſulphure; non vibro flammas; non iaculor fulmina; ſed miti quadam amænitate vernantes oliuas prætendo, quas tanta bellorum eluuio nondum extinxit. Ex eorum cœtu & concentu venio, qui naſcente Domino Pacem hominibus bonæ voluntatis cecinere. Nolite ſpernere Bonorum augurem, Veritatis Propugnatorem, qui vobis coram Deo in Chriſto loquitur.

Totius Orbis Chriſtiani negotium eſt, PRINCIPES OPTIMI, quod apud vos ago: veſtra res, quam votis & ſcriptis vrgeo: Dei poſſeſſio eſt, quam requiro, Et magni quidem momenti, vt quæ ſæpe exciuerit de altaribus Sacerdotes, de Monaſteriis ſacras Virgines, & ex ſiluis Anachoretas, vt de mutis faceret Oratores. Vocat ea quæ nõ ſunt, tanquam ea quæ ſunt omnium molitor Deus, fingit os infantium, dat ſapientiam imperitis, cui cedere ſemper eſt optimum, reluctari difficile. Facit ſæpe diſertum cupido, militem neceſſitas. Non licet inter oppreſſorum gemitus ſilere, nec feriari per vulnera præliantium. Omnis laboranti mundo iniqua eſt manus, ſi non eſt officioſa.

Non detinebo vos, PRINCIPES, leuiculis rationibus; Non illudam ſterilibus figmentis, ſed ipſam quam per ſtagnantes cruore campos, per colucentium Vrbium flammas, & tot circuitus quæritis, in tranquilla ſede demonſtrabo Gloriam. Ac primùm, permittite me de Natura Belli & Pacis, déque Iure principum Chriſtianorum in vtroque pauca, diſſerere: vnde ſatis firma opinor eruentur argumenta, quibus & veſtrum decus, & populorum ſalus ſanciri poſſit.

Prudenter quidem admodum & argutè ſapientes dixere, Mundum iſtum, cuius circumflexu continentur omnia, ingens eſſe quoddam ſummi Numinis volumen, cuius Mors & Vita omnium paginarum faciant extrema: media autem perpetuos habent & reciprocantes ab vno ad alterum decurſus. Quod Vita & Mors in rerum natura hoc ipſum præſtant Pax & Bellum in Regnorum omnium atque imperiorum ſtatu. Et Vita quidem riuus eſt à primo fonte, & portio quædam diuinæ Æternitatis, quæ prius in cœleſtem diffuſa naturam, mox in terras & maria, noſtrùmque in orbem expandans, animarum corporumque nexu mirabiles & penè diuinos temperat concentus. At vbi ſolutus eſt ille quo continetur nodus, ſtatim euolat atroci mortis neceſſitate, omnia in ſuo regno rapaciùs depopulante.

Non diſſimili modo Pax, maximum & præcipuum diuinæ Indulgentiæ munus, temperiem quandam voluntatum conciliat, è qua functionum omnium acerrimus in corpore ciuili vigor, mentium alacritas, Prouinciarum non iners otium, beata ruris copia, ſecuti aditus viarum, Regnorum opulentia, & bonorum omnium cumulus accedit, At vbi diſſipata concordia bellum intonuit, ſtatim membrorum omnium conuulſio & dira vaſtitas, ſoluta legum vinculis audacia per ferrum & ignes ad ſcelera graſſante, ſacra profanis æquantur, nocentes & innoxios promiſcua vis fatorum inuoluit, fiunt de claris vrbibus buſta, non niſi miſerorum ſanguine reſtinguenda.

Vix occurrit mortalitatem noſtram æſtimanti hæc ab hominibus geri, reuulſos quiſpiam putet inferos, & furiarum cateruas ex tenebris erupiſſe, quæ ſpecie humana per tot atrocia conſternatis hominum mentibus illudant:

Dicam equidem SERENISSIMI PRINCIPES

Digitized by Google

quod ſenrio, lites & bella non niſi per cuniculos in Eccleſiam Dei ſunt ingreſſa, pauente ad monſtrum conſcientia, reluctante diſciplina. Et de lite quidē Paulus exclamat. *Frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles. Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis & hoc fratribus, ad Corinth.6.*

Quale eſt iſtud edictum tonantis & fulminantis Apoſtoli! Quæſo vos quid tandem ſentiret ille qui Chriſtianos ferre non poterat, de agro forte aut de domo litigantes, ſi reuiuiſcens aſpiceret infeſta fidelium ſignis ſigna, colliſas gentibus gentes, non vnam domum, non vrbem, non prouinciam, ſed præcipitantem Chriſtiani nominis orbem per cædes & ſtupra, per ruinas & incendia tracturas. Num ipſe cohorruiſſet ad immane ſpectaculum? Num modò imperanti ſimilis, modò precanti, idem minax, idem lachrymis perfuſus ruentes in gladios & vulnera repreſſiſſet?

Sed & Tertullianus lib. de Idol. in hac re vt ſolet rigidior, dum ait Dominum ea voce qua iuſſit Petrum exertum gladium in vaginam mittere, omnes pariter milites Chriſtianos diſcinxiſſe. Nimis ſeuerè iſtud quidem ſi omnem militiam crimen putat. Hoc eſt odio nocentis perdere innocentiam, dum res alioqui iuſtas edimus, velle ſæuientium audacia, vel laſciuientium petulantia corruptas. Quid eſſet aliud res Chriſtiana, quàm ferocium præda & inſanientium ludibrium? Si non liceret iuſtis armis illatas ab infidelibus iniurias vlciſci? ſi fas non eſſet Templa ab incendiis, Matronas & Virgines à contumelia, Vrbes à vaſtitate, à cæde mortales defendere? Temeraria vox, quæ tot Chriſtianorum Imperatorum laureas, tam cæco tamque præcipiti turbine percutit. Iure itaque ab Eccleſia extorres Manichæi, & qui eorum veſtigia poſt tot ſæcula preſſere Lutherani, dum innocentiam neſcio an impudentiùs aſſererent, an nocentiùs exarmarent.

Laudatiſſima omni æuo extiterunt pro aris focisque ſumpta cōtra impios arma; ſed fidelium contra fideles prælia ſæpe damnata, & ſemper ægrè tolerata. Si vetus libet inſtrumentum ſpectare, multæ quidem Iudæorum & acres inter ſe diſcordiæ, multi tumultus, bella plurima. Sed contra eos fermè omnia qui à vera religione deſciuerant, in fœdam Idololatriam cultuſque Gentium lapſi. Iudic. 20. Dimicatum eſt quidem ante ſeceſſionem tribuum ab Iſraëlitis in Beniamitas fratres feroci Marte, immenſa clade, ſed doloris potius furor fuit ob mulierem ſtupenda libidine vexatam, ruentis in ferrum, quam deſtinata vis, & iuſtum pro imperio certamen. Vix potuit induci magnanimus Dauid, vt Abſaloni filio in thronū patris per calcata tot ciuium cadauera irrumpenti tam iuſtis armis reſiſteret, niſi manſueti animi languorem pugnaciter Ioabus diſcuſſiſſet, adeo fuit odioſum ſanguine & Religione fraternas inter ſe acies concurrere.

Quod ſi prima Chriſtianorum Imperatorum numerare placet tempora, inuenie mus Conſtantium, mouiſſe in Iulianum, ſed iam deſertorem Chriſti, & impietatis Anteſignanum: inuenimus Theodoſium Magnum toto belli fulmine detonuiſſe in Maximum, Eugenium, Arbogaſtum. Sed res illi erat cum Tyrannis perfidioſiſſimis, qui larua Religionis immania tegere nitebantur facinora. Vix vllum reperire eſt innocentiori æuo Principem, qui arma Chriſtiano cruore imbuenda ſumpſerit; niſi ob cauſas grauiſſimas. Et quidem præclariſſimè Baronius animaduertit, primùm Crucem Cruci oppoſitam in armis, bello Conſtantii aduerſus Magnentium, Grande (inquit) nefas, nec niſi à Tyranno Chriſtiano Religionis ſimulatore, & Imperatore hæretico inchoandum.

Non ignoro equidem Auguſtinum de hac quæſtione ſcripſiſſe contra Fauſtum, & Chriſtianorum armorum iuſtitiam ex Euangelio ſanxiſſe cùm Ioannes Luc. 3. in tanto vitæ rigore conſulentibus de ſalute militibus minimè ſuaſerit baltheum abiicere, ſed viuere contentos ſuis ſtipendiis, & neminem concutere. Cum Rom. 13. ipſe etiam Apoſtolus dicat non ſine cauſa Principes gladium portare. At ſi mentem eius licet agnoſcere, deprehendemus tela omnia torqueri contra inſana Manichæorum deliria, qui Chriſtianam

ſtianam gentem ferro abſtinere, etiam ad repellendas infidelium armorum atrociſſimas iniurias voluere. Quaſi Dei iuſſu prædæ tantum fouet & cædi deſtinata. Noluit ergo Principum Chriſtianorum in Marte iniquo aduerſus fratres aut fouere ſecuritatem, aut irritare potentiam, Siquidem eodem loco exclamat; *Nocendi cupiditas, vlciſcendi crudelitas, implacatus, & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi quæ ſunt ſimilia, hæc ſunt quæ in bellis iure culpantur.*

Quos igitur exiſtimamus ex ſancti Auguſtini ſententia, l. 22. bello iniuſto ſe ſuóſque committere? Primū qui cœco impetu in ferrum rapiuntur non tam amore iuſtitiæ, quàm ardore vindictæ, Qui iniuria aliqua laceſſiti ſupra modum atque immaniter deſæuiunt, qui placari nolunt, volunt iraſci, deinde qui aduerſus legitimos dominos rebelliones moliuntur, & excuſſo iugo feruntur in ſcelera præcipites. Aut qui ſola dominandi cupiditate viciniorum tentant & permiſcent regna, atque vt latius imperent, cædibus & flammis iter ad dominatum aperiunt.

Cogitate nunc, Principes Optimi, quàm procliue ſit in iſtis æſtuare iracundia, vel libidine vindicandi, titillari regni aut parandi aut augendi cupiditate. Quam promptum ſit laxatis ſemel habenis extra limites ferri, fingere iuſtitiam, prætexere neceſſitatem, & quæ adora vetitis iura calcare, inuenietis profectò facilius eſſe arma ponere, quàm temperare.

Sed ne multo vos ſermone detineam, Sanctus Doctor 2.2 q.40. tria requirit ad bellum ritè cōficiendum: Authoritatem Principis, Cauſam iuſtam, Intentionem rectam; quibus alij addidere Theologi legitimas rationes ad finem obtinendum. Non eſt igitur priuatorum hominum mouere arma quibus ius ſuum licet iudicio proſequi: Hoc penes ſummam poteſtatem Deus eſſe voluit, vt rarum eſſet quod non poteſt eſſe non violentum. Ad tertarum Dominos attinet dicere, quod ait Seneca. lib. de Clem. *Ego ex tot mortalibus electus ſum qui in terris Dei vice fungerer. Ego vitæ necíſque gentibus arbiter. Qualem quiſque ſortem ſtatumque habeat in manu mea poſitum eſt. Hæc tot millia gladiorum, quæ pax mea comprimit, ad nutum meum ſtringetur. Quæ ruant vrbes, quæ oriuntur, mea iuriſdictio eſt.*

Hæc quidem poſſe magna res eſt, ſed nolle cum poſſis, niſi neceſſitas poſcat, longè diuinius eſt. Pauca ſibi licere velit optandum cui licent omnia. Non extenditur ius gladij cum ad vnum deuoluitur, ſed reſtringitur. Vna exeritur manus vt omnes vinciantur, defertur res ad ſapientiam paucorum, ne cunctorum temeritas promiſcua cæde deſæuiat. *Laudanda eſt parſimonia etiā viliſſimi ſanguinis.* Nemo tam iniuſte poſſidet mortales, quàm qui prodigit etiam iuſte. Tardè mouenda ſunt illa fulmina, quæ perculſi colant. Caueant igitur Reges ne credita ſibi à Domino facultate glorientur potius ad pompam, quàm vtantur ad bonorum vtilitatem. Excludat ferociam delinquendi timor, & impotentiam ſummam æſtiment iactare nocendi potentiam

Cauſa belli in primis accurato examine probanda eſt, ne ſurrepat affectio, ne dominetur iniquitas, ne vis ne furor per iuſtitiæ ſpeciem illudat. Miſeret me pudetue ſepæ reputantē quam friuola fuerit apud multos ingentium bellorum origo. Bellum Troianum commune buſtum Aſiæ & Europæ in nobili ſcorto exarſit. Hoc mille nauibus repetebatur, huius extincto pudori tot heroum vitæ parentabant, Tot pudicæ hoſtium libidini patebant, vt redderetur impudica. Arabiam inuadit Alexander vt præceptoris admonitionem, qui puero profuſionem thuris obiecerat, iam vir factus thuriferæ regionis dominatu haud cunctanter elueret. Ægiptij ob felem occiſā cœco & truci Marte Romanos adorti multa hominum millia fœdè mactauerunt.

Ad Oceanum ingenti armorum ſtrepitu & immenſo rerum omniū apparatu magnis itineribus Caligula contendit, vt conchas laſciuientis naturæ ludo pictas colligat. Tarentinam cladem Romani nautico perculſi conuicio moliuntur. Alexandrini cōtra Galienum rebellant ob inſulſam heri & ſerui de calceorum elegantia cōtentionem. Et ne multa commemorem, Guilielmus ille Angelorum Domitor, omnium præterquam ſui potens, dictū facetū Maximi principis innumeris cladibus vltus eſt. Erat ille præpingui corpore, & aqualiculo ſupra modū tumente: quamobrem

Digitized by Google

obrem cum de eius morbo inaudiſſet Philippus Rex Galliæ, Sicamus, inquit, Puerperam, decumbere partui. vt ex mole ventris apparet,iam vicinam. Ille ad hæc furore amens ſurrecturum ſe dixit ſoluto puerperio innumeris facibus ſtipatum quibus Galliam incenderet. Nec defuit dicto fides; nam ſtatim ac conualuit vago exercitu Franciam ingreſſus, lugubri feritate vlciſcendi cædibus & incendiis operatus ipſe tandem ſuo ardore conſumptus eſt. Num ludere putemus ſanguine humano qui leues ob cauſas non lenia committunt prælia? Num miſeros æſtimemus populos quibus furentium ludibria tam dira vaſtitate expienda.

De cauſa belli nemo ſibi vni credere debet aut alteri, ſed exquiſita primariorum hominum prudentia diſquirere, qui tanto propiores ſint vero, quanto remotiores ab effectu. Ad cauſam iuſtam recta intentio accedat neceſſe eſt, quæ omnia exitu placido, fine optimo metitur. Abſit illa cogitatio à Principe Chriſtiano vt arma capiat ob luxuriantis animi leues affectus, vt currat ad cædes, ad incendia, ad vaſtitatem, vt perdat,vt extinguat,vt omnia ad internecionem deleat. Lapitharum hoc eſt & Centaurorum nihil aliud bellando quàm bellum quærere. Sapientiſſimi Reges per tumultus armorum eunt ad iuſtitiam, ad æquitatem,ad Concordiam, atque ipſi quidem Paci litant armati. De hoſte cogitant quaſi de ægro actioribus remediis perſanando. Vtinam diætà curari voluiſſet vtinam fomentis oblinìri, nunc mitiori brachio tranſigererentur omnia. Sed quando contra fas iuſque Gentium ſtetit peruicacius,& toties oblatas conditiones rerum componendarum contempſit, vinciendus eſt, ſecandus, vrendus, non vt exterminetur, ſed vt conualeſcat. Attritus eſt non inſulto! audiri poſtulat, audio; Colla ſubmittit, ignoſco. In Cannenſi clade audita vox Hannibalis; Parce ferro Miles. Syracuſarum ardentium flammas Marcellus lachrymis concupiuit extinguere:ad proſtrata Iudæorum cadauera Titus cœlum intuens ingemuit. Quid facere oportet Chriſtianum Regem hoſte acciſo & penè ſupplice? An ſuperbire? an debacchari? an ad extrema deſæuire? At ne belluæ quidem generoſiores hoc faciunt. Regias mentes non decent vaſtæ & inexorabiles iræ,multa ſunt humanæ imbecillitati condonanda, ignorantiæ multa. quædam etiam affectui, Pœnitentiæ omnia. Multos ſeruare oportet etiam inuitos, nec audiendo omnes qui volunt perire. Quibuſdam error impoſuit, pleriſque opinio fucum fecit. Alios maligna conſilia peſſum dedere Sunt etiam quibus ſola fortuna pro culpa eſt. Multos abſoluet qui ſe à Deo cupiet abſolui

Tandem addo, rationes quæ adhibentur ad finem optimum conſequendum, legitimas eſſe oportere, ne peruertantur etiam recta. Non eſt bonum quod non fit benè. Non eſt virtus quæ non habet modum. Praua intentio ſanctiſſimas quaſque gerendi vias vi quadam peſtifera ſolet inficere,artes quoque ſubdolæ intentionem ſynceram infuſcant. Errant omnino qui cùm ſibi laudabilem ſcopum præfixere attingẽdum, æque per illicita ac licita exiſtimant. Hoc innixi fundamento eò amentiæ plerique deuenere vt cenſerent ſanitatem à dæmonibus ipſis per voces magicas innoxiè requiri,& hanc eſſe ſalutem ex inimicis noſtris quam ſacra prædicant eloquia. Sed contra Apoſtolus clara voce intonat; Rom. 3. 8. Non eſſe facienda mala, vt veniant bona. Nemo per furta miſericors,nemo innocens quæſiuit flagitio valetudinem. Bellare licet, occidere licet ex authoritate Principis & cauſa iuſta: contra iuſtitiam facere nunquam licet. Flectere oportet Superos non Acheronta mouere, non temerare ſacra, non Eccleſiæ iura violare, non Religionem euertere, non ſtuprare pudicitiam, non facinoroſas artes tentare, non ſica & veneno in Principum capita graſſari, nõ diſciplinam militarem militando deſtruere,atque omnia ſolutè & intemperanter ex vindicandi libidine facere, Deſinit eſſe bellum iuſtum,vbi omnia fiunt iniuſtè, & ſi benè capta in malum vergant,protiuus ſunt abrumpenda.

Deuenimus ſenſim,Principes Maximi,in rem propoſitam, de qua veſtrum eſt iudicare & ex ſenſibus integerrimus Chriſtiano nomini ac ſaluti conſulere. Veſtra quidem authoritas legitima,deſtinatio quoque animi & intentio,quæ poteſt eſſe in optimis Principibus niſi recta?Sed cauſa

Digitized by Google

cauſa eſt innoluta, rationes vero quæ finem appetere videntur violentæ. Geritur à vobis Bellum atrox, vrbium obſidionibus exercitum, cladibus frequens, vaſtitate luctuoſum. In quo laborat Eccleſia, ſuſpirant oppreſſorum vota, & toties conuulſus mundus ingemiſcit. Non vſitato modo, non humano more progreditur, ſed vi quadam maligna in omnes Chriſtiani orbis venas permanante. Excutite ſi placet cauſas, & vobiſcum perpendite tanti tumultus occaſionem.

Si quando res naturales videmus intra ſuos limites decurrere & ſtatas vices obire, minimè miramur. At tibi valentiori quodam impetu cernimus incitari, aut peruerti ſtaturum naturæ ordinem, ſuſpicamur arcanam ineſſe vim quæ fertur atque erumpit ex abdito, vnde tam varij motus oriantur. Quoties ordinariè cieri ventos aſpicimus, aut halitus putamus, aut aëri naturalem vim ineſſe æſtimamus mouendi ſeſe, incerti atque inagitabili globo torpeſcat. At quoties ventis acerrime depræliantibus exurgunt fœdiſſimæ tempeſtates, quæ vaſtas arbores radicitus euellunt, quæ benè fundatas domos in plana ſubmittunt, quæ nauigia deuorant, & ſtatum mundi percellunt, aëriis hæc adſcribimus, Poteſtatibus per mundi plagas diſſipatis. Non impari quidem ratione cum bella inſtant vſitata inter homines forma, hæc hominum tribuimus ambitioſis conatibus, moribus iracundis, & ad obiectæ contumeliæ imaginem facile excandeſcentibus. Quod ſi modum omnem excedant, ſuſpicamur eſſe occultam malorum originem quæ ſenſus noſtros atque intelligentiam ſuperet.

Hoc ipſum de tam atroci bello rem benè æſtimantibus vacat cogitare. Nec enim ciuili animo geritur, nec habet militiæ decora quæ magnos animos comitari ſolent, ſed virulentam malignitatem quæ ambas partes excedit, & lenta quadam tabe ſerpẽs per omnia depaſcitur: Squallent rura, mœrent vrbes prodigitur heroum ſanguis, deſtinatur laniena lectiſſimus flos Nobilitatis, ſpoliantur bonis pænè omnibus priuati, conquiruntur vndique acerbis exactoribus pecuniæ, quæ tam crudeli ludo ſufficiant. Sed nulla vis ærarij par eſt auiditati omnia depopulanti. Paucorum diuitiæ cunctorum inopiam faciunt: & de prouinciarum lachrymis funeſta improborum gaudia ſaginantur. Quis tot ac tantorum artifex malorum? vnde fons, vnde origo tot funerum? *Rex* (aiunt) *Ludonicus belli Author.* Scilicet tam pius Princeps, tam caſtus, & toto Dei timore perfuſus, tantos fluctus moueat, tantas excitet tempeſtates? Tendebat quotidie dum viueret puras ad cœlum manus, in ſacris myſteriis frequens, conſcientiâ tam caſtigatâ vt ne minimam quidem labem ferret quam non ſtatim ſacramentis elueret, pugnauit neceſſitate, virtute vicit, fortis pectore, Marte clarus, mente pacificus. Quis igitur æſtimet cruenta depetdendo orbe Chriſtiano conſilia in illo tam auguſto pectoris ſacrario potuiſſe concipi? Quis reſediſſe illic odia, quis ſimultates putet?

At fortè Imperator diſſidiis gaudet & rebus turbatis paſcitur? Abſit vt quis hoc credat. Eſt enim Princeps moribus optimis, & ad omnem æquitatem compoſitus, animi vigore excellens, excultus ſapientiâ, in quo cælata viuit Paterni ſpiritus ad omnem virtutem expreſſa effigies. Quid habere iucundius poteſt, quàm vt Germaniam ſuam, tam fero bellorum tumultu quaſſatam placidiſſimâ pacificatoris manu componat?

Turbat igitur Rex Hiſpanus. Nemini hoc probare poterit, qui tanti Regis ſenſum atque animum penitus nouerit. Eſt enim ſi quis alius mente Chriſtianâ, ingenio placido, ad amorem, & concordiam magis quàm ad rixas diſſentioneſque propenſo. Nihil in eo turbidum, & ferox nihil malignum, ſui ſua magnitudine cupit, non ferocire.

Vnde igitur tanta belli atrocitas, ſi nullæ ſunt *animis cæleſtibus iræ*? Quis non videt, non eſſe iſtud humano conſilio factum, ſed Malos Genios toto impetu incubuiſſe, vt res noſtras, florentes acciderent, acciſas euerterent, euerſas calcarent. Nimis ſcilicet, potens erat res Chriſtiana, domitâ Rupellâ, proſtratâ hæreticorum factione. Fuit illi ferrum hoſtium cruore tepens in viſcera conuertendum. Turbarunt illi in Italia ad Mantuam; turbarunt in Germania, commiſerunt primas Chriſtiani nominis coronas liuore maligno, bello implacabili, cladibus immenſis, Eccleſia gemente, lætis infidelibus, ipſis plaudentibus inferis.

Interuenit ſæpè magnis rerum ſucceſſibus mens mala, quæ Principum conſilia corrumpit, & à recto curſu gloriæ diuertit. Triumphalibus ouantem laureis Regem Chriſtianiſſimum ſua vix limina ſalutabant, cum per factioſos excitati turbines in Italiam vocant, penetrandæ Alpes hyeme gelida, perhorrentes armis & rectos niuibus ſcopulos carpendum eſt iter, conſerendæ manus, committenda per varias Martis aleas prælia, quæ miro robore & pari felicitate iam erant compoſita, cùm ecce inſtat flagellum belli exitialis, bacchatur Aquilo in clade Germaniæ, volutatur in ſanguine, fertur per clariſſimarum vrbium incendia, reſiſtentibus paucis, omnibus ferali prodigio attonitis. Sacrilegio polluuntur aræ, ſacræ Virgines ſtupro, ſtrident catenæ ſacerdotum, calcantur ſancta, & *conſummatur abominatio deſolationis, Matth.* 23. ipſo qui vocauerat Rege horum aut neſcio, aut inuito.

Deinde putet aliquis hoc à Chriſtiana mente cogitatum? putet ab eo qui ſenſum aliquem habuerit Religionis eſſe perfectum? Non eſt credibile: tantum monſtrum concipi non potuit niſi parturientibus inferis, exhalante terram fuliginem abyſſo, & dæmonibus lymphatas mentes in diuerſa rapientibus. Non ſunt omnia ad homines referenda. Non ſunt adminiſtri Principum vbique incuſandi, quaſi omni humanitate exutâ feritatem induerint. Quidam ſunt, vagi & inſynceri ſpiritus ad vindictam deſtinati, qui non deſinunt perditi perdere. Quæ ratio vos, PRINCIPES MAXIMI, tanto magis incitare debet ad pacis fœdera componenda, quod per veſtras manus & ſub pedibus veſtris Sathanam conteri, arcano conſilio præpotens Deus deſtinarit.

Cauendum igitur omnino eſt ne dæmoni ad vaſtitatem incubanti ſubdatur materia de iuſis hominum affectibus, & vitiis. Ignem facile concipit Regnorum & Gentium Zylotypia, quæ ex animali quadam afflatur ſapientia, nec prudentiam ſanctorum ſapit, aiunt qui parti ſtudent alteri, Hiſpanos nimis inuidioſam facere ſuam potentiam, exoſam æqualibus, inferioribus terribilem, omnibus, niſi caueatur, exitioſam. Tanta, vt aiunt, libido dominandi, tam intentæ & vigiles ambitionis curæ, tam rapax terrarum ingenium, tanta regnorum & titulorum congeries æmulos ſtimulant, vicinos terrent, pungunt etiam remotos. Vnius dignitatem putant omnium periculum. Quot imperia, tot intentata numerant regnis ſeruitia. Timent quidquid parat tellus, quicquid monſtrorum alit pontus. Auida & impotens ſui dominatio vbi ſe permiſit fortunæ, naturam dediſcit, moderationem neſcit. Ad hæc Gentis Indoles, vt dictitant, acris & ſicca, faſtu tumens, patiens laboris & inediæ, ſitiens gloriæ, miratrix ſui, virtutis contemptrix alienæ. Hæc dico non ex mente noſtra quæ nulli hic addicta nationi omnes in Chriſto complectitur, ſed vulgata à multis commemoro quaſi procul arceantur, multorum euellent fibras occaſioneſque diſſidiorum.

Galli contrà, vt ſcribunt qui norunt, etſi conuiciorum inferendorum auidi, tolerandorum neſcij, contemptûs impatientiſſimi: ſciunt ſe ex ea gente eſſe de qua dictum eſt.

Animoque ſuperſunt iam prope poſt animam.

Iactant ſe armorum claritudine orbem impleuiſſe antequam è diuturna Vandalorum & Saracenorum ſeruitute caput attollet Gens Hiſpana. Orientis tenuere & Occidentis Imperia, Conſtantinopolim expugnarunt, Hieroſolymam Chriſto, Romam ſepties Pontifici ab hoſtibus ereptam reddiderunt. Sibi primùm locuta prædicant Euangelia, ſibi primigeniam filiorum Dei adoptionem datam, Regnis terrarum addiderunt Imperium litterarum, toto fere orbe in Academiam Pariſienſem confluente, nihil putant habere ſe contemnendum. Miratores expetunt potius, quàm contemptores ferunt. Hinc fit vt vtraque Gente pro ſe iactantiore, in alios dicace, euentilentur flammæ quæ in magna coaleſcunt incendia. Vtinam quæ per ſpiritum diffuſa eſt in nobis Charitas tot contentionum ſemina ſuffocaret, vtinam tot iurgiorum occaſiones abſcinderet. Minus nobis eſſet laborandum nec tam anxiè quærendum, quibus remediis tam peſtilenti malo debeamus occurrere.

Augent hoc ſæpe plærique Rgum adminiſtri dum familiari, ſed dira ſummis Imperiis gloria, dominorum cupiunt oſtentare potentiam, totas nocendi viros explicant, abditam premunt beneficentiam, dum ambiunt, dum timent, dum cauent,

Digitized by Google

uent, ipſa ſæpè ſedulitate & cautione non timenda prouocant, faciunt non toleranda.

Hic vos appello Politiæ ſapientiæ Antiſtites & arcanorum conſiliorum Myſtæ. Lubentius vobiſcum quam cum fortuna veſtra loquor. Cogitate quantum vobis dederit, quantum à vobis exigat Deus. Sedetis quaſi Dii ex hominibus humani generis arbitri, quam quiſque ſortẽ habeat ex nutu veſtro pendet, quæ mortalium cuique bona Felicitas velit, ore veſtro pronunciat, quas parari claſſes, quæ arma moueri, quas vrbe exſcindi, quas Gentes obrui oporteat veſtris ſẽtentiis agitur. Vos de fortunis & ſanguine hominũ decernitis, illi de veſtra exiſtimatione decernunt. De veſtro capite inſpector omnium Deus ad tremendum & ineuitabile Forum iudicat. Multa quiſque ex ſuo cernit ſenſu, multa ex ſuo loquitur affectu. Non eſt mihi credibile quod aiũt, tantos viros tam magno ingenio præditos, tam alia excultos prudentia & huius fragilitatis rerum humanarũ conſcios, putare ſe huic affixos faſtigio, vt ſuas res agant, vt ſuis commodis omnia metiantur, vt amplitudini ſuæ ſeruiãt vt ex priuato amore & odio res publicas gerant, vt fortunæ ſuæ populorũ ſanguine litent: Idcir, eo bella cõcupiſcere, & res amare turbulentas, é quibus & clarius ſibi imperiũ & numeroſiores pecunias & hærẽtẽ altius ipſa neceſſitate Miniſterii authoritatęm ſperãt. Abſit vt tam ſordidæ tamq; humiles curę in tam excelſas mentes aſcendant.

Crediderim ego potius acri vos æmulatione veſtrorum Principum anhelare gloriam, cuius ſemper ſitientiſſimi fuiſtis, iniurias perſequi, Maieſtatem aſſerere, imperia dilatare, ſed per Deum immortalem & per tot dilecta Regnorum pignora vos obſecro, videte ac diligenter perſpicite ne vehementiſſimus Gloriæ appetitus auerſos agat ab ipſa Gloria. Vos illam in turbido quæritis, ſed omnes iam mortales appetũt in ſereno. Cogitate vbinam maior Cæleſtium Virtutum claritudo, an cum tonitruorum fragoribus ſtrepente mundo, ignes vndique iaciuntur & fulmina, An cùm puro & defæcato die ridet amœna lux, & ex humanis animis omnem mœſtitiam diſcutit? Timendam ſatis hactenus feciſtis dominorum potentiam, reddite ſi placet ſuauem, facite, quo ſolo inuicta eſt amabilem. Non eſt hæc Principum amplitudo, ſemper armorum fremere terroribus & apparatu bellorum, ore igneo tormentorum æneorum pronunciare ſæua, hos catenis, illos gladiis deſtinare, circumferre ignes & tela, ire per fumantes vrbes, per calcata miſerorum corpora, omnia exhaurire ne exhauriantur. Quanto illud glorioſius eſt feliciſſimi ſideris more ambire cuncta mente placida, virtute benefica, res lapſas erigere, ſolari mœſtas diſſipatas colligere & diuulſas componere. Hoc cæleſti paſſu dum laboranti mundo ſubueniunt, tot Reges abiere ad ſolidum & inconcuſſum decus. Quid vetat ſequi? Quid pudet æmulari? Vnus eſt ſæpe timendus ſcopulus, ad quem Politicorum aliquot hominum qui longè à Pietate veſtra diſſident, curæ cogitationes adhæreſcunt. Putant ſi ex Dei lege & piorum hominum ſenſibus Rempublicam gerant, fore humilem & demiſſam, prædæ natam & direptioni oppetunt alias gubernandi artes quam quas Deus præſcripſit, quaſi aut non ſatis viderit, aut minus ſuis prouiderit. Excogitant nouos agendi modos, verſipelles & vafros, quibus augeant ſua, alienis inſidientur, permiſceant ſi poſſint omnia. Putant è re eſſe Principum ſe ſolos intueri, ſe ſolos circumſpicere, ad ſe referre omnia, ita per attritos ciues, ſi res ita occurrat ad ampliſſima & regia commoda. Nil diſtare verum à falſo niſi ex vtilitate noſtra, ad quam componendus eſt omnium negotiorum ſtatus, licitum eſſe quicquid prodeſt. Importunam excelſis conſiliis humilem conſcientiam, Religionem ſcrupuloſe tractandam à ſubditis à Regibus cõmode, virtutẽ ſolidam ſæpe officere, vmbram & ſpeciem prodeſſe Probitatem laudari & algere: Nihil eſſe apud Principes iniuſtum, quod Regno ſit magnificum.

Non eſt, vt cum Apoſtolo loquar, non eſt hæc ſapientia de ſurſum, ſed terrena, animalis, diabolica, quæ faſcinatis mentibus imponit, & in miſerandum exitium Regna deuoluit. Longè alia eſt mens veſtra (Viri ſapientiſſimi) longe aliùs animus. Etenim ſi Sarracenũ vobis nõ Chriſtianum incumberet imperium moderari, occurreret tamen ex ipſis Ethnicorum legiſlatorũ libris & inſtitutis pernicioſum eſſe regni clauum

Digitized by Google

tenentibus aſtutiam. Hanc humilem ſemper & exoſam rarò nec diu vnquam fructuoſam. Vnde & rerum politicarum ſcientiſſimus Thucidides dicebat, Remp. melius geri ac fœliciùs à moderatis & mediocri ingenio viris, quàm ab acutis & ſupra modum induſtriis. Sed tamen ſi Dei & legis ex torres ageretis in mundo; condonandum eſſet ex humano ſenſu & calliditate, vt creditur, non inutili gerentibus multa, ſpectantibus omnia. Nunc autem cùm plane perſpectum ſit vobis Imperia iis maximè rebus quibus cœperunt excoli, quis non videat Chriſtiana Regna in fide, iuſtitia, & lenitate fundata, per impietatem, & iniuſtitiam, & crudelitatem funditus euerti: Quis non intelligat homines à cœleſti ſapientia deuios in caliginem & ſcelus ruere præcipites?

Conſulite ſi placet hiſtorias, & videre quales ſint Tiberianorum & Herodianorum exitus. Inuenietis ſubdolas mentes, vitam ancipitem, ſpes lubricas, certos metus, incerta cõſilia, mortes calamitoſas, longa ſupplicia, poſteritatem, aut nullam, aut breuem. At ex aduerſo ſi vacat Chriſtianos Principes intueri, qui Regna mente ſyncera, leni manu, moderata prudentia, probitate inuicta, per tot caſus humanarum rerum tenuere, intueri licebit heroes ſuis gratos, hoſtibus timendos, fœlicitate & gloria cumulatos vixiſſe, & fundatiſſimas domos in multa ſæcula propagaſſe. Quin igitur abiectis tam tetri tamque funeſti belli conſiliis & eliſâ per modeſtiam ambitione, repreſſa per charitatem cupiditate imus ad fundatorem ſalutis & conciliatorem Pacis Deũ, à quo deploratis rebus remedia ſunt nobis expectanda?

Quid eſt tandem quod omnium vota, quod incenſa deſideria quod alta gementis Eccleſiæ ſuſpiria tamdiu fruſtratur? An honor? an Res? Certè ſi honor ſpectatur qui non minimam belli occaſionem præſtitit, Contemptus opinio, iam ſublata eſſe debet, magnis, vtriumque viribus, regnis inter ſe colliſis. Quid viriuſq; copiis affluentius? quid potentia mirabilius? quid robuſtius virtute? quid incitatius animo? Lugenda potius fuit in cauſâ tam miſerâ quam deſideranda fortitudo, digna quàm laudaret hoſtis quàm experiretur Sarracenus. Non habet HISPANVS quod GALLVM, Gallus contemnat Hiſpanum, habet tamen vterque quod æquiori conditione, meliori faro ſuas oſtendi vires concupiſcat.

Si de re quæſtio eſt, operoſum ſanè & impeditum negotium, tanta enim eſt, vt aiebat antiquus ille Archeſilaus, rerum & fortunarum, in vita humana confuſio, vt ſi de iure regnorum ciuitatum & familiarum certandum ſit, æternas lites, æterna pro vindiciis bella eſſe oporteat: Atque ſi ex rigore iuſtitiæ tranſigantur omnia, nullum tandem futurum Regem, nullum diuitem. Si quis igitur habere velit quicquid ingenii ſagacitas ſubodorari potuerit, quicquid opinio finxerit, quicquid libido concupierit, excutiat oportet à Nembroto qui primus liberis ceruicibus iugum impoſuit, immenſum & per tot rerum temporumque ambages perplexam Regnorum molem, auos & atauos effodiat ex tot tumulorum ſitu, fatiget cupidorum tenacem memoriam, prudentiam peritorum: Quid tandem inueniet niſi fomitem diſcordiæ nouique tumultus materiam? Quis arbiter, quis iudex tantas lites componet, quis de cauſis tam inuolutis decernet?

Luc. 12. v. 14. Noluit Dominus diuidere inter fratres hereditatem; qui menſuras cœlo, mari terminos elementis omnibus modum impoſuit, agrum inter germanos partiri recuſauit, contentioſam & implacabilem hominum ratus auaritiam. Neque igitur ſi de cœlo deſcendat Chriſtus, de re & fortunis veſtris iudicare velit, neque ſi velit omnia ex ſenſu & voluntate veſtra in tanta ſua æquitate definiat.

Quid reſtat igitur, niſi vt partibus licet haud pari robore ſtantibus, & quidem auidiſſimè in res ſuas intentis infami & calamitoſo bello, ſæcula conterantur omnia? Enim verò præclarum eſt tantos Reges, tam pios, tam auguſtos, tam copioſos terrarũ mariſque dominos, ob vnam vrbem, ob vnum caſtrum fortè iam bellorum fulminibus penè dirutum de ſolo puluere exitialibus armis profuturis nulli, nociturus omnibus, decertare.

Intelligo, ſapientiſſimi Regum Conſiliarii, quid reſponſuri ſitis, veſtram rem agi, veſtrum

de eus

decus in eo cardine verti, ne quid in eo fœdere, quod totius orbis expectat dominorum veſtrorum res detrimenti patiatur. At ego prudentiæ veſtræ & æquitati diſcutiendum iam iſtud relinquo. An vt conſtet Miniſtro leuis quædam & ex ſua opinione fama; Vniuerſo orbi Chriſtiano, de fortunis, de vita, de ſanguine, de ſalute, & omnium rerum interitu periclitandum eſt? Quid aliud optare debent mentes veſtræ tam excelſæ tamque generoſæ, quàm vt ex Regum regnorumque commodo componantur omnia? At iſtud, ſi placet, excutite, num ex Principis fama & ſtatus vtilitate longè ſit meliùs aliquid ex ea tenacitate terrarum & indeclinabili mentis rigore remittere, quam direptionibus & incendiis omnia deuouere? Longè pulchrius fortè putatis vaſtari regna, quàm perdi ſed quid eſt aliud vaſtitas, quàm dira perditio? Miſerum eſt iſtud ſolatium perdere ne perdas, & fœliciora vrbium incendia ducere quam rapinas; Quaſi rem magnam æſtimes ne moriatis, mori. Non perditur corpus quod vnius vnguis iactura ſeruatur. Nihil maximo & florentiſſimo Regno deperit, ſi quod oppidulum, ſi quæ Arx traditur vt cetera omnia tranquilla pace & leni otio perfruantur. Nihil inde miniſtrorum famæ decedit, ſi fortunati pacificatores orbis potius quam miſeri litigatores habeantur. Quam multos nimis circumſpectos & tenaces, populi infœlices omnibus diris deuouerunt, viuos mortuoſque conuiciis proſciderunt, quod ardentis mundi funeribus per litigioſas artes illuſerant & omnia perdi potius, quam modicæ rei detrimento feſſis extrema calamitate rebus ſubueniri voluerant.

At ſi quis veſtrum ingemiſcentis totius orbis Chriſtiani querelas placidis auribus audierit, ſi ſalutarem porrexerit manum, ſi pauca leuiori brachio remiſerit vt ſeruet omnia; Num is erit omni laude cumulatiſſimus; Nam dignus quem præſentes colant, cuius memoriam venerentur poſteri, quem populi ſeruatorem Patriæ, parentem beneficum, & ſalutare mundi laborantis ſidus omnes circumſpiciant?

Vobis Principes Maximi, hoc onus incumbit, agere, iubere, perficere, & adminiſtris vti tanquam publicæ felicitatis inſtrumentis. Certè ſi vacat vobis audire quod ſine negligentiæ notâ recuſare non poteſtis, oſtendam id ipſum quod ſuadeo, Dei vocem eſſe, Dei mandatum & legem, veſtram ſalutem, veſtram rem in eo verti, atque in id cœli iuſſa, terrarum vota mirum in modum conſpirare. Ac primum videte ne nimis fortaſſe non tam cum hominibus, quam cum Deo bellare videamini qui pacificatori Chriſto tam diu reſiſtitis?

Eph. 2. *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, in ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare & per eum reconciliari omnia in ipſo, pacificans per ſanguinem crucis eius ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt. Coloſ. 1.* Pacem ingreſſurus mundũ attulit. Pacem digreſſurus ſuo cruore ſanciuit. Corpus ſuũ darè & immaniter lacerari in cruce permiſit, oſſa per tot commiſſuras & tam arcanos nexus Eccleſiam repreſentant noluit attingi, nempe qui ſuos Electos indiſſolubili concordiæ nodo ſociari vehementiſſimè cupiebat. Et in veteri quidem Teſtamento non ingrediebatur ſummus Pontifex in Sancta Sanctorum niſi malis granatis ad podêris fimbrias appenſis, quæ mirabili granorum nexu piorum ſignificant arctiſſimam inter ſe ſocietatem.

Chriſtus iam morte triumphata diſcipulos ſuos, non niſi per blandum & amabile Pacis nomen ſalutabat, hoc Apoſtoli ſuis epiſtolis præfigunt, hoc noſtri Pontifices ad aras & ſacro ſancta myſteria pronunciant, hoc iuſti lætantur: hoc implorant lapſi, hoc triumphant Angeli. *Eſt enim*, vt *De verb. Dom. lib* 3 ait Auguſtinus, *Pax ſerenitas mentis, tranquillitas animi, amoris vinculum, conſortium charitatis: hæc eſt quæ ſimultates tollit, bella comprimit ſuperbos calcat, amat humiles, diſcordes ſedat, cunctis eſt placita, cunctis benigna, neſcit extolli, neſcit inflari: nihil quærit altum, nihil deputat ſuum, docet amare, quod odiſſe non nouit. Vbi non eſt pax*, inquit Nazianzenus, *non eſt mundus. Orat. 2.* Tribus enim ſtat vt ait Simeon Gamalielis: Veritate, Iuſtitia, & Pace. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*, clamat Veritas, Ecce adoptio & nomen filiorum Dei, cuius auidiſſimi tot Reges & Imperatores fuere, promittitur non deuictis Gentibus, non direptis & incenſis vrbibus, non orbe calcato, ſed pacem colentibus, pacem per fœdera componentibus.

Digitized by Google

Num ſubit aliquando vereri, PRINCIPES, OPTIMI, cum tenditis ad aras manus, cum ad tremenda ſtatis myſteria, ne ſi bellorum finem vllum faciatis, pacis Angeli amarè flentes à vobis oculos auertant, ne de ſacraria Chriſti vox erumpat, & quoties Pacem & Veniam cum Eccleſia poſtulatis toties dicat; Quid tibi & Paci? Tu caput meum oſcularis, & calcas membra; Tu preces mihi blandiris, per gladios ſæuis. Vox tua, vox Iacob, ſed manus Eſau. mihi faces accendis, tuis facibus ardent vrbes, dum thus adoles, fumant tuis incendiis chariſſimæ Ciuitates, dum vota concipis, ſtringuntur gladij, dum ſupplicem profiteris, agis bellatorem. Tepent arma non cruore Turcarum, ſed fratrum. Occiduntur tuo iuſſu tot miſeri Mortales, per te funditur eorum ſanguis pro quibus ſanguinem fudi. Dum me compellas, tot viduæ, tot pupilli appellant de ſtrage cadauerum, Maritorum & Patrum nomina iam non reſponſura. Dum mihi altaria hic erigis, alibi demoliris, non placas, ſed peccas, dum hæc vel te iubente fiunt, vel tolerante. Flecte iſtos animos, ſpiritus doma, & ſi vis tibi dimitti, remitte.

Multa profectò PRINCIPES, errori, multa commoto per ſpeciem iniuriæ animo ſunt initio condonanda. Fuerint aliqua Bella iuſta, fuerint neceſſaria, dum ſerpunt, dum trahuntur, quod fuerant, eſſe deſinunt, amittunt ipſa diuturnitate innocentiam, & dum creſcunt furore, causâ minuuntur. Timendum eſt ne iſtius quod geritis tam diuturno, tempore & tanta malignitate Clementiſſimus Dominus offendatur. Non ignoratis quanta ſeueritate Chriſtus omnia de regno ſuo ſcandala voluerit amputari, vt qui eorum authores, inſſerit mala aſinaria collo appenſa in flumen mergi. Nolim equidem facta Principum aut durius interpretari, aut celerius damnari. Sed tamen cauendum eſt, ne ſi tot calamitatis & funera ſerpant ipſa odij contagione longius, piorum omnium offendatur animus, & ne impiorum dicaces linguæ in Regionem noſtram exacuantur. Stupebant olim Gentes charitatem Chriſtianorum. Vide vt ſe diligant. Vide vt pro ſe inuicem mori ſint parati. Capiebantur admiratione virtutis qui nondum nouerant fidem: Nihil humile, nihil profanum ab ea mente expectabant quæ ſe fraterno Amori dæuouiſſet. At nunc ſi ſpectent Ethnici fratribus aduerſa fratrum ſigna, quid aliud dicant, niſi, vide vt ſe trucidant, vide vt laniant, vide vt mutuis ſeſe odiis diſcerpunt! Aut illi ſine Chriſto, aut Chriſtus ſine pace. Durum dictu, ſed verum, Multum res Dei patitur in iſtis diſſidiis detrimenti, multa & horrenda luget Eccleſia, aut ipſa quam profitemur Religio noſtros errores accuſat, aut ipſi accuſamus Religionem. Per nos inſultant fidelibus infideles, ſacris profani, Chriſto Iudæi, Eccleſiæ Barbari Siuile noſtrum nobis eſt decus, cur Dei prodimus honorem? cur hereditatem dilapidamus?

Deinde quis eſt tam excors vt non videat diſſenſionem Chriſtianorum ſemper extitiſſe infidelium prædandi occaſionem? Dum hac atrocitate cognatæ inter ſe noſtrorum acies confligerent, nobis Rhodum, nobis Conſtantinopolim, duo nobis Imperia Turcæ eripuere. Num putamus miſerandum Dei indulgentiam quodam miraculo feciſſe, vt tam acerbum hoſtem, bellum Perſicum à noſtris cladibus auocaret? Sed hoc magnopere timendum, ne ſi tot iratum turbines pergant inſanire, ad laceras miſerorum regnorum reliquias, aperto per nos aditu violentus & ferox aduolet. Verendum ne Prouidentia Numinis toties noſtris iniuriis laceſſita, iam per fraterna diſſidia conciſos frementi prædam Leoni obiiciat. Non aliis de cauſis, non aliis facinoribus, maxima ſæpè conciderunt imperia, & nocentes Dominos aliena dominatio preſſit, alliſa poſteritas deſtituit, num poſtea infelicium Regum manes æterni in ima nocte circumſtarent gemitus, per quos contigiſſet, Chriſti regnum in Sarracenorum manus poteſtatemque deuolui?

Addite iam PRINCIPES, veſtrorum ſubditorum graues ærumnas, & loboriosam ſeruitutem. Cogit vos neceſſitas membra deuorare veſtra vt quæratis aliena. Tot populi à Præpotenti Deo veſtræ pietati & curæ commiſſi, vt per pacem & concordiam, per cultum Numinis legeſque ſanctiſſimas in felicitatē coagmentetur, aut hoſtium,

Digitized by Google

furori patent infelices victimæ, aut per implacabilem exactorum auaritiam ad imas vſque medullas depaſti, ſub grauiſſimis oneribus ſuſpirant. Quibus pepercit gladius hos per lentas mortes egeſtas depopulatur, fames enecat, obruit calamitas. Viuunt cœli ſolique extorres, non illis patria, non domus, non quies, non cibus. Rem olim optatiſſimam timent atque oderunt fœcunditatem, ne cum bonorum non poſſunt, filios miſeriarum habeant hæredes: Vitam quam per tot diſcrimina ſeruauere, incipiunt deteſtari, vobis inutilem, ſibi calamitoſam. Spoliari ſemel omnibus cupiunt, ne quotidie ſpolientur. Sed patiuntur interim res diuerſiſſimas, amiſſionem omnium & capitationem ſingulorum. Deueniunt in ſæuum neceſſitatis imperium, vbi nec viuere honeſtis licet, nec quietis mori, fiunt de hominibus ſpectra ſibi ipſis formidanda. Vindicant ſe interim non ſemper inanibus diris, & per tot lucis tædia lux, omnis decurrit, Dum cenſus illis deperit, perit erga vos Amor, qui veſtras olim Coronas ſuis manibus texuit & ornauit.

Cogitate, PRINCIPES MAXIMI, ſupremam poſt Dei honorem & cultum legem exſtare vobis, Populi ſalutem. *Non mihi*, dixit olim fortiſſimus Imperator, *ſed exercitui ſitio.* Non tam vobis ipſi nati eſtis, quàm ſubditis. Illorum curæ ſi ſapitis vos excruciant, onera fatigant, premunt miſeriæ, querelæ exanimant. Quid prodeſt ſeruari deſolatis, & ab hoſte direptiones defendi, Miſerrimus eſt Paſtor à quo plura tutelares Pecoris Dij exigunt, quam vorare poſſint Lupi.

Iam verò, quod infeliciſſimum eſt exhauſto cenſu, iacente animo omnes Virtutes iacent, ſilent leges inter arma, blaſphemi loquuntur, gladiatores impunè debacchantur, latrones ſpoliant, inſidiantur homicidæ, effrænata libido graſſatur. Conuulſa profanis ignibus flagrant templa, diſiiciuntur aræ, corruunt ſepulchra gementibus ipſis mortuorum manibus, calcatur iuſtitia, luget Religio, animis mœrore oppreſſis, languet pietas, non ſolùm omnia peruertuntur, ſed peruerſa negliguntur? quaſi ſic oporteat, ſic expediat fieri, ſic iubeat criminum Mater neceſſitas.

Quod ſi res etiam veſtras ſpectetis, obſecro, PRINCIPES, Quid poteſt eſſe vobis inter tot bellorum funera iucundum? Mouendæ ſunt vobis terræ, inquietanda maria, eundum per tot pericula ad maius periculum. Quærenda mors cuique obuia per duriſſimos labores, non erratutis ſi pax peteretur. Multa domi infida, foris infeſta ægrè magni parantur exercitus, faciliimè dilabuntur. Mars communis & incerta prœliorum alea. Proſperæ res non ſatiant, aduerſæ lato vulnere feriunt & altiſſimè aſcendunt in pectus. Ipſæ ſæpè Victoriæ noua ſunt rixarum & dolorum ſemina. Nec erectis ſtare, nec lapſis iacere licet. Creſcũt vbi ſemel cœpere diſcordiæ & viuaces nutriũt flãmas, trahũt ſæpè Victi Victores, & nimia fortuna ſuper ipſas glorias ruit; Omnia expectantibus pauida, ſæpè fallacia ſperantibus, horrida deſperatis Ingreſſus bellorum turbidi, progreſſus dubij Exitus crebrò miſerandi. Exhauriuntur pecuniæ ad emenda regna ſuffecturæ, amiſſi lugentur Duces, quibus nihil deerat præter immortalitatem. Obrepunt lauro cupreſſi, & palmis funera diſtinguuntur. Stant victores ſuper oppreſſorum ruinas: ipſi exhauſti ſanguine & viribus, tumulo propiores, quàm triumpho. Perditum crederes Regnum, niſi crederet hoſtes perdidiſſe. Quanto ſatius eſſet pacificis, vti indulgentia fortunæ, nec toties in vos prouocare fata ceſſantia.

Certè ſi quis ſenſus Chriſtiani nominis, ſi quæ miſeratio humanitatis, mouere debet animos afflicta iam omnium pene quæ Chriſto militãt nationum conditio, & duriſſimum cuique videri, per fraternas acies excindi gentem, quam Chriſtus Dominus ſibi peculiari iure deſpõſauit. Germania illa quondam, (vt aiunt) vagina populorũ, mater fœcunditatis, domicilium literarum, & Martis officina, nunc latè ſquallentibus campis mœret, tot diruptis vrbib. tot viris exhauſtis, tot conſumptis opibus, tot templis diſiectis, tot ſacrariis expilatis, miſerandum ad extremos vſque cineres inſultantis fortunę ludibrium. Lotharingia Solymã calamitatib. vicit, & ea pertulit quæ tacere ſupra omnem barbatiẽ fit, & ſupra omnẽ miſeriam pati. Belgium per cicatrices quotannis petitur, & lenta inter funera trahitur. Peruaſit Angliam arcanum virus, & inopinantes in cœcum Martem traxit. Hiſpania tamdiu victrix, tamdiu belli & tumultus neſcia, iugi ſemper impatiens,

Digitized by Google

patiens, & malorum expers, per iugulum petita eſt. Timor afflauit Romam, libauit ferrum Italiam, & niſi Principibus, rebuſque publicis mens ſagax ſolerſque conſilium conſtitiſſet, niſi intentæ & in ſalutem publicam vigiles curæ, timendum illi fuit, ne in commune exitium rueret. Ecquid intactum? ecquid non miſerum? Si tu *Victrix Prouincia ploras*, ſi tu Gallia tam ſæpe hoſtium triumphatrix luges, è tuis viſceribus peti tela quæ in alios ſpargantur? Conuelli te diſiicias, perdi vt perdas? Quid proſunt ægris & inter rapinas bonorum mœrentibus populis ſteriles laureæ; quid defecto corpori, & tot febribus æſtuanti immiſſi naribus flores? Malignum certè ſolatij genus, ex aliorum doloribus ſuam computare felicitatem. Nihil tot cladibus lætum, nihil incolume. *Iſai.* 1. 5. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vſque ad verticem non eſt ſanitas. Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non eſt circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.*

O ſi quis rerum pòtens ex alta ſpecula Chriſtianum orbem, in tot miſeriarum incendiis ſuſpirantem poſſet intueri, totis certè cōmoueretur viſceribus, & crudelem ſeſe exiſtimaret, niſi faceret ſalutarem! Duræ aures quæ hæc inflexæ audiunt, Duriores oculi qui vident immoti! Dicā profecto Principes optimi, quod ad rem veſtram maximè ſpectat; dicam quod vtilitatem ſimul & gloriam veſtræ dignitatis cōplectitur; Sint opto veſtra imperia firmiſſimis fixa radicibus, ſint vrbes ſubditæ, ſint obſequioſi ciues, ſint pacata in domeſticis omnia. [*Hac multos ante annos ſcripta, quæ vera multi euentus prodidere.*] Sed vereri tamē oportet, ne populi qui ſe ſub Regib. tā durè haberi vident, & vicinis ſibi Reſpublicas tanta lenitate perfrui, incipiant monarchiam odiſſe, & ſe legitimis (quod nefas eſt) Dominis ſubtrahere, vt malorum inueniāt in libertate perfugium.

Iniquum certè eſt hodie ſolas reſpublicas pacate degere & regna Chriſtianorum vbique conuelli, & miſera laceratione diſcerpi. Atrox Imperij rigor multa ſæpè Imperia diſſoluit, & durior ſeruitus populos in libertatem aſſeruit. Poſt inquinata Regum Hebræorum tempora, reuerſis iam ex longa captiuitate Iudæis auerſa mens à Regibus, & quingentis ferme annis, nullus de diademate cogitare auſus ante Ariſtobulum, qui id ſibi aſſumpſit potius quam recepit, nec ſatis fundatum, nec in fragili atque infelici ſobole diuturnum.

Regnauit Athenis Cecrops Moſis temporibus, quem ſeptendecim Reges ſunt conſecuti: Quidam faſtu & inertia partibus Archontes perpetui de ſolio deiecere, cumque Imperij diuturnitas ſecuritatem illis faceret vitiorum, ad decennales, res tandem redacta eſt.

Spartanorum Reges faſtigij, quoque ſui gloria laſciuientes diu ſors non tulit. Temperauit ſceptrum Lycurgus, inſtituto viginti octo virorum ſenatu, Senatoribus additi poſtea Ephori, authoritate contra Reges nimia, & omnibus inuidioſa.

Romæ regnatum initio à Regibus ſeptem, quorum poſtremi cum gentem Martiam per omnem petulantiam regeret, magna vi & ingenti dedecore expulſi æternum fere Regiæ poteſtatis odium liberis ceruicibus reliquere.

Nihil attinet hic antiqua percenſere tempora, noſtro ipſi ſæculo vidimus quantas furentibus populis faces rigidior poteſtas ſubiecit, qui omnia paſſi, omnia quoque tentare auſi, quæ pertulerant regna, longis & atrocibus bellis vſurpauere. Abſit à veſtris ſubditis tam læua mens, abſit quoque à vobis contemptus & rigor, ne diuina faciat manus quod pauci formidant, nulli facere audent, omnes exhorreſcunt. Date igitur Principes feſſis rebus ſolatium, & pacem turbidis in quam omnium vota conſpirant.

Ecce tandem Dei ſingulari munere datus nobis Pontifex optimus Maximus, vir integerrimæ vitæ, conſummatæ peritiæ, ingentis animi, & zeli ardentiſſimi, in quem omnium ſuffragia mirificè conſpirarunt. † *Eccl.* 50. 8. Hic eſt *arcus refulgens inter nebulas gloria*, vt à Sapiēte dictum eſt. Hic eſt quem poſt tot procellas, tot tempeſtates, poſt hoc Chriſtiani generis diluuium, Deus oſtēdiſſe videtur, quaſi reſtauratorem rerum, pacificatorem mundi, malorum vindicem, bonorumque largitorem. Et quidem non humano conſilio ſed diuina prouidētia factum eſt, vt in auitis inſignibus columbam præferret oliuæ ramo inſignem quæ haud vanis nunciet auguriis, iam cœleſtis illius Sionis quæ tota in pace, tota in cōcordia poſita

ſita eſt:huic veluti Patriarchæ Noëmo apparere montium cacumina. Hæc eſt (opinor) Columba de qua cecinit Propheta, *Pſal.67.v.14. Pennæ columbæ argentatæ,& poſteriora eius in pallore auri*, vel vt alij vertunt in *auro obrizo* , hoc eſt optimo.

Argento purior ſemper extitit INNOCENTIVS per mores candidiſſimos , ſed nunc poſteriora vitæ ipſius ſæculum aureum mundo pollicentur. Hic non ſocordi magnitudine luxurians , inter gemitus Eccleſiæ feriatur,ſed labore impigro, & animo ſemper vigili, pro Chriſto ſpirat illuſtribus curis intentus, & incumbit humani generis ſolatio. Adiuuat PAMPHILII nomen omnibus amabile , adiuuat INNOCENTII toties hominum ſaluti conſecratum.

INNOCENTIVS primus Alaricum Imperij Romani præda exultantem ſuis precibus extinxit , & æternæ vrbis faciem feralis belli fuligine infuſcatam ſuo ſplendore deterſit.

INNOCENTIVS ſecundus Pſeudo-Anacleti ſchiſma diſſipauit,& Chriſtianum orbem ingenti diſcordia diſſipatum , annitente ſancto Bernardo compoſuit.

INNOCENTII tertij inaugurationem candidiſſima columba ad latus eius aduolans illuſtrauit ; haud dubiè deſignans impenſum ſtudium quo Principes omnes Chriſtianos inter ſe armis adſtringere fœderibus & in communem Religionis hoſtem mouere conatus eſt.

INNOCENTIVS quartus Lugdunum venit, vt pacem feſſis Eccleſiæ rebus optatiſſimam conciliaret, & Fridericum Imperatorem plurima mouentem , perturbantémque omnia , ſua authoritate ſummoueret.

INNOCENTIVS quintus *Cibo* , vbi primum coronatus eſt,ſtatim animum ad pacandas Italiæ ciuitates adiecit , & tam piis ſtudiis immortuus breuem Pontificatum paternæ in populos curæ gloria diſtendit.

INNOCENTIVS ſextus cum Galliam & Angliam exitialis belli incendium deuoraret , impigrè ſtetit pro domo Dei & ingenti ſpiritu pro pace inter Ioannem & Eduardum Reges vbique laborauit.

INNOCENTIVS ſeptimus non aliter ad hunc ſupremæ dignitatis apicem conſcendit , quam poſt fidelem operam conſtantiſſimè nauatam in mitigandis Principibus,pacificandíſque vrbibus Italiæ , quas maligna diſcordiæ vis agebat in præceps.

INNOCENTIVS octauus ſitientiſſimus Pacis inter Reges Chriſtianos fuit,& neminem mouere arma ſine grauiſſimis,& neceſſariis cauſis ferre æquo animo poterat.

INNOCENTIVS nonus cum ante Pontificatum Nuncius eſſet Apoſtolicus Gregorij XIV. apud Venetos ſex annis commoratus,hos cum ſummo Pontifice, & Philippo II. Hiſpaniæ Rege armis animíſque coniunxit , & in Turcam impulit, vnde illa celeberrima ad Naupactum victoria Sarracenorum audaciam fregit , & res Chriſtianas mirum in modum extulit.

O natum Paci Innocentiorum nomen ! ô lætam Chriſtianis appellationem ! Cumulabit Decimus quod nouem tentauere , tantò maior, quantò numerus hic auguſtior.

Perge Innocentij columba,perge, alas argenteas explica , circumuola terras, & maria, mundum luſtra, prætende vbique oliuam cœleſtem, tanto deſideratam ambitu , & tam longis expectatam votis , da pacem , pacem toties appellatam , quæ à te vncto Domini , aut à nemine hodie videtur imploranda.

Quid reſtat Principes maximi , niſi quod hactenus denegaſtis rationi , detis precibus ſi per vos liceat,ſemper inuicti. Quicquid iratos cohibere , quicquid placare poteſt armatos , vno vobis iam occurrit agmine , vt ſic orari ſit honorificum , & pudeat non exorari.

Ecce vobis Pontifex Opt.max.totius Eccleſiæ paſtor & parẽs,amicas tendit manus,& cum iubere poſſit,rogat. Agit ſupplicem , oblitus penè Pontificem:Vir cœlo dilectus,& melioribus auſpiciis natus,dignus qui vbique terrarũ circumferat felicitatem,per tot proſpera patitur vos aduerſos.Diuinum illud & faſtigio ſuo per ingeniũ tot oneribus obluctatur, acri & vegeta ſenectute,à vobis premitur.Vrgẽtur viſcera paterna,toties Filios genitura,quoties Paci cupit reconciliatos.Pudeat non audire, cuius Anteceſſorẽ audiuit Attila;Pudeat nõ obedire,cui mũdi flagellũ obtemperauit.Ætate longæuus eſt,honorate canos:Primus eſt orbis Pontifex,obſeruaſſe digni-

ratem: Pater eſt agnoſcite charitatem. Abiit vt mitiſſimus ille Iacob cogatur dicere: *Simeon & Leui fratres, vaſa iniquitatis bellantia, in conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non ſit gloria mea. Maledictus furor eorum, quia pertinax & indignatio eorum, quia dura.* Gen. 49.

Tota cum ſuo Pontifice ingemiſcit mater Eccleſia, olim triumphans, nunc deformata, ſquallore obſita, perfuſa lachrymis, confecta curis & doloribus: Obſecrat, ne permittatis Amorrhæos & Moabitas ſuis cladibus inſultare: Ne ſinatis illos petulãter obiicere, quod Barbaros habuerit veneratores, filios penè ſenſerit parricidas. Quoties per Iubilæa vidimus Sacerdotes Sanctuario cum gemitibus affuſos? Quoties Religioſos pertinaci prece fatigantes Altaria? Quoties ſacras Virgines per crebra ſuſpiria Cæleſtiũ opem implorantes? Quoties ſupplicibus votis effuſam per templa multitudinem? Quantus hic & qualis rigor, ſi, quod omen Deus auertat, tam pauci homines nolint totum Orbem exaudiri, & ferreum nobis Cœlum, ac ferè nocens faciant, dum aut non videtur audire, aut quod audit contemnere.

Vel ex vtilitate publica putant eſſe à bellis nunquam feriari, vel ex ſua: ſi ex publica, audiant *libro 4. de Ciuit. Dei cap. 3* Auguſtinum clamantem *Fragiliter ſplendidam eſſe felicitatem ſemper in bellicis cladibus, & in ſanguine ciuili, vel hoſtili, tamen humano, cum tenebroſo timore & cruenta cupiditate verſantium.* Idem lib. 4. c. 15. *Felicioribus rebus humanis parua regna eſſe concordi pietate lætantia. Procul dubio melius eſſe bonum vicinum habere concordem, quàm vicinum malum ſubiugare bellantem, Mala vota ſunt optare habere quem oderis, vel quem timeas, vt poſſit eſſe quem vincas.* Si Auguſtino non credunt, experimentis credant, & videant vt compendia captarum vrbium fuerint ſemper diſpendia capientium; & tot victoriis paratam famem & miſeriam triumphantium populorum. Quod ſi è ſua exiſtimant bellorum tumultus nunquam finiri, num iniuſtiſſimi ſunt, qui lacerati orbis lacrymas in felicitatibus ſuis ponunt, nec aliter beati eſſe poſſunt, quàm ſi omnes miſeri fuerint *Sine cognatione illum eſſe oportet*, iuxta Homerũ, ἀφρήτωρ ἀθέμιστος, ἀνέστιος, *ſine Iure, ſine Lare*, qui belli amator eſt voluntate potius quàm neceſſitate. Pauperrimum quoque, qui cunctorum calamitate diues eſt. Quàm multos mobili, & ſemper pugnaci ingenio attriuerunt pœnæ & furiæ, quas in cæteros concitauerant! Achitophelem belli Iudaici inter Patrem & Filium incentorem infamis laqueus abſumpſit. Alcimum Iudæorum Pſeudopontificem, proditorem ſui generis, facem alieni, vltrices Dei manus confecere. Alexander Macedo, dum belli vnius alterum gradum facit, quietis impatiens, & noui ſemper auidus ſanguinis, dum ſuos extra Solis & Oceani metas trudit in prælia, veneno periit ipsâ domeſticorum manu, quibus nimia pugnandi libidine cœperat eſſe odioſus. Ereptus eſt rebus humanis, vt aiunt, viridis Deus, ne mundum vltra vexaret armis, quem beneficiis demereri oportuit. Hannibalem, dum inextricabiles bellorum vbique cauſas nectit, infamis ſenectus preſſit, ſolitudo abdicauit, venenum ipſius manu propinatum ſuſtulit. Romani victores orbis, ſemper pleni, & ſemper cupidi, dum quietis ædem extra portas ſuas relegant, coniuratas in ſe omnium manus ſenſere, & ſepties captam Reginam vrbium, de qua Sibylla dixerat, ἔσαι ῥώμη ῥύμη. *Erit Roma vicus. Anno* 888.

Citatur à Cardinali Baronio Caroli Craſſi Imperatoris libellus, de viſione ipſi ante triennium quàm imperio cederet, oſtenſa, in qua narrat ſe in locis inferis & purgatoriis, vidiſſe complures Principum & Epiſcoporum, qui bellorum fomitem incendiſſent, animas grauiſſimis ſuppliciis torqueri. Eo tempore Italia & Gallia, vt ibidem doctiſſimus ille Cardinalis ſcribit, diris factionibus agitatæ atque afflictæ, & quod deterius videri potuit, & planè monſtroſum, Epiſcopi, & Abbates armati ad bella proceſſere, quod execrandum facinus cum diu inoleuiſſe in Galliis, inde factum eſt vt florentiſſimæ Prouinciæ bellis externis & ciuilibus acciſæ lugerent. Hoc quoque omnium deterrimum acceſſit, quod ab illius temporis ſcriptoribus laudati reperiantur Eccleſiaſtici, nomine bellicæ fortitudinis, cùm potius deteſtandi fuerint, tanquam Sacrorum Canonum violatores, & muneris paſtoralis deſertores, Hæc Baronius.

Varnenſis clades quæ luctuoſiſſima Chriſtiano orbi ſupra cæteras fuit, authorem habet atque adſtipulatorem è clero Iulianum, qui cum reperendi, contra fœdus, belli ſuaſor fuiſſet, ingentes noſtrorum copias Amurathis furentibus gladiis obiecit, ipſe cum adoleſcente Rege, Sarracenorum ferro conciſus. Ita contentioſos atque atroces animos Nemeſis ſequitur, nec patitur quietos qui omnium otia in turbas, ſollicitauere. Manet in cœlo vigil oculus, ſemper agens, & nunquam defeſſus, qui facta mortalium perpetuo contemplatur, & ex æquo iura diſpenſat. Venit ad diu felices ſua portio, & qui dimiſſi videntur, tantum dilati ſunt. Hæ in tam illuſtri exemplo poſita nihil mouebunt? nihil efficient?

Patientur ne iterum fratres infeſtis armis concurrere, & regna labantia tot cladibus atterere? Heu! Fratres obliti fœderis, obliti nominis volunt extra orbem furere, occidere volunt quem non poſſunt odiſſe! At, dicet aliquis, minura eſt iſta ſanguinis ratio, & ad pacem componendam parum apta. Reges enim ſubditos habent, affines & conſanguineos non habent. O vocem crudelem, hoſtem humani Generis, & naturæ parricidam! Ibi cumulum oporter eſſe criminum, vbi maximarum eſt obliuio Claritatum. Vbi Chriſtus exulat, vbi Amor non eſt, aut nullum, aut ruinæ proximum eſt Imperium. Sarracena Regna per ſcelus fundata ſtare aliquando cum ſcelere poſſint Deo furoris ſui Virgas ad noſtra ſupplicia deſtinante: Chriſtiana ſceptra, quæ per fidem & pietatem exorta ſunt, iis orbata atque diſtituta, per infamia Machiauelliſtarum conſilia omnino concidunt. Non cadit in tam pios Reges mens tam præpoſtera: Audietur aliquando Naturæ vox, Reſurget in omnium animis Chriſtus, Charitas reuiuiſcet, & laboranti Mundo tandem pacificator aliquis exorietur.

Nos licet, aliis remotos terris, iam circumfulſit Rex auſpicatiſſimus, & ſuauiſſimus infans, paci Regnorum & Orbis bono natus, O quot votis expetitus? & quanto precum ambitu ſollicitatus? O quoties ſtimulauit deſideria? Quoties omnium ſpes excitauit, excitatas mora conſumpſit, conſumptaſque renouauit? Tardè magna proueniunt: Minus fecerat, ſi properaſſet Latebat in abdita fatorum Majeſtate terris ignotus, ſed cœlo iam dictante cognitus. Oſtentatus eſt diu, antequam eſſet, nondum conceptus implebat ora vaticiniis, & paſſus fama præuolante deſignabat. Tandem emerſit aptatus infans eo menſe quem fortium Menſem appellant, ingentis animi prærogatiua. Natus eſt Sole mediam Auſtræam obtinente, legum moderatione recturus orbem: Aſcendit cum Lyra concentum facturus publicæ tranquillitatis. Quod ſi tunc exertum Scorpius aculeum præferebat, minabatur Sarracenis, & Idumæas naſcenti palmas tam ſæpe annorum ſudore nobiles promittebat. Riſere prodeunti cœleſtes domus tot auſpicantibus Diuis, & natum plauſa totus orbis excepit. Iam ſe nemo miſerum putabat ortu felicitatis. Iam nemo felicem quem ipſe non faceret. Deterſit eo die Gallia omnem bellorum fuliginem & pacis refulſit inſignibus, tot habuit ora quot flammas, Tot illi flammæ, quot ſidera.

O Dilectum Deo Ludouicum, quem regeneraſſe videtur in filio eo menſe quo natus eſt! O Annam ſerò puerperam, ſed Matrem ſemper fortunatam, quæ filium peperit non tam ſibi, quàm Galliæ ſaluti. Multum hic habet de Patre, multum de Matre, vtriuſque reddit imaginem ipſa confuſione gratiorem.

Riſum tibi faciet Gallia nouus Iſaac & quem vix audire loquentem potes, videbis conſolantem. Quot catenas rumpent tam tenellæ manus! Quot aperient carceris! quot ſoluent exilia! Quot illuminabunt obſcura tam parui oculi, Quot monſtra pedes calcabunt infantis? Silete fluctus, ſilete tempeſtates & omnes maris iræ ad tam placidi Regis nutum, & quam abſtuliſtis reddite mundo ſerenitatem. Diu illum terris cœleſtes commodate Virtutes, & quem tam ſalutarem feciſtis, facite diuturnum. Abſtinete ab illo manus fata, nec puſionem tangite niſi profutura, Facta hic auorũ & annos vincet, & mortalis natus nihil niſi immortale ſentiat. Amat, & amari velit timeat timeri. Sentiant oppreſſi liberatorem, iniuſti vindicem, hoſtes animo bellicoſum, ſed

Digitized by Google

Ciues mente Pacificum. Rapit omnes ſenſus Natalis ille, quem nobis æternæ pacis initium auguror. Specta de ſuperis, LVDOVICE, tantum filium, Spectate Reges Chriſtiani omnes quaſi nepotulum. Date rebus feſſis quietem, Conticeſcant arma ad iuſſus tanti Principis, tam potentis Oratoris, nec bellorum tumultus tam felicibus cunis obſtrepant.

Ad vos iterum totus conuertor, PRINCIPES MAXIMI, per quicquid charum eſt, rogo per quicquid ſanctum eſt, obſecro: date poſcentibus pacem, date tranquillitatem mundo in tot miſeriarum incendiis ſuſpiranti. Facite vt pacificatores vos potius ſuos, quàm veſtrorum Regnorum euerſores orbis agnoſcat. Memoriæ proditum eſt in eo fatali bello quod inter Gallos & Anglos diuturnâ contentione & feris cladibus tractum eſt, pium Anachoretam, quem vulgo Ioannem Gandauenſem appellabant, ex ſyluis Deo inſtigante in aulas Regum deueniſſe, vt ferales inter ſummos Reges diſcordias componeret. Ab Anglo ſpretus & proteruè repulſus dira illi omnia denunciauit non vanus augur. Ad Carolum autem Galliæ digreſſus, cum Principem deprehendiſſet ingenio miti & ad pacis conditiones inclinante, prædixit fore, vt recuperato Regno Delphinum, quem omnibus votis naſci optabat, haberet regni ſucceſſorem. Vaticinium proſpero euentu ſancitum, adeò pacis filios Deus amore proſequitur, bonorum affluentiâ cumulatos.

Timeat ille quiſque pacificis omnium votis reluctabitur, grauem ſibi & ſuis de cœlo manum rerum ſucceſſus infauſtos, vitam in turbido, mortem in incerto. Cogitate, PRICIPES OPTIMI, & Maximi, num ſit æquiſſimum, quicquid poteſt eſſe in hoc fœdere pacis detrimenti, quicquid honori, quicquid putatur Imperio detractũ, fortunatiſſimis totius Chriſtiani orbis commodis compenſari. Hoc planè locuples eſt, hoc magnificum, hoc verè Regium, & ad omnem ſæculorum memoriam propagandum.

Mementote vos Chriſtianos imperare Chriſtianis, tales vos hominibus præbete, qualem vultis vobis præſtari Deum. Hoc quicquid eſt vitæ anceps & lubricum, quicquid eſt dignitatis fragile, quicquid eſt virtutis, voſtrã ſpectat æternitatem. Manet vos ingens & ſpectatiſſimum Tribunal, manet Iudex puriſſima luce circumfuſus, ſub quo nec latere abdita, nec fucata fallere, nec peruerſa vincere vnquam potuerunt. Stabunt ad eius conſpectum exutæ corpore, fortunis, imperiis, Regum animæ, iuſta & iniuſta clariſſimo fulgore viſuræ. Illic tonabunt ſupremi Numinis edicta, clamabunt oppreſſorum gemitus, lachrymæ pauperum loquentur. Pro diuulſis aris ſtabunt tutelares Diui, & aduerſus contumaces omnis Militia Cœleſtis conſurget. Date operam PRINCIPES ſemper pij, ſemper inuicti, vt quæ vobis inuitis & reluctantibus per armorum licentiam ſunt commiſſa, per æquitatem veſtram emendata, nullam ſæculo labem, nullam veſtro nomini maculam relinquant. Efficite vt iuſtitia & pax in mutuos conueniant amplexus, per veſtra Regna, per veſtras vrbes triumphali ferantur pompâ, totius orbis humeris portentur in fixas & æternas ſedes, quas vt veſtræ bonitatis monimenta, & felicitatis noſtræ pignora colere ac venerari perpetuo licebit.

PAX SVPER ISRAEL DEI.

EXER

EXERCITATIO X.

TRIBVNAL ELOQVENTIÆ,

Siue

DE GENERE IVDICIALI.

PROOEMIVM

CVm nulla ſit pars Eloquentiæ, cui vita ciuilis plurimum non debeat illud ſibi præ cæteris vendicat Genus dicendi Iudiciale, vt totum ſimul ad vtilitatem publicam, ſimul ad priuatam referatur. Perierat innocentia, niſi eam ab inimicorum telis facultas hæc defendiſſet; in Republica ſcelerati triumphaſſent, niſi eadem nefarios illorum impetus coërcuiſſet. Huius opibus Demoſthenes exultantem Æſchinem fregit, Midiam confidentem diuitiis profligauit. Androtionem perditum Ciuem à Reipublicæ gubernaculis repulit, Ariſtocratem & Timocratem periculoſis legibus Remp. pertubare cupientes frænauit, Theocrinem & Ariſtogitonem Sycophantâs exploſit; Euxitheum ex Eubulidis factione vindicauit. Sed ne obuia enumeratione ſimus longiores, habetur in hac extrema Eloquentiæ parte Tribunal miſeris ſuauiſſimum, reis formidoloſum, ex quo nempe Eloquentia in ſceleratos Æquitatis aculeos exerit, eademque pro calamitoſis feliciſſimè dicit. Immutata eſt fateor contentionis forenſis ratio, itaut à veteri nonnihil diſcrepet hodierna, ac antiquæ placita, vt emerita fortè iam ſint, habent tamen adhuc vſus ſuos, & radios ex ſe profundunt, quibus etiam noſtra fori ratio illuſtretur. Eſto enim non eâ pompâ modò patroni cauſas agant, & exordio motúque animorum vt plurimum abſtineant, at cum reliquis generis Iudicialis armis, vel aperto marte, vel certè per cuniculos Clientum ſuorum ius muniant, rectè nos operam poſituros credidimus, ſi detergenda ea, hac extrema Tractatione, ſuſciperemus. Eam ob rem hanc Euphrates magni nominis Philoſophus apud Plinium Iuniorem lib. 1. epiſt. 10. affirmat eſſe Philoſophiæ partem pulcherrimam, agere ſcilicet negotium publicum, cognoſcere, iudicare, promere, & exercere iuſtitiam. Forum igitur ſedem componendis litibus deſignatam ingrediamur, & tantum Themidem Deam ſalutemus, quæ paucis dùm veris, coli deſiderat.

LECTIO I.

Generis Iudicialis, Dignitas ac Præſtantia.

SI Iuſtitia virtutum Regina plurimum ſplendoris in rebus humanis obtinet, quid genus Iudiciale, quod in eâdam virtute generis humani cuſtode fortiter aſſerenda tota verſatur, ingens ſibi decus excellentiæ vindicabit? Neque verò fuit vlla natio tàm ferox naturâ, tam ingenio exilis & inculta, quæ, ſi modò Reip. ſpeciem aliquam habuit in animo, ſtatim leges & iudicia foráque non erexerit, vt tranquillitatis publicæ priuatæque propugnacula, vt omnium ſalutis præſidia, ornamentáque dignitatis: Nulla, quæ Iudices, vt Reges, imò Deos terreſtres non venerata ſit, quibus nihil aut ad ſapientiam grauius, aut ad dignitatem honorificentius, aut ad omnium vtilitatem melius eſſe poſſe iudicauit quocirca magna ſemper extitit generis Iudicialis dignitas, in qua Regina Eloquentia triumphauit. Huius perfectam habet comm endationem Antonius apud Ciceronem 2. de Orat. n. 72. *Omnium cæterarum rerum Oratio, mihi crede, ludus eſt homini non hebeti, neque non inexercitato neque communiam litterarum, & politioris humanitatis experti, in cauſarum contentionibus magnum eſt quoddam opus, atque haud ſciam, an de humanis operibus longè maximum: in quibus vis Oratoris plerumqua ab imperitis exitu, & victoria iudicatur, vbi adeſt armatus aduerſarius, qui ſit, & feriendus, & repellendus, vbi ſæpè is, qui rei Dominus futurus eſt alienus, atque iratus, aut etiam amicus aduerſario, & inimicus tibi eſt, cùm aut docendus is eſt, aut dedocendus, aut reprimendus, aut incitandus, aut omni ratione ad tempus ad cauſam Oratione moderandus, in quo ſæpè beneuolentia ad odium, odium autem ad beneuolentiam, deducendum eſt, qui tanquam machinatione aliqua, tùm ad ſeueritatem, tùm ad remiſſionem animi, tùm ad triſtitiam, tùm ad lætitiam eſt contorquendus* Quibus genus hoc, & dignitate cæteris, & difficultate Tullius præferre non dubitauit.

Nec eſt quod quis Ariſtotelem opponat 3. Rhet. cap. 17. τὸ δὲ δημηγορεῖν χαλεπώτερον τῦ δικάζειν, nempè quod difficilius ſit cognoſcere futura, de quibus deliberatur, quàm præterita de quibus iudicatur.

Ariſtolem ariſtoteli ſi prudenter opponamus, rem confecerimus; ille ſiquidem ait ibidem, in genere Iudiciali requiri genus dicendi longè exquiſitius, quàm in cæteris longéque difficilius ſuum finem obtineri Oratorem in Iudiciali, quàm in Deliberatiuo, quòd multò pauciores iudiciis interſint, quàm concionibus, longéque maioris ſit operæ iudicem peruincere, quàm multitudinem in ſententiam ſuam adducere: in qua licet multi diſſentiant à nobis, erunt tamen qui aſſentiatur non pauci: quod in Iudiciali non accidit; nam ſi vnum vel alterum minus æquum, aut adverſarium habes, nihil proficis. Eamobrem Cic. queritur in Orat. pro Deioraro quod præter conſuetudinem cauſam defendat, non in loco patenti, quo roſtris, ſed intra domeſticos parietes Cæſaris, pro Popul. Rom. ad audiendam Deiotari cauſam non admittitur, n. 3.

Moueor etiam loci ipſius inſolentia, quòd tantam cauſam, quanta nulla vnquam in diſceptatione verſata eſt, dico intra domeſticos parietes, dico extra conuentum, & eam frequentiam, in qua Oratorum ſtudia niti ſolent. In tuis oculis, in tuo ore vultúque acquieſco: te vnum intueor: ad te vnum omnis mea ſpectat Oratio: quæ mihi ad ſpem obtinendæ veritatis grauiſſima ſunt, ad motum animi, & omnem impetum dicendi, contentionemq́, leuiora. Hanc enim Cæſar, cauſam ſi foro dicerem, eodem audiente, & diſceptante te, quantam mihi alacritatem Pop. Romani concurſus afferret, &c.

Deliberatiuum quidem plus in Inuentione laborat: in elocutione, & audiroribus Iudiciale contendit; vndè factum, vt de Orat. 1. num. 213. definiturus Oratorem, huius tantum meminerit generis, cùm dixerit, eum eſſe, qui & verbis ad audiendum iucundis, & ſententiis ad probandum accommodatis, vti poſſit in cauſis forenſibus, atque communibus.

Digitized by Google

Pvnctvm I.

Nomen.

QVod ad nomen attinet à Latinis Iudiciale dicitur, quòd in iudiciis cauſíſque forenſibus verſetur: ab iiſdem vocatur Contentio cauſarum, apud Quint. lib. 3. cap. 8. nomine controuerſiarum deſignatur: à Græcis verò *δικανικὸν* quòd in eo, lite contendatur.

Pvnctvm II.

Diuiſio finis.

FAbius inſtit. lib. 3. cap 10. ex variis Orationibus, varias formas Iudicialis generis colligit; quarum primam ſimplicem vocat, cùm ſcilicet vnam rem, ſeu crimen vnum tantùm proſequitur, vtputà furtum, aut veneficium.

Alteram appellat coniunctam, in qua plura genera, vel eiuſdem generis, vt in pecuniis repetundis multa furta; in homicidiis, multæ hominum cædes obiiciuntur: aut diuerſi, vt cùm ſimul & ſacrilegij, & homicidij aliquis accuſatur.

Tertia comparatiua dicitur, in qua quæritur, non quid æquum ſit, ſed quid æquius, videlicet, vter de duobus, qui æquali iure diſceptare videntur de hæreditate, ea ſit dignior.

Quas omnes formas vidit Tull. in partic. n. 98. cùm ait, in hoc genere non ſimpliciter tantùm, ſed comparatione ſpectari æquitatem: vbi etiam indicat ad hanc extremam formam pertinere illam, quam diuinationem Rhetores dicunt, in qua de veriſſimo accuſatore diſputatur, & ex multis qui accuſare, volunt, eligitur ille, qui ex iure actionem, præ reliquis, intendere debet, qualis eſt in Verrem diuinatio.

Præter has Quintil. aliam adinuenit, quam *ἀντικατηγορίαν* vocat, mutuam ſcilicet accuſationem, cùm alter alterum accuſat, ciúſque duas ſpecies facit, vnam quidē, quâ accuſatores idem crimen ſibi intentant. Milo dicebat ſibi factas à Clodio inſidias, Appius contra Milonis accuſator contendebat illum Clodio poſuiſſe; alteram in qua diuerſa crimina ſibi obiiciunt, vt cùm qui furti accuſat alium, ab eodem accuſatur homicidij.

Generis huius finem aſſignat Ariſt. 1. Rhet. c. 3. τοῖς δὲ δικαζομένοις τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον. Iudicialibus iuſtum, & iniuſtum propoſitum eſt, partic. num. 98. *Eius quidem generis finis eſt, æquitas: quæ non ſimpliciter ſpectatur, ſed comparatione nunquam.*

Pvnctvm III.

Materia.

MAteriam porrò primùm colligunt ex tempore, quod huic generi aſſignat Ariſtot. ante laudatus τῷ δὲ δικαζομένῳ χρόνος περὶ τῶν πεπραγμένων· ἀεὶ ὁ μὲν κατηγορεῖ, ὁ δὲ ἀπολογεῖται; Iudicia verò tractanti præterita; nam de factis ſemper vnus accuſat, alter defendit; quibus verbis indicat res præteritas huius generis proprias eſſe, quod non ita accipiendum eſt, quaſi res omnes geſtæ ad Iudiciale genus reuocentur; ſed hæ tantùm, quæ in iudicialem controuerſiam cadere poſſunt. Quæ Cic. 45. Oratoris & 101. partionum ad tria reuocat capita; Quoniam quidquid eſt quod in controuerſia, aut in contentione verſatur in eo, aut ſitne, aut quid ſit, aut quale ſit, quæritur, &c. Quibus indicat tres ſtatus, ſeu quæſtiones, ad quas Rhetores, locos omnes inuentionis, & cauſas, ſeu contentiones, referunt.

Pvnctvm IV.

De Statibus.

NOn eſt ſatis Patronum & Iudicem pietatis armis & eloquentiæ præſidiis inſtructum eſſe, niſi cauſarum notitiā tractationémque perfectè teneat: eam ob rem magni momenti præceptum eſt iſtud Antonij 2. de Orat. 99. *Hoc primū præcipiemus, quaſcumque cauſas erit acturus, vt eas diligenter, penituſq́; cognoſcat;* Tametſi, vt idem ait

Digitized by Google

ait Antonius, *non tàm acutum, quam neceſſarium, magiſque monitoris, non fatui ſit, quàm eruditi magiſtri*. Eſt enim in omnium oculis poſitum prius rem aliquam intelligendam eſſe, probéque cognoſcendam, quàm de ea quis dicere aggrediatur. Quo maior eſt eorum culpa, ſeu negligentiæ, ſeu perfidiæ, qui ſuſcepta cauſa, eam non ſtudent penitus cognoſcere; qui effugere non poſſunt, quin malè dicant, ac turpiter. Vt enim affirmat idem, nemo poteſt de ea re, quam non nouit, non turpiſſimè dicere; quàm multa enim tacitus præteribit, in quibus magna vis erat ad rem ſuam confirmandam? quàm multa perperam tractabit, quæ ab iis, quibus cauſa ſit cognita, rideantur, aut culpentur? Denique quàm multa contra cauſam ſuam, aut ipſe afferet aut ſi id cauebit, ab aliis afferenda, ſibique obiicienda; non præuidebit, non refellet?

Plurimum autem adferet adiumenti ad integram cauſæ cognitionem, ſi Antonium imitemur, quæramúſque ab iis, quorum res agitur, quid in ſua cauſa putent eſſe præſidij, quid in aduerſatiorum, iubeamúſque eos proferre in medium, quidquid de ſua re cogitauerint: Dein, de dimiſſis, perſonas ſuſtineamus ſumma animi æquitate, noſtram, aduerſarij, Iudicis, omnéſque locos perueſtigemus, qui vel nobis, vel aduerſario adiumento eſſe poſſint, meditemúrque quid iudex aut auditor probaturus eſſe videatur, in noſtra vel aduerſarij cauſa, vt quæ in re noſtra firma eſſe viſa fuerint, ea dicamus, contrariis occurramus, aut reſpondeamus ſi è re noſtra eſſe iudicemus; ſin minus totum huiuſmodi locum omittamus: quæ cognitio tota pendet è ſtatu quæſtionis multiplici.

Et quoniam vt ad ſcopum ſagittarij ſagittas, ſic oratores argumenta dirigunt, & probationes ad ſtatum, qui neceſſario eſt adhibendus, vt argumento cognito, de quo dicturus eſt orator, ad id veluti conferat omnia, videndum.

PVNCTVM V.

Quid ſit ſtatus.

GRæcis *στάσις*, cauſæ conſtitutio Cornificio, vertex & cardo Celſo, Ciceroni in partic. 102. *Quæſtio diſtincta gradibus*, quos tres facit idem. In omnibus, inquit, cauſis tres ſunt gradus, ex quibus vnus aliquis capiendus eſt, ſi plures non queas, ad reſiſtendum. Nam aut ita conſiſtendum eſt, vt quod obiicitur, factum neges, & ita ſit primus ſtatus qui dicitur coniecturalis, in quo quæritur an ſit.

Aut illud quod factum fateare, neges illam vim habere, atque id eſſe quod aduerſarius criminatur; & ſic conſtituitur ſecundus ſtatus definitionis, in quo quæritur quid ſit, qui ſtatus definitione, atque deſcriptione, aut informatione verbi deſignatur.

Aut, ſi neque de facto, neque de facti appellatione ambigi poteſt, id quod arguitur, neges tale eſſe, quale dicitur, & rectum eſſe, quod feceris concedendúmue defendas: & hic tertius ſtatus caſus qualitatis, in quo quæritur quale ſit.

Quoniam autem ſtatus cauſæ oritur ex contentione, & conflictu cauſarum, oportet noſſe quomodo conflictus ille fiat, quibúſque gradibus ad ſtatum perueniatur: quod explicat Cic. partic. 102. In omni diſceptatione primus gradus eſt Accuſatio Milo Clodium occidiſti, ſit Defenſio: iurè occidi.

Secundus Contentio, quæ eſt quaſi generalis quidam ſtatus, vt in cauſa propoſita ex accuſatione ſimul, & defenſione oritur contentio, an iurè occiderit: neque tamen hîc conſiſtit proprius ſtatus huius cauſæ; nam additur quartus gradus in quo eſt ratio, quæ affertur à reo, depellendi criminis cauſa, vt iurè occidi, quia inſidias mihi poſuerat.

Quintus firmamentum dicitur, quod nihil aliud eſt, quàm ratio accuſatoris, quæ profertur ad labefactandam rationem Rei, quæ ideò fundamentum vocatur, quòd in ea conſiſtat tota vis accuſationis, vt in hac cauſa, non licuit tibi inſidiantem interficere.

Ex quibus omnibus ſextus oritur, & extremus ſtatus, qui dicitur Diſceptatio, in qua quid veniat in iudicium, & de quo diſceptetur quæri ſolet, vt hic, liceátne inſidiatorem occidere; atque ita ſex ſunt gradus, quibus ad ſtatum peruenitur.

Non eſt tamen ita accipiendum, vt ſtatus omnes tot gradibus conſtent, quod ſingulorum explica

plicatione clarum fiet: Coniecturalis ſiquidem, vt ait Cic. diffuſam habet quæſtionem, ideoque in quinto gradu conſiſtit, atque tantùm tribus partibus conſtat, Accuſatione ſcilicet, occidiſti Clodium; Defenſione ſeu Negatione, non occidi, & Contentione in quo eſt ſtatus, an occiderit; qui Coniecturalis ideò vocatur, quia ad probandum factum, quod negatur, abſolutè adhibentur tantum coniecturæ.

Qualitatis verò ſtatus ſex illis gradibus conſtat, vt patet in allato nuper exemplo, qui hoc in ſtatu verſatur; in eo ſiquidem, neque dubitatur, an occiderit Milo, nec vtrum occidendo commiſerit homicidium, ſed quæritur, quale ſit iſtud, iuſtum, an iniuſtum, vndè ſtatus qualitatis dicitur, à quo agitur de iure definitionis, etiam ſtatus totidem conſtat gradibus vt clarum eſt in exemplo quod Cic. partic. num. 105. proponit, quodque ſic digeri poteſt.

Accuſatio. Reus es maieſtatis minutæ Næui, quia contra Cæpionem egiſti turbulentiùs.

Defenſio. Non ideo minui maieſtatem.

Contentio. An Næuius contra Cæpionem turbulentiùs agens Maieſtatem minuerit?

Ratio. Non minui, inquit Næuius, quia cùm Majeſtas ſit magnitudo quædam Populi Ro. in eius poteſtate, ac iure retinendo verſatur, aucta eſt potiùs, quàm diminuta tumultu.

Fundamentum. Imò verò minuiſti, quia is Po. Ro. dignitatem minuit, qui per vim multitudinis, rem quamlibet ad ſeditionem vocauit; ex conflictione & quaſi concurſu rationis & firmamenti naſcitur ſtatus definitionis, minueritne Majeſtatem, qui rem gratam populo, per vim egit, qui defenſionis appellatur, quòd quæratur natura, & appellatio criminis, ſitne ſimplex ſeditio, an crimen læſæ maieſtatis.

PVNCTVM VI.

Controuerſia ſcripti.

PRæter hos ſtatus oriuntur non paucæ Controuerſiæ ex ſcripto, quas Cic partic. 107. in grauiſſimis firmamentis eſſe ponendas ait, atque diſtinguendas à ſuperioribus, quia ne hoc quidem genus, in eas cauſas incurrit, quæ coniectura continentur. Quod enim factum negatur, id argui non poteſt ſcripto. Nec in definitionem quidem venit, genere ſcripti ipſius. Nam etſi verbum aliquod de ſcripto definiendum eſt, quam vim habeat; non ſcripti genus, ſed verbi interpretatio, controuerſiam parit.

Primum quæritur quid ſcripto ſignificetur. Scilicet teſtamento mandauit aliquis ſibi fieri ſtatuam, auream haſtam tenentem, aut Taurum, ambiguitas in ſcripto eſt, quòd adiectiuum illud, *auream*, vel ad *ſtatuam* ſolam, vel ad haſtam poſſit referri, vndè dubitatur fierine tota debeat ſtatua, an verò haſta ſola aurea, item de ſeruo cognomine Tauro, an de animali.

Secundum quæritur voluntas, & ſententia eius, qui ſcripſit, nempe cum ſcriptoris voluntas à ſcripto videtur diſſidere. Lex eſt *Peregrinus ſi muros conſcenderit capite plectitor.* Cum hoſtes muros occuparent, peregrinus conſcendit, & depulit hoſtes, accuſatur, quòd contra legem fecerit; ſe verò defendit legiſlatoris voluntate, quia ſi præuidiſſet hunc caſum, excipiſſet. In hac quidem Controuerſia ſcriptum quidem clarum eſt, ſed in mente ſcriptoris eſt ambiguitas.

Tertium, cum ſcriptum ſcripto opponitur vtputà duæ ſunt leges. 1. *Dux ab arce ne deſcendito*; altera, *Dux victor quod præmium volet, poſtulato.* Ex hac lege Dux præmium hoc ſibi victor poſcit, vt liceat ſibi ex arce diſcedere. Obiicitur illi prima lex? ſecundâ ſe tuetur ipſe, & ſic oritur contentio, vtra lex ſit potior. Eadem eſt illa Rapta, raptoris mortem optet, aut nuptias, Rapta eſt puella quædam à duobus, illa vnius mortem, alterius nuptias optat.

LECTIO III.

Inuentio generis Iudicialis.

IN Demonſtratiui generis Inuentione dictum eſt, apud Rhetores eſſe tria locorum genera, perſonarum ſcilicet, factorum, & rerum, quæ ita diſtributa ſunt in tria dicendi genera, vt

Digitized by Google

locos perſonarum Demonſtratiuo; factorum & aſſumptos rerum Iudiciali: Inſitos Deliberatiuo aſſignauerimus, de illis pluribus actum eſt, occurrunt nunc ſecundi, de quibus paucis diſſerendum.

Eorum Series ac Diuiſio.

Factorum locos Coniecturas vocamus, quod ad illas referantur; ſunt enim veluti circumſtantiæ, quædam, quibus aliquid coniicimus ad fidem faciendam: illorum Series atque Diuiſio colligitur ex Cicerone libro partic.n.110. *In coniectura cum eſt in inficiando reus accuſatori hæc duo prima ſunt, Cauſa, & Euentus. Nam ſic vita hominum eſt*, ait idem pro Roſcio Amer.n.84. *Vt ad maleficium nemo conetur ſine ſpe, atque emolumento accidere.*

PVNCTVM I.

Cauſa.

CIcero cauſam vocat ipſam rationem, quâ aliquid efficitur, & eam duplicem facit, quæ ſpectatur in coniecturis, hoc eſt Impulſionem & Ratiocinationem, quibus fermè rebus facti ſuſpicio confirmatur, cum & volũtatis in reo cauſæ reperiuntur & facultas. Illam vocat impetum ab animi perturbatione aliqua prouenientem, ſcilicet ſpe bonorum, & malorum metu, quæ duæ maximè dominãtur in actionibus humanis proindè quantò maior ſpes boni cuiuſdam, & metus mali fuiſſe oſtenderetur, tanto fiet acrior accuſatio. Hinc magnã Clodio cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas vtilitates fuiſſe pluribus amplificat Cicero.

Quin & ad Impulſionem pertinent, quæ à motibus animorum proueniunt: nempè ſi probatum fuerit aut iram recentem, vel odium vetus, aut vlciſcendi libidinem, aut acceptæ iniuriæ dolorem in aliquo fuiſſe, facile cædis admiſſæ reus habebitur. Sic enim Cic. partic. n.112. *Spectantur etiam ad cauſam facti motus animorum ſi ira recens, ſi odium vetus ſi vlciſcendi ſtudium, ſi iniuriæ dolor.*

PVNCTVM II.

Euentus.

EVentus ea amplectitur, quæ poſt rem actum remanent, quaſi quædam impreſſa veſtigia rei patratæ: hæc autem ſigna ſeu veſtigia, vel ſunt antecedentia, ad locum profectio, communicatio ſeu verbo, ſeu litteris cum alio minæ, contentiones, iurgia, &c. Vel Concomitantia, quæ rei ſunt coniuncta, vt clamor exauditus, & verba notata, telum eodem loco extractum è vulnere, occultatio cadaueris, &c. Vel denique ſunt conſequentia, quæ poſt rem ipſam contigerunt, vt ſi paulo poſt ille qui accuſatur homicidij, cruentus viſus eſt, aut cum cruento telo, ſi rogatus expalluit, trepidauit, hæſit, reſpondit ineptè, fugit, &c.

PVNCTVM III.

De Circumſtantiis & locis Factorum.

Quis.

HAc voce, & loco complectimur eam partem, quam in voluntate ſecundam poſuimus, naturam videlicet, & conditionem hominis: Nobilis eſt; contemptor ergo aliorum, honoris appetentior, formæ cupidus, popularium inimicus: iracundus, & iræ tenax, inſolens & impotens animi; quæ ſi poſſis probare vera eſſe in eo nobili, quem vis per coniecturas trahere in ſuſpicionem alicuius criminis, facilè rem obtinebis. Nam ſi honoris cuiuſcumque eſt adeò appetens, ſi popularium inimicus, ſi facibus iræ excandeſcat nobilis, facilè plebeium hunc hominem, aut quemuis alium, à quo verè, vel falsò offendi ſe putabat, verberarit, læſerit, occiderit. Si eſt adeò cupidus famæ ac ſtudioſus gloriæ domeſticæ amplificandæ, facilè hoc, aut illud admiſerit facinus, ex quo credebat magnam in ſe, ſuoſque poſteros gloriam redundaturam.

Sic Catilinam affectaſſe dominatum ex hoc loco probat Saluſtius. Nobili genere natus fuit:

ingenio

Digitized by Google

ingenio malo prauoque. Huic ab adoleſcentia bella inteſtina, cædes,rapinæ, diſcordia ciuilis, grata fuere, ibique iuuentutem ſuã exercuit,patiens corpus inediæ,angoris,vigiliæ,ſupra quàm cuiquam credibile eſt, animus audax,ſubdolus, varius,cuiuſlibet rei ſimulator, atque diſſimulator,alieni appetens,ſui profuſus,ardens in cupiditatibus,ſatis eloquentiæ,ſapientiæ parum, vaſtus animus,immoderata,incredibilia, nimis alta ſemper cupiebat.

Quantum creſcat ſceleris atrocitas à circumſtantiis pluribus oſtendit Cicero cotra Piſonem num.84.

A Gente.

Secundus locus eſt à patria,& natione, quòd ex omniũ opinione ſint quædam ſingulis nationibus vitia,& praui affectus,quaſi innati,quibus obnoxii creduntur,qui ex his ſunt oriundi; Syrus eſt,ergo facilè furtũ hoc admiſit, quia Syri ſunt auari: Aſiaticus,facilè ſuſpectus erit admiſſæ libidinis,quia molles ſunt,& laſciui. Si Sarmata, ſi Thrax facilè patrarit homicidium, quia eiuſmodi nationes feroces ſunt,&c.

A Parentibus.

Tertius à parentibus quorum mores in filios transferuntur,ergo fur iſte,qui à fure natus eſt, homicida qui à Sicario genitus,& iis in ſceleribus educatus. Et ſic de cæteris fortunæ bonis,& corporis,nam animi bona in argumentum vitii non trahuntur; quare qui cupit ex ipſis facere coniecturam ad accuſandum,debet ſcrutari vitia illis oppoſita. Clodius temerarius eſt, Milo prudens; ille turbulentus, hic ſapiens & modeſtus, igitur ille poſuerit inſidias,non Milo.

A Moribus.

Cic. parricidij crimen auertit à Roſcio deſcribendo mores eius,& indolem n. 38. *Quibus tandem te C. Eruci,argumentis accuſatorum cenſes vti oportere? nónne & audaciam eius qui in crimen vocetur,ſingularem oſtendere, & mores feros, immanemq́; naturam, & vitam vitiis,flagitiisq́; omnibus deditam,deniq́; omnia ad perniciem profligata, atq́; perdita? quorum tu nihil in Sex. Roſcium, ne obiiciendi quidem cauſa,contuliſti,&c.*

Contra verò in Roſcii accuſatores ab eorum moribus perditis crimẽ coniicit,& à cauſis permultis quæ illos ad tantum maleficium impulerunt n.86. *Quid ſi accedit eòdem, vt tenuis antea fueris? quid ſi,vt auarus? quid ſi,vt audax? quid ſi, vt illius,qui occiſus eſt,inimiciſſimus? num quærenda cauſa,quæ te ad tantum facinus adduxerit? quid ergo horum negari poteſt? tenuitas hominis eiuſmodi eſt,vt diſſimulari non queat: atque eò magis eluceat quò magis occultatur. Auaritiam præfers,qui ſocietatem coieris de municipis, cognatique fortunis cum alieniſſimo. Quàm ſis audax,hinc omnes intelligere potuerunt,quòd ex tota ſocietate,hoc eſt,ex tot ſicariis,ſolus tu inuentus es,qui cum accuſatoribus ſederes atque os tuum non modò oſtenderes, ſed etiam offerres. Reſtat vt hoc dubitemus,vter potius Roſciũ occiderit; is ad quem morte eius diuitiæ venerint; an is,ad quem mendicitas; is,qui antea tenuis fuerit,an is,qui poſtea factus ſit egentiſſimus: is, qui ardens auaritia feratur infeſtus in ſuos: an is,qui ſẽper ita vixerit,vt quæſtum noſſet nullum,fructum autem eũ ſolum,quem labore peperiſſet: is,qui omniũ Sectorum audaciſſimus ſit; an is,qui propter fori iudiciorumq́; inſolentiam,non modò ſubſellia,verum etiam vrbem ipſam reformidat.* Poſtremò vtrum inimicus potius,an filius. Idem vrget n. 100. & 108. & pro Milone n. 37. eandem comparationem inſtituit. Clodium inter & Mil. vter fecerit inſidias alteri

Eum facilè condemnabit accuſator, quem oſtenderit audacem, leuem, crudelem & impotentem,hoc eſt talem,vt effrænatas & indomitas cupiditates habeat. Sic de Saſſia Cluentii matre loquitur Cic.n.18. *Præſtò eſt mulier audax, pecunioſa,crudelis: inſtruit accuſatores, inſtruit teſtes, ſqualore huius & ſordibus lætatur,exitium expete… ſanguinem ſuum profundere omnem cupit,dummo… profuſum huius ante videat.*

Si defendit Orator eum, qui poſtulatur, … tutes eius, ac morum honeſtatem demonſtra… debebit. Sic Tullius crimen Deiotari con… à moribus, & frugalitate, nec non ab eiu… ætate, fere totâ oratione, ſed potiſſi… numero 16. *Quæ crux huic fugitiuo po… ſupplicii afferre? Deiotarum ſaltantẽ quiſq… ebrium vidit vnquã? omnes ſũt in illo regia v… quas te,Cæſar, ignorare non arbitror, ſed …*

Digitized by Google

ſingularis,& admiranda frugalitas, & ſi hoc verbo ſcio laudari Reges non ſolere. Frugi hominem dici, non multum habet laudibus in Rege, fortem, iuſtum, ſeuerum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ ſunt Regiæ laudes, illa priuata eſt. Vt volet quiſque accipiat, ego tamen frugalitatem, id eſt modeſtiam, & temperantiam, virtutem eſſe maximam iudico, &c.

Licet non certò ſæpè tamen quales ſint alicuius mores, ab externo corporis habitu colligimus: Elegantiam nimiumque corporis Gabinii cultum inſectatur, vt vitiorum fomitem Cicero, in Piſonem. n. 25.

Auctor impudici carminis, ſignum animi corrupti nimiam capillorum curam eſſe innuit.

Sed vitate viros cultum formamq; profeſſos,
Quiq; ſuas ponunt in ſtatione comas.
Fœmina quid faciet, cùm vir ſit lauior ipſa?
Forſitan & plures poſſit habere viros:

Orator IV.

Quid.

AD huius loci coniecturam eſt expendenda criminis natura, & comparanda cum moribus eius, qui accuſatur, aut defenditur, vt in illius cadere naturam, ab huius moribus abeſſe longiſſimè oſtendatur, vtrumque facit, eleganter Tull. pro Roſcio Amer. Primum quidem num. 37. *Occidiſſe patrem Sex. Roſcius arguitur: ſceleſtum Dij immortales, ac nefarium facinus, atque eiuſmodi, quo vno maleficio ſcelera omnia complexa eſſe videantur. Etenim, ſi (id quod præclarè à ſapientibus dicitur) vultu ſæpè læditur pietas, quod ſupplicium ſatis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipſum, ſi res poſtularet, iura diuina atque humana cogebant: in hoc tanto, tàm atroci, tàm ſingulari maleficio, quod ita raro extitit, vt, ſi quando auditum ſit, portenti, ac prodigij ſimile numeretur. Quibus tandem te, Eruci argumentis accuſatorum cenſes vti oportere? nonne & audaciam eius qui in crimen vocetur, ſingularem oſtendere, & mores feros, immanemque naturam, & vitam vitiis flagitiiſque omnibus, denique omnia ad perniciem profligata, atque perdita; quorum tu nihil in Sex. Roſcium ne obiiciendi quidem cauſa, contuliſti.*

Secundum verò num. 110. Capitonem docet facilè conſilium, & reum eſſe illius homicidii, quòd ſcelerati eius mores, ab eo non diſſentiant. *Audio præterea non hanc ſuſpicionem nunc primum in Capitonem conferri: multas eſſe infames palmas. Hanc primam eſſe tamen Lemniſcatam, quæ Romæ deferatur: nullum modum eſſe hominis occidendi, quo ille non aliquot occiderit: multos ferro, multos veneno.*

Pvnctvm V.

Vbi.

HIc quæritur locus, in quo factum & commiſſum eſt flagitium, vt oſtendatur opportuniorem, aut iniquiorem crimini patrando, aut in eo fuiſſe, aut abfuiſſe eum, qui accuſatur; ad quod oportet diligenter locorum opportunitates attendere, vt maior criminis ſuſpicio ingeratur. Hinc Cic. docet Clodium potius, quàm Milonem ſtruxiſſe inſidias, qui Clodium illi occurrit in prædio ſuo, locoque opportuno, ante fundum, quo in fundo propter inſanas illas ſubſtructiones, facilè mille hominum verſarentur, ſed maximè pro Roſcio. nu. 92. *Videamus ecque facultas ſuſcipiendi maleficij fuerit. Vbi occiſus eſt Roſcius? Romæ. Quid? tu, Roſci, vbi tunc eras? Romæ, Verùm quid ad rem: & alij multi, quaſi nunc id agatur, quis ex tanta multitudine occiderit, ac non hoc quæratur, quis ex tanta multitudine occiderit, ac non hoc quæratur, eum, qui Romæ ſit occiſus, vtrum veriſimilius ſit ab eo eſſe occiſum, qui aſſiduus eo tempore Romæ fuerit, an ab eo, qui multis annis Romam omnino non acceſſerit.*

Multus in his Cic. præcipuè Verrina 7. cum modò Verrem libidinoſum in littore, priuatique domibus, modò crudelem in foro, modò rapacem in hoſpitum penatibus, facit.

A multis curiæ laudibus in vnum coniectis, facti atrocitatem exagerat, à loci ipſius ſanctitate pro Mil. num, 91.

Quibus auxiliis.

VIres, inſtrumenta, conatus, arma, ſatellitium, aliàque ad rem perficiendam accommodata

Digitized by Google

modata auxilia dicuntur;illuſtriſſimum eſt illud Milon.n.55.*Si hæc non geſta audiretis, ſed picta videretis:tamen appareret,vter eſſet inſidiator,vter nihil cogitaret mali,cùm alter veheretur in Rheda penulatus,vnà ſederet vxor:quid horum non impeditiſſimum?veſtitus,an vehiculum,an comes? quid minus promptum ad pugnam, cùm penulâ irretitus, Rheda impeditus,vxore penè conſtrictus eſſet?videte nunc illum primùm egredientem è villa ſubitò, Cur veſperi?quid neceſſe eſt? quî conuenit præſertim id temporis? Age nunc iter expediti latronis,cum Milonis impedimentis comparate ſemper ille cum vxore:tùm ſine ea,nunquam non in Rheda:tùm in equo &c.*

Cæterùm vt res naturales à Deo,ſic multò clarius,quæ ſupra naturam ſunt,ab eodem proficiſci credendum eſt,eâque diuinæ poteſtati tribuẽda.Si dicamus Mariam Ægyptiacam tribus dumtaxat panibus,triginta totis annis vitam toleraſſe, addendum diuinitùs factum illud, nec ſine miraculo fieri potuiſſe.Sic Tull. probat Clodium non ſine ope conſilioque diuino interfectum, fuit ſiquidem occiſus ante fanum bonæ Deæ cuius ſacra impiè violauerit:à n. 86. ad 89. *Non eſt humano conſilio, ne mediocri quidem Deorum immort.curâ,res illo perfecta: religiones ipſæ araque,cùm illam belluam cadere viderunt,commouiſſe ſe videntur,& ius in illo ſuum retinuiſſe: Nec verò non eadem ira Deorum hanc eius ſatellitibus iniecit amentiam,vt ſine imaginibus,ſine cantu,ſine ludis, ſine exequiis,ſine lamentis,ſine laudationibus, ſine funere,oblitus cruore,& luto,ſpoliatus illius ſupremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici ſolent,amburere:ur etiam abiectus, &c.*

Hunc eundem locum vrget multis tertiâ in Catil.Vbi demonſtrat humana ſententia tantùm periculum præcaueri non potuiſſe. Videndum tamen ne res parum difficiles Deo tribuamus,& hiſtriones ineptos imitemur;qui in re leuiſſima ſolent clamare, Deus in machina. Quod arguit Horatius in arte.

Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit.

PVNCTVM VII.

Cur?

Hic ſagaciter ſubodorari conuenit, quid in cõmittendo facinore ſibi propoſuerit, quid vtilitatis inde ſperauerit is,qui rem aggreſſus eſt. Quod quò clarius fiat,ſolet identidem Cic.Caſſianum illud repetere *Cui bono*,vt oſtendat,cuius incommodum, crimen admiſſum, cedat,vt eius illum authorem potiſſimum arguat.Pro Amerino Roſcium probat non occidiſſe patrem, quod eius mors illi fuerit pernicioſa n.84. L. *Caſſius ille, quem populus Rom. veriſſimum & ſapientiſſimum iudicem putabat,identidem in Cauſis quærere ſolebat* Cui bono fuiſſet. *Sic vita hominum eſt,vt ad maleficium nemo conetur ſine ſpe, atque emolumento accedere, &c.* quibus docet mortem illius vtilem fuiſſe accuſatoribus,pernicioſam Roſcio, ideoque illos potius eſſe reos.

Idem repetit pro Milone. nu. 32. & à ſpe vtilitatis propoſitæ probat nullam fuiſſe cauſam,cur inſidias Milo pareret Clodio: ſed contrà ſperauiſſe Clodium fore,vt occiſo illo,poſſet impunè vexare Remp. *Quoniam igitur pacto probari poteſt,inſidias Miloni feciſſe Clodium? ſatis eſt quidem in illa tàm audaci,tàm nefaria bellua, docere magnam ei cauſam,magnam ſpem in Milonis morte propoſitam,magnas vtilitates fuiſſe.Itaque Caſſianum,*Cui bono fuerit,*in his perſonis valeat: etſi boni nullo emolumento impelluntur in fraudẽ,improbi ſæpe paruo.Atqui Milone interfecto Clodius hoc aſſequebatur,non modò,vt prætor eſſet non eo conſule,quo ſceleris nihil facere poſſet;ſed etiam vt his conſulibus prætor;quibus ſi non adiuuantibus,at conniuentibus certè;ſperaſſet ſe poſſe Rempubl. eludere, &c.*ad n.35.quàm ſic concludit,non modò non prodeſt, ſed etiam obeſt Pub. Clodij mors Miloni.

Præterea tractantur aliæ cauſæ, quæ mouere potuerunt,vtputa,odium, ira, vindictæ cupiditas, & eiuſdem generis alia. Tull. eâdem Orat.numero .36. *At voluit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fecit vltor iniuria punitor doloris ſui. Quid ſi hæc, non dico maiora fuerunt in Clodio,quàm in Milone,ſed in illo maxima*

nulla in hoc? quid vultis amplius? quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiam ſua gloriæ, præter hoc ciuile odiū, quo omnes improbos odimus.

At clarius conſiliorum Clodij ſeriem euoluit & oſtendit quomodo ſenſim ad intentandam Miloni necem, quaſi gradibus quibuſdam peruenerit n. 24. *Pub. cùm ſtatuiſſet omni ſcelere in pratura vexare Remp. vide atq; ita tracta eſſe comitia anno ſuperiore, vt nō multos menſes præturam gerere poſſet: qui non honoris gradum ſpectaret vt cæteri, ſed & L. Paulum effugere vellet, ſingulari virtuti ciuem, & annum integrum ad dilacerandam Remp. quæreret: ſubito reliquit annum ſuum, ſeque in annum ſequentem tranſtulit, non religione aliquâ, ſed vt haberet, quod ipſe dicebat, ad Præturam gerendam, hoc eſt, ad euertendam Remp. plenum annum atque integrum.*

Pvnctvm VIII.

Quomodo.

MOdum & ſeriem rei geſtæ continet, quod fit delucidâ narratione & explicatione, ex quâ facilè colligi poſſit, tàm eum, quem accuſamus, reum eſſe, quàm quem defendimus innocentem. ad quod videndum quomodo Tull. narrationem Milonianam auſpicetur, & moram eius cunctationemque afferat, vt collocatas à Clodio inſidias euincat, quam ſic concludit n. 30. *Hæc ſicut expoſui geſta ſunt, iudices: inſidiator ſuperatus, vt victa vis, vel potius oppreſſa virtute audacia eſt. Nihil dico, quid Reſp. conſequuta ſit, nihil quid vos, nihil quid omnes boni: nihil ſanè id proſit Miloni, qui hoc fato natus eſt, vt ne ſe quidem ſeruare potuerit, quin vnà Remp. voſque ſeruaret. Si id iure non poſſet, nihil habeo, quod defendam; ſin hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, vt omnem ſemper vim, quacumq; ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent: non poteſtis hoc facinus improbū iudicare, quin ſimul iudicetis, omnibus quin in latrones inciderunt, aut illorum telis, aut veſtris ſentētiis eſſe pereundum.*

Vnum hic excutiendum eſt, an comparatis inſidiis, an aperto marte hoſtem ſit adortus, vtrum iratus, ebrioſus, inuidentiâ percitus, vigilantemne oppreſſerit, an dormientem.

Pvnctvm XI.

Quando.

TEmporis opportunitates expendit, de die, an noctu, mane, vel ſerò, hâc, an illa horâ res acta ſit: vt enim tempora quædam ſunt opportuna criminibus; ſic alia minimè ſunt accommodata: quis enim neſciat noctem ſcelerum adminiſtram eſſe ſi modò vatem Horatium audierit.

— pulchra Lauerna.
Da mihi fallere, da iuſtum, ſanctumq; videri.
Noctem peccatis, & fraudibus, obiice nubem.

Seipſo ſuperior Tull. ſi vnquam nu. 49. pro Mil. dum Clodium inſidiatorem fuiſſe ex hoc loco. *Age ſi ita factum: quæ cauſa cur Romam properaret? cur in noctem ſe coniiceret? quid afferebat feſtinationem? quod hæres erat? primum erat nihil, cur properato opus eſſe; deinde ſi quid eſſet, quid tandem erat, quod eā nocte conſequi poſſet? amitteret autem, ſi poſtridiè manè Romam veniſſet? atque vt illi nocturnus ad vrbem aduentus vitandus potiùs, quàm expetendus fuit, ſic Miloni, cùm inſidiator eſſet, ſi illum ad vrbem noctu acceſſurum ſciebat, ſubſidendum, atque expectandum fuit.*

Numero deinde 51. iiſdem penè argumentis probat Milonem de inſidiis non cogitaſſe. *Noctu inuidioſo, & pleno latronum in loco occidiſſet. Nemo ei neganti non credidiſſet. quem eſſe omnē ſaluum etiam confitentem volunt. Suſtinuiſſet hoc crimen primum ipſe ille latronum occultator, & receptator locus, dùm neque muta ſolitudo indicaſſet, neque cæca nox oſtendiſſet Milonem: denique vbi multi ab illo violati, ſpoliati, bonis expulſi, multi etiam hæc timentes in ſuſpicionem caderent: tota deniq; rea citaretur Hetruria.* Quod argumentum repetit n. 55.

Pvnctvm X.

Euentuum Loci, ſeu Signa.

DE iis agit Tull. partic. n. 114. eaque definit, Conſequentia quædam ſigna præteriti, & quaſi impreſſa facti veſtigia: quæ quidem vel maximè

maximè ſuſpicionem mouent,& quaſi tacita ſunt criminum teſtimonia. Hæc propriè attingunt eos ipſos, qui arguuntur,vt telum,vt veſtigium, vt cruor,vt deprehenſum aliquid,quod ablatum, ereptumue videatur;vt reſponſum inconſtanter, vt hæſitans, vt titubans,vt cum aliquo viſus,ex quo ſuſpicio oritur: vt eo ipſo in loco deprehenſus in quo facinus, vt pallor, vt tremor, vt ſcriptum, vt obſignatum, aut depoſitum quidpiam, &c. ex quibus aſſerit elici poſſe argumenta.

Illa diuidit in duas ſpecies Quintil. lib.5.c.4. eorum ſcilicet neceſſaria ſunt,à Græcis τεκμήρια; alia non neceſſaria quæ σημεῖα: priora ſunt illa, que aliter habere ſe non poſſunt;vt cicatrix perpetuum eſt indicium vulneris; cum mori, cuius cor vulneratum ſit poſteriora, quæ quidem ſola non ſufficiunt ad tollendam dubitationem, cum cæteris tamen plurimum valent; eiuſmodi ſunt titubatio conſternatæ mentis indicium:mutatio coloris, vacillantis animi ſignum: inconſtans oratio,mendacij nota: tremor, timoris index,& ſic de cæteris,quæ ſunt indicia interiorum affectuum, & ſermo quidam tacitus mentis; id ex Iuuenale ſingulari indicio Poëta, dictum.

Heu quàm difficile eſt crimen non prodere vultu!

Pari ſenſu conſtantia vultus accipitur in argumentum integritatis ab Horatio epiſt.lib.1.ep.1.

—— Hic murus aheneus eſto

Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Denique ſpeculum mentis eſt facies, atque vt ſapienter ait Seneca epiſt. 52. *Omnia rerum omnium,ſi obſeruentur, indicia ſunt: & argumentum morum ex minimis quoque licet capere. Impudicum & inceſſus oſtendit, & manus mota,& vnum interdum reſponſum,& relatus ad caput digitus,& flexus oculorum. Improbum riſus,inſanum vultus habitiſque demonſtrat. Illa enim in apertum per notas exeunt; qualis quiſque ſit ſcies, ſi quemadmodum laudetur, aſpexeris, &c.* Quis tamen dicat illa neceſſaria, ſempérque vera eſſe, quandoquidem à nonnullis rubor accipitur in argumentum virtutis, ab aliis in ſignum impudentiæ: mollitiei quòd vno digito caput ſcaberet, Ammianus excuſat tribuens id genuino cuidam mori. His itaque præmiſſis videndum, quomodo iſta ſigna ſint ab Oratore tractanda.

PVNCTVM XI.

Signorum antecedentium vſus.

Dicuntur ea quæ rem antecedunt, vt minæ, iurgia,odium,&c. eiuſdem generis alia plurima, ex his ducit argumentum Tull. pro Mil. dum Clodij apparatum deſcribit ad ſuſpicionem magis, atque magis mouendam,& minas, quas à rebus ante actis,dictiſque exaggerat: vt iampridem locum & tempus inſidiarum meditatus probetur n.26. *Seruos agreſtes,& barbaros quibus Siluas publicas depopulatus erat: Hetruriamque vexarat, ex Apennino deduxerat, quos videbatis, res erat minimè obſcura. Etenim palam dictitabat Conſulatum Miloni eripi non poſſe, vitam poſſe. Significauit hoc ſæpè in Senatu, dixit in concione; quinetiam Fauonio fortiſſimo viro quærenti ex eo, qua ſpe fureret, Milone viuo,reſpondit,triduò illum, ad ſummum quatriduò periturum. Quam vocem eius ad hunc M.Catonem ſtatim Fauonius detulit.*

PVNCTVM XII.

Vſus Concomitantium.

Quæ cum re coniuncta ſunt.vt clamor auditus, telum deprehenſum, & tota rei geſtæ ratio:quare præter illa quæ dicta ſunt ſuperius,in *Quomodo*,ſatis fuerit exemplum deſumere ex eadem Oratione,quo Clodij cum Milone congreſſum,pugnā ac cædem deſcribit n.29. *Fit obuiam Clodio ante fundum eius hora ferè vndecima,aut nō multo ſecus, Statim complures cum telis in hunc faciunt,de loco ſuperiore,impetum:aduerſi rhedarium occidunt. Cùm autem hic de Rheda,reiecta penula, deſiluiſſet,ſeque acri animo defenderet:illi,qui erāt cū Clodio, gladiis eductis,partim recurrere ad Rhedam, vt à tergo Milonem adorirentur;partim,quod iam interfectum putarent,cædere incipiunt eius ſeruos,qui poſt erant,ex quibus qui animo fideli in Dominum erant, & præſentes fuerunt, partim occiſi ſunt,partim cum ad Rhedam pugnari viderent, & Domino ſuccurrere prohiberentur. Milonemque occiſum etiam ex ipſo Clodio audirent,& ita eſſe putarent:fecerunt id ſerui Milonis,neque imperante, neque ſciente, neque præſente Domino, quod ſuos quiſque ſeruos in tali re facere voluiſſet.*

PVN

Digitized by Google

PVNCTVM XIII.

Vſus Conſequentium.

PRo conſequẽtibus ad ſatietatem ſunt exempla, in Oratione pro Roſc. Amerino n. 95. cuius hoc principium eſt. *Videamus nunc ſtrictim ſicut cætera, quæ poſt mortem Roſcij abs te T. Roſcij, facta ſunt: quæ ita aperta, & manifeſta ſunt, vt medius fidius inuitus ea dicam. Vereor enim cuicuimodi es, Roſci, ne ita hunc videar voluiſſe ſeruare, vt tibi omnino non pepercerim. Cùm hoc vereor, & cupio tibi aliqua ex parte (quod ſalua fide poſſim) parcere, rurſus immuto volũtatem meã. Venit enim mihi in mentẽ oris tui. Tene cùm ſocij tui fugerent, ac ſe occultarẽt, vt hoc iudiciũ non de illorũ præda, ſed de huius maleficio fieri videreretur potiſſimùm tibi partes iſtas depopoſciſſe, vt in iudicio verſarere, & ſederes cũ accuſatore? qua in re nihil aſſequeris, niſi vt ab omnibus mortalibus audacia tua cognoſcatur, & imprudentia.* Idem vrget à n. 193. ad n. 106.

Hunc locum multis, & eleganter tractat Cic. pro Milone, qui poſtquam egit de impedimẽtis Milonis, & oſtendit, quàm fuerit Clodius ad pugnã expeditus, relictis omnibus nugis, ac comitibus, quos ſecum de more ducebat; cauſas addit, cur debuerit Milo inſidias aduerſarij præuidere, n. 57. *Cur igitur victus eſt? quia non ſemper viator à latrone, nonnunquam etiam latro à viatore occiditur: quia quamquam paratus in imperatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros, nec verò ſic erat vnquam non paratus Milo contra illũ, vt non ſatis fere eſſet paratus. Adde caſus, adde incertos exitus pugnarum, Martémque communem: qui ſæpè ſpoliantem iam & exſultantem euertit, & perculit ab abiecto adde inſcitiam pranſi, poti, oſcitantis Ducis, &c.* Poſtea cur Milo ſeruos manumiſerit, quæ quæſtiones de ipſis habitæ ſunt, cur in vrbem venerit ſine metu. Quæ in argumentum eius innocentiæ aſſumãtur omnia à n. 50. ad 54.

LECTIO II.

Diſpoſitia generis Iudicialis.

PRinceps in dicendo Tull. ait in aliis Orationibus Oratorem ludere, in his agere ſeriò. Sanè quàm prudenter, ac conſideratè cauſam agere debet is, qui vel innocentem defendit, vel reum accuſat, in curiæ luce? vbi Senatus Princeps ſplendore ſuo ſæpè perſtringit agentis oculos, & mentis aciem obtundit. Singulas igitur Orationis partes expendamus.

PVNCTVM I.

Generis Iudicialis Exordium.

ARtificioſum eſſe debet quàm maximè, in quo ſemper auditor, docilis attentus, ac beneuolus reddendus eſt, neque enim tractat Cic. ſententias, Theſes, aut Locos communes vllos Iudicialibus in Exordiis, ſed ſtatim ab initio, aut attentum facit, aut docilem, aut beneuolum auditorem.

Ex diuerſis cauſarum generibus or'tur trium illarum neceſſitas, quarum in Exordiis eſt habenda ratio: Nam ſi beneuolentia maximè quis indigeat, illam vel à perſonis, aut à cauſa deducet; In perſonis, modò captatur à ſeipſo, nunc ab aduerſariis, aliàs à Iudicibus.

A propria perſona.

Modeſtiam ſeruabit, quod fiet, ſi virtutes, & eloquentiam extenuet: vt ſi plus voluiſſe, quàm præſtitiſſe ſe dicat; ſi honores, & commoda vni Deo, tùm fauori iudicum & auxilio tribuat. *Eſt enim*, inquit, Fabius lib. 4. c. 1. *Naturalis pro laborantibus: & Iudex religioſus libentiſſimè Patronum audit, quem iuſtitiæ numine timet:* Inde illa veterum, circa occultandam eloquentiam, obſeruatio, vt ſe impares, & ingeniis, & rebus omnibus aliis eſſe dicerent; qualem ſe facit Tull. in Orat. pro Quintio n. 1. *Quæ res in ciuitate duæ plurimum poſſunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, & eloquentia: quarum alteram C. Aquilli, vereor, alteram metuo. Eloquentia Q. Hortenſij ne me dicendo impediat, nonnihil commoueor: gratia Sex. Næuij ne P. Quintio noceat, id verò non mediocriter pertimeſco.*

Vel angi ſe non leuiter oſtendat difficultate agendi, & officio ipſo accuſandi, quod præſtat in Verrem actione 3.

Vel

Vel à magnitudine partis oppoſitæ,ſi doceat veluti ſe opprimi eius auctoritate,aut commendet ſuum officium, quo impulſus ad dicendum venerit, nimirum vt exiſtimetur ſuſcepiſſe illam cauſam ductus officio cognitionis,aut amicitiæ, aut Reip. cauſa,Cic.1.in Verrem.*Si quis veſtrum, iudices,aut eorum qui adſunt,fortè miretur me,qui tot annos in cauſis iudiciiſq́ publicis ita ſim verſatus,vt defenderim multos, laſerim neminem: ſubito nunc mutatâ voluntate ad accuſandū deſcenderim: is ſi mei conſilij cauſam rationemq́ cognouerit,vnà & id,quod facio probabit, & in hac cauſa profectò neminem præponendum eſſe mihi actorem putabit.*

Quibus reddit cauſam, cur agat contra Verrem, quòd Siculis maximè deberet fauere.

Tertia in eundem n. 5. amore Reipub. accuſare ſe profitetur. *Itaque mihi videor magnam,& maximè ægram, & propè depoſitam Reip. partem ſuſcepiſſe: neque in eo magis meæ, quàm veſtræ laudi, exiſtimationiq́ ſeruiſſe.*

Quinta verò, ideò ſe dicit ad accuſandum deſcendiſſe, quòd vir bonus contra malum agere debeat n.6.*Et in hoc homine ſæpè à me quæris Hortenſi quibus inimicitiis, aut qua iniuria adductus, ad accuſandum deſcenderim. Mitto iam rationem officij mei, neceſſitudiniſq́ Siculorum: de ipſis tibi inimicitiis reſpondeo. An tu maiores vllas inimicitias putas eſſe,quàm contrarias hominum ſententias, ac diſſimilitudines ſtudiorum & voluntatum? fidem ſanctiſſimam in vita qui putat,poteſt ei non eſſe inimicus, qui quæſtor Conſulem ſuum, conſiliis commiſſis,pecunia tradita, rebus omnibus creditis ſpoliare, relinquere,oppugnare auſus ſit? Pudorem,& pudicitiam qui colit,poteſt æquo animo iſtius quotidiana adulteria, meretriciam diſciplinam, domeſticum lenocinium videre?* &c. per egregiam enumerationem amplificata.

Denique ſemper eſt aliqua honeſta ratio, aut neceſſitas afferenda; hoc enim mirum in modum iuuat accuſatores, ne alioqui videantur impulſi irâ vel odio, aut ambitione accuſationem ſuſcepiſſe.

Ab aduerſariorum perſona.

Ea tantum ratione nobis conciliatur auditor, quâ illum ab aduerſariis auertimus: quare detegendæ ſunt eorum fraudes, & corruptelæ, quæ illos in inuidiam vocare poſſunt; itatamen, vt nihil imponatur. Hac ratione Cic. 2. Verrina, appetit inſidias à Verre ſibi factas n.3.*Equidē,vt de me confitear iudices,cùm multæ mihi à C.Verre inſidiæ terra mariq́ factæ ſunt, quas partim mea diligentia deuitarim, partim amicorum ſtudio, officioque repulerim: nunquam tamen, neq́ tantum periculum mihi adire viſus ſum, neque tantopere pertimui, vt nunc in ipſo iudicio.*

Paucis verò numeris interiectis 9.probat per intolerabilem faſtum, ac regios ſpiritus Verrem contemnere Senatores ac Iudices,vt illum vocet in odium & inuidiam.*Quod ſi non modò in cauſa, verùm in aliquo honeſto præſidio, aut in alicuius eloquentia, aut gratia ſpem aliquam collocaſſet: profectò non hæc omnia colligeret, atque aucuparetur: non vſque eò deſpiceret, contemneretq́ ordinem ſenatorium, vt arbitratu eius deligeretur ex Senatu, qui reus fieret, &c.*

Sexta eiuſdem enumerat multa crimina, vt etiam ipſo principio ſeptimæ de ſuppliciis. *Nemini video dubium eſſe, quin apertiſſimè Verres in Sicilia,ſacra profanaq́ omnia, & priuatim, & publicè ſpoliarit, verſatúſque ſit, ſine vlla non modò religione, verùm etiam diſſimulatione in omni genere furandi, atque prædandi, &c.*

Cum hac perſona coniuncti ſunt, qui illam defendunt,quare & ipſi vocandi ſunt in inuidiā; vt ſi dicatur eorum amicitia, non in virtute, ſed in largitionibus, fundata.5. in Verr. n.7. *Quid? illa,quæ leuiora videntur eſſe, non cuiuſuis animum poſſunt mouere? quod ad tuam ipſius amicitiam, cæterorumque omnium maiorum, atque nobilium, faciliorem aditum iſtius habet nequitia, & audacia, quam cuiuſquam noſtrum virtus & integritas? odiſtis hominum nouorum induſtrias, deſpicitis eorum fragilitatem: pudorem contemnitis, ingenium verò, & virtutem depreſſam, extinctámque cupitis.*

Aut etiam eleuanda ſunt, ac refutanda, quæ identidem illi ad huius defenſionem afferre ſolent 7. Verr.num.1. *Sed quædam mihi magnifica, & præclara eius defenſio oſtenditur: cui quemadmodum reſiſtam multo mihi ante eſt prouidendum,* &c.

A Iudicum Perſona.

Beneuolentia comparatur eorundem commen-

Digitized by Google

LECTIO I.

Generis Iudicialis. Dignitas ac Præſtantia.

SI Iuſtitia virtutum Regina plurimum ſplendoris in rebus humanis obtinet, quid genus Iudiciale, quod in eadam virtute generis humani cuſtode fortiter aſſerenda tota verſatur, ingens ſibi decus excellentiæ vindicabit? Neque verò fuit vlla natio tàm ferox naturâ, tam ingenio exilis & inculta, quæ, ſi modò Reip. ſpeciem aliquam habuit in animo, ſtatim leges & iudicia foráque non erexerit, vt tranquillitatis publicæ priuatæque propugnacula, vt omnium ſalutis præſidia, ornamentáque dignitatis: Nulla, quæ Iudices, vt Reges, imò Deos terreſtres non venerata ſit, quibus nihil aut ad ſapientiam grauius, aut ad dignitatem honorificentius, aut ad omnium vtilitatem melius eſſe poſſe iudicauit quocirca magna ſemper extitit generis Iudicialis dignitas, in qua Regina Eloquentia triumphauit. Huius perfectam habet commendationem Antonius apud Ciceronem 2. de Orat. n. 72. *Omnium cæterarum rerum Oratio, mihi crede, ludus eſt homini non hebeti, neque non inexercitato neque communium litterarum, & politioris humanitatis experti, in cauſarum contentionibus magnum eſt quoddam opus, atque haud ſciam, an de humanis operibus longè maximum: in quibus vis Oratoris plerumque ab imperitis exitu, & victoria iudicatur, vbi adeſt armatus aduerſarius, qui ſit, & feriendus, & repellendus, vbi ſæpe is, qui rei Dominus futurus eſt alienus, atque iratus, aut etiam amicus aduerſario, & inimicus tibi eſt, cùm aut docendus is eſt, aut dedocendus, aut reprimendus, aut incitandus, aut omni ratione ad tempus ad cauſam Oratione moderandus, in quo ſæpe beneuolentia ad odium, odium autem ad beneuolentiam deducendum eſt, qui tanquam machinatione aliqua, tùm ad ſeueritatem, tùm ad remiſſionem animi, tùm ad triſtitiam, tùm ad lætitiam eſt contorquendus* Quibus genus hoc, & dignitate cæteris, & difficultate Tullius præferre non dubitauit.

Nec eſt quod quis Ariſtotelem opponat 3. Rhet. cap. 17. τὸ δὲ δημηγορεῖν χαλεπώτερον τοῦ δικάζειν, nempè quod difficilius ſit cognoſcere futura, de quibus deliberatur, quàm præterita de quibus iudicatur.

Ariſtotelem ariſtoteli ſi prudenter opponamus, rem confecerimus; ille ſiquidem ait ibidem, in genere Iudiciali requiri genus dicendi longè exquiſitius, quàm in cæteris longéque difficilius ſuum finem obtineri Oratorem in Iudiciali, quàm in Deliberatiuo, quòd multò pauciores Iudiciis interſint, quàm concionibus, longéque maioris ſit operæ iudicem peruincere, quàm multitudinem in ſententiam ſuam adducere: in qua licet multi diſſentiant à nobis, erunt tamen qui aſſentiatur non pauci: quod in Iudiciali non accidit; nam ſi vnum vel alterum minus æquum, aut aduerſarium habes, nihil proficis. Eamobrem Cic. queritur in Orat. pro Deioraro quod præter conſuetudinem cauſam defendat, non in loco patenti, quo roſtris, ſed intra domeſticos parietes Cæſaris, pro Popul. Rom. ad audiendam Deiotari cauſam non admittitur, n. 3.

Moueor etiam loci ipſius inſolentia, quòd tantam cauſam, quanta nulla vnquam in diſceptatione verſata eſt, dico intra domeſticos parietes, dico extra conuentum, & eam frequentiam, in qua Oratorum ſtudia niti ſolent. In tuis oculis, in tuo ore vultúque acquieſco: te vnum intueor: ad te vnum omnis mea ſpectat Oratio: quæ mihi ad ſpem obtinendæ veritatis grauiſſima ſunt, ad motum animi, & omnem impetum dicendi, contentionemq́, leniora. Hanc enim Cæſar, cauſam ſi foro dicerem, eodem audiente, & diſceptante te, quantam mihi alacritatem Pop. Romani concurſus afferret, &c.

Deliberatiuum quidem plus in Inuentione laborat: in elocutione, & auditoribus Iudiciale contendit; vndè factum, vt de Orat. 1. num. 213. definiturus Oratorem, huius tantum meminerit generis, cùm dixerit, eum eſſe, qui & verbis ad audiendum iucundis, & ſententiis ad probandum accommodatis, vti poſſit in cauſis forenſibus, atque communibus.

Pvnctvm I.

Nomen.

QVod ad nomen attinet à Latinis Iudiciale dicitur, quòd in iudiciis cauſíſque forenſibus verſetur: ab iiſdem vocatur Contentio cauſarum, apud Quint. lib. 3. cap. 8. nomine controuerſiarum deſignatur: à Græcis verò *δικανικὸν* quòd in eo, lite contendatur.

Pvnctvm II.

Diuiſio finis.

FAbius inſtit. lib. 3. cap 10. ex variis Orationibus, varias formas Iudicialis generis colligit; quarum primam ſimplicem vocat, cùm ſcilicet vnam rem, ſeu crimen vnum tantùm proſequitur, vtputà furtum, aut veneficium.

Alteram appellat coniunctam, in qua plura genera, vel eiuſdem generis, vt in pecuniis repetundis multa furta; in homicidiis, multæ hominum cædes obiiciuntur: aut diuerſi, vt cùm ſimul & ſacrilegij, & homicidij aliquis accuſatur.

Tertia comparatiua dicitur, in qua quæritur, non quid æquum ſit, ſed quid æquius, videlicet, vter de duobus, qui æquali iure diſceptare videntur de hæreditate, ea ſit dignior.

Quas omnes formas vidit Tull. in partic. n. 98. cùm ait, in hoc genere non ſimpliciter tantùm, ſed comparatione ſpectari æquitatem: vbi etiam indicat ad hanc extremam formam pertinere illam, quam diuinationem Rhetores dicunt, in qua de veriſſimo accuſatore diſputatur, & ex multis qui accuſare volunt, eligitur ille, qui ex iure actionem, præ reliquis, intendere debet, qualis eſt in Verrem diuinatio.

Præter has Quintil. aliam adinuenit, quam *ἀντικατηγορίαν* vocat, mutuam ſcilicet accuſationem, cùm alter alterum accuſat, eiúſque duas ſpecies facit, vnam quidẽ, quâ accuſatores idem crimen ſibi intentant. Milo dicebat ſibi factas à Clodio inſidias, Appius contra Milonis accuſator contendebat illum Clodio poſuiſſe; alteram in qua diuerſa crimina ſibi obiiciunt, vt cùm qui furti accuſat alium, ab eodem accuſatur homicidij.

Generis huius finem aſſignat Ariſt. 1. Rhet. c. 3. τοῖς δὲ δικαζομένοις τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον. Iudicialibus iuſtum, & iniuſtum propoſitum eſt, partic. num. 98. *Eius quidem generis finis eſt, æquitas: quæ non ſimpliciter ſpectatur, ſed comparatione nunquam.*

Pvnctvm III.

Materia.

MAteriam porrò primùm colligunt ex tempore, quod huic generi aſſignat Ariſtot. ante laudatus τῷ δὲ δικαζομένῳ χρόνος ὁ περὶ τῶν πεπραγμένων ἀεὶ ὁ μὲν κατηγορεῖ, ὁ δὲ ἀπολογεῖται; Iudicia verò tractanti præterita; nam de factis ſemper vnus accuſat, alter defendit; quibus verbis indicat res præteritas huius generis proprias eſſe, quod non ita accipiendum eſt, quaſi res omnes geſtæ ad Iudiciale genus reuocentur; ſed hæ tantùm, quæ in iudicialem controuerſiam cadere poſſunt. Quæ Cic. 45. Oratoris & 101. partionum ad tria reuocat capita; Quoniam quidquid eſt quod in controuerſia, aut in contentione verſatur in eo, aut ſitne, aut quid ſit, aut quale ſit, quæritur, &c. Quibus indicat tres ſtatus, ſeu quæſtiones, ad quas Rhetores, locos omnes inuentionis, & cauſas, ſeu contentiones, referunt.

Pvnctvm IV.

De Statibus.

NOn eſt ſatis Patronum & Iudicem pietatis armis & eloquentiæ præſidiis inſtructum eſſe, niſi cauſarum notitiâ tractationémque perfectè teneat: eam ob rem magni momenti præceptum eſt iſtud Antonij 2. de Orat. 99. *Hoc primũ præcipiemus, quaſcumque cauſas erit acturus, vt eas diligenter, penituſq; cognoſcat;* Tametſi, vt idem ait

ait Antonius, *non tàm acutum, quam neceſſarium, magiſque monitoris, non fatui ſit, quàm eruditi magiſtri.* Eſt enim in omnium oculis poſitum prius rem aliquam intelligendam eſſe, probéque cognoſcendam, quàm de ea quis dicere aggrediatur. Quo maior eſt eorum culpa, ſeu negligentiæ, ſeu perfidiæ, qui ſuſcepta cauſa, eam non ſtudent penitus cognoſcere; qui effugere non poſſunt, quin malè dicant, ac turpiter. Vt enim affirmat idem, nemo poteſt de ea re, quam non nouit, non turpiſſimè dicere; quàm multa enim tacitus præteribit, in quibus magna vis erat ad rem ſuam confirmandam? quàm multa perperam tractabit, quæ ab iis, quibus cauſa ſit cognita, rideantur, aut culpentur? Denique quàm multa contra cauſam ſuam, aut ipſe afferet aut ſi id cauebit, ab aliis afferenda, ſibique obiicienda; non prænidebit, non refellet?

Plurimum autem adferet adiumenti ad integram cauſæ cognitionem, ſi Antonium imitemur, quæramúſque ab iis, quorum res agitur, quid in ſua cauſa putent eſſe præſidij, quid in aduerſariorum, iubeamúſque eos proferre in medium, quidquid de ſua re cogitauerint: Dein, de dimiſſis, perſonas ſuſtineamus ſumma animi æquitate, noſtram, aduerſarij, Iudicis, omnéſque locos perueſtigemus, qui vel nobis, vel aduerſario adiumento eſſe poſſint, meditemúrque quid iudex aut auditor probaturus eſſe videatur, in noſtra vel aduerſarij cauſa, vt quæ in re noſtra firma eſſe viſa fuerint, ea dicamus, contrariis occurramus, aut reſpondeamus ſi è re noſtra eſſe iudicemus; ſin minus totum huiuſmodi locum omittamus: quæ cognitio tota pendet è ſtatu quæſtionis multiplici.

Et quoniam vt ad ſcopum ſagittarij ſagittas, ſic oratores argumenta dirigunt, & probationes ad ſtatum, qui neceſſario eſt adhibendus, vt argumento cognito, de quo dicturus eſt orator, ad id veluti conferat omnia, videndum.

P V N C T V M V.

Quid ſit ſtatus.

Græcis *στάσις*, cauſæ conſtitutio Cornificio, vertex & cardo Celſo, Ciceroni in partic. 102. *Quæſtio diſtincta gradibus*, quos tres facit idem. In omnibus, inquit, cauſis tres ſunt gradus, ex quibus vnus aliquis capiendus eſt, ſi plures non queas, ad reſiſtendum. Nam aut ita conſiſtendum eſt, vt quod obiicitur, factum neges, & ita fit primus ſtatus qui dicitur coniecturalis, in quo quæritur an ſit.

Aut illud quod factum fateare, neges illam vim habere, atque id eſſe quod aduerſarius criminatur; & ſic conſtituitur ſecundus ſtatus definitionis, in quo quæritur quid ſit, qui ſtatus definitione, atque deſcriptione, aut informatione verbi deſignatur.

Aut, ſi neque de facto, neque de facti appellatione ambigi poteſt, id quod arguitur, neges tale eſſe, quale dicitur, & rectum eſſe, quod feceris concedendúmue defendas: & hic tertius ſtatus caſus qualitatis, in quo quæritur quale ſit.

Quoniam autem ſtatus cauſæ oritur ex contentione, & conflictu cauſarum, oportet noſſe quomodo conflictus ille fiat, quibúſque gradibus ad ſtatum perueniatur: quod explicat Cic. partic. 102. In omni diſceptatione primus gradus eſt Accuſatio Milo Clodium occidiſti, fit Defenſio: iurè occidi.

Secundus Contentio, quæ eſt quaſi generalis quidam ſtatus, vt in cauſa propoſita ex accuſatione ſimul, & defenſione oritur contentio, an iurè occiderit: neque tamen hîc conſiſtit proprius ſtatus huius cauſæ; nam additur quartus gradus in quo eſt ratio, quæ affertur à reo, depellendi criminis cauſa, vt iurè occidi, quia inſidias mihi poſuerat.

Quintus firmamentum dicitur, quod nihil aliud eſt, quàm ratio accuſatoris, quæ profertur ad labefactandam rationem Rei, quæ ideò fundamentum vocatur, quòd in ea conſiſtat tota vis accuſationis, vt in hac cauſa, non licuit tibi inſidiantem interficere.

Ex quibus omnibus ſextus oritur, & extremus ſtatus, qui dicitur Diſceptatio, in qua quid veniat in iudicium, & de quo diſceptetur quæri ſolet, vt hic, liceátne inſidiatorem occidere; atque ita ſex ſunt gradus, quibus ad ſtatum peruenitur.

Non eſt tamen ita accipiendum, vt ſtatus omnes tot gradibus conſtent, quod ſingulorum explica

plicatione clarum fiet : Conіecturalis ſiquidem, vt ait Cic. diffuſam habet quæſtionem , ideoque in quinto gradu conſiſtit , atque tantùm tribus partibus conſtat, Accuſatione ſcilicet, occidiſti Clodium ; Defenſione ſeu Negatione, non occidi, & Contentione in quo eſt ſtatus,an occiderit; qui Coniecturalis ideò vocatur , quia ad probandum factum , quod negatur, abſolutè adhibentur tantum coniecturæ.

Qualitatis verò ſtatus ſex illis gradibus conſtat, vt patet in allato nuper exemplo, qui hoc in ſtatu verſatur; in eo ſiquidem,neque dubitatur , an occiderit Milo, nec vtrum occidendo commiſerit homicidium, ſed quæritur, quale ſit iſtud, iuſtum, an iniuſtum,vndè ſtatus qualitatis dicitur, à quo agitur de iure definitionis, etiam ſtatus totidem conſtat gradibus vt clarum eſt in exemplo quod Cic. partic. num. 105. proponit, quodque ſic digeri poteſt.

Accuſatio. Reus es maieſtatis minutæ Næui, quia contra Cæpionem egiſti turbulentiùs.

Defenſio. Non ideo minui maieſtatem.

Contentio. An Nævius contra Cæpionem turbulentiùs agens Maieſtatem minuerit?

Ratio. Non minui, inquit Næuius , quia cùm Majeſtas ſit magnitudo quædam Populi Ro. in eius poteſtatē , ac iure retinendo verſatur,aucta eſt potiùs , quàm diminuta tumultu.

Fundamentum. Imò verò minuiſti , quia is Po. Ro. dignitatem minuit , qui per vim multitudinis , rem quamlibet ad ſeditionem vocauit; ex conflictione & quaſi concurſu rationis & firmamenti naſcitur ſtatus definitionis, minueritne Majeſtatem , qui rem gratam populo , per vim egit , qui defenſionis appellatur , quòd quæratur natura , & appellatio criminis , ſitne ſimplex ſeditio , an crimen læſæ maieſtatis.

PVNCTVM VI.

Controuerſia ſcripti.

PRæter hos ſtatus oriuntur non paucæ Controuerſiæ ex ſcripto, quas Cic partic.107. in grauiſſimis firmamentis eſſe ponendas ait,atque diſtinguendas à ſuperioribus, quia ne hoc quidem genus , in eas cauſas incurrit , quæ coniecturâ continentur. Quod enim factum negatur, id argui non poteſt ſcripto. Nec in definitionem quidem venit , genere ſcripti ipſius. Nam etſi verbum aliquod de ſcripto definiendum eſt , quam vim habeat ; non ſcripti genus , ſed verbi interpretatio , controuerſiam parit.

Primum quæritur quid ſcripto ſignificetur. Scilicet teſtamento mandauit aliquis ſibi fieri ſtatuam,auream haſtam tenentem, aut Taurum, ambiguitas in ſcripto eſt,quòd adiectiuum illud, *auream*,vel ad *ſtatuam* ſolam, vel ad haſtam poſſit referri,vndè dubitatur fieri ne tota debeat ſtatua,an verò haſta ſola aurea, item de ſeruo cognomine Tauro , an de animali.

Secundum quæritur voluntas , & ſententia eius,qui ſcripſit, nempe cum ſcriptoris voluntas à ſcripto videtur diſſidere. Lex eſt *Peregrinus ſi muros conſcenderit capite plectitor.* Cum hoſtes muros occuparent,peregrinus conſcendit,& depulit hoſtes,accuſatur, quòd contra legem fecerit ; ſe verò defendit legiſlatoris voluntate,quia ſi præuidiſſet hunc caſum,excipiſſet. In hac quidem Controuerſia ſcriptum quidem clarum eſt, ſed in mente ſcriptoris eſt ambiguitas.

Tertium , cum ſcriptum ſcripto opponitur vtputà duæ ſunt leges. 1. *Dux ab arce ne deſcendito* ; altera , *Dux victor quod præmium volet,poſtulato.* Ex hac lege Dux præmium hoc ſibi victor poſcit , vt liceat ſibi ex arce diſcedere. Obiicitur illi prima lex ; ſecundâ ſe tuetur ipſe , & ſic oritur contentio , vtra lex ſit potior. Eadem eſt illa Rapta , raptoris mortem optet, aut nuptias, Rapta eſt puella quædam à duobus , illa vnius mortem , alterius nuptias optat.

LECTIO III.

Inuentio generis Iudicialis.

IN Demonſtratiui generis Inuentione dictum eſt,apud Rhetores eſſe tria locorum genera,perſonarum ſcilicet, factorum,& rerum, quæ ita diſtributa ſunt in tria dicendi genera,vt

locos perſonarum Demonſtratiuo; factorum & aſſumptos rerum Iudiciali: Inſitos Deliberatiuo aſſignauerimus, de illis pluribus actum eſt, occurrunt nunc ſecundi, de quibus paucis diſſerendum.

Eorum Series ac Diuiſio.

Factorum locos Coniecturas vocamus, quod ad illas referantur; ſunt enim veluti circumſtantiæ, quædam, quibus aliquid coniicimus ad fidem faciendam: illorum Series atque Diuiſio colligitur ex Cicerone libro partic. n. 110. *In coniectura cum eſt in inficiando reus accuſatori hæc duo prima ſunt, Cauſa, & Euentus. Nam ſic vita hominum eſt*, ait idem pro Roſcio Amer. n. 84. *Vt ad maleficium nemo conetur ſine ſpe, atque emolumento accedere.*

PVNCTVM I.

Cauſa.

Cicero cauſam vocat ipſam rationem, quâ aliquid efficitur, & eam duplicem facit, quæ ſpectatur in coniecturis, hoc eſt Impulſionem & Ratiocinationem, quibus fermè rebus facti ſuſpicio confirmatur, cum & volūtatis in reo cauſæ reperiuntur & facultas. Illam vocat impetum ab animi perturbatione aliqua prouenientem, ſcilicet ſpe bonorum, & malorum metu, quæ duæ maximè dominātur in actionibus humanis proindè quantò maior ſpes boni cuiuſdam, & metus mali fuiſſe oſtendetur, tanto fiet acrior accuſatio. Hinc magnā Clodio cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas vtilitates fuiſſe pluribus amplificat Cicero.

Quin & ad Impulſionem pertinent, quæ à motibus animorum proueniunt: nempè ſi probatum fuerit aut iram recentem, vel odium vetus, aut vlciſcendi libidinem, aut acceptæ iniuriæ dolorem in aliquo fuiſſe, facile cædis admiſſæ reus habebitur. Sic enim Cic. partic. n. 112. *Spectantur etiam ad cauſam facti motus animorum ſi ira recens, ſi odium vetus ſi vlciſcendi ſtudium, ſi iniuriæ dolor.*

PVNCTVM II.

Euentus.

Eventus ea amplectitur, quæ poſt rem actum remanent, quaſi quædam impreſſa veſtigia rei patratæ: hæc autem ſigna ſeu veſtigia, vel ſunt antecedentia, ad locum profectio, communicatio ſeu verbo, ſeu litteris cum alio minæ, contentiones, iurgia, &c. Vel Concomitantia, quæ rei ſunt coniuncta, vt clamor exauditus, & verba notata, telum eodem loco extractum è vulnere, occultatio cadaueris, &c. Vel denique ſunt conſequentia, quæ poſt rem ipſam contigerunt, vt ſi paulo poſt ille qui accuſatur homicidij, cruentus viſus eſt, aut cum cruento telo, ſi rogatus expalluit, trepidauit, hæſit, reſpondit ineptè, fugit, &c.

PVNCTVM III.

De Circumſtantiis & locis Factorum. Quis.

Hac voce, & loco complectimur eam partem, quam in voluntate ſecundam poſuimus, naturam videlicet, & conditionem hominis: Nobilis eſt; contemptor ergo aliorum, honoris appetentior, formæ cupidus, popularium inimicus: iracundus, & iræ tenax, inſolens & impotens animi; quæ ſi poſſis probare vera eſſe in eo nobili, quem vis per coniecturas trahere in ſuſpicionem alicuius criminis, facilè rem obtinebis. Nam ſi honoris cuiuſcumque eſt adeò appetens, ſi popularium inimicus, ſi facibus iræ excandeſcat nobilis, facilè plebeium hunc hominem, aut quemuis alium, à quo verè, vel falsò offendi ſe putabat, verberarit, læſerit, occiderit. Si eſt adeò cupidus famæ ac ſtudioſus gloriæ domeſticæ amplificandæ, facilè hoc, aut illud admiſerit facinus, ex quo credebat magnam in ſe, ſuoſque poſteros gloriam redundaturam.

Sic Catilinam affectaſſe dominatum ex hoc loco probat Saluſtius. Nobili genere natus fuit; ingenio

ingenio malo prauoque. Huic ab adoleſcentia bella inteſtina, cædes, rapinæ, diſcordia ciuilis, grata fuere, ibique iuuentutem ſuã exercuit, patiens corpus inediæ, angoris, vigiliæ, ſupra quàm cuiquam credibile eſt, animus audax, ſubdolus, varius, cuiuſlibet rei ſimulator, atque diſſimulator, alieni appetens, ſui profuſus, ardens in cupiditatibus, ſatis eloquentiæ, ſapientiæ parum, vaſtus animus, immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiebat.

Quantum creſcat ſceleris atrocitas à circumſtantiis pluribus oſtendit Cicero cotra Piſonem num. 84.

A Gente.

Secundus locus eſt à patria, & natione, quòd ex omniũ opinione ſint quædam ſingulis nationibus vitia, & praui affectus, quaſi innati, quibus obnoxii creduntur, qui ex his ſunt oriundi; Syrus eſt, ergo facilè furtũ hoc admiſit, quia Syri ſunt auari: Aſiaticus, facilè ſuſpectus erit admiſſæ libidinis, quia molles ſunt, & laſciui. Si Sarmata, ſi Thrax facilè patrarit homicidium, quia eiuſmodi nationes feroces ſunt, &c.

A Parentibus.

Tertius à parentibus quorum mores in filios transferuntur, ergo fur iſte, qui à fure natus eſt, homicida qui à Sicario genitus, & iis in ſceleribus educatus. Et ſic de cæteris fortunæ bonis, & corporis, nam animi bona in argumentum vitii non trahuntur; quare qui cupit ex ipſis facere coniecturam ad accuſandum, debet ſcrutari vitia illis oppoſita. Clodius temerarius eſt, Milo prudens; ille turbulentus, hic ſapiens & modeſtus, igitur ille poſuerit inſidias, non Milo.

A Moribus.

Cic. parricidij crimen auertit à Roſcio deſcribendo mores eius, & indolem n. 38. *Quibus tandem te C. Eruci, argumentis accuſatorum cenſes vti oportere? nónne & audaciam eius qui in crimen vocetur, ſingularem oſtendere, & mores feros, immanemq; naturam, & vitam vitiis, flagitiiſq; omnibus deditam, deniq; omnia ad perniciem profligata, atq; perdita? quorum tu nihil in Sex. Roſcium, ne obiiciendi quidem cauſa, contuliſti, &c.*

Contra verò in Roſcii accuſatores ab eorum moribus perditis crimẽ coniicit, & à cauſis permultis quæ illos ad tantum maleficium impulerunt n. 86. *Quid ſi accedit eòdem, vt tenuis antea fueris? quid ſi, vt auarus? quid ſi, vt audax? quid ſi, vt illius, qui occiſus eſt, inimiciſſimus? num quærenda cauſa, quæ te ad tantum facinus adduxerit? quid ergo horum negari poteſt? tenuitas hominis eiuſmodi eſt, vt diſſimulari non queat: atque eò magis eluceat quò magis occultatur. Auaritiam præfers, qui ſocietatem coieris de municipiis, cognatique fortunis cum alieniſſimo. Quàm ſis audax, hinc omnes intelligere potuerunt, quòd ex tota ſocietate, hoc eſt, ex tot ſicariis, ſolus tu inuentus es, qui cum accuſatoribus ſederes atque os tuum non modò oſtenderes, ſed etiam offerres. Reſtat vt hoc dubitemus, vter potius Roſciũ occiderit; is ad quem morte eius diuitiæ venerint; an is, ad quem mendicitas; is, qui antea tenuis fuerit, an is, qui poſtea factus ſit egentiſſimus: is, qui ardens auaritia feratur infeſtus in ſuos: an is, qui ſẽper ita vixerit, vt quæſtum noſſet nullum, fructum autem eũ ſolum, quem labore peperiſſet: is, qui omniũ Sectorum audaciſſimus ſit; an is, qui propter fori iudiciorumq; inſolentiam, non modò ſubſellia, verum etiam vrbem ipſam reformidat.* Poſtremò vtrum inimicus potius, an filius. Idem vrget n. 100. & 108. & pro Milone n. 37. eandem comparationem inſtituit. Clodium inter & Mil. vter fecerit inſidias alteri.

Eum facilè condemnabit accuſator, quem oſtenderit audacem, leuem, crudelem & impotentem, hoc eſt talem, vt effrænatas & indomitas cupiditates habeat. Sic de Saſſia Cluentii matre loquitur Cic. n. 18. *Præſtò eſt mulier audax, pecunioſa, crudelis: inſtruit accuſatores, inſtruit teſtes, ſqualore huius & ſordibus lætatur, exitium exoptat ſanguinem ſuum profundere omnem cupit, dummodò profuſum huius ante videat.*

Si defendit Orator eum, qui poſtulatur, virtutes eius, ac morum honeſtatem demonſtrare debebit. Sic Tullius crimen Deiotari confutat à moribus, & frugalitate, nec non ab eiuſdem ætate, fere totâ oratione, ſed potiſſimum numero 16. *Quæ crux huic fugitiuo poteſt ſatis ſupplicii afferre? Deiotarum ſaltantẽ quiſquam, aut ebrium vidit vnquã? omnes ſũt in illo regia virtutes, quas te, Cæſar, ignorare non arbitror, ſed præcipuè ſingu-*

ſingularis,& admiranda frugalitas, & ſi hoc verbo ſcio laudari Reges non ſolere. Frugi hominem dici, non multum habet laudibus in Rege,fortem, iuſtum, ſeuerum,grauem,magnanimum,largum, beneficum, liberalem,hæ ſunt Regiæ laudes,illa priuata eſt. Vt volet quiſque accipiat,ego tamen frugalitatem,id eſt modeſtiam, & temperantiam, virtutem eſſe maximam iudico, &c.

Licet non certò ſæpè tamen quales ſint alicuius mores, ab externo corporis habitu colligimus: Elegantiam nimiumque corporis Gabinii cultum inſectatur,vt vitiorum fomitem Cicero, in Piſonem.n.25.

Auctor impudici carminis,ſignum animi corrupti nimiam capillorum curam eſſe innuit.

Sed vitate viros cultum formamq; profeſſos,
Quiq; ſuas ponunt in ſtatione comas.
Fœmina quid faciet,cùm vir ſit lauior ipſa?
Forſitan & plures poſſit habere viros.

ORATOR IV.

Quid.

AD huius loci coniecturam eſt expendenda criminis natura,& comparanda cum moribus eius,qui accuſatur,aut defenditur,vt in illius cadere naturam,ab huius moribus abeſſe longiſſimè oſtendatur,vtrúmque facit, eleganter Tull. pro Roſcio Amer.Primum quidem num.37. *Occidiſſe patrem Sex.Roſcius arguitur: ſceleſtum Dij immortales,ac nefarium facinus,atque eiuſmodi,quo vno maleficio ſcelera omnia complexa eſſe videantur. Etenim,ſi(id quod præclarè à ſapientibus dicitur)vultu ſæpè læditur pietas,quod ſupplicium ſatis acre reperietur in eum,qui mortem obtulerit parenti,pro quo mori ipſum,ſi res poſtularet, iura diuina atque humana cogebant: in hoc tanto,tàm atroci, tàm ſingulari maleficio,quod ita rarò extitit, vt,ſi quando auditum ſit,portenti ac prodigij ſimile numeretur. Quibus tandem te,Eruci argumentis accuſatorum cenſes vti oportere? nonne & audaciam eius qui in crimen vocetur,ſingularem oſtendere,& mores feros,immanemque naturam,& vitam vitiis flagitiiſque omnibus,denique omnia ad perniciem profligata,atque perdita;quorum tu nihil in Sex. Roſcium ne obiiciendi quidem cauſa,contuliſti.*

Secundum verò num. 110. Capitonem docet facilè conſilium, & reum eſſe illius homicidii, quòd ſcelerati eius mores,ab eo non diſſentiant. *Audio præterea non hanc ſuſpicionem nunc primum in Capitonem conferri:multas eſſe infames palmas. Hanc primam eſſe tamen Lemniſcatam,quæ Romæ deferatur: nullum modum eſſe hominis occidendi, quo ille non aliquot occiderit: multos ferro,multos veneno.*

PVNCTVM V.

Vbi.

HIc quæritur locus, in quo factum & commiſſum eſt flagitium, vt oſtendatur opportuniorem,aut iniquiorem crimini patrando,aut in eo fuiſſe,aut abfuiſſe eum, qui accuſatur; ad quod oportet diligenter locorum opportunitates attendere,vt maior criminis ſuſpicio ingeratur. Hinc Cic. docet Clodium potiùs, quàm Milonem ſtruxiſſe inſidias, qui Clodium illi occurrit in prædio ſuo, locoque opportuno, ante fundum, quo in fundo propter inſanas illas ſubſtructiones,facilè mille hominum verſarentur, ſed maximè pro Roſcio. nu. 92. *Videamus ecque facultas ſuſcipiendi maleficij fuerit. Vbi occiſus eſt Roſcius? Romæ. Quid? tu, Roſci,vbi tunc eras? Romæ,Verùm quid ad rem? & alij multi, quaſi nunc id agatur,quis ex tanta multitudine occiderit, ac non hoc quæratur,quis ex tanta multitudine occiderit,ac non hoc quæratur,eum,qui Romæ ſit occiſus, verum veriſimilius ſit ab eo eſſe occiſum, qui aſſiduus eo tempore Romæ fuerit, an ab eo,qui multis annis Romam omnino non acceſſerit.*

Multus in his Cic. præcipuè Verrina 7. cum modò Verrem libidinoſum in littore,priuatiſque domibus, modò crudelem in foro,modò rapacem in hoſpitum penatibus,facit.

A multis curiæ laudibus in vnum coniectis, facti atrocitatem exagerat, à loci ipſius ſanctitate pro Mil.num,91.

Quibus auxiliis.

VIres, inſtrumenta, conatus, arma, ſatellitium,aliáque ad rem perficiendam accom-

modata

Digitized by Google

modata auxilia dicuntur; illuſtriſſimum eſt illud Milon.n.55. *Si hæc non geſta audiretis, ſed picta videretis: tamen appareret, vter eſſet inſidiator, vter nihil cogitaret mali, cùm alter veheretur in Rheda penulatus, vnà ſederet vxor: quid horum non impeditiſſimum? veſtitus, an vehiculum, an comes? quid minus promptum ad pugnam, cùm penulâ irretitus, Rheda impeditus, vxorepenè conſtrictus eſſet? videte nunc illum primùm egredientem è villa ſubitò, Cur veſperi? quid neceſſe eſt? quî conuenit præſertim id temporis? Age nunc iter expediti latronis, cum Milonis impedimentis comparate ſemper ille cum vxore: tùm ſine ea, nunquam non in Rheda: tùm in equo &c.*

Cæterùm vt res naturales à Deo, ſic multò clarius, quæ ſupra naturam ſunt, ab eodem proficiſci credendum eſt, eâque diuinæ poteſtati tribuẽda. Si dicamus Mariam Ægyptiacam tribus dumtaxat panibus, triginta totis annis vitam toleraſſe, addendum diuinitùs factum illud, nec ſine miraculo fieri potuiſſe. Sic Tull. probat Clodium non ſine ope conſilioque diuino interfectum, fuit ſiquidem occiſus ante fanum bonæ Deæ cuius ſacra impiè violauerit: à n. 86. ad 89. *Non eſt humano conſilio, ne mediocri quidem Deorum immort. curâ, res illo perfecta: religiones ipſæ aræque, cùm illam belluam cadere viderunt, commouiſſe ſe videntur, & ius in illo ſuum retinuiſſe: Nec verò non eadem ira Deorum hanc eius ſatellitibus iniecit amentiam, vt ſine imaginibus, ſine cantu, ſine ludis, ſine exequiis, ſine lamentis, ſine laudationibus, ſine funere, oblitus cruore, & luto, ſpoliatus illius ſupremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici ſolent, amburereretur etiam abiectus, &c.*

Hunc eundem locum vrget multis tertiâ in Catil. Vbi demonſtrat humana ſententia tantùm periculum præcaueri non potuiſſe. Videndum tamen ne res parum difficiles Deo tribuamus, & hiſtriones ineptos imitemur; qui in re leuiſſima ſolent clamare, Deus in machina. Quod arguit Horatius in arte.

Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit.

PVNCTVM VII.

Cur?

HIc ſagaciter ſubodorari conuenit, quid in cõmittendo facinore ſibi propoſuerit, quid vtilitatis inde ſperauerit is, qui rem aggreſſus eſt. Quod quò clarius fiat, ſolet identidem Cic. Caſſianum illud repetere *Cui bono*, vt oſtendat, cuius incommodum, crimen admiſſum, cedat, vt eius illum authorem potiſſimum arguat. Pro Amerino Roſcium probat non occidiſſe patrem, quod eius mors illi fuerit pernicioſa n. 84. L. *Caſſius ille, quem populus Rom. veriſſimum & ſapientiſſimum iudicem putabat, identidem in Cauſis quærere ſolebat* Cui bono fuiſſet. *Sic vita hominum eſt, vt ad maleficium nemo conetur ſine ſpe, atque emolumento accedere, &c.* quibus docet mortem illius vtilem fuiſſe accuſatoribus, pernicioſam Roſcio, ideoque illos potius eſſe reos.

Idem repetit pro Milone. nu. 32. & à ſpe vtilitatis propoſitæ probat nullam fuiſſe cauſam, cur inſidias Milo pareret Clodio: ſed contrà ſperauiſſe Clodium fore, vt occiſo illo; poſſet impunè vexare Remp. *Quoniam igitur pacto probari poteſt, inſidias Milono feciſſe Clodium? ſatis eſt quidem in illa tàm audaci, tàm nefaria bellua, docere magnam ei cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas vtilitates fuiſſe. Itaque Caſſianum,* Cui bono fuerit, *in his perſonis valeat: etſi boni nullo emolumento impelluntur in fraudẽ, improbi ſæpe paruo. Atqui Milone interfecto Clodius hoc aſſequebatur, non modo, vt prætor eſſet non eo conſule, quo ſceleris nihil facere poſſet; ſed etiam vt his conſulibus prætor; quibus ſi non adiuuantibus, at conniuentibus certè; ſperaſſet ſe poſſe Rempubl. eludere, &c.* ad n. 35. quàm ſic concludit, non modò non prodeſt, ſed etiam obeſt Pub. Clodij mors Miloni.

Præterea tractantur aliæ cauſæ, quæ mouere potuerunt, vtputa, odium, ira, vindictæ cupiditas, & eiuſdem generis alia. Tull. eâdem Orat. numero .36. *At voluit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fecit vltor iniuriæ punitor doloris ſui. Quid ſi hæc, non dico maiora fuerunt in Clodio, quàm in Milone, ſed in illo maxima*

Digitized by Google

nulla in hoc? quid vultis amplius? quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiam ſuæ gloriæ, præter hoc ciuile odiũ, quo omnes improbos odimus.

At clarius conſiliorum Clodij ſeriem euoluit & oſtendit quomodo ſenſim ad intentandam Miloni necem, quaſi gradibus quibuſdam peruenerit n. 24. *Pub. cum ſtatuiſſet omni ſcelere in pratura vexare Remp. vide atq; ita tracta eſſe comitia anno ſuperiore, vt nõ multos menſes præturam gerere poſſet: qui non honoris gradum ſpectaret vt cæteri, ſed & L. Paulum effugere vellet, ſingulari virtuti ciuem, & annum integrum ad dilacerandam Remp. quæreret: ſubito reliquit annum ſuum, ſeque in annum ſequentem tranſtulit, non religione aliquâ, ſed vt haberet, quod ipſe dicebat, ad Præturam gerendam, hoc eſt, ad euertendam Remp. plenum annum atque integrum.*

Pvnctvm VIII.

Quomodo.

MOdum & ſeriem rei geſtæ continet, quod fit delucidâ narratione & explicatione, ex quâ facilè colligi poſſit, tàm eum, quem accuſamus, reum eſſe, quàm quem defendimus innocentem. ad quod videndum quomodo Tull. narrationem Milonianam auſpicetur, & moram eius cunctationemque afferat, vt collocatas à Clodio inſidias euincat, quam ſic concludit n. 30. *Hac ſicut expoſui geſta ſunt, iudices: inſidiator ſuperatus, vt victa vis, vel potius oppreſſa virtute audacia eſt. Nihil dico, quid Reſp. conſequuta ſit, nihil quid vos, nihil quid omnes boni: nihil ſanè id proſit Miloni, qui hoc fato natus eſt, vt ne ſe quidem ſeruare potuerit, quin vnà Remp. voſque ſeruaret. Si id iure non poſſet, nihil habeo, quod defendam; ſin hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, vt omnem ſemper vim, quacunq; ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent: non poteſtis hoc facinus improbũ iudicare, quin ſimul iudicetis, omnibus quin in latrones inciderunt, aut illorum telis, aut veſtris ſentẽtiis eſſe pereundum.*

Vnum hic excutiendum eſt, an comparatis inſidiis, an aperto marte hoſtem ſit adortus, vtrum iratus, ebrioſus, inuidentiâ percitus, vigilantemne oppreſſerit, an dormientem.

Pvnctvm XI.

Quando.

TEmporis opportunitates expendit, de die, an noctu, mane, vel ſerò, hâc, an illa horâ res acta ſit: vt enim tempora quædam ſunt opportuna criminibus; ſic alia minimè ſunt accommodata: quis enim neſciat noctem ſcelerum adminiſtram eſſe ſi modò vatem Horatium audierit.

— pulchra Lauerna.
Da mihi fallere, da iuſtum, ſanctumq; videri.
Noctem peccatis, & fraudibus, obiice nubem.

Seipſo ſuperior Tull. ſi vnquam nu. 49. pro Mil. dum Clodium inſidiatorem fuiſſe ex hoc loco. *Age ſi ita factum: quæ cauſa cur Romam properaret? cur in noctem ſe conijcere? quid afferebat feſtinationem? quod hæres erat? primum erat nihil, cur properato opus eſſe; deinde ſi quid eſſet, quid tandem erat, quod eâ nocte conſequi poſſet? amitteret autem, ſi poſtridiè manè Romam veniſſet? atque vt illi nocturnus ad vrbem aduentus vitandus potius, quàm expetendus fuit, ſic Miloni, cùm inſidiator eſſet, ſi illum ad vrbem noctu acceſſurum ſciebat, ſubſidendum, atque expectandum fuit.*

Numero deinde 51. iiſdem penè argumentis probat Milonem de inſidiis non cogitaſſe. *Noctu inuidioſo, & pleno latronum in loco occidiſſet. Nemo ei neganti non credidiſſet. quem eſſe omnẽ ſaluum etiam confitentem volunt. Suſtinuiſſet hoc crimen primum ipſe ille latronum occultator, & receptator locus, dùm neque muta ſolitudo indicaſſet, neque cæca nox oſtendiſſet Milonem: denique vbi multi ab illo violati, ſpoliati, bonis expulſi, multi etiam hæc timentes in ſuſpicionem caderent: tota deniq; rea citaretur Hetruria.* Quod argumentum repetit n. 55.

Pvnctvm X.

Euentuum Loci, ſeu Signa.

DE iis agit Tull. partic. n. 114. eaque definit, Conſequentia quædam ſigna præteriti, & quaſi impreſſa facti veſtigia: quæ quidem vel maximè

maximè ſuſpicionem mouent,& quaſi tacita ſunt criminum teſtimonia. Hæc propriè attingunt eos ipſos, qui arguuntur,vt telum,vt veſtigium, vt cruor,vt deprehenſum aliquid,quod ablatum, ereptumue videatur;vt reſponſum inconſtanter, vt hæſitans, vt titubans,vt cum aliquo viſus,ex quo ſuſpicio oritur: vt eo ipſo in loco deprehenſus in quo facinus, vt pallor, vt tremor, vt ſcriptum, vt obſignatum, aut depoſitum quidpiam, &c. ex quibus aſſerit elici poſſe argumenta.

Illa diuidit in duas ſpecies Quintil. lib.5.c.4. eorum ſcilicet neceſſaria ſunt,à Græcis τεκμήρια; alia non neceſſaria quæ σημεῖα: priora ſunt illa, que aliter habere ſe non poſſunt;vt cicatrix perpetuum eſt indicium vulneris; cum mori, cuius cor vulneratum ſit poſteriora, quæ quidem ſola non ſufficiunt ad tollendam dubitationem, cum cæteris tamen plurimum valent; einſmodi ſunt titubatio conſternatæ mentis indicium:mutatio coloris, vacillantis animi ſignum: inconſtans oratio,mendacij nota: tremor, timoris index,& ſic de cæteris,quæ ſunt indicia interiorum affectuum, & ſermo quidam tacitus mentis; id ex Iuuenale ſingulari iudicio Poëta, dictum.

Heu quàm difficile eſt crimen non prodere vultu!
Pari ſenſu conſtantia vultus accipitur in argumentum integritatis ab Horatio epiſt.lib.1.ep.1.

——Hic murus aheneus eſto
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Denique ſpeculum mentis eſt facies, atque vt ſapienter ait Seneca epiſt. 52. *Omnia rerum omnium,ſi obſeruentur, indicia ſunt: & argumentum morum ex minimis quoque licet capere. Impudicum & inceſſus oſtendit, & manus mota,& vnum interdum reſponſum,& relatus ad caput digitus,& flexus oculorum. Improbum riſus,inſanum vultus habitúſque demonſtrat. Illa enim in apertum per notas exeunt; qualis quiſque ſit ſcies, ſi quemadmodum laudetur, aſpexeris, &c.* Quis tamen dicat illa neceſſaria, ſempérque vera eſſe, quandoquidem à nonnullis rubor accipitur in argumentum virtutis, ab aliis in ſignum impudentiæ: mollitiei quòd vno digito caput ſcaberet, Ammianus excuſat tribuens id genuino cuidam mori. His itaque præmiſſis videndum, quomodo iſta ſigna ſint ab Oratore tractanda.

PVNCTVM XI.
Signorum antecedentium vſus.

Dicuntur ea quæ rem antecedunt, vt minæ, iurgia,odium,&.eiuſdem generis alia plurima, ex his ducit argumentum Tull. pro Mil. dum Clodij apparatum deſcribit ad ſuſpicionem magis, atque magis mouendam,& minas, quas à rebus ante actis,dictiſque exaggerat: vt iampridem locum & tempus inſidiarum meditatus probetur n. 26. *Seruos agreſtes,& barbaros quibus Siluas publicas depopulatus erat: Hetruriamque vexarat, ex Apennino deduxerat, quos videbatis, res erat minimè obſcura. Etenim palam dictitabat Conſulatum Miloni eripi non poſſe, vitam poſſe. Significauit hoc ſæpè in Senatu, dixit in concione; quinetiam Fauonio fortiſſimo viro quærenti ex eo, qua ſpe fureret, Milone viuo,reſpondit,triduò illum, ad ſummum quatriduò periturum. Quam vocem eius ad hunc M.Catonem ſtatim Fauonius detulit.*

PVNCTVM XII.
Vſus Concomitantium.

Quæ cum re coniuncta ſunt,vt clamor auditus, telum deprehenſum, & tota rei geſtæ ratio:quare præter illa quæ dicta ſunt ſuperius,in *Quomodo*,ſatis fuerit exemplum deſumere ex eadem Oratione,quo Clodij cum Milone congreſſum,pugnā ac cædem deſcribit n.29. *Fit obuiam Clodio ante fundum eius hora fere vndecima,aut nō multo ſecus, Statim complures cum telis in hunc faciunt,de loco ſuperiore,impetum: aduerſi rhedarium occidunt. Cùm autem hic de Rheda,reiecta penula, deſiluiſſet,ſeque acri animo defenderet:illi,qui erāt cū Clodio, gladiis eductis,partim recurrere ad Rhedam, vt à tergo Milonem adorirentur;partim,quòd iam interfectum putarent,cædere incipiunt eius ſeruos,qui poſt erant,ex quibus qui animo fideli in Dominum erant, & præſentes fuerunt, partim occiſi ſunt,partim cum ad Rhedam pugnari viderent; & Domino ſuccurrere prohiberentur. Milonemque occiſum etiam ex ipſo Clodio audirent,& ita eſſe putarent:fecerunt id ſerui Milonis,neque imperante, neque ſciente, neque præſente Domino, quod ſuos quiſque ſeruos in tali re facere voluiſſet.*

PVN

Digitized by Google

PVNCTVM XIII.

Vſus Conſequentium.

PRo conſequētibus ad ſatietatem ſunt exempla, in Oratione pro Roſc. Amerino n. 95. cuius hoc principium eſt. *Videamus nunc ſtrictim ſicut cætera, quæ poſt mortem Roſcij abs te T. Roſcij, facta ſunt: quæ ita aperta, & manifeſta ſunt, vt medius fidius inuitus ea dicam. Vereor enim cuicuimodi es, Roſci, ne ita hunc videar voluiſſe ſeruare, vt tibi omnino non pepercerim. Cùm hoc vereor, & cupio tibi aliqua ex parte (quod ſalua fide poſſim) parcere, rurſus immuto volūtatem meā. Venit enim mihi in mentē oris tui. Tene cùm ſocij tui fugerent, ac ſe occultarēt, vt hoc iudiciū non de illorū præda, ſed de huius maleficio fieri videretur potiſſimùm tibi partes iſtas depopoſciſſe, vt in iudicio verſarere, & ſederes cū accuſatore? qua in re nihil aſſequeris, niſi vt ab omnibus mortalibus audacia tua cognoſcatur, & imprudentia.* Idem vrget à n. 193. ad n. 106.

Hunc locum multis, & eleganter tractat Cic. pro Milone, qui poſtquam egit de impedimētis Milonis, & oſtendit, quàm fuerit Clodius ad pugnā expeditus, relictis omnibus nugis, ac comitibus, quos ſecum de more ducebat; cauſas addit, cur debuerit Milo inſidias aduerſarij præuidere, n. 57. *Cur igitur victus eſt? quia non ſemper viator à latrone, nonnunquam etiam latro à viatore occiditur: quia quamquam paratus in imperatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros, nec verò ſic erat vnquam non paratus Milo contra illū, vt non ſatis fere eſſet paratus. Adde caſus, adde incertos exitus pugnarum, Martémque communem: qui ſæpè ſpoliantem iam & exſultantem euertit, & perculit ab abiecto adde inſcitiam pranſi, poti, oſcitantis Ducis, &c.* Poſtea cur Milo ſeruos manumiſerit, quæ quæſtiones de ipſis habitæ ſunt, cur in vrbem venerit ſine metu. Quæ in agmentum eius innocentiæ aſſumātur omnia à n. 50. ad 54.

LECTIO II.

Diſpoſitia generis Iudicialis.

PRinceps in dicendo Tull. ait in aliis Orationibus Oratorem ludere, in his agere ſeriò. Sanè quàm prudenter, ac conſideratè cauſam agere debet is, qui vel innocentem defendit, vel reum accuſat, in curiæ luce? vbi Senatus Princeps ſplendore ſuo ſæpè perſtringit agentis oculos, & mentis aciem obtundit. Singulas igitur Orationis partes expendamus.

PVNCTVM I.

Generis Iudicialis Exordium.

ARtificioſum eſſe debet quàm maximè, in quo ſemper auditor, docilis attentus, ac beneuolus reddendus eſt, neque enim tractat Cic. ſententias, Theſes, aut Locos communes vllos Iudicialibus in Exordiis, ſed ſtatim ab initio, aut attentum facit, aut docilem, aut beneuolum auditorem.

Ex diuerſis cauſarum generibus oritur trium illarum neceſſitas, quarum in Exordiis eſt habenda ratio: Nam ſi beneuolentia maximè quis indigeat, illam vel à perſonis, aut à cauſa deducet; In perſonis, modò captatur à ſeipſo, nunc ab aduerſariis, aliàs à Iudicibus.

A propria perſona.

Modeſtiam ſeruabit, quod fiet, ſi virtutes, & eloquentiam extenuet: vt ſi plus voluiſſe, quàm præſtitiſſe ſe dicat; ſi honores, & commoda vni Deo, tùm fauori iudicum & auxilio tribuat. *Eſt enim*, inquit, Fabius lib. 4. c. 1. *Naturalis pro laborantibus: & Iudex religioſus libentiſſimè Patronum audit, quem iuſtitiæ numine timet:* Inde illa veterum, circa occultandam eloquentiam, obſeruatio, vt ſe impares, & ingeniis, & rebus omnibus aliis eſſe dicerent; qualem ſe facit Tull. in Orat. pro Quintio n. 1. *Quæ res in ciuitate duæ plurimum poſſunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, & eloquentia: quarum alteram C. Aquilli, vereor, alteram metuo. Eloquentia Q. Hortenſij ne me dicendo impediat, nonnihil commoueor: gratia Sex. Næuij ne P. Quintio noceat, id verò non mediocriter pertimeſco.*

Vel angi ſe non leuiter oſtendat difficultate agendi, & officio ipſo accuſandi, quod præſtat in Verrem actione 3.

Vel

Digitized by Google

Vel à magnitudine partis oppoſitæ,ſi doceat veluti ſe opprimi eius auctoritate,aut commendet ſuum officium, quo impulſus ad dicendum venerit, nimirum vt exiſtimetur ſuſcepiſſe illam cauſam ductus officio cognitionis,aut amicitiæ, aut Reip. cauſa, Cic. 1. in Verrem. *Si quis veſtrum, indices, aut eorum qui adſunt, fortè miretur me, qui tot annos in cauſis iudiciiſq, publicis ita ſim verſatus, vt defenderim multos, læſerim neminem: ſubito nunc mutatâ voluntate ad accuſandũ deſcenderim: is ſi mei conſilij cauſam rationemq, cognouerit, vnà & id, quod facio probabit, & in hac cauſa profectò neminem præponendum eſſe mihi actorem putabit.*

Quibus reddit cauſam; cur agat contra Verrem, quòd Siculis maximè deberet fauere.

Tertia in eundem n. 5. amore Reipub. accuſare ſe profitetur. *Itaque mihi videor magnam, & maxime ægram, & propè depoſitam Reip. partem ſuſcepiſſe: neque in eo magis mea, quàm veſtræ laudi, exiſtimationiq, ſeruiſſe.*

Quinta verò, ideò ſe dicit ad accuſandum deſcendiſſe, quòd vir bonus contra malum agere debeat n. 6. *Et in hoc homine ſæpè à me quæris Hortenſi quibus inimicitiis, aut qua iniuria adductus, ad accuſandum deſcenderim. Mitto tam rationem officij mei, neceſſitudiniſq, Siculorum: de ipſis tibi inimicitiis reſpondeo. An tu maiores vllas inimicitias putas eſſe, quàm contrarias hominum ſententias, ac diſſimilitudines ſtudiorum & voluntatum? fidem ſanctiſſimam in vita qui putat, poteſt ei non eſſe inimicus, qui quæſtor Conſulem ſuum, conſiliis commiſſis, pecunia tradita, rebus omnibus creditis ſpoliare, relinquere, oppugnare auſus ſit? Pudorem, & pudicitiam qui colit, poteſt æquo animo iſtius quotidiana adulteria, meretriciam diſciplinam, domeſticum lenocinium videre?* &c. per egregiam enumerationem amplificata.

Denique ſemper eſt aliqua honeſta ratio, aut neceſſitas afferenda; hoc enim mirum in modum iuuat accuſatores, ne alioqui videantur impulſi irâ vel odio, aut ambitione accuſationem ſuſcepiſſe.

Ab aduerſariorum perſona.

Eâ tantum ratione nobis conciliatur auditor, quâ illum ab aduerſariis auertimus: quare detegendæ ſunt eorum fraudes, & corruptelæ, quæ illos in inuidiam vocare poſſunt; ita tamen, vt nihil imponatur. Hac ratione Cic. 2. Verrina, apperit inſidias à Verre ſibi factas n. 3. *Equidẽ, vt de me confitear iudices, cùm multa mihi à C. Verre inſidiæ terra mariq, factæ ſunt, quas partim mea diligentia deuitarim, partim amicorum ſtudio, officioque repulerim: nunquam tamen, neq, tantum periculum mihi adire viſus ſum, neque tantopere pertimui, vt nunc in ipſo iudicio.*

Paucis verò numeris interiectis 9. probat per intolerabilem faſtum, ac regios ſpiritus Verrem contemnere Senatores ac Iudices, vt illum vocet in odium & inuidiam. *Quod ſi non modò in cauſa, verùm in aliquo honeſto præſidio, aut in alicuius eloquentia, aut gratia ſpem aliquam collocaſſet: profectò non hæc omnia colligeret, atque aucuparetur: non vſque eò deſpiceret, contemneretq, ordinem ſenatorium, vt arbitratu eius deligeretur ex Senatu, qui reus fieret, &c.*

Sexta eiuſdem enumerat multa crimina, vt etiam ipſo principio ſeptimæ de ſuppliciis. *Nemini video dubium eſſe, quin apertiſſimè Verres in Sicilia, ſacra profanaq, omnia, & priuatim, & publicè ſpoliarit, verſatúſque ſit, ſine vlla non modò religione, verùm etiam diſſimulatione in omni genere furandi, atque prædandi, &c.*

Cum hac perſona coniuncti ſunt, qui illam defendunt, quare & ipſi vocandi ſunt in inuidiã; vt ſi dicatur eorum amicitia, non in virtute, ſed in largitionibus, fundata. 5. in Verr. n. 7. *Quid? illa, quæ leuiora videntur eſſe, non cuiuſuis animum poſſunt mouere? quod ad tuam ipſius amicitiam, cæterorumque omnium maiorum, atque nobilium, faciliorem aditum iſtius habet nequitia, & audacia, quam cuiuſquam noſtrum virtus & integritas? odiſtis hominum nouorum induſtrias, deſpicitis eorum fragilitatem: pudorem contemnitis, ingenium verò, & virtutem depreſſam, extinctámque cupitis.*

Aut etiam eleuanda ſunt, ac refutanda, quæ identidem illi ad huius defenſionem afferre ſolent 7. Verr. num. 1. *Sed quædam mihi magnifica, & præclara eius defenſio oſtenditur: cui quemadmodum reſiſtam multo mihi ante eſt prouidendum, &c.*

A Iudicum Perſona.

Beneuolentia comparatur eorundem commendatione

Digitized by Google

datione. 2. in Verr. n. 10. *Quibus ego rebus, quid iſte ſperet, & quo animo intendat, facilè perſpicio. Quamobrem verò confidat aliquid proficere poſſe, hoc prætore, & hoc conſilio intelligere non poſſum*, &c.

Aut declarando quam ſpem conceperimus de ipſorum integritate 3. Verr. n. 3. *Neque enim hoc à vobis populus Rom. expectat; neque eo poteſt eſſe contentus, ſi condemnatus ſit is, qui adeſſe noluerit: & ſi fortes fueritis in eo, quem nemo ſit auſus defendere: immo verò adſit, reſpondeat*, &c.

Mores quoque ſi fieri poteſt, Iudicis non eſſe conuenit: nam prout aſperi, leues, iracundi, graues, auſteri, remiſſi erunt, aſſumere naturas eorum, quâ competent, aut mitigare, quâ repugnabunt, oportebit? & ita ab eorum moribus conciliatio ducetur: ſicut etiam ab officio, cuius nonnunquam poſſunt commoueri, leniter tamen, ne tam doceri, quem exorari, & laudari videantur.

A Cauſa & Adiunctis.

Ex cauſa ipſa, ſeu re ducetur etiam beneuolentia. Fab. l. 4 c. 1. Si primo ex cauſa noſtra deſumamus aliquam ſententiam maximè probatam iudicibus. Vt in Milo. Licere cuilibet ſe tueri, ac defendere, hac enim probatâ ſententia, iudex minus auerſus erit à reliqua cauſa, quæ ab ea pendet.

Ex adiunctis, tempore ſcilicet loco, aliiſque circumſtantiis. Pro Deiotaro conqueritur Cic. quod inter priuatos parietes dicat, & pro Cœlio, quòd die feſto.

Ex cauſæ ipſius magnitudine & momento, quippe quæ coniunctam habeat ſibi Reip. aut ciuium ſalutem; vt non tam res noſtra, quàm iudicum, & auditorum agi videatur, quod pro Domo ſua facit.

Ex cauſæ ipſius conditione, nam ſi in ea graui affecti fuerimus iniuria, tunc concitatur miſeratio erga nos, inuidia & ira, in aduerſarios.

Attentio.

Ad Attentionem hæc dat Quintil. ſi res noua, atrox, magna, & pertinens ad exemplum, agi dicatur, vt C c. ſæpius in Verrinis facit; ſi nos pauca dicturos, eaque ad cauſam tantum pertinentia: Facilius enim breuiori orationi aures accommodant.

Docilitas.

Ad Docilitatem parandam facit clara partitio rerumque dicendarum diuiſio, maximè cum cauſa videtur inuoluta multis rebus, aut difficultatibus impedita. Pro Cluentio n. 1. *Animaduerti, iudices, omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes: quarum altera mihi niti, & magnopere confidere videbatur inuidia tam inueterata Iuniani; altera tantummodo conſuetudinis cauſa timidè & diffidenter attingere rationē veneficij criminum: quæ de re, lege eſt conſtituta hæc quæſtio.*

Neque prætermittendum eſt, quod pulchrè monet Fabius nonnunquam ab nimia attentione iudicem auertendum eſſe, cùm ſcilicet nimium aduerſario attenderet, ideoque imminuenda quædam eſſe atque eleuanda. Pro Ligario & Cœlio.

LECTIO II.

Generis Iudicialis Narratio.

QVamuis perſpicuitas, & probabilitas ſint cuilibet Narrationi communes, tamen Ariſt. lib. 3. Rhet. cap. 10. Iudiciali maximè conueniunt: propterea quædam in hoc genere paulò attentius, diligentiuſque tractanda ſunt.

I. Ita componi debet Narratio, vt æquitatem cauſæ noſtræ ſubiiciat oculis; contra nequitiam inimicorum aperiat. In exemplum ſit Miloniana Narratio tam artificiosè contexta, vt nemo non credat Clodium inſidias paraſſe Miloni.

II. Eſt etiam illa conformanda Iudicum moribus, & auditorum, vt oſtendamus aduerſarios in eo maximè peccaſſe, à quo omnes potiſſimùm abhorrent, quod extremum referri debet ad moratam Narrationem, eam ſcilicet, quæ mores, & affectus eorum, qui aliquid agunt, exprimit: ad quod Ariſt. vult oſtendi primum propenſionem cuiuſlibet ad vitia, & virtutes, qui impulſus, id vel illud præeligit.

Secun

Digitized by Google

Secundùm vt exprimantur,ea,quę ab illis moribus oriuntur, vt,incedebat hoc,vel illo gradu, furens,anhelus,titubans;itaut cuilibet vitio propriæ notæ adſcribantur.

Tertiùm,ſi res videatur incredibilis,cauſæ quæ ad eam impulerunt ſunt proferendę:quod ſi nulla ſatis legitima cauſa inueniatur, recurrendum ad illius primam libidinem,qui ſolo naturæ corruptæ impetu ad hæc,aut illa feriatur.

Quartùm debet hæc Narratio varietatem affectuum continere, maximè cùm res aliqua crudelis & atrox opponitur:tunc enim variè concitantur motus animorum grauiores,per exclamationes, obiurgationes, reprehensiones propter animi perfidioſi fraudem, aut ſceleſtum aliquod facinus,comminationes, increpationes,&c. Vt nemo ſit,qui non exhorreſcat,compatiatur, iraſcatur,inardeſcat ad tale portentum,tam crudele, tam nefarium.

Sunt etiam narrationes quædam totæ flebiles, aut acerbæ, quibus atrox alicuius maleficiū, naturæque immanitas, aut innocentium pœna exponitur;quales in Verrinis multæ,vt illa imprimis nobis,7.Numeris bene multis,imò ferè tota Oratione de Suppliciis. *Conſtituitur in foro Laodiceæ ſpectaculum acerbum & miſerum toti Aſiæ &c.*

Quintùm, quia duplex eſt Narratio; altera quæ ſummas rerum colligit tantùm : altera quæ ſingula exponit;debet vti Orator modò hâc,modo illâ, prout inſeruient moribus:nam ſecunda adhibenda eſt quotieſcumque ſunt permouendi auditores:prima cùm rei geſtæ ſeries, aut nobis non multum fauet, aut ingrata eſt auditoribus, aut communis & trita.

Denique monet Ariſt. defenſorem non adeò indigere Narratione, quòd ab accuſatore iam ante res omnis ſit expoſita;illam tamen adhibere debet,ſi accuſator aliquid minus fideliter narrauerit,aut aliquid omiſerit, quod reo fauere poteſt.

* * *

PVNCTVM III.

Generis Iudicialis Confirmatio.

CONfirmatio longè maiorem affectuûm varietatem recipit, vt quæ omne genus probationum contineat, quæ diuerſa ratione proponuntur:vel enim ſimplex eſt,vel coniuncta; illa vnius eſt criminis;iſta plura complectitur:in illa ſeruandus ordo,quem præſcribit Cic. 2. de Orat. n. 314.dùm de collocandis argumentis agit. *Firmiſſimum quoque ſit primum : dùm illud tamen in vtroque teneatur, vt ea, quæ excellant, ſeruentur etiam ad perorandum:ſi quæ erunt mediocria(nam vitioſis nuſquam eſſe oportet locum)in mediam turbam,atque in gregem coniiciantur.* Sic enim comparati ſumus,vt primorum,& vltimorum meminerimus, modiorum vix recordemur. Vt ergo meminerint Iudices,initio & in fine collocanda ſunt optima.

Sin coniuncta cauſa ſit, is eſt ordo tenendus, quem Cic.docet libro Particionum num.14.Nimirum vt ſi accuſemus,ſequamur rerum ordinē, id eſt vt crimina ab reo admiſſa ſunt,ſic à nobis referantur. Vel certè melius:nam is ordo minus placet,ſiquidem poterunt leuiſſima poſtremò facta eſſe,at nunquam leuiſſima poſtrema referenda ſunt.Notanda tempora,aut dignitates & officia,in quibus ſe ille exercuit,&crimina,quę quoque tempore, aut officio ſuſceperit recenſenda ſunt, vt grauiſſima quæque primum, & poſtremum locum occupent,cætera medium. Ita Cic. Confirmationem in Verrinis collocat; cum primum eum accuſat ab iis ſceleribus,quæ geſſit in quæſtura;tum progreditur ad ea,quæ in Legatione,poſtea vrget ea,quæ in prætura vrbana,deindeque in Sicilienſi admiſſa ſunt refert; denique Sicilienſem in quatuor partes,quaſi genera quædam partitur. Nam primum refert crimina quæ ad iuriſdictionem pertinent ; tum quæ ad rem frumentariam;dein quæ ad furta, tandem quæ ad ſupplicia pertinent magno verborum apparatu, & ad grauiores affectus eliciendos idoneo,recenſet.

Digitized by Google

Notandum vnumquodque crimen probandum eſſe ex locis,qui pertinebunt ad ſtatuam,in quo cauſa verſabitur,& obſeruandum religioſè, quod præcipit Tull.in Patricio.n.14.Singula argumenta, quaſi haſta in manu collocata vehementer proponi oportere, hoc eſt, ſtatim initio conglobatione criminum omnium vti oportere, vt, & reus obruatur multitudine,& Iudices obſtupeſcant 2.in Verr.n.10.& ſequentibus.*His ego iudicibus non probabo,C.Verrem contra leges pecunias cepiſſe? iſtum in quæſtura pecuniam publicam Cn.Carboni Coſ. datam,auertiſſe,iſtum alieno nomine à quæſtoribus vrbanis,pecuniam abſtuliſſe,&c.*

Quæ vbi crimina conglobarit Orator, deinceps acriter erunt probanda,& confirmanda tabulis,decretis,teſtimoniis,accuratius que in ſingulis erit commorandum,quod fit ſi crimen aliquo motu vehementiori augeamus. Tull. 3.in Verr.n.40. *O ſcelus! ô portentum, in vltimas terras exportandum.Itane verò tùm cùm Quæſtor ad exercitum miſſus es, cuſtos non ſolùm pecuniæ,ſed etiam Conſulis particeps omnium rerum conſiliorumque fueris: habitus ſis in liberûm loco,ſicut mos maiorum ferebat:repentè relinquas? deſeras? ad aduerſarios tranſeas? ô ſcelus! Non enim poteſt ea natura,quæ tantum facinus commiſero, hoc vno ſcelere eſſe contenta:neceſſe eſt ſemper aliquid cinſmodi moliatur:neceſſe eſt in ſimili audacia, perfidiaque verſetur.*

Aliquando inſtandum eſt, acriuſque vrgendum, interrogandum, minandum, ablandiendum;paſſim in Catil.& Verrinis Cicero,quæ quibuſuis ſunt obuia. Egreſſiones adhibendæ pro Sext 5.&. alibi ſæpè.

Nonnunquam propoſitis rationibus in amplificationem grauiorem exardeſcit Orator,ad maiorem animorum motum.

Sæpè lentâ grauitate pondus adiungendum iis,quæ dicuntur:ſed quoniam grauioris affectus proprium eſt,hos ciere motus,in Epilogo, & in exercitatione,de affectibus,ſatis diſputatum eſt.

Iam verò ſi defendamus,maximo nobis iudicio opus eſt,vt in particionibus, docet Cicero. Nam aut eodem ordine nos vti oportet, quo aduerſarius vſus eſt, nimirùm illius argumenta diluere eo,quo propoſita ſunt modo,aut certè immutare ordinem, & leuiſſima primò refutare, partim ad extremum remittere,videreque maximè, vt Iudices inanem cauſam aduerſarij noſtri non arbitrentur;firmiſſimà verò quæque in medium locum conjecta,aut obſcurare dicendo aut digreſſionibus obruere tutum erit. Denique cauſa ipſa optimum Oratorem moderatur, qui ſemper quid Iudices & res poſtulent,aduertit.

PVNCTVM IV.

Peroratio generis Iudicialis.

Hic præcipuè ſunt excitandi motus duo, Iræ nimirum,& Indignationis, ſic accuſemus, Conqueſtionis verò,ſeu Miſerationis, ſi defendamus. Tametſi dùm defendimus iram mouere poſſimus aduerſus iniuſtos accuſatores; quod pro Roſc. facit Tull. miſericordiam dum accuſamus Tull. 3. Verr. cùm de Philodamo diſputat.

Præter hos alij motus omnes excitantur, vt Odij in Clodium, & furoris eius adminiſtros 91. nu. pro Mil. idque à definitionibus conglobatis.

Tum motus amoris eiuſdem Orationis n. 98. à conſequentium frequentatione.

Miſerationis motus pro Sextio num.146.pro Mur,88.à contrariorum amplificatione.

Doloris motus excitatur pro Mil.num.100 à diſſimilibus.

Lenitatis affectus pro Sextio 37. à pugnantium conglobatione.

Miſericordiæ verò motus habetur in Milon. 104.à cauſis,& 95.à ſimilitudinibus & exemplis in eodem n. 631. in Catil.n.3. a perſonis fictis, eadem n. 18.

Hic locus eſt figuratæ loquutionis per frequentes Hypotypoſes,Apoſtrophes, Deſcriptiones,Proſopopœias, Contentiones, quæ motus grauiores efficiunt,de quibus ad ſatietatem in Eloquentiæ triumpho.

LECTIO

Digitized by Google

LECTIO IV.

Vſus Præceptorum Particularium generis Iudicialis.

QVamuis generis Iudicialis duæ tantùm ſint præcipuæ partes, Accuſatio ſcilicet, ac Defenſio, ambæ tamen plures comprehendunt. Accuſatio, Querelam, Expoſtulationem, Exprobrationem. Defenſio, Purgationem & Deprecationem, & ſi quæ ſunt aliæ, de quibus paucis agendum nobis eſt.

PVNCTVM I.

Artificium Accuſationis.

COnſiderat accuſator qualis in iudicium reus vocetur, proinde rationem habet dignitatis & auditorum, ne temerè quidquam profundat, paucis notat crimen, illud circumſtantiis deſignat; teſtimoniis, ſi ſit opus, conuincit, tum demum ſic ſe gerit, vt de re, non de homine dicere videatur.

Et verò cum accuſatio ſit apud Iudices rei delatio, grauis eſſe debet ac honeſta, vt pondus auctoritatis ſuæ retineat, dum legitimè tractatur, dum nullo ducitur alio, quàm iuſtitiæ affectu, non inuidiâ, non odio, non ſpe præmiorum rapitur ad id munus, & officium; ſed oppreſſæ innocentiæ miſericordiâ, improbitatis odio, & communis vtilitatis ratione impellitur.

Sic prudens Orator Tull. quia ſuſpecta ſemper, & odioſa viſa eſt Accuſatio, profitetur ſe nullius iniuriis laceſſitum, nec priuatis inimicitiis adductum ad cauſam acceſſiſſe, Diuinatione in Verrem. Deinde iuſtiſſimas cauſas profert, quibus ad hoc ſit impulſus eadem Orat. numero 5. *Adductus ſum Iud. officio, fide, miſericordia, multorum bonorum exemplo, veteri conſuetudine, inſtitutoq; maiorum, vt onus hoc laboris, atque officij, non ex meo, ſed ex meorum neceſſariorum tempore mihi ſuſcipiendum putarem.*

Quanquam non requiratur tantus Orationis ambitus, in ſingulis actionibus, præſertim vbi quis patronus id ex officio facit: aut reus eſt tàm infamis, & notæ nequitiæ, vt nulli non probetur eius delatio. Puerilis enim loquacitatis eſt eo calore minimos errores inſectari, quo grauiſſima quæque crimina.

Exordium.

Orditur ſæpius à deploratione temporis præſentis, in quo tàm ſunt corrupti mores, vt non tantùm admittant ſcelera, ſed etiam palàm de his glorientur impii, & impunitatem ſibi polliceantur, quod in reo probandum eſt.

Aliàs ab inſolentia parricidæ crimen approbantis impunè, Iudicum beneuolentiam conciliat, illorum integritate pluribus dilaudata.

Si neceſſitatem accuſandi propoſuerit, vel ex bono publico priuatoque, vel ex damnis crudelitatis arcendis, & eloquentiæ venalis ſuſpicionem amouerit, Iudices ad audiendum præparabit; dociles verò, ſi criminis atrocitatem tàm breuiter & clarè ſub oculos poſuerit, vt nullus dubio locus relinquatur.

Aliàs à principio abrupto conuenit exordiri, quo ſtatim, & noſtrum dolorem, & rei grauitatem indicemus. Sic in Catil. 1. Tull. *Quouſque tandem, &c.* Quod fiet commodè per Conqueſtionem, Dubitationem, Exclamationem, &c.

Res etiam & perſonæ vel crimen ipſum, cuius accuſatur, dant Orationi principium.

Vix dici poteſt quantum ſit hac in re ad perſuadendum efficax modeſtiæ ſpecies, præſertim apud graues perſonas; proinde periculoſum eſt ardoris nimii flammam excitare vehementius, ne odium, quod cupimus accendere, deferueſcat, & miſeratio in locum eius ſuccedat: ſed molliter, ac frigidè profiteri neceſſitatem actionis, ſecurum.

Narratio.

Magnam artem requirit; dilucidè ſiquidem, ac robuſtè referenda ſunt crimina, nec tàm ad pompam verborũ, & eloquentiæ nomen, quàm ad rei damnationem inſtitui debet. Argumenta leuioris

Digitized by Google

quid cum ferro ſuccinctis iuuenibus veniſ, conuiuam me tibi committere auſus non ſum comeſſatorem te, cum armatis venientem recipiam? ſi aperta ianua fuiſſet, funus meum parares hoc tempore pater, quo querentem audis.

Rem probat ex circumſtantiis diligenter expoſitis, & ad maiorem animorum commotionem, nihil habere ſe quò confugiat, acerbè queritur.

Nihil ego ſi tanquam accuſator criminoſè, nec dubia argumentis colligendo ago. Quid enim? negat ſe cum multitudine veniſſe ad ianuam meam? an ferro ſuccinctos ſecum fuiſſe? quos nominauero, accerſe, poſſunt quidem omnia audere, qui hoc auſi ſunt, non tamen audebunt negare ſe deprehenſos intra limen meum cum ferro, ſi ad te deducerem, rem pro manifeſto haberes; fatentes pro deprehenſis habe. Execrare nunc cupiditatem regni, & furias fraternas concita. Sed ne ſint cœcæ; pater, execrationes tuæ, diſcerne, & diſpice inſidiatorem, & petitum inſidiis: noxium huic eſſe caput; qui occiſurus fratrem fuit, habeat etiam iratos paternos Deos: qui periturus fraterno ſcelere fuit, perfugium in patris miſericordia, & iuſtitia habeat: quò enim alio confugiam? cui non ſolenne luſtrale exercitus tui, non decurſus militum, non domus, non epulæ, non nox ad quietem data naturæ beneficio mortalibus, tuta eſt? ſi iero ad fratrem inuitatus, moriendum eſt: ſi recepero intra ianuam comeſſatum fratrem, moriendum eſt, nec eundo, nec manendo inſidias euſto.

Gradum facturus ad crimen artificioſè patris nomen, & beneuolentiam vſurpat, callideq́ criminationem de amicitia cum Romanis, & ſpe regni inuadendi innectit.

Quò me conferam? Nihil præter Deos pater, & te colui. Non Romanos habeo, ad quos confugiam. Periſſe expetunt, quia tuis iniuriis doleo, quia tibi ademptas tot vrbes, tot gentes, modò Thraciæ maritimam oram indignor. Nec me, nec te incolumi, Macedoniam ſuam futuram ſperant. Si me ſcelus fratris, te ſenectus abſumpſerit, aut nec ea quidem exſpectata fuerit, regem regnumq́ue Macedoniæ ſua futura ſciunt. Si quid extra Macedoniam tibi Romani reliquiſſent, mihi quoque id relictum credere receptaculum. At in Macedonibus ſatis præſidij eſt: Vidiſti heſterno die impetum in me militum, quid illis defuit, niſi ferrum? quid illis defuit, interdiu, conuiuæ fratris noctu abſumpſerunt.

Demetrium charum Romanis, apud quos Legatus fuerat, premit acrius, vt diram æmulationem ſuſpicioſo ſeni facilius inſtillet.

Quid de magna parte Principum loquar? qui in Romanis ſpem omnem dignitatis & fortunæ poſuerunt, & in eo qui omnia apud Romanos poteſt. Neque hercule iſtum mihi tantùm fratri maiori, ſed propè eſt, vt tibi quoque ipſi regi, & patri præferant. Iſte enim eſt, cuius beneficio pœnam tibi Senatus remiſit, qui nunc te ab armis Romanis protegit, qui tuam ſenectutem obligatam, & obnoxiam adoleſcentiæ ſuæ eſſe æquum cenſet: pro iſto Romani ſtant, pro iſto omnes vrbes tuo imperio liberatæ, pro iſto Macedones, qui pace Romana gaudẽt, mihi præter te pater, quid vſquã, aut ſpei, aut præſidij eſt?

Coniecturam firmat T. Quintij litteris ad Demetrium, & in odium patris adducitur miſer adoleſcens.

Quò ſpectare illas litteras ad te nunc miſſas T. Quintij credis? quibus & benè te conſuluiſſe rebus tuis ait, quòd Demetrium Romam miſeris: & hortatur vt iterum, & cum pluribus Legatis, & primoribus quoque Macedonum remittas eum? T. Quintius nunc eſt Auctor omnium rerum iſti? & magiſter eum ſibi te abdicato patre, in locum tuum ſubſtituit: illinc ante omnia clandeſtina concocta ſunt conſilia. Quæruntur adiutores conſiliis, cùm te plures, & principes Macedonum cum iſto mittere iubet. Qui hinc integri, & ſynceri Romam eunt, Philippum Regem ſe habere credentes, imbuti illic & infecti Romanis delinimentis redeunt. Demetrius iis vnus omnia eſt, cum iam Regem viuo patre appellant.

Peroratio ſimulatam moderationem continet conſilij peſſimi artificem, quod facit vt patrem in filium vehementer excitet, ſitimq́ ſuam cruore fratris expleat.

Hæc ſi indignor, audiendum eſt, non ab iis ſolùm, ſed etiam à te pater cupiditatis regni crimen. Ego verò ſi in medio ponitur, non agnoſco.

Digitized by Google

agnoſco. Quem enim ſuo loco moneo, vt ipſe in eius locum ſuccedam? vnus ante me pater eſt; & vt diù ſit Deos rogo. Superſtes ei ita ſim, ſi merebor, vt ipſe me eſſe velit. Hæreditatem regni, ſi pater tradet, accipiam. Cupit regnum, & quidem ſcelerate cupit, qui tranſcendere feſtinat ordinem ætatis, naturæ, moris Macedonum, iuris gentium. Obſtat frater maior, ad quem iure, voluntate etiam patris, regnum pertinet, tollatur, non primus regnum fraternâ cæde petiero. Pater ſenex, & filio ſolus orbatus, de ſe magis timebit, quàm vt filij necem vlciſcatur. Romani lætabuntur, probabunt, defendent factum. Hæ ſpes incertæ pater, ſed non inanes ſunt. Ita enim res ſe habet: periculum vitæ propellere à me potes puniendo eos, qui ad me interficiendum ferrum ſumpſerunt: ſi facinori eorum ſucceſſerit, mortem meam idem tu perſequi non poteris.

Semper illa Crateri accuſatio, inuidiâ laborandis, aduerſus Philotam viſa eſt vehemens & artificiò ſimulationis erudita, magna quidem ſenſibus ac verbis ſimplex, ſed ad odium diſſimulandum, compoſita, vt illum vltimo ſupplicio, nulla miſericordia dignum indicaret, ob flagitij concepti deformitatem. Sic enim ille apud Curtium lib. 6.

Vtinam in principio quoque huius rei nobiſcum deliberaſſes. Suaſiſſemus, ſi Philotæ velles ignoſcere, & paterere potius ignorare eum, quantum deberet tibi, quàm vſque ad mortis metum adductū cogeres potius de periculo ſuo, quàm de tuo beneficio cogitare. Ille enim ſemper inſidiari tibi poterit, tu non ſemper Philotæ poteris ignoſcere. Nec eſt quod exiſtimes eum, qui tantum facinus auſus eſt, venia poſſe mutari. *Scit eos qui miſericordiam conſumpſerunt, amplius ſperare non poſſe.* At ergo, etiamſi ipſe vel pœnitentiâ, vel beneficio tuo victus quieſcere volet, patrem eius Parmenionem tanti ducem exercitus, & inueterata apud milites tuos auctoritate, haud multum infra magnitudinis tuæ faſtigium poſito, ſcio non æquo animo ſalutem filij ſui debiturum tibi. *Quædam beneficia odimus, meruiſſe mortem confiteri pudet. Supereſt vt malit videri, iniuriam accepiſſe, quàm vitam.* Proinde ſcio tibi cum illis de ſalute eſſe pugnandum, ſatis hoſtium ſupereſt, ad quos perſequendos ituri ſumus. Latus à domeſticis hoſtibus muni. Hos ſi ſubmoueas, nihil metuo ab externo.

PVNCTVM II.

Artificium Apologiæ ſeu Defenſionis.

OPponitur accuſationi defenſio quæ pro varietate rerum, & perſonarum multiplex eſſe debet: vel enim qui ſe purgare conatur manifeſtis tenetur indiciis, & ſic excuſationem facti quærit ex adiunctis, & circumſtantiis pluribus: vel innocens, qui accuſatur, & tunc innocentiam prætendit, quo nullum efficacius eſt defenſionis telum.

Si ad viros Principes habenda ſit defenſio, mitius potius veritate, prudentiâque de rebus monendi ſunt, quàm temerè verbis paulò liberioribus irritandi: Sic enim agnita calumniantium improbitate, & fraudibus de tectis æquiores nobis erunt. Sic per diſſimulationem quandam orditur pro Ligario, deinde ſignificatione amabilium morum, tum prædicatione clementiæ Cæſaris in eius beneuolentiam, quaſi per cuniculos irrepit.

Exordium.

Petitur ſæpius à diuerſis circumſtantiis locorum pro Cœlio; perſonarum pro Sextio, & Deiotaro; ab officiis in multos collatis pro Plancio; à perſona quæ defenditur, pro Archia; ab erroris confeſſione, pro Rab. poſthumo. Nunc ſuſceptæ defenſionis ratio affertur, & ad confutationem paratur aditus. Nonnunquam à Clementia, quæ ſi ab iudiciis exultaret, optimo cuique timendum eſſet, cum humanum ſit interdum peccare: tum ad reum deſcendit.

Beneuolentiæ conciliandæ ſemina quædam paucis interſerit Orator, dum ſibi gratos iudices profitetur, quòd eos ſperet habiturum ſe propitios, daturoſque aliquid humanæ fragilitati.

Ex perſona quæ accuſatur, quòd ita præcipiti, vel odio furenti, aut alio quouis affectu grauiori, vel damnis laceſſitus, crimen admiſerit.

Facilius beneuolentiam conſequetur, ſi eius anteactæ victæ virtutes atque integritatem, meritáque in Rempub. commemorarit.

Ex

Digitized by Google

Ex aduerſarij perſona, ſi ſolitam eius nequitiam, ac ſcelera, vt in veteratum odium exponat.

Narratio.

Refutationem continet, potiſſimam defenſionis partem, cùm aliena repellere non poſſit, quin ſua ſimul confirmet,

Aliquando præcipua tantùm accuſationis capita nonnulli aſſumunt, quibus labefactatis, cætera facilè concidunt.

Vt flamma, quæ magna congerie conualuerit, diductis quibus alebatur lignis concidet, vt flumina in plures riuos diuiſa areſcunt.

Interdum ſingulas accuſationis partes diſcutit, ac repellit; mox totam aduerſarij calumniam breuiter contrahit, reiectis per contemptum iis, quæ plus malitiæ, quàm probabilitatis habere cenſentur.

Sic Antonij rationes quaſi feſtucas leuiores curſim infringit Tull. in apologia, quam pro ſe habet 1. Phil. n. 3. Vbi primùm amicitiæ violatæ crimen confutat, rationémque reddit, cur cauſam cuiuſdam ſui familiaris contra fabium Antonij ſocerum defendendam ſuſcepeiit. *Contra rem ſuam veniſſe me neſcio quando queſtus eſt. An ego non venirem contra alienum pro familiari & neceſſario meo? non venirem contra gratiam, non virtutis ſpecie, ſed ætatis flore collectam? non venirem contra iniuriam, quam iſte interceſſoris nequiſſimi beneficio obtinuit, non iure pretorio?*

Poſt aliqua tranſit ad aliud, & negat illum ſe in diſciplinam ſuam tradidiſſe, & obiter impudicitiæ crimen impingit. *Atenim te in diſciplinam meam tradideras, domum meam ventitaras. Na tu, ſi id feciſſes, melius fama melius pudicitia tua conſuluiſſes. Sed nec feciſti, nec, ſi cuperes, tibi id, per Curionem facere licuiſſet.*

Aliàs non tantùm aduerſariorum ſenſus referuntur noſtris comprehenſi ſententiis, ſed ipſamet eorum verba commemorantur, diſcutiuntur, per partes confutantur ſcriptis codicibus, qui modus purgationis aptior, quàm pronunciatis orationibus: quanquam Cicero id præſtet. Phil. 8. n. 13. dum litteras Antonij falſificatis, & impudentiæ plenas confutat minutatim. Quod & facit pluribus 13. à n. 22. digna certè quæ cum otio legantur.

Modò cauſas impellentes, tum internas, tum externas proponit, quibus reum abſoluat metu ſcilicet aliiſque concitationibus abreptum prius, quàm poſſet obuiam ire vrgenti malo: adde damnis ac iniuriis grauioribus laceſſitum fuiſſe, qui ſcelus admiſiſſe creditur.

Modò circumſtantias temporis, ac loci adhibet, quibus oſtendit id agendum fuiſſe, vel grauius damnum publicum, & priuatum ſubeundum, vel illi certè, qui defertur, pereundum 97. Cœlij vim & ferocitatem à ſpe futuræ virtutis excuſat illique veniam precatur Cicero.

Proderit nonnunquam exempla proferre eorum, qui cum maiora, vel certè paria ſcelera admiſerint, veniam & vitã ab iudicib. impetrarunt.

Sic Clodij facinora per conglobationem dinumerat, vt adoleſcentem optimum in ea ciuitate damnandum non eſſe demonſtret. in qua paulo ante vir adeò nefarius fuerit abſolutus 78. pro Cœlio.

Epilogus.

Ad preces confugit per breuem repetitionem meritorum eius in Remp, & earum rerum, quibus veniam, ac ſalutem mereri videatur.

Defenſionis Ideam habet Liuius. l. 30. Vbi Demetrium Parricidij reum, eâ quâ ſolet verborum pompâ defendit, contra fratrem ſubiratum grauiter, & vix placabilem.

Exordium natum eſt ex tempore, in quo verſutias ac fraudes accuſatoris detegit, animumque Patris grauiter exulceratum prudenter mitigat, & ab iniqua dicendi conditione beneuolentiam captat,

Omnia quæ reorum antea fuerant auxilia, pater, præoccupauit accuſator. Simulatis lacrymis in alterius perniciem, veras meas lacrymas ſuſpectas tibi fecit, cum ipſe, ex quo ab Roma redij, per occulta, cum ſuis, colloquia, dies noctéſque inſidietur vltrò mihi: non inſidiatoris modò ſed latronis manifeſti, & percuſſoris ſpeciem induit. Periculo ſuo te exterret, vt innoxio fratri per eundem te maturet perniciem. Perfugium ſibi nuſquam gentium eſſe dicit, vt ego ne apud te quidem quicquam ſpei reliquæ habeam circumuentum, ſolum, inopem, inuidia gratiæ externæ quæ obeſt potius, quàm prodeſt, onerat.

Digitized by Google

Primam rationem conficit dilemma, quo conſiſtam oſtendit accuſationem, & crimen inſidiarum in fratrem retorquet. Si Demetrius antea proditor, cur tantùm ſcelus in patrem, & regnum alto ſilentio prætermiſſum eſt? ſi primum, quorſum illa vetus criminatio.

Iam illud quàm accuſatoriè? quod noctis huius crimen miſcuit, cum cætera inſectatione vitæ meæ? vt hoc quod iam quale ſit, ſcies, ſuſpectum alio vitæ noſtræ tenore faceret: & vnam illam criminationem ſpei, voluntatis, conſiliorum meorum, nocturno hoc ficto, & compoſito argumento fulciret. Simul & illud quæſiuit, vt repentina, & minimè præparata accuſatio videretur, quippe ex noctis huius metu, & tumultu repentino exorta. Oportuit autem Perſeu, ſi proditor ego patris, regnique eram, ſi cum Romanis, ſi cum aliis inimicis patris inieram conſilia, non expectatam fabulam noctis huius eſſe, ſed proditionis meæ ante me accuſarum; ſi illa ſeparata ab hac vana accuſatio erat, inuidiamque tuam aduerſus me magis, quàm crimen meum indicatura, hodie quoque eam aut prætermitti, aut in aliud tempus differri, vt perſpiceretur, vtrum ego tibi, an tu mihi nouo quidem & ſingulari genere odij inſidias feciſſes. Ego tamen quantum in hac ſubita perturbatione potero, ſeparabo ea, quæ tu confudiſti, & noctis huius inſidias, aut tuas, aut meas detegam.

Subtiliter & acutè implicat aduerſarium à repugnantibus, probatque non eſſe credibile, eum qui amicitia Romanorum tantùm poſſet ad ſubmouendum patrem, ad vltimum parricidij ſcelus animum conuertiſſe.

Occidendi ſui conſilium me iniſſe, videri vult: vt ſcilicet maiore fratre ſublato, cuius iure gentium, more Macedonum, tuo etiam, vt ait, iudicio regnum eſt futurum, ego minor in eius, quem occidiſſem, ſuccederem locum. Quid ergo illa ſibi vult altera pars orationis, qua Romanos à me cultos ait? atque eorum fiducia in ſpem regni me veniſſe? Nam ſi & in Romanis tantum momenti eſſe credebam, vt quem vellent, imponerent Macedoniæ regem: & meæ tantum apud eos gratiæ confidebam, quid opus parricidio fuit? an vt cruentatam fraterna cæde diadema gererem? vt illis ipſis, apud quos, aut vera, aut certè ſimulata probitate partam habeo gratiam, ſi quam fortè habeo, execrabilis, & in vſus eſſem?

Ab animi ſecuritate feſtique diei lætitia, quæ in homicidis eſſe non poterat, parricidij ſuſpicionem diluit, Perſeique criminationem falſam euincit. Ab adiunctis temporum rei, & locorum, &c.

Pluribus modis ſe petitum criminatus eſt; & omnes inſidiarum vias in vnum diem contulit: volui interdiu eum poſt luſtrationem cùm concurrimus, & quidem, ſi diis placet, luſtrationum die occidere: volui cùm ad cœnam inuitaui, veneno ſcilicet tollere: volui cum comeſſatum gladiis accincti me ſecuti ſunt, ferro interficere. Tēpora quidem qualia ſint ad parricidium electa, vides: Luſus, conuiuij, comeſſationis: quis dies? qualis? quo luſtratus exercitus, quo inter diuiſam victimam prælatis omnium, qui vnquam fuere Macedoniæ Regum armis regiis, duo ſoli tua tegentes latera, pater, præuecti ſumus, & ſecutum eſt Macedonum agmen. Hoc ego etiamſi quid antè admiſiſſem piaculo dignum, luſtratus, & expiatus ſacro, tum cum maximè in hoſtiam itineri noſtro circūdatam intuens, parricidium, venena, gladios in comeſſationem præparatos volutabam in animo, vt quibus aliis deinde ſacris contaminatam omni ſcelere mentem expiarem? ſed cæcus criminandi cupiditate animus, dum omnia ſuſpecta efficere vult, aliud alio confundit. Nam ſi veneno te inter cœnam tollere volui, quid minus aptum fuit, quàm pertinaci certamine, & concurſu iratum te efficere? vt merito ſicut feciſti, inuitatus ad cœnam abnueres? cum autem iratus negaſſes, vtrum, vt placarem te, danda opera fuit, vt ferro te, & quidem eo die per ſpeciem comeſſationis occiderem? quo deinde modo, ſi te metu mortis credebam cœnam euitaſſe meam, non ab eodem metu comeſſationem quoque euitaturum exiſtimabam? Non eſt res qua erubeſcam pater, ſi die feſto inter æquales largiore vino ſum vſus: tu quoque velim inquiras qua lætitia, quo luſu apud me celebratum heſternum conuiuium ſit, illo etiam (paruo fortaſſe) gaudio prouehente, quod in iuuenili armorum certamine pars noſtra non inferior fuerat. Miſeria hæc, & metus crapulam facilè excuſſe

cuſſerunt: quæ ſi non interueniſſent, inſidiatores nos ſopiti iaceremus. Si domum tuam expugnaturus, capta domo Dominum interfecturus eram, non temperaſſem vino in vnum diem? non milites abſtinuiſſem meos? Et ne ego me ſolus nimia ſimplicitate tuear, ipſe quoque minimè malus, ac ſuſpicax frater, nihil aliud ſcio, inquit, nihil arguo, niſi quòd cum ferro comeſſatum venerunt. Si quæram, vnde idipſum ſcieris: neceſſe erit te fateri, aut ſpeculatorum tuorum plenam domũ cauſe meam, aut illos ita apertè ſumpſiſſe ferrum, vt omnes viderent. Et ne quid ipſe aut prius inquiſiuiſſe, aut criminosè nunc argumentari videretur, te quærere ex iis, quos nominaſſet, iubebat: an ferrum habuiſſent? vt tanquam in re dubia, cum id quæſiſſes, quod ipſi fatentur, pro conuictis haberentur. Quin tu illud quæri iubes? num tui occidendi cauſa ſumpſiſſe dicunt. Rectè an perperam fecerint, ipſi ſui facti rationem reddent, meam cauſam, quæ nihil eo facto contingitur, ne miſcueris: at explica, vtrum apertè, an clam te aggreſſuri fuerimus? ſi apertè, cur non omnes ferrum habuimus? cur nemo præter eos qui tuum ſpeculatorem pulſarunt? ſi clam, quis ordo conſilij fuit? conuiuio ſoluto, cum comeſſator ego diſceſſiſſem, quatuor ſubſtitiſſent, vt ſopitum te aggrederentur? quomodo fefelliſſent, & alieni, & mei, & maximè ſuſpecti, quia paulò ante in rixa fuerant? quomodo autem trucidato te ipſi euaſuri fuerint? quatuor gladiis domus tua capi, & expugnari potuit?

Tranſit à criminatione parricidij ad cauſam fraterni in ſe odij, nimirum inuidebat Demetrio Perſeus, ſingulares animi, corporiſque dotes, quibus regno dignior habebatur, & hic confutat ſecundam partem accuſationis de regno affectato.

Quin tu omiſſa iſta nocturna fabula, ad id quod doles, quod inuidiam vrit, reuerteris? cur vſquam regni tui mentio fit Demetri? cur dignior patris fortunæ ſucceſſor quibuſdam videris, quàm ego? cur ſpem meam, quæ ſi tu non eſſes, certa erat, dubiam, & ſollicitam facis? hæc ſentit Perſeus etſi non dicit: hæc iſtum inimicum, hæc accuſatorem faciunt: hæc domum, hæc regnum tuum, criminibus eſt ſuſpicionibus repelt. Ego autem pater, quemadmodum nec nunc ſperare regnum, nec ambigere vnquam de eo forſitan debeam, quia minor ſum, quia tu me maiori cedere vis: ſic illud nec debui facere, nec debeo, vt indignus te patre, indignus omnibus videar. Id enim vitiis meis, non cedendo cui ius, faſque eſt, non modeſtia conſequar.

Tandem delabitur ad Romanorum amicitiam, quam criminationem eſſe manifeſtè probat.

Romanos obiicis mihi: & ea quæ gloriæ eſſe debent, in crimen vertis. Ego nec obſes Romanis, vt traderer, nec vt Legatus mitterer, Romam petij: à te miſſus, ire non recuſaui. Vtroque tempore ita me geſſi, ne tibi pudori, ne regno tuo, ne genti Macedonum eſſem. Itaque mihi cum Romanis amicitiæ cauſa tu fuiſti pater. Quoad tecum illis pax manebit, mecum quoque gratia erit. Si bellum eſſe cœperit, qui obſes, qui Legatus pro patre non inutilis fui, idem hoſtis illis acerrimus ero. Nec hodie, vt proſit mihi gratia Romanorum, poſtulo: nec obſit, tantum deprecor, Nec in bello cœpit, nec ad bellum reſeruatur. Pacis pignus fui; ad pacem retinendam Legatus miſſus ſum. Neutra res mihi, nec gloriæ nec crimini ſit.

Peroratio ſuauis & acuta, quæ ciuiles & æquas petitiones habet, motus miſerationis lenes, opportunos & graues, petitos ex iniquitate cauſa, & anguſtiis, in quas miſer adoleſcens coniectus eſt: Deprecatur patris iram, reique indignitatem auget ab ætate ſua, fratris perſona, temporiſque circumſtantia.

Ergo ſi quid impiè in te pater, ſi quid ſceleratè in fratrem admiſi, nullam deprecor pœnam. Si innocens ſum, ne inuidia conflagrem, cum crimine non poſſim, deprecor. Non hodie me primùm frater accuſat: ſed hodie primùm apertè nullo meo in ſe merito. Si mihi pater ſuccenſeret, te maiorem fratrem pro minore deprecari oportebat, te adoleſcentiæ, te errori veniam impetrare; in eo vbi præſidium eſſe oportebat, ibi exitium eſt. E conuiuio, & comeſſationibus propè ſemiſomnus raptus ſum ad cauſam parricidij dicendam; ſine aduocatis, ſine patronis, ipſe pro me dicere cogor. Si pro alio dicendum eſſet, tempus ad meditandum, & componendam Orationem ſumpſiſſem, cùm quid aliud quàm

Digitized by Google

ingenij fama periclitarer? Ignarus quid accerſitus eſſem, te iratum, & iubentem dicere cauſam fratrem accuſantem audiui. Ille diu ante præparatâ, meditatâ in me Oratione eſt vſus: ego id tantum temporis, quo accuſatus ſum, ad cognoſcendum quid ageretur, habui. Vtrum momento illo horæ accuſatorem audirem? an defenſionem meditarer? attonitus repentino, atque inopinato malo, vix quid obiiceretur, intelligere potui: nedum ſatis ſciam quo modo me tuear. Quid mihi ſpei eſſet, niſi patrem iudicem haberem? apud quem etiam ſi charitate à fratre maiore vincor, miſericordiâ certè reus vinci non debeo. Ego enim vt me mihi, tibique ſerues, precor: Ille vt me in ſecuritatem ſuam occidas, poſtulat. Quid eum, cum regnum ei tradideris, facturum credis in me eſſe, qui iam nunc ſanguine meo ſibi indulgeri æquum cenſet?

Grauis eſt & miſerationis querelarumque pleniſſima Philotæ Apologia, quâ ſe purgare conatur apud milites de ſuſpicione Parricidij, de nimia familiaritate cum Amynta, déque litteris in Alexandrum ſcriptis, idque vobis ad motus excitandos aptiſſimis. *Diſceſſerat à concione Rex Alexander, quod cùm videret miſer Philotas vltimo ſupplicio afficiendus, ex præiudicio Regis hanc habet ad aſtantes milites Orationem,* apud Curtium lib.6.num.10.

Verba innocenti reperire facilè eſt, modum verborum miſero tenere difficile. Itaque inter optimam conſcientiam, & iniquiſſimam fortunam, deſtitutus ignoro, quo modo & animo meo, & tempori paream. Abeſt quidem optimus cauſæ meæ iudex, qui cur me ipſe audire noluerit, non mehercule excogito, quum illi vtrique cauſa cognita, tam damnare liceat, quàm abſoluere: non cognita verò, liberari abſente non poſſum, qui à præſente damnatus ſum. Sed quamquam vincti hominis, non ſuperuacua ſolum, ſed etiam inuiſa defenſio eſt, quæ iudicem non docere videtur, ſed arguere: tamen vtcumque licet me dicere, memet ipſe non deſeram, nec committam, vt damnatus etiam mea ſententia videar.

Iam confutatis teſtibus qui nihil aduerſus ſe dixerant, quod tamen videbatur totius cauſæ robur, ſuſpicionem criminis conflatam ob ſilentium diluit, tum quod iam remiſſum eſſet Alexandri clementiâ, tum quod delator eſſet iſ, cui vix vlla haberetur fides, tum quod ſopor altus in quo deprehenſus fuerat, nihil maleficij eſſe contractum teſtaretur.

Ad verum crimen & ad vnum reuertendum mihi eſt? cur rem delatam ad te tacuiſti? cur tam ſecurus audiſti? hoc qualecumque eſt, confeſſo mihi, vbicumque es, Alexander remiſiſti; dexteram tuam amplexus reconciliati pignus animi, conuiuio quoque interfui. Si credidiſti mihi; abſolutus ſum: ſi pepercisti; dimiſſus. Vel iudicium tuum ſerua. Quid hac proxima nocte quâ digreſſus ſum à menſa tua feci? quod nouum facinus delatum ad te immutauit animum tuum? Graui ſopore acquieſcebam, cum me malis indormientem meis inimici vinciendo excitarunt. Vnde & parricidæ & proditori, tam alti quies ſomni? ſcelerati conſcientia obſtrepente, quum dormire non poſſint, agitant eos furiæ non cogitato modo, ſed & conſummato parricidio. At mihi ſecuritatem, primum innocentia mea, deinde dextera tua obtulerant. Non timui ne plùs alienæ crudelitati apud te liceret, quàm clementiæ tuæ? ſed ne te mihi credidiſſe pœniteat, res ad me deferebatur à puero, qui non teſtem, non pignus indicii exhibere poterat, impleturus omnes metu, ſi cœpiſſet audiri. Atenim Dymnus ſe occidit. Nunc igitur eum facturum diuinare potui?

A repugnantibus aduerſariorum dictis, ſe nunquam Regnum Macedonum affectaſſe probat, vt qui Macedonas dedignatus ſit, ſeque de amicitia cum Amynta contracta purgat, vel ab ipſius Alexandri præiudicio.

Sub Dymni vmbra Philotas latebam, qui Regnum Macedonum affecto: ecquis è vobis corruptus eſt donis? quem ducem, quem præfectum impenſius colui? Mihi quidem obiicitur, quod ſocietatem patrij ſermonis aſperner, quod Macedonum mores faſtidiam. Sic ego imperio, quod dedignor, immineo. Iam pridem natiuus ille ſermo cõmercio aliarum gentium exoleuit: tam victoribus, quàm victis peregrina lingua diſcenda eſt. Non mehercule iſta me magis lædunt, quàm quod Amyntas Perdiccæ filius inſidiatus eſt Regi, cum quo, quod amicitia fuerit mihi, non recuſo defendere, ſi fratrem Regis non opor

Digitized by Google

oportuit diligi à nobis. Sin autem in illo fortunæ gradu poſitum, etiam venerari neceſſe erat, vtrũ quæſo, quod non diuinaui, reus ſum? an impiorum amicis inſontibus quoque moriendum eſt? Quod ſi æquum eſt? cur tam diu vno, ſin iniuſtum, cur nunc demum occidor.

Delabitur ad litteras de Regis Apotheoſi ſcriptas, in quibus minus ad aſſentationẽ eruditus, liberius fatetur malle ſe Alexandro ſeram immortalitatẽ, quàm nimis praproperam, & minus veram. Vbi mirificam habet rationem ſibi ingenita nobilitatis.

Atenim ſcripſi miſereri me eorum, quibus viuendum eſſet ſub eo, qui ſe Iouis filium crederet. Fides amicitiæ, veri conſilii periculoſa libertas me decepiſtis: vos, quæ ſentiebam, ne reticerem impuliſtis, ſcripſiſſe me hoc fateor Regi, non de Rege: non enim faciebam inuidiam, ſed pro eo timebam Dignior mihi Alexander videbatur, qui Iouis ſtirpem tacitus agnoſceret, quàm qui prædicatione tractaret. Sed quoniam Oraculi fides certa eſt, ſit Deus cauſæ meæ teſtis. Retinere me in vinculis, dum cõſulitur Hammon in arcanum & occultum ſcelus. Interim, qui Regem noſtrum dignatus eſt filium, neminem eorum, qui ſtirpi ſuæ inſidiati ſunt, latere patietur: ſi certiora Oraculis creditis eſſe tormenta, ne hanc quidem exhibendæ veritatis fidem deprecor.

Commiſerationis motus habet Peroratio leues & graues, & eximios, & ſuauem ad parentem abſentem Apoſtrophem, ad lachrymas & veniam largiendam aptiſſimam, niſi ferrei fuiſſent milites.

Solent rei capitis adhibere vobis parentes, Duos fratres ergo nuper amiſi: Patrem nec oſtẽdere poſſum, nec inuocare audeo, cũ & ipſe tanti criminis reus ſit. Parum eſt enim, tot liberorum parentem in vnico filio acquieſcentem, eo quoque orbari, ne ipſe in rogum meum imponitur. Ergo, cariſſime pater, & propter me morieris, & mecũ. Ego tibi vitam adimo, ego ſenectutem tuam extinguo, quid enim me procreabas infelicem aduerſantibus Diis? An vt hos ex me fructus perciperes, qui te manent? Neſcio, adoleſcentia mea miſerior ſit, an ſenectus tua, ego in ipſo robore ætatis eripior: tibi carnifex ſpiritum ademit, quem ſi fortuna expectare voluiſſet, natura poſcebat.

Apologia extra genus Iudiciale.

Fit quando factum aliquod rectum, ac legitimum probatur rationibus allatis. quibus inductus id egeris, diuino humanoque iuri conſentaneis id præſtat eximiè Cicero Phil. 1. vbi tũ profectionis ſuæ in Græciam, tùm ex illa reuerſionis conſilium exponit, & inconſtantiæ leuitatiſque opinionem deprecatur num.

Nazianzenus Oratione primâ, quâ fugam ſuã honeſtam ſibi & neceſſariam, vtilem etiam aliis fuiſſe probat, cùm in ſolitudinem ad ſanctũ otium ſeceſſiſſet. Tertullianus graues & eruditas pro Chriſtianæ religionis dignitate ſanctitateque tuenda, magno pietatis ſenſu defenſiones inſtituit. D. Ambroſius nobilem habet Apologiam pro Dauide peccante. D. Athanaſius fugam ſuam & martyrij declinationem optimè ſuſceptam defendit.

Contra calumniam hæc inſtitui poſſet Apologia, quàm Appelles apud Lucianum periculi memor iniuriarum hac imagine vlciſceretur. Ad calumniæ dexteram Midas alter prælongis auribus ſederet, cui procul accedenti manum porrigeret, ſtarẽt ad latera turpiculæ & obſcuræ duæ, ſiue puellæ, ſeu furiæ, ignorantia, ni fallor, ac ſuſpicio, inde propera mulier euolaret, ſpecioſa quidem, & eximiè compta, vultu ipſo & geſtu corporis efferam rabiem, & iram æſtuãti pectore conceptam præ ſe ferret, ſiniſtra facem accenſam, quâ minaretur incendium puero, quem dextra capillis prehenſum, manus ad Superos tendentem fidemque D ũ n nequicquam obteſtantem ſecum raperet: Anteiret vir pallidus in ſpeciem impurus, non illis abſimilis, qui ſontico morbo contabuerunt, Timor eſt, ſtipatus ſeruſſatis laruatiſque mulierculis, quæ Dominum hortari ſcirent, inſtruere, comere, quarum illa inſidiæ, hæc deceptio vocaretur: A tergo pullata laceraque in veſte, madidis oculis, paſſis crinibus habitu lugubri ſequeretur pœnitentia. quæ capite in tergum deflexo, cum lacrymis & pudore procul venientem, venerandam quidem & ſanctam Virginem, veritatem exciperet, cuius arte ſe probauit innocẽtem Appelles apud Ptolemeum proditionis inſimulatus.

Digitized by Google

Iam verò ſi cuipiam tale quid acciderit, per optationem ſimilem exitum precabitur, ſibi que tãtum de Iudicis æquitate pollicebitur, vt ſperet illum, non minus patienter innocentiæ ſuæ vocem, quàm ſycophantæ calumniatoris fictos vanoſque ſermones excepturum.

Hic prudentiam auditoris & animi ſagacitatẽ commendabit Orator, Iudicis æquitatem eam eſſe dicet, quæ adhuc nemini defuerit, & licet nõ iuratus Athenienſi ritu deſcenderit ad cauſam audiendam, vbi tamen vtramque partem cognouerit, illum arbitrij æquam lancem adhibiturum ſperabit, eoque ſe confidentius acturum, quòd verum Tertuliani pronunciatum exiſtimet, hæreſim & mendacium in lucem ſi educantur, eo ipſo refutari ac reiici. Se id facturum, velumque diſſimulationis & laruam huic furiæ detracturum.

Tùm aduerſarij crimina rationeſque proponendæ; quid? ait imprudens eos homines qui ex Chriſti legibus & inſtituto viuunt, qui tam inſigni, tam ſancto, tam diuino nomine nobilitantur, atrocioribus quam Tantalum ſeſe flagitiis contaminare: ſuis in myſteriis innocente puerorũ carne nocturnis in tenebris epulari. Prudentiam Iudicis requiret ad hanc ineptã araneæ telam retexendam; Neque enim ita parum cognitos habet perſpectoſque Chriſtianorum mores, vt huiuſmodi ficta fabula, aliquam in illo vel leuiſſimam opinionem conciter, vllamque commentitiis rebus fidem adiungat. Enimuero poſſunt his ſceleribus inquinari qui magnis amoris diuini ſtimulis incitati, vel è licitis eduliis abſtinent? poſſunt cruentis illis ac funebribus epulis delectari, quibus ſecundarius panis, & arida poma deliciæ ſunt? poſſunt nefarium hoc parricidium & carnificinam exercere, qui vel leuiſſimam ſceleris vmbram morte peiorem exhorreſcunt? ſubiiciendi Chriſtianorum mores, mites, innocentes, ſimplices, amabiles: Thyeſtea verò iſta rabies & execratione à barbaris quidem perditiſſimiſque nationibus attentari credita eſt, & ſi quando tale quid fictum fuit à poëtis, quibus nihil non licet, furore diuino ſemel incitatis, fidem non habuit.

Expendendæ erunt deinde probationes aduerſarij. Quis hoc dixit? quis vidit? quo loco? quo tempore? quis vnquam tormentis crimẽ hoc expreſſit? à quo? tam execrandum facinus grauibus & oculatis teſtibus planum faciendum fuit: nam imprudentis eſt leuiſſimis imperitæ cõcitatęque multitudinis rumoribus moueri, & eiuſdem arbitrio innocentes condemnare. Proinde negandum ab vllo ſcriptore vel hiſtorico dictum, nullis vnquam tormentis ac cruciatibus à martyribus exortum. Quærendum præterea quid ei fabulæ dederit occaſionem, tum ab auditoribus impetrata venia, ſi diuinis è myſteriis aliquid protulerit, auguſtiſſimum Euchariſtiæ conuiuiũ, diuinaſque Chriſti corporis epulas explicabit, ignorantibus Ethnicis anſam præbuiſſe. Tandem in odium atque nequitiam magorum, deſertorum, impiorum & imperitorum fabulæ cauſam retorquebit, qui dùm ſanctitatem diuinæ legis, vtpote diſſimiles oderunt, eam malitioſè traducunt, & his prodigioſis commentis in inuidiam nequiter vocant.

Praxis Defenſionis alicuius facti quod arguitur vt perperàm factum.

Huius elegantem Ideam ſubiicit Nazianzenus, & primo ſe victum fatetur, ſeque Deo vocãte de turba, ſacriſque ſubſelliis in otium & ſolitudinem contuliſſe.

Quaſi per Prolepſim enumerat de ſuo facto varia multorum iudicia: quiſque enim pro voluntate ſua, & arbitrio de rebus aliorum libenter garrit, ſed Deo coram, animi ſui conſilia non alio fine explicaturum ſe profitetur, quàm vt veritas innoteſcat: & continuò rationes aggreditur quibus ad hoc vitæ genus eligendum inductus ſit.

Primam repetit ab amore ſingulari, & inflammatò ſtudio, quo ferebatur in amicum ſolitudinis ac receſſus ſinũ, non vt iners languidis lique factus voluptatibus nil agendo conſeneſceret, verùm vt ab hominum ſocietate remotus, curiſque grauioribus liber & expeditus ſecũ ipſe diuina contemplaretur, ac ſedula meditatione ſeſe in dies ad pietatẽ renouaret. Sic enim ille de ſua conſuetudine, pauliſper ſeceſſi ἔσω ἐμαυτὸν ἐπισκέψαιτο, vt me ipſum inſpicerem, & explorarẽ: proinde piam hanc ſolitudinem vocat φάρμακον

ἐν τῷ

ἐν παθήμασιν in morbis animi medicinam, in qua multa cum animo ſuo reputabat ac loquebatur; cuius vitæ illius Angelorum penè patris felicitatem multis commendat.

Secundam, ex Pontificij muneris officijque dignitate; quod altum, ſublime, laborioſum periculique pleniſſimum dicit, ac bifariàm diuidit: alterum Chriſtianam legem populos in tenebris natos edocere, veritatiſque legem errore deceptis aperire, nec non publicam pietatem profeſſos ad meliora cohortari; cuius difficultatem eleganter exprimit alterum, vitiis hominum mederi, peccatorumque laqueis implicatos exoluere, & obſtructam felicitatis ianuam ſceleribus, potenti manu reſerare? quod munus ſuſtinere nullus poſſit ad ſalutem, qui non fuerit Angelicis humeris corroboratus; vbi comparationem inſtituit medicinam corporum inter & animorum, cui oneri ferendo imparem ſe confitetur.

Poſtremò cauſas reddit, quare ſubitò mutata voluntate reuocari ſe paſſus ſit, quod inconſtantiæ tribui poterat, nimirum propter ardens animorum ſtudium, & amorem publicæ ſalutis, propter temporum difficultates & pericula; deinde quòd iam inſtructior factus, minori periculo religioſè tantum munus obire poſſet.

Defenſio criminis quod confitemur, ſed excuſamus.

Ad imitationem illius Horatij apud Liuium libro 1. defendat aliquis Virginem illam, quæ piis fraudibus, & dolo innocenti ſe à milite curauit interfici, vt pudicitiæ florem illibatum conſeruaret. Exordium erit. Etſi triumphus & gloria, quâ nunc illa Virgo beata fruitur in æterno cœli domicilio, eam non ab omni ſcelere ſolùm innocentem, Angelis penè parem, imò corporis ipſa debilis eſt oculorum acies, & nimiæ lucis impotens, aliorum animos ſic inuidiæ maleuolentiæque fax incendit, aut error & ignorantia ſic occæcat, vt tantum virtutis ſplendorem ſuſtinere non poſſint, & tam eximium, tam ſingulare facinus immortalitate dignum, quod aſſequi ſe poſſe diffidunt, iniquo liuoris dente mordere non ceſſent; Tantam tam amabilem innocentiam ac virtutem affuſa luce vobis aperiam; vt autem non inaniter iſta fiant, ſpero veſtram æquitatem beneuolentiamque non defuturam, &c.

Confirmatio.

Negant licere cuipiam vlla cauſa ſibi properare mortem; ecqua verò in cauſa id homines validiſſimi diſputant? in ea nempe quæ nuper Virginem ex alto præcipitantem cum laude vidit, in qua conſeruandi pudoris alia ſe in profundum egit; in qua fortis heroina caſtitatis amans Apollonia in pyram ardentem vltrò inſiluit, nimirum actore vitæ Deo ac volente, licet è ſtatione vitæ diſcedere, &c.

Atenim nego illam ſibi conſciuiſſe necem: at procurauit; Enimuerò ſemper licuit ac licebit pro tam honeſta cauſa vitam paciſci. Quid? Codrus neſcio quis, Curtius, Scæuola, in apertum mortis telum explicato ſinu fortes irruerunt pro patria Hetruſcus adoleſcens vbi mira ſui ſpecie ſolicitari oculos aduertit, oris decorem vulneribus confudit, maluitque deformitatem ſuæ caſtitatis argumentum, quàm formam alienæ libidinis eſſe irritamentum. Ac ne profana referam, fortiſſimi Chriſtiani nominis Athletæ, in propaganda religione pertulerunt quidquid ſæuiſſima tyrannorum ingenia, aut ad contumeliam ignominiamque inauditum, aut ad ſupplicium corporum aſperum ac vehemens, aut ad cæterorum terrorem validiſſimum excogitare potuerunt: in ſimili cauſa, non idem mihi cæteriſque puritatis amantibus liceat?

Sed enim de religione non agitur; at de virtute, quæ cum illa ſit coniuncta, periclitatur, quid enim cum hoc eſſet perpeſſa dedecus, an ideo ſe exemiſſet è ſacrificiis?

Sed eſto de ſolo pudore certandum fuerit: fateor gemmam illam mihi ſemper tanti viſam fuiſſe, vt longe potior fuerit caſtimonia, quàm vita, ſuauius mori mihi, quàm inquinari, æternis ignibus conſumi, quàm amoris impudici facibus ad tempus vri.

Digitized by Google

A Similibus.

Si Luciæ licuit ſibi oculos eruere pro ſeruanda caſtitate; ſi Spurinis manus ſuas in vultum armare, & oris ſui florem vnguibus & cruore ita contaminare, vt quid in ipſis porrò amaretur, nemo videret: ſi nouis Mutiis potentiſſimam manum tamdiu prunis ardentibus admouere, dum flamma peſtilens per viſcera graſſari deſineret: ſi Bernardis in lacu; Benedictis in vepribus, Franciſcis in niuibus, Dominicis in prunis ſeipſos triumphare licuit, quid mihi?

A Pari.

Alexandria nuper nobilem Theophili & Dianæ litem vidit, quando quiſque contendebat mortem ſibi deberi ob pudorem ingenioſè defenſum, & vterque obtinuit. Num illi palam & apertè ſibi mortem accerſiuerunt, qui tamen martyrij palmam reportaſſe cenſentur. Quid aliud egit iſta, quàm vt homicidam ſui plerique condemnant: quamquam ſibi mortem afferre noluit, voluit tantum vulnerari: niſi cœlum liberali manu præter expectationem & vltra meritum, martyrem feciſſet.

Sed militem decepit; quod tam facilè negatur, quàm perperam affirmatur; reus ille non eſt, qui & ſine cauſa, & ſine culpa cecidit innocentem, imò caſta Virgo militem impurum ab infando flagitio, innocenti dolo liberauit. Atque vt intelligatis quam nulla fraude miles, quam ſancta fide Virgo egerint, res vti geſta eſt, aperiam. Hîc Oratoria rei geſtæ ſubiicienda Narratio.

Concluſio.

Teneræ Virgini in eo diſcrimine poſitæ, vel vt lauream candoris amitteret, aut integra, martyrij palmam adipiſceretur, quid faciendum eſſe exiſtimatis. Sed neque noſtra iudicia requirit, probabit Deus factum cœlo abſoluente: quem prætorem timeat? imò nos omnes non tam verbis, quàm perilluſtri facinore nos admonet vel minimam ſceleris maculam toto ſanguine & vita millies profuſa redimendam.

PVNCTVM III.

Artificium inuectiua.

Licet Inuectiua mordax, & ad hominum mores perſtringendos accommodata referri poſſit ad genus demonſtratiuum; tamen ad genus iudiciale reuocatur, quod forenſem accuſandi methodum ac formam imitetur. Duplicem faciunt Oratores, vnam in homines, quæ non eſt vſurpanda temerè, niſi publica notentur infamia, vel nullum bonæ ſpei locum relinquant. Alterum, quæ in hominum corruptos mores inuehitur, & illa melior, quod terrorem aliis ex infamia, vitiorumque odium inurat.

Prudenter hic, & preſsè agendum ne liberius fræna maledicentiæ laxemus, ſiquidem homines nuſquam magis diſerti eſſe ſolent, quam dum alios verbis liberioribus exagitant.

Exordium.

Ducitur vel ab admiſſo ſcelere, quod explicatur. Sic odij ſui excuſationem quærit à Vatinij ſcelere Tullius, inſtitutique ſui rationem reddit, cur illum inſectetur vehementius.

Vel à cauſa magni momenti, & ad ſtatum Reipub. pertinentia. Sic Piſonem & Gabinium patriæ proditores, ac perduelles increpat Cicero.

Vel à perſona quæ deſcribitur; expende quibus coloribus. Catilinam eiuſque furoris, & audaciæ ſatellites, perniciem vltimam patriæ, ciuibuſque molientem, deſcribat idem Tullius.

Vel à circumſtantiis loci, temporis, quod eſt commune reliquis huius generis orationibus; has autem paſſim in Cicerone reperies.

Narratio.

Vel vitam omnem à puero inſpicit, ſingulaque momenta percurrit, cum verborum apparatu, ac orationis luminibus, vt facilius illa ſub oculis ponat iudicumque animos permoueat: vel certa quædam capita deſumit ex pluribus, quæ ſibi proponit exagitanda. Quod præſtitit, ea qua ſoler dicendi grauitate Tullius, dum Catilinam, Piſonem, Antonium, aliosque Reip. faces, peſteſque patriæ pater inſectatur.

A lau

A laude legis violatæ, à ſingularitate facinoris, quod nullum exemplum præceſſerat; à conſequenti quia exemplum allis præbuit in Vat.num.18.

Confirmatio.

Vitij pernicioſos effectus expendit, contraque pietatem leges diuinas, & humanas, patriæ mores, maiorumque inſtituta eſſe contendit.

Per Amplificationem grauiorem incommoda recenſet, quæ vel inde ſequuntur quotidie, vel in poſterum ſequi poſſint, niſi Iudices, in authores tanti mali ſæuiant.

Vrget vltimo ſupplicio dignum vel exilio, per comparationem multorum, qui ob ſimilia, vel etiam minora crimina grauiter affecti ſunt, & infamia notati.

Nonnunquam in odium, ac inuidiam perditum vocat, ſi præſertim beneficiorum acceptarum immemor, quam tueri debuerat Remp. turbarit, euertit.

Tractatur interdum per argumenta, & figuras, quæ ad intimos ſenſus peruellendos plus habere virium creduntur, & momenti.

In epilogo ciendi ſunt, motus grauiores iræ odij, inuidiæ, pudoris & aliorum quibus criminis atrocitas vrgeatur, & iudices ad pœnas repetendas accendantur.

Ob quandam Lunæ laborantis ſuperſtitionem populum errantem reuocat in viam veritatis D.Ambr. voceque ſalutari vulnerat infideles graui reprehenſione, & primo quidem oratione, quæ ſtultitiam illorum rideat, tum quæ ſeuerioribus verborum aculeis ſopitas illorum mentes pungat & excitet, ad errorem corrigendum.

Quis non moleſtè ferat ſic vos eſſe ſalutis veſtræ immemores, vt etiā teſte cœlo peccetis? Nam cum ante dies pleroſque de veſtræ auaritiæ cupiditate pulſauerim, ipſa die circa veſperam tanta vociferatio populi extitit, vt irreligioſitas eius penetraret ad cœlum. Quod cum requirem, quid ſibi clamor hic velit, dixerunt mihi quod laboranti Lunæ veſtra vociferatio ſubueniret, & defectum eius ſuis clamoribus adiuuaret. Riſi equidem & miratus ſum vanitatem, quòd quaſi Chriſtiani Deo ferebatis auxilium. Clamabatis enim ne tacentibus vobis perderet elementum, tanquam infirmis enim & imbecillis ſolatium, vobis iuuantibus poſſit cœlum regere. Sed ſi vultis hoc plenius facere, cunctis & totis noctibus peruigilare debetis. Nam quotiens putatis vobis dormientibus luna vim paſſa eſt, & tamen de cœlo non corruit? aut nunquid ſemper circa veſperam defectum patitur? nonne aliquando circa lucem laborat? ſed apud vos veſpertinis tantum horis laborare conſueuit? quando copioſa cœna venter diſtenditur, quando maioribus poculis caput mouetur. Tunc igitur apud vos laborat luna, quando laborat & vinum. Tunc apud vos turbatur carminibus globus Lunæ, quando calicibus turbantur & oculi. Quomodo igitur ebrius videre potes circa lunam quid agatur in cælo, qui circa te non vides quid agatur in terra. Stultus ſicut luna mutatur, vt qui paulò ante fidei deuotione fulgebas, poſtea perfidiæ infirmitate deficias, Mutatur, dum cerebrum tuum exinanitur ſapientiā, ſicut Lunæ obſcuritas; te verò teterrimæ tenebræ montis inuaduut. Atque vtinam ô ſtulte ſicut Luna mutteris. Illa enim citò ad plenitudinem ſuam redit; tu ad ſapientiam ſerò reuerteris. Illa velociter colligit quod amiſerat lumen; tu nec tardè fidem recipis, quam negaſti, grauior ergo tua quàm Lunæ mutatio eſt. Luna defectum luminis patitur, tu ſalutis, &c.

Cunctabundum increpat in aliud tempus reſeruantem curam, & receſſum à vitiis Seneca de breuitate vitæ cap. 4. in hac verba quæ bonam mentem ſapiunt.

Quouſque tandem differes præſtantiſſima quæque tibi vendicare? tanquam ſemper victuri viuimus: nunquam nobis fragilitas noſtra ſuccurrit: omnia tanquam mortales timemus; omnia tanquam immortales concupiſcimus. Non pudet te reliquias vitæ tibi reſeruare, & id ſolum tempus bonæ menti deſtinare, quod in nullam rem conferri poſſit? Quàm ſerum eſt tunc incipere, cum deſinendum eſt? Quæ tàm ſtulta mortalitatis obliuio, in ſexageſimum annum differre conſilia, & inde velle viam inchoare, quò pauci perduxerunt? Vigilandum eſt: niſi propeeramus, relinquimur: Inſcij rapimur. Omnia in futurum diſponimus, & inter præcipitia lenti

RRrrr ſumus.

Digitized by Google

ſumus. Meliora præteruolant, deteriora ſuccedunt. Vt ex amphora primum quod eſt ſinceriſſimum effluit, grauiſſimum quoque turbidumque ſubſidit: ſic in ætate noſtra quod eſt optimum primum eſt. Id exhaurit in aliis potius patimur, vt nobis fæcem reſeruemus: iuuenes poſſumus facilem animum & tractabilem ad meliora conuertere. Hoc tempus eſt idoneum laboribus, idoneum agitandis per ſtudia ingeniis & exercendis per opera corporibus. Quod ſupereſt ſegnius & languidius, & propius à fide. Itaque toto agamus animo, & omiſſis ad quæ diuertimus in rem vnam laboremus, ne hanc temporis perniciſſimi celeritatem, quam retinere non poſſumus, relicti demum intelligamus.

Hæc ad ſeueritatem compoſita præſentes pœnas repetit à ſeditioſo ciue magno cum ardore commotæ mentis, & verbis ignem ſpirantibus.

Seditioſum ciuem Iudices ad pœnas depoſcit ciuium ſanguis, quem effudit, fortunæ omnium, quas oppreſſit, pax Reipublicæ, quam perturbauit, leges, quas perrupit, perditorum furor quem inflammauit. Nec verò ſi hoc ille iudicio liberetur, ſpes vlla impoſterum Reipub. retinendæ Quæ enim duæ res ad conſeruandam eam valent plurimum legum auctoritas & concordia ciuium, abſolutio ſeditionis principe intereant penitus neceſſe eſt. Quis legum auctoritatem reuerebitur? quàm impunè ſciat eſſe violatam: quî ſtabit concordia ciuium, ſi perturbatores eius in ciuitate regnent? ſapientiſſima ciuitas Athenienſium adoleſcentem capitis ſupplicio mulctauit, qui per ludum oculos auiculæ confixerat, quod ex illis immanitatis tyrociniis funeſtiſſimum in Remp. impetum exiturum intelligeret: Illa naſcentem impietatem oppreſſit, nos confirmatam & rapinis exitiiſque publicis ſaginatam viuere patiemur? Ideo execrandam parricidiam Reſpublica beneficiis ornauerat, vt ipſis ad Rempublicam conuellendam abuteretur: Ideo honoris ſui luce donauerat, vt plebem in optimates armaret. Sed quas Diis immortalibus debemus gratias, qui teterrimi ſectoris nefariis conatibus obſtiterunt; nec quem in nos omnes furorem conceperat, re ipſa poſſet effundere.

Acerbiſſima ſunt Iudices quæ vidimus, ſed tolerabilia planè ſunt, ſi cum mente eius immaniſſima conferantur. Dolet dolet vultu eo quem videtis exangui ferociſſima bellua, non quod Remp. cruentauerit, ſed quod eam funditus euertere non potuerit ſuis illis cogitatis furoribus. Atque eo conſilio parricidij veniam petit, vt affectum parricidium noſtrorum omnium internecione perficiat. Pauca hæc ſud, à me non priuatus dolor, ſed ſalus omnium communis expreſſit: nec plura ſubiicio, ne ſcelere immani explicando non tam meum in Remp. ſtudium aperire, quam de veſtra ad ipſam tuendam propenſione dubitare videar.

PVNCTVM IV.

Obiurgationis Artificium.

QVoniam obiurgatio ferè ſemper eſt ſuperioris ad inferiorem: vt Imperatoris ad milites: Principis ad ſubditos: Paſtoris ad gregem: Parentis ad filios: Et eſt reprehenſio, quæ ſibi proponit emendationem eius, qui contra officium & honeſtos mores aliquid peccauerit, pro variis perſonarum ingeniis, varia eſſe debebit. Nam vſque adeò perfractæ frontis, ac duræ ceruicis reperias aliquos, vt niſi grauiter intones, minaſque præſenteſque pœnas intentes, proficias nihil: Alios verò ſi animi mollis pauidique ingenij, vt ſi ſeueritatem induas, ac verbis paulò acerbioribus incipes, perdas non corrigas: artifex eloquentiæ prudentia, qua ratione ſit agendum, aperiet.

Exordium.

Cauſam cur queramur, expendit: nempe quod res acerba contigerit ex factis eius, quem verbis emendamus: quod in apertum diſcrimen homines, atque negotia publica priuataque, per imprudentiam, aut animi demiſſione, adduxerit.

A vituperatione perſonæ vel facinoris admiſſi, quod facit imperio magnus ac virtute Germanicus apud Tacit. Annalium primo. Vbi degenere criminis ſunt hæc ad milites ſeditioſos. *Quod nomẽ huic cœtui dabo? militeſne appellẽ, an ciues? &c.*

Digitized by Google

A rei turpitudine criminis atrocitas peti poteſt, cui etiam adiungi debet timoris metus & oppoſitio vehemens, qualis eſt querimonia Horatij patris ex Liuio lib. 1. vbi populo Romano damnare Horatium filium volenti ingratitudinis fœditatem exprobrat velut ex abrupto.

Hunccine, quem modò decoratum, Ouantemque victoria incedentem vidiſtis, Quirites, cum ſub furca vinctum, inter verbera & cruciatus videre poteſtis? quod vix Albanorum oculi tam deforme ſpectaculum ferre poſſent. I. lictor, colliga manus quæ paulo ante armatæ imperium populo Rom. pepererunt. I, caput obnube liberatoris huius vrbis: arbori infelici ſuſpende: verbera vel intra pomœrium, modo inter illa pila & ſpolia hoſtium: vel extra pomœrium, modo intra ſepulchra Curiatiorum. Quo enim ducere hunc iuuenem poteſtis. Vbi non ſua decora eum à tanta fœditate ſupplicij vindicent? quo loco iuuat omnia beneficia commemorare, quorum contemptus & obliuio ingrati animi labem exaggerat.

Ab amiratione duci poteſt, quæ ex rei nouitate atque inſolentia naſcatur; vbi & exprobrari poterit iactantia inanis, & fiducia, ſi quod videlicet ignaniæ ſcelus reprehendatur. Sic Ariſthenus Achæorum prætor ſuos homines, qui in conſilio obmutuerant ad mandata legatorum Romanorum, obiurgat lib. 32. Liuij.

Vbi illa certamina animorum, Achæi, ſunt, quibus in conuiuiis ac circulis, cùm de Philippo & Romanis mentio incidit, vix manibus temperatis, nunc in concilio, ad eam rem vnam indicto cùm Legatorum vtriuſq; verba audieritis, quum referant magiſtratus quum præco ad ſuadendum vocet, obmutuiſtis. Si non cura communis ſalutis, ne ſtudia quidem, quæ in hanc, aut in illam partem animos veſtros inclinarunt vocem cuiquam poſſunt exprimere? cùm præſertim nemo tam hebes ſit, qui ignorare poſſit, dicendi ac ſuadendi quod quiſque aut velit, aut optimum putet, nunc occaſionem eſſe priuſquam quicquam decernamus: Vbi ſemel decretum erit, omnibus id, etiam quibus ante diſplicuerit, pro bono atque vili fœdere defendendum.

A ſpe virtutis eius, & expectationis concitatæ, cui credita fuerat Reipub. ſalus, & adminiſtratio quam tamen ſuſtinere non potuit degener & ignarus, Credidiſſet vnquam Reſpub. &c.

A dubitatione quæ reprehenſioni facit initium, quando dubius hæret Orator quo nomine ſcelus, quod arguitur, appellet. Ita Scipio magnus apud Liuium lib. 8. decadis 3. ſuis militibus rebellionem exprobrabat.

Nunquam mihi defuturam Orationem, quâ exercitum meum alloquerer, credidi: non quo verba vnquam potiùs, quàm res exercuerim, ſed quia prope à pueritia in caſtris habitus aſſueueram militaribus ingeniis: apud vos quemadmodum loquar, nec conſilium nec ratio ſuppeditat: quos, nec quo nomine quidē appellare debeam, ſcio: Ciues? qui à patria veſtra deſciuiſtis. An milites? qui imperium auſpiciūmque abnuiſtis, ſacramenti religionem rupiſtis. Hoſtes? corpora, ora, veſtitum, habitum Ciuium agnoſco: facta, dicta, conſilia, animos hoſtium video.

Narratio.

Indiget Exprobratio non tam Narratione, quàm commotatione quadam reponendo crimine, quod per Hypotypoſim ſubiicit oculis, vt eius grauitate vel fœditate moueatur is, quem reprehendimus. In eo tamen obſeruandum eſt, ne alio nomine crimen vocemus, quàm conuenit: ſic enim minus auctoritatis haberet Oratio in veris, quæ crederetur fictis delectari. Egregiè Scipio loco iam laudato, cùm criminis circonſtantias omnes expedit.

Quid enim vos niſi quod Illergetes & Lacetam, aut optatis aliud, aut ſperaſtis? Et illi tamen Mandonium atque Indibilem, regiæ nobilitatis viros, duces furoris ſequuti ſunt: vos auſpicium & imperium ad Vmbrum, Atrium, & Calenum Albium detuliſtis. Negare vos id omnes feciſſe, aut factum voluiſſe milites. Paucorum eum furorem atque amantiam eſſe, libenter credam negantibus. Nec enim ea ſunt commiſſa, quæ vulgata in omnem exercitum ſine periculis ingentibus expiari poſſint. Inuitus ea, tanquam vulnera, attingo: ſed niſi tacta, tractataque ſanari non poſſunt.

Equidem pulſis Hiſpaniá Carthaginenſibus, nullum locum in tota prouincia, nullos homines credebam eſſe, vbi vita inuiſa eſſet mea. Sic me nō ſolum aduerſus ſocios geſſeram, ſed etiam ad-

Digitized by Google

verſus hoſtes. In caſtris meis (en quantum me opinio fefellit) fama mortis meæ non accepta ſolum, ſed etiam exſpectata eſt. Nam quod ego vulgari facinus per omnes velim (equidem ſi totum exercitum meum, mortem mihi optaſſe crederem, hîc ſtatim ante oculos veſtros morerer: nec me vita iuuaret inuiſa ciuibus, & militibus meis) ſed multitudo omnis, ſicut natura maris per ſe immobilis eſt:vt venti & auræ cient aut tranquilli, aut procelloſi; & cauſa in vobis atque origo omnis furoris penes auctores eſt, vos contagione inſaniſtis. Quin mihi ne hodie quidem ſcire videmini, quo amentiæ progreſſi ſitis, quid facinoris in me, quid in patriam, parenteſque ac liberos veſtros, quid in Deos ſacramenti teſtes, quid aduerſus auſpicia, ſub quibus militaſtis, quid aduerſus morem militiæ, diſciplinamque maiorum, quid aduerſus ſummi Imperij maieſtatem auſi ſitis.

De me ipſo taceo, temere potius quàm auidè crediderítis: Is denique ego ſum, cuius imperij tædere exercitum, minimè mirandum ſit. Patria quid de vobis meruerat, quam cum Mandonio & Indibili conſociando conſilia prodebatis? Quid populus Rom. cum imperium ablatum ab Tribunis ſuffragio populi creatis, ad homines priuatos detuliſtis? cum, eo ipſo non contenti. Si pro Tribunis illos haberetis, faſces Imperatoris veſtri ad eos, quibus ſeruus, cui imperarent, nunquam fuerat. Romanus exercitus, detuliſtis? In prætorio retenderunt Albius & Atrius: Claſſicum apud eos cecinit: ſignum ab iis petitum eſt: Sederunt in Tribunali Proconſulis Scipionis: Lictor apparuit: ſub mouente eo inceſſerunt: faſces & ſecures perlatæ ſunt. Lapides pluere, & fulmina iaci de cœlo, & inſuetos fœtus animalia edere, vos portenta eſſe putatis? hoc eſt portentum quod nullis hoſtijs, nullis ſupplicationibus, ſine ſanguine eorum, qui tantum facinus auſi ſunt, expiari poſſit.

Non alia eſt Veturiæ Coriolani matris obiurgatio: Inſignis item eſt Reip. ad Catilinam oratio, necnon & illa pro Deiotaro à num. 13.

Confirmatio.

Exaggeratio criminis penè tota fit per adiuncta loci, temporis, perſonarum; vt puta ſi dicas, eum qui peccauit, Deum, patriam, parentes violaſſe. Pulchrè D. Ambroſius verbis caſtigat filium quendam matri minus officioſum, in caput 18. Lucæ *Et ſi paueris matrem, adhuc non reddidiſti dolores; non reddidiſti cruciatus, quos pro te paſſa eſt: non reddidiſti obſequia, quibus te illa geſtauit: non reddidiſti alimenta, quæ tribuit tenero mentis affectu, immulgens labris tuis vbera: non reddidiſti famem, quam pro te illa tolerauit, ne quid quod tibi noxium eſſet, ederet, ne quid quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa ieiunauit, tibi manducauit, tibi illa, quem voluit cibum non accepit, tibi, quem noluit cibum ſumpſit, tibi vigilauit, tibi fleuit.*

Sic ab adiunctis milites, ex pugna, quam cum Annibale Marcellus iniuerat, reliquos, vt fugaces obiurgat acriter apud Liuium libro 27. Diis Immortalibus, vt in tali re, laudes grateſque ago, quòd victor hoſtis, cum tanto pauore incidentibus vobis in vallum, portaſque non ipſa caſtra eſt aggreſſus. Deſeruiſſetis profectò eodem terrore caſtra, quo omiſiſtis pugnam. Qui pauor hic? qui terror? quæ repentè, qui, & cum quibus pugnaretis, obliuio animos cepit? Nempe iidem ſunt ij hoſtes, quos vincenda & victos ſequendo, priorem æſtatem abſumpſiſtis: quibus dies noctéſque fugientibus, per hos dies inſtitiſtis: quos leuibus prælijs fatigaſtis: quos heſterno die nec iter facere, nec caſtra ponere paſſi eſtis. Omitto ea quibus gloriari poteſtis, & cuius ipſius pudere ac pœnitere vos oportet, referam. Nempe æquis manibus heſterna die diremiſtis pugnam: quid hæc nox, quid hæc dies abſtulit? veſtræ his copiæ immutæ ſunt? an illorum auctæ? Non equidem mihi cum exercitu meo loqui videor, nec cum Romanis militibus: corpora tantum atque arma eadem ſunt. An ſi eoſdem animos habuiſſetis, terga veſtra vidiſſet hoſtis? ſigna alicui manipulos aut cohorti abſtuliſſet? Non adhuc cæſis Romanis legionibus gloriabitur: vos illi hodierno die primum fugati exercitus dediſtis decus.

Tum gradus fieri poteſt ad cauſas patrati ſceleris, & oſtendi, aut nullas, aut leues, aut turpes, aut etiam contrarias conſilij fuiſſe, nihil vt ſit quò cõfugere poſſint, qui reprehenſionẽ incurrunt: afferri etiã exempla poterunt eorũ qui tale crimen admiſerint, & quibus admiſſum carò ſteterit, vt aliorum facta comparatione, criminis,

Digitized by Google

criminis, quod arguitur, atrocitas melius appareat, quod laudata iam Oratione Scipio vſurpat.

Atque ego quamquam nullum ſcelus rationem habet: tamen vt in re nefaria, quæ mens, quod conſilium veſtrum fuerit, ſcire velim. Rhegium quondam in præſidium miſſa legio, interfectis per ſcelus principibus ciuitatis: vrbē opulentam per decem annos tenuit; propter quod facinus tota legio, millia hominum quatuor in foro Romæ percuſſi ſunt. Sed illi primum non Atrium, Vmbrum ſemilixam, nominis etiam abominandi ducem, ſed Decium Iubellium Tribunum militum ſequuti ſunt: nec cum Pyrrho, nec Samnitibus, aut Lucanis, hoſtibus Populi Ro. ſe coniunxerant; vos cum Mandonio & Indibili conſilia communicaſtis, & arma conſociaturi fuiſtis. Illi ſicut Campani Capuam Tuſcis veteribus cultoribus ademptam, Mamertini in Sicilia Meſſanem: ſic Rhegium habituri perpetuam ſpem erant. Nec Populum Rom. nec ſocios vltrò laceſſituri bello. Sueronémne vos domicilium habituri eratis?

Deindè propoſitis exemplis, ad ea refutanda deſcendit, quæ milites ipſi poterant obiicere, vel ſperare ex rebellione.

Vti ſi vos decedens confecta prouincia Imperator relinquerem, Deûm hominumque fidem implorare debebatis, quod nō rediretis ad coniuges, liberosque veſtros, ſed horum quoque memoriam, ſicut patriæ meique eieceratis ex animis veſtris. Viam conſilii ſcelerati, ſed non ad vltimum dementis, exequi volo. Méne viuo, & cætero incolumi exercitu, cum quo ego die vna Carthaginem cepi, cum quo quatuor Imperatores, quatuor exercitus Carthaginenſium fudi, fugaui, Hiſpaniâ expuli. Vos octo millia hominum, maioris certo omnes pretii, quam Albius, & Atrius ſunt, quibus vos ſubieciſtis. Hiſpaniam prouinciam Populo Rom. erepturi eratis:

Indagatis cauſis omnibus, atque refutatis per conceſſionem Rhetoricam admittit rem quaſi veram, quâ permoti fuerant, & ad rebellionem incitati, ob creditam Scipionis mortem, & ſtipendium ſerius numeratum, quam tamen oſtendit nullam.

Amolior & amoueo nomen meum, nihil vltra facilè creditam mortem meam à vobis violatus ſim. Quid, ſi ego morerer, mecum exſpiratura Reſpublica, mecum ceſurum imperium Populi Rom. erat? ne iſtuc Iuppiter Opt. Max. ſierit, vrbem auſpicato Diis auctoribus in æternū conditam fragili huic, & mortali corpori æqualem eſſe. Flaminio, Paulo, Graccho, Poſtumio, Albinio, M. Marcello, T. Quinctio Criſpino. C. Fuluio Scipionibus meis, tot tàm claris Imperatoribus vno bello abſumptis: ſuperſtes eſt Populus Ro. eritque mille aliis, nunc ferro, nunc morbo morientibus: meo vnius funere elata Populi Ro. eſſet Reſpublica? vos ipſi hîc in Hiſpania patre, & patruo meo, duobus imperatoribus interfectis, Septimum Martium ducem vobis aduerſus exultantes recēti victoria Pœnos delegiſtis. Et ſic loquor, tanquam ſine duce Hiſpaniæ futuræ fuerint. M. Sullanus, eodem iure, eodem imperio mecum in prouinciam miſſus L. Scipio frater meus. C. Lælius Legati vindices maieſtati imperii deeſſent? vtrum exercitus exercitui, an duces ducibus, an dignitas, an cauſa comparari poterat? quibus ſi omnibus ſuperiores eſſetis, armis tamen Pœnis contra patriam, contra Ciues veſtros ferreris? Africam Italiæ, Carthaginē vbi Romæ imperare velletis: quàm ob noxam patriæ? Coriolanum quondam dominatio iniuſta, miſerum & indignum exilium, vt iret ad oppugnandam patriam, impulit: reuocauit tamen à publico parricidio priuata pietas: vos qui dolor, quæ ira incitauit? ſtipendium ne diebus paucis imperatore ægro ſerius numeratum, ſatis digna cauſa fuit, cur patriæ indiceretis bellum? Cur ad Illergetes deſciſceretis à Populo Rom.? cur nihil diuinarum humanarumque rerum inuiolatum vobis eſſet? inſaniſtis profectò milites: nec maior in corpus meum vis morbi, quâm in veſtras mentes, inuaſit.

Epilogus.

Quoniam fructus Increpationis, ac finis eſt Emendatio, prudens Orator acrimoniam Orationis verborum lenimento mitigabit. Quod facilè fiet, ſi noſtram obiurgationem ab amore proficiſci videritis, qui obiurgatur. Quid enim non faciat, qui ſe amari ſentit?

Digitized by Google

Reiicere proderit culpam in alia, ſcilicet in ſubitum furorem,& inſanæ mentis impetum;vel in alios,qui ad id excitauerint,quibus ſubiici poterit veniæ promiſſio,totiusque iniuriæ obliuio Quod ſi aliquid ſupplicii ſit imponendũ id nō tàm ad repetendas pœnas,quàm ad eos in officio retinendos,& ad pœnitentiam adducendos, dicetur. Hæc omnia Liuius in Oratione Scipionis obſeruauit.

Horret animus referre,quid crediderint homines,quid ſperauerint, quid optauerint;auferat omnia irrita obliuio,ſi poteſt:ſi non;vtcumque ſilentium tegat. Non negauerim, triſtem atrocemq; vobis viſam Orationem : quantò creditis facta veſtra atrociora eſſe , quàm dicta mea?& me ea quæ feciſtis,pati æquum cenſetis: vos ne dici quidem omnia æquo animo referetis? ſed ne ea quidem ipſa vltrà exprobrabuntur.Vtinam tàm facilè vos obliuiſcamini eorum,quàm ego obliuiſcar.Itaque quod ad vos vniuerſos attinet,ſi erroris pœnitet,ſatis ſuperque pœnarum habeo.

Nonnunquam tamen erit atrocior Epilogus, & tunc ex ante dictis exaggerabitur turpitudo contracti dedecoris.Sic concludit Scipio factus audacior ex militum pendente vultu,quo defectionis ſuæ crimen fatebantur ac dolebant admiſſum,

Albius Calenus, & Atrius Vmber,& cæteri nefariæ ſeditionis auctores ſanguine luent,quod admiſerunt. Vobis ſupplicij eorum ſpectaculum non modò non acerbum , ſed lætum etiam, ſi ſana mens rediit , debet eſſe : de nullis enim quàm de vobis infeſtius , aut iniquius conſuluerunt.

Addi poterunt ad motus excitandos aliqua, Spei , Metus,Amoris,præſertim ab honeſto, vt meminerit reus ſe nobilem eſſe filium,nihil honorificèntius ipſi futurum,quàm ſi rectè ſuſtineat perſonam illam,ac tueatur.

Poſſunt & minis admiſceri preces,vt moueatur ac flectatur iis , aut illis terreatur ; & tacitis quibuſdam ſtimulis ad virtutis pulchritudinem excitetur,retrahatur à vitiis:ſic tamen vt omnia magis ad amorem & lenitatem inflectantur nam vicem eius qui deliquit,ſi dolueris,& virtutem primam cõmendaueris,illum & officij ſui commonebis , & ad meliorem vitæ degendæ rationem reuocabis.

Totum verò negotium perfeceris,ſi quam de illo ſpem habere debeamus , propoſueris : nam & beneuolentiæ ſignificatione animũ deuincies. obſtinati,vel timidi, confirmabis , & iudicibus auditoribusque,ſatisfeceris:ſi quidē omnes amore,pauci ſeueritate,ducuntur.

Obiurgat pater filium patrimonium effundentem.

Quid tibi cum paraſitis adoleſcens?quid cum decoctoribus ? quid cum profligatis ganeonibus?quid cum impuris mulierculis ? an vllus ſe filius familias in eiuſmodi portentorum familiaritatem contulit,qui & fortunarum,& innocentiæ funeſtiſſimũ naufragium non fecerit?Enimverò audio cum integritatis fama te iam multa conſumpſiſſe, audio æs alienum plurimum eſſe contractum,& quæ vtenda tibi dederam,miſerrimè eſſe diſtracta. Ideòne ego maximis laboribus,opes congregaui,vt eas tu libidinosè diſſipares?Ideò vigilaui, vt tu noctes in comeſſationibus exigeres : Ideò honeſto etiam mihi deliciarum vſu interdixi,vt tu impuris ſeruires?Ideò te procreaui,vt ſenectutem meam his perditiſſimis moribus confoderes ? Neque intelligis opinor, quid pater iratus poſſit?Neſcis ex meo nutu tua omnia pendere?confidis paternis bonis;at ſcito nihil ad te ex ipſis peruenturum,niſi in poſterum ad oculos etiam meos virtutis tuę commendatio perueniat. At vide obſecro quid ſequar,dùm iſta denuncio : vide num ex amore erga te meo proficiſcantur:Reuoca ſis, in memoriam quibus te olim beneuolētiæ teſtimoniis complexus ſim: cùm abſtinens & honeſtus adoleſcens habebaris Id verò me vnum recreat fili,quod non eò prolapſus ſis,vndè nō poſſis,exiſtere;nec dubito quin, vt diſſolutæ agendi rationes tuæ grauiſſimum mihi dolorem attulerunt,maximam in poſterum ex tuis laudabilibus ſtudiis voluptatem percepturus ſim.

* * *

Digitized by Google

PVNCTVM V.

Artificium Expoſtulationis.

EXpoſtulatio dici poteſt grauis quædam querimonia de accepta iniuria. Solet autem inter Querelam & Querimoniam illud diſcrimen poni. Quod hæc ſit mitior, & à ſupplice fiat, qui lacrymis & precibus auxilium imploret: illa verò ab æquali aut ſuperiore fieri poſſit cum ſtomacho quodam, propter iniuriam acceptam, cum exprobratione beneficiorum acceptorum. Quare eodem planè artificio vtendum, eademque prudentia in vtraque tractanda; cauendum proinde ne ob leues cauſas Expoſtulatio fiat, & mulierculaarum more ſimus nimis queruli.

Quod ſi rem damnauerimus, voluntas quantum fieri poterit, excuſanda. Profitebimur deinde quiduis malle ſuſpicari nos, quàm ab eo neglectum officium fuiſſe, ſemper bene memorem beneficiorum: mirari tamen nos, quid cauſa fuerit, cur ſibi nobiſque defuerit.

Inſuper eſt habenda ratio eorum apud quos, & ob quas iniurias, fuit expoſtulatio: Nam ſi miſerorum, apud ſuperiorem poteſtatem, habeatur, ſolent eſſe miſerabiliores, & in dolorem effuſior: ſic verò prudenter agendum, vt non vlceremus plagam, quam ſanare cupimus. Hoc artificio progreditur Cicero primam Antonium num. 11. *Quoniam vtriuſque conſilij cauſam P.C. probatam vobis eſſe confido, priuſquam de Repub. dicere incipio, pauca querar de heſterna M. Antonij iniuria, cui ſum amicus: idque nonnullo eius officio debere eſſe, præter me ſemper tuli. Quid tandem erat cauſæ, cur in Senatum heſterno die tàm acerbè ſolus cogerer? ſoluſque aceram? an non ſæpè minus frequentes fuiſtis? an ea res agetur vt etiam ægrotos deferri oporteret? Annibal, credo erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur: ad quam cauſam etiam Appium illum cæcum & ſenem dilatum eſſe memoria proditum eſt.*

Si hìc de morbo multa dixiſſet, næ ineptè fuiſſet querulus Cicerò; queritur ſolum de iniuria, quam ab Antonio, pridè quàm haberet hanc Orationem, acceperat, iuſſus cum magnis interminationibus intereſſe Senatui, quamuis langueret de via. Paucis autem verbis iniuriam oſtendit quòd ſolus, quod acerbè, quod in re non magni momenti coactus fuerit.

Exordium.

Initium commodè duci poteſt à laude & commemoratione beneficiorum, quæ in eos contulimus, apud quos querimur, ſic apud Liuium lib. 29. ab vrbe condita. Locrenſes queruntur apud Romanos de iniuriis ab illorum & Leagato ceeptis.

Scio quanti æſtimantur noſtræ apud vos querelæ, P.C. plurimum in eo momenti eſſe, ſi probè ſciatis, & quomodo proditi Locri Annibali ſint, & quomodo pulſo Annibalis præſidio, reſtituti in veſtram ditionem. Quippe ſit & culpa defectionis procul à publico cōſilio abſit, & reditum in veſtrā ditionem appareat, non voluntate ſolùm, ſed ope etiam ac virtute noſtra magis indignemini, bonis ac fidelibus ſociis tàm atroces atq; indignas iniurias ab legato veſtro militibuſque fieri. Sed ego cauſam vtriuſque defectionis noſtræ in aliud tempus differendum eſſe arbitror, duarum rerum gratiâ, vnius vt coram P.Scipione, qui Locros recepit, quique omnium nobis rectè perperàmque factorem eſt teſtis, agatur: alterius, quòd qualeſcumque ſumus, tamen hæc quæ paſſi ſumus, pati nō debuimus.

Narratio.

Exponendæ ſunt, iniuriæ aliquando etiam priùs petita veniâ & conquerendi facultate, vt excuſationem potiùs, quàm accuſationem adhibuiſſe videamur. Modeſtè patientérque Locrenſes à me iam laudati, querelas de Pleminio legato deferunt ad Senatum Rom.

Non poſſumus diſſimulare, P. C. nos, cùm præſidium Punicum in arce noſtra haberemus, multa fœda, & indigna à præfecto præſidij Amilcare, & ab Numidis Afriſque paſſos eſſe: ſed quid illa ſunt, collata cum iis, quæ hodie patimur? Cum bona venia, quæſo, audiatis quod inuitus eloquar. In diſcrimine eſt nunc humanum omne genus, vtrum vos, an Carthaginenſes, principes orbis terrarum videat. Sed ſi ex iis quæ Lodrenſes, aut ab illis paſſi ſumus, aut à ve-

ſtro

Digitized by Google

poteſtate lacerata, omnéſque naues quæ ſacram pecuniam habeant,in littora noſtra eiectæ ſunt. Qua tanta clade edoctus tandem Deos eſſe ſuperbiſſimus Rex agnouit, pecuniámque omnem conquiſitam in theſauros Proſerpinæ referri iuſſit:Nec tamen illi vnquam poſtea proſperè quidquam euenit,pulſúſque Italiâ,ignobili atque inhoneſta morte, temerè nocte ingreſſus Argos, occubit. Hæc cùm audiſſet legatus veſter, tribuníque militum, & mille alia,quæ non augendæ religionis causâ, ſed præſenris Deæ numine ſæpè comperta nobis maioribuſque noſtris referebantur,auſi ſunt nihilominus ſacrilegas admouere manus intactis illis theſauris, & nefandâ ſeipſos prædâ,ac domos contaminare ſuas,& milites veſtros:quibus per vos fidémque veſtram. P.C.prinſquam eorum ſcelus expietis, neque in Italia, neque in Africa quidquam rei geſſeritis, ne, quod piaculi commiſerunt, non ſolùm ſuo ſanguine, ſed etiam publica clade luant. Quamquam ne nunc quidem P. C. aut in ducibus aut in millibus veſtris ceſſat ira Deæ: Aliquoties iam inter ſe ſignis collatis concurrerunt: Dux, alterius partis Pleminius, alterius duo Tribuni militum erant.Non acrius cũ Carthaginenſibus, quàm ipſi inter ſe ferro dimicauerunt: præbuiſſentque occaſionẽ furore ſuo Locros recipiendi Annibali,ni accitus à nobis Scipio interueniſſet.

Epilogus.

Concludi poteſt expoſtulatio precibus ad eos à quibus ſolis remedium exſpectari poteſt, quo loco affectus miſericordiæ, clementiæ ac metus excitari poſſunt ac debent. ita Locrenſes.

Sed & nunc & ſæpè aliàs Dea ſuam ſedem ſuumque templum aut tutata eſt,aut à violatoribus grauia piacula exegit: noſtras iniurias nec poteſt,nec poſſit alius vlciſci quàm vos P.C.Ad vos veſtramque fidem ſupplices confugimus. Nihil noſtra intereſt, vtrum ſub illo legato,ſub illo præſidio Locros eſſe ſinatis, an irato Annibali & Pœnis ad ſupplicium dedatis. Non poſtulamus vt ex templo nobis,vt de abſente,vt indictâ causâ credatis: veniat,coram ipſe audiat, ipſe diluat: ſi quicquam ſceleris,quod homo in homines edere poteſt, in nos prætermiſit, non recuſamus,quin & nos omnia eadem iterum,ſi pati poſſumus, patiamur, & ille omni diuino humanoque liberetur ſcelere.

In expoſtulatione omnia poſſunt eſſe grauiora, cùm noſtro iure vtimur, non iam precario opem & auxilium poſtulamus.Itaque duci debet exordium ſeu initium conquerẽdi ſine vlla præfatione, ab iniuriis, quas patimur. Talis eſt illa Philippi Macedonis patris exulcerati acerba ſatis inter Perſei ac Demetrij filiorum diſcordias & odia. Ex Tito Liuio lib. 9. Decadis 4.

Sedeo miſerrimus pater iudex inter duos filios, accuſatorem parricidij, & reum, aut conficti, aut admiſſi criminis labem apud meos inuenturus. Iampridem quidem hanc procellam imminentem timebam, cùm vultus inter vos minimè fraternos cernerem, cùm voces quaſdam exaudirem: ſed interdum ſpes animum ſubibat, deflagrare iras veſtras, purgari ſuſpiciones poſſe. Etiam hoſtes armis poſitis fœdus iciſſe, & priuatas multorum ſimultates finitas: ſubituram vobis aliquando germanitatis memoriam, pucrilis quondam ſimplicitatis conſuetudiniſque inter vos: meorum denique præceptorum, quæ vereor ne vana ſurdis auribus cecinerim.Quoties ego audientibus vobis deteſtatus exempla diſcordiarum fraternarum, horrendos euentus eorum retuli, quibus ſe, ſtirpemque ſuam, domos, regna funditus euertiſſent? Meliora quoque exempla parte altera poſui, ſociabilem conſortionem inter binos Lacedæmoniorum Reges ſalutarem per multa ſecula ipſis, patriæque: eandem ciuitatem,poſteaquam mos ſibi cuique rapiendi tyrannidem exortus ſit,euerſam Iam vos Eumenem Attalumque fratres, à quàm exiguis rebus (prope vt puderet regij nominis) mihi Antiocho, & cuiliber regum huius ætatis, nulla re magis, quàm fraterna vnanimitate, regnum æquaſſe. Ne Romanis quidem exemplis abſtinui, quæ aut viſa, aut audita habebam: T. & L. Quintiorum, qui bellum mecum geſſerunt. P. & L. Scipionum, qui Antiochum deuicerunt: Patris patruique eorum, quorum perpetuam vitæ concordiam mors quoque miſcuit.Neque vos illorum ſcelus, ſimiliſque ſceleri euentus deterrere à vecordi diſcordia potuit: Neque horum bona mens,

Digitized by Google

bona fortuna ad ſanitatem flectere. Viuo & ſpirante me hæreditatem meam ambo & ſpe & cupiditate improba creuiſtis. Eouſque me viuere vultis, donec alterius veſtrum ſuperſtes, haud ambiguum regem alterum mea morte faciam. Nec fratrem, nec patrem poteſtis pati: nihil cari, nihil ſancti eſt: in omnium vicem regni vnius inſatiabilis amor ſucceſſit. Agite conſcelerate aures paternas: decernite criminibus, mox ferro decreturi: dicite palàm quidquid aut veri poteſtis, aut comminiſci libet: reſeratæ aures ſunt, quæ poſthac ſecretis alterius ab altero criminibus claudentur.

Initio nonnunquàm profitetur ſe non ſua cauſa, ſed honeſti, aut alienæ voluntatis, hanc expoſtulationem aggredi.

Aliàs maleuolentiæ ſuſpicionem amouet, ac per dubitationem eruditam refugit de amico quæri aliquando ſimulandus dolor, vt grauior deinde fiat conqueſtio. Magnifica vox, & efficax illa T. Capitolini quartum Conſulis ad populum Rom. expoſtulatio. Tacitis ſciſſa diſcordiis Roma, fiebat vt conciones habere liberum non eſſet, quod vbi Volſcis & Æquis compertum fuit, coniunctis armis animiſque, primùm finitimos agros impunè vaſtarunt: Deinde Romanis diſſidentibus adhuc, & per ſtuporem animi periculi magnitudinem negligentibus, ad muros vrbis populabundi acceſſere. Cuius facti atrocitatem non ferens Capitolinus patriæ defenſor egregius, conuocata populi concione, expoſtulatione graui periculi magnitudinem, reique indignitatem ſeu ſatis ac liberè expoſuit. Apud Liuium. libro 5. Decadis primæ. Diſpoſitio prudens, artificioſa, ſublimis.

Orditur ab inſinuatione: Nam vt dilecta perſona facilè transfundit affectus ideo ſuũ in patriam animum caritatemq. commendat, & in ſummo excelſa fortuna gradu modeſtiam pudoremq. teſtatur; ex quo conſurgit grauis, morata, & ad perſuadendum efficax oratio, motibus etiam peroportunis incenſa, in hoſtes, in ciues ſuos pudore, in ſe verò dolore & indignatione contemptione quidem & odio & ignominia.

Etſi mihi nullius noxæ cõſcius, Quirites, ſum, tamen cum pudore ſummo in concionẽ veſtram proceſſi, hoc vos ſcite, hoc poſteris memoriæ traditũ iri, Æquos & Volſcos vix Hernicis modò pares T. Quintiò quartùm conſule ad mœnia vrbis Romæ impunè armatos veniſſe. Hanc ego ignominiam (quamquam iam diu ita viuitur, is ſtatus rerum eſt, vt nihil boni diuinet animus) ſi huic potiſſimùm imminere anno ſciſſem, vel exilio, vel morte (ſi alia fuga honoris non eſſet) vitaſſet. Ergo ſi viri arma illa habuiſſent, quæ in portis fuere noſtris, capi Roma me conſule potuit? ſatis honorum, ſatis ſuperque vitæ fuit: mori tertium conſulem oportuit. Quem tandem ignauiſſimi hoſtium contempſere? nos Conſules, an vos Quirites? ſi culpa in nobis eſt, auferte imperium indignis: & ſi id parum eſt, inſuper pœnas expetite: ſi in vobis, nemo Deorum nec hominum ſit, qui veſtra puniat peccata, Quirites, voſmet tantùm eorum pœniteat.

Hoſtes Romanorum eleuat, qui plus terroris habeant, quàm virtutis, alienis tantùm diſcordiis clari, vitiáque ciuium diſſidentium in gloriam exercitus ſui vertant; proindè non illorum virtutibus victorias aſcribit. Sed ſuorum diſcordiis, quos carpit, orat, arguit, hortatur ad concordiam & libertatis patriæq. ruentis defenſionem.

Non illi veſtram ignauiam contempſere, nec ſuæ virtuti confiſi ſunt: quippe toties fuſi fugatique caſtris exuti, agro mulctati, ſub iugũ miſſi, & ſe & vos nouere. Diſcordia ordinum, eſt venenum vrbis huius. Patrum & plebis certamina, dùm nec nobis imperij, nec vobis libertatis eſt modus dùm tædet vos patriciorum, nos plebeiorum, ſuſtulere animos. Proh Deûm fidem, quid vobis vultis? Tribunos pleb. concupiſtis; concordiæ causâ conceſſimus: decem viros deſideraſtis; creari paſſi ſumus: Decem-virorum vos pertæſum eſt; abière magiſtratu. Manente in eoſdem priuatos ira veſtra, mori atque exulare nobiliſſimos atque honeſtiſſimos paſſi ſumus, Tribunos plebis iterum creare voluiſtis; creaſtis. Conſules facere veſtrarum partium, etſi patribus videbamus iniquum, patricium quoque magiſtratum, plebi donum fieri vidimus. Auxilium tribunitium, prouocationem ad populum, ſcita plebis iniuncta patribus, ſub titulo æquandarum legum noſtra iura oppreſſa tulimus, & ferimus. Qui finis erit diſcordiarum? ecquando vnam vrbem habere, ecquando cõmunem hanc patriam

eſſe

eſſe licebit? victi nos æquiore animo quieſcimus, quàm vos victores.

Hinc ſe erigit inuictiua grauis & ne dùm ad pompam dicta videantur, ſuccedit enumeratio detrimentorum ac periculi præſentis quod deſcribit & ponit ob oculos non vanus augur calamitatis, Romanorumque mollem vitam & otium liberè perſtringit.

Satiſne eſt, nobis vos metuendos eſſe? aduerſus nos Auentium capitur, adverſus nos ſacer occupatur mons Eſquilias quidē ab hoſte propè captas, & ſcandentem in aggerē Volſcum hoſtē nemo ſubmouit: in nos viri, in nos armati eſtis. Agite dum vbi curiam circumſederitis, & forum infeſtū feceritis, & carcerem principibus impleueritis: iiſdem iſtis ferocibus animis egredimini extra portam Eſquilinam: aut, ſi ne hoc quidem audetis, ex muris viſite agros veſtros ferro igniq; vaſtatos, prædam abigi, fumare incenſa paſſim tecta. Atenim cōmunis res per hæc loco eſt peiore: ager vritur, vrbis obſidetur, belli gloria penes hoſtes eſt. Quid tandem priuatæ res veſtræ, quo in ſtatu ſunt? Iam vnicuiq; ex agris ſua damna nuntiabuntur. Quid eſt tandem domi vndè ea expleatis? Tribuni vobis amiſſa reddent ac reſtituent? vobis, verborumq; quantum volueris, ingerent & criminū in principes, & legum aliarum ſuper alias, & concionum. Sed ex illis concionibus nunquam veſtrum quiſquam re, fortunáque domum auctior rediit. Ecquis retulit aliquid coniugem & liberos præter odia, offenſiones, ſimultates publicas priuataſque? à quibus ſemper non veſtra virtute innocētiáque, ſed auxilio alieno ſitis. At hercules cùm ſtupendia nobis conſulibus, non tribunis ducibus; & in caſtris, non in foro faciebatis: & in acie veſtrum clamorem hoſtes, non in concione patres Romani horrebant: prædá parta, agro ex hoſte capto, pleni fortunarum, gloriæq; ſimul publicæ, ſimul priuatæ, triumphantes domum ad Penates redibatis: nunc oneratū veſtris fortunis hoſtem abire ſinitis. Hærere affixi concionibus, & in foro viuite: ſequitur vos neceſſitas militandi, quam fugitis. Graue erat in Equos & Volſcos proficiſci, ante portas eſt bellum. Si indè non pellitur, iam intra mœnia erit & arcem & Capitolium ſcandet, & in domos veſtras vos perſequetur. Biennio ante Senatus haberi, & duci exercitū in Algidum iuſſit: ſedemus domi deſides, mulierum ritu altercantes inter nos, præſenti pace læti, nec cernentes ex otio illo breui multiplex bellum rediturum.

Diluta paulìſper ſeuerioris ingenii acerbitate, blanda & ſapienti Oratione Quirites ad concordiam reuocat, & veritatis, quàm aſſentationis amantior, non ad voluntatem aliquorum, ſed ad boni publici ſalutem loquitur, victoriāque pollicetur de hoſtibus, & ſecuram tranquilitatem ſi modò concordes eſſe voluerint.

His ego gratiora dictu alia eſſe ſcio: ſed me vera pro gratis loqui, etſi meum ingenium non moneret, neceſſitas cogit. Vellem equidem vobis placere Quirites: ſed multo malo vos ſaluos eſſe, qualicumq; erga me animo futuri eſtis. Natura hoc ita comparatum eſt, vt qui apud multitudinem ſua cauſa loquitur, gratior eo ſit, cuius mens nihil præter publicum commodum videt. Niſi fortè aſſentatores publicos, plebicolas iſtos qui vos, nec in armis, nec in otio eſſe ſinunt, veſtra vos cauſa incitare & ſtimulare putatis. Concitati, aut honori, aut quæſtui illis eſtis: & quia in concordia ordinum nullos ſe vnquam eſſe vident: malæ rei ſe, quàm nullus, turbarum ac ſeditionum duces eſſe volunt. Quarum rerum ſi vos tædium tandem capere poteſt, & patrum veſtroſque antiquos mores vultis pro his nouis ſumere: Nulla ſupplicia recuſo, niſi paucis diebus hos populares agrorum noſtrorū fuſos fugatoſq; caſtris exuero, & à portis noſtris mœnibuſque, ad illorum vrbes, hunc belli terrorem, quo vos nunc attoniti eſtis, tranſtulero.

Nudam & apertam Narrationem poſtulat priuatū expoſtulationis genus, & nonnunquam excuſationem potiùs; quàm accuſationem adhibet. Tamē in expoſitione iniuriarū amplificari poterit ab iniuſto grauitas; ſi præter merita, atque adeò contra ius oſtendatur eſſe accepta iniuria.

Confirmatio aut breuis aut ferè nulla, ne videamur in cōmemorandis malis ambitioſi; proinde generoſo ſilētio nos multa ſupprimere profitebimur, vt auditorum beneuolentiam mereamur, & eius, de quo querimur, famæ nominique parcamus.

Tum adhibenda, cùm illa ſunt eiuſmodi, vt

diſſimulari vltrà, nec poſſint, nec debeant, præſertim vbi maiora timentur.

Vehemens dolor excitari debet in ipſa concluſione, cum interpoſitis minus, quibus etiam aliqua deprecatio adiungi poteſt, ſed cum ſumma ratione dignitatis.

Queritur amicus ſuam fidem amico temerè ſuſpectam fuiſſe.

Nullum me lætitiæ ſenſum oſtendiſſe, cùm tuæ dignitatis amplificationem accepi, ſuſpicioſus iterum detulit tibi, idque vt crederes, plùs apud te valuit maleuoli delatio, quàm amicitiæ noſtræ ſacramentum, vt venires in ſuſpicionem adornatæ calumniæ. Id igitur ego hactenus tot officiis conſequutus ſum, vt non modò ſeruum contra me dicentem audires, ſed ex ipſius etiam iudicio, amicitiam meam æſtimares. Studium in te meum refrixit; qui id conſtat? Verna ſuſpicatus eſt: ô argumentum, quo vir prudens capiatur, quo amicus immutetur, quo longo vſu comprobata beneuolentia dubia fiat. Num nebulonis loquacitas fuſtibus compeſcenda fuit? num animi mei conſtantia in memoriam reuocanda? num ex meipſo audiendum, qua mente forem?

At accedit aliud grauius ſuſpicionis argumentum, quòd primus gratulatum non venerim; an verò pectus amici ex vulgaribus officiis metiris; quæ peræque ſimulatus amicus deferre poteſt? certè cùm animus te meus primus omnium conueniſſet, cæteris, vt te priùs corpore adirent, facilè permiſi. Sed cur ego iſta tecum? qui eiuſdem criminis reus ſim, ſi eo te reuera laborare exiſtimarem: profiteor itaque non credere me, quod dixiſti, atque adeò cenſeo tentaſſe te potius hac querela fidem meam, quàm tuam de me opinionem aperuiſſe. Et certè vt à corpore aliquando animus hic meus ſeiungatur, ab amicitia idem tua diſtrahi nunquam poterit.

Pvnctvm VII.

Exprobationis Artificium.

Quia ſemper odioſum fuit genus hominum beneficia in alios collata minus tempeſtiuè exprobrantium, eam ob rem fieri debet opportunè, & è re illius, qui beneficium accepit, reprehenſio; quæ tùm fructu ſuo non caret, cùm acerbitate vacat.

In principio teſtamur & appellamus conſcientiam ipſius, qui labem immemoris & ingrati animi contraxit, eamque grandibus ſententiis, quaſi amento vibratis ob oculos ponimus, vt vitii turpitudinem primo aſpectu cognoſcat, & verò etiam non ſine dolore condemnet.

Narratio rem totam artificiosè proponit, in qua & noſtra in illum beneficia, & ingratum illius in nos animum, amplificamus.

Confirmatio duas habet partes; in prima beneficium commemoramus inuito, licet animo, & alienis compulſi iniuriis: in altera exponimus & amplificamus alienum maleficium. Quod fit dum ex Hypotheſi aſcendimus ad theſim, & vniuerſim de ingrati animi crimine dicimus, in quo nihil mali non ineſt, per locum communem.

Epilogus Timoris, ac Verecundiæ motus excitat.

Grauiter infenſus Alexander, militum ſuorum temeritatem ac ferociam coërcet, qui miſſionem audacius tumultuoſeque flagitabant: commemorat ſuam in eos recentem liberalitatem, & beneficia, quorum ingratos iam obliuio ceperat: deinde quantum obſequium requiratur à militibus oſtendit, tum exprobrat ac eos dicit indignos opibus & gloria, quam ſecum habent communem: ad extremum ardens iracundiâ per ſummam indignationem, pudorem illis facit & operam illorum repudiat. Curtius lib. 10. numero 2.

Quid hæc repens conſternatio, & tàm procax atque effuſa licentia denuntiat? Non herculè poteſt fieri vt adducat querendi ſimul omnibus hanc cauſam eſſe quàm oſtenditis, in qua maior pars exercitus non eſt, vtpote cum plures dimiſerim, quàm retenturus ſim. Subeſt nimirum altius malum, quod omnes auertit à me. Quando enim Regem vniuerſus exercitus deſeruit? ne ſerui quidem vno grege profugiunt dominos; ſed eſt quidam in illis pudor à cæteris deſtitutos relinquendi. Verum ego tàm furioſæ

conſternationis oblitus, remedia inſanabilibus conor adhibere. Omnem hercule ſpem, quam ex vobis conceperam damno: nec vt cum militibus meis (iam enim eſſe deſiſtis) ſed vt cum ingratiſſimis, vt oportet, agere decreui.

Secundis rebus quæ circumfluunt vos, inſanire cœpiſtis, obliti ſtatus eius, quem beneficio exuiſtis meo. Digni hercule qui in eodem conſeneſcaris: quoniam facilius eſt vobis aduerſam, quàm ſecundam ferre fortunam. En tandem Illyriorum paulò ante, & Perſarum tributariis, Aſia & tot gentium ſpolia faſtidio ſunt. Modo ſub Philippo ſeminudis amicula ex purpura ſordent. Aurum & argentum oculi ferre non poſſunt. Lignea enim vaſa deſiderant, & ex cratibus ſcuta, rubiginemque gladiorum. Hoc cultu nitentes vos accepi, & quinquaginta talenta æris alieni, cùm omnis regia ſupellex haud amplius quam ſexaginta talentorum ſint, meorum operum fundamenta, quibus tamen (abſit inuidia) imperium maximæ terrarum partis impoſui. Aſiæne pertæſum eſt quæ vos gloria rerum geſtarum Diis pares fecit? In Europam ire properatis, rege deſerto cùm pluribus veſtrum defuturum viaticum fuerit, ni æs alienum luiſſem? nempe in Aſiatica præda: nec pudet profundo ventre deuictarum gentium ſpolia circumferentes reuerti velle ad liberos coniugeſque, quibus pauci præmia victoriæ poteſtis oſtendere. Nam cæterorum, dum etiam ſpei veſtræ obuiã iſtis, arma quoque pignori ſunt. Bonis verò militibus cariturus ſum pellicum ſuarum concubinis, quibus hoc ſolum ex tantis opibus ſupereſt, quod impenditur. Proinde fugientibus me, pateant limites, faceſſite hinc ocyus. Ego cum Perſis abeuntium terga tutabor. Neminem teneo; liberate oculos meos ingratiſſimi ciues. Læti vos excipient parentes liberique ſine veſtro Rege redeuntes? obuiam ibunt deſertoribus transfugiſque? Triumphabo mehercule de fuga veſtra, & vbicumque ero, expetam pœnas, hos, cum quibus me relinquitis, colendo præferendoque vobis. Iam autem ſcietis & quantum ſine Rege valeat exercitus, & quid opis in me vno ſit.

David apud Milites ſuos exprobrat crudeli Nabalo ingrati animi vitium.

Libentius me in conferenda, quam in repetenda gratia verſari, neminem opinor veſtrûm latet Commilitones; verum diſſimulare tamen non poſſum recenti Nabali in nos contumelia me vehementiſſimè commotum eſſe. Scitis quo ſtudio præceperim vobis, vt inſolétiſſimi hominis paſtores ac greges defenderetis; huncque vnum ex deſertæ incultæque regionis incommodis fructum eſſe reportatum, vt nullum ipſe pateretur. Itaque cum de Nabalo optimè meriti eſſemus, miſeram à commilitonibus aliquos, qui meo & veſtro nomine commeatus aliquid ab ipſo peterent. At (ô ingrati animi portentum!) ſingularibus beneficiis leuiſſimum ille non momento non retulit, ſed etiam denegationi & mei & veſtri ludibrium adiunxit: Tot in ipſum beneficia congeſſimus, & neſcit quis ſit Iſai filius, cognoſcet ex ſuppliciis, quem ex humanitate non nouit: Nos fugitiuos appellat; intelliget ex acie gladiorum noſtrorũ viros fortes iuſtæ Regis iracundiæ cedere, non contumeliæ priuatorum. Ergo vnius Nabali cõmodis in calamitate noſtra proſpeximus; vt vnus ille nobis illuderet? greges illius ſeruauimus, vt agnum etiam vnum petentibus denegaret? paſtores eius à latronibus defendimus; vt latronum abiectorum loco nos haberet? feras ab eiuſdem armentis repulimus, vt ferino nos animo exciperet?

Agite commilitones & qui hactenus ſic viximus, vt noſtra ad omnes beneficia, ad nullum contumelia peruenerit, oſtendite laceſſiti, viris fortibus non impunè fieri iniuriam. Enim verò magnam ab genere humano vniuerſo inibimus gratiam, ſi per nos orbis terrarum hoc portento liberatus fuerit: multas profectò in ſolitudinibus feras animantes contrucidauimus, ſed nullam immaniorem Nabalo. Tigres nimirum & Pardi beneficiis conciliantur: Nabalus humanitate noſtra factus eſt inhumanior. Neque pertimeſcendũ eſt, vt vicinis agricolis ingrata hæc vltio noſtra futura ſit: Cùm enim ingrati animi vitium deteſtentur omnes; non minus ex Nabali, quam

ex ferociſſimarum belluarum cæde beneficium ſibi collatum putabunt.

PVNCTVM VII.

Comminationis Artificium.

I. TOtum huius Orationis Artificium in eo poſitum eſſe videtur, vt timorem ei, cui minamur, inferamus: quare quò efficius id fiet, eò melior cenſebitur Comminatio. Debet autem initium abruptiſſimum eſſe, vt velut ex inopinato feriat.

II Genus porrò totius Orationis conciſum eſſe oportet, concitatum, minax, grauibus ſententiis, & exiomatis redundans, non affectatum tamen & puerile. Tota Catilinaria prima abſolutiſſimum exemplar eſſe poteſt; habet enim vehementes ſpiritus paſſim, & ad ingenerãdum grauiores motus efficax eſt.

III. Adhiberi debet amplificatio vehemens ſceleris aut facinoris, cui ſupplicium intentatur quod ita fieri poteſt, vt longiori verborum tractu ſeſe efferat Oratio.

IV. Fingit Orator vel ipſam ſceleris cogitationem, & memoriam tàm atrocem eſſe, vt ad eam vel grauiſſimi viri perhorreſcãt. Tullius diuinatione in Verrem n. 41. *Ita Deos mihi velim propitios, vt cum illius diei mihi venit in mentem, quo die, citato reo mihi dicendum, ſi non ſolùm commoueor animo, ſed etiam toto corpore perhorreſco.* Sed longè melius n. 45. *Qui tibi æſtus, qui error, quæ tenebræ Dij Immortales, erunt homini minimè malo? Quid, cùm, accuſationis tuæ membra diuidere cœperis, & in digitis tuis ſingulas partes cauſæ diuidere? quid, cùm vnum quodque transigere, expedire, abſoluere? Ipſe profectò metuere incipies, ne innocenti periculum facaſſeris. Quid, cùm commiſerari: conqueri, & ex illius inuidia deonerare aliquid, & in te traiicere cœperit? commemorare quæſtoris cum Prætore neceſſitudinem conſtitutam? morem maiorum? ſortis religionem? poteriſne eius Orationis ſubire inuidiam? Vide modò, etiam atque etiam conſidera. Mihi enim videtur periculum fore, ne ille non modò verbis te obruat, ſed geſtu ipſo, ac motu corporis præſtringat aciem ingenij tui, teque ab inſtitutis tuis cogitationibuſque abducat.*

V. Ne verò motus lãguidè frigideque conquieſcat, vtendum communicatione, & pedetentim progrediendum, quod facit Orator loco laudato.

VI, Iuuabit præterea rem ita clarè deſcribere, ac futurum incommodum, vt non iam dici, ſed cerni videatur: quod ex imitatione Ciceronis facilè eſt conſequi. Prima in Verrem n. 82. *Nolite per Deos Immortales, cogere ſocios atque exteras nationes hoc vti perfugio; quo niſi vos vindicatis, vtentur neceſſario. Lampſacenos in iſtum nunquam vlla res mitigaſſet, niſi eum pœnas Romæ daturum credidiſſent. Fiſi talem acceperant iniuriam, quam nulla lege ſatis dignè perſequi poſſunt: tamen incommoda ſua veſtris committere legibus, & iudiciis, quàm dolori ſuo permittere maluerunt. Tu mihi cùm circumſeſſus à tam illuſtri ciuitate ſis propter tuum ſcelus, atque flagitium, cùm coëgeris homines miſeros & calamitoſos, quaſi deſperatis noſtris legibus & iudiciis, ad vim, ad manus, ad arma confugere: cùm te in oppidis & ciuitatibus amicorum, non Legatum Populi Rom. ſed tyrannum libidinoſum, crudelemq́; præbueris: cùm apud exteras nationes imperij nominiſq; ue noſtri famam tuis probris flagitiiſque violaris: cùm te ex ferro amicorum Populi Rom. eripueris, atque è flamma ſociorum euolaris, hic tibi perfugium ſperas futurum: Erras, vt huc incideres, non vt hic conquieſceres, illi te viuum exire paſſi ſunt, &c.*

VII. Concludi poteſt Comminatio per Optationem & Adhortationem, ne videatur Oratio ex odio & maleuolentia profecta, quod ex induſtria factirãdũ, ne auditores ab alienati diſcedãt.

Cicero Popilio impetum in ſe cum gladio facienti comminatur.

An ego te Popili à periculo capitis defenſione mea liberaui, vt hoc me gladio conficeres? an à ceruicibus tuis conſtitutum parricidis ſupplicium depuli, vt hanc mihi gratiam crudelis referres: Cæteris hercle omnibus in meam perniciem armatis adeſſe te mihi periclitãri opportuit: Iam verò cùm boni omnes ſalutem ſuã ex mea pendere arbitrentur, audes ſicâ hac tua nefaria per meum latus Rempublicam ciueſque adeò omnes bonarum partium contrucidare? Parumne fuit te tua iuuentute ſtipatum impunè volitaſſe per

vrbem,

vrbem, vexaſſe plebem, probris ac maledictis innocentes laceſſiſſe pulſaſſe magiſtratus, libertatis interitum iuraſſe, armorum tuorum & infiniti illius dominatus terrorem oſtendiſſe, niſi etiam ſacrilegas manus tuas ſanguine meo cruentares? Ceſſimus acerbitati tuæ, furori ceſſimus & crudelitati; tamenne diutius immanitatem tuam ſuſtinebimus? Num plebis Romanæ ſingularem erga me beneuolentiam? num Equeſtris ordinis dolorem? num Senatus auctoritatem? num patriæ futurum in te ſempiternum odium? num inurendā hoc parricidio nomini tuo labem? num denique poſteritatis omnis iudicium reformidas? Erras ſi te implicatum ſeueritate legum, ac ſcelerum tuorum laqueis irretitum criminibus tuis iuſtas debitaſque pœnas vitare poſſe ſperas. Vt Reſpublica genteſque, ac nationes omnes conſeruatorem patriæ, vindicem libertatis, oppreſſorem coniurationis Catilinariæ, commune perfugium calamitoſorum, ac ſalutis tuæ Deum à teipſis indigniſſima morte ſublatum, non moleſtè ferrent, An Dij Immortales, quorum templa atque delubra, à fœdiſſima flamma eripui, hanc tam atrocem iniuriam inultam dimittent? Neque verò hæc eò dico, quòd mortem fugiam, quæ nec turpis forti viro etiam à te poteſt accidere, nec immatura conſulari, nec miſera ſapienti. Etenim vt Marcum Tullium è viuis acies hæc ſcelerata gladiorum tuorum exterminet, viuet ſempiterna nominis noſtri gloria, & crudelitatis tuæ vexationem cum omnibus conſequentibus ætatibus adæquabit. Quare hac Oratione non tàm dignitati meæ ac ſaluti, quàm tuæ conſuluiſſe videbor.

PVNCTVM VIII.

Deprecationis Artificium.

DEprecationis ac defenſionis magna eſt affinitas & ſimilitudo: ſupplices tamen hic ſumus: quippe præſtat culpā ingenuè fateri, quam languidis rationibus illam velle defendere. Nàm illud turpis cauſæ patrocinium magis principes viros ſolet offendere, quàm crimen ipſum, quòd Clementiæ ſuæ multum detrahi exiſtimēt, ſi culpā tātopere minuatur quaſi pro graui leuem aut nullam condonent: igitur aperta confeſſio ſubiratos animos mitigat; cùm facilius flectatur, quàm frangatur animus.

Ipſa pœnæ & ſupplicij petitio, deprecatio cenſetur artificioſa, ſic milites, qui à Germanico defecerant, apud Tacitum libro primo veniam ſunt conſequuti. *Supplices ad hæc, & vera exprobrare fatentes, orabant, puniret noxios, ignoſceret lapſis, & duceret in hoſtem: reuocaretur coniux, rediret legionum alumnus, néue obſes Gallis traderetur.*

Circumſtantiæ temporis ac perſonarum obſeruandæ ſunt prudenter: ne ſi alieno tempore deprecemur, non veniam, quàm vix meremur, ſed pœnas crimini debitas, reportemus.

Per eos verò fieri conuenit, qui multum gratia poſſunt & auctoritate, quibus vix aliquid negari ſolet per homines miſeros luctu, & ſqualore confectos, per eos, quorum infelicitati vix durius quidquam accidere poteſt.

Exordium ſumi poteſt vel à qualitate criminis, cuius veniam precamur, vel perſonæ pro qua petimus, vel eorum, qui culpam admiſſam remittunt, aut plectunt.

Nullus eſt Narrationi, aut expoſitioni criminis locus, niſi fortè occupemus eos, quos offendimus. Itaque tunc omnia narranda ſunt, ac verbis amplificanda, deinde verò ſubiicienda deprecatio.

Confirmatio docet vim argumentorum in eo conſumi oportere, vt dandam eſſe veniam ſuadeamus: porrò plura ſunt capita, ex quibus eiuſmodi rationes duci poſſunt.

I. A Perſona læſa, vel lædentis.

Et quidem ſi perſona læſa fuerit parens, ipſa natura ſuadebit indulgentiam. Pro Ligario n. 30. *Ad parentem loquor, erraui, temerè feci, pænitet; ad clementiam tuam confugio: delicti veniam peto: vt ignoſcas, oro. Si nemo impetrauit, arroganter: ſi plurimi, tu idem fer opem, qui ſpem dediſti.*

Si fuerit aliqua dignitas eius, qui iniuriā paſſus eſt, prædicabitur Clementia, quæ viros excellētes decet. Pro Ligario n. 15. *Dicam planè Cæſar, quod ſentio, ſi in hac tanta tua fortuna, lenitas tanta non eſſet, quantam tu per te, per te, inquam obtines, (intelligo quid loquar) acerbiſſimo luctu redundaret*

iſta

iſta victoria. Quàm multi enim eſſent de victoribus, qui te crudelē eſſe vellēt, cùm etiā de victis reperiatur quā multi, qui cùm à te nemini ignoſci vellent, impedirent clementiam tuam, cùm etiam ij, quibus ignouiſti, nolint te in alios eſſe miſericordem.

Tùm Cæſarem immortalitatis ſtudio flagrantem ad ignoſcendum Ligario hortatur, à laude Clementiæ, & à ſua ipſius natura, tam ad lenitatem propenſa, vt etiam impellente nemine exprimat ſe, & vltrò miſeris occurrere ſoleat n.38. *Nihil eſt tàm populare, quàm bonitas, nulla de virtutibus tuis plurimis, nec gratior, nec admirabilior miſericordia eſt. Homines enim ad Deos nulla re propiùs accedunt, quam ſalutem hominibus dando. Nihil habet nec fortuna tua maius, quàm vt poſſis, nec natura tua melius; quam vt velis conſeruare quàmplurimos.*

Non minus prudenter eundē pro Deiòtaro deprecatur, eiuſque clementiā cōmendando multis implorat Oratoria prætermitione n.40. *Non debeo, Cæſar, quod fieri ſolet in tantis periculis; tentare, quoniam modo dicendo miſericordiam tuam commouere poſſim: nihil opus eſt: occurrere ipſa ſolet ſupplicibus, & calamitoſis, nullius Oratione euocata.*

Iam ſi auctor iniuriæ fuerit adoleſcens dicet Orator eſſe dandum aliquid ætati. Quod pro Cœlio multis obſeruat Cicero. n. 42. & 45. *In hoc flexu quaſi ætatis, (nihil enim occultabo fretus humanitate ac ſapientia veſtra) fama adoleſcentis paulum hæſit ad metas notitia noua mulieris*, &c.

Si nobilitate generis clarus, illam hactenus nulla vitiorum ac turpitudinis labe reſperſiſſe dices. Commendabis eundem ab eruditione, quā ſibi nomen & apud ſuos, & apud poſteros fecit, nec inutilem Reip. conſulem futurum prædicabis, à meritis eius in patriam & in omnes.

Altera confirmationis ratio ducitur à crimine ipſo, vnà cum ſuis circumſtantiis: ſi videlicet dicatur errore admiſſum, vel aliorum ſuaſione, & impetu aliquo iracundiæ.

Quod ſi hac ratione minus excuſari poteſt, oſtendendum erit nocere illud dumtaxat auctori, & illi quidem ſatis eſſe ſupplicij cogitaſſe crimen, aut feciſſe: præterea iniuriam fuiſſe temporis, vt in Oratione pro Deiotaro Tullius facit n.13. Vbi variis circumſtantiis oſtendit Deiotarum non odio Cæſaris, ſed officio fuiſſe ad Pompeij partes adductum. Primò perturbatum variis rumoribus, deinde fatali quadam neceſſitate abreptum, quæ improuidas plerumque mentes hominum inuadit; tum rogatum ab amicis, accerſitum à ſociis: à ſuperioribus euocatum. Sed prius commodè Narrationi breuem & liberam veniæ poſtulationem interſerit. Pompeiique laudationem. *Ignoſce, ignoſce, Cæſar, Ad eum Rex Deiotarus venit hoc miſero fatalique bello, quem ante iuſtis, hoſtilibuſque bellis, adiuuerat: quo cum erat non hoſpitio ſolum, verùm etiam familiaritate coniunctus: & venit, vel rogatus, vt amicus: vel accerſitus, vt ſocius: vel euocatus, vt is, qui Senatui parere didiciſſet: poſtremò venit, vt ad fugientem, non ad inſequentem, id eſt ad periculi, non ad victoriæ ſocietatem. Itaque Pharſalico prælio facto, à Pompeio diſceſſit: ſpem infinitam perſequi noluit, vel officio ſi quid debuerat: vel errori, ſi quid neſciebat, ſatisfactum eſſe duxit.*

Ad hæc ſi nondum erumperit crimen, ſitque illud domeſticum, conſilio vtendum Senecæ apud quem Mecænas monebat Auguſtū, ne vitia domeſtica proderet in vulgus: ea quippe tutius latere, & opprimi priuatis parietibus, quam latius diſſeminari; quia quarundam rerum turpitudo, ad vindicantem redit. Et verò Auguſtus cum interpoſito tēpore in locum iræ ſubiiſſet verecundia, gemens quòd non illa ſilentio preſſiſſet, ſæpè exclamauit. Horum mihi nihil accidiſſet, ſi aut Agrippa aut Mecænas dixiſſe: Adeò tot habenti millia hominum duos reperire difficile eſt.

Tertia petitur à ſupplicio inferendo Quæri enim poteſt cauſa, cur inferatur, ſi correctio ſperatur; ſi id quæritur ne peccet amplius, ne iterum in eundem ſcopulum impingat reus; at hoc iam conſtitutum eſt, habes vltrò quod ſuppliciis ac doloribus extorquere contendis. Fortè id agitur, vt ſcelus ſuum oderit; at odium tantum conceptum eſt, quantum nulla vnquam extorqueret ſuppliciorum atrocitas: At in aliorum exemplum prodeſſe poſteritati poteſt.

Vt verum ſit hoc argumenti genus naturaliter ſubiectionem poſtulare; quod figuræ genus maximum habet momentum in commiſerationibus, ſi præſertim vox flebilis acceſſerit.

Ad Clementiam excitandam dicendum erit, eum qui peccauit, ſic affligi dolore, eo concuti

metu,

Digitized by Google

metu,ſic affici pudore, vt miſericordia dignus videatur, decore tamen ſeruato: quis enim ferat eum, qui præ metu dedecoris, aut pœnæ, muliebriter ac demiſè nimis poſcit.

Proderit item polliceri ſpem vitæ melioris, quam ex ipſius, qui peccauit, indole per ſe bona, reddemus probabilem, noſtramque auctoritatem interponemus, nec non pro eo reconciliando, ſi aliter fieri non poſſit, ſpondebimus. Cic. pro Cœlio n.77. *Quare ſi cui nimium efferbuiſſe videtur huius vel in ſuſpiciendis, vel in gerendis inimicitiis vis ferocitas pertinacia: ſi quem etiam minimorum horum aliquid offendit, ſi purpura genus, ſi amicorum caterua, ſi ſplendor, ſi nitor, iam iſta deferbuerint, iam ætas omnia, iam iſta dies mitigarit. Conſeruate igitur Reip. Iudices, ciuem bonarum artium, bonarum partium, bonorum virorum. Promitto hoc vobis, & Reipublicæ ſpondeo, ſi modò nos ipſi Reip. ſatisfecimus nunquam hunc à noſtris rationibus ſeiunctum fore. Quod cum fretus noſtra familiaritate promitto, tum quod duriſſimis ſeipſo legibus iam obligarit.*

Aduertendum locum eſſe vehementiſſimis motibus ſub finem deprecationis. Et quidem ſi ad parentem agas, orabis meminerit ſe parẽtem eſſe, in filium agi, non in ſeruum, habeat rationem ſui ſanguinis, domeſticæ gloriæ: obſecrabis etiam per maiorũ cineres, & per clara facinora.

Si verò ad ſuperiorem agis; implorabis eius clementiam aliis exhibitam in atrociori etiam flagitio: profferes exempla maiorum eius in re ſimili: fidem & obſequium perpetuum polliceberis: captabis interdum beneuolentiam; dices quidquid accidat, te fore contentum eius iudicio. Exemplum abſolutæ deprecationis repetatur ex Milonis Peroratione, quâ nihil melius fingi poteſt.

Et illa Tuſculanorum Legatorum illati belli deprecatio, quâ ſupplex, Romanorum iratos animos placauit. Ex Liuio lib.6. ab vrbe condita. Quibus bellum indixiſtis, intuliſtiſque, P.C. ſicut nunc videtis nos ſtantes in veſtibulo curiæ veſtræ, ita armati paratique obuiam Imperatoribus legibuſque veſtris proceſſimus. Hic noſter, hic plebis noſtræ habitus fuit eritque ſemper, niſi ſi quando à vobis, proque vobis arma accepimus. Gratias agimus & ducibus veſtris, & exercitibus, quod oculis magis, quàm auribus crediderunt, & vbi nihil hoſtile erat, ne ipſi quidem fecerunt. Pacem quam nos præſtitimus, eam à vobis petimus: bellum, eò ſicubi eſt, auertatis, precamur. In nos quid arma polleant veſtra, ſi patiendo experiundum eſt, inermes experiemur. Hæc mens noſtra eſt: Dij Immortales faciant, tam ſit felix quàm pia. Quod ad crimina attinet, quibus moti bellum indixiſtis, etſi reuicta rebus, verbis confutare nihil attinet, tamen etiam ſi vera ſint, vel fateri nobis ea, cùm tam euidenter pœnituerit, tutum cenſemus. Peccetur in vos dum digni ſitis quibus ita ſatisfiat.

Ioab Dauidem rogat vt ignoſcat Abſaloni, qui Ammonem fratrem interfecerat.

Non vereor (Rex Clementiſſime) vt tibi meus de Abſalonis calamitate dolor ingratus ſit: Nam etſi eius temeritati iratus es, paternum tamen in ipſum animum non exuiſti. Peccauit fateor, qui inceſtum ſororis oppreſſorum necauerit: ſed ſi crimen eſt fratrem interemiſſe, veniâ certè dignum dolori ceſſiſſe, & eum dumtaxat ſpoliaſſe vita, qui pudicitia, quæ vita potior eſt, ſpoliauerit ſororem. Quamquam non credidit Ammone tollendo, extinguere ſe fratrem, ſed luxuriam ipſam, aut fratrem eum haberi poſſe, qui ſororem violaſſet. Quo verò animo patris ac Reip. dignitatem ab hoſtium telis defendet Abſalon, qui illatam labem ſorori tam fortiter vindicarit. In eo porrò conſeruando non vni duntaxat familiæ regiæ gratum facies, qui iniuſtam ipſi ignominiæ labem Ammonis ſupplicium deleuit; ſed etiam Reip. quæ Regis filio natu maximo exulante, incolumitati ſuæ non ſatis conſultum putat. Et certè vt culpa aliqua Regius adoleſcens laboraret; num ſatis pœnarum dedit? En iam à tribus annis patria caret, quæ ipſi eſt cariſſima: ſuauiſſimo patris conſpectu non fruitur, cuius amore magis, quàm propria anima viuit. Multæ ſunt profectò commendandi tui cauſæ (Rex Sereniſſime) clementiæ tamen ac miſericordiæ gloria cæteris facilè

Digitized by Google

omnibus antecellit: Noli igitur qui hoſtibus tuis veniam dediſti, in calamitoſum filium non eſſe miſericors. Neque verò te, vti ſpero, gratiæ vnquam huius pœnitebit, quâ ita vtetur Abſalon, vt nullam tibi allaturus ſit deinceps illius iterum implorandæ neceſſitatem. Primum eſt hoc eius crimen: at faciet hæc humanitas tua, vt idem etiam poſtremum ſit. Fateor equidem hanc gratiam Reip. hoſtibus acerbiſſimam futuram, qui exulantem Abſalonem cupidiſſimè detinent, vt aliquam habeant Regni inteſtino, externoque bello perturbandi occaſionem. Fortitudine tua ac felicitate bellorum de ipſorum copiis triumphaſti. Iam Clementiâ de eorundem maleuolentia triumphandum eſt, facit mea ad regni tui amplitudinem propoſitio, vt in hoc vno laborum præmio acquieſcam, & præclarè mecum agi putem, ſi Abſaloni peperceris, cuius calamitate ideo præſertim moueor, quod filius ſit tuus.

Certamen Aſiæ, & Africæ, de fortitudine & victoriis bellicis Iudice Marte.

Vide Boteri mundum de Regum potentia.

Veterem quæſtionem de fortitudine & gloria militari hinc Africani, inde Aſiatici atque Europæi pro curia Martis, & in hoc forum reuocarunt: atque vt reuiuiſcat indoles omnium gentium iudicio demum à Marte quod æquum viſum ſit referre vtrimque contendunt. Nihil illi amplius, ſaluere vos iubent, donec vos iuſſero valere.

Mars.

Nollem à vobis factum V. C. vt quorum ad laudem ſe generoſius exacuit impetus, eorum in mutuæ laudis inuidia atq; æmulorum labor pereat. Fuit enim antehàc ratio omnium nationum in præſidio meo conſtituta, vt ad tuendam propugnandamque Remp. ad abolendas iniurias, ius faſque ſtabiliendum arma meo numini dedicata, corriperent, orationum illecebris verborumque copiâ nullum pondus appenderent: Nec iniuria. Quid enim vilius atque contemptius vbi madueris hoſtium ſanguine, vbi ferrum flammaſque prouinciis omnibus circumtuleris domi victorem, non in arenâ, ſed pro roſtris non gladio, ſed lingua; non idoneo iudice, ſed molli lautoque cupediario audiente de exiſtimatione nominis dimicare. Sederet in ſubſelliis aliquis è vico, ſederent mimi, ſederent qui de bellis famâ inaudierint modò non viderint. Quod ego quã indignum cenſeam hinc accipere poteſtis quando fortiſſimos viros imbelles, audaciſſimos timidi, laborum patientiſſimos ignaui, armatos criniculi atque criſpatuli, in luce atque hominum ore verſatos ignoti tenebriones iudicarint. Quare plus dignitatis vobis an mihi gloriæ hodiernus dies allaturus ſit neſcio, quod & iudicem implorastis eum, cui ſine inertiæ notâ neminem præferre debuiſtis, & ego fauore numinis & amore gentis illectus pœnè deſcendi ad cauſam veſtram citius, quàm inuocatus ſum. Certè accedet hoc Reip. militari ſtudiiſque veſtris, vt non minus in iudicando me vobis æquum, quàm in pugnando fortem præbeam. Quocirca quod pietas in parentes, religio in patriam communiſque defenſio priſtinæ dignitatis poſtulat pro rebus ab Africa geſtis qui verè, quâ breuiter Adherbal cum collegiis tuis ediſſere quid ſentias.

Pro Africa dicunt Adherbal, Muleaſſes, Maſiniſſa, Muſtapha.

Adherb. Vtinam Dij immortales aliquando Iudex æquiſſime, quantùm incolumitati patriæ ſemper ſtuduerunt, tantùm memoriæ poſterorum ipſi conſuluiſſent, non opus eſſet ea cura ſtudioque dicendi pro antiquis Maiorum noſtrorum monumentis, pro iure inſtitutoque noſtro, pro vaſtiſſimarum prouinciarum laude, quæ jam olim inſita erat omnium animis atque vigebat. Sed ſcilicet quia niſi per fabulas Syri, Perſæque de Africa nihil intelligunt, fecit inertia multorum ſæculorum: vt id audeant, quod ignorent, indocti homines nihil æſtimare, quod non viderint nolle credere. Itaque ignauiæ pretium ferunt, iactare quæ ſua ſunt, liberè alienam fa nam quaſi non eſſent, extinguere. Sed veniet in aſpectum atque in lucē erumpet (mihi credite) oppreſſa veritas: Docebimus quod humanitas Iudicis pati velle, quod ſtupor mentis veſtræ efflagitare videtur, nihil in hac difficile, niſi cauſam cognitionem fuiſſe. Neque permittemus noſtro vitio factum, vt patriæ

quid

Digitized by Google

quidquam, de cuius robore quidem decernitis audiente Deorum fortiſſimo Iudice de militaris diſciplinæ famâ atque exiſtimatione derogetur. Primum itaque diſputabimus, ſit ne Africa ab exteris nationibus aliquando ſubiugata? tum qua laude bellum nobiliſſimis regnis indixerit, atque geſſerit? quæ cum duo palam vnâ cum collegis fecero, perorabo.

MASIN. De bellis, qui rectè arbitrantur, ea vel ad vindicandam, vel ad propulſandam iniuriam, vbi ciuilis æquitas locum non habet, inſtituta rectè ſentiunt, eoque alterum offenſiuum fecerunt, alterum ad defenſionem neceſſarium, illud periculoſum atque difficile, hoc iuſtius ſemper ac facilius feliciuſque. Quo quidem poſtremo, quanta Africa Deus bone omni ætate præſtitit; quando vnquam vel laſſata bellis, vel fracta viribus pacem ab hoſte redemit, quando iura, legeſque peregrinas accipere coacta, non dare? quis terram expugnauit etiam inermem & vacuam, nedum incolis imperauit? imò quis adeo rudis ac barbarus, atque à maiorum noſtrorum geſtis alienus, vt ambigat Africam hoſtem vidiſſe, quem non eiecerit, pugnaſſe cum non vicerit, aut cladem accepiſſe, quam non maiore damno rependerit. Video Agripine quid cogites non te barbarum eſſe hominem qui iam dicere volebas ampliſſimum olim Carthaginis imperium euerſum ab Italis, atque deletum, à Vandalis Germaniæ populis nonaginta ſex annis occupatum, denique Arabum proluuio octo ſæculis eſſe poſſeſſum: Audio à te Numidiam Romanorum prouinciis aſcriptam: Tunetum D. Caroli auſpiciis expugnatum, Africæ partus aliquos vltra Atlantem ceſſiſſe Luſitanis. Expende verò quid ſentiam. Quaſi qui Carthaginem ipſam, ac fortè non totam Numidiam, ite. Africæ quâ vergit ad Sardos & Siculos littora velut importuni mures arroſerint, tot ampliſſima Regna Nubiæ, Æthiopiæ, Nigriæ, Guineæ, Mauicongi, Monumotapæ, Madagaſcaris vel occupaſſe, vel attigiſſe videri poſſint. Ignoſcite Auditores ſi dum latinè contendo non latinè pronuncio, non enim eò Latinorum Scriptorum induſtria penetrauit, ne dum tuba peruenit. Quis enim Æthiopiæ viſcera quis patriæ terminos vnquam emenſus eſt? Quis Nili fontem natalem, cuius ripis Africa ſe mediam diuidit, vel literis prodidit, vel diuiſione coniecit? Imò quis exterorum hominum proximũ Romanis Hiſpaniſque montem Atlantem calcare memoretur, aut cerneret? Viciſtis opinor nouâ ratione, quæ non adiiſtis, dico ſed ne vidiſtis quidem; rexiſtis prouincias, quas ne nomine quidem tenuiſtis; titulos atque inſignia nationum imperio veſtro ſubdidiſtis, quarum vix præſcripta littora frequentaſtis. Quaſi & ego iure dixerim Europæum Hannibalem, quia Siciliam tenuit, aut Aſiaticum Titum, quia Iudæam compeſcuit.

Sunt iſta mihi credite non veritatis, ſed laudis Poëtarum non Oratorum encomia, quæ ne deliniant nimium aures & animos auocent ab æquitate deſidero. Audes hîc etiam de Numidia cogitare, cuius fortiſſimum ducem Roma timuit atque ſuſpexit? victa eſt inquis, ſed à quo? Caio Mario, poſtquam quatuor Imperatores inſtructiſſimis copiis in Africam legati turpi dedecore rediêre? Quomodo? fraude propingui, qui Iugurtham contra iura gentium Romanis prodidit, Marioque tranſmiſit. De Luſitanis verò nihil excuſo: fateor ſteriles Africæ arenas, & rara promontoria ſubinde primos Goanæ Indiæ Exploratores tenuiſſe, & adhuc tenere: portus aut ſtruxiſſe ſibimet, aut ſociorum vſurpaſſe hanc iura gentium, mutuaque commercia, non vis & ferrum neceſſitatem impoſuit. Velles Agripine ne tantillum ſupereſſe naufragis ac penè conuulſis: Sinum vaſtiſſimum per menſis itinera nullum aperiri quo commeatus inſtaurent? quo aquentur? quo hibernentur? Non ea ſunt Afrorum ingenia vt neſciant miſereri. Taceo calores meridianos, quibus arua ſqualent exterorum hominum induſtria ſuperari domarique non poſſe. Ne verbum quidem de ſerpentum illuuie, quam Pompeiani milites poſt cladem Pharſalicam quauis ſtrage ſuperiorem execrati ſunt, cùm ſemianimem M. Catò trahebat exercitum, qui pœnè in Africa mori didicit, antequam hoſtem inuenit. Quid de ſerpente dicam qui Bagradam latiſſimum fluuium voluminibus ſuis inſtrauerat, cum in eum Attilius Regulus ampliſſimis copiis impreſſionem indixit? Laborabat exercitus in ipſis adhuc Africæ faucibus telis & clypeis, muſculis & arietibus inſtabat, vt Romæ

Digitized by Google

de interempto triumpharet. Sudarum eſt abundè, vt vnam de multis Africæ inquilinis ſerpentibus velut ampliſſimam ciuitatem armata vi ad deditionem cogerent. Itane vero? Qui ferres autem Romane miles aërem tam infectum & inclementem? pluuias ſerpentium denſitate conſtipatas? lacus & flumina de venenorum indole naturaque certantia? ſaltus ac nemora leonum, tygrium, pardorum, elephantum furore frequentata? ſi elephantorum aſpectum ne extra Africam quidem ferres, cum fortiſſimè pugnares? non dico quoties maritimas claſſes tuæ atque Aſiaticæ ſyrtibus, Naſamonum gentis noſtræ illiſæ atque diſcerptæ ſunt, propioreſque hactenus cladi fuerunt, quam pugnæ atque victoriæ: Cneum Pompeium Europæ atque Aſiæ Dominum ab ignobili Afro trucidatum, Sebaſtianum Luſitaniæ Regem, cum inſtructiſſimis ſignis copiiſque deletum à Mauris prætermitto. Non vereor enim iam eſſe aliquem, qui mecum non iudicet Europæis nunquam Afros vectigales fuiſſe, nedum victæ Africæ imperaſſe.

Mars. Europæis armis fateor Africa non tota ſuccubuit, nunc Muleaſſes ſi lubet caconicè Aſiaticas expeditiones, quâ fortuna & arte militari diſcuſſerint. Quod ſi fecerit, manebit Africam domi fortem inuictamque fuiſſe, nec aliena imperia tuliſſe.

Muleaſſ. Qui è mollibus Aſiæ gynecæis viri fortes euaſêre, ſunt pauci, Cyrus, Cambyſes Antiochus prior cùm Aſiam victor edomuit, de Africa nimium moleſta atque munita prouincia nihil cogitauit. Antiochum vero ſexaginta octo millia militum, & centum Elephantos educentem, antequam Ægyptum Africæ noſtræ ornamentum irrupit Ptolomæus ſeptuaginta quinque millibus occurrens vi retudit, atque continuit, quo factum eſt, vt qui bellum intulerat, pacem ipſe rogaret, quam Iudæa Ægyptiis tradita coëmit potiùs quàm impetrauit. Non felicior fuit Cambyſes Antiocho imò miſerior. Dum enim Aſiæ totius imperio potiretur, ô inexhauſtam dominandi libidinem! binos exercitus victores Africæ immiſit, hunc mari in Æthiopas, illum terrâ in Garramantas. Quid verò quid expectatis Auditores? Robur Aſiæ totius, & tot myriades omnium gentium in ipſo Æthiopiæ limine tantâ rerum inedia anguſtiiſque conflictantur vt iumenta in epulas diſtrahant; herbas in deliciis habeant, quæ cum omnia pauca eſſent, ſortiti præfecti decimum quemque militem lanienæ adiudicant, atque condemnant. Quæ facies militaris animi non iam ferro ſed dentibus, non Afros oppugnant, ſed ſuos expugnant, non vt victricia ſigna in Æthiopiam inferant, ſed vt ſemianimes efferant. Alter verò exercitus, qui Garamantibus imminebat congeſtis ab Auſtro arenis obrutus, nihil antiquius habuit, quam turpi fugâ perpetuum dedecus ſibi nobis gloriam in omnem memoriam comparare.

Mars. Quî factum ais Muſtapha, ne Africa victa ſit vnquam? terræne ſterilitas vt referunt, cœli inclementia atque ſolitudo, neminem exterorum in ſui amorem attexerunt?

Muſt. Requirebat totius corporis ſitus & tenor ætatis meæ cui deeſſe ſolet auctoritas, in hoc iudicio tacendi potiùs, quam dicendi veniam deprecari. Sed video quod ad me quoque grauiſſima officia quoque deferuntur, veritatis Aſcilum teſtem eſſe, non venalis eloquentiæ nundinatorem. Dicam itaque liberè quòd vel audiui à maioribus meis, vel ipſe ſubij.

Tribus è capitibus fortitudo domeſtica cernitur, *naturâ, arte, exercitatione.* Natura educatione alitur, ars mathematicis potiſſimum præceptis. Exercitatio ſuburbanas luctas, curſum, digladiationem, venationemque complectitur. Educationi nihil defuit vnquam ad militem inſtituendum. Carthaginenſes quadrimis pueris vt obdureſcerent ſuccida lana vena verticis inurebant, non ferro & igne abſtinebant pij parentes, vt tenera filiorum membra ad militiam fingerent; Adoleſcētibus verò ad aras præibant, vt in excidium Romani nominis Sacramentum dicerent, vitamque & caput patriæ ſaluti deuouerēt. Quid Æthiopes? qui editorum infantium frōtem ſtigmare adurunt, vt iam hinc aſſueſcat ferro & vulneri: cùm autem paululum proceſsêre, auibus quas diuerſi generis maximas educant ſublimes imponunt, eoſque cuius ſint ſpei, periculo internoſcunt: Si intrepidi ſunt, amant; ſi pauent tanquā degeneres feris aduouent, atq; condemnant. Ægyptij verò & eſum piſciū ſibi familiaeq; in terdicebant,

Digitized by Google

dicebant,ne molleſcerent; & raſa puerorum capita,vt compingerentur,& vim ferre poſſint ardenti ſoli exponebant. Quid? quod & cibo veſci turpe puero fuiſſet,niſi prius centum octoginta ſtadia curſu confeciſſet? Poſſem de his plura dicere niſi feſtinaret oratio. VENIO ad mathematicas diſciplinas,quæ ab Ægyptiis gẽte noſtrâ primum inuentæ ſunt, quarum ſtudio in Africâ floruerunt. Vtinam. AA. non intercluderent temporis anguſtiæ orationem meam? oſtenderem ſanè,quam longâ omnium ætatum ſerie ingenia Afrorum hâc laude celebrata ſint: docerem Atlantis hûmeris, qui de curſu cœleſtium ſiderũ ſubtiliſſimè diſputauit,non immeritò cœlos à poëtis impoſitos: Ptolomæos, Theonas, Manethos Nacephos, Canones, Domoſtenes Dionyſios effeciſſe, vt ſtudia pœnè diuina ſuis ſcriptis & immortali labore ab interitu vindicata,in omnium oculis animiſq; verſentur:Quamdudum Hiſpaniæ noſtrorum hominum mathematicis academiis excultæ ſint, non prætermitterem: Teleuſiam vaſtiſſimam Libyæ ciuitatem mathematicis tyronibus magis, quàm mercibus & aduenis abũdâſſe. Ignoſce Meleti ſi liberè loquor quæ ſentio. Libet exclamare ô fœdam barbariem, quæ ex Æthiopiæ finibus in Aſiam emigrâſti! viget hic in illis ſolis iniuriis ſcietiæ ſtudium amórque diſciplinæ,quæ penes vos non recepta rantiſper ſed ne hoſpitata quidem eſt; agri atque tentoria diſcentium ardore complentur, acuuntur ad rectam laudem ingenia, ætas immutata certamini ſtylo deſcribit exercitus,de vallorum loricis rogat,pericula præcipit animo, caſtrorum ſpacia diducit atque caſtigat, vt difficilè nõ ſit cuiuis arma pro patriæ ſalute ac libertate geſtanti caſtra duodecim paſſuum millibus lata metari,quæ alio cùm ſint mora,quod crebro accidit,non videantur fuiſſe ſublata: nam areas plateaſque tantâ diſtantiâ dimouent,vt innumerabilis populus,qui egreſſus eſt,antiqua hoſpitia & diuerticula ſibi certis ſpaciis incluſa dignoſcãt,quaſi non noua repererit,ſed ad vetera remigrârit. De reliquis autem quid dicam:quis adeo ſtupidus eſt, qui luctæ, curſui, digladiationi in oppidis & ciuitatibus, venationi in ſyluis ac montibus loca non fuiſſe coarguat? Qui Maſſyllos, quibuſcum leonibus interdiu; Pœnos, quibuſcum pyratis noctu, Ægyptios,quibuſcum Crocodilis contentio quotidiana interceſſerit inermes affirmat & otioſos fuiſſe? Naſamones, Garamantas, Cyrenæos, qui naufragorum ſpoliis viuerent, ſeſe ſpoliandi arte pugnaſſe. Æthiopas latiſſimes populos, qui reliquam Africæ regionem inſident, qui ferinâ carne veſcuntur, qui cum belluis de imperio dimicant, in homine expugnando torpeſcere? audite obſecro viri grauiſſimi, qui adeſtis quid Franc. Fitelmanus in Æthiopum commentariis ætate noſtrâ retulerit. Sunt inquit in Æthiopibus ſacri ordinis milites qui candido pallio crucis inſigne præfigunt, ad bella pro aris & focis patriæ ſemper expediti. Addit homo Gallus ſanè doctiſſimus Regem viros ſtrenuos à regno legere ſolitum, quorum cutis leuiter inuſta cruce notaretur, ſic ad militiam primùm inſtitui, tum præeſſe demum iuſſi. Quid verò Benomotapæ populus? cui quando vnquam voluntas vel ſtudium defuit pugnandi? quem mediis agris & paſcuis Imperator circumlato Iaculo atque ligone monet agrum diligenter eſſe colendum, ac fortiter eſſe protegendum. Quid Dobades autem ferociſſimi gentium, qui lata lege niſi duodecim hoſtium interfecerint vxorem domum ducere prohibentur. Sed eò rem noſtram æſtimes velim Iudex, quod non Syrorum, Perſarum, Armenorum more dipugnant, non lineis galeis, non ſcutis è crate ſaligna contextis, non arborum cortice, non caprina pelle prætexti: Educet Aſia per nos licet Sybariticos homines, & plus tentoriorum explicet, quàm virorum: noſtrum eſt expugnatis ſolis ardoribus, quos illi vix ſentiunt, galea, lorica, clypeo, haſtaque ferreis edicto Regum Æthiopiæ in acie de ſumma regnorum decernere. Vide tu verò Iudex vtrum potuerint deliciæ cum hac indole, imperitia cum hac tam neceſſaria ſcientia,vtrum cum hoſte tam multiplici ſocietatem inire, & in Africa domicilium collocare.

MARS. Quid magni intereſt Adherbal domi ſub vmbra pugnare?extulit ſe in lucem aliquando ſpes iſthæc & Imperium virtute militari amplificauit? Quas exteras gentes illatis ſignis laceſſiuit? quibuſcum manus conſeruit, & ſuperiorem ſe Africa probauit?

Adherb. Qui feliciter rem patriæ adminiſtrari volunt, ij ab Imperatore ingenium, à milite robur, armatam à patriâ multitudinem exigũt. Quare qui dicam accidiſſe, vt toties Africa Europam in armis educatam ſubuerterit? (non enim de Aſiâ quæro turpe eſſet de effœminatis hoſtibus gloriari) niſi quia duces præfuere, qui viros fortes regerent, ſubita conſilia caperent, hoſtium conatus explorarent, qui exercitus locis difficillimis educerent? qui inſidias collocarent, ſeditiones componerent, militum metum diſſoluerent? teſtare Italia, nihil enim iam per me loquor, fatere quas ſtrages fecerint Hannibales, Hamones, Aſdrubales, etiam fœminæ bellatrices, ait Silius, loco pugnæ ſapienter eligendo, acie inſtruendâ, vel reſtaurandâ ruâque conturbandâ. Teſtare feliciſſime Imperator Cai Mari, qui turpiſſimâ proditione, non acie Iugurtham captum in vincula traxiſti: expertus etiam es, quanti valeant Africani commeatu ſuggerendo, fallendis obſeſſis, nunciis emittendis; Et ego ſæpe nemini Romanos dicere ſe tam Imperatorum noſtrorum induſtriam, quàm militum patientiam cum admiratione quadam intueri. Quis Amaſes, Soſoſtres non timuit, quis Syphaces, Iubas Amilcares non ſuſpexit? quis ſaluis illis de patriæ ſalute dubitauit? quis Reges Abyſſinorum (quos non à religione præsbyteros vt vulgo, ſed ab opibus pretioſos cum incolis nominamus) quis inquam otio damnatos ad luxum cenſeat, quibus proceres ne tantillum quidem indulgent, vt plus biduo liceat tentorio contineri? fuit ſemper in Æthiopum legibus, quod crudâ carne ſuffarti delicias barbara non admiſerint, regius animus, qui exemplo fortium pati, agere cum laude didiciſſet. Fuit etiam in Elesbaan (quo Viro Dij immortales eâ roboris ſcientiæ virtutiſque coniunctio, vt an illud bello magis an hæc Reipublicæ præfuiſſet, tota Æthiopia contenderet. Fuit in Zara non minus bellicæ feritatis, quàm in aliis potẽtiæ ſpecimen. Sed fuit inquam: Nunc etiam Dauides, Claudios, Adamantes priſtini decoris hæredes Aſiatici venerantur, Ægyptij celebrant, Indi colunt, Hiſpani ſocietatem ineunt, pacémque ſanciunt. Enim verò ne vires defuiſſe audacibus inceptis arbitremini, quam numerus pœnè innumerabilis militum ab Africâ emiſſus ſit aliquando, & admitti poſſit attendite.

Muleass. Carthago vnica Pœnorum, qui trecentes vrbes incolebant, ciuitas à Romanis obſeſſa ſeptingenta hominum millia quotidie intra mœnia paſcebat, quorũ ducenta millia neceſſitate compulſa ſe armis exuerunt, & cum tribus millibus machinarum militarium, patriam hoſti ſe pænè ſeruituti tradiderũt. Quis hic fuiſſet exercitus ex incolis vnius ciuitatis, ſi nòn cõpreſſa tempeſtas tantiſper ac ſuffocata intercidiſſet: ſi trecentæ aliæ Pænorum ciuitates ſe armaſſent! ſi Ægypti Rex ex octodecim mille ciuitatibus ſexcenta ſexaginta millia peditum, viginti quatuor millia Equitum (quod à Soſeſtre factum Diogenes meminit) eduxiſſet? ſi Nubia, Æthiopia, Guinea, Nigria æquè vaſtiſſima imperia coniuiâſſent, à quibus quanta proluuies hominum hodierno die commeet, vt Prouinciarum limites defendat aliquando, non ex me ſed oculatis ipſis Oratoribus Luſitaniæ Regum atque quæſtoribus paucis accipite.

Insula Nili exigua ac pænè contemnenda in Æthiopæ finibus tria millia armatorũ in hoſtiles agros emittit, & foris educat. Ioannes verò magnus Abyſſinorum Imperator qui ſexaginta quinque regna interioris Libyæ moderatur centum quinquaginta armatorũ quotidie ſub duodecim ducum imperio conſtipatur veluti cuſtodia corporis: Cum verò ſtatiua mutantur, & aliò commigrat tam innumerabilis hominum copia comitatur, vt propter frumentum, quibus tamen abundant inopiam vltra quatuor menſes ibidem hærere nõ debeat, nec intra decem annos reuerti. Ita meminit Andreas Coſalus Florentinus, qui in eodem comitatu fuit. Franciſcus verò Aluarus è mõte ſupremo ſe Regiæ Clientelæ ordinem ac multitudinem tantam ait deſpexiſſe vt terra quaqua verſum duodecim miliariũ ſpatio ſic operiretur, quemadmodum Chriſtianorum plateæ in ſupplicationibus maximis. Adiungit aliud non minus mirabile quinquaginta millia mulorum ac totidem pænè equorum à ſociis numerata, ſexcenta millia modiorũ frumenti quotidie diurno cibo fuiſſe ſublata: ſex mille armatis tentoriis regiam aulam fuiſſe contentam: militum verò delectum, quos paucis diebus celerri-

mè

Digitized by Google

mè conuocat, decies centum millia numerũ excedere. Parua ſunt hæc AA. ſi cum reliquis comparo. Anno enim 1516. datis ad Emmanuelem literis ſpondet ſe inſtructiſſimam claſſem mille nauium alere velle, innumerabilem hominum armatorum exercitum cõflare ac millies centum millia drachmarum aurearum, id eſt, ſubducto capite ex ære vniuerſo triginta milliones in belli ſubſidia atque alimenta dependere. Si Mauris Luſitani, Turcis Itali atque Germani manus inferrent. Quid verò? nonne tolerabilis fuit è tot Regionibus collecta potentia. De Angolæ Regno vltra Atlantem ſito nec magno illo certè nec contemnendo, quis credat quod certiſſimæ literæ præſentium è Societate IESV noſtra Religioſorum virorũ teſtimonia Comprobarunt. Cum Luſitanorum claſſem anno elapſo ſæculi octogeſimo ſuis euertere finibus Rex Angolæ omni ope contenderet, tres centum millibus hominũ pauciſſimis diebus euocatis obuiã iuit atq; precurrit.

MARS. De Amazon. Muleaſſes ecqua vetiras?

MVLEAS. Hebræa hiſtoria Byzantii excuſa typis facit vt credam, non Amazones, quod veteres arbitrari ſunt, ſed fæminas tantum bellatrices Africam gignere, trecentas earum conſtanter pro trium regnorum iure non ita pridem decertaſſe: Situs ac mores earum, quos Iudæi inſtitores literis prodiderunt, ita perſpecti ſunt, vt credam alibi fictas, hîc genuinas eſſe. Nihil tamen magnopere diſputo, ne tam imminuta potentia fæmineis viribus ſtetiſſe aut commendata fuiſſe videatur.

ADHERBAL. Nunc venio ad te Agrippine calamitatis ac ſeruitutis Europææ cicatrices detege fac aliquando vt nemo ignoret, te non tam verba vendere, quàm veritatem intueri. Quæ veſtra tam inſtructa viribus armiſque reſpublica Pœnorum impetus retardauit? non iam Siciliam nauali bello, Guineis occupatam, Corſicam atq; Sardiniam, priuſquam hoſtem viderat victam & cadaueribus obrutam: non Hiſpaniam ter ſuperatam, vaſtatam Galliam, aut in Societatis leges coactam commouere. Triginta millia Afrorum excidio cũ traiectus Alpibus eſſet exercitus, nihil vetitus eſt caput Imperii, atque arcem omniũ gentium, deletis Italorum acie, binis conſulibus interemptis Paulo atque Flaminio etiam infeſta prouincia Romam concutere, atque orbis terrarũ imperiũ pomariis vnius vrbis includere. Quod cum dixi oſtẽdi opinor orbem terrarum a Pœnis & Numidis debellari in hâc obſidione potuiſſe. Græciam non minore fato Carthago mulctauit, claſſes numeroſas ita cecidit, vt funditus interirent, Cyprũ Amaſis euertit, Mauri ter Hiſpanias vſque ad Pyrenen (ſi Cantabros & Aſtures eximis) non vectigales ſibi modo, ſed ita contuſas reliquêre, vt bienio trecentorum millia Hiſpanorũ collectis ſignis ad internecionẽ vſq; deleta ſint. Quid igitur in Europa reſtabat? Quid inacceſſum Romanis, Quid Græcis incognitum, quid inauditũ Syris & Perſis, quod non Seſoſtris Rex inuictiſſimus audiit, quod nõ infregit, atque conuulſit? Thraces ſecurũ ſui genus impauidum ad arma proiectum obſedit, euertit, Scythas Boreales à quibus amicitiæ fœdera nulla reſpublica vel promiſſis, vel minis extorſit, quorum vix Aſia atque Europa tota ſuſtinuit imperum? ſub inuiis plagis euicta frigoris niuiumque pertinacia vltro inuaſit, edomuit, atq; hæreditaria ſeruitute, Ægyptiis Regibus mancipauit. Eadem belli tempeſtas, Medos, Parthos, Syros, Perſas, Arabes profligauit. Aſiam deniq; totam quà longa eſt, ad Indos, quà lata eſt, vndiq; imperio ſuo poteſtatique ſubiecit. Et Æthiopũ Reges ad Indũ & Gangem & quod vltra eſt explicatis ſignis, tubiſque cõmearunt; quod reliquũ erat Aſiæ, remotũ ab humano cõmercio, non ſemel tributariũ Africæ reddiderũt. DIXIMVS nunc opinor Imperator de domeſtica pace, de bellis illatis, victoriis conſecutis, nõ quàm debuimus pro antiqua dignitate prouinciæ ſplẽdidiſſimè, ſed quàm breuiſſimè adducto ſtylo potuimus. Quare qui ad illud imperiũ orbis gentem tuis ſtudiis exercuiſti ſapientiſſime Iudex, qui nihil tam abditũ eſſe voluiſti, quod nõ armis & potẽtiæ noſtræ ſubſtratũ aſpexeris, decerne, quod regiones à natura munita, quod preſtantia virium, quod ingeniorũ copia, quod educationis vtilitas quod exercitationum fructus poſtulant, quod Imperatorum induſtria, munus militũ, latiſſimę vnde quaq; victorię iudicio à te cõtendunt aggredere: E ſubſelliis æquitatẽ, quam etiam bello vindicare ſoles integram inuiolatamq; tenere, fac omnes intelligãt, ie vel maximè in Afrorum fama gloriáq; conſeruanda

tuum

tum? Numen impendere Ac illud in primis ſtatue,quidquid pro noſtra patria,ne inuidia opprimeremur attulimus,non ex Afris,qui tibi ſe devouerūt,ſed è Latinis & Græcis hauſiſſe,qui vncti coronatique ſub platanis,Apollini,non tibi, ſtylo non gladio,ſub vmbra non in atena,adulationi non amicitiæ ſeruiunt. Ex illis tot buccinatoribus Europæ atque Aſiæ laudem quam pauci nudæ veritatis aram frequentarint;Hoc etiam attēde è bellis tam multis quot infelicia , imò infamia,quæ ciuilia , quibus regionum ſuarum vires eneruarunt,quàm noſtris difficilia ſint ſempérque fuerint , edoce , denique vt dignitatem priſtinam,quia præ omnibus ſemper nationibus excelluit,per te ſtet & creſcat Africa rogat : per tot ſæculorū labores,per aras & delubra patriæ tuæ numini conſecrata per illam dexteram propitiam ſemper & fauentem obteſtatur , ne hodie maiorum numina poſthuma , trophæa de omni natione reportata, per te emorianrur & cadant, per quem nata ſunt & ad poſteros propagata.

Pro Aſia dicunt Meletius Eparchus, Policrates, Arimander.

MELET. Si nobis vel propter priſtini nominis auctoritatem aliquid ad dicendum audaciæ , vel propter vim veritatis ad perſuadēdum hoc loco fiduciæ nō accederet,ad indignationem iuſtam potius,quàm iniuſtam contētionem orationem meam conuerterem Iudices,neq; paterer Aſiam matrem omnium populorum à qua Europa atque Africa quidquid habuit , acceptum referre debuit, diutius rerum geſtarum fama laborare. Si quidem audio colonos Carthaginenſes,Indiæ Æthiopes,vbi nunc viuant recenſere , vnde orti ſint,nihili ducere;proinde quaſi nec ad indolem patria,nec ad diſciplinam inſtituta maiorum,nec ad fortitudinem ingenita vis naturæ,& inde ab agro Damaſceno deriuata conferret. Proinde ne pudeat moneo confiteri , vnde tam generoſus ad laudem erupit impetus : nolite,quæſo natalis omnium gentium atque nutricis terræ gloriam,à qua pronepotes veluti capite riuulos in abditiſſimas terras exemplo deduxerunt,nota deterior, quàm fas eſt obſcurare. Plus ego autem , quàm vos antiquæ dignitati Aſiæ non indulgebo,ſi video vos non magis prærogatiuam paciſci velle, quàm impietatis periculum intueri. Ego itaque cenſeo militatem ordinem capita potiſſimū tria complecti,opes ad rem gerendam , copiam hominum , robur armatorum. Quæ cùm breuiter attingam Iudex, velim cogites me eò non veniſſe,quod vereret ne quid patria pateretur,ſed ne memoriale Numen tuum,cuius exuuias Scythia noſtra meminit , indubium incertumque revocarent. Age verò vide vtquam Ingentem hoſpitio & fauore Numinis aluiſti ad gloriam , quam tu regionem vrna cinerum tuorum ſanctiſſima, atque tumulo ſupra vulgus extuliſti,hinc periutiis Africæ , inde Europæ arrogantiæ obieceris, Tempus iam eſt nō de ignitis Æthiopiæ latebris, ſed de regnis tuis tumuliq; dignitate decernere. Irrumpunt enim noui homines in veterē hæreditatis tuæ ſplendorem libertate dicendi , quam ne quis ad oſtentationem magis,quàm veritatem indagandam dicat eſſe compoſitam , grauiſſimorum virorum auctoritate confirmant, Quaſi nec locorum diſtātiæ,nec inſoſpitę regiones vel fictis fabulis,vel infida relatione deſcriptæ in indicio vacillent. Certè quod ad me ea cum ſubſcriptoribus dicam , quæ cognita ſunt omnibus atque perſpecta , & ita contendam vt fidem faciam ſingula fieri potuiſſe & facta eſſe. Quæro itaque quis tot ampliſſima vnquam imperia,vetuſtate prima , fama celeberrima Scythiarum. Mediorum ,Perſarum , Aſſyriorum , Chaldæorum belli alimento deſtituta inopia fuiſſe, compreſſa iactant,vbi tantundem auri beneficio terræ,quantum æris alibi redundarit , quorum explicata ſigna fortiſſimi populi , Saraceni,Hunni, Turcæ,Tartari nouis ſemper victoriis locupletati circumtulerint,non per Aſiam modo,ſed Græciam , Ægyptiam , Thraciam,Illyricam ; terruerint Italiam,Sardaniam, Corſicam , Hiſpaniam incenderint atque vaſtarint,ſine domeſtico bello & militari ? quomodo Cathaium magni Chami imperium tot iam ſæculis ſeipſo niteretur? Iaponiæ limes qui poſſit ampliari,Chinæque conſeruari ? magni Mogoris frequentiſſima regna diſtendi,niſi Regum opes atque potentia cum fortitudine militum,liberalitate , fides cum alterna fide

fide certaret? non fuit tam ignota gens Aſiæ, quæ non au tæ magnitudinis æmula collectis opibus auſa ſit concurrere fortiſſimos gentium. Quid enim? quid auri, argenti, gemmarum, vnionum vis, quam in vnam Aſiæ terram pœnè naturæ defodit? quid aurifera flumina? quid gemmifera maria magnopere efficere nō poterant, cum imperandi cupiditas acceſſiſſet: quæ tam munitas naturâ ciuitates, quæ tam horridis montibus aut ſiluis incluſæ regiones, quas etiam ſi ferrum Aſia non tractaret, auro doníſque non euerteret? Sed pudet. AA inuſitatæ ingeniis noſtris ignauiæ illius Europam, pudet Africam damnare, quarum illa Philippo Macedone non gloriatur modo, ſed felicem ſe prædicat altera Iubæ nomen, O nundinarores vrbium! faſtis & memoriæ poſterorum inſcripſit. Audiuimus, audiuimus ſanè aliquando, quam vellent fortitudinem bellicam, non ſuo milite nutriendo conſiſtere, ſed in hoſte pecuniis expugnando. Quod ſi Aſia iam pridem ſectari voluiſſet, minus ſe aliquanto, quàm iam Europa atque Africa iactaret. Mærerent fauillis obſitæ regiones, quæ nūc vigent, & afflictæ prouinciæ nihil tam tutū defendiſſent, quod non Philippici aſini donis onuſti, quod nō Iubæ in largiendo aſſiduitas à regibus noſtris reuocata tenuiſſet. Aperto Marte, non opertis nummorum cuniculis Aſia muros diuidit, & immortalem à ſæculo memoriam tuetur, quod vectigalia maxima ærariis publicis intulir, pari prudentiâ ac parſimoniâ militum neceſſitati ſemper impendit.

MARS. Tu quoque λακωνικῶς Arimander ſubſidium, quod in opibus eſt perſtringe.

ARIMAND. Iudæa non admodum magna Dauidis viri iuxta fortiſſimi atque optimi opera ſexcenties centum millia numu ûnau coum, ideſt ſexaginta milliones auri argenti verò mille millia talentû n: ideſt ſexcentos milliones argenteorum nummûm conflauit. Babylonia & ipſa vt pœnè minima, ita diuitiis pæne prima Xerxis copiarum id eſt decies ſepties centum millium hominum æra militaria impenſáſque belli quatuor menſibus quotannis ſola diſtraxit & ſoluit. Tanta verò in immenſo Antiochi exercitu auri copia defluxit, vt gregarii milites caligas auro pingerent, aureos clauos calceis ſuffigerent, haſtas auro præpilarent. Aſiæ quantula pars nori Romanis? tamen Antonio ſeptuaginta ſex auri milliones, Alexandro Macedoni trecentos ſexaginta quinque pretium amicitiæ & ſocietatis quotannis appendit. Sardanapalo ſeptingentos quinquaginta milliones annua vectigalia numerauit. Indiarum verò potentia hinc conici ſolet, quod vrbes? maximæ, frequentiſſimæ gentes, regna diſperſa ſint plurima Adenorum Regulus arce ſuæ ditionis tantam auri vim ſecluſit contra prædonum concurſus quantam cameli exportare bene onuſti non poſſent. De Rege Sionis nihil dico, cuius arx Machum à Tangutano principe intercepta propter argēti tres milliones vim tantum infelici gremio auri gēmarumque complexa eſt, quantum equi ſexcenti, totidem Elephanti non auehere nt. Quid Peguana regna, quæ Tharſis & Ophir olim vocata fuiſſe propter margaritarum atque auri copiam viri doctiſſimi perſuadentur. Quid Marta vanam ampliſſimam Regionem, quæ incredibili naturæ munere ternas quotannis pretioſiſſimas meſſes ad maturitatem vſque deducit. Quid de magno Imperio Magoris quod in viginti octo regna diuiſum Indoque & Gange terminatur. iam olim Auguſti ſæculo quinq; ciuitatum millia continebat. Referunt qui nuper certiſſima fide quæ oculis ipſi ſpectauerant, tradiderunt, Mendaum meri opolim Magoris duodecim leucas amplecti, nec vllam aliquam eſſe terrarum, quæ cum uetere Roma de diuitiis, amplitudine, baſilicis palatiisque deceiber. Regiū verò cum inter exfaciat octingentos Elephantos, ſeptem mil e Camelos ſuppellectilem deportare? quod eò facilius credat quiſpiam (ait Carnalius,) quod ad Sarcinas & proprios vſus eius Syndicus ſeptuaginta elephātos, ſeptingentos camelos alat & impendat. Venio ad Iaponiam quæ ſexaginta ſex regna complectitur. memoria proditum eſt omnem terram duplam meſſem quotannis maturare, ac Meacū vnicam vrbem, ducenta millia domuum vti Malaca olim, recenſere. Nangaſacum illi vel parem eſſe vel ampliorem. Tantam verò Regi potētiā vt pars aliqua Regiæ Orizæ ab agro Meacenſi collectæ (quātula Iaponiæ regione) venierit trigeſies cētenis millibus noſtratiū florenorū

MARS Cathayæ regnũ boreale cur ſupprimis?

ARIM. Doleo magnopere imperium tam vaſtum & ſplendidum ſerius ad aures ſcriptorum deſcendere. Aſiæ pænè potentiſſimorum iam Imperatorũ famam & experientiam prius quàm ſtylum comptámque dictionem celebrare. Opeſeæ ſunt, vt tacere malim, quàm ne vacilletis in habenda fide ſuſpicari. Cambalum ſedes regia ſex germanicis milliaribus circum ſcribitur; ampliſſimæ vrbis domus omnes ita elaboratæ, vt palatiis Europæis ab aduenis aſſimilentur, diuitiæ tam immenſæ, tam profuſæ cuiuſque ciuium, vt quotidie mille minimum quadrigæ ſericis ornamentis onuſtæ (mitto reliquas merces) aduehantur, totidem emittantur.

MARS Chinarũ tandẽ vectigalia ſubſtringe.

ARIM. Si fuit res vlla Iudex, cuius deduci ad certa capita membra non poſſint, exiſtimo illa in vno Chinarum Regno non ſemel reperta eſſe, non quod terrarum ambitus exuperet magnitudine reliquas, ſed multitudine ciuitatum: eæ quæ ter mille quingentæ & ſex omnes manibus vallibusque munitæ: pagi prætereà plurimi, vicique infiniti magnis Europæ ciuitatibus pares. Dicas vniuerſim ciuitatem eſſe non regionẽ, nihil addo nihil amplifico. Paulus Venetus metropolim gentis Paguinũ triplice muro cinctũ anno 1260 adiit quadraginta milliaria belgica, eius pomœria definiuit, pontes lapideos quos naues erectis malis ſubintrant duodecim mille ſupputant alii, vti ſex mille in Singuina ciuitate. De vectigalibus autem quid referam? è decimis agri & cenſu capitum ſingulorum ſexaginta quinq; auri milliones annuatim numerantur. Omitto regium fiſcum, paſtionem, mercimnoia mutua incolarum cis vltraque contracta è cæteris longè maxima. Eportoriis verò quantam 16 hauriat? Cum Cantoriæ ſterilis pænè portus continenti Sinarũ obiectus, decem miliones merciũ nomine importatarũ in ærariũ conferat. Deniq; communis Luſitanorũ vox eſt, Africæ ſimul atq; Europæ vectigalia ſola Chinenſium non attingere.

MARS. Eparche quantus militum numerus tam inaudita diuitiarum ratione metuit?

EPARCH. Vtinam mei muneris eſſet Imperator rationum grauiſſimarum pondere de exercitatione atque ſcientia gentis bellica potius & feroci indole verba facere, quàm armatorum multitudinem recencere: iudicaretis opinor, & Tartaros per domeſtica & quotidiana certamina, & Turcas propter legitimam bellandi rationem, & Indos propter tormentorum vim bellicorum, & Iapones propter inuictam audaciam, & Chinenſes propter rei militaris diſciplinam, meritò de hoſtibus triumphare. Vos mecũ ipſi Auditores & tu Iudex Sapientiſſime diceretis, Tangutanos qui mille retro annis hiſtoriã gentis typis expreſſerint qua iam pridẽ arte ſe iactat Europa, nobilitatem ad Maiorum facta imitanda æmulatione laudis incendere, Iapones qui ſex ampliſſimis academiis viginti duo millia Iuuenũ ad magnitudinẽ Iaponii nominis tuendam propagandãq; ſtudiosè fingũt & erigunt, ab auitæ fortitudinis fama nunquã eſſe deiectos. De Turcarũ inſtituto, qui nobilitatem definiunt ſola virtute militari, nihil dicam. De Biſnaganis, qui contundi ſe quotidie vſq; ad luxationem membrorũ iubẽt, vt horreſcant, ſilebo. NAIRES naturæ potius portenta, qui ſeptimo ætatis anno arma ſuſcipiunt, extrema ſenectute deponant, non comprehendam: Neque enim opinor dicere me apud eos qui cum audiũt Aſiaticos palã vicere, indolem educationemq; neceſſariam ac pugnæ modum eos exiſtiment ignorare. Quare decurram breuiter exemplo tuo Muleaſſe recenſitas omnium regionum copias, rationemque ſubducam. Lahii Parthiæ, Caduſi Scythiæ, Turcæq; Tartareæ populi auguſtiſſimi, ducẽta millia Tigranes Antigonus, Mithridates & Iapones trecenta millia, quadringenta Equitum millia Parthiſin arma cõſciſcunt. Antiochus ſexcenta millia militum trecentorũ falcatorũ curruum Exercitum, ſexcenta millia Iudæorũ Moyſes armauit ſexcenta ſeptuagintaſex millia Troiani, Arabum copiæ in ſex ampliſſimos exercitus diſtractæ lõge maiores trium mille trecentorũ & ſexaginta nauium claſſe coniunctæ. Darius delectum decies centenûm milliũ fecit, quem Mogorũ exercitus regius aut æquat aut exſcedit, in quo etiã; illud memorabile accidit, turritorũ Elephantum millia quinquaginta armata proboſcide crudeliſſimè deſæuire. Perſes Darii filius decies cen-

tena.

Digitized by Google

tena millia militum aluit, quater mille nauium conflauit. Pegnanus verò Rex decimũ ſuæ plebis excitum, decies centenorũ & ſexaginta milliũ æſtimauit. Tamerlanes Armenorũ è ductore gregis Imperator duodecies cẽtena millia, è quibus Equitum millia quadraginta. Xerxes cuius exercitus non vnum flumen exhauſit, etſi decies ſepties cẽtena hominũ millia triremium biremmiumq; quater mille atq; ducentas congeſſerit, tamen hoc Semiramis præſtitit, quod ter decies cẽtena millia peditũ, quinquaginta equitũ millia in hoſtem immiſit, centũ mille currus armavit. Hoc NINVS clariſſimus Aſſyriorum ductor exceſſit, quod decies ſepties cẽtena millia peditum Equitum ducenta millia cenſuit, curruum falcatorum centum mille confecit. Deniq; pauciſſimis non tarò diebus è ſeptuaginta duobus millionibus ſubditorum vigeſies centena millia armari ad regium nutum China conſpexit.

MARS. Vnde tot legionum Aſia præ cæteris nationibus delectum inſtituit obſtupeſcendum?

EPARCH. Quia tunc etiam cum de bello nemo loqueretur, domi pueri iuuenéſque gladiis haſtiſque pugnabant. Quo factum eſt, vt Alexander profectus ad extrema Perſarum è monte ſupremo ſimiarum agmẽ armatarum deſpexerit, quæ galeatæ balthcóque ſuccinctæ in alterna pectora more atq; exemplo gentis arma vertebanit. Quocirca inſidias primũ veritus, claſſicũ cecinit, exercitũ victorẽ terrarũ omniũ congeſſit in aciem: ſigna erexit; ſpeculatores emiſit; demũ è captiuis errorẽ accepit: ſcilicet non admodũ difficile eſſe narrãt ibi animalia bruta pugnas auſpicari, vbi iuuentus prælia prope quotidiana ſtuebat.

MARS. De victoriis trophæiſque Aſiaticis, Policrates pauca quæ reſtant perſtringe.

POLICRA. Ea duabus potiſſimũ rebus continẽtur: hoſtili calamitate, prouinciarũq; alienatione, quarum vtra ſpectabilior, & glorioſior Aſiæ ſit, neſcio. Relatũ in tabulas à nõ obſcuro authore notauimus, Iaponem vnũ à centũ cęteris militibus interceptũ omniũ fugæ, vulneri, mortiuè nõ tarò ſupereſſe: ter mille Turcas (potẽtiam enaſcentis illorum imperij) triginta perſonatum millia deleuiſſe. Parthos ſex legionibus proſtratis Antonium fugaſſe. Craſſum cum filio ac toto Romanorum exercitu funeſta clade ad interneccionem ſuſtuliſſe: Valentem Cæſarem ab huius igne conſumptũ fortiſſimũ militem ſeruituti gladióq; deuotum. Incenſam à Scythis non ſemel Græciam atq; Thraciam, Adriano-polim cum ciuibus centũ mille flammis extinctam, de quibus verba non facerem Iudex, niſi viderem mirari ſolitos aduenas, quæ ne apud nos quidem celebrantur. Quid iam autem cum à Gedeone centum viginti millia Madianitarum interfecta? à Phacea tantũdem Iudæorum, quorũ calamitatem ducenta millia deflerũt. Quid Turcas poſtquam Syriam, Perſiamque tenuerunt eò miſeriarum redactos eſſe à Tartaris, vt euerſis vrbibus, peſſũdatis regnis Azatines è fuga dilapſus & regia dignitate priuatus Byzantium venerit, à Ioanne Duca Cæſare auxilium ſupplex poſtulauerit, quo populũ imbellem ac penè exciſum aliquo regionis angulo ab incurſionibus vendicaret. Quid ſingulari prælio Gilimerem Africæ Regem à Beliſario captum gente Wandalica funditus extirpata? Quid à Narſe Gothos in Italia vno die ſimul omnes exciſos? Quid Baiazetem occiſis Turcarum ducentis millibus à Tamberlane comprehenſum, in caueam volucrum ac more ferarum coniectũ & circumductum? Parua ſunt iſta, ſi cum reliquis comparentur. Arabes enim tanta contentione Bizantiũ terra marique preſſerunt, vt humana cadauera impulſi diſcerpere mallent, quàm re infecta receptui canere. Quare inedia confecta arx omnium nationum trecenta millia ciuium fame enecata mox extulit. Tauricæ Rex octingentos mille Moſcos, quos partim vendidit, partim pueris occidendos tradidit, Coſdroës non multo poſt nongenta millia hominum cum Palæſtina proſtrauit. Demum elapſo ſæculo Sionis Rex vno bello centies centena millia, decem millia Peguanorum ferro flammiſque confecit. At verò ſi fortes nominati ſunt Medi ab Europæis, quorum numen etiam & vmbra Græcos terruerunt, coniicere demum licet, qua virtute Perſæ, Aſſyrij, Chaldæi, Arabes, Armeni, Barbari, Turcæ florentiſſimorum quorundam Imperatorum opulentiſſimas Aſiæ regiones vi armiſque ſubiugarunt, Europæos deliciis fracto-

Digitized by Google

eiecerint, ſingulæ nationes oſtenderint, ad Imperium orbis corripiendum nec vires defuiſſe, nec fata conatui repugnaſſe. Erupit tandem præclarus ardor & helleſpontum traiecit: Valerianum Cæſarem, Perſiæ Coſdroi ſubſtratam oſtendit dorſóque pronum dum Equum inſcenderet: Græcia capita Cæſarum aliorum non ſemel tributaria fecit Sarracenis & Tartaris: Darius Germaniam atque Moſcouiam, quam item bis Tartari. Hunni Germaniam & Gallias. Turcæ Ægyptum, Cyprum, Græciam, & Iſtri populos multis attritos bellis ſubegerunt. Indi Aſſyriam, Nigriam, Nubiam vindicarunt Perſæ Aſiam atque Europam proximis ſæculis deuaſtarunt. Arabes Aſiam, atque Africam & Europam aliquot ſæculis terra miraque poſſederunt. Denique Phoca regnante Orientis imperium Perſis, occidentis Scythis occidit, atque Orbis vniuerſus ingemuit duabus fortiſſimis gentibus vtrumque ſolem & omnium mortalium potentiam ſubiacere. Quæ ſi & Africæ triumphis ſuperiora & Europæis videantur matrem omnium gentium, Aſiam opibus militumque copia redundantem orbis terrarum non ſemel Dominam, quid eſt quod ſuſpicere de gradu deiici dignitatis, eorum lingua, quorum arma Aſiam non perſuaſerunt, ſed attigerunt modo: Non vtor ambiguo colore formaque dicendi: volo quod antehac paucis in iudicio contigit, niti cauſæ fiducia non precibus: ſtatue quod Deorum omnium ſuffragio teſtimonio tuo eſt iudicatum olim, vt nihil per te damni ferat, per quem oportuerat erigi. Recordare omnium animos tuo Numini deuotos præter bellica ſtudia nihil eſſe genti, quo delectetur nihil magni, quo famam æſtimationemque nundinetur.

Iudicium Martis.

Multum vobis patria viri Africani atque Aſiatici iam pridem debuit, quod licet Aduerſario-rum inuidia prematur, per vos tamen nihil amittat gratiæ apud eum à quo iudicium poſcitis. Quod quàm difficile futurum ſit facile intelligo cum proſecuti eſtis ea maximè atque extuliſtis quæ vulgi opinione recepta non ſunt atque denſiſſimis tenebris obſitam amplitudinem gloriæ, quam maiores veſtri poſterique meruerunt in lucem, atque in hoc palam iudicium reuocaſtis Neque enim ambigo ſanctè religioséque dicta, quæ conquiſitores vniuerſi in tabulas retulerunt aut mihi veſtrum aliquem mendacem videri malle, quàm preconem veritatis. Sed quoniam de iure diſceptâſtis, neque ita dixiſtis, vt examine dubio parem adepti dignitatem videamini, Ego quod Ius fas erit, ita iudicabo, vt non minorem victus laudem, quàm præmium & gloriam victor conſequatur. Ac primum quidem cum fortitudine polluit Africa, tum verò victoriis Aſiaticis fuit longè inferior. Magnum ſiquidem ac incultum orbem illa complectitur, ac neſcio cæli imperio atque aëris inclementiâ factum ſit, an mentis ſub illo calore meridiano deſidiâ rarius, ex antris & montibus, quàm Aſiatici migrarint. Enumeraſtis præclaros quidem duces, exercitus, quibus excelluit Africa, ſed Aſia vt omittam reliquos, modeſtè ſanè fortitudinis omnis authorem Chriſtum in humanarum contentionem venire non voluit; Et hoc Africa ſciebat tamen impietatis eſſe, vt in hominum numero non cenſeatur, vt non colatur, ingratitudinis, vt primas non ferat religionis. Hic nouo genere armorum caligantem orbem terrarum ac cælo reluctantem expugnauit, diuino imperio ſubiecit, Tyrannos fregit edomuit; mortis atque inferorum clauſtra nulli peruia diſſipauit. Quare quæ Chriſto qui noua bella eligit gloria debetur, ea non minus inuiolata ſententia, quàm armorum vi à me ſemper aſſerta eſt regio maximi ſemper æſtimata, quæ natalis eius excipit, exemplo fortitudinis eius expreſſit, & in animos poſterorum inſeuit.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERVM ET VERBORVM
QVÆ IN HOC OPERE TRACTANTVR.

Prior numerus paginam, poſterior columnam deſignat.

A

ABſalon fratris Ammonis interfector. 881. 2
Accuſationis artificium, partes Orationis, & Vſus. 853. 1
Acetum ænigmaticè expreſſum. 169. 1
Academiæ commẽdatio ex cauſis efficientibus. 123. 2

AD

Addubitatio, vſus definitio, ſpecies duplex verborum. 581. 1
Fit per contentionem. 581. 2
Addubitatio rerum laudanti conuenit, timenti, querenti, dolenti cui electio ſubiungitur. 382. 1
Hortanti etiam conuenit. 582. 2
Adiuncta animi bona, vel mala. 108. eorum regula 109. 2 valent ad facienda fidem per negationem & affirmationem 110. 1 ad exaggerandum, minuendum, exponendum, narrandum, ad laudem & vituperationem. 110. 1. 2
Ad ornandum per negationem, ad definitiones, & deſcriptione 111. 2 Cautiones huius locis. 112. 1
Adiunctorum ſplẽdor & fœcunditas 103. 1 definitio, diuiſio, tres illorum ſpecies, antecedentium, concomitantium, conſequentium, à loci ſanctitate 103. 1 2. temporis adiunctum. 104. 2
Adiunctorum modus quo res geſta eſt, valet ad laudem 105. 1. crimen amplificandum, valet in coniecturis. ibid.
Adiunctionem facultas continet inſtrumenta, quibus ad facinus aut virtutem vtimur. 105. 2
Adiuncta conſequentium & ſigna. ibid.
Adiunctorum congeries foris amplificationis vberrimus, & ad vitiũ exagerandum ampliſſimus. 106. 1
Adiectio verborum lumen. 528. 1
Admiratio valet in narrationibus. 3:0
Admonitio reuocat a vitio 579. 2. per Amphonã. 13. 1
Adoleſcentiæ mores. 107. 2. 327. 1
Adoleſcens procliuis ad lapſum. 31. 1. laus eius & commendatio. 696. 2. 697. 1
Adulatio 313. 1. mores & ingenium ſeruile adulatorum. 555. 1

Æ

Ælia, Laia, Criſpis Scortorum nomina. 159. 1
Æmulationis & inuidiæ diſcrimen, eius definitio, in genere demonſtratiuo dominatur. 489. 2. duplex eius ſpecies, mala cuius finis odium, bona virtutis æmulatio. 490. 1
Æmulationis incentiua maiorum virtus. 490. 2
Clarorum virorum egregia facinora. 491. 1
Nominis decus & ornamentũ. 492. 1. commẽdatio virtutis eius, quem proponis ad imitandum. ibid.
Æmulatio laud tollitur, & perſonarum, in quibus nihil dignum laude, omnia contemptu 492. 2. Tollitur externarum deſpicientia. 493. 1
Æneæ magna pietas in Deos, patriam, parentes. 666. 1
Æmulationis characteres. Magna ſibi pollicetur, dolet ſibi præripi laudem. 493. 2
Ænigmata. 142. 2. picta. 172. 1. per ænigmata res

 diuina

Digitized by Google

atuine exprimuntur. ibid.
Ænigmatum definitio,vſus ſuper menſam ad conuiuas capiendos, quo fine. 164.1
Ænigmatum multiplex genus.164.2.in litteris & ſyllabis. 165.1.2
Ænigmatica ſymbola. 167
Ænigmatica Eunuchi loquutio. 168.1
Ænigmatum forma & ſpecies.169.1. per meras negationes ad delectationem. 170.2
Ætatis cuiuſque mores. 327.1.2. virtus & perfectio commendatur ætatis cuiuſque. 619 1
Ætatis iuuenilis laus à virtute & continentia.ibi.
Ætheonei pudor & caſtitas. 653.1
Æthiopum ritus funebris. 739.1
Æthiopes aborigines,eorũ ſtemmata Cicadæ.592.2

A F F

Affectiones animi non eſſe extirpandas. 213.1. eſſe euellendas. 214.1
Illarum neceſſitas & definitio.321.2. Lactantio ſunt iuncto currui ſimiles, quem regat Oratio. Platoni Rotis quatuor, quas prudens Orator circumagat, variorum animalium partibus eidem: alis volucrum Zoroaſtri. 222.1.2
Affectionum vera definitio.322.2.numerus.323.1. duodecim illarum ſpecies, ſex à Cupiditate, ſex ab Ira.323.1. Diuiſio in πάθη affectus, & ἤθη morum imitationẽ,inter vtrumq; diſcrimẽ.324.1
Affectus vitioſi cum feris comparandi. 171.2
Affectus amantium. 171.1
Affectuum diuerſorum fontes,habitus oris & forma ad miſerationem. 328.2
Affectuum concitandorum methodus,illorum iterata ſæpe mutatio valet ad grauiores motus.330.331. Rerum & perſonarum adiuncta ad ciẽdos motus diuerſos aptiſſima, mores & ſtudia, fortuna, valent ad Iracundiam: ætas ad miſerationem, Indignationem, Iram, Contemptum: Patria, Imbecillitas ſexus, ad verecundiam & pudorem. 328 2.329.1. Communio ſanguinis & affinitas ad metum & ſtuporem, ibid. Locus ad commiſerationem, Indignationem, Æmulationem, Inuidiam. 329.2. Tempus & religio ad amorem & indignationem, ibidem: Modus ad odium & miſerationem. 330.1. Imago ad terrorem & dolorem. ibid. Morum probitas & vitæ ſtatus & conditio ad modus ciendos neceſſaria. 324.2
Affectus in ſe ſentiat & exprimat Orator, quos in aliis exprimere velit. 325.1

A G

Ageſilai de Clementia dictum ſingulare. 532.1
D. Agnetis Virginis virtutum enumeratio per compenſationem. ibid.

A L

Alexandro Satyrus applaudit in ſomnis, & victoriam portendit. 149.1
Allegoria quid,ũ eſt perfecta,cũ in illa reperiuntur ſimilitudinis gratia,& trãſlationis lepos.520.2
Allegoria ab vno & eodem genere, incipere ac deſinere debet. ibid.

A M

Ambiguum in vocibus homonimis. 58.2
Ambitio nimia in honorum appetitione damnatur, in iiſdem recuſandis modeſtia laudatur. 677.1
Ambitioſorum mores & ſeruitus. 678.2
Amoris & mortis comparatio. 86.1
Amor inſania. 171.1. eius Ænigma. 169. 2. ex Plutarcho. 171.1
Amor vt diuerſas habet formas,ita diuerſum nomẽ. 170.fœminini generis Deorũ vetuſtiſſimus.169.1
Amoris vis & poteſtas.170.1.varij amantium exitus. 171 1
Amor diuinus & charitas diligenter conſeruanda. 114.2
Amor multiplex,naturalis,rationis,amicitiæ.333 1
Amori ſacra faciant Spartani, & Cretenſes ante pugnam. ibid.
Amoris definitio, raritas. ibid.

H O N E S T A.

Amoris incentiua, Honeſta; Amor beneuolentiæ vilitatem non intuetur. 233
Amor pretium amoris, magnes eſt,virtus conciliat amorem;vita probitas. 334.1. Iuſtitia & innocentia efficax ad amorem, forma pulchritudo,nobilitas animi.335.Comitas & manſuetudo.336.1. Innocens & ſimplex vrbanitas. ibid Conſtantia, fidelitas. 336.2

I V C V N D A.

Amorem iucunda conciliant. 337.1. Communitas bonorum & malorum,morum & ſtudiorum ſimilitudo.338.1.fiducia, periculorum ſimilitudo, ſodalitas,conuictus. 339.1. Æqualitas. 339.1. Iniuriarum obliuio. 340.1

V T I L I A.

Amorẽ concupiſcẽtiæ cõciliant Vtilia,beneficia tela ſunt

Digitized by Google

ſunt amoris. 340. 2. *grati animi ſignificatio.* 341. 1. *Conſiliorum communicatio nutrit amicitiam.* 342 1
Amoris boni & improbi diſcrimen. 549.1

CHARACTERES.

Amoris diuini Characteres & deſcriptio, lacrymæ. 342. 2. *flamma.* 343. 1. *ſupplicia voluntaria.* 344.1
Amoris paupertas & vota. 344.1. *expoſtulatio.* 345.1
Amor de admiſſo peccato dolens & pœnitens. 346.1
Amoris motus varij, mors. 346.2

CHARACTERES AMORIS.

Amoris mali natura, deſcriptiones, Characteres. 347. 1.2.
Amoris inſani pictura, ſigna, inconſtantia. 348.2
Amor eſt pictor, Simia, curioſus imitator. 349.1. *Comes, amatæ rei præſentia delectatur, abſentia triſtatur.* ibid. *prodigus & ex prodigo pauper* 350.1 *præco mobilis, inquietus & ſic æger, vt medicinam non admittat.* ibid. *Inſanus & ſtultus, inſomnis, Amoris ſpina.* 350.2. *Mutus & loquax, Timidus eſt & mali præſagus.* 351.1. *Audax ad pericula, ſuſpicioſus & Zelotypus.* 352.1 *Sui contemptor & præ amata re omnium negligens.* ibid. *in proprio corpore mortuus, in alieno viuit.* ibid. *Cultum & curam corporis abiicit.* 352.2. *conſtans periculorum ſocius, & in amicitia ſemel inita perpetuus* 353.1. *Contemptus furit, in odium verſus.* 354.2. *exprobrat beneficia* 355.1. *lacrymis loquitur, dolet, res gerit, decipit, blanditur.* ibid.
Amor ſapiens ſi ſoli Deo adhæreſcat. 355.2
Amoris naturæ cognitio, & eius effectorum Oratori neceſſaria. 356 2. *loquentis Idea ex effectis.* 357.1

AMORIS REMEDIA.

Amoris improbi remedia, difficultas. 358.1
Amor coguitus eius deformitas. 358.2. *Infamia.* 359.1. *ſuſpicio venenum amoris, diſſenſio iudiciorumque diuerſitas.* ibid. *Deſperatio in amore damni plurimum, vtilitatis nihil.* 360.1. *malorum officina.* ibid. *erratici, inconſtantis, faſtidioſi amoris inepta non iudicio, ſed furore ducitur.* 360.2. *Matura reſiſtentia.* 361.1. *occupatio, caſto amore malus depellēdus.* 361.2. *Abſentia fax amoris extinguitur.* 362.2. *tollitur amoris æſtus loci mutatione.* 363 1
Amplificationis vis & definitio. 220.1 *illius ab argumentatione diſcrimen.* 220.2. *Materia, tractatione, fine differunt, per totam Orationem ſpargitur, ſed in peroratione regnat atque dominatur.* 222.1. *rebus conficitur & verbis illuſtribus.* 22.1. *tranſlatis, ſuperlatis.* 222.2. *Epithetis duplicatione, congerie verborum, ſententiarum.* 107.2. *quibus coaleſcat, & grandior fiat amplificatio.* 22c.1
Amplificatio rerum ex quibus locis ſumatur. 225.1. *tum adhibetur coaceruatio rerum, & congeries verborum cùm incaleſcit Oratio.* 225.2. *valet ad motus grauiores.* 227.2, *cauſarum congeries & effectorum valet ad amplificationem.* 234.2
Amplificationem reddit illuſtrem claſſis contrariorū. 236.2. *congeries concomitantium & conſequentium valet ad exaggerandum.* 236. 1. *Adiunctorum congeries fons amplificationis vberrimus.* 238.2. *per dubitationem cum ſuſtentatione.* 240.2 *per Incrementum fit efficax.* 239.2. *Extenuatio grauiorem reddit amplificationem: ad inuidiam, increpationem, vitij turpitudinem, aut virtutis pulchritudinem ſubiiciendam.* 240.2
Amplificationis fons alter comparatio quæ diuerſa inter ſe & contraria & maiora cum minoribus comparat. 242.1. *Congeries exemplorum rem mirè amplificat.* 243.2. *aſſumptorum locus.* 244.1. *teſtimonia diuina & humana.* ibid.
Amplificatio quibus figurarum ornamentis varianda. 244.2. *Hypotypoſi, Proſopopœia, Exclamatione, Apoſtrophe, interrogatione ſpiſſa, Obſecratione, Optatione.* 249.250

AN

Anagramma ἀνατιδισμός. 57.1.2
Analyſis vocum elementaris, numerica Adam. 59.2
Anaphora ad Orationis ornatum, & motus ciendos adhibetur. 522.2. *delectat, monet, amplificat.* 523.1.2
Angelus Pacis. 821.822. & ſeqq.
Angeli cuſtodis in nos officia charitatis. 230.2
Angelorum volocitas & animi agitatio. 243.1
Anima virtutibus & gratia illuſtris. 615.1
Animi magnitudo quatuor virtutes cōplectitur. 655.2
Animorum varietas & diſſimilitudo. 325.1
Annominatio, varia eius ſpecies, vſus ad locum & facetias. 528.2
Annulus doctoris in auguratione. 725.2
Antecedentia duplicia temporis & probationis. 112.2. *Regula & canones* 113. 1. *vſus in affirmando & negando.* 113. 2. *ex multis antecedentibus elicitur vna concluſio.* 114 1. *ex vno antecedente plura inferuntur, quæ errorem faciant*

Digitized by Google

*faciant ad odium apta.*114. 2. *ad mitigandum dolorem.*115. 1. *ad confutandum cùm abſurda inferuntur ibid. ad permouendum* 115. 2.*ad deſcriptiones & Hypotypoſes.* 116.1

Antiquitatis commendatio ex effectis eius. 334.2

*Antitheſis ſubiicit, commendat, dominatur in exornationibus,ad delectationem & beneuolentiam aſſumitur.*547.1.*ad odium excitandum, ad lenes motus & vehementes apta.*547.2 *commiſerationem ciet & dolorem. ibid. ſtuporem facit & admirationem, & facetias & iocos.* 548.1

Antitheſis vſus ſimplex & compoſitus,acumen & grauitatem habet. 548.2. *membris aliquando contrariis conſtat contentio, & pugnantibus, idque per inciſa ad pugnam. ibid. fit per breuia interualla,* 549.2 *per negationes ad amplificandum efficaces, per comparationem,& contrarietatem ſenſus cum verborum inuerſione.* ibid.

Antitheſis. 264.1.*valet in exordiis panegyricis.* 268. 2 683 1

AP

Apollinis ambages Mileſiis fatales. 143.2

Apologia artificium. 856.2

*Apoſtrophe in exordiis.*269. 1. *vſus & definitio.* 568. 2. *valet ad vrgendum aduerſarium & increpandum. ibid. ad commendandum, cohortandum, ad commiſerationem apta.* 569.1. 2.*ad commonitionem, vituperationem in aliena perſona ſapè ſcelus reprehenditur.* 570. 2. *ad varios motus apta, delectationem, admirationem indignationem, ad res inanimas adhibenda, cùm in genere demonſtratiuo loca nominantur, in quibus aliquid actum eſt cum honore.*5711. *cùm gaudium exprimit alioſque motus.* ibid.

*Apotheoſis ſeu conſecrationis artificium.*741.2.*vſus definitio.*742.1.*mutatio nominis.*742.2. *perſona conſecrata.* 743.1.

Apotheoſis artificium qui differat à funebri Oratione. 749.1.*Pompa funebris, ceremonia ſeruare ſolita.* 743.2.745.1.*in nummis Apotheoſeos ſymbola.ibid.*

Aquila 745 1.*nominis Ethmon,cur rogo impoſita, Iouis ales* 745.2. *Immortalitatis ſymbolum.*746.1*nullo tangitur fulmine ibid. Quomodo pingatur in numiſmate.* 747.1

AR

*Ara cum foco & igne in conſecratione adhibita,*746.1 *diuinitatis ſymbolum.* ibid.

Arbor Indica naturæ miraculum. 10.1

Ardea ſublime volans homo cœleſtia appetens. 173.1

Arij vituperatio. 688.1

Ariſtocratia quid quis eius finis. 326.2

*Argumentationis vſus.*2121.*argumentandi varietas ex diuerſis formis oritur.* 212.2

*Argumentationis modus alter diminutio.*214 1.*tertius in exornationibus variis conſiſtit* .2142.*quartus fit Optando, Imperando,Communicando,deliberando, Exclamando.* 2142215.1

Argumētatio variatur variatis egreſſionibus & tranſitionibus,ſpecies illarum & forma. 215.2 216.1 2. *pro varietate materiæ variandus tranſitionis modus* 218.1

Arrogantia Didij Iuliani eſt ſua prædicare. 679.2

Arſomnium præſtantiſſima bene mori. 741.1

Artes liberales inimicæ diuitiis. 624.2

Artis ſubſidia. 8.1.

AS

*Aſſentator & auarus à conſilio remouendi.*629.1. *eius pictura.* 560 2

Aſtrologi fallaces & vani non audiendi, 597.1

AT

Atlas mons. 554.2

*Attributa perſonarum ad fortunæ dona.*106 2.*naturæ bona vel mala corporis ibid natio,patria, gentium mores.*107 1.*Ætatum ex quibus argumenta probationum deſumuntur.* 108.1

Atrium Eloquentiæ quid. 4.1

AV

Auaritia damnatur potiſſimum in Principe eius effecta per conglobata aduerſantia. 130.1

Auarus. 715.2

*Auari ſordidi pictura.*497,1.*eius Hypotypoſis.* 562.

Auditio pars exercitationis neceſſaria,diſciplina ſenſus 32.2

Aures eruditæ & paratæ ad audiendum afferendæ.ibib.

Auditionis præcepta non curioſa, non leuis,ſed malum, ſed ſollicita, diligens prudens. 32.2.

Vudiendi auidus ſermonem de virtute moriens Socrates. 33.2

Auguria, eorum diſciplina, 144.1. *captabantur ab auibus in bonum omen.* 144.1.2

Auguria firmantur, vt à Damone mendaci profecta, vt vana,vt incerta,ambigua,falſa,Auguria neglecta feliciter. 145.2

Aula

Digitized by Google

Aulæ blandimenta, illius vana omnia. 798.1
Aurora diei pueritia. 695.2
Auſpicia, quinque illorum genera. 144.1. *à cælo, ab auibus, ex Tripudiis, ex quadrupedibus, & Ruptilibus, ex diris & omnibus.* 144.2

B

Althazar ſacrilegus eius θεομάχιον. 172.2
Bellum rerum terribilium ardor. 153.1
Beneuolentiæ conciliandæ ratio, quibus illam Orator conſequatur. A ſua perſona ab amore ſuo in patriã, vel ab amicorũ petitione. 285.2. *vel ex officio publiciſque rationibus vel vtilitatis publicæ procuratione.* 286.1
Beneuolentia conciliatur ex aduerſariorum perſona, dùm illos in inuidiam & odium vocat Orator, ab illorum Iniuſtitia, Impudentia, Superbia, Crudelitate, Auaritia, Ingrati animi vitio. 286.2. 287.1.
Beneuolentia excitatur à perſona Iudicum vel auditorum, virtutum, quibus ſunt illuſtres commendatione, iuſtitià, Sapientia, Frequentia, cæteriſq; virtutibus. 287.2. 288.1
Branchardi Epicedium funebre. 739.1
Brenni reſponſum ad Legatos Romanorum. 616.2

C

CÆſaris capitis ornamentum. 62.1

CA

Callidi as larua prudentiæ improbatur. 631.1. *eius effacta. ibid. cancro ſimilis. ibid. duplex eius ſpecies altera quæ fraudibus quærit, quod aperta vi conſequi non poteſt: altera quæ belli furta facit & inſidias, vtriuſque laus & vituperatio.* 631.2. 632.1. *in bellis licita ſunt callidæ inſidiæ.* ibid.
Calumnia odiorum fomes, in illam pœna. 365.2.
Calumniæ imago. 861.2.
Cambaiæ rex veneno paſcitur, & halitu ſuo necat intuentes ſe. 723.1
Candelabrum eiuſque deſcriptio, 290.2. *commendatur à forma.* 121.1
Canis lignea Locris Ozolæ ſpinæ genus. 143.2
Carceris deſcriptio. 247.2
Caroli IX. ſymbolum. 173.2
Carolus ſimplex ante luſtralibus vndis aſperſus, quàm natus. 696.1
Caſtitas, eius commendatio, 198.1. *in adoleſcente & pulchro vt lubrica, ita laudabilis, vtitius propria principum.* 652.2
Caſtitas & pudor Æteonei iuuenis. 653.1
Caſtitatis hoſtes fugiendi, quæ fuga via virtutis eſt, & ſecura victoria, 654.2
Caſtitatis cuſtodes oculorũ demiſſio & modeſtia. 653.2. *Fuga malorũ, cuſtodia ſenſuum exteriorum.* 655.2
Caſtitatis adiumentum & argumentum pudicitiæ matrimonium in adoleſcente. Coniugium ſanctum. 654.2
Caſtus in ampla fortuna collocatus laudabilis. 653.1
Caſus in narratione expendendus. 294.1
Catonis in proſperis & aduerſis æquabilitas animi & conſtantia. 657.2
Cato librorum helluo. 34.1.
Cauillatio quatenus Oratori permittenda. 251.1.2
Cauſa quid in genere. 116.1. *agens & adiuuans, quieta & ſtolida.* 117.1
Cauſarum diuiſio. genera quatuor. ibid.
Cauſarum congeries amplificat. 233.2
Cauſæ materialis definitio. 117.2. *Triplex, ex qua, in qua, circa quam.* ibid.
Cauſæ materialis ex qua canones. 118.1. *vſus copioſus & multiplex.* ibid.
Cauſa materialis circa quam ad probandum, aut refellendum vtilis, 118.2. *ad hortandum & dehortandum, extollendum & eleuandum.* 119.1
Cauſa efficiens quid, multiplex procreans, Conſeruans, interimẽs, naturalis, moralis, impellens & ſuaſoria. 122.1.2
Cauſæ efficientis canones & regulæ. 122.2 *vſus & vis huius cauſæ, ibidem. Valet ad hortandum & dehortandum.* 123.1. *Ad ornandum & amplificandam.* 123.2
Cauſæ finalis definitio. 124.1. *Canones. ibidem. Vſus ad laudem valet, ad vituperandum.* 125.1. *ad motus ciendos aptus.* 126.1. *ad ſuadendum.* 127.1

CE

Certamen Aſiæ & Africæ de fortitudine bellica 882. 883 *& ſeqq.*

CH

Charitas in omnes in eos præſertim, qui ſua non curant, ſed aliena. 667.1
Chriſti definitio per congeriem. 49.1
Chriſtianus quid per negationem. ibid.

CI

Ciceronis Eloquentiæ commendatio. 10, 8
Ciconia pietatis ſymbolũ in parentes, eius numiſmata. 665.1

Digitized by Google

Adherb. Qui feliciter rem patriæ adminiſtrari volunt, ij ab Imperatore ingenium, à milite robur, armatam à patriâ multitudinem exigūt. Quare qui dicam accidiſſe, vt toties Africa Europam in armis educatam ſubuerterit? (non enim de Aſiâ quæro turpe eſſet de effæminatis hoſtibus gloriari) niſi quia duces præfuere, qui viros fortes regerent, ſubita conſilia caperent, hoſtium conatus explorarent, qui exercitus locis difficillimis educerent? qui inſidias collocarent, *ſeditiones componerent, militum metum diſſoluerent? teſtare Italia, nihil enim iam per me loquor, fatere quas ſtrages fecerint Hannibales, Hamones, Aſdrubales, etiam fœminæ bellatrices, ait Silius, loco pugnæ ſapienter eligendo, acie inſtruendâ, vel reſtaurandâ tuâque conturbandâ. Teſtare feliciſſime Imperator Cai Mari, qui turpiſſimâ proditione, non acie Iugurtham captum in vincula traxiſti: expertus etiam es, quanti valeant Africani commeatu ſuggerendo, fallendis obſeſſis, nunciis emittendis; Et ego ſæpe nemini Romanos dicere ſe tam Imperatorum noſtrorum induſtriam, quàm militum patientiam cum admiratione quadam intueri. Quis Amaſes, Soſoſtres non timuit, quis Syphaces, Iubas Amilcares non ſuſpexit? quis ſaluis illis de patriæ ſalute dubitauit? quis Reges Abyſſinorum (quos non à religione præsbyteros vt vulgo, ſed ab opibus pretioſos cum incolis nominamus) quis inquam otio damnatos ad luxum cenſeat, quibus proceres ne tantillum quidem indulgent, vt plus biduo liceat tentorio contineri? fuit ſemper in Æthiopum legibus, quod crudâ carne ſuffarti delicias barbara non admiſerint, regius animus, qui exemplo fortium pati, agere cum laude didiciſſet. Fuit etiam in Elesbaan (quo Viro Dij immortales eâ roboris ſcientiæ virtutiſque coniunctio, vt an illud bello magis an hæc Reipublicæ præfuiſſet, tota Æthiopia contenderet. Fuit in Zara non minus bellicæ feritatis, quàm in aliis potētiæ ſpecimen. Sed fuit inquam: Nunc etiam Dauides, Claudios, Adamantes priſtini decoris hæredes Aſiatici venerantur, Ægyptij celebrant, Indi colunt, Hiſpani ſocietatem ineunt, pacémque ſanciunt. Enim verò ne vires defuiſſe audacibus inceptis arbitremini, quam numerus pœnè innumerabilis militum ab Africâ emiſſus ſit aliquando, & admitti poſſit attendite.

Myleass. Carthago vnica Pœnorum, qui trecentes vrbes incolebant, ciuitas à Romanis obſeſſa ſeptingenta hominum millia quotidie intra mœnia paſcebat, quorū ducenta millia neceſſitate compulſa ſe armis exuerunt, & cum tribus millibus machinarum militarium, patriam hoſti ſe pænè ſeruituti tradiderūt. Quis hic fuiſſet exercitus ex incolis vnius ciuitatis, ſi non cōpreſſa tempeſtas tantiſper ac ſuffocata intercidiſſet: ſi trecentæ aliæ Pœnorum ciuitates ſe armaſſent! ſi Ægypti Rex ex octodecim mille ciuitatibus ſexcenta ſexaginta millia peditum, viginti quatuor millia Equitum (quod à Soſeſtre factum Diogenes meminit) eduxiſſet: ſi Nubia, Æthiopia, Guinea, Nigria æquè vaſtiſſima imperia coniuraſſent, à quibus quanta proluuies hominum hodierno die commeet, vt Prouinciarum limites defendat aliquando, non ex me ſed oculatis ipſis Oratoribus Luſitaniæ Regum atque quæſtoribus paucis accipite.

Insvla Nili exigua ac pænè contemnenda in Æthiopæ finibus tria millia armatorū in hoſtiles agros emittit, & foris educat. Ioannes verò magnus Abyſſinorum Imperator qui ſexaginta quinque regna interioris Libyæ moderatur centum quinquaginta armatorū quotidie ſub duodecim ducum imperio conſtipatur veluti cuſtodia corporis: Cum verò ſtatiua mutantur, & aliò commigrat tam innumerabilis hominum copia comitatur, vt propter frumentum, quibus tamen abundant inopiam vltra quatuor menſes ibidem hærere nō debeat, nec intra decem annos reuerti. Ita meminit Andreas Coſalus Florentinus, qui in eodem comitatu fuit. Franciſcus verò Aluarus è mōte ſupremo ſe Regiæ Clientelæ ordinem ac multitudinem tantam ait deſpexiſſe vt terra quaqua verſum duodecim miliariū ſpatio ſic operiretur, quemadmodum Chriſtianorum plateæ in ſupplicationibus maximis. Adiungit aliud non minus mirabile quinquaginta millia mulorum ac totidem pænè equorum à ſociis numerata, ſexcenta millia modiorū frumenti quotidie diurno cibo fuiſſe ſublata: ſex mille armatis tentoriis regiam aulam fuiſſe contentam: militum verò delectum, quos paucis diebus celerrimè

mè conuocat, decies centum millia numerũ excedere. Parua ſunt hæc AA. ſi cum reliquis comparo. Anno enim 1516. datis ad Emanuelem literis ſpondet ſe inſtructiſſimam claſſem mille nauium alere velle, innumerabilem hominum armatorum exercitum cõflare ac millies centum millia drachmarum aurearum, id eſt, ſubducto capite ex ære vniuerſo triginta milliones in belli ſubſidia atque alimenta dependere. Si Mauris Luſitani, Turcis Itali atque Germani manus inferrent. Quid verò? nonne tolerabilis fuit è tot Regionibus collecta potentia. De Angolæ Regno vltra Atlantem ſito nec magnoillo certè nec contemnendo, quis credat quod certiſſimæ literæ præſentium è Societate IESV noſtra Religioſorum virorũ teſtimonia Comprobarunt. Cum Luſitanorum claſſem anno elapſo ſæculi octogeſimo ſuis euertere finibus Rex Angolæ omni ope contenderet, 12es centum millibus hominũ pauciſſimis diebus euocatis obuiá iuit atq; præcurrit.

MARS. De Amazon. Muleaſſes ecqua veritas?

MVLEAS. Hebræa hiſtoria Byzantii excuſa typis facit vt credam, non Amazones, quod veteres arbitrati ſunt, ſed fæminas tantum bellatrices Africam gignere, trecentas earum conſtanter pro trium regnorum iure non ita pridem decertaſſe: Situs ac mores earum, quos Iudæi inſtitores literis prodiderunt, ita perſpecti ſunt, vt credam alibi fictas, hîc genuinas eſſe. Nihil tamen magnopere diſputo, ne tam imminuta potentia fæmineis viribus ſtetiſſe aut commendata fuiſſe videatur.

ADHERBAL. Nunc venio ad te Agrippine calamitatis ac ſeruitutis Europææ cicatrices detege fac aliquando vt nemo ignoret, te non tam verba vendere, quàm veritatem intueri. Quæ veſtra tam inſtructa viribus armiſque reſpublica Pænorum impetus retardauit? non iam Siciliam nauali bello, Guineis occupatam, Corſicam atq; Sardiniam, priuſquam hoſtem viderat victam & cadaueribus obrutam: non Hiſpaniam ter ſuperatam, vaſtatam Galliam, aut in Societatis leges coactam commonere. Triginta millia Afrorum excidio cũ traiectus Alpibus eſſet exercitus, nihil vetitus eſt caput Imperii, atque arcem omniũ gentium, deletabis Italorum acie, binis conſulibus interemptis Paulo atque Flaminio etiam infeſta prouincia Romam concutere, atque orbis terrarũ imperiũ pomariis vnius vrbis includere. Quod cum dixi oſtẽdi opinor orbem terrarum à Pœnis & Numidis debellari in hâc obſidione potuiſſe. Græciam non minore fato Carthago mulctauit, claſſes numeroſas ita cecidit, vt funditus interirent, Cyprũ Amaſis euertit, Mauri ter Hiſpanias vſque ad Pyrenen(ſi Cantabros & Aſtrures eximis) non vectigales ſibi modo, ſed ita contuſas reliquêre, vt bienio trecentorum millia Hiſpanorũ collectis ſignis ad internecionẽ vſq; deleta ſint. Quid igitur in Europa reſtabat: Quid inacceſſum Romanis, Quid Græcis incognitum, quid inauditũ Syris & Perſis, quod non Seſoſtris Rex inuictiſſimus audiit, quod nõ infregit, atque conuulſit? Thraces ſecurũ ſui genus impauidum ad arma proiectum obſedit, euertit, Scythas Boreales à quibus amicitiæ fœdera nulla reſpublica vel promiſſis, vel minis extorſit, quorum vix Aſia atque Europa tota ſuſtinuit impetum? ſub inuiis plagis euicta frigoris niuiumque pertinacia vltro inuaſit, edomuit, atq; hæreditaria ſeruitute, Ægyptiis Regibus mancipauit. Eadem belli tempeſtas, Nedos, Parthos, Syros, Perſas, Arabes profligauit. Aſiam deniq; totam quà longa eſt, ad Indos, quà lata eſt, vndiq; imperio ſuo poteſtatique ſubiecit. Et Athiopũ Reges ad Indũ & Gangem & quod vltra eſt explicatis ſignis, tubiſque cõmearunt; quod reliquũ erat Aſiæ, remotũ ab humano cõmercio, non ſemel tributariũ Africæ reddiderũt. DIXIMVS nunc opinor Imperator de domeſtica pace, de bellis illatis, victoriis conſecutis, nõ quàm debuimus pro antiqua dignitatẽ prouinciæ ſplẽdidiſſimè, ſed quàm breuiſſimè adducto ſtylo potuimus. Quare qui ad illud imperiũ orbis gentem tuis ſtudiis exercuiſti ſapientiſſime Iudex, qui nihil tam abditũ eſſe voluiſti, quod nõ armis & potẽtiæ noſtræ ſubſtratũ aſpexeris, decerne, quod regiones à natura munita, quod preſtantia virium, quod ingeniorũ copia, quod educationis vtilitas quod exercitationum fructus poſtulant, quod Imperatorum induſtria, munus militũ, latiſſimę vnde quaq; victorię iudicio à te cõtendunt aggredere: E ſubſelliis æquitatẽ, quam etiam bello vindicare ſoles integram inuiolatamq; tenere, fac omnes intelligãt, te vel maximè in Afrorum fama gloriâq; conſeruanda

tuum

tum Numen impendere. Ac illud in primis ſtatue,quidquid pro noſtra patria,ne inuidia opprimeremur attulimus,non ex Afris,qui tibi ſe devouerūt,ſed e Latinis & Græcis hauſiſſe,qui vncti coronatique ſub platanis,Apollini,non tibi, ſtilo non gladio,ſub vmbra non in arena,adulationi non amicitiæ ſeruiunt. Ex illis tot buccinatoribus Europæ atque Aſiæ laudem quam pauci nudæ veritatis aram frequentarint;Hoc etiam attēde è bellis tam multis quot infelicia, imò infamia,quæ ciuilia, quibus regionum ſuarum vires eneruarunt,quàm noſtris difficilia ſint ſempérque fuerint, edoce, denique vt dignitatem priſtinam,quia præ omnibus ſemper nationibus excelluit,per te ſtet & creſcat Africa rogat: per tot ſæculorū labores,per aras & delubra patriæ tuæ numini conſecrata per illam dexteram propitiam ſemper & fauentem obteſtatur, ne hodie maiorum numina poſthuma, trophæa de omni natione reportata, per te emorīantur & cadant, per quem nata ſunt & ad poſteros propagata.

Pro Aſia dicunt Meletius Eparchus, Policrates,Arimander.

Melet.Si nobis vel propter priſtini nominis auctoritatem aliquid ad dicendum audaciæ, vel propter vim veritatis ad perſuadēdum hoc loco fiduciæ nō accederet,ad indignationem iuſtam potiùs,quàm iniuſtam contētionem orationem meam conuerterem Iudices,neq; paterer Aſiam matrem omnium populorum à qua Europa atque Africa quidquid habuit, acceptum referre debuit, diutius rerum geſtarum fama laborare. Siquidem audio colonos Carthaginenſes, Indiæ Æthiopes,vbi nunc viuant recenſere, vnde orti ſint,nihili ducere;proinde quaſi nec ad indolem patria,nec ad diſciplinam inſtituta maiorum,nec ad fortitudinem ingenita vis naturæ,& inde ab agro Damaſceno deriuata conferret. Proinde ne pudeat moneo confiteri, vnde tam generoſus ad laudem erupit impetus: nolite quæſo natalis omnium gentium atque nutricis terræ gloriam,à qua pronepotes veluti capite riuulos in abditiſſimas terras exemplo deduxerunt,nota deterior, quàm fas eſt obſcurare. Plus ego autem, quàm vos antiquæ dignitati Aſiæ non indulgebo,ſi videro vos non magis prærogatiuam paciſci velle, quàm impietatis periculum intueri. Ego itaque cenſeo militarem ordinem capita potiſſimū tria complecti,opes ad rem gerendam, copiam hominum, robur armatorum. Quæ cùm breuiter attingam Iudex, velim cogites me eò non veniſſe,quod vererer ne quid patria pateretur,ſed ne memoriale Numen tuum,cuius exuuias Scythia noſtra meminit, indubium incertumque reuocarent.Age verò vide vtquam lugentem hoſpitio & fauore Numinis aluiſti ad gloriam, quam tu regionem vrna cinerum tuorum ſanctiſſima, atque tumulo ſupra vulgus extuliſti,hinc periuriis Africæ, inde Europæ arrogantiæ obieceris, Tempus iam eſt nō de ignitis Æthiopiæ latebris, ſed de regnis tuis tumuliq; dignitate decernere. Irrumpunt enim noui homines in veterē hæreditatis tuæ ſplendorem libertate dicendi, quam ne quis ad oſtentationem magis,quàm veritatem indagandam dicat eſſe compoſitam, grauiſſimorum virorum auctoritate confirmant, Quaſi nec locorum diſtātiæ,nec inſoſpitę regiones vel fictis fabulis,vel infida relatione deſcriptæ in indicio vacillent. Certè quod ad me ea cum ſubſcriptoribus dicam, quæ cognita ſunt omnibus atque perſpecta, & ita contendam vt fidem faciam ſingula fieri potuiſſe & facta eſſe. Quæro itaque quis tot ampliſſima vnquam imperia,vetuſtate prima, fama celeberrima Scythiarum. Mediorum, Perſiarum, Aſſyriorum, Chaldæorum belli alimento deſtituta inopia fuiſſe, compreſſa iactant,vbi tantundem auri beneficio terræ,quantum æris alibi redundarit, quorum explicata ſigna fortiſſimi populi, Saraceni,Hunni, Turcæ,Tartari nouis ſemper victoriis locupletati circumtulerint,non per Aſiam modo,ſed Græciam, Ægyptiam, Thraciam,Illyricam: terruerint Italiam,Sardaniam, Corſicam, Hiſpaniam incenderint atque vaſtarint,ſine domeſtico bello & militari? quomodo Cathaium magni Chami imperium tot iam ſæculis ſeipſo niteretur? Iaponiæ limes qui poſſit ampliari,Chinæque conſeruari? magni Mogoris frequentiſſima regna diſtendi,niſi Regum opes atque potentia cum fortitudine militum,liberalitate, fides cum alterna

fide

fide certaret? non fuit tam ignota gens Aſiæ, quæ non au t æ magnitudinis æmula collectis opibus auſa ſit concutere fortiſſimos gentium. Quid enim? quid auri, argenti, gemmarum, vnionum vis, quam in vnam Aſiæ terram pœne natura defodit? quid aurifera flumina? quid gemmifera maria magnopere efficere nō poterant, cum imperandi cupiditas acceſſiſſet: quæ tam munitas naturâ ciuitates, quæ tam horridis montibus aut ſiluis incluſæ regiones, quas etiam ſi ferrum Aſia non tractaret, auro donisque non euerteret? Sed pudet. AA inuſitatæ ingeniis noſtris ignauiæ illius Europam, pudet Africam damnare, quarum illa Philippo Macedone non gloriatur modo, ſed felicem ſe prædicat altera Iubæ nomen, O nundinatores vrbium! faſtis & memoriæ poſterorum inſcripſit. Audiuimus, audiuimus ſanè aliquando, quam vellent fortitudinem bellicam, non ſuo milite nutriendo conſiſtere, ſed in hoſte pecuniis expugnando. Quod ſi Aſia iam pridem ſectari voluiſſet, minus ſe aliquanto, quàm iam Europa atque Africa iactaret. Mærerent fauillis obſitæ regiones, quæ nūc vigent, & afflictæ prouinciæ nihil tam tutū defendiſſent, quod non Philippici aſini donis onuſti, quod nō Iubæ in largiendo aſſiduitas à regibus noſtris reuocata tenuiſſet. Aperto Marte, non opertis nummorum cuniculis Aſia muros diuidit, & immortalem à ſæculo memoriam tuetur, quod vectigalia maxima ærariis publicis intulit, pari prudentiâ ac parſimoniâ militum neceſſitati ſemper impendit.

Mars. Tu quoque λακωνικῶς Arimander ſubſidium, quod in opibus eſt perſtringe.

Arimand. Iudæa non admodum magna Dauidis viri iuxta fortiſſimi atque optimi opera ſexcenties centum millia numm ū u au eorum, ideſt ſexaginta milliones auri argenti verò mille millia talentûm ideſt ſexcentos milliones argenteorum nummûm conflauit. Babylonia & ipſa vt pœnè minima, ita diuitiis pænè prima Xerxis copiarum id eſt decies ſepties centum millium hominum æra militaria impenſáſque belli quatuor menſibus quotannis ſola diſtraxit & ſoluit. Tanta verò in immenſo Antiochi exercitu auri copia defluxit, vt gregarii milites caligas auro pingerent, aureos clauos calceis ſuffigerent, haſtas auro præpilarent. Aſiæ quantula pars nori Romanis? tamen Antonio ſeptuaginta ſex auri milliones, Alexandro Macedoni trecentos ſexaginta quinque pretium amicitiæ & ſocietatis quotannis appendit. Sardanapalo ſeptingentos quinquaginta milliones annua vectigalia numerauit. Indiarum verò potentia hinc conici ſolet, quod vrbes maximæ, frequentiſſimæ gentes, regna diſperſa ſint plurima Adenorum Regulus arce ſuæ ditionis tantam auri vim ſecluſit contra prædonum concurſus quantam cameli exportare bene onuſti non poſſent. De Rege Sionis nihil dico, cuius arx Machum à Tangutano principe intercepta propter argēti tres milliones vim tantum infelici gremio auri gēmarumque complexa eſt, quantum equi ſexcenti, totidem Elephanti non auehere ut. Quid Peguana regna, quæ Tharſis & Ophi r olim vocata fuiſſe propter margaritarum atque auri copiam viri doctiſſimi perſuadentur. Quid Marta vanam ampliſſimam Regionem, quæ incredibili naturæ munere ternas quotannis pretioſiſſimas meſſes ad maturitatem vſque deducit. Quid de magno Imperio Magoris quod in viginti octo regna diuiſum Indoque & Gange terminatur. iam olim Auguſti ſæculo quinq; ciuitatum millia continebat. Referunt qui nuper certiſſima fide quæ oculis ipſi ſpectauerant, tradiderunt, Mendaum meri opolim Magoris duodecim leucas amplecti, nec vllam aliquam eſſe terrarum, quæ cum uetere Roma de diuitiis, amplitudine, baſilicis palatiiſque deceret. Regiū verò cum inter rex faciat octingentos Elephantos, ſeptem mil e Camelos ſuppellectilem deportare? quod eò facilius credat quiſpiam (ait Carualius,) quod ad Sarcinas & proprios vſus eius Syndicus ſeptuaginta elephātos, ſeptingentos camelos alat & impendat. Venio ad Iaponiam quæ ſexaginta ſex regna complectitur: memoria proditum eſt omnem terram duplam meſſem quotannis maturare, ac Meacū vnicam vrbem, ducenta millia domuum vti Malaca olim, recenſere. Nangaſacum illi vel parem eſſe vel ampliorem. Tantam verò Regi potētiā vt pars aliqua Regiæ Orizæ ab agro Meacenſi collectæ (quātula Iaponiæ regione) venierit trigeſies cētenis millibus noſtratiū florenorū

tena millia militum aluit, quater mille nauium conflauit. Peguanus verò Rex decimũ ſuæ plebis excitum, decies centenorũ & ſexaginta milliũ æſtimauit. Tamerlanes Armenorũ è ductore gregis Imperator duodecies cẽtena millia, è quibus Equitum millia quadraginta. Xerxes cuius exercitus non vnum flumen exhauſit, etſi decies ſepties cẽtena hominũ millia triremium biremmiumq; quater mille atq; ducentas congeſſerit, tamen hoc Semiramis præſtitit, quod ter decies cẽtena millia peditũ, quinquaginta equitũ millia in hoſtem immiſit, centũ mille currus armavit. Hoc NINVS clariſſimus Aſſyriorum ductor exceſſit, quod decies ſepties cẽtena millia peditum Equitum ducenta millia cenſuit, curruum falcatorum centum mille confecit. Deniq; pauciſſimis non rarò diebus è ſeptuaginta duobus millionibus ſubditorum vigeſies centena millia armari ad regium nutum China conſpexit.

MARS. Vnde tot legionum Aſia præ cæteris nationibus delectum inſtituit obſtupeſcendum?

EPARCH. Quia tunc etiam cum de bello nemo loqueretur, domi pueri iuuenéſque gladiis haſtiſque pugnabant. Quo factum eſt, vt Alexander profectus ad extrema Perſarum è monte ſupremo ſimiarum agmẽ armatarum deſpexerit, quæ galeatæ baltheóque ſuccinctæ in alterna pectora more atq; exemplo gentis arma vertebanit. Quocirca inſidias primũ veritus, claſſicũ cecinit, exercitũ victorẽ terrarũ omniũ congeſſit in aciem: ſigna erexit; ſpeculatores emiſit; demũ è captiuis errorẽ accepit: ſcilicet non admodũ difficile eſſe natiũt ibi animalia bruta pugnas auſpicari, vbi iuuentus prælia prope quotidiana ſtatuebat.

MARS. De victoriis trophæiſque Aſiaticis, Policrates pauca quæ reſtant perſtringe.

POLICRA. Ea duabus potiſſimũ rebus continẽtur: hoſtili calamitate, prouinciarũq; alienatione, quarum vtra ſpectabilior, & glorioſior Aſiæ ſit, neſcio. Relatũ in tabulas à nõ obſcuro authore notauimus, Iaponem vnũ à centũ cęteris militibus interceptũ omniũ fugæ, vulneri, mortiuè nõ rarò ſupereſſe: ter mille Turcas (potẽtiam enaſcentis illorum imperij) triginta perſonarum millia deleuiſſe. Parthos ſex legionibus proſtratis Antonium fugaſſe. Craſſum cum filio ac toto Romanorum exercitu funeſta clade ad internecionem ſuſtuliſſe: Valentem Cæſarem ab huius igne conſumptũ fortiſſimũ militem ſeruituti gladióq; deuotum. Incenſam à Scythis non ſemel Græciam atq; Thraciam, Adriano-polim cum ciuibus centũ mille flammis extinctam, de quibus verba non facerem Iudex, niſi viderem mirari ſolitos aduenas, quæ ne apud nos quidem celebrantur. Quid iam autem cum à Gedeone centum viginti millia Madianitarum interfecta? à Phacea tantũdem Iudæorum, quorũ calamitatem ducenta millia defleũt. Quid Turcas poſtquam Syriam, Perſiamque tenuerunt eò miſeriarum redactos eſſe à Tartaris, vt euerſis vrbibus, peſſũdatis regnis Azatines è fuga dilapſus & regia dignitate priuatus Byzantium venerit, à Ioanne Duca Cæſare auxilium ſupplex poſtulauerit, quo populũ imbellem ac pænè exciſum aliquo regionis angulo ab incurſionibus vendicaret. Quid ſingulari prælio Gilimerem Africæ Regem à Beliſario captum gente Wandalica funditus extirpata? Quid à Narſe Gothos in Italia vno die ſimul omnes exciſos? Quid Baiazetem occiſis Turcarum ducentis millibus à Tamberlane comprehenſum, in caueam volucrum ac more ferarum coniectũ & circumductum? Parua ſunt iſta, ſi cum reliquis comparentur. Arabes enim tanta contentione Bizantiũ terra marique preſſerunt, vt humana cadauera impulſi diſcerpere mallent, quàm re infecta receptui canere. Quare inedia confecta arx omnium nationum trecenta millia ciuium fame enecata mox extulit. Tauricæ Rex octingentos mille Moſcos, quos partim vendidit, partim pueris occidendos tradidit, Coſdroës non multo poſt nongenta millia hominum cum Palæſtina proſtrauit. Demum elapſo ſæculo Sionis Rex vno bello centies centena millia, decem millia Peguanorum ferro flammiſque confecit. At verò ſi fortes nominati ſunt Medi ab Europæis, quorum numen etiam & vmbra Græcos terruerunt, coniicere demum licet, qua virtute Perſæ, Aſſyrij, Chaldæi, Arabes, Armeni, Barbari, Turcæ florentiſſimorum quorundam Imperatorum opulentiſſimas Aſiæ regiones vi armiſque ſubiugarunt, Europæos deliciis fra-

VVuu

Digitized by Google

eiecerint, ſingulæ nationes oſtenderint, ad Imperium orbis corripiendum nec vires defuiſſe, nec fata conatui repugnaſſe. Erupit tandem præclarus ardor & helleſpontum traiecit: Valerianum Cæſarem, Perſiæ Coſdroi ſubſtratam oſtendit dorſoque pronum dum Equum inſcenderet: Græcia capita Cæſarum aliorum non ſemel tributaria fecit Sarracenis & Tartaris: Darius Germaniam atque Moſcouiam, quam item bis Tartari. Hunni Germaniam & Gallias. Turcæ Ægyptum, Cyprum, Græciam, & Iſtri populos multis attritos bellis ſubegerunt. Indi Aſſyriam, Nigriam, Nubiam vindicarunt Perſæ Aſiam atque Europam proximis ſæculis deuaſtarunt. Arabes Aſiam, atque Africam & Europam aliquot ſæculis terra mariaque poſſederunt. Denique Phoca regnante Orientis imperium Perſis, occidentis Scythis occidit, atque Orbis vniuerſus ingemuit duabus fortiſſimis gentibus vtrumque ſolem & omnium mortalium potentiam ſubiacere. Quæ ſi & Africæ triumphis ſuperiora & Europæis videantur matrem omnium gentium. Aſiam opibus militumque copia redundantem orbis terrarum non ſemel Dominam, quid eſt quod ſuſpicere de gradu deiici dignitatis, eorum lingua, quorum arma Aſiam non perſuaſerunt, ſed attigerunt modo: Non vtor ambiguo colore formaque dicendi: volo quod antehac paucis in iudicio contigit, nisi cauſæ fiducia non precibus: ſtatue quod Deorum omnium ſuffragio teſtimonio tuo eſt iudicatum olim, vt nihil per te damni ferat, per quem oportuerat erigi. Recordare omnium annos tuo Numini deuotos præter bellica ſtudia nihil eſſe genti, quo delectetur nihil magni, quo famam æſtimationemque nundinetur.

Iudicium Martis.

Multum vobis patria viri Africani atque Aſiatici iam pridem debuit, quod licet Aduerſariorum inuidia prematur, per vos tamen nihil amittat gratiæ apud eum à quo iudicium poſcitis: Quod quàm difficilè futurum ſit facile intelligo cum proſecuti eſtis ea maximè atque extuliſtis quæ vulgi opinione recepta non ſunt atque denſiſſimis tenebris obſitam amplitudinem gloriæ, quam maiores veſtri poſterique meruerunt in lucem, atque in hoc palam iudicium reuocaſtis Neque enim ambigo ſanctè religioſéque dicta, quæ conquiſitores vniuerſi in tabulas retulerunt aut mihi veſtrum aliquem mendacem videri malle, quàm preconem veritatis. Sed quoniam de iure diſceptâſtis, neque ita dixiſtis, vt examine dubio parem adepti dignitatem videamini, Ego quod Ius fas erit, ità iudicabo, vt non minorem victus laudem, quàm præmium & gloriam victor conſequatur. Ac primum quidem cum fortitudine polluit Africa, tum verò victoriis Aſiaticis fuit longè inferior. Magnum ſiquidem ac incultum orbem illa complectitur, ac neſcio cæli imperio atque aëris inclementiâ factum ſit, an mentis ſub illo calore meridiano deſidiâ rarius, ex antris & montibus, quàm Aſiatici migrarint. Enumeraſtis præclaros quidem duces, exercitus, quibus excelluit Africa, ſed Aſia vt omittam reliquos, modeſtè ſanè fortitudinis omnis authorem Chriſtum in humanarum contentionem venire non voluit; Et hoc Africa ſciebat tamen impietatis eſſe, vt in hominum numero non cenſeatur, vt non colatur, ingratitudinis, vt primas non ferat religionis. Hic nouo genere armorum caligantem orbem terrarum ac cælo reluctantem expugnauit, diuino imperio ſubiecit, Tyrannos fregit edomuit; mortis atque inferorum clauſtra nulli peruia diſſipauit. Quare quæ Chriſto qui noua bella eligit gloria debetur, ea non minus inuiolata ſententia, quàm armorum vi à me ſemper aſſerta eſt regio maximi ſemper æſtimata, quæ natalis eius excipit, exemplo fortitudinis eius expreſſit, & in animos poſterorum inſeuit.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM
QVÆ IN HOC OPERE TRACTANTVR.

Prior numerus paginam, poſterior columnam deſignat.

A

ABſalon fratris Ammonis interfector. 881. 2
Accuſationis artificium, partes Orationis, & Vſus. 853. 1
Acetum ænigmaticè expreſſum. 169. 1
Academia commẽdatio ex cauſis efficientibus. 123. 2

AD

Addubitatio, vſus definitio, ſpecies duplex verborum. 581. 1
Fit per contentionem. 581. 2
Addubitatio rerum laudanti conuenit, timenti, querenti, dolenti cui electio ſubiungitur. 382. 1
Hortanti etiam conuenit. 582. 2
Adiuncta animi bona, vel mala. 108 *eorum regula* 109. 2 *valent ad faciendã fidem per negationem & affirmationem* 110. 1 *ad exaggerandum, minuendum, exponendum, narrandum, ad laudem & vituperationem.* 110. 1. 2
Ad ornandum per negationem, ad definitiones, & deſcriptione 111. 2 *Cautiones huius locis.* 112. 1
Adiunctorum ſplẽdor & fœcunditas 103. 1 *definitio, diuiſio, tres illorum ſpecies, antecedentium, comitantium, conſequentium, a loci ſanctitate* 103. 1 2. *temporis adiunctum.* 104. 2
Adiunctorum modus quo res geſta eſt, valet ad laudem 105. 1. *crimen amplificandum, valet in coniecturis.* ibid.
Adiunctionem facultas continet inſtrumenta, quibus ad facinus aut virtutem vtimur. 105. 2
Adiuncta conſequentium & ſigna. ibid.
Adiunctorum congeries foris amplificationis vberrimus, & ad vitiũ exagerandum ampliſſimus. 106. 1
Adiectio verborum lumen. 528. 1
Admiratio valet in narrationibus. 310
Admonitio reuocat a vitio 579. 2. *per Amphoã* 13. 1
Adoleſcentia mores. 107. 2. 327. 1
Adoleſcens procliuis ad lapſum. 31. 1. *laus eius & commendatio.* 696. 2. 697. 1
Adulatio 313. 1. *mores & ingenium ſeruile adulatorum.* 555. 1

Æ

Ælia, Laia, Criſpis Scortorum nomina. 159. 1
Æmulationis & inuidiæ diſcrimen, eius definitio, in genere demonſtratiuo dominatur. 489. 2. *duplex eius ſpecies, malæ cuius finis odium, bona virtutis æmulatio.* 490. 1
Æmulationis incentiua maiorum virtus. 490. 2
Clarorum virorum egregia facinora. 491. 1
Nominis decus & ornamentũ. 492. 1. *commẽdatio virtutis eius, quem proponis ad imitandum.* ibid.
Æmulatio laude tollitur, & perſonarum, in quibus nihil dignum laude, omnia contemptu 492. 2. *Tollitur externarum deſpicientia.* 493. 1
Æneæ magna pietas in Deos, patriam, parentes. 666. 1
Æmulationis characteres. Magna ſibi pollicetur, dolet ſibi præripi laudem. 493. 2
Ænigmata. 142. 2. *picta.* 172. 1. *per ænigmata res*

Digitized by Google

*faciant ad odium apta.*114. 2. *ad mitigandum dolorem.*115. 1. *ad confutandum cùm abſurda inferuntur ibid. ad permouendum* 115. 2.*ad deſcriptiones & Hypotypoſes.* 116.1
Antiquitatis commendatio ex effectis eius. 334.2
*Antithesis ſubiicit, commendas, dominatur in exornationibus,ad delectationem & beneuolentiam aſſumitur.*547.1.*ad odium excitandum, ad lenes motus & vehementes apta.*547. 2 *commiſerationem ciet & dolorem. ibid. ſtuporem facit & admirationem, & facetias & iocos.* 548.1
Antitheſis vſus ſimplex & compoſitus, acumen & grauitatem habet. 548.2. *membris aliquando contrariis conſtat contentio, & pugnantibus, idque per inciſa ad pugnam. ibid. fit per breuia interualla,* 549.2 *per negationes ad amplificandum efficaces, per comparationem, & contrarietatem ſenſus cum verborum inuerſione.* ibid.
Antitheſis. 264.1.*valet in exordiis panegyricis.* 268. 2 683 1

AP

Apollinis ambages Mileſiis fatales. 143.2
Apologia artificium. 856. 2
*Apoſtrophe in exordiis.*269. 1. *vſus & definitio.* 568. 2. *valet ad vrgendum aduerſarium & increpandum. ibid. ad commendandum, cohortandum, ad commiſerationem apta.* 569.1. 2.*ad commonitionem, vituperationem in aliena perſona ſæpè ſcelus reprehenditur.* 570. 2. *ad varios motus apta, delectationem, admirationem indignationem, ad res inanimas adhibenda, cùm in genere demonſtratiuo loca nominantur, in quibus aliquid actum eſt cum honore.*571 1. *cùm gaudium exprimit alioſque motus.* ibid.
*Apotheoſis ſeu conſecrationis artificium.*741.2.*vſus definitio.*742.1.*mutatio nominis* .742.2. *perſona conſecrata.* 743.1.
Apotheoſis artificium qui differat à funebri Oratione. 749.1.*Pompa funebris, ceremoniæ ſeruare ſolita.* 743.2.745.1.*in nummis Apotheoſeos ſymbola.ibid.*
Aquila 745 1.*nominis Ethmon, cur rogo impoſita, Iouis ales* 745.2. *Immortalitatis ſymbolum* .746.1*nullo tangitur fulmine ibid. Quomodo pingatur in vmiſmate.* 747.1

AR

*Ara cum foco & igna in conſecratione adhibita,*746.1 *diuinitatis ſymbolum.* ibid.
Arbor Indica naturæ miraculum. 10.1
Ardea ſublime volans homo cæleſtia appetens. 173.1
Arij vituperatio. 688.1
Ariſtocratia quid quis eius finis. 326.2
*Argumentationis vſus.*2121.*argumentandi varietas ex diuerſis formis oritur.* 212.2
*Argumentationis modus alter diminutio.*214 1.*tertius in exornationibus variis conſiſtit* .2142.*quartus fit Optando, Imperando, Communicando, deliberando, Exclamando.* 2142215.1
Argumẽtatio variatur variatis egreſſionibus & trãſitionibus, ſpecies illarum & formæ. 215.2 216.1 2. *pro varietate materiæ variandus tranſitionis modus* 218.1
Arrogantia Didij Iuliani eſt ſua prædicare. 679.2
Arſomnium præſtantiſſima bene mori. 741.1
Artes liberales inimicæ diuitiis. 624 2
Artis ſubſidia. 8.1.

AS

*Aſſentator & auarus à conſilio remouendi.*629.1. *eius pictura.* 560 2
Aſtrologi fallaces & vani non audiendi, 597.1

AT

Atlas mons. 554.2
*Attributa perſonarum ad fortunæ dona.*106 2.*naturæ bona vel mala corporis ibid natio, patria, gentium mores.*107 1.*Ætatum ex quibus argumenta probationum deſumuntur.* 108.1
Atrium Eloquentiæ quid. 4.1

AV

Auaritia damnatur potiſſimum in Principe eius effecta per conglobata aduerſantia. 130.1
Auarus. 715.2
*Auari ſordidi pictura.*497,1.*eius Hypotypoſis.* 562.
Auditio pars exercitationis neceſſaria, diſciplina ſenſus 32. 2
Aures eruditæ & paratæ ad audiendum afferendæ.ibib.
Auditionis præcepta non curioſa, non leuis, ſed malum, ſed ſollicita, diligens prudens. 32.2
Vudiendi auidus ſermonem de virtute moriens Socrates. 33. 2
Auguria, eorum diſciplina. 144.1. *captabantur ab auibus in bonum omen.* 144.1.2
Auguria firmantur, vt à Dæmone mendaci profecta, vt vana, vt incerta, ambigua, falſa, Auguria neglecta feliciter. 145.2

Digitized by Google

Aulæ blandimenta, illius vana omnia. 798.1
Aurora diei pueritia. 695.2
Auſpicia, quinque illorum genera. 144.1. *à cœlo, ab auibus, ex Tripudiis, ex quadrupedibus, & Ruptilibus, ex diris & omnibus.* 144.2

B

B*Althazar ſacrilegus eius* Θεοποιΐα. 172.2
Bellum rerum terribilium ardor. 153.1
Beneuolentiæ conciliandæ ratio, quibus illam Orator conſequatur. A ſua perſona ab amore ſuo in patriã, vel ab amicorũ petitione. 285.2. *vel ex officio publiciſque rationibus vel vtilitatis publicæ procuratione.* 286.1
Beneuolentia conciliatur ex aduerſariorum perſona, dum illos in inuidiam & odium vocat Orator, ab illorum Iniuſtitia, Impudentia, Superbia, Crudelitate, Auaritia, Ingrati animi vitio. 286.2. 287.1.
Beneuolentia excitatur à perſona Iudicum vel auditorum, virtutum, quibus ſunt illuſtres commendatione, iuſtitiâ, Sapientia, Frequentia, cæteriſq; virtutibus. 287.2. 288.1
Branchardi Epicedium *funebre.* 739.1
Brenni reſponſum ad Legatos Romanorum. 616.2

C

C*Æſaris capitis ornamentum.* 62.1

C A

Callidi as larua prudentiæ improbatur. 631.1. *eius effecta. ibid. cancro ſimilis. ibid. duplex eius ſpecies altera quæ fraudibus quærit, quod aperta vi conſequi non poteſt: altera quæ belli furta facit & inſidias, vtriuſque laus & vituperatio.* 631.2. 632.1. *in bellis licitæ ſunt callidæ inſidiæ.* ibid.
Calumnia odiorum fomes, in illam pœna. 365.2.
Calumnia imago. 861.2.
Cambaiæ rex veneno paſcitur, & halitu ſuo necat intuentes ſe. 723.1
Candelabrum eiuſque deſcriptio, 290.2. *commendatur à forma.* 121.1
Canis lignea locris Ozola ſpinæ genus. 143.2
Carceris deſcriptio. 247.2
Caroli IX. ſymbolum. 173.2
Carolus ſimplex ante luſtralibus vndis aſperſus, quàm natus. 696.1
Caſtitas, eius commendatio, 198.1. *in adoleſcente & pulchro vt lubrica, ita laudabilis, vtrius propria principum.* 652.2
Caſtitas & pudor Æteonei iuuenis. 653.1
Caſtitatis hoſtes fugiendi, quæ fuga via virtutis eſt, & ſecura victoria, 654.2
Caſtitatis cuſtodes oculorũ demiſſio & modeſtia. 653.2. *Fuga malorũ, cuſtodia ſenſuum exteriorum.* 655.2
Caſtitatis adiumentum & argumentum pudicitiæ matrimonium in adoleſcente. Coniugium ſanctum. 654.2
Caſtus in ampla fortuna collocatus laudabilis. 653.1
Caſus in narratione expendendus. 294.1
Catonis in proſperis & aduerſis æquabilitas animi & conſtantia. 657.2
Cato librorum helluo. 34.1.
Cauillatio quatenus Oratori permittenda. 251.1.2
Cauſa quid in genere. 116.1. *agens & adiuuans, quieta & ſtolida.* 117.1
Cauſarum diuiſio. genera quatuor. ibid.
Cauſarum congeries amplificat. 233.2
Cauſa materialis definitio. 117.2. *Triplex, ex qua, in qua, circa quam.* ibid.
Cauſæ materialis ex qua canones. 118.1. *vſus copioſus & multiplex.* ibid.
Cauſa materialis circa quam ad probandum, aut refellendum vtilis, 118.2. *ad hortandum & dehortandum, extollendum & eleuandum.* 119.1
Cauſa efficiens quid, multiplex procreans, Conſeruans, interimẽs, naturalis, moralis, impellens & ſuaſoria. 122.1.2
Cauſæ efficientis canones & regula. 122.2 *vſus & vis huius cauſæ, ibidem. Valet ad hortandum & dehortandum.* 123.1. *Ad ornandum & amplificandum.* 123.2
Cauſa finalis definitio. 124.1. *Canones. ibidem. Vſus ad laudem valet, ad vituperandum.* 125.1. *ad motus ciendos aptus.* 126.1. *ad ſuadendum.* 127.1

C E

Certamen Aſiæ & Africæ de fortitudine bellica 882. 883 *& ſeqq.*

C H

Charitas in omnes in eos præſertim, qui ſua non curant, ſed aliena. 667.1
Chriſti definitio per congeriem. 49.1
Chriſtianus quid per negationem. ibid.

C I

Ciceronis Eloquentia commendatio. 10, 8
Ciconia pietatis ſymbolũ in parentes, eius numiſmata. 665.1

Digitized by Google

Circumſtantia factorum,loci.842.2 cauſa controuerſia,842.1.Mores,parentes,natura. 843.1.

C L

Clementia demeretur homines,illius emblema. 173.2. homines reddit penè Deopares. 880.1.
Clementia commendatio, principem virtus propria. 660.1
de Clementia dictum Ageſilai,& Antoni Philoſophi. ibid.
Clemens vir coactus punit hoſtes ſceleratos, Theodoſius Conſtantinus,quam Clementes 670.1.victis vitam& libertatem concedit. 670.2.
Clementia iram & animi concitati grauiores motus reprimit,& coërcet. 673.2.

C o

Cæcitas oculorum bona. 97.2.
Cœlum liber,aſtra litera & characteres. 424.1.
Cœnobia fœmina princeps ſtrenuis ducibus fortior,vt altera Dido venatione facta. 621.2.
Cogitatio ſpecies exercitationis Oratori neceſſaria.37.1.ad hanc Appelles & Marci Imp. dictū elegans. 37.2.
Cogitationum varietas multiplex. 554.1.
Collegia virtutum & pietatis ſcientiarumque officina. 624.2
Columna in conſecratione erigebatur.747.1.diuinitatis ſymbolum. 747.2.
Commendationis artificium, exordium modeſtum excuſationem habet,confirmatio ex adiunctis petitur. 809.2.obſecrationis continet Epilogus. 810.2
Commendationis obliqua ratio. 811.2.
Commeſſationis Hypotyposis per dialogiſmum. 563.1.
Comminationis definitio, vſus, fit per deſcriptiones,& enumerationes malorū 579.1.artificium quale.878.
Commonitionis artificium eius,difficultas. 791 2.
Commonitio fit cum obiurgatione.794 1.quod ſit inter vtramque ſpeciem Orationis diſcrimen.793.2.Fit per commiſerationem admonitio.795 1.alias ex auctoritate & poteſtate quadam.795.2.habenda ratio perſonæ,aliter agendum cum ſuperbo,aliter cum pari,quem amicè monemus. 796 1 2.
Commonitio per congratulationem. 797.1.
Commonitionis altera ſpecies ſuaſio. 798.2.
Commoratio ſeu expolitio eius definitio,vſus ad amplificandum & premendum inſignis.582.2.hac vtendum cum aſſeueramus,indignamur,lætamur, expoſtulamus,dolemus,commiſeramur,ſi modo rei dignitas exigat. 593.1.
Communicatio valet in narratione.292.2.cum auditoribus & iudicibus deliberat. 536.1.
Communicationi coniungitur reſponſio.ibid. eius vſus, apta ad refellendum, vrgendum.ibid. ad fidem faciendam ad iracundiæ motus, ſedandos,536.2.ad commiſerationem, ad ſtuporem,& admirationem. 537.1.ſi cum ſuſtentatione iungatur. 537.2.
Comparatio Eloquentia cum cæteris artibus. 82.2. 83.1.
Comparatio diuerſarum rerum inter ſe valet ad amplificandum. 168.1.
Comparatio triplex Maiorum, Minorum, Parium, quæ vis loci,132.1.2.qui Canones 132.1.vſus ad amplificandum.231.2.per gradationes. 133.1.
Comparatio minorum,vis eius ac præſtantia,ibid. affirmatiua plerumque ſunt huius loci argumenta. 133.2.vſus ad perſuadendum & delectandum accommodatus,ad eloquentia venuſtatem & ornamentum valet,134.1.ad amplificandum efficax, ad reſutandum,134 2.facit ad motus grauiores.135.1. ad laudem vituperationem. 135.2.ad exhortationes ad obiurgationes,Canones loci. 136.1.
Comparatio parium,loci vis ad negationem & affirmationem.136.2.Vſus,confert ad motus & amplificationem,137.2.ad obiurgandum,ad exornandum,refellendum,vituperandum.138.1 fit ſine argumento,diſcrimen parium & ſimilium. 139.2
Comparatio figura ſeu ſimilitudo,vſus ac definitio,varia eius ſpecies, par ad illuſtriorem dictionem. 556.2.
Comparatio ex rebus fictis trahitur. 557.1.
Comparatio ſimplex quæ ſimilitudinem complectitur, 558 2.compoſita quæ plures, multas res ſingillatim multis comparationibus illuſtrat. 559.1.valet ad declarationem & perſpicuitatem Orationis.559.2.
Compar,vſus eius in ſententiis frequens.524.1.faſtidium pariti,& fidem abrogat Orationi. 529.2.
Compenſatio ſiue ſubiectio. 531.2.532.1.Conſtantis viri per compenſationem imago.ibid.varia eius forma. 532.2.
Complexio,quid,valet ad eludendum,exaggerandum & delectandum. 524.2.
Comptus muliebriter, in capitis domicilio veritatis mendacium gerit. 165.2.

CONCESSIO.

Conceſſio,Definitio,Vſus. 537.2.

Con

Conceſſio Ironica, cum habes criminum congeriem ſi ad inuidiam conſtandam. 538.1
Conceſſio eſt dictorum, vt permiſſio factorum. Vales ad delectationem, cùm id conceditur, quod alteri noces. 538.2
Conceſſionis formulæ & particulæ diuerſæ. 538.2 539.1
Conciliationis artificium, rei difficultas. 813.1
Conciliandorum animorum induſtria. 813 2
Conciliatio priuata quæ. 815.1
Concionatoris eloquentis Oratio fulmini ſimilis. 243 1
Concolor mortuis Ænigma quid 143.1
Concupiſcibilis pars πολυκέφαλον θηρίον dicitur. 171.2
Confirmatio quid, quis in ea ordinandi modus ſeruandus. 301.2
Confirmationis & confutationis diſcrimen. 302 2
Confirmatio, quid, in ea debet Orator naturæ & cauſæ obſequi. ibid.
Confutationis induſtria à repugnantibus, dùm à rei moribus criminis obiecti falſitas oſtenditur. 303.1. *ab adiunctis perſonarum, quæ ſunt ab eo, quod imponitur, alienæ.* 303.2. *A circumſtantiis, hominis, loci, modi criminis.* 304.1. *A conſequentibus.* 305.1
Confutatio fit per negationem ſi tutò. 305.2. *à contemptu per Ironiam & ſales.* 306.1. *A loco communi, quæ præmunitio potius dici debet, antequam refutes, ibid. fit cùm infirmum ſe nouis Orator, ibid. conſequentiis abſurdis.* 306.2. *Quomodo refutanda quæ negari non poſſunt? criminis inuidiam in alios detorquendo probabilioribus argumentis.* 307.1. *præoccupatione obiiciẽdorum, compenſatione, opponendo virtutes vitiis.* 307.2. *Riſu vel Interpretatione, non eſſe vitio dandum id, ex quo laudem alij conſequuti ſunt.* 308.1. *diſſimulatione.* 308.2. *aliam cauſam rei factæ proferendo, quam aduerſarius attuleris. ibid. deprecatione quando res deſperatur, innocenti fallacia, exemplo grauis alicuius perſonæ, vel dicti.* 309 1
Confutationis figuræ, vt plus caloris habeat, adhibendæ ſunt Hypotypoſes, ſermocinationes, frequentes ſubiectiones, interrogationes indignationes. 309.2. 310.1
Congeries verborum & ſententiarum. 704.1. *Triplex vſus.* 225.2. *ad amplificandum apta; definitio.* 544.2. *vna eſt verborum conglobatio frequentationis genus eſt rerum congeries per contrariarum conflictionem.* 545.1. *Collectio rerum & argumentorum.* 545.2. 546.1
Congeries exemplorum in perorationibus locum habet. Valet in narrationibus ad breuitatis ſtudium. 546.2
Congiarium liberalia publica. 638.2
Coniugata valent ad perſuadendum, definitio, triplex vſus. 702.2. *dicuntur propriè & à caſu.* 71.1. *Ex ſubiecto ad adiunctum,* 71.2. *Loci regulæ & cautiones.* 71.2
Coniugata ad delectandum apta cum figuris illuſtrantur hyperbole, paronomaſia. 72.1
Coniugata ſuauitatem faciunt in poëſi 72.1. *ad amplificationes conglobatas adhibentur.* 72.2
Conqueſtio in exordiis abruptis. 257.1
Conſcientia bona. 388.2. *Mala ſemper timida.* 427.1
Conſcientia bonæ fœlicitas. 431.1. *Tranquillitas.* 382.2
Conſcientia vis in vtramque partem. 294 2
Conſequentia denſata valens ad amplificandum. 236 1
Conſolationis artificium. 815. *à quibus capitibus exordium huius Orationis petatur.* 815 2,
Confirmatio à diuina prouidentia ab honeſto. 817.1. *Laude, gloria, ab vtili.* 817.2. *à fœliciori mortuorum ſtatu.* 818. *à communi rerum conditione.* 818 2. *ab eiuſdem fortunæ ſocietate,* 819.1. *ab opinione ſapientum, ab illuſtribus eorum exemplis à mortis bono & æternitatis luce.* 818,2
Conſtantis hominis deſcriptio. 246,1
Conſuitationis artificium. 524.2
Conſultatio Equitum Rhodiorum vtrum dolenda ſit Turcis Rhodus. 799.2. 800 & ſeqq
Conuerſio facis ad aurium delectationem. 524.
Coquorum lex inimica vitæ. 263.2

CR

Crapula & ebrietatis effecta. 130.1
Criſpis, Criſpa, Criſpilla, mollitudinem ſonant & ſunt ſcortarum nomina. 170.1
Criſpus Athenienſis. 170,1
Crocodilus, callida eius interrogatio & hiſtoria. 209.2
Chronographia ſiue temporis deſcriptio. 562.1
Crucis Chriſti commendatio, eius prodigia & miracula. 700.1
Crudelitatis effectus, & exempla. 218.2. 225.1

CV

Cupidinis pictura. 171.1. *geminus eius arcus.* ibid.
Curia Imperialis. 233.1
Curioſitas damnoſa peritia. 34.1
Cyro regnum per viſam in ſomniis vitem portenditur. 148.2

D

DAuid. 10. millium victor animoſus à libidine victus. 564 2

Digitized by Google

D E

Dedicationis artificium vſus multiplex. 718.2
Eius Idea. 729.2
Defenſionis artificium, quod exordium, quæ narratio. 856.2.863 1.862.2
Definitio Rhetorica, eſſentialis differẽtia hominis. 46.1
Definitio ſit per omnes cauſas, tum perfecta, cùm quadruplici conſtat per affirmationem & negationem. 47.2.*optimum Orationis inſtrumentum ad amplificandum & probandum, cùm dicitur quod non eſt, & ſubiicitur poſtea quod eſt.ibid.ab officio per negationem quod non ſit officium, amici, conſulis, Chriſtiani, vt quod ſit proponatur.* 48,2
Definitio per congeriem complexione mixtam valet in laude. 49.1
Definitio ab adiunctis deſcriptionis ſpecies. 49.2
Definitionis vſus per verbalia maſculina, fœmina.ibid
Definitio per res ſingulares, & verba 51.1 *per contraria, qui modus eſt ad amplificandum aptiſſimus.* 51.1.*per ſimilitudinem coniuncta tranſlatione.* 52.1.*ab effectis & comparatione.* 52.2.53 1
Definitionis regulæ & axiomata 53 1.
Definitionis Rhetoricæ & Dialecticæ vſus & differentia ibid.
Definitio conglobata per omnes locos ad amplificandũ apta 227.1.*per effecta, accidentia, qualitates.* 228 1 *per ſimilia, per negationẽ in rebus ſublimibus.* 228 2
Definitio figura ſententiarum quid, quis vſus. 556.2
Dehortationis artificium à turpi, contrario ſenſu omnium, ab inutili, ab impoſſibili. 789.1 *ab incommodis, periculis, à patriæ recordatione.* 789.2
Dehortatio priuata publica vtilior, quo fieri debeat. 791.1.*habenda maximè ratio perſonarũ in dehortatione* 790. 1. *lenienda exhortationis artificium* 792.1
Deiectio figura quæ interpretem adhibet. 866 1
Deliberatiuum genus, dignitas eius & præſtantia 752 1.*tribus commendatur.ibid.eius nomina.* 755 1..*materia.ibid finis & Officium* 752. 2.*fons triplex inuentionis deliberatiui generis.* 755.2. *vtile, poſſibile, honeſtum.* 756.1.*vtile.* 757.2. *poſſibile.* 758. 1. *circumſtantiæ debent adhiberi perſonarum.* 329.1. *rei ſeu negotij* 759 1 *loci commodioris.* 329.2.*facultatum & auxiliorum, rationis finis.ibid.& negotij perficiendi & opportunitatis temporis.* 760.2
Deliberatiui generis diſpoſitionis neceſſitas, partes Orationis tres, quando ſit adhibenda narratio & quomodo, 761.1.2.*Exordium aut nullum aut breue, quando adhibendum. A perſona ſumitur plerumque vel Oratoris, vel aduerſarij.* 762. 1. 2. *Munera exordij quæ* 763.1.2.*Diſſuaſionis longius eſt principium.* 764. 1. *contentio ſeu confirmatio. ibid. Exempla maximè ſunt huic generi accommodata.* 764.2. *fit per comparationem, non quod vtile, ſed quod vtilius ſit.* 765.1.*confutatio deliberatiua.ibid. Exempla ſimilia & euentus ad refellendum.* 766. 1
Deliberatiui generis amplificatio, fons duplex, 766.2. *de re turpi nulla debet eſſe deliberatio, ibid. quâ prudentia res turpis, aut minus honeſta tranctanda ſit.* 767. 2
Deliberatiui generis peroratio. 767.2.*Deſiderij, Spei, Amoris motus habet.* ibid.
Democratia quid, eius finis. 316.2
Demõſtratiuum genus eius diſpoſitio, Eloquutio, ſtylus floridus, & ad pompam verborum compoſitus. 68.1.2.*ſit ſuauis verbis, factis, vetuſtis, tranſlatis, ſonantibus, lenibus.* 682.1.*eius commendatio, materia, finis.* 586.2.*Inuentio.* 587.1.
Demonſtratiui generis figura Iſocola, Antitheta pariſa homeoteleuta. 683.1.*Diſtributio cùm res, vel perſonas aut negotia partimur, elegans cum redditione.* 683.2
Demonſtratiui generis argumenta plus ſuauitatis & ſplendoris, quàm caloris & vehementis impetus habere debent. 683.1.*Exordium gemmeum eſſe debet, ducitur à perſona magni cuiuſdam nominis, aut non infimæ virtutis, vel à loco.* 687.1. *Atentionem non requirit, nec inſinuationem, niſi de re præter opinionẽ ardua difficiliq́, ac peruagata.* 689. 1.2. *Generis demonſtraratiui Narratio non ſit continua, ſed per partes, delectus rerum narrandarum eſt habendus; tanta eſſe debet Narratio quanta ſunt facta quæ laudem merentur.* 690. 1. *ordo diſpoſitionis huius generis eſt, vt gradus temporum ſeruentur, vel ætatis.ibid.vel priuatorum ad publicas aſcenſus.* 691. 1 *facilis & expedita diſpoſitionis ratio per generum diſtributiones, aut virtutum; à minimis aſcenſus ad maiora.* 691.2.*vel à maioribus ad minora.* 792.1.*Compenſatione vtendum ibid, per comparationem inſtituitur laudatio ab inſinuatione, ſi inſtituatur cum inferiore.* 692.2
Demonſtratiui generis amplificationis fontes, ſi ſolus res geſſerit, ſi primus, ſi præcipuus inter omnes fuerit, ſi perfectum opus fecerit, non ſemel, ſed ſæpius. 693.1 *Peroratio ſuaues motus admittit. ibid. Va-*

rius

rius & multiplex perorandi modus. 693.2. *à votis, à gratiarum actione ab excuſatione ſui & gratulatione, à pollicitatione officii, à materia quam ſuſcepit tractandam, à rei cuiuſdam petitione.* 694.1.2

Deprecatio, 256 2, *vſus, definitio, ſpecies, valet ad timorem* 577.1. *ad miſericordiam, ad placandam ſeueritatem ibid ad exhortationes, & admonitiones.* 577.2. *ornatè tractari debet per repetitionem, ſuſtentationem, congericem præceptorum & rationum ibid,*

Deprecationis artificium, *à perſona læſa vel lædentis confirmatio ſumitur.* 880. 1. *multiplices eius rationes.* 881.1

Deprecatio valet in exordiis abruptis. 256.2

Deſcriptio figura, *vſus eius & definitio, multiplex ſpecies, Proſopographia vel Ethopœia.* 559.2. *ad conciliandum amorem, vel odium concitandum valet, characteres ſubiiciuntur ad mores.* 560.2 *ficta deſcriptio rei ſenſu, aut corpore carenti, corpus affingit. ibid. Topographia.* 561.1, *Chronographia.* 762.1

Deſcriptio iuuenis formoſi, *ſenis vigentis robore.* 61. 2 *nobilis oſtentatoris ignari.* 175.2. *Adoleſcentis ſuperbientis.* 66.1. *languidi & mollis nepotis, & decoctoris.* 111 2

Deſcriptio Equi ferocientis. 81. 1. *Morientis hominis.* 116. 2. *Theodorici Regis ex adiunctis corporis & animi.* 111.2. *Regiæ domus per oppoſita* 248.1. *Funambuli.* 245.2. *Conſtantis hominis, formicæ indefeſſe laborantis.* 246.2. *Exercitus ad pugnam ſe parātis Equi, latomiæ carceris Syracuſæ.* 247.1 *horti regii.* 248.1.

Deſiderium, *eius natura.* 379 2. *defintio.* ibid.

Deſiderii incentiua laudis & gloriæ commemoratio. 380.1. *honeſtas, ſpes deſiderium nutriunt* 380.2. *difficultas & res aduerſa affectum hunc acuunt.* 381.1

Deſiderium reprimitur ſi vel haberi non poſſit, aut valde difficulter, 381. 1. *Cupiditas inexplebilis, damnum multiplex, propoſitis commodis quæ ex deſiderii cohibitione proueniunt, ceſſat deſideriū.* 382.1

Deſiderii characteres, *anxium, vigil & inſomne, loquens & querulum.* 382.2. *votorum prodigum, ſuſpirans, faſtidioſum.* 383.1. *mærens, æſtuans impatiens.* 384.1. *velox, impotens, vanum, audax & temerarium.* 385.1

Deſperatio quid, *eius vſus, naſcitur ex ſpei capitibus contrariis, nulla ſubſidia rei conſequendæ deſperationem faciunt.* 416.2. *difficultates, ardentius boni deſiderium, repetita calamitas ſpem excludit.* 417.1

Deſperationis remedia, *rei facilitas, Deiq́; prona voluntas ad opitulandum ſpem erigit.* 417. 2. *Culpæ diminutio, in Deo fiducia.* 418.1

Deſperationis characteres, *diaboli gladius, mortis vt malorum finis præceps conſilium, timoris ac periculorum contemptio, ſolitudo furoris conſcia.* 418. 2. *Vultus mutatio, pallor, ardor, in deploratis rebus ſecuritas, ex neceſſitatis virtutis victoria, nūquā ad deſperationem agendus hoſtis.* 419.1.2. *vindictæ ſumendæ cupiditas & repetita gaudium, frontis ſimulatio, ſed virtutis ſpecie, publica vltio, Inexplebilis crudelitas.* 420. 1. *exprobratio grauior, fidelis & amicè monentis cōtemptus & fuga.* 421. 1 *Negligēs omnia, timoris & periculi præſētis licet expers.* 421.2

Deus ἄφθαρτος 168. 1. *vbique præſens, eius oculum fugit nemo.* 298.1

Deus columna. 747.2.

Dei poteſtas, fortitudo. 617. 1

Dei oculus inſpector, intuetur omnia. 660.1. *bonis eſt auxilio.* 660.2

Deus ſolus amandus. 359.1

DI

Dianæ ſimulacrum.

Dialogiſmus, *definitio* 566. 2. *vſus ſpecies eius ſermocinatio.* 567.1. *ad animorum motus ciendos, ad delectationem.* 567 2.

Dicta rei dubiæ certitudinem addunt. 109.2

Didii Iuliani arrogantia. 679.2

Dilemma ratiocinatio in partes diuiſa, *quarum vtraque ferit aduerſarium.* 208.1. *ad refutandum & vrgendum aptum inſtar Epiphonematis eſſe poteſt.* 209.1.

Dilematis diluendi duplex ratio. 208. 1. *eius ſpecie Crocodilus & mentiens propoſitio.* 209.2

Dilemmata narrationi deſeruiunt. 304 2.

Dionyſius ſemper timidus. 427.1

Diſceſſionis à nobis, vel ab vrbe artificium. 733.1.2. 734.1

Diſcordiarum tres fontes. 812. 1

Diſiunctio verborum lumen ad Emphaſim. 528.1

Diſpoſitio Orationis cum ordinata militum manu componitur, *neceſſitas eius & pulchritudo.* 252. 1. *eius definitio.* 252.2. *multiplex, naturalis & artificioſa. ibid.*

Diſſimilium definitio, in ſimili diſſimilitudo. 88. 1

Diſſimilium & Canones. 89 1. *Vſus.* 89.2

Digitized by Google

Diſſimilium oppoſitio. 911. *Nota* 91.2

Diſſimilium ac diſſentaneorum conflictio mirè Orationem illuſtrant, & ad probationem conferunt. 237.2

Diſſuaſionis artificium, à turpi, inutili, non neceſſario, periculo, Exordium. 773.2. *Confirmatio* 774.1

Diſſuaſionis motus terror, odium, deſperatio, miſericordia. 768.2.769.1

Diſtributio. 683.2 *copiã amplificandi ſuppeditat.* 553.2 *frequens poëtis. ſacris Oratoribus vtilis, cùm publica vitia inuehuntur, valet ad laudem* 554.1. *ad venuſtatem & ornatum cùm in eo ſingula ſingulis reſpondent, adiunctam habet diuiſionem, ad docendum aptiſſima.* 554.2. *Congeminantur membra diſtributionis, ad probandum fit per remotionem, ornatior cùm paria membra paribus conferuntur, eſt partitio finita, qua & ſubdiuiſio.* 555 2

Diſtributio exordiis dignitatem affert. 268,2

Diuitum vita ſollicita, 602.1. *laborioſa.* 602. 2. *vſus cum virtute viam facit ad honores.* 603.1. *liberalitas ex diuitiis laudatur ſi ad virtutis arbitrium fiat.* 603.2

Diuitiæ cum ſcientia coniũctæ laudantur. 603.2.604 1

Diuitiarum contemptus laudabilis, 602 1. *virtutis ſpecimen egregium.* 604.1

DO

Docilitatis comparanda in ratio. exordiis. 285.1

Doctoris creatio, ſiue inauguratio, vſus Orationis & artificium, ritus, liber porrigitur, 716.1. *quare, pileolus, annulus datur.* 725.1 2. *ſuggeſtus ſeu thronus, Zona aurea.* 726. 1

Doctoris officia, 725 2.726.1

Doctrina & eruditione clari plerumq; innocentia vitæ, morumq; probitate, & virtutibus ſũt inſignes. 124.1

Dolorũ motus in exordiis. 269.2

Doloris characteres, dolor flebilis, ſqualidus, languidus, ſolitarius. 403. 1. 2. *Mutus, ſtupidus, querulus.* 404.1.2. *Inopinatus, diuturnus, mollis, priſtinæ felicitatis memor, mali præſagus.* 405.1.2. *Iratus, exſpes, vita pertæſus.* 406.1

Dubitatio valet in defenſione & increpatione. 266.2

E

EBrietas, eius damna. 290,1

Ebrietatis effecta, & incommoda. 130 1. 502,

Educatio bona, neceſſitas & commendatio. Cura cuſtodia liberorum & inſtitutionis à propriis parentibus laudabilis. 600.1

Exempla parentum qui filios educarunt. 600.2

Educatio inter bonos & à bonis fieri debet. 601. 1. *Turpia ſunt ab oculis & auribus puerorum remouenda.* 601.2. *pietatem & ſcientiam ſunt edocendi: præceptor virtute ſapientiâque inſignis eligendus, qui præſit inſtitutioni.* ibid.

EFF

Effecta cum cauſis commercium habent, eorum definitio Canones & regulæ vſus copioſus ad vituperationem & laudem. 128.2

Effecta valent ad deſcriptiones & amplificationes, 129. 2. *ad motus grauiores ciendos idonea. ibid. ad loquutionum varietatem.* 131.1. *Ex effectuum negatione cauſas negamus.* 130.1

Effectus per cauſam intelligitur. 151.1

Egreſſio quem in Oratione locum habeat, quid, quomodo adhibenda. 301. 1. *ad doloris magnitudinem.* 397.1

EL

Eleemoſina commendatio. 642.2

Eloquentiæ candidato tria neceſſaria ſunt adiumenta, natura, ars & exercitatio 6.1

Eloquentiæ commendatio ex effectis. 129.1

Eloquentiæ vis & maieſtas. 6.2

Eloquentiæ virtus cũ Archimedis manu comparata. 7.2

Eloquentia cum cæteris facultatibus comparatio. 82.2 *cum Muſica.* 83.1

Eloquentia Epidictica commendatio, quid. 585.2

Eloquentia veſtis Eloquutio, quid. 517.1

EM

Emblema, definitio, ab Ænigmate differentia hoc rerum, iſtud morum. 173 1

Emblematica inſignia variarum nationum 173.2

Emblema ſolis & Boreæ contentio deſpoliando veſtibus homine. ibid.

Emphaſis. 257.2

EN

Enthymema compoſitum ex rationibus conglobatis colligit concluſionem vnam & contra. 206.2. *ad probandum efficax.* 38.2

Enthymema ſyllogiſmo frequẽtius apud Rhetores. 203. 1 *quid imperfectum.* ibid.

Enumeratio partiũ per ſermocinationem. 737.1.716.1 732.1. *Valet ad amplificandum.* 227. 1. 179. 1. 290.1. *ſæpè maiorum Orationis partem implet.* 230.1

EP

Digitized by Google

E P

Epanalepſis verborum tropus, mouet, delectat. 525 1.
Epigrapha ſymbolicæ in heroum monumentis. 165.1.
Epiphonema ſeu acclamatio, vſus, definitio, fit per diſtributionem, admirationem. 574 2. Fit vt ſummam rei comprehendamus 575.1. per ſententiam grauiorem, quâ ſuperiora velut obſignantur. ibid. Epiphonemate claudenda exempla. 152.2.
Epiplexis ſeu Increpatio frequens in exordiis abruptis. 257.1.
Epitheta decus & ornamentum Orationi adferũt. 521.
Epitaphia Egyptiorum. 169.1. Amoris. ibid.
Epitaphiorum & tumulorum varia ſpecies. 171.1.
Epizeuxis ad Orationis vehementiam, ad ſuauitatem & aurium delectationem. 522.1.
Equi ferocientis & ſuperbientis, & domiti deſcriptio. 81.1.247 2.
Euclydis factum mulierem mentientis. 689 1.
Eucharistica Oratio. 718.2.
Euentus. 842 2.

E X

Exclamatio, definitio, vſus ſpecies. 573.1. In rebus grauioribus rei declarationem antecedit: Indignationem ciet, Miſericordiam, Iracundiam. 573.2.
Exclamatio ſeria, Ironicam feſtiuitatem ſeria temperat. 574.1.
Exclamationis ſpecies, admiratio. ſtuporem facit ibid.
Exclamatio ſuauis eſt, quæ poſt ſingulas ſententias ſubnectitur, vſus eſt poſt graue factum aliquod, in amplificatione, & Epilogis locum habet ibid.
Exclamationis altera ſpecies indicium. 574. 2. Vales in narrationibus ad odium inflammandum 292 2. 367.2. ad doloris magnitudinem. 397.1.
Exercitationis eius, vtilitas, neceſſitas, adiumẽta. 17.2. eiuſdem vſus dicendi Magiſter. 18.1.
Exercitationis definitio, quot ſpecies. 18.2.
Exercitatio frequens ad illuſtriora gradus. 356.1.
Exercitationes corporis laudabiles, vt futuræ virtutis indicia 619.1. maiorum curarum argumenta, venatio nobilitati conueniens. 620. 1. idoneum iuſti prælii ſimulacrum. 621.1.
Exercitatio campeſtris, & martis ludis. 622.1.
Exercitationis commendatio, otii fuga, libidinum contemptus, vigor diſciplinæ militaris, nominis immortalitas, patriæ defenſio, 623. 2. Eius neceſſitas & vſus. 623.1.
Exercitatio ad pugnam ſe parantis imago. 247.1.
Exemplum duplex, verum, fictum, eius vſus. 151.1
Exempla figuris illuſtranda. 151.2.
Exẽpla circumſtãtiis & adiunctis veſtienda. 152.1.2. à ſimili & diſſimili petuntur, quæ ſi coaceruata fuerint apta ſunt ad refutationem. 153 2.
Exempla ſumũtur à cõtrario ad irridẽdũ aduerſariũ. 154.1. per communicationem ad delectandum ibid.
exemplorũ coaceruatio ad probationẽ. 154. 2. & 211.1.
Exemplum fictum & factum. 155.1.
Exemplũ bonum ad virtutem incitamentum 607.2.
Exordium eius neceſſitas, 255. 1. quid & quotuplex. 255.2. in abruptis παῤ ἐισίας, 256. 1. Deprecatio. Epiplexis ſeu Imprecatio frequens. 256. 2. Expoſtulatio, Conqueſtio. Quos motus admittat, 257.1. Emphaſis commiſeratio ex dolore. Motus lætitiæ repentinus cum exclamatione. 157.2.
Exordium iuſtum & legitimum Ab opinione & ſenſu auditorum, 258 2. ex cauſa ſuſcepta honeſtate, vel improbitate. A diuiſione. 259.1 ex abundanti, 260 1. Ab adiunctis, quod valet in iudiciis & deliberationibus. 260. 2. A quæſtione inſigni. 261.1. A contrario valet in Oratione, quæ plurimum habet pompæ ac dignitatis. ibid. A ſimilitudine. 262.2. A diſſimilitudine 263.1. A conſuetudine. 263.2. ab hiſtoria, 264.1. ab Apophtegmate. ibid. ad inaudito ſupplicio. 264.2. ab ænigmate, ibid. à iudicio 265 1. ab exemplo & fabula. ibid. ab effato inſigni, valet in deliberatione & exhortatione. 265.2. à fictione, 266. 1. à notatione. ibid.
Exordii figuræ velut illius forma 266.2. dubitatio valet in defenſione & increpatione. ibid. Hypotypoſis gignit opinionem ingenii. 267.1. Occupatio ex animis iudicum euellit opiniones 267. 2. licentia, diſtributio dignitatem affert. Antitheſis in demonſtratiuo pompam habet. Suſpenſio illuſtre facit exordium, acuit auditoris animum, 268.1.2. Apoſtrophe ſenſum facit acutiorem. 269.1.
Exordii motus lenes, lætitiæ, doloris, 269.2. ſpei, indignationis, 270.1. qui tamen leniendus eſt laude, vel excuſatione. ibid.
Exordia morata fiunt pietatis commendatione, charitatis in patriam ſignificatione, iuſtitiæ & æquitatis nomine, gratitudinis commemoratione. 271. 1. 2. Officii expreſſione. 272.2. Pacis & concordiæ teſtificatione, liberalitatis & munificentiæ teſtimonio 271.2. Curæ & ſollicitudinis ſignificatione, humanitatis & amoris commendatione. 272 fortitudine nobilitate. 272.2.

Exor-

Digitized by Google

Exordii virtutes ſplendor, vitia. 281.1. *vulgare, commune, commutabile, longum, tranſlatum. Contra præcepta, ſeparatum.* 281.1.2

Exordium ex abundanti locum habet in accuſationibus, & defenſionibus, quid 283.1. *Extemporale quomodo tractandum.* 283.2

Exordii munera. 283.2. *duplex ratio attētionis.* 284.1 *conciliatur propoſita rei magnitudine. ibid. ſimulatione ignorantiæ, clara probationis pollicitatione, deprecatione.* 284.2

Exordii munus aliud docilitas, breuitate promiſſa comparatur. 285.1. *diuiſione & expoſitione. ibid.*

Exordii munus tertium beneuolentia, quibus concilietur. 285.2.286 287.288.1

Exordium demonſtratiui generis liberum eſt, & ad aurium delicias elaboratum. 681.2

Exordium deliberatiui generis aut nullum aut breue. 761.2

Expolitio. 119.2.307.1.582.2

Expoſtulationis artificium, quod initium, quæ narratio quæ confirmatio. 871.1.2.872.1.2. *diſcrimen querelæ & querimoniæ.* 871.1. *ferè motus omnes admittit Epilogus.* 873.1

Expoſtulationis varia induſtria. 874.1

Expoſtulationis priuatum genus nudam narrationem poſtulat, quæ ſit potius excuſatio, quàm accuſatio. 875.2

Exprobrationis artificium, qui motus in ea ciendi. 878.2

Extiſpicina. 146.2. *exta quando triſtia, quando læta.* 147.3.

F

Fabulis quando & quomodo vtendum. 156.2

Famæ leuitas & inconſtantia. 196.2.197.1. *pericula ex fama leuiter recepta.* 197.2

Facta conſiliis potiora. 109.1

Fames & eius deſcriptio. 685.1

FE

Feciales ſacerdotes in bello. 753.2

Fecilitas & fortuna fauor in rebus tùm publicis, tùm priuatis, felicitas fortuna conſtans & æquabilis. 707.2.608.1

Felicitas tranquilla, & pacata eius poſſeſſio. 608.2

Felicitas publica. 609.2. *Modeſta.* 610.1. *pietati aſcripta felitas. ibid.*

Felix infelicitas, aduerſa plus prodeſt, quàm proſpera 611.1

FERDINANDI II. *Imp. laus per comparationem.* 55.1

FERDINANDI III. *pietas.* 684.1

FERDINANDI *in vrbem ingredientis ſalutatio,* 508.2.509.1

FERDINANDI *virtutes.* 552.2.553.1.2

FI

Fides hoſtibus promiſſa ſeruata, fidelis iuſtitia in creditis & promiſſis. 667.2. *ſeruanda.* 633.1

Figura verborum per additionem 522.1. *per detractionem* 528.1 *Intellectio, admiratio, diſiunctio. ibid.*

Figura verborum per ſimilitudinem, ſimiliter cadens compar. 52P.1

Figura ſententiarum, illarum neceſſitas & præſtantia, definitio, diuiſio ſecundum tria Oratoris munera, ad docendum, delectandum mouendum accommodata. 530.1

FO

Fontis amœnitas. 701.2

Formæ definitio, triplex conſtituitur. 119.2

Formæ eſſentialis definitio ad laudandum & vituperandum. 120.1. *accidētalis & artificialis, Canones.* 120.2

Formæ vſus ad deſcriptiones & amplificationes. 120.2

Formicæ laborantis deſcriptio. 247.1

Formula quædam auctoris laudandi. 157.2

Fortitudo commendatur, eius definitio, quadruplex laudes genus ex ea ducitur. 656.1.2.618.1.

Fortitudo audax in periculis prouocandis. 657.1

Fortitudo conſtans & propoſiti retinens. 657.2. *patiens* 658.1. *glorioſa, moderata victoria.* 659.1.2

Fortunæ naturæ ſymbolum. 8.1

Fortunæ inconſtantia, variiq́ue caſus lætitiam reprimūt. 391.1

Fortunæ volubilis inconſtantia. 611.1

Fortunatorum Principum felix conditio. 710.1

Francorum indoles qualis. 325.2

FV

Fuga peccatum & libido ſanatur. 363.2

Fulmen honoris diuini ſymbolum. 747.2

Fumus victimis quod omen. 147.1

Funambuli deſcriptio. 563.1.245.2 440.2

Funebris Orationis artificium & vſus. 735.2. *partes & finis Orationis.* 739.2

G

GAllia Pontificum ara, perfugium & propugnaculum. 661.2 662.11
Gallia bellicoſa gens. 702.2.
Gallorum mores. 107.1.
Gallorum & Liliorum parallelum. 702.1.2.
Gaudiũ, eius effectus, & characteres. 392. 2. 393. 394. 395.1.2.

G E

Genethliacæ Orationis partes, & artificiũ. 603.2.704.1.
Genus, eius definitio, dignitas. 731.2. *Inſectatur & carpit.* 74. 2. *docet, refutat* 75.1. *Canones & regulæ generis vniuerſi, Vſus multiplex* 75. 2. *valet ad docendum: in exordiis genus, vel ſpecies adhibetur.* 76.1. *per negationem.* 76.2.
Generis partitio, ad vrgendum aptum. ibid.
Germanorum indoles & natura quæ. 326.1.

G L

Gladius Pauſaniæ, in cuius manubrio inciſa quadriga. 143.2.
Gloria. 37.1.
Gloriæ commendatio, virtutis præmium ampliſſimum. 604.2.

G R

Gradatio, quatuor eius ſpecies, & definitio, vſus. 525. 2. *rarò adhibenda niſi res ſucceſſionem habeat: ars prudenter in ea diſſimulanda.* 526.1.2.
Gratiarum actio, vſus & artificium, partes eius Orationis. 718.2.719.1.2.720.1.
Gratia in deliberatiuo genere, & demonſtratiuo neceſſariò cienda. 501.2. *duo ſignificat.* 502.1.
Gratia conciliatur, accipientis indigentiâ, quò maior eſt inopia, eo maior eſſe ſolet gratia: ipſa rei vrgentis conditione. 402. 1. 2. *Temporis conditione & opportunitate, dantis perſona, Modo quo confertur gratia* 503. 1. 2. *loco, ſine propter quem gratia confertur.* 504.1.
Gratia remouetur, ſi dicatur propter vtilitatem propriam facta, & fortuito, ſi pernicioſa, ſi vilis, & abiecta 504.2. *ſi eadem inimicis data.* 505.1.
Gratitudo virtutum mater. 61.1.
Gratulationis artificiũ, partes Orationis & vſus. 714. 2. *Obliqua gratulandi ratio.* 715.1.2.
Griphus per ſigna naturalia, eius definitio. 164. 2. 167.2.
Gula libidinis & morborum fœcunda mater. 130.1.

H

HÆreſis, hæreticus qualis. 53.1.
Hæreſis definitio per omnes cauſas eiuſdem effectus & deſcriptio. 228.2.229.1.
Hæreticorũ & falſitatis præcones cum doctoribus veritatis per Antitheſim componuntur. 236.2.237.1.
Hæreticorum in Catholicos inhumanitas per Hypotypoſim expreſſa. 781.1.67.1.51.2.
Haruſpicum reſponſa quî differant ab auguribus & auſpiciis. 146.1.

H E

Henrici *Magni acutè dicta.* 510.2.
Henrico Bauariæ Duci literarum elementa fuerunt ad ſalutem POST SEX. 172.2.
Helsodori Britanni pietas ſingularis, & amor in fratrem Achigallum. 665.1.
Hercules heroũm fortiſſimus ab Omphale, & voluptatibus victus ſuperatusque. 654.1.
Hiſpanorum mores. 107.1. *eorũdem indoles & natura* 326.1.
Hiſtoriæ commendatio, Principi vtilis & ſummè neceſſaria. 594.1.

H O

Homo ex luto lacrymis macerato fictus à Prometheo. 396.1.
Hominis infirmitas. 818.1. *dignitas ex corporis fabrica.* 126.1.
Hominis ad peccandum facilis propenſio. 230.1.
Homonima. 67.2.
Honor virtutis præmium. 604.1.
Honoris commendatio, eius effectus. 605.1. *duplex genus.* 604 2. *alterum in gloria & nominis commendatione, alterum in dignitatibus poſitum.* ibid.
Honoris laus petitur à perſona laudantis, aut dignitatem conferentis in dignos 605.1. *à meritis quibus conceditur dignitas.* 605.2. *Non ſollicita dignitatis & ambitionis cupiditas.* 606.1. *Humilis & modeſta ſublimitas.* 606.2. *Non inſolens ob honores acceptos, morum blanda ſuauitas in honoribus.* ibid.
Horologii commẽdatio ex forma & materia. 121. 2.
Hortationis artificium, quibus à ſuaſione differat, eius epilogus. 778.1. Exordium *quale, Confirmatio à quibus capitibus, & rationibus exhortatio perficiatur, à laude naturæ blandimento.* 204.1. *à ſpe, ab amore.* 780.2. 781. 1. *à commiſeratione.* 781. 2. *à metu periculorum, ab æmulatione.* 782.1. *ab expectatione concitantur animi.* 783.2. *ab exemplis.* ibid. *ab obſecratione.* 784. 2. *ab indignatione, votis, deſideriis, à neceſſitate.* 786. 1. *ab honeſto.* 786 2. *& fuga dedecoris* 787. 1. *ab vtili & poſſibili.* 787. 2.
Humanitas in Principe laudabilis & amabilis. 606.2.

Digitized by Google

HY

Hyeroglifhica notæ ignobiles. 160.1. *variæ definitiones eorum.* ibid.
Hyeroglyphorum per imitationem, ſeu ſimilitudinem. 160.1. *per tropos & analogiam.* 168.2
Hyeroglyphorum ænigmatica ſpecies quæ ex immitatina & topica mutua permiſtione coaleſcit. 161.1.2
Hyperbole vſus eius ac definitio. 571.2. *Species eius duplex, vna ad augendum, altera ad minuendum, valet ad amplificandum.* 572.1. *ad rem extenuandam vel ſimpliciter, aut comdaratè* 572.2. *ad iocum & facetias, inopinata feſtiu tate ferit animos.* ibid.
Hypotheſis ad Theſin aſcenſus in genere. 74.1
Hypotypoſis vſus & definitio. 562. 1. *quæ per dialogiſmum fit pulchrior.* 563.1. *dominatur in affectibus fit potiſſimum ex conglobatis affectibus & adiunctis.* ib.
Hypotypoſis ſeu deſcriptio auari. 562.2. *Commeſſationis.* ibid. *Valet cum eodem loco diutius commorandum eſt.* 564.1
Hypotypoſis miniſtelli factionis hæreticæ. ibid. *fortiſſimi ducis.* 245.1. *Vrbis obſidione cinctæ, coauinij ſordidi.* 245.2. *apta ad triſtitiam & dilorem ciendum.* 396. *ad illa commendatio & deſcriptio.* 588.2
Hypotypoſis ſeu deſcriptio aut demonſtratio. 244 2. *valei ad amplificandum, duplex rerum & perſonarum ad odium concitandum.* 166. 1. 369. 1. *ad lætitiæ ſenſum exprimendum.* 388.1
Hypotypoſis cum fictione opinionem ingenij gignit, & valet in exordiis. 267.1

I.

IDolopœia. 566.1
Ignis victimarius. 147.1

IM

Imago morientis hominis. 115.2 116.1
Imitationis adiumenta, vis ac neceſſitas. 9.2
Imitationis precepta, modus imitationis faciendus. 10.2
Imitari Ciceronem vnum debet Orator. ibid. *quæ ſint imitanda à ſimili Pictoris & Oratoris.* 11.2
Imitandi ratio multiplex. 12.1
Imitationis cautiones. 11.2
Imitatio & ſimilitudo virtutum paternarum in filiis laudabilis. 591.2
Importuni pictura. 493.2
Imprecatio eius definiteo, vſus, adhibetur cum graui indignatione. ſceleratis malum imprecamur, nobis verò ſi fidem fallamus. 579.2
Imprecatio cum indignatione ad odium ciendum apta. 375.2

IN

Inaugurationis artificium, partes Orationis & vſus. 721.2. *eius ritus.* 722.1
Inauguratio doctoris ritus eius & vſus. 724.2. 725.1.2
Inciſum pars membri. 18.1 *Cum inciſa ſunt contra poſita valent ad increpandum.* 19.1
Incitationis artificium, & vſus. 811.2. 812.1
Incrementum duplex rerum & verborum ad graues amplificationes. 239.2. 240.1
Indignatio quid, quando, quomodo, cienda. 474.2
Indignationem mouent vitæ prioris ſordes ac vtilitas. 475.1
Indignationem prodigalitas ambitioſa parit. 475.2. *rerum ſecundarum inſolentia.* 476.1. *Contentio de dignitate habita cum ſuperiore.* 476 2
Indignatio augetur ſi fortuna melior iudicetur meritis perſonæ, quæ dignis debebatur. 477.1
Indignationem mouent bona non virtute parta, vitia quæ infamiam habent adiunctam. 478.1
Indignatio mitigatur, eius commendatione qui bona vel honores conſequutus eſt, virtutibus eius recenſitis. 479 2
Indignationis characteres iidem qui iræ, de alienis virtutibus iudicia, furor & deſperatio, obtrectatio leuis & inconſiderata, exprobatio continua. 479.2
Indignationis motus in exordiis qualis. 270.1
Indignationis motus ſunt ira. 330.1. *Inuidia.* 331.1
Indoles & natura Italorum. 326.2
Inductio, quid. 209.2. *variæ eius ſpecies, diſtributio per Iſocola.* 210. 1. *valet ad amplificandum & ornandum, fit per aculeatas interrogationes.* ibid. *Antitheſis ornatis.* 210. 2. *per congeriem interrogatione vibratam.* ibid.
Infelicitas opportuna ad gloriam via. 611 2
Infelicitas felix, aduerſa plus prodeſt, quàm proſpera. 611.1
Ingenij dotes, vis, iudicijque maturitas Oratori neceſſaria. 6.1
Innocens ſit, qui alios reprehendit. 766.1
Inſinuatio quid, quomodo, in quo genere cauſa ſit adhibenda. 276 2. 277. 278.1
Inſinuationis precepta, à meritis auditorum in nos. 279 2. *à re aliena & tempore.* 280.1
Inſtitutio puerilis. 526.1
Intellectio tropus. 528.1
Intemperantia cibi potuſque damnatur. 637.1.2

Digitized by Google

*Interpretatio duplex ſermonis & verbi,quid.*541.2.*duas habet partes quarũ altera in deterius,altera in melius interpretatur.*542.1.*particulæ quibus conficitur. ib.*
*Interpretationis vſus per definitiones conglobatas.*542.2
*Interpretatio mentis quæ multas rationes colligit,*543.1
*Interrogatio valet in vituperatione & laudatione,votis, deſideriis & aliis.Hac aduerſario reſpondemus, ſpecies eius varia,vexatio.*583.1.*ad inſtandum,vrgendum acriter apta,ad occupandum quod proponi poſſet per dubitationem,ſubmiſſio.* 584.1
*Interrogatio valet ad iocum & deriſionem,fit per ſubiectionem interrogatio,per ſponſionẽ cum mulctã nobis imponimus,interrogatione monemus & terremus aduerſarium,per eam admirationi iunctam vis additur orationi.*584.1.2.*valet in confutationibus.* 163.1
*Inuectiua & increpatio grauior.*232.2.*quos motus admittat.* 157.1
Inuectiua artificium,quibus induſtriis perficiatur. 864.2.865.1
*Inuectiua in ſuperſtitioſos.*865.2. *In ſegnem & ſalutis contemptorem.*866.1.*In ſeditioſum ciuem.* 581.2
In diuina monita detrectantem. 13.2
Inuentionis definitio. 45.1
*Inuidia,quid,inter pares,aut prope pares, in genere Iudiciali locum habet.*481.1.*maleparta,& non meritis data concitant inuidiam.*481.2. *elata mentis in honoribus aut diuitiis inſolentia,*482.1.*honor datus preter meritum,ac praeceptus.* 482.2. *vita nocens & ambitioſa,ſtudiorum eorumdem æmulatio.* 483.2
Inuidia ſedatur contrariis capitibus, meritis ſcilicet in Remp.charitate in omnes. 483.2
Inuidia tollitur cum aliorum commodis inſeruitur, honor partus laboribus,virtuti debitus. 484.1
*Inuidiæ characteres virtuti contraria,magnitudini animi aduerſa.*485.1.*eius damna.* 485.1. *Domeſticum ſupplicium.*485.2.*Effectus inuidiæ pernicioſi.*486.1
Deſcriptio. *ibid.*
*Inuidia tinea & animi tormentum, Carnifex tortorque domeſticus.*486.2.*Vipera exedens animum.*487.1.*Crocodilus ex gaudio lacrymans,Virtutis inimica.* 487.2
*Inuidia alienæ felicitatis inimica,*489.1.*Cædis & odiorum parens.* *ibid.*

IO

Inuidiæ metus. 126.2
Iocus in orat.nonnunquam adhibendus,quatenus. 506.1
*Ioci multiplices vtilitates.*507.1.*quotuplex iocandi genus* 507.2.*Inimica verecundia ridendi ratio fugienda.*508.1.*Oratoris & ſcurræ diſcrimen.ibid.quid in iocis & riſu vitandum.* *ibid.*
Iocandi ars difficilis & pericuIoſa. 508.2
*Ioci & riſus & facetiæ permittuntur Oratori, ſcilicet vrbanitas.*512.1.*Ruſticitas,venuſtum,ſalſum.ibid.*
Ioci ſerij triplex genus,honorificum,contumelioſum,medium. 512.2
Iocus in re,verbo,vtroque. 513.1
Iocus & Cauilatio in fabula & hiſtoria. 513.2
*Iocus ex imitatione ibid.& inuerſione.*514.1. *Irriſio in iocis ficta ſtultitia, expectatio, Deprauatio.*514.2
ſuſpicio. 515.1
*Ioci in re & in verbo ſimul ambiguum.ib.paronomaſia, collatio,abiectio,ſimilitudo.*515.2.*cauſa.* 516.1

IR

Ioſeph pudoris Rex. 652.2
*Ira quid,in appetitu reſidet.*443.1.*diſcrimen iram inter & iracundiam,& odium.* *ibid.*
Ira rationi obſequens, & moderata cos fortitudinis, & adminiſtra virtutum, affectuum vitioſorũ medicina, telum naturæ,præſidium innocentiæ. 443.2.444.1
Ira incenditur opinione contemptus & iniuria. 444.1
*hoſtis in rebus noſtris aduerſis gaudio : perſona contempta dignitate.*444.2.*leui de cauſa, contemptus artis in qua quis excellit contemptione.* 445.1. 2.
*amicorum deſpicientia,perſonæ contemnentis abiecta conditione.*446.1.*maledictis,ac contumeliis, oppoſitione.*446.2. *cum fraudibus & mendaciis, Ingrati animi vitio.*447.1.*Officij negatione,& obtrectatione vel audita,vel probata, amplificatione iniuriarum.* 447.2
Ira reſtinguitur verbis amorem ſpirantibus,perſonæ conditione,puero,muliere,pontifice,innocentia, mollitudine,veneratione,mollitur ira. 448.1.2
Iram frangit iniuria prius illata,animi demiſſio,inimicorum incommoda,temporis opportunitas. 449 1.2.
defectus proprius. 450.1
Iræ remedium mora,damna, fortis animi commendatio extinguit iræ incendium. 450.1.2. *perſona lædentis conditio,matura reſiſtentia.*451.1.*iræ fœditas propoſita,Iræ ferocientis effecta.*451.2.*culpæ cognitio non per contemptum admiſſæ.* 452.1. *Irati hominis deſcriptiones.* 452.2.453 1
Iræ characteres & effectus,rationis perturbatio. 452.1
*vultus deformitas.*452.2.*ardor oculorum.*453. *perturbatæ mentis impotẽtia,vlciſcendi cupiditas.*454.1

Digitized by Google

ficta pax & ſimulata facilitas. 454.2. Deſperatio vltionis, Imprecatio & contumeliæ, grauior indignatio, 455.1. Terror & minæ, vltionis gaudium & ſolatium. 455 2. contemptio ac deſpicientia. 456.1.
Iræ loquacitas ſiue contemptum amplificet, ſiue commendet ſe pluribus, ſiue indignetur & incuſet, ſeu doleat ſpem vltionis ademptam. 456.1.2. Iræ indomitæ mala. 457.1.658.2.
Iraſcibilis κίων dicitur. 171.2
Iram frangere ingentis & patientis eſt animi. ibid.
Ira cum feris compoſita. 558.2
Ironia, variæ eius ſpecies. 529.1.2
Irriſio in iocis ficta ſtultitia. 514.2
Italiæ fœcundæ Matris cōmendatio, deſcriptio. 589.1
Italorum mores. 107.1

I V.

Iudicialis generis dignitas & præſtantia. 839.1. eius inuentio. 841.2. Circumſtantiæ ſeu factorum, loci expendendi, natura, mores, parentes, gens. 842.2.843.1. Criminis natura, loci opportunitas. 844 1. Inſtrumenta, finis & vtilitas. 845.1
Iudicialis generis diſpoſitio. 848.2. Exordium quale. 248.1. partes eius & materia. ibid. Narrationis eiuſdem ratio. & virtutes. 850.2. Narratio duplex, altera ſummas rerum, altera ſingula colligit. 851.1 Confirmatio qualis, quibus argumentis, quo ordine fiat. 851.2. Peroratio quos motus admittat. 852. 2
Iudicis boni partes & officium. 676 2. Iudices iniuſti. 726.1
Iulianus Apoſtata prodigio admonitus. 424.2. eius emblemata. 174.1
Ius gentium & ciuile. 176.2. Ius ſine clementia crux. 669.1
Iuſiurandi formula & religio ante Iouis effigiem ὅρκιος. ibid.
Iuſiurandum ad ὅρκος Bitiniæ flumen. 191.2. Mores perſonæ iurantis examinandi. 191.2
Iuriſiurandi quadripartita diuiſio. ibid. periuro & mendaci eadem pœna conſtituitur. ibid.
Iuſiurandum eius non admittitur, qui peierare facilè didicit. 192.1. bonitate cauſæ fretus ad iudices prouocat, iuſiurandum renuit. ibid.
Iuſiurandū probus detractat improbus nunquā 192.2
Iuſtitiæ commendatio 31, 2 neceſſitas. 660.1. Dei cultum & obſeruantiam ſibi aliiſque imperare, & amorem quærere, fauorem & auxilium implorare, vni Deo accepta referre omnia. 660.2. Deo ſupremos honores habere, non furari. 661.1
Iuſtitiæ laus & effectus. 661.1
Iuſtitiæ purpura, thronus ſolium, iuſtitiæ præſidum officia. 727.1.
Iuuenum indoles. 107.2
Iuuenilis ætatis mores. 227.1

L A

Lacrymæ lingua cordis & amoris. 342.1.343.1
Lacrimæ proſunt ſi ad ſordes animi eluendas funduntur vbertim, non ob alia. 400.1
Lætitia motus animi, ſeu ſenſus boni præſentis, commutatio malæ fortunæ lætitiam facit. 386.1
Lætitia maior ex magna moleſtia. 386.1
Lætitiam auget comparatio propriæ fortunæ cum aliena. 386.2
Lætitiam parit inſpiratum bonum. 387.1. nouitas & inſolentia rei. 387.2
Lætitiam exprimunt pompæ celebritas, & amœnitas locorum. 388. 1.2
Lætitia vera fluit è ſola virtute. 388.2
Lætitiæ & gaudij deſcriptio. 389.2. Excitat animum & ſpe oblectat. ibid.
Lætitiam facit calamitas improborum. 390.1
Lætitia nimia moderanda, quæ ad ſuperbam inſolentiam animum efferre conſueuit. 390.1
Lætitiam remittit rerum, ob quas lætamur, vanitas & turpitudo. 390.2. Fortunæ variantis caſus, inane gaudium emendat. 391.1. vbique voluptati & lætitiæ mœror & triſtitia adhæret, vt roſis ſpinæ. 391.2
Lætitia timore coërcetur. 391.1.
Lætitiæ effectus in corpore lacrymas elicit, deliquium. Mors ex nimia lætitia & gaudio, venuſtas oris & vultus gratia. 392.2.393.1.
Lætitia feſtos dies & conuiuia excitat. ibid.
Lætitia in animo reſoluit & abigit curas, timorem, doloris ſenſum. 393.2. fucum adimit & ſimulationem, non ſpem, quam erigit. ibid. ex gaudio naſcitur amor, plauſus & feſta congratulationes. Deſiderium acuit. 394. 1. 2. præteriti mali recordatio gignit lætitiam, & ad vota pro diuturna fruitione aſcendit. 395. 1. Epithalamium & genethliacon lætitiæ maioris ſenſus excitat. 395.2
Lætitiæ motus in exordiis. 269.2

L A

Lamentationis artificium. 716.2
Laudatiui generis commendatio, materia, finis, inuentia. 586.1.2

Laus

Digitized by Google

Laus à patria, 588.1. à ſimilitudine filiorum, qui paternam virtutem imitantur, ac referunt. 590.1
Laus & encomium pueri, ex quibus capitibus. 695.1. conſiderantur in eo, quæ ante ortum, quæ in ortu, à moribus, diſciplinis liberalibus, à præcone prudentiæ & virtute matura, à pudore, morum innocentia, parentum obſeruantia. 695.2.696.1
Laus & commendatio adoleſcentis, eius artificium, à quibus capitibus. 696.2
Laus Regis & Principis in vniuerſum, eius artificium. 697.2 698.1
Laus Principis fœminæ. 699.1
Laus rerum inanimatarum, 699.2. crucis. 700.1. eius effectus. ibid.
Laus fontis. 601.2. Regionum & vrbium. ib.
Laus gentis aut Nationis, qualis. 702.1
Laus virtutis merces. 779.1
in Laudationibus modus adhibendus, honeſtæ laudis materia eligenda. 687.1

L E

Lectio frequens & attenta Oratori neceſſaria. 33.2
Lectio doctrinæ munus operatur. ibid.
Lectionis monita, ſit conſtans & aſſidua. ibid.
Lectio Orationis pabulum, theſaurus ſapientum. 34.1 Modus in legendo ſeruandus, ib. coërcenda legendi nimia cupiditas. 35.1. legendus optimus quiſque. 36.1
Lectio attenta & moroſa, non deproperata, non cruda. 34.2. prudens & accurata. ibid. non vaga, quæ plus laboris habet quàm fructus & vtilitatis. ibid. Ordinata. 35.2
Legendus auctor à capite ad calcem, non curſim. 35.2. non perfunctoriè, ſed meditatè, conſtanter. ibid.
Lectio librorũ turpiũ per cõparationes expreſſa. 559.1
Lectione libri hæretici Catholicus, factus hæreticus 296.2
Leoplani matreæ beſtiæ Epitaphiũ ænigmaticum. 171.2
Lex, eius definitio. 176.2. Dei donum, neceſſitas, quomodo ſit vrgenda. ibid.
Legis de homicidiis contra Milonem praxis & Idea. 177.2
Lenitudo deſcribitur. 461.2
Lex non facile immutanda. 177.1
Legum oppoſitio, legis interpretatio. 178.1.2
Legiſlatoris mens expendenda. ibid.

L I

Liber doctoris in creatione. 725.1
Librorũ malorũ lectio pernicioſa, & periculoſa. 559.1
librorum delectus. 36.1
Liberalitatis commendatio, Principis virtus. 638.1
Liberalitas publica Congiarium. 639.1. Varij liberalitatis nummi. ibid. Annonæ cura & prouidentia liberalitatis nota. 640.1
Liberalitas in vectigalibus remittendis, aut minuendis, de quibus antiqua numiſmata. 640.2
In conferendis Magiſtratibus. 641.1
Liberalitatis laus petitur ab ædificiis publicis. ibid. In quos ſit exercenda liberalitas. 642.1. bonis dandum & afflictis pauperibus. 642.2. benemeritis non merentibus 643.1. externis & remotiſſimis populis, non poſtulantibus. 644.1
Liberalitas in puerorũ inſtitutione procuranda. 644.2 Quantum largiri conueniat: largitatis duo genera. Principes à miſericordia & charitate, liberalitateque laudati. 645.1.2
Liberalis ex ſuo, non ex alieno, dare debet. 646.2. Similiter & iucundè dandum, promptè & celeriter. 647.1. liberè non coactè, vltrò & gratuitò. 648.1
Liberalitatis finis ſit honeſtatis amor, non flagitij, aut dedecoris fuga. 648.2
Liberalitas gratuita non quæſtus, aut lucri gratia, non captandæ opinionis cauſa. 649.1
Liberalium artiũ diſciplinæ Principi neceſſaria. 593.2
Licentia valet in exordiis. 268.1. definitio, vſus ad remittendam facti inuidiam, ad comminandum, ad oſtendendam fiduciam, ad inſultandum aduerſariis. 680.1. ad obiurgandum, commonendum, ad aſſentationem. 680.2
Lidiorum cum Francis comparatio vtrorumque laus. 487.1
Liuor, eius deſcriptio. 50.1

L O

Loci Rhetorices extrinſeci, definitio probationes arte carentes. 140.1.2. eorumdem diuiſio in diuinum & humanum teſtimonium. 141.1
Locorum Rhetorica theſaurus inexhauſtus. 44.1. definitio vſus, diuiſio, intrinſeci, aſſumpti, vtrorumque praxis: inſitorum numerus, delectus. 45.1.2. eorum familiaris vſus. 198.1
Logogryphus multiplex, in primis, mediis, vltimis ſyllabis, per detrectationem. 165.1.166.2. in ſyllabis ambigua, Dominus. 167.2

L V

Lucerna Theodoſij αὐτόματος. 32.2
S. Ludouicus hæreſim debellat. 243.2
Luſtrica Orationis artificium, ad nominis impoſitionem. 610.2. Eiuſdem partes. 711.1

Digitized by Google

M A

MAchbal rerum conſtantia. 229.2
Magnitudo animi & celſitas quid. 656.1
Magna ſemper præſtare videtur, qui gloriam bonamque famam ſectatur.656.2.Hanc ſapientes in actibus ſuis ſpectarunt. ibid.
Malum duplex priuatum,publicum. 406.1
Manſuetudo,quid.457.1.Conciliatur morâ, contemptus ſuſpicione depoſita,457.2.criminis ingenua confeſſione & libera, 457.1. humanitate & animi demiſſione,beneficiorum commemoratione. 458.2. Amoris blanda ſignificatione, caſu alterius & grauiori pœna,quam ſubiit, virtutis commendatione. 459.1.2.Metu grauiore, deprecatione. 460 1. Exemplo virtutis eiuſdem in duce,quam ipſe imperat, animi de ſe triumphantis magnitudine. 460.2. Leni ſeueritate & miſericordi. 461.1
Manſuetudo deſcribitur vultus moderatione & modeſtia. 461,2
Manſuetudinis characteres & notæ. 462.2
Mater filium lactare cur debeat. 600.2
Martis poculum in expeditione militari ferri ſolitum. 618.1

M E

Meditationis vſus & monita. 38.1
Membrum pars periodi. 18.1
Membratim dicere,valet ad refellendum,inuehendum, narrandum. 19.1
Membra miſcentur cum inciſis, ibid.
Memoria definitio conglobata. 42.2
Memoria facultas. 61
Memoriæ præcepta,eius mors vinum & libido. 43.1.2
Mens,eius excellentia per definitionem conglobatam expreſſa. 205.2
Mercurij virga Eloquentiæ ſymbolum. 505 2
Mercurij artis imago. 96 1
Metaphora ſeu tranſlatio multiplex. 520.1
Metonimia quatuor modis efficitur. 518.1
Metus & miſericordia motus. 330 1
Metus honeſtatis cuſtos grauior ex impendentis mali opinione perturbatio. 422.1
Metus concitandi induſtria,noſſe quid ſit,quo quis ducitur,periculorum denunciatione. 422.2.41.1
Metum excitat periculi vicinitas & magnitudo rerum nobis cariſſimarum iactura. 422.2
Metum iniiciunt malorum impendium ſigna ac portenta. 425.1
Metuitur nocendi poteſtas. 424.2. virtus & probitas afflicta contumeliis. ibid. præceps furor viribus elatus.425.1.accepta iniuria,426.1.Illata. ibid.
Metum iniicit æmulatio & honoris contentio, conſcius & particeps ſceleris,426.2. tranquilla diſſimulatio, & improbitas. 427 1
Metus & timoris vis & effecta.427.1.Mali præteriti ſi recordatio,& experientia metum ciet,427.2.præcox & anticipata miſeria. 428 1
Metus ſedatur non admittendo timorem, nec miſeriam ante tempus. 429.1
Metus & timoris remedium cupiditatis finis.430.1. Memoria futurorum malorum timoris tormentum. 430.2.promiſſa conſtantis fortunæ melioris euentus. ibid.præmeditatio mali futuri,Opis & auxilij diuini promiſſio, bona conſcientia metum excutiunt animo. 431.1
Metus tortor & ſatelles mentis. 442. 1
Metus characteres & notæ,pallor,horror ſudor,genuum cadentium fracta debilitas, ſomnus inquietus & vigiliæ 432.1. ſolitudo diſcrucians, ſollicita ſuſpicio, ſparſus rumor fuga præceps, 433 1. præſagitio,diffidentia mali expectati, Audacia,vocis interclusio,hæſitatio linguæ,434 1.2.preces & vota.Solitudo, Titubatio,querelæ frequentes. 435.1.2

M I

Mimica dicacitas. 509.2
Miniſtrorum Dei munus & officia. 523.1
Miſericordia cum ieiunio. 559.1
Miſericordia quis motus. 127.1. eius concitandæ induſtria,florentis fortunæ in deteriorem mutatio.463.1. Senectus calamitoſa.464.1.Mors propinquorum & orbitas miſera.464.2.Corporum vexationes & morbi.465.2.Rerum inopia. 466.1.ſuorum exilium & abſentia, variæ circumſtantiæ, perſona innocens calamitoſa,466.2.ætas tenera, locus & tempus luctum augent,467.2.cauſa calamitatis,finis,repentinus caſus. 468.1
Miſericordiam mouet modus calamitatis.468.2. petitionis modeſtia,469.1.comparatio ærumnarum cum aliis deprecatio lugubris.469.2. Sermocinatio luctu pleniſſima,470.1.Indicia rerum miſerabilium, & imago quædam mortui. 471.1
Miſericordia euertitur ſceleribus & probitate propoſita. 472.2
Miſericordiæ characteres & notæ,tota lugubris & amẽs dolore. Querela,deliquium.473. 2. habitus ſqualore obſitus,alunt doloris & infortunij particeps. 474.1

Mo

M O

Modeſtia commendatio. Dei donum pulcherrimum. 677.1
Modeſtia Chriſtiani hominis argumentum. ibid. Viro principi neceſſaria,concilia auctoritatem. 677.2
Modeſtia contemnit honores & fugit, aut ob accepto non inſoleſcit. 678.1 *ſeruata moderatio laudabilis.* 679.1.*meritos tamen admittere glorioſum.* 679 2
Modeſtiæ nota in Principe legibus ſubeſſe. 680.1.*diuinis Pium.* ibid.
Modeſtus meritos honores vix amittit,tantum vt obſequatur.ibid.humaniter omnes excipit, honoribus non mutatur niſi in melius. 680.2
Modeſtus demiſsè & humiliter ſe gerit. ibid.
Moguntia. 50.2
Mollis & otio diffluentis deſcriptio. 78.2
Monarchia quid,eius finis. 326.2
Mordacitas exprobratio directa ad contumeliã 367.2
Mores regionum & ſtatus Rerump. noſſe debet is qui mouere deſiderat alios. 325.1.326.2
Mores ætatis cuiuſque nocendi. 327.1 2
Morum turpitudo in adoleſcentibus pernicioſa. 558.2
Morientis hominis imago. 115.2
Mortis & amoris comparatio. 86.1
Mors mulier mala. 50 2. *eius imago,durities.* 737.2. *pretium vitæ* 850.1
Mors vbique,prodigia quædam. 738.1
Mortis codex aureus. 738.2
Motus lenis duplex, vnus in perſona dictis prudenter, moribus factis,inſtitutis,dignitate. 505.1
*Motuum neceſſitas & commendatio.*321.1.*Ad motus, fortunæ educationis,temporis valetudinis,conditionis affectus cuiuſlibet contemplatio & cognitio.*328.1.2 *Temporis & rerum inclinationes ſpectandæ.* 329.1

M V

Mulier *impudica.*97.1.*Compta.* 249.1
Mulieris bonæ & malæ mores. 107.2
*Munificentia commendatio & definitio,vſus,tria ſumptuum genera laudem merentur, ſacra quæ ſplendorem longè maiorem requirunt, quia Deum,religionemque reſpiciunt.*649.2.650.1.2. *publica quæ ad commune bonum & vtilitatem pertinent,& ſunt honeſta,vtilia,diuturna.* 651.1.2
Munificentia eſt ædificare collegia,ſeminaria,Xenodochia. 652.1
Munifici Principes in ædificiis Deo conſtruendis. ibid.
Muſica motus ciet,ac ſedat. 16.1

N A

N*Arratio,artium quoddam Orationis eius definitio* 288.2.*diuiſio altera cauſæ dicitur, altera rerum, quæ ad cauſam pertinent,ſimplex;ornata, vtriuſque idea.* 249.1
Narrationis præparatio quando requiritur, vel omittitur. 289.2
Narratio ornamenta,quæ. 290. 2
*Narrationis figuræ Hypotypoſis,*291 2.*ſuſpenſio ad dignitatem Narrationis & voluptatem.*292.1. *obliquæ Orationes,Exclamatio & Admiratio ad motus.ibid. Epiplexis ad increpandum.*262.2.*quæ in narratione motum excitent.* 239.1
Narrationis virtutes quatuor, quomodo fiat probabilis. 303.2 *Circumſtantiis potiſſimum & ſimplicitate:ab affectione & habitu,conſiliis,Oratione,caſu.* 294.1 *hominum opinione a loco,à conſtanti memoria, narrantis probitate, verbis vſitatis, rerum diſtinctione.* 295.1.2
Narrationis breuitas,quibus fiat. 196.1. *particione ad tedium leuandum, expeditione, rerum & verborum ſuperflua repetitione oblata.* 296.2
Narrationis ſuauitas,ſi concidatur identidem exclamatione, infinitis vocibus vtamur, figuris illuſtretur. 297.1.
*Narrationem ſuauem efficiunt admiratio, inopinati rerum euentus,metus,ſuſpiciones,deſideria, affectione hominum.*297.1.2.*breues apologi delectant.*298.1
Narratio feſtiua debet grauitate condiri. 298.1. *Idea feſtiuæ narrationis.* 298.2.299.1
Narrationis perſpicuitas fit verbis vſitatis, propriis, diſpoſitis. 300.2
Narratio claudenda Epiphonemate. ibid.
Natalis dies hominum & vrbium. 703.1.2.704.1
*Natiuitatis commendatio ex adiunctis temporis.*597.1
*Natalis diei cũ virorum illuſtrium die concurſus.*507.2
*Modi ſi beatus & ſalutaris natalis dies fuerit.*538.1
Natiuitatem præcedentia faciunt ad commendationem. ibid.Concomitantia,prodigia. 695.2.696.1
Natiuitatis ordo,vt primogenitus,obſeruandus. 598.2

N I

Nero crudelis. 51 1
Nicias amentiam mentitus; vt vitam ſuam à morte eriperet. 265 1
Nilus dictus Aquila,Oceanus 58.2.*illius imago & pictura ænigmatica.* 161 2
Niobes in ſaxum conuerſa epitaphium. 171 2

No.

Digitized by Google

N o

Nobilis,ſed expers eruditionis, non oſtentationis, deſcribitur & irridetur. 175.2.

Nobilitas,eius cõmendatio,virtutum parens & origo laudum,Principes facit,commendatur antiquitate. 591.2.*à virtutibus & honoribus partis.* 592. 1.2.

Nobiles cæteris præferuntur in dignitatibus obtinendis. 593.1.

Nobilitas liberalium artium diſciplinis exculta, hiſtoria maximè. 563.2.

*Nobilitas inane nomen,eleuanda nobilitatis vſus.*595.1

Nobilitas ſine virtute titulus in trunco & ſtipite.ibid.

Nobilitatem præſtat peperiſſe, quam acceptam corrupiſſe. 595.2.

Nobilitas crimen admiſſum grauius facit. *ibid.*

Nobilitas omnium æqualis. 596.1.

Nobilium charactêres & mores. 586.2.

Nomina gloriæ vel ſcelerum notæ 55.1.

Nominis commendatio per comparationem. 55.2.

Nominis interpretatio & contentio virtutum,laudem ampliſſimam facit. 56.1.

Nominis laus & vituperatio. 599.1.

Nomen inuidioſum & turpe non imponendum,à Prætore nec admittendum. *ibid.*

Nomen illuſtre fit à perſona,quæ imponit illud, aut gerit. 599 2.

ad Nominis impoſitionem Oratio,quod eius artificium & vſus. 711.1.2.

*Notatio nominis à facetiis,*541.*ad acumen & vrbanitates.* 54 2.

Notationis regulæ & cautiones. 56 2.

Numæ Regis effatum de robore. 67.1.

Nuptialis Orationis artificium , partes & illarum vſus. 712.1.2.715.1.2.

O B

*Obiurgationis artificium,*866.2.*exordium à vituperatione perſonæ,turpitudine criminis, adiuratione.*867.1.*A ſpe virtutis & expectationis, à dubitatione.*

Narratio obiurgationis rem oculis ſubiicit. *ibid.*

Obiurgationis confirmatio loci , temporis,perſonarum adiuncta continet. 868.2.

Obiurgatio in filiũ matri minus obſequentem. 868.2. *In milites timidos & fugaces. ibid.Quo lenimento mitigari debeat obiurgatio,eius finis eſt emendatio.* 869 2.

Obiurgationis qualis eſſe debeat Epilogus. 870.1.

Obiurgatio patris in filium diſſolutis moribus. 870.2.

*Obſecrationis definitio,vſus,variæ eius ſpecies.*562.2.

Obſidio vrbis. 245.2. 563.1.

O c

Oculus Dei videt omnia. 660.1.

*Occupatio valet in exordiis iudicialibus.*267.2.*in refutationibus & probatione,ad præueniendos ſenſus auditorum.* 530.1.

Occupatio fit per liberam confeſſionem,per emendationem , per prædictionem 530.2. *per præſumptionem interdum conciſam,alias magnificam,per obiectionem & depulſionem.in his perpendendæ ſunt hominum iudicia.*531.1.*Adhibetur in cohortationibus & refutatione.* 532.2.

*Occupatio valet ad dehortandum,*533. 2. *docendum, refellendum.* 534.1.

*Occupatio duplex alia perfecta conſtans tribus partibus,propoſitione,enumeratione,remotione.*534.2.*Imperfecta cui deeſt vna ex propoſitionibus,in neutram partem cadit enumeratio.* 535.1.

Odij motus 1 6. 2. *eius natura & cauſa quatuor,naturale Odium,melancholicum,ferinum,humanum.* 364.1.*Vt virtutes ſunt amoris cauſa & illecebræ; ſic vitia Odij; Incommoda quæ per Hypotypoſim. ſubiiciuntur.* 365.1.

*Odiorum fomes calumnia.*365. 2. *Contemptus odium parit , ſi perſonæ lædentis indigna ſpecies,funeſta, crudelis,exprimatur,aut læſæ dignitas , virtus,innocentia,cum eius, qui læſit,improbitate.*366. 1.2. *Iniuriarum figurata deſcriptio.* 367.1.*Hypotypoſis liciarum ſordidæ voluptatis,& honoris incenſa cupiditas,vitiorum turpitudo fomes odiorum.*367.2 368. 1. *Audax impudentia,iniuſtitia, vel iniuria gratis illata.*369.1.*inſolens ſuperbia.*370.1 *crudelitas impotens.* *ibid.*

Odij ſeminarium inſana cupitas & auaritia 371. 1. *Ingrati animi labes, nimiæ potentiæ abuſus.* 371.2. *Odium facit impietas in Deum.* 372.1.

Odium extingunt preces & lacrymæ incommoda quæ ex odio proueniunt illud promittunt. 373.2.

Odium remittit amor & lætitia. 372. 2. *Definitionis induſtria.*373.2. *Mors cupiditatis & rerum contemptus.*374.2.*aduerſa fortuna & pietas odium reſtingunt.* 375.1.

*Odii charactêres & effecta,eſt Imprecãs.*375.2.*vlciſcẽs*

Digitized by Google

& nocens, Exprobrans, Conuitians. 376.1.2 *minax, in furore pertinax. Publicum & apertum, latens & obſcurum, triumphans & vltionis appetens, in aliena calamitate exultans.* 377.1.2
Odium ſibi inimicum, crudele, immortale, inexplebile, 378,1.2. *præceps furor. ſperans, deſperans. Auerſum, amicitiæ venenum.* 379.1.2. *amoris & odij Antitheſis.* ibid.
Oligarchia quid, qui eius finis. 326.1
Ονόσανδρος. 168.1

Op

Oppoſita in quatuor claſſes diuiſa. 92.1
Oppoſitio, ratiocinatio oppoſita. 108.1
Oppoſitionis vſus & definitio, valet ad cohortandum & dehortandum: alias dicendi libertas eſt, quâ fidem facit obiurgando. 552.1.2. *vel blandiendo conciliat auctoritatem & amorem.* ibid.
Optationis definitio, vſus, conuenit dolenti, timenti, ſperanti. 578.1

Or

Oracula quomodo tractentur, aſſumantur, infirmentur. 141.2.142.1
Oratio qualis eſſe debet. 225.1
Orationis numeroſæ definitio, virtus variis ſimilitudinibus expreſſa. 15.1
Orationis adſtrictæ numeris & carentis interuallis diſcrimen. 17.1
Oratio producta & libera, periodica ſeu ambitu definita, hæc antiſtrophis, illa dithyrambis ſimilior. 17.1
Oratio numeroſa ſuauis, nullis terminata ſpatiis iniucunda. ibid.
Orationis verſæ & ambitu comprehenſæ forma. 17.2
Orationis ſplendor ornat, velocitas mouet, aſperitas increpat, vehementia impellit, vigor excitat, amplitudo vrget, venuſtas & ſuauitas delectant. ibid.
Oratio fucata. 40.2
Orationis definitio, & præſtantia, Dei fœtus. 252.1. 253.1. *Quatuor eius partes, vel in ipſa natura deprehēduntur, quis ordo ſeruādus in Oratione.* 253.1.2
Oratio morata eſſe debet atque pathetica. 269.1. *quibus talis reddatur.* ibid.
Orationis neceſſitas & vtilitas. 545.2
Oratio illuſtris quibus verbis fiat. 223.1. *vis Orationis & Eloquentia in verbis perſpicitur.* ibid.
Orationis prolixitas vitanda. 28.1. *metus indicatione, deprecatione.* ibid.
Orationum tria genera. 578.1
Orationis mores amabiles quibus fiant. 272.2. *Modeſtia quæ ſuſpicionem arrogantiæ declinat.* ib. *& acerbitatis quæ moderari debet tranſlatione culpæ.* 273.2. *Iuſta commotione, præmunitione, pollicitatione moderationis, excuſatione & venia.* 274.1.2. *Commendatione amore & beneuolentia.* 275.1. *promiſſione amica, perſonæ commutatione, ac præteritione.* 276.1. *Nominis omiſſione, reiectione culpæ: quæ omnia ante refutationem adhibenda ſunt.* ibid.
Orator in exordiis pudorem verecundum præ ſe ferre debet, ac modeſtum timorem. 281.1
Ὅρκιος Iouis effigies ante quam iuramentum accipiebatur & Ὅρκος Bitinicæ flumen. 191.1
Oreſtis oſſa reperta per Oraculum Lacedæmoniis victoriam portendunt. 143.2
Otium fugiendum. 362.1

P

PAcis Angelus. 821.822. *& ſeqq.*
Pacis vtilitas & commoda. 546.1
Pacta, conuenta, quid & quomodo tractentur in vtramque partem. 186.1.2
Palma, annus ænigmaticè. 160.2
Parabola ſimilitudo illuſtris. Parentes qui imitatur laudabiles. 590.1
Pariſa. 683.1
Partium enumeratio ad perſuadendum efficax, eius partitio per Iſocola. 60.2. *rem illuſtrant.* ibid. *Integralis diuiſio corporis reſpectu partium.* 61.2
Partium enumeratio collectiua. 62.1. *affirmatis partibus affirmatur totum.* 62.2. *A negatione ſingularum partium* 63.1. *ab vnius partis affirmatione,* ibid.
Partium enumerationis vſus triplex, ad œconomiam Orationis, ad fidem faciendam. 63.2.64.1. *Valet ad laudem & vituperationem.* 64.2. *per negationem fit, cùm negatis partibus contraria ſubiiciuntur.* ibid. *ad refellendum & probandum valet.* 65.1. *partibus enumeratis altera omiſſa concludet per congeriem.* 55.1. *poſita parte remouetur totum oppoſitum.* ibid.
Partium enumeratione ad deſcriptiones vtimur. 66.1. *ad amplificationes.* 66.2. *fit per effecta, per adiuncta.* 67.1. *à conſequentibus, ab efficientibus cauſis.* 68.2
Partium enumeratio fit per varias figuras. ibid. *prætermiſſionem.* 69.2. *ornatur hic locus per diſtributionem.* 70.1. *hac extenditur periodus.* 24.1
Patientiæ commendatio, definitio, laus eius duplex, vna in tolerandis rebus aduerſis occupatur, altera immoderatè ferendis iniuriis. 658.1.2. *patienter & moderatè*

Digitized by Google

ratè ferens aduerſa regno dignis creditur, 659.1.
Patientia laudem detrahit inopia, auget voluntaria perpeſſio. 659.2.
Patriæ laus. 588.1. ab antiquitate, à virtutibus, à viris illuſtribus, ab adminiſtratione, fertilitate ſituque nobili. 588. 1. 2. Ex patria ignobili nobiles extitere-runt, 589.2.
Patriæ propugnatores aurei generis viri dicũtur. 617.2
Pauo in nummis pro mulieribus conſecratis exprimitur. 747.1
Pauo Iunonis ales 518.2. cœleſtis domus ſymbolũ. ibid.
Pauper diues eſt, ac felix ex repugnantibus. 101.2

P E

Peccati fœditas & effectus. 25.1.52.2
Peccans peior Dæmone ipſo. 237.1
Periculis Clementia. 668.2
Periodus continuatio commatum, fornicibus ſimilis, clauis, ſpatium & meta, Oratio in orbe incluſa procurrens. 17.2.18.1
Periodicè dicere quid. 28.2
Periodi variæ ſpecies bimẽbris. 19.2. Trimembris quadrata eloquutioni variandæ aptiſſima. 19.2.20.1
Periodus colis & inciſis varianda. 20.2
Periodicè dicendum in exordiis, & argumentis proponendis. ibid.
Periodi artificium vis verborũ in illa explicanda. 21.1 ſplendor vocum & velocitas, particula hypotetica, & ſynonimia periodum extendunt. 21. 2. 22.1.2
Periodi fundendæ methodus, epithetis. 24.1. Enumeratione partium. ibid. Auxeſi, Adiunctis, diſiunctione, verborum congerie, conglobatione effectuum. 24.2. 25.1
Periodi contrahendæ ratio, fit particulis quæ vim habent comparationis, diſtributionis, optationis, incrementi, relationis, negationis. 25.2.26.1
Periodi numerus. 26.1. qui pedes apti principiis. 27.1. in clauſulis. 27.2. in medio collocandi. 28. 2 pro rei varietate pedes in periodo & Oratione adhibendi, vt celerius aut tardius incedat. ibid.
Periodi iunctura, verborum ac ſententiarum cohærens & accommoda diſpoſitio. 29.1. eius præcepta. ibid.
Periodi ornatus metaphora. 29.2. ſimiliter cadens, Iſocola, ibid. Ipizeuxis, ſimilitudo, acutè dicta. 30.1
Periodo variandæ caſus idonei, varietate figurarum & mutatione caſuum. 30.1.2. Apoſtrophe, repetitione, conceſſione, exclamatione, gradatione, comparatione, communicatione, dubitatione, tranſitionibus. ibid.
Periodi dilatandæ vſus & ratio. 31.1.2
Peroratio motuum ſedes, triplex dicendi ratio. 310.1
Perorationis munera, definitio. 310. 1. 2. Repetitio argumentorum per contentionem & collationem. ibid. Per Ironiam fit hac enumeratio, per interrogationem, per ſimplicem enumerationem. 311.1
Perorationis cautiones, tantum ita repetenda, in quibus cauſa conſiſtit pondere verborum & ſententiarum dicenda, leui præteritione vtendum. 311.2. genus ſolutum adhibendum, membratim & cæſim dicendum. ibid.
Peroratio generis demonſtratiui qualis, quis in illa modus. 693.2.694.1
Perſarum ritus funebris ignis extinctio. 739.1
Perſarum Rex vnguento perfuſus columbas ad auram excitandam deſtinet. 723.1
Petitionis artificiũ, duplex huius generis Oratio recta & obliqua, vſus & partes Orationis. 717 1.2.718.1
Phantaſia vis Oratori neceſſaria. 6.1

P I

Pietas in Deum & ſuperos, victorias loquitur & concedit. 660.2
Pietatis officia. 661. 1. tueri & amplificare religionem, obſeruantia proſequi Antiſtites & ſacros Deo homines 662.1. loca Deo ſacra colere. 662.2
Pietas in patriam, parentes. 663.2. Eius charitatis & Iuſtitiæ numiſmata. 664.1
Pietas & concordia in fratres, huius caritatis Nummi. 665.1
Pietatis regia commendatio & virtutũ omnium. 698.1
Pileolus veritatis doctori datur in eius creatione. 586.1

P O E

Pœnitentia mors vitalis. 99.1
Pœnitentia figura quæ attemperatio dicitur cùm ſibi modum facit Orator. 562.1
Poëſis commendatur. 165.1 155.2
Poëſis cum oratoria facultate comparatio, & vtriuſque commendatio. 546.1
Poëſis & Muſicæ comparatio. 554.2
Poëſis & pictura conuenientia. 171.1
Poëtæ laſciui non legendi. 36.1
Polycletis ſtatua. 740.2
Polyptotom. eius vſus ad vehementiam & venuſtatem valet in Oratione. 527.1
Polyſintheton, ad inſtandum, ad vrgendum. 528.1
Portenta & prodigia. 501.

Digitized by Google

PR.

Præceptores vt amorum parentes obſeruandi. 666.2
Prædonis definitio per ſimilitudinem. 52.1
Præiudicia, tria eorum genera, exempla, iudicia ad cauſam eandem pertinentia. 193.1. *decreta eiuſdem cauſæ.* 193.2. *quomodo confirmentur, & auctoritate & commendatione eorum qui ſententiam pronuntiarunt; examinandum & comparandum cum iudicio noſtro.* 194.1.2. *aliorum decretis inhærendo. ibid.*
Præiudicia infirmantur à cauſa diſſimili. ibid. à non ritè facto præiudicio, ſcilicet inuidia, tumultu. 195.1. *à nouitate cauſæ vel mutatione rei.* 195.2
Præſentia Dei. 298.1
Præſidis inſtitutio, creatio, inauguratio, orationis vſus & artificium. 726.1
Præſidibus quare iuſtitia purpura detur. 727.1
Præteritionum Idea. 275.2
Præteritio reticentia Ciceroni. 550.1. *adhibetur vt Orator in verbis verecundiam oſtendat, apta eſt ad odium & vituperationem, vt plus in ſuſpicione relinquatur, quàm ſi apertè dicatur; vim habet maiorem ſi fiat per conceſſionem.* 551.1
Præteritio valet ad confutandum, ad conglobanda argumenta, quæ ſola parum aut nihil poſſent. 551.2
Præteritionis ſpecies eſt pœnitentia, valet in fine, cùm recenſitis argumentis auſterè nimis agere ſe Orator arguit. Cum pœnitentia Attemperatio affinitatem, habet cum ſibi modum facit Orator. ibid.
Principes præire debent exemplo cæteris, vt dignitate. 607.2
Principes amore & veneratione colendi. 666.1
Priuatiuè oppoſita. 97.1. *eius canones & regulæ.* 97.2

PRO.

Problematicæ quæſtiones variæ. 198.1
Propoſitio mentiens quæ ſeipſam negat. 62.2
Proſopographia ſeu perſona ficta aut vera deſcriptio. 559.2
Proſopopœia, vſus eius & definitio. 564.2. *illuſtris ad obiurgandum, varioſque motus ciendos.* 565. *ſæpius eſt abſentis ſermo* 565.2. *vulgi loquentis. ibid. valet ad amplificationes.* 566.1. *Fit in rebus inanimis etiam ad motus.* 684.248.2.
Prothei forma diuerſæ. 554.2
Prouerbia, definitio, valent ad perſuadendum adornandum eleuant orationem, irrident. 174.2. 175.1
Prudentia laus & commendatio, eius effectus. 627.1.2. *aliorum vti conſilio, prudens electio conſiliariorum ibid. quales eſſe debeant, aſſentatores & auari, cæteriſque vitiis laborantes non ſunt in conſilium admittendi.* 628.2. *Docilitas in conſiliis audiendis.* 630.2. *mutatio prudens ſententiæ. ibid. Sagacitas & ſolertia perturbatione vacua.* 630.2. *Promptè & celeriter agendum, quod lentè conſultaueris. ibid.*

PV.

Pudicitiæ imago & emblema. 653.2.654.1
Pudor valet in genere deliberatiuo, apud viros excellentes, quid. 494.1. *quibus concitetur, timiditate & fugâ, lenitudine & negligentia.* 494.2. *Temeritate & impudentia, ingrati animi vitio contemptione & odio, quo quis propter vitiorum turpitudinem apud omnes laborat.* 495.1.2. *leuitate & inconſtantia, iniuſtitia, auaritia ſordibus.* 496.1. *Mollicie & imbecillitate animi.* 497.2. *dedecore & infamia, turpitudine & impietate.* 498.1
Pudor vitioſus dediſcendus & fugiendus vt virtutis inimicus, & infamis innocentiæ prædo. 499.1. *Damna pudoris imbecillis, exempla eorum qui malo pudore perierunt.* 499.2
Pudorem noxium, prudens & audax libertas corrigit. 500.1
Pudoris victoriis minoribus aſſueſcendum. 500.2
Pudoris deſcriptio. 501.1. *Characteres oculorum demiſſio. Rubor vultuſque mutatio, vocis interclufio. ibid. ſilentium, Orationis ſubmiſſio, imprecatio.* 501.2. *pudoris motus cietur.* 257.1
Pueri laus. 695.1
Pulchritudo virilis, eius commendatio. 612.1
Pulchri animi imago. 613.1. *futuræ flos virtutis & maioris pulchritudinis præludium. ibid.*
Pulchritudo virtutis indicium & comes. 613.2, 614.1. *diuinitatis cuiuſdam argumentum.* 614.2
Pulchritudo cum ſplendore caſtitatis & modeſtia tam amabilis, quàm rara. ibid. Reges facit. 615.1. *Caret laude ſi caret virtute.* 615.2
Pulchritudo vitiis obnoxia fragilis & floris inſtar naſcentis ſimul & morientis. 616.1
Πυρομαντεία ignis obſeruatio ad omen triſte, vel lætum. 147.1
Pyſander ob improbitatem ſemper timidus. 427.2

Digitized by Google

Q

Quadrigæ in Apotheoſi olim adhibitæ. 748.1.
Quæſtiones cruciatus, quid illarum diuiſio. 188.1.2.
Quæſtionum ſiue tormentorum varium ac multiplex genus. 188.2. *graue, leue: Quomodo poſſit aliquid à quæſtione confirmari.* ibid. *Si poſt quæſtionem in veritate profeſſa manſerit.* 189.1. *Si tormentis adigi non potuit vt contra veritatem loqueretur.* ibid.
Quæſtio poteſt infirmari, quibus? fragilis veritas quæ tormentis exprimitur, 189.2. *Doloris impatientia victi, crimen quod non admiſerunt fatentur.* ibid.
Quæſtio res fragilis & periculoſa quæ veritatem fallat. ibid.
Quæſtionem circumſtantiæ ſingularum expendendæ. ibi.

R

Ratiocinatio Rhetorica, eius vſus. 201.1. *Collectio argumentorum.* 230.2.

Re

Regilianus à Grammatico Imperator dictus. 152.1.
Regis laus & commendatio, cum ſole comparatus. 697.2 698.1.
Regis in vrbem reditus, aut receptionis artificiu vellegati aut Magiſtratus, vſus Orationis huius generis. 730.1.2. *apparatus in illa quis, quæ pompa celebritas, numiſmata & inſcriptiones.* 730 2. & ſeqq.
Regum virtutes & opera magnifica. 796.1.2.797.1.
Regreſſio verborum lumen, quod in Oratione delectationem facit. 525.2.
Relatorum definitio, valent ad exhortationes 96.1.
Relatorum canones & regulæ. 96.2.
Religionis in Deum, & Superos commendatio, neceſſitas eius, & vtilitas. 661.1.2.
Religione vita conſtat. ibid.
Religionis amplificandæ ardor in principibus Chriſtianis. 662.1.2.663.1.
Reprehenſio quibus mitigari debeat, vt proſit. 273.2. 274.275. *valet in refutationibus.* 276.1.
Repugnantium definitio. 99.2. *Canones in vno eodemque eſſe non poſſunt.* 100.2.
Repugnantium vſus aptus ad refutandum, dum oſtendimus pugnantia loqui aduerſariũ. ibid. *ad amplificationem cùm ſingula ſinguli opponuntur.* 101.1.
Repugnantiam conferunt plurimum ad Orationis ornatum, & ad periodorum complementum. 102.1.
Repugnantium notæ affirmatiuæ at, atqui, vel negatiuæ. 102.2.
Res aduerſæ virtutem exercent ac probant. 836.2.
Reſponſa Sacerdotum. 146.1.
Reſponſa coniectorum ex ſomniis. 147.2.
Reſurrectionis corporum imago. 133.2.
Rhetorica comparatur cum Iride. 1. *ars fallendi.* ibid.
Rheoorica vera definitio. 2. *vis einſdẽ & vtilitas.* ibid.
Rhetoricæ partes quinque cum militia comparantur. 43.2.
Reticentia fit tùm maioris ſuſpicionis, tùm obſcœnitatis vitandæ cauſa, definitio, vſus, fit der præciſionem, per ſermanis fictam præcluſionem, in affectibus maximè dominatur. 575.2.576.1. *Doloris, Audaciæ, Timoris, Minarum* ibid. *Pudoris, ſolicitudinis, grauitatis, modeſtiæ, ambitionis.* 576.1.2.
Reuerſionis artificium, quâ felicem reditum amico gratulamur. 734.2.
Rex iuſtus quis dicatur & quomodo ſit. 674.2.675.1.
Rex bonos conſiliarios conſulat, ijs acquieſcat. ibid.
Riſus permiſſus Oratori. 512.1.

Ro

Roberti Regis Francorum pietas. 662.1
Robur & fortitudo corporis, eius commendatio. Principes robore viribuſque inſignes. 617.2.
Robur imperio dignos efficit, cum animi fortitudine coniunctum laudatur ſecus vituperatur. 667.1. *Militari fortitudini honos habitus, merces reddita, cùm ad patriæ defenſionem hac hominis manu vtimur.* 617.2.
Robur ſine Virtute & Clementia damnatur, fortes & crudeles & ſuperbi plerumq; cædes & incendia, aut important, aut imperant. 618.1. *illorum exempla.* ibid.
Rodolphi Imperatoris lemma ADSIT, *pictura, aquila pedibus ſagittam verſans.* 165.2.
Roma Gallina dicta 591. *eius laus & deſcriptio.* 589.1.
Roma Religionis anchora per definitionem conglobatam 558.2.
Romanorum ritus funebris. 739.1.
Roſa cum ſpinis, voluptas & gaudium cum dolore & triſtitia. 391.2.
Rota in Deorum templis efformatæ ſymbolum. 160.2.

Ru

Rumor, eius definitio, ſermo ſine auctore diſperſus, cui malignitas initium dedit, credulitas incrementum. 195.2.
Rumores ſubroſtrarij, inanes ἀδέσποτοι. 195.2.
Rumigeri cereales nuntij D. Hieronymo. 196.1.
Rumorum aucupes, illorum ingenium. ibid.

Rumo

Rumores graues conſtanti firmantur opinione graui auctore, contra Rumores quid afferri debeat, inconſtans vanaq; fama. 196.1. *pericula ex fama leuiter recepta.* 197.1
Rumigerulis leges ac pœne impoſita, ibid.
Pro Rumoribus conſtans omnium fama. 197.2
Rumores perperam reiecti. ibid
Rupella, eius ab aduectis rebellio. 50.2.139.1
Ruſticitas in locis locum habet. 512.1

S

Sabaudiæ lemma & dictum FERT. 65.2
Salſum condimentum Orationis in ridiculis. 512.2
Saltatio. 263.2. *Rufus ſenator à Domitiano pulſus è foro, quod ſaltaſſet.* 264.1
Saltationis inauditum ſupplicium. 164.2
Saltatio inſania eſt. ibid.
Salutatio optationis genus. 578.2
Sanna irriſio eum geſtu. 509.2
Sannarum triplex modus 510.1
Sapientia, eius commendatio, fons geminus ab ea, conſors cœleſtis arcani & particeps diuinæ mentis, ex dictis & ſermonibus colligitur ſapientia. 632.2
Sapientes ſoli creduntur rerum adminiſtratione digni. 633.2
Sapientia cum eloquentia coniuncta. 633.1

Sc

Scanderbechi, fortitudo per gladiũ in brachio expreſſum notatur. 706.1
Sceptrum Regum diuerſarum regionũ multiplex. 723.1
Scientia liberalium artium numinis illuſtre donum, eius dignitas & commendatio .623.2. *Cibus eſt animi, frænum adoleſcentibus, ad virtutis conſequutionem omnibus inſtrumentum, & ad fugam odiumq; vitiorum.* 614.1.2
Scientiæ neceſſitas. 625.1. *literarum parentes, illorum laus & liberalitas.* ibid.
Scomma tecta mordacitas. 511.1. *Oratori vitanda vtpote ſeminarium odii.* ibid.
Scripti controuerſia. 841.1
Scriptio ſtylus dicendi magiſter. 39.2
Scriptionis fructus & vtilitas. ibid.
Scriptioins aſſiduitas commendatur Apellis lineâ quotidie ducenti; exemplo 39.2 *Meditata, diligens & accurata, non præceps & depræperata.* 40.1
Scriptio iterata & repetita; moroſa nimis & anxia improbatur. 41.1
Scriptionis argumentum, & ratio. 421.2
Scytharum Rex ad Darium epiſtola ænigmatica. 159.2
Scytharum riſus funebres. 738.2

Se

Seceſſus & negotiorum moleſtiarũq; vacuitas Oratori neceſſaria. 38.1
Seditionum auctores, qui 555.2. *Seditioſi;.* 64.2
Senator à Domitiano pulſus è foro quòd ſaltaſſet. 264.1
Senatûs definitio conglobata. 47.2.
Senectutis mores. 108.1.;27 2
Senes generis humani Præceptores honorandi & virtutibus præcellentes, 666.2
Sermo ἀσχημοσύνη. 181 2
Seueritas pars iuſtitiæ, eius neceſſitas & commendatio, comparatur arbori fœcundæ regni faciem decoranti. 674.1
Seueritas iuſta in hoſtes, moderatas ſeueritas. 675.1. *poteſtaſ\'e contineat, nec illa præceps ſit in crudelitatem.* 675.2.

Si

Sigmalionis virginem pingentis amor in eandem 689.1
Signa, ſigilla, Chyrographa quomodo in vtramq; partem tractanda. 187.2
Similitudo. 30.1
Similitudinis locus, definitio. 79.2, *à comparatione diſcrimen, diuiſio triplex parabola, inductio, exemplum, ſimilitudo per inductionem* .80.91.2. *per collectionem exemplorum.* ibid. *ad perſuadendũ & illuſtrandum ſi conglobentur.* 82.2
Similitudo per comparationem allegoricam ibid. per fictionem. 83.2
Similitudinis veritas. 84.1. *Illuſtrat, deſcribit.* ibid. *Probat, ad luces, ſubiicit.* 842. *non eſt neceſſe ſimilia conuenire in omnibus.* 85.1
Similitudo diſiuncta .85 2. *Continua, vſus multiplex ibid. Similium rerum conſentiens collatio, mortis & amoris comparatio.* 86.1
Similitudinum congeries rem nouam colligit. 86.2. *Fit per negationem cum affirmatione.* 87.1
Similitudinis notæ, effigies, ſimilis, inſtar, more, tamquam, ſicut, haud ſecus, 87.1
Similitudinis varianda cautiones. 88.2.
Similiter cadens figurata loquutio. 529.1

So

Socrates moriens audiendi ſermonem de veritate auidus 33.2
Sol, eius effectus multiplices. 235 1

Digitized by Google

Solis definitio conglobata & congeries. 693.2
Somniorum obſeruatio, quatuor illorum cauſa. 148.1
Somniorum differentia multiplex, quod euenturum repræſentant vel ſignificatione, vel re ſimili, vel reipſa, vel imaginibus. 148.2. *Emblematis, Ioſephi manipulus, ſomniorum ænigmata. ibid. Piſtorum Pharaonis ſomnia mortalium vana ibid. ſuadetur Cæſari ne domo exeat, ex prodigiis viſis & oraculis.* 149.1
Sophiſta Protheus. 1.
Sordidè auari pictura. 497.1
Sorites, illius definitio .204.2. *aceruatio multarum argumentationum* .205.1. *Cautiones huius lubricæ argumentationis.* 205.2

Sp

Spartiani ante bellum amori ſacra faciebant. 333.1
Species, eius definitio 77.1. *Canones, vis & præſtantia.* 77.2. *Valet ad reprehenſionem. ibid vſus per affirmationem ad motus facit ſi conglobentur.* 78.1
Species Orationem ornat grata varietate. ibid. per negationem, per inductiones 78.2. *In exordiis multis ſpeciebus genus adiungitur.* 79.1
Speculi vſus. 125.2
Spei motus in exordiis qualis. 270 1
Spes χαρμάτων [illegible]*, quid.* 407.2
Spem excitat honeſtas & magnitudo boni. 408.2
Spem erigunt opus & præſidia. ibid.
Spem & fiduciã ſuſtẽtãt vires & robur corporis. 408.2
Spem affert prudens ducum ſolertia, multitudo amicorum. 409.1. *Imperatoris fortis & ſapientis experientia.* ibid.
Spem excitant viæ faciles ad rem conſequendam. ibid Rei facilitas, aduerſarium imbecillitas. 409.2
Spem facit rerũ feliciter ante geſtarũ experiẽtia. 410.1
Spem acuunt præmia propoſita. 410.2. *Innocentia vitæ, fauor diuinus Spei plenum facit animum.* 411.1
Spem gignit & fiduciam Iracundia. 513.1
Spes infringitur, rei difficultate. ibid. præſentis mali ſenſu, malorum imagine, quæ imago mentis & oculorũ aciem ferit. 412.1.2. *crebra rerum & fortunæ mutatione.* 413.1. *nimia & moleſta ſpe.* 413.2
Spei characteres & effectus, eius deſcriptio, ſpes credula pertinax, fallax. 414.1.2
Spes miſerorum leuamentum, animarum alimentum, & virtutis amatrium, ſuſpenſa inter metum deſperationemque. 415.1
Spes plena voluptatis & gaudij, blandicias animo præſidenti. 415.2

St.

Statuæ deſcriptio. 121.1
Status multiplex. 564.1.2
Stella in conſecratione diuinitatis ſymbolum. 748.1
Stella magorum lingua [illegible] 424.1
Stemmatum praxis. 727.2.728.1
Stemmata auariarum. ibid.
Sternutamentum. 144.2
Studium vehemens ad rem, animi occupatio. 108.2

Sv

Suaſionis artificium. 770.1. *Exordium eius. ibid. Narratio, Confirmatio ab vtili, facili.* 771.1.2 *à neceſſario & difficili, ab impoſſibili.* 772.1. *à tuto, iucundo, à minori ad maius.* 772.2. *ab exemplis maiorũ; Epilogus.* 773 1
Subiectio, eius definitio, vſus multiplex. 530.1.531. *& ſeq.*
Subiectio pro aduerſario contra aduerſarium argumentatio. 207.1.2 [illegible].1.65.2.69.1
Suggeſtus quem aſcendit doctor inauguratus. 725.2
Summiſſio vel gradatio ſoritem componit. 206.1
Summiſſio ſpecies argumentationis, quid, quæ ratione, quibus particulis fundatur. ibid. Cautiones in ſummiſſione obſeruandæ. ibid. gemina cum ſorite. ibid.
Suppoſitio rem ſtatuis in contrario, vt doceat quid futurum fuiſſet ſi res aliter ſe habuiſſet. 553.1
Suſpenſio parat animum in exordio. 168.2
Suſtentatio quid, vales ad amplificationes. 539 1. *ad vituperationem* .539.2. *tum elegans, cùm dubitationem habet adiunctam.* 540.1. *apta ad laudem per dialogiſmum. ibid. valet ad minuendum cum delectatione, quando ad aliquid leue deſcendis, quod credebatur grauiſſimum.* 540.2
Suſtentationis ſimulata ſpecie captatur locus. 541.1

Sy

Syllæ conſtans felicitas. 610.1
Syllogiſmus ſeu ratiocinatio quinquepartita. 201.2 *Quomodo dilatanda, figuris illuſtrioribus & expolitionibus* .201.2. *in ſyllogiſmo liberum vnam aut alteram è propoſitionibus omittere.* 202.2
Syllogiſmi Dialectici & Rhetorici differentia. 201.2
Symbolum ænigmaticum .159.1. *eius definitio* .158.1 *varia eius ſpecies alind verbis, aliud picturis expreſſum.* 158.2. *per ſigna naturalia, gryphus pro auaro, ouis pro manſueto.* 159.1
Symbolica ænigmata per tropos & allegorias. 160.2. *rerum quæ*

Digitized by Google

rum quæ exprimuntur in ſymbolis & ænigmate Ichnographia. 162.1.
Synedoche & eius ſpecies. 521.1.

T

Tabulæ quî debeant in vtramque partem tractari, confirmari, vel infirmari: 187.1. *Antiquitas prodeſt, obeſt nouitas. Plurimum conſenſus iuuat ad fidem faciendam.* ibid:
Tabularum integritas fidem facit, abrogat contrarium. ibid.
Tabulæ ab hominibus integræ famæ conſcriptæ valent, ab improbis compoſitæ reiiciuntur. ibid.
Tarquinius ſumma papauera decutit ænigmaticè. 159.1.

TE

Temperantiæ definitio, commendatio, ambitioſi cultus à Principibus neglecti. 634.1. *Inuitæ cultum modeſtia laudatur; vitæ cultus ciuilis & honeſtus, non ſordidus ad auaritiam, aut neglectus.* 635.1. *Ornatus mollior viros dedecet, morumque mollitudinem arguit.* 635.2. *liberalis frugalitas, in cibo potuque temperantia.* 636.1. *damnatur intemperantia.* 637 1.2.
Templum diuinitatis ſymbolum. 748.2.
Teſtimonium diuinum, eius vis & numerus. 141.1. *triplex.* ibid.
Teſtimonii diuini Idea. 149.1.
Teſtimonium veterum ex auctoritate petitum 157.1.
Teſtimonium aduerſarii validiſſimum 181.1.
Teſtimonium ſcriptum ſigillis notatum. 181.2.
Teſtimonium humanum ſermo cuiuſlibet. ibid.
Teſtimon. verbis ſimblicibus conceptum vox veritatis. 184.2.
Seſtis duplux genus. 180.1.
Teſtium commendatio, quod oculatus & auritus, & alias auditus 180. 2.
Teſtis iuratus. 181.2.
Teſtes infirmantur, ab illorum moribus. 182.2.
Teſtis in cauſa ſua non auditur. 183.1. *domeſtocus non admittitur.* 183. 2. *ſeruus & amicus teſtis non idoneus, eiuſdem artis ſuſpectus.* ibid.
Teſtis inimicus reiciendus. 184. 1. *Infamis repudiandus: miſericordi mendacio vſus.* 184.2.
Teſtes probatæ vitæ quomodo refutandi. ibid. *deprecandi Iudices ne perſonarum acceptionem habeant, ſed veritatis rationem.* ibid.
Teſtis abſens. 185.1.
Teſtium perfecta cognitio plurimum iuuat ad refellendum, ſi aliqua perturbatione agantur. 185.2.

TH

Thaletis de rumore dictum elegans. 195.2.
Thebanorum ſacra cohors amantium. 331.
Thebiſentium ritus funebris. 739.1.
Theodoſius Imperator vetat in ædes ſacras arma inferri. 459.1. *eius in templis humilis & modeſta pietas.* ibid.
Thimoleontis fortuna felix & conſtans. 609.1.
Thomæ Mori facetè dictũ & arguteè in mulierẽ. 520 1.
Thronus Regis. 50.2.
Thyrſus impotenter ob crudelitatem timidus. 427.2.

TI

Timor Dei iuſtitiæ patronus. 431.2.
Timoris excitandi ratio. 422.1.2. *ſedandi.* 42[illegible].1.2.
Timoris characteres & notæ. 432 433. *& ſeq.*
Topographia veri loci deſcriptio. 561.1.

TR.

Tranſitionum formulæ multiplices. 218.1.
Tribulationis fructus & commoda. 819.1.611.289. 2
Tripudium ſoliſtimum, terripauium. 144.[illegible]
Tripus in Apotheoſi adhibebatur. 748.2
Triſtitia quid. 395. 2. *vbique voluptati & lætitiæ mæror & triſtitia adhæret.* 39[illegible].2.
Triſtitiam augent conſanguineorum vincula, mortes, funera. 396.1. *honorum amiſſio, calamitatis indignitas.* 397.1.
Triſtitia & dolor lenitur vitæ innocentia & bonæ conſcientiæ teſtimonio. 397. 2. *Humanæ vitæ conditione mortali & lubrica, fortunæ volubilis inconſtantia.* 398.1.
Triſtia communis. 398.1. *Exempla meliorum mæroris leuamentum: meſſis gloriæ collecta triſtem conſolatur.* ibid.
Triſtitiam minuit futuri mali præſenſio. 399.1. *æquabilitas animi.* 399.2. *Inutiles lacrymæ funduntur niſi ad eluendas animi ſordes.* ibid.
Triſtitiæ remedium auocatio mentis à cogitatione rei aduerſæ. 400. 1. *perfecta cum Dei voluntate conſenſio.* ibid.
Triſtitiam lenit & dolorem ſtatus vitæ felicioris 401.1.
Triſtitiæ ſolatium petitur ex ſtudiis. 401.2. *ex lacrymis & fletu, ex ſociis doloris & infortunii.* 402.1.
Triſtitiæ effectus & characteres, faſtidium rerũ omnium immittit. 402.2. *lacrymis delectatur, triſti & ſqualida rerum imagine paſcitur,* 403.1.
Triſtitiæ & mæroris facies lugubris, ſolitudinem amat, ſtuporem & ſilentium parit, & lapideos efficit homines. 404.1. *querelas frequẽtes habet.* 404.2. *calamitatem*

Digitized by Google

tatem vt inopinatam dolet. 405.2. Creſcit temporis diuturnitate, animi crudele tormentum, emollit vires enimi timidoſque facit. 406.1. priſtinæ felicitatis memoriam conſeruat. 406.2
Triſtitia futuram calamitatem præſagiens læta ſpernit. ibid. Vehementer iraſcitur in eos qui ſunt triſtitiæ ſuæ cauſa. 407.1. Ex impatientia mali grauioris crudelitatis Superos accuſat. ibid. Deſperat, mortemque miſeriarum portum exoptat. ibid.
Triumphi deſcriptio. 399.2
Turpitudo morum in adoleſcentibus pernitioſa. 558.2

V

VAnagloria per comparationes expreſſa. 559.1
Varietas in argumentatione neceſſario adhibenda. 212.1
Vaticinatio vatum prædictio. 142.2. facit ad laudem. ibid.

Ve

Venationis commendatio, idoneum iuſti prælij ſimulacrum, pars ſcientiæ militaris, Regibus conueniens exercitium, 620.2. Principum nomina qui ſe venationi exercuerunt. 621.1.2
Venus barbata. 170.1
Venuſtum in ridiculis Orator adhibet ad delectationem. 513.1
Verba quibus fit illuſtris Oratio. 222.1. eorumdem conſonantia. 223.1.2
Verba grauiora quænam ſint ad amplificandum. 224.1 plena, ſonantia, non vulgata, ampliora periphraſis, ſpirans & acuta metaphora, diſſoluta, parca vel contraria, verſa & variata. 224.2
Verecundia frequens in genere deliberatiuo, quibus concitetur, quid. 494.1.2
Verecundia commendatio. 498.2
Verecundia in adoleſcente morum amabilis gemma, & index virtutis, bonæ ſpei nuntia. 676.2
Verecundia corporis & animæ pulchritudo, nobilis animi color & virtutis. ibid.
Verſus Dalmatarum dux. 58.2
Verſus ſotadici, cancrini, retrogradi. 57.2
Veſtium ſuperbus ornatus plurium malorum cauſa & incentiuum. 635.1.2

Vi

Via virtutis & voluptatis, ſiue iuſtorum & impiorum ſemitæ. 549.1
Victimæ inſpectio, quando boni erat ominis, quando infauſti. 146.2
Victimarius ignis. 147.1
Violatio ſubtilis & contentioſa ratiocinatio. 207.2. duplex eius forma. ibid.
Virilis ætatis mores. 318.1
Viri conſtantis imago. 532.1
Virtus animæ purpura, eius templum ac ſedes. 405.1
Virtutis laus & commendatio, ſolum bonum conſtans & perpetuum, 616.1
Virtutis & voluptatis contraria. 549.1
Vita humana conditio. 736.2. ſcenica actio. 740.2. Miſeriæ. 818.2.819.1
Vitia cum feris, imò cum Dæmone conferuntur. 171.2
Vitium fuga ſanatur. 363.2
Vitis vlmum arentem inumbrans amici poſt mortem fidelis ſymbolum. 158.2
Vituperationis artificium. 749.2.750.1
Vituperatio à patria. 589.2
Vituperatio filiorum qui degeneres ſunt. 591.1
Vnctio Regum. 722.2

Vo

Vocum expoſitio elementaris, reſolutio. 59.2
Voluptatis deſcriptio, malum & effectus. 555.1.50.2 Homines indulgere voluptati indignum. 121.1
Voluptas pernicioſa probatur ex effectis. 123.1. ex damnis & incommodis. 235.2.236.1. ſemper virtuti & honeſtati contraria. 549.1
Voluptas fugienda, peſtis eius ac lues. 795.1
Vrbanitas Orationis lepos & cōdimentū in iocis. 512.1
Vrbis direptio. 104.1.66.2
Vulgi ac multitudinis mores. 107.1. Inconſtantia. 138.2
Vulgus vtilitate ducitur. 787.2

X

XEnodochia & Noſocomia ædificare regium eſt atque magnificum. 652.1

Z

ZOna aurea doctori inaugurato traditur. 726.1

FINIS.

Digitized by Google



Joan...

Digitized by Google